





IN

GRÆCAS ET ROMANAS

GRÆVII ET GRONOVII

ANTIQUITATES

NOVA

SUPPLEMENTA.

TOMUS V.

UTRIUSQUE THESAURI ANTIQUITATUM ROMANARUM GRÆCARUMQUE NOVA SUPPLEMENTA

CONGESTA

AB

JOANNE POLENO.

VOLUMEN QUINTUM.



Jo. Bapta. Tiepolo In. *Petrus Monaco Sculp.*

VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES POLENUS.



QUod claro in primis Geometræ accidit Henrico Savilio, cum suis in Elementa Euclidis Prælectionibus, editis Oxonii an. 1721. in Propositione octava (neque enim plura spoponderat) his verbis finem imposuisset: *exsolvi per Dei gratiam promissum, liberavi fidem meam—cyclos artemque repono*; idem ne & mihi accidat, vereor, si in Quinto hoc Volumine finem faciens Supplementorum meorum ad Antiquitatum Romanarum & Græcarum Thesauros, iisdem, aut non multo aliis, necessario verbis utar. Namque ut illius verba improbavit Nicolaus Malebranchius (*Recherche de la Verité*. Tom. 1. pag. 416. Edit. an. 1712.) tanquam minus convenientia parvo adeo in tanta re labori; sic meis quoque in non dissimili casu videtur similis timenda censura. Verum ut Savilio minime defuit egregius defensor Jo. Wallisius; (in suorum Operum Mathem. Volumine altero. pag. 218.) ita, & me, sperare juvat, meos habiturum defensores.

II. Neque id tantum spero, sed illud insuper me solatur, quod hujusmodi Collectionum proprium est, ut censura aliqua carere non possint: ut, si qua forte in his minùs placeant, mihi liceat me, ut artificem, excusare, culpamque in artem ipsam rejicere. Quin etiam spes est, fore, ut apud æquos homines non improbata abeat egregia voluntas mea, gratoque ab iisdem animo viri illi ornatissimi optimique laudentur, *ad quos meliore aura* (verbis quidem utar alias usurpatis, sed recte tamen utar, quia veris) *flatuque prospero bonarum artium, cura edendi Thesauros Græcarum Romanarumque Antiquitatum translata est*. Hi Veneti Socii, ut decebat homines, non librariis negotiis deditos, sed *honestissimo loco natos*, & ad hoc onus, quod suscipere coacti sunt, cum laude sustinendum *præsidiis omnibus instructos*, nulla in re promissis defuerunt; neque ingentibus, quibus opus fuit, sumptibus, neque multiplicibus curis absterriti sunt, quominus universum corpus & Thesaurorum, qui a Grævio, a Gronovio, a Sallengrio collecti fuerant, & Novorum Supplementorum tale exiret, quale in vulgato ab ipsis Programmate antea spoponderant. Sed de hac illorum in præstanda fide constantia, exactaque diligentia, plura dicerem, nisi per se ipsum loqueretur Opus, jam prope ad suum absolutissimum complementum perductum.

III. Juvabit potius indicare, impensas, quas paullo ante dixi ab iisdem Venetis Sociis esse factas, tantas fuisse; ut, præter pecunias ab iis, qui nomen dederant, secundum subscriptionis legem acceptas, insuper magnas de suo in singula quidem Volumina adjicere debuerint. Curam vero in re suscepta posuerunt

tantam, ut cum, editione jam peracta Tomi XII. Thefaurorum ab Jo. Georgio Grævio congeftorum, deprehendiffent, in ejus Tomi, ut a Grævio datus fuerat, pag. 991. Figuram effe, nihil attinentem ad ea, quæ pagina illa fcribuntur (id quod omnibus documento effe debet, quam oporteat etiam litterariis in rebus alterum alteri veniam dare, quando vel Summis Viris interdum accidit, ut non omnia animadverterent) cum id, inquam, obfervaviffent, nullo modo fibi prætermittendum putarunt, quin aliam, quæ ei loco revera conveniebat, Figuram ære infculpendam, & folii illius typis iterata defcriptione in eo exhibendam, curarent: quod folium ultro & fua fponte dono darent iis, qui Venetam fibi editionem comparaffent. Hæc autem res, quantumvis parva videri poffit, ob id ipfum fuit a [illegible]ommemoranda, quod diligentia quanta fit, melius fæpenum[illegible]o ex parvis, quam ex magnis intelligitur.

IV. Nec vero aliud eorundem Sociorum meritum filentio eft prætereundum. Quod plane innotefcere potuit vel ex Programmate (cujus haud exiguam partem hic defcribemus) edito Venetiis Kal. Maii CIↃIↃCCXXXVIIII. quo fignificaverant, fe habuiffe in animo, non octo folum dare Supplementorum Volumina; ideft tria Alb. Henrici Sallengrii, & quinque fua; fed iis etiam alia addere, faltem tria; quorum unum dicatum effet iis rei nummariæ Scriptoribus, qui præfertim per cauffam numifmatum antiquorum, abditos quofdam litterarum fontes aperuerint, folidæque eruditionis apparatum amplificarint (quemadmodum in Præfatione ad Vol. II. noftrum, Art. X. dictum eft) ac ea profecto de cauffa non leves jam antea impenfas fecerant. Et quidem mens etiam erat, Opus univerfum ditare Voluminibus duobus aliis, complectentibus Indices in Thefauros cunctos Grævii atque Gronovii, nec non in omnia Supplementa. Erat enim in animo peculiares Grævii & Supplementorum Indices, ac Volumen Indicis Gronoviani una conjungere, atque accurate verba omnia ita intertexere, ut unus amplus, univerfalis, & (quod confequitur) fane percommodus, perque utilis Index conflaretur. Sed aliquibus ex iis, qui nomen dederant Societati, nonnullifque aliis Viris emunctæ naris, totum illud confilium haudquaquam placere videbatur. Satis divitiarum, ajebant, Thefauris effe adjectum; quandoquidem octo Supplementorum Volumina fatis grande atque illuftre funt additamentum: fatifque multas factas jam fuiffe impenfas. Nimis difficilem rem effe Volumina alia concinnare, ea de cauffa, ut omnium defideriis fatisfiat; cum alii Libros alios defiderent; plerique vero finem totius Operis, modum pofitum impenfis, & rem perfectam atque abfolutam concupifcant. Innumeros ferme effe Libros, qui ad eas Antiquitates poffint pertinere (idque etiam, cum diligentiffima inftituta fuerat perquifitio, abunde apparuerat) itaque ubi opes abundantes in Antiquitatum Thefauris hactenus editis fint collectæ, minime quidem laborandum effe quodam veluti avidæ litterariæ (ut ita dicam) avaritiæ genere; nec omnes & quafcumque eruditionis opes di-

vitiaſque eſſe expetendas. Ac, ſi doctorum commodo hæ collectiones inſtituuntur, cavendum plane eſſe, ne tam magnæ hæ tandem fiant, ut his tantummodo pauci frui queant. Illud denique urgebant, Theſauros Gronovii Indice ſuo univerſali, eodemque unum in Volumen congeſto, jam completos haberi; Grævii autem Theſauros & Supplementa convenientibus Indicibus, ſingulis ad ſingula Volumina appoſitis, vel ita ſatis eſſe perfecta, ut illiuſmodi Indices ſufficere Studioſis omnino poſſint. Ob haſce igitur cauſſas (quibus nonnullæ aliæ adjici poſſent) ab ſupra laudatis Venetis Sociis finis eſt factus Operis univerſi; & recte quidem, ut æquis & intelligentibus Viris facile viſum iri ſperamus.

V. Verum ut tandem redeam ad cenſuras, quibus multum obnoxia eſt ars hæc Collectionum conficiendarum; etſi de illis ſatis, ut credo, in aliis Præfationibus dictum eſt; tamen nihilominus eam prætermittere hic nequeo, cui patere peculiariter poſſet quintum hoc Volumen. Cum enim tria excellentia Opera, unde hoc incipit, duabus deſcripta linguis edamus, Italica, qua ab ſuo Cel. Auctore dictata ſunt, & Latina, in quam egregii doctique Viri tranſtulerunt, quis præſtet, neminem omnino fore, cui textus Italicus ſupervacaneus fortaſſe videatur; quaſi duplicata editione, ſine ulla impendii cura, fruſtra eſſet quæſitum Voluminis incrementum.

VI. Quod ſi quis ſit (quamquam non facile futurum credo) qui ſic exiſtimet; animadvertat is velim, Opera illa tria, quæ principem locum in Volumine hoc obtinent, & Latine verſa, & vulgari etiam (quemadmodum primitus prodiere) dialecto exhiberi debuiſſe, cum id plane exigeret ea Italici ſermonis elegantia ac puritas ſingularis, qua ab præſtantiſſimo Auctore ſuo eadem Opera fuere exarata. Tum ille idem, quæſo, diligenter etiam conſideret, eſſe quædam Opera, in quibus deſcriptiones continentur certarum quarundam rerum arte factarum, ad quas verbis (ut ſic dicam) delineandas multa earum artium, a quibus effectæ ſunt, earumque rerum propria vocabula requiruntur; quamobrem fieri non poſſe, ut ex una in aliam linguam ſic eadem Opera transferantur, ut ſatis cujuſque vocabuli vis omnis, quæ in illa erat, in hac quoque lingua exprimatur: hinc eſſe utiliſſimum, ut textus ipſe cum verſione conjunctus edatur; propterea quod, tametſi Lector non ſatis eam linguam calleret, qua ſcriptus eſt textus; in verbis tamen, quæ aliquam ſibi in verſione legenda difficultatem dubitationemve crearent, multum ipſe, textu inſpecto, adjuvari poteſt. Quin etiam Libri redduntur utiles iis, qui duntaxat alterutram linguam intelligant. Neque ſane deſunt exempla doctorum hominum, qui Opera nonnulla ita edidere, ut iiſdem, ea ratione, illiuſmodi utilitates provide compararerint.

VII. Verum ſi nihilominus quis pertinaciter contenderet, in ſic duplicata quorundam Operum editione aliquid tamen redundare, prætereaque in quinque hiſce novis Supplementorum Vo-

luminibus esse aliquem fortasse Librum, qui prætermitti (aliqua de caussa) potuisset ; is nihilo tamen secius debebit & pro duplicata illa editione, & pro eo Libro, Honestissimis Venetis Sociis gratiam habere. Nec vero hoc cum dico, id dico quod non continuo & facile possim, subductis rationibus, demonstrare. Nam certe illi in Programmate polliciti erant, *futurum, ut nullum Volumen constaret foliis paucioribus centum & quinquaginta*. Nempe igitur ut suam illi præstarent fidem, satis erat, ut quinque Novorum Supplementorum Volumina ex foliis constarent universa DCCL. Atqui, cum inter edendum materiæ creverint, universa ea folia sunt circiter DCCCC. Itaque centum illa & quinquaginta, quæ superant, folia, si ad eam duplicatam editionem, ad eumque Librum referantur, utrumque autem horum ceu quoddam inexpectatum supra promissa additamentum (ut decet) accipiatur; quis negare queat, secum actum esse liberaliter, & ad se referre posse, atque accommodare tritum illud Terentianum (Phorm. Act. II. Sc. I. v. 21.)

Quidquid præter spem eveniet, omne id deputabo in lucro.

VIII. Sed ab his, videlicet a forma editionis primorum Operum quæ hoc Volumine continentur, ad Opera ipsa jam transeo. Hujus autem Voluminis principium decorat viri celeberrimi Marchionis Scipionis Maffeii Tractatus *de Amphitheatris, & præcipue de Veronensi*; qui Tractatus statim ac in Angliam delatus fuit, in Anglicam linguam ab Cl. Alexandro Gordon conversus, Londini iterum prodiit. Hujus nobilissimi præstantissimique Auctoris, cujus aliis in scriptis meis magna, eademque debita, cum laude mentionem feci ; singularis eruditio, & eximia de Litteraria Republica merita, quorum memoria vigebit illustris, quamdiu sua litteris laus & honor manebit, cum notissima sint, plura de iisdem hic non addam.

IX. Id vero nequaquam reticebo ; multa illum elucubrasse, quæ ad intimam Antiquitatis notitiam attinent ; quapropter in hoc Thesauro perquam opportune spectarentur: sed in hoc non omnia (ut alias monui) comprehendi possunt. In Opere, *De Scientia, quam Equestrem vocant*, Veterum praxim in iis omnibus, quæ (ut hodie loquimur) ad *Honorem* pertinent, præcipuam scilicet morum partem, quam nullus unquam Antiquarius attigerat, mirifice detexit, atque ob oculos posuit: ita ut quibus Romani opinionibus in ejusmodi rebus affecti essent, quomodo injurias repellendas esse existimarent, quibusque verbis ac modis injuriam passis tunc extra judicium satisfieret, optime jam constet. Ea investigatio si Latine prodiisset, celebrata procul dubio fuisset apud cujusvis nationis litteratos homines; at raro ad exteras Provincias Italica lingua exarati Libri deferuntur. Ejusdem Auctoris Epistola, seu Dissertatio, Veronæ an. 1730. typis est data, in qua multa ad Theatrales Antiquitates pertinentia parum ad hanc diem illustrata, optimo in lumine collocantur. Id quidem præstitit, ut monumenta quædam eximia, vas nempe

He-

Hetruſcum, ſculptam Muſei Florentini Gemmam, & marmora quædam anaglypha interpretaretur. De Veſtibus Comicis, de βακτηρίαις καμπόλαις quas Actores in manu geſtabant, & de perſonis præſertim, quæ ſæpe ab Antiquariis eruditiſſimis pro capitibus habitæ ſunt, plene diſſeritur. Quod præjudicium cum admodum invaluiſſet; qui illud eliminavit, de re antiquaria optime profecto meritus eſt. Neque ſane hic mentionem prætermittam Libri perelegantis, cui titulus eſt: *Galliæ Antiquitates quædam ſelectæ*, Pariſiis primum, deinde Veronæ, in lucem prolati; ex quo *Epiſtolas* duas excerpſimus ad Volumen hoc noſtrum ornandum. Inſcriptiones multas, & quidem præſtantiſſimas, nunquam antea vulgatas, in eo reperire eſt; numiſmata quoque, & difficiles quam plures in re antiquaria nodos optime evolutos, atque extricatos: exempli gratia, *qui factum ſit* (Epiſt. 1.) *ut in Honeſtis Miſſionibus Civitas Romana legionariis militibus concederetur, quos ut Legionibus nomen darent, Cives Romanos jam fuiſſe oportebat;* quænam Civitates in Securino Arcu lateant ſub nominibus numquam auditis; quid ſignificet obſcura illa formula, *Sub aſcia dedicavit*; quomodo Hebræorum Scenopegia cum XXV. Phaophi menſis die concilietur; atque alia hujus notæ plura.

X. Verumtamen ad rem noſtram accedamus. De Amphitheatris Opus duos in Libros Auctor diſpertitur. Prior hiſtoriam perſequitur, alter rei architectonicæ inhæret; unde Amphitheatra originem cœperint, lignea olim fuiſſe, quis primo lapideum extruxerit, quare Coloſſei nomen acceperit, num in omnibus Imperii urbibus, immo num in Italicis ſingulis, marmorea Amphitheatra ædificata ſint, in Græcia nullum memorari, quinam Imperatores Romanum inſtauraverint; multaque inſuper habentur alia, quæ nimis longum eſſet enumerare. Liber hic ſolidis veterum Scriptorum locis perficitur ubique, illuſtraturque. De Veronenſi autem Amphitheatro ubi agitur; quo tempore extructum fuerit, quibus ſpectaculis inſervierit, ad quos uſus medio ævo deſtinatum ſit, diligenter exponitur.

XI. Secundus Liber partes ſingulas Amphitheatrorum, nempe molium admirabilium, alia quæcumque veteris magnificentiæ opera exſuperantium, diligenter percurrit, & dilucide accurateque deſcribit. Editas hucuſque Amphitheatrorum imagines ſtudioſe perluſtrat; & ſchemata ſæpe ex ingenio potius, quam ex reliquiarum eorundem obſervationibus effecta, notat. Præcipue vero eſt obſervanda, in Capite quarto, Epiſtilii, Zophori, & Coronicis (quas partes Italice uno nomine *Sopraornato* appellamus) in Tuſcanico genere nova detectio. Siquidem Architectonicæ artis magiſtri, ceterorum Ordinum (ut loquimur) membra, & ſymmetrias ex antiquorum ædificiorum reliquiis optime deſumpſerunt; ſed Ordinis Tuſcanici partes marte ſuo quilibet compoſuere: nimirum quia crederent, genus illud ſuperſtes nullo in veteri monumento reperiri. Verumtamen Auctor noſter ſupremas illius Ordinis partes, nempe Tuſcanicam Coronicem cum Zophoro, & Epiſtilio, prout in Veronenſi habentur Amphitheatro, perfe-

cte delineatas exhibuit : partes enim illæ ibi fere intactæ superſunt, ac de omnibus ſeculorum injuriis victrices; ſed latuere Architectos ceteros ; anguſta namque eo loci via illas ſubducit intuentibus ab ſolo. Obſervationem hanc mire poſtea confirmavit, cum Nemauſenſe Theatrum inſpiceret, atque illuſtraret.

XII. Interior Amphitheatrorum ſtructura nondum equidem ſatis explorata, ac detecta erat ; præſertim quia Juſtus Lipſius, pluresque alii Romanum tantummodo ſcrutati fuerant, cujus internæ partes prorſus evanuere. Propterea primus Vomitoriorum ordo, ceterorum trium omnino ſimilis, habitus eſt pro ſpecuum portis, per quas belluæ e carceribus in arenam perducerentur. Quæ falſa opinio ubi recepta ſit, inde facile ſequitur, ut turbentur omnia, & cum fabricæ tum ſpectaculorum genuina notitia invertatur. Per ea porro primi ordinis Vomitoria Patritii, & Nobiliores viri ad Podium, & ad proxima Podio ſedilia, aſcendebant : feræ autem ex duabus portis maximis in arenam adducebantur, ferreis, vel ligneis caveis incluſæ; quod noſter etiam veterum Scriptorum auctoritate plane comprobavit. Superiorum pariter contignationum ordinem, aditusque, per quos innumera Populi multitudo ad loca ſibi deſtinata, & ad altiores gradus properabat, nunc quaſi viſu poſſumus uſurpare ; dummodo delineationes inſpiciamus huic Operi inſertas ; quæ mirum in modum ſub oculis ponunt omnia dilucide expreſſa.

XIII. Quomodo Velarium expanderetur, quænam ſit ſubterranea ichnographia, quales Amphitheatri lapidei partes ex materia compingerentur, quicquid denique ad integram occultæ (ut ita dicam) ſtructuræ, & partium uſus, eruditam utilemque cognitionem ſpectat, abunde, quamvis preſſiore nec redundanti ſtilo, declaratum doctus Lector ibi deprehendet. Antiquorum etiam textuum emendationes quædam perutiles Libris iiſdem interſperſæ ſunt. Appendicis loco, Circularis Theatri, quod Polæ viſitur, & quod ſubobſcure tantum Litteraria Reſpublica noverat, deſcriptio habetur exacta, perjucunda, & architectonica.

XIV. Binæ Epiſtolæ adduntur ex *Galliæ Antiquitatibus* (ut jam innuimus) excerptæ. In quarum altera Gallica Amphitheatra Nemauſenſe, Arelatenſe, & Forojulienſe apprime deſcribuntur, ac plane architectonica ratione illuſtrantur : quibus deſcriptionibus ſuprema profecto materiæ huic manus impoſita eſſe videtur. Altera vero in Epiſtola Arauſienſis Theatri notitia, icon, & explanatio continentur. Illa Theatrorum veterum pars, quæ conſtituebat Scenam, præclariore quidem indigebat explicatione: in propoſita autem Epiſtola ex magnis reliquiis, & veſtigiis certis, magna ejus portio tandem ob oculos ponitur. Averſi etiam proſpectus antea obſcuræ configurationes, nec in aliis ædificiis viſæ, declarantur; ac omnium, quæ ibidem obſervata fuerunt, perſpicua & apta redditur ratio. Atque hæc de eximiis tribus illis Operibus dicta ſunto. Illa vero Opera excipit *Emmanuelis Martini Deſcriptio Saguntini Theatri*; de quo egregio viro nonnulla hic attexere lubet.

XV. Natus Emmanuel eſt Oropeſæ XIV. Kal. Auguſt. an. 1663. Parentibus honeſtiſſimis, & re familiari ſatis inſtructis, Joſepho Martino Oropeſano, & Maria Zaragoza Turralbina. Annos natus XIII. ſe Valentiam contulit, ibique Vincentium Stephanum Philoſophiam tradentem per triennium audivit; tum, Præceptoribus eo tempore doctiſſimis uſus, Theologiæ operam dedit: ſed eodem tempore ſe diſciplinis humanioribus quoque tradidit: Muſiſque carus, tractu temporis, multa Poemata feliciſſime conſcripſit: Græcis vero litteris mirifice eſt delectatus. Eaſque coluit cum Valentia Romam ſe tranſtuliſſet; eademque in Urbe Hebraicæ linguæ inſtitutiones imbibit, cum linguam Gallicam jam calleret. Romæ Variantium (ut appellant) Lectionum ingentem copiam antiquis ex Codicibus collegit; plura opera ſcripſit; & ſæpe audientibus Pontificibus Maximis cum laude peroravit. Viris Principibus gratus, tum etiam Viris eruditiſſimis, præſertim Raphaeli Fabretto, & Joanni Ciampinio, cum quibus inſignem coluit amicitiam, poſtquam diu in urbe eſt commoratus, Alonenſis Eccleſiæ Decanatum ab Summo Pontifice petivit, & obtinuit. Tunc itaque Romæ juris utriuſque lauream accepit, moxque Alonam ſe contulit anno *1697.* agens ipſe annum XXXIV. Biennio poſt, Vicarium cum ſibi conſtituiſſet, Valentiam migravit. Ibi in antiquarum rerum ſtudio præſertim verſatus eſt. Anno autem 1704. Mantuam Carpetanorum honeſtiſſimis conditionibus invitatus ab Ludovico Cerda Eccleſtæ Principe, eo ſe tranſtulit, ubi Bibliotheca & Muſeo illius Principis liberrime uſus, eruditionem ſuam auxit mirum in modum. At Principe vita functo, regia urbe diſceſſit Decanus noſter anno 1711. & Hiſpalim ſe recepit, ubi vetera plurima monumenta perluſtravit; reverſus inde ad regiam urbem anno 1715. Inſequenti anno profectus eſt Alonam, ubi haud longo tempore commoratus redire Romam conſtituit: neque diu cunctatus maritimum iter ſuſcepit, quod longum ei contigit, & laborioſum. Romam vero poſtquam pervenit, in oculorum morbum incidit, ſed ut meliuſcule habuit, primum Præneſte, tum in Tuſculanum, deinde Albam ſe contulit, vetera monumenta rimaturus. Sed cum rerum publicarum ſtatus minime ſineret eum diutius Romæ permanere, magno cum dolore diſceſſit, & Alonam, licet impedito & incommodo itinere, ſeſe reſtituit. At poſt annum 1723. oculorum gravi morbo laborans, Libros omnes vendidit, & hendecaſyllabos panxit, quibus Minervæ valedixit.

XVI. Hæc, compendiariam ſecuti rationem, nos ad rem noſtram tranſtulimus ex *Vita Emmanuelis Martini*, quam Vir Clariſſimus Gregorius Majanſius *Generoſus*, *& Anteceſſor Valentinus*, *Hiſpaniarum Regis a Bibliotheca*, Vir doctrina & virtutibus amiciſſimi ſui Martini perſimilis, fuſe admodum copioſeque conſcripſit, atque una cum Martini Epiſtolis in lucem emiſit. Ceterum paullo ſupra laudatus Marchio Maffejus in pererudito perque utili Opere, cui titulus eſt: *Oſſervazioni Letterarie* (Tom. IV. pag. 332.) *Martini* noſtri contexuit *Elogium*; ex quo nonnulla ſcitu digna

cognoſci queunt, alibi fruſtra quærenda: quippe quæ duntaxat commiſſa Epiſtolis Maffejo ab Martino, & viciſſim, datis. Præterea vero juvabit evolvere pereruditam Præfationem alteri editioni Epiſtolarum Emmanuelis Martini præfixam ab Celeberrimo Viro Petro Weſſelingio; qui hujuſmodi deliciarum optimus æſtimator Gulielmum Smithum currentem urſit, neque deſiit adhortari, ut Martini Epiſtolas repetita Editione vulgaret: vulgatæ itaque iterum ſunt illæ Epiſtolæ Amſtælodami an. 1738. Sed, ut eo redeam, unde diſceſſi, ad Martini vitam memoriæ proditam ab Majanſio; animadvertam, hunc ſcripſiſſe, *ut viventis adhuc virtutes ipſis præſentium oculis animiſque ſpectandas admirandaſque proponeret*. Quamobrem ego, ut cœptum hoc compendium perficerem, quærebam, num ſuperſtes (ut optabam) Martinus eſſet. Quærenti autem mihi Apoſtolus Zenus, vir haud ſecundus ulli eorum, qui, noſtra ætate, eximiæ eruditionis & amœniorum litterarum ſolida veraque laude florent, ut ejus fert mos de me optime merendi, obtulit mihi Epiſtolam, in qua de obitu Martini nunciatur, conſcriptam ad præſtantiſſimum ampliſſimumque Virum Jo. Baſilium Cervellionis Comitem; qui nuper ab Auguſto Cæſare Carolo VI. in longe nobiliſſimum Aurei Velleris Ordinem merito eſt cooptatus.

XVII. Eam fere integram, quamvis nonnulla minus ad meum inſtitutum pertinentia (optima tamen) continentem, libens hoc loco ſubjeci:

„ Excellentiſſimo Viro
„ Joanni Baſilio Caſtelvinio
„ Cervellionis Comiti
„ Greg. Majanſius, Generoſus Valentinus
„ S. D.

„ Privati ſumus, Excellentiſſime Comes, ego amico integerrimo, Tu cliente fideliſſimo. Emmanuel Martinus, Eccleſiæ Alonenſis Decanus, diem obiit extremum XII. Kal. Majas; ab una parte diabete, & ab dextro corporis latere ſpaſmate illum opprimente. Quantum Virum amiſimus pauciſſimi ſciunt. Sed cum Tu ſis unus in paucis, qui ejus merita foviſti, optime noſti. Nimirum illum Oropeſæ natum, Socer tuus (qui, quantuſque vir!) illius oppidi Toparcha, & Pater tuus, patriæque noſtræ immortale decus, ex quo illius ingenium calliſſime noverunt, virtuteſque eximias præſagire cœperunt, omni beneficiorum genere adoleſcentem ornare, & ad bonam frugem excolere voluerunt. Quo factum eſt, ut Emmanuel Martinus neminem poſtea coluerit ſanctius quam Te, utriuſque beneficentiſſimi Patroni ſucceſſorem ſimillimum, quod plane teſtatum eſt in Ferdinandi Ruizii Villegatis, Poetæ clariſſimi, dedicatione, ut omittam Epiſtolas, quas ad eos dedit, qui tecum inierunt amicitiam aliquam, in quibus paſſim de Te mentionem fecit honorificentiſſimam. Certe ego ſi integritatis, judicii, eruditionis, cæterarumque virtutum tuarum,

„ specimen aliquod exhibere vellem; nihil aliud facere deberem, „ ut meritis tuis satisfacerem, quam Martini ad me datas Epi- „ stolas, relegere, & exscribere. Ipsi autem Decano Alonensi „ non minor a tua commendatione, quam a suis scriptis clari- „ tas obtigit; cum omnes sciant, Te non solere laudare nisi ma- „ xime probanda. Sed cum rerum æstimator sis æquissimus, Mar- „ tini famam non in tua opinione, sed in ejus scriptis, niti sem- „ per voluisti. Quam ob causam plurimas ad me dedisti literas, „ quibus mandasti mihi, ut quæcumque Martinus scripsisset, di- „ ligenter colligerem. Nihil intentatum reliqui. Sed Decanus „ Alonensis modestiæ suæ satisfecit. Nam, præter notas criticas „ ad Q. Sectani Satyras, & Eustachii, Patriarchæ Thessaloni- „ censis, Excerpta in Homeri Iliada ab se donata interpretatio- „ ne latina, nihil ego ab eo extorquere potui. Quid igitur, in- „ quies, de ceteris ejus scriptis reliquum est? Si vera sunt quæ „ afferuntur, antequam ille diem obiisset extremum, omnia con- „ cisa, corrupta, concremata. Veruntamen diligentiam omnem „ adhibebo, ut, si qua ab hæredibus ejus occultantur, ea descri- „ bendi facultas mihi fiat. Quoniam autem semper plurimi fe- „ cisti quicquid ab illius ingenio prodiit; huc adjungam versicu- „ los, quos superiore anno, cum XIV. Kal. Augustas annum age- „ ret LXXIII. diem suum natalem celebrans, mei memor, scri- „ psit. Sic enim habet Epigramma:

„ Funde falerna, Puer, natalibus inclita nostris
„ Alma dies venit, funde falerna, Puer.
„ Quarta super decimam, quæ venerit ante Kalendas
„ Sextiles, vitæ lux ea prima fuit;
„ Bis septem Latiis adde trieterida lustris,
„ Hæc erit ætatis regula certa meæ.
„ Funde merum, consperge rosas, festoque tumultu
„ Ornent appositas florea serta dapes.
„ Este procul tetri vultus, & tristia verba:
„ Ferveat innocuis mensa pudica jocis.
„ Indulgere juvat genio, dare balsama, lætum
„ Numen adest, sacram porrigit & pateram.
„ Adde merum, Pincerna, vocat Majansius ille
„ Alter ego, æternæ fœdus amicitiæ.
„ Ille, cui jocus est, caput objectare malignis,
„ Qui invidiæ morsu perstimulante fremunt.
„ Vive diu incolumis, gentis nova gloria nostræ,
„ Ut livor, rabie præcipitante, cadat.

„ Ita ille mei memoriam cum sua conjungere solebat. Vale, „ Comes Excellentissime; & me puta paratissimum ad omnia „ officia, quibus me fungi velis.


„ Madriti. III. Nonas Majas, MDCCXXXVII.

XVIII. Hæc fere indicare habui de Martini vita; nunc de proposito ejus Opere dicendum videtur: id vero, quo fato, pro-

dierit primum, iiſdem ferme verbis, quæ legere eſt in *Vita Martini* pag. 89. 90. 91. ab Cl. Majanſio conſcripta, declarabo. Anno 1716. in Urbe Roma degebat Joachimus Alcaratius, homo alienæ laudis captator, qui extortum aliquando a Martino Theatri Saguntini, ab ipſo Emmanuele delineati, exemplar, una cum ejuſdem *Deſcriptione*, ſuo nomine, cum levi Emmanuelis mentione, mutatis nonnihil corruptiſque Martini verbis, publicavit. Quod cum reſciſſet Martinus, per litteras ab veteri amico ſuo Vincentio Gravina flagitavit, ut cauſſæ ſuæ patrocinium ſuſciperet. Vincentius noſtri injurias ultum iturus, verum ſtatim Auctorem vulgavit, & plagii Alcaratium arguit. Verum deinde ipſe Martinus *Deſcriptionem* ſuam *Saguntini Theatri* largitus eſt Viro celeberrimo Bern. Monteſalconio, Gallorum ornamento, qui publici juris eandem fecit in *Parte ſecunda* (pag. 237.) *tertii Tomi Antiquitatis Explanatione ex Schematibus illuſtratæ*, editi anno 1719. Iterum vero prodiit *Deſcriptio* illa in Volumine I. (pag. 389.) *Epiſtolarum* ejuſdem Martini, quas primum Cl. Majanſius, Mantuæ Carpetanorum, anno 1735. emiſit in vulgus. Tum lucem tertium aſpexit in earundem Epiſtolarum Amſtælodamenſi editione, de qua ſupra eſt commemoratum.

XVIIII. Nos vero eandem in Volumine hoc proferimus, una cum ejuſdem Theatri ichnographia, quam *Deſcriptioni* ſuæ Martinus ſubjecerat. Porro Martini (ut jam Cl. Monteſalconius recte obſervavit) eruditio, & rei antiquariæ peritia, in ea eminet *Deſcriptione*, ſive Diſſertatione, *circa Theatrum* illud; ubi omnia, vel minutiſſima, noſter accurate deſcripſit. De Theatri illius Saguntini peropportuno loco, de ejuſdem ſymmetria ac dimenſionibus, de gradibus, de equeſtribus, de ſubſelliis, de proſcenio, de porticu, de cavea, de ſcena, deque aliis Theatri partibus, ita perſpicue diſſeruit Emmanuel; ut, quamvis omnia expoſuerit ſtrictim, nihil tamen deſiderandum reliquiſſe videatur. Præterea vero de Theatro illo id animadvertere præſtat, quod ex omnibus ab eruditiſſimo Monteſalconio, in commemorato ſuo illo Opere, exhibitis Theatris, nullum ad formam Marcelliani Theatri magis, quam hoc Saguntinum, accedat.

XX. Nunc autem, quando de Galliæ Theatris, ac de Theatro Hiſpano verba fecimus, liceat Itali Theatri, vel in noſtra hac Præfatione, memoriam conſervare. Ejus nonnullarum partium, & Ichnographiæ ſchemata, in æs inciſa, atque permagno folio impreſſa, in lucem prolata fuere anno 1729. cura Viri nobiliſſimi Franciſci Comitis Paſſionei, in quo amor erga optimas litteras, arteſque præclaras, idem erat, ac eſt in ejus germano fratre Dominico Paſſioneo, quem honoris cauſſa nomino, nuper in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptato, cujus eximiarum virtutum, ſummæque ac maxime commendabilis doctrinæ, disjunctiſſimis in regionibus ſunt alte impreſſa veſtigia. Ex Schematum illorum (tria ſunt) titulo diſcimus, ab iiſdem repræſentari Antiqui Theatri reliquias, *quæ Iguvii, alias Eugubii, in Umbria ſuperſunt in prædio ſuburbano Comitum Gabrielium a Boccareſca*.



N. S. T. V. PRAEF. PAG. XI.

XXI. Ornatur folium illud nuncupatoria, qua non modo debitæ ſummo ampliſſimoque Viro laudes, ſed etiam nonnulla ad ejuſdem Theatri notitiam pertinentia continentur; eam vero hic ſubjeci:

„ Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino
„ Petro Ottobono Sabinorum Epiſcopo, &
„ S. R. E. Cardinali Vicecancellario
„ Franciſcus Comes Paſſioneus.

„ Permagnum obſequium erga Te meum argumento aliquo vulgare cupienti, opportune ſe offerunt egregii operis Romanorum veſtigia, Theatri videlicet Eugubini, antehac nunquam editi, licet præclarus ſimilium artifex Andreas Palladius de illo meminerit, Libro I. Architecturæ, Cap. XIII. aliique non pauci. Hæc ab amico delineata, meque accurante, æri inciſa, in tuo nomine apparere volui, Eminentiſſime Cardinalis, haudquaquam dubius, quin hæc pro tuo erga quæque magnifica ſtudio, Italicumque ſplendorem in primis denotantia, libenter excipias, meque, ut facis, tua gratia, quod oro, atque obſecro, fovere pergas.

„ Dabam Romæ ex tuo contubernio in ædibus Cancellariæ Apoſtolicæ V. Idus Auguſtas anno MDCCXXIX.

XXII. Præterea vero partium, figuris illis exhibitarum, perpolita datur explicatio, quæ hujuſmodi eſt:

A. Proſpectus interior, uti nunc eſt.

B. Proſpectus interior, uti ex veſtigiis cenſetur fuiſſe.

C. Proſpectus exterior, uti fuit.

D. Ichnographia ordinis ſuperioris Xyſti, quem intus columnæ teretes, non tamen ſolidæ, ſed ex variis fruſtis compactæ, ſuſtinebant. Cetera ex conjectura acceſſerunt.

E. Ichnographia primi ordinis, cujus non modica pars adhuc ſupereſt.

F. Epiſtylium, ornatus, & corona, ex variis fragmentis ſuppleta.

G. Corona altera, & ornatus, operi ſuperiori perſimiles, quibus incumbebant arcus.

H. Columna interior ſuperſtes, ex variis fruſtis confecta.

XXIII. Sed hiſce de Eugubino Theatro huc jam relatis, ad Theatrum Saguntinum revertamur. Ille enim idem, ante commemoratus nobiliſſimus Vir Jo. Baſilius Cervelionis Comes, hactenus ineditum *F. Joſephi Emmanuelis Minianæ de Theatro Saguntino* perelegantem *Dialogum* nobis ultro benigne præbuit, ut juris publici in Volumine hoc redderetur; quemadmodum redditum eſt. Eoque lubentius, quod ejuſdem Dialogi Auctor, cum ob egregias virtutes animi, tum ob ingenii præſtantiam, rerumque ſcriptarum gloriam, clariſſimus ſit: de cujus vita (ut noſter fert mos) nonnulla ſubjiciemus.

XXIV. Joſeph Emmanuel Miniana natus eſt Valentiæ Edetanorum Id. Octob. an. 1671. Prima in Muſarum caſtris Segobricæ ſtipendia fecit, duce ac magiſtro docto quodam & erudito Viro e Societate Jeſu, cujus fidei ac diſciplinæ manſit addictus, donec e pueris egreſſus ad *Sodales* (ut vocant) *Sanctiſſimæ Trinitatis* ſe contulit, apud quos nomen quoque profeſſus, & novum genus vitæ amplexus eſt. Hic vero illuſtriora quotidie ſui documenta dedit. Nam adhuc ferme puer monumenta Scriptorum, maxime vero Sacrorum, aſſidue volvere, ſtudioſe replicare memorias temporum, Hiſtorias nocturna verſare diurnaque manu: & (quod vix eſt credibile) omnia fere memoriter addiſcere. Neque vero collectas opes tarde in bonum publicum convertit. Etenim Neapoli, qua in Urbe ſeptennium moratus erat, ut latinas litteras plenius cumulatiuſque adipiſceretur, in Hiſpaniam reverſus, latinam linguam quadriennium Liriæ, quadriennium Saginti docuit; Rhetoricam autem per annos aliquot in Academia Valentina. Sed jam molitus animo majora, illa docendi in ſcholaſtico ludo munera, honeſta quidem, at quæ tamen rebus majoribus tractandis moram injiciunt, dimittenda judicavit; ut, otium nactus, ſcribendæ Hiſtoriæ ſecurior vacaret. Itaque *Bellum Ruſticum Valentinum* primo ſcribendum ſuſcepit, litteriſque conſignavit: quod opus ſub criticum examen vocavit, Minianæ amiciſſimus, Emmanuel Martinus (ut videre eſt in Vol. I. ejus *Epiſtolarum*, Epiſt. LIII.) Tum vero Marianæ, rerum Hiſpanicarum Scriptoris nobiliſſimi, Hiſtoriam ab obitu Ferdinandi Catholici Regis ad initium uſque Regis Philippi tertii Miniana noſter continuavit; opuſque decem Libris comprehenſum duodecim annis abſolvit. Obiit Miniana Valentiæ, VI. Kal. Auguſt. an. 1730. Vitam ejus fuſe copioſeque ſcriptam (ut hoc erga optime de ſe meritum Inſtitutorem qualecumque officium perſolveret) vulgavit Vir clariſſimus D. Hyacinthus Jover & Valdenoches, quam legere licet præfixam *Jo. Marianæ Soc. Jeſu Hiſtoriæ de Rebus Hiſpaniæ Continuationi*, editæ Hagæ Comitum, an. 1733.

XXV. Præter ea, quæ ad hiſtorias pertinent, de Minianæ operibus idem modo laudatus Hyacinthus habet hæc: *Reliquit* Miniana *Saguntineida, ſive poema de Sagunti excidio: quod opus aggreſſus eſt magno ſpiritu, ſed ſolo conatu contentus eſt. Diligenter cuſtodio fragmentum hoc. Scripſit eruditiſſimum Dialogum de Theatro Saguntino, qui lucem videbit publicam, ſi (quemadmodum ſpero) eruditiſſimus & nobiliſſimus vir Joannes Baſilius Caſtelvinius Cervellionis Comes promiſſa ſolverit:* ſolvit autem eximius ille vir nunc opportune ac fide præſtanti.

XXVI. Et quidem prudens mentionem opportunitatis Editionis hujuſce feci. Cum enim Miniana, principio, *Dialogi* ſui originem ab Martini *Epiſtola de Saguntino Theatro* proveniſſe, palam profiteatur; immo etiam ejuſdem *Epiſtolæ* verba, ceu argumenta articulorum ſui operis, adhibeat: profecto *Dialogus* ille nulli loco convenientius, quam poſt eandem *Epiſtolam* aptari potuiſſet. Sui autem Dialogi cauſſam poſtquam enarravit, de Theatri ori-

gine

gine & initiis, nec non de ejus interitu atque ruinis, Miniana agit: tum vero de ipsius Theatri antiquitate, deque ejus opportunitate, ac situ erudite edisserit. Deinceps singularum Theatri partium explicationem persequitur singillatim; pro quorum illustratione etsi plures docti eruditique viri, tum veterum monumentorum observationibus, tum antiquorum Scriptorum testimoniis usi, multa litteris mandaverint digna scitu; rei tamen multo lumine indigenti novum in hoc opere lumen Jos. Emmanuel attulisse videtur.

XXVII. Neque Auctor noster minus de Circo, quam de Theatro meritus est. Dialogo enim illi alium adjunxit *Dialogum de Circi Antiquitate & ejus Structura:* utrumque vero nos itidem conjunctos in Volumine hoc exhibuimus. Et quidem, cum in Volumine nono *Romanarum Antiquitatum* exstarent Julii Cæsaris Bulengeri, & Onuphrii Panvinii de Circo varii egregiique Tractatus, illis Dialogus hic jure meritoque erat addendus. Non autem studio & ingenio tantum ea collegit, quæ de Circo scripsit Miniana noster; sed observationibus vestigiorum Saguntini Circi mire profecit: *stant* enim *adhuc, ac perdurant particulæ aliquot aliis atque aliis Circi* Saguntini *regionibus*, unde Minianæ licuit tum ejus magnitudinem, tum etiam bene multa de ejus forma deprehendere. Itaque in eo fuit, ut singula ante Lectorum oculos perspicua descriptione exhiberet; ac præterea opportunam navavit operam, ut variis Auctorum veterum aptis monumentis, propositam illam Circi formam ornaret atque explicaret. Demum res ad Circi ædificium pertinentes auxit rebus spectantibus ad ejusdem usum, plura nimirum de Circensibus Ludis in medium proferens.

XXVIII. Post Dialogum hunc *de Circensibus Ludis*, erudita Nicolai Calliachii *de Ludis Scenicis*, nostro in Volumine occurrit *Dissertatio*. De quo docto viro, & de ejus *Dissertationum* ratione, tunc quando præfati sumus ad horum Supplementorum Volumen tertium (Art. XXXII.) satis multa diximus: eo enim in Volumine binæ ejus exstant *Dissertationes*, ut etiam binis aliis quartum Volumen ornatum est. In hac autem, *Ludorum Scenicorum* originem, triplex Scenæ genus, Tragicum scilicet, Comicum, atque Satyricum, Pantomimorum Mimorumque actiones cum explicet Auctor noster, non absonum visum est, ejusdem *Syntagmati*, exhibito ab Alb. Henrico Salengrio (in Thesauri sui Vol. II. pag. 699.) id quoque, breve quidem, sed non inelegans, hoc loco additamentum adjungere.

XXIX. At de proposita *Dissertatione* antequam dicendi finem faciam; ad Tertulliani locum (pag. 465. E.) *de Spectaculis*, ubi scribit, Pompejum metu *Censoriæ animadversionis* Theatrum suum Veneris Templum vocasse, observare liceat, Censores ipsos Theatris instituendis aliquando animum adjecisse; ut memoriæ tradidit Val. Maximus (Lib. II. Cap. 4.) qui, postquam *Theatra* nominaverat, subdit; *quæ inchoata quidem sunt a Messala, & Cassio Censoribus*. Quod vero attinet ad Mimos & Pantomimos, quos

memorat Calliachius, illis addi queunt & *Archimimi*: quo nomine gaudebant mimicæ artis principes. Hanc in rem eſt Inſcriptio apud Gruterum (Edit. 1707. pag. MLXXXIX.)

L. ACILIO. L. F. POMPT. EVTYCHAE
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVN. MIMOR
ADLECTO. DIVRNO. PARASITO. APOLL. TRAGICO
&c.

Obiter quoque animadvertemus, non modo *Archimimos*, ſed etiam *Archimimas* exſtitiſſe inter perſonas, quæ in Scena merebant. Docet id vetus Inſcriptio ab Fabretto ſuam in Collectionem (pag. 707. n. 285.) relata, quæ hujuſmodi eſt:

DORMI
CLAVDIAE
HERMIONAE
ARCHIMIMAE SV
I TEMPORIS PRI
MAE HERE
DES

XXX. Hactenus de Re Theatrali: ſed eam antequam miſſam faciamus, quemadmodum ſupra ſervare noſtro hoc etiam in Volumine Theatri Eugubini memoriam ſtuduimus; ita fas ſit ad locum hunc referre ſimile quoddam aliud monumentum: nimirum *Veſtigium Theatri effoſſum prope muros Veteris Coloniæ Antiatis ſupra littus Tyrrheni Maris: anno* MDCCXII. Debemus hoc Franciſco Blanchino viro clariſſimo, cujus merita (in Præfatione ad tertium noſtrum Volumen, Art. IX.) jam commemoravimus. Dedit ille id veſtigium in egregio ſuo Opere, cui titulum fecit: *Camera, ed Iſcrizioni Sepulcrali*.


XXXI. Ad cujus Operis extremum narrat, exſtitiſſe molem eam Theatralem in acclivitate littoris, quod ad proximam planitiem, altam palmos quadraginta & amplius ſupra ſummum aquæ marinæ, pertingit. Deinde ſubdit, ante Scenam locum Pulpito atque Orcheſtræ proprium fuiſſe; nec non in diſtantia, quæ convenire apte poteſt æquilateri triangulo habenti latus unum congruens cum ipſa recta Scenæ linea, Theatrum ſeptum fuiſſe circumducto muro: qui nunc quidem, magnam partem dirutus eſt; integer tamen poteſt reputari, ſi vel ejus Ichnographiam velis delineare, vel partium quarundam Orthographiam. Sub ipſo autem Schemate Blanchinus nonnullas explicationes, ipſo cum Schemate conferendas, ſubjecit; en illas:

1. 3. 4. Scenæ Theatri pars ſuperſtes.

2. 4. Pars reliqua ſemidiruta.

1. 3. Aula concamerata intra Scenam Theatri.

5. 6. 7. Veſtigium muri ſolidioris in hemicyclum rotundati ad fulciendos gradus ligneos Theatri intra perimetrum ejuſdem muri excitandos.



Scala Ped. Rom.

50 100 150 200

XXXII. Blanchinus hæc. At ego nunc ab Theatro ad Circum revertar oportet, secuturus nostrarum ordinem rerum. Nostra enim in Collectione *Dissertationi* illi Calliachii *de Scenicis Ludis* alia *de Ludis Circensibus* adjecta est, in qua principio narratur, unde Romam mos Ludos illos celebrandi fuerit invectus. Et ratio ejusmodi Spectaculorum exponitur; nec non indicatur ars, cui studebant qui in eo exercitationum genere versabantur. Et quidem multa sunt proposita in Dissertatione erudite scripta: sed illud non videtur satis esse explicatum, quod initio (pag. 477. B.) statim constituit Calliachius noster; Ludos scilicet illos a Romulo dicatos Conso & Marti fuisse; ab aliis autem Regibus, crescente superstitione, aliis Diis. Nam locus Isidori, quem affert ex Lib. XVIII. rem non conficit. Conficiet sane Lactantius, qui (Lib. V. Cap. 20. Edit. Aldinæ, an. 1535.) habet hæc: *Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt; ludi autem scenici Libero; circenses Neptuno. Paulatim vero & cæteris Diis idem honos tribui cœpit; singulique ludi numinibus eorum consecrati sunt; sicut Sisinnius Capito in Libris Spectaculorum docet*. Porro cum Neptunum Lactantius dicit, intelligit *Neptunum Equestrem*, cui potissimum Romanos Ludos dicatos fuisse, Livius auctor est (Lib. I. cap. 9.) Romulus, ait Livius, *Ludos ex industria parat Neptuno Equestri solemnes: Consualia vocat*. Hinc fortasse *Equiria* Ludi isti sunt appellati; non quod eos (ut Festus habet ad verbum *Equiria*) *Romulus Marti instituit per equorum cursum*. Sed ad eam Dissertationem hæc animadvertisse sufficiet.

XXXIII. Nunc propius ad ea, quæ restant, accedemus. Post illam Dissertationem, proxime sequitur *in mutilum Amphitheatri Campani titulum Commentarius*: de ejus autem Commentarii illustri Auctore *Alexio Symmacho Mazochio* cum plura scire averem, quam scirem, Franciscus Seraus vir clarissimus doctissimusque, in Reg. Univers. Neapolitana Medicinæ Professor, & Academiæ Scientiarum a Secr. scripsit, mihique misit *Commentariolum de Rebus Alexii Symmachi Mazochii*, quod hic integrum describere operæ pretium sane fuisset, perelegans enim oppido est; verum, cum id brevitas, quam efflagitat instituti mei ratio, non fineret, ex illo excerpsi hæc: Alexius noster in Pago prope veteris Capuæ ruinas sito, *Santauratia* dicto, populoso & divite, in lucem venit anno 1684. Primoribus annis operam studiis dedit iis in locis, in quibus nihil tum esset politioris litteraturæ: Neapolim vero deductus in Philosophia ac Theologia addiscendis versatus est; interea vero Latinarum litterarum, Græcarum insuper, atque Hebraicarum cupiditate incensus, longe plurimam temporis ac operæ partem studio earundem impense adtribuit: atque ex assidua Tulliana lectione tantum est consecutus; quantum nullæ unquam præceptorum voces præstare potuissent. Tum adolescens noster, valetudinis recuperandæ gratia, patrios revisit Lares; in quibus cum ad annum usque 1709. quo sacris ordinibus initiatus fuit, hæsisset, Neapolim postea reversus in *Archiepiscopali Seminario* Græcis, Hebræisque litteris, quas jam mire callebat, profitendis adhibi-

tus eſt. Biennio autem poſt ex ſingulari Nicolai Caraccioli Campanorum Archiepiſcopi, dein S. R. E. Cardinalis, erga eum voluntate, Metropolitanæ Eccleſiæ Campanæ Canonicus creatus eſt. Anno 1722. ab Thoma Aloyſio Comite de Harrach, qui pro Rege rem Neapolitanam gerebat, magnus nomini ejus honos eſt habitus, cum relatus ſit in τριάδα candidatorum, ex quibus unus Regii Sacelli Antiſtes (& publici Gymnaſii Præfectus) ab ſuprema Aula crearetur. Neque multo poſt nobiliſſimus vir Joſephus a Capua, Carrenſis Epiſcopus, & patrii *Capituli Decanus*, dignitate hac, quam abdicare conſtituerat, ornari Mazochium voluit. Sub finem vero anni 1735. hinc Joſepho Cardinali Spinello Archiepiſcopo Neapolitano, ingeniorum æſtimatore ac fautore eximio, ad Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicatum, inde Regiis Adminiſtris Neapolitani Gymnaſii reformationi præfectis ad Cathedram Sacræ Scripturæ, cum ſingulari honoris ſignificatione invitantibus, patrio Decanatu reſignato, Neapolim tranſmigravit; ubi in Regiorum Profeſſorum tum & Metropolitan Canonicorum Cœtum adlectus eſt. Anno autem ſuperiore, cum Rex illum deſignaviſſet Anxanenſem Archiepiſcopum; ille, inſigni modeſtiæ exemplo, ab Rege petiit veniam recuſandi delatam Eccleſiam, impetravitque.

XXXIIII. Atque hæc quidem ad ſtudia, & ad collatos Mazochio honoris gradus. Locus autem hic eſſet commemorandi varia ejus ingenii monumenta: at nequeo longior eſſe; præſertim cum præſtet ad jam indicatum ejus *Commentarium*, Volumini noſtro inſertum, properare. Hac noſtra ætate tot vetera effodiuntur monumenta, ut nunc jam tritum illud Poetæ (*Horat. Epiſt. Lib. 1. Epiſt. 3.*)

Quidquid ſub terra eſt in lucem proferet ætas

admodum cum veritate conſentire videatur. Cum inter rudera Amphitheatri Campani marmoreum litteratum fragmentum erutum fuiſſet, ſtatim ac illud vidit, plane intellexit Auctor noſter, eam partem ad totius operis titulum pertinere. Inde autem Commentarii (qui in octo tribuitur Capita) conſcribendi orta eſt occaſio. Principio titulum, ſive elogium, integrum Mazochius reſtituturus, diligentem coloniarum, quæ Capuam a Romanis deductæ fuerunt, pluriumque rerum ad eandem urbem ſpectantium, hiſtoriam perſequitur, multaque luce veritatis perfundit. Tum verſus tituli ſupplet atque reſtituit; ſimul agens de Campani ærarii viribus, & de tempore exſtructi Amphitheatri (ut plura etiam habet, ſeptimo in capite, de Amphitheatro Campano per ſequiora ſecula) nec non tertio Capiti doctam elegantemque *de Dedicationibus Diatribam* interſeruit. Deinde vero alterius *Amphitheatralis Epigrammatis* exemplo ea, quæ conſtituerat de tituli ſui redintegratione atque reſtitutione, confirmat. Ac non modo erudita, verum etiam ad eruditionis divitias augendas apta, Campani Amphitheatri deſcriptione ſuum opus exornat: neque prætermittit peculiaria quædam, eademque præſtan-

tia,

tia, quæ ad Campanum apodyterium, catabulum, & gladiatorium ludum pertinere videbantur. Cujus gladiatorii ludi ſtudio præſertim flagraviſſe Campanos, oſtendit; qui ceteros etiam cujuſvis generis ludos magna cum voluptate ſpectabant. Quamobrem Capuæ & Theatrum fuit, & quædam ſuperſtites adhuc exſtant ejuſdem reliquiæ. De quo Theatro (poſtremo in Capite Commentarii) non minus, quam *de Scenicis Campanorum* plura noſter in medium affert.

XXXV. Recenſito autem *Commentario* hoc clauditur agmen earum, quæ conjunctæ noſtro in Volumine exhibentur, lucubrationum, attinentium ad vaſta illa admiranda ædificia, quæ pro ludis ſpectaculiſque publicis a Veteribus ample atque magnifice exſtruebantur; Amphitheatra, Circos, & Theatra. At pars reliqua Voluminis hujuſce miſcellanea (ut ita dicam) eſt. Poſt illum enim *Commentarium* occurrit Tobiæ Gutberlethi *de Saliis Martis Sacerdotibus apud Romanos Liber ſingularis*. Porro in Art. XV. (quem videre eſt) noſtræ Præfationis ad IV. *Suppl.* Volumen polliciti eramus, futurum ut locupletaretur eo Libro Volumen hoc quintum; ne collectionem Opuſculorum Gutberlethi (quæ anno quarto ſeculi hujuſce concinnata eſt) nos mutilaviſſe videremur. Nunc quidem quidquid exſtat in illa, in noſtra quoque collectione reperietur. Eo in Libro quæ pertinent ad rationem nominis *Saliorum Sacerdotum*, ad eorundem originem, genera diverſa, veſtitus, arma, Collegium, varia munera, carmina, & ad lautiſſimas, maximique apparatus, *Saliares* cœnas, ab diligentiſſimo Auctore noſtro illuſtrantur.

XXXVI. Alius deinde eruditiſſimi Auctoris, Joannis Schefferi *de Navali Veterum Militia Libri quatuor* ſequuntur. Hic autem, inſtituto inhærentes noſtro, nonnulla de Schefferi vita ſubjiciemus: quamvis, in Auctore hoc finem facturi, etiamnum vereamur (ut ſemper veriti ſumus, innuimuſque haud ſemel) vereamur, inquam, ne hoc idem noſtrum inſtitutum reprehenſionis aliquid ſit habiturum; & ne quiſpiam nos præterea interroget ita: de illuſtribus Auctoribus quidquam monere quid aliud eſt, niſi eorum, qui ante de illis ſcripſerunt, volumina expilare? quaſi vero (ut huic quoque dicto ſatisfaciam) quæ ſunt proferenda de iis, quibuſcum ipſi non viximus, ab libris illorum, quibus noti fuerunt, non eſſent accipienda; aut, niſi hinc acciperentur, ea cuiquam probare, vel de eis fidem facere poſſemus. Sed ad propoſitum pergamus.

XXXVII. Joannes Schefferus publicus in Upſalienſi Academia Profeſſor, ac Vir, ſua ætate, eruditionis præſtanti laude inter paucos multo clariſſimus, natus eſt Argentorati anno 1621. a Chriſto nato. Is trigeſimum ſuæ ætatis annum nondum attigerat, cum, fama jam ſui nominis, editis in lucem præclaris Operibus, longe ac late propagata, ab illa litterarum litteratorumque munificentiſſima Patrona Regina Chriſtina accerſitus in Sueciam eſt. Ad eum locum, ad quem implendum vocatus fuerat, evectus eſt ſtudio atque cura virorum principum Gentis Skytte;

isque fuit locus, quem Doctissimus Joannes Freinshemius prius occuparat, tunc reliquerat, munus regii Bibliothecarii administraturus. Partes suas obiit tanta cum audientium approbatione Schefferus noster, tantoque in honore fuit apud Reginam excellenti doctrinæ studio ornatissimam; ut illa, qua erat erga litteratos homines egregia liberalitate, amplissimam Viro mercedem constituerit; &, quamquam regno postea cesserit immortalis Fœmina, tanti tamen Viri erga litterariam Rempublicam illustria merita effecerunt, ut de constituta mercede nihil detrahendum videretur. Reginæ jussu *Stratageticum Mauritii* ex Græco sermone in latinum vertit, & Pythagoricam Philosophiam illustravit conscripto illo opere, cui titulus est: *De natura & constitutione Philosophiæ Italicæ, seu Pythagoricæ*. Progressu temporis auctus est numerus munerum, quibus operam navaret suam. Nam & Præfectus Bibliothecæ Upsaliensis Academiæ fuit, & Juris Naturalis honorarius Professor creatus, & in album adscitus eorum Academicorum, qui toti erant in Suecicis antiquitatibus versandis explicandisque. Quo in rerum genere quanta fuerit ejus opera, cura, studium, ac diligentia, & quantopere in ejus gentis honorem splendoremque augendum incubuerit, luculentissime testantur plena doctrinæ volumina, quæ conscripsit, & in publicum edidit. Supremum diem obiit VII. Kal. Aprilis an. 1679.

XXXVIII. Porro quos subjecimus Schefferi Libros prætermittere fas non erat. Quid enim aliud præstare oportebat? Si Isaaci Vossii *Dissertationem de Triremium & Liburnicarum constructione*, Marci Meibomii *de Triremium fabrica Librum*, Constantini Opelii (hoc est, ut creditur, nostri Jo. Schefferi; quemadmodum in *Biblioth. Antiq.* pag. 549. Jo. Alb. Fabricius indicavit) *de Fabrica Triremium Meibomiana Epistolam*, Jo. Georgius Grævius in Volumen suum duodecimum jam inseruit, & quidem apposite, convenienterque; ac præterea si *Dissertationibus* Lazari Baysii, Stephani Doleti, & Cælii Calcagnini *de Re Navali*, nec non gemino Josephi Laurentii, nostrique Jo. Schefferi *de Navium Varietate Schediasmate*, Jacobo Gronovio placuit Volumen suum undecimum exornare: quidni igitur nostrum hoc Volumen eo Opere, quo Schefferus ceteris, qui stadium idem ingressi erant, palmam haud dubie præripuit, ditaremus?

XXXVIIII. Totum opus suum Schefferus divisit in Libros omnino quatuor: quos, si eorum duntaxat summa capita perlustrentur, plurimi esse faciendos facile profecto est intelligere. Principio, ut tradendarum rerum ordo non postulabat modo, verum etiam flagitabat, ab usu vario, eodemque multiplici & perutili, navigationem commendat Auctor noster: ejus originem, studium auctorum plurium ad eam perficiendam, ac varia incrementa, quibus mirum in modum excrevit ars navigandi, diligenter exponit. Ea vero, quæ ad navium structuram, earundemque partes atque nomina pertinebant, haud minus accurate persequitur. Tum secundo in Libro, ad propositum suum propius accedens, quis primum classem ad militarem usum comparaverit,

ac instruxerit, & quales fuerint aptiores naves ad usum illum, inquirit; militum ac nautarum genera recenset, & arma ornamentaque non tantum navium, sed præterea militum quoque ac nautarum describit, atque designat; omnia tum hic, tum alibi, monumentis antiquis, & convenientibus veterum Auctorum locis exquisite collectis, illustrans. Tertius Liber multa complectitur ad signa, ad exercitationem & navales ludos, ad navalia castra, ad acies navales, navalesque pugnas, ac ad alia id genus, attinentia. Agitur autem in Libro quarto de stipendiis, de navali triumpho, de præmiis & pœnis eorum, qui aut munus exercebant aliquod, aut merebant in classibus: atque ad extremum plura de Magistratibus ordine miro exponuntur; quibus toti eruditissimo operi coronis imponitur.

XL. Persimili raræ eruditionis præstantia cum commendabiles omnino essent duo ejusdem Schefferi *de Re Vehiculari Veterum Libri*, operæ pretium nos facturos esse existimavimus, si hosce cum illis nostro in Volumine conjungeremus. Horum argumentum, recte quidem ait noster, ad sua usque tempora *integrum a nemine fuisse tractatum:* non tamen hic dissimulabo, ante Schefferum, eandem materiam attigisse Lucam Pætum, Hieronymum Mercurialem, Justum Lipsium, alios; sed hi omnes, duntaxat data occasione, de vehiculis nonnulla, ceu levidensia munuscula, Lectoribus obtulere. Schefferus autem in tota re hac exquisite diligenterque versatus, quemadmodum in rebus generis hujusce ab eruditioribus fieri consuevit; ita ipse ut novam rem hanc totam illustraret atque explicaret, usus est, tum figuris accurate depromtis ex priscis marmoribus, nummis, aliisque vetustis monumentis, tum vero præsertim testimoniis auctorum veterum; qui, licet alia persequerentur argumenta, de vehiculis tamen, rebus exponendis ita ferentibus, alicubi commemoravere. Ceterum tot sunt, adeo variæ, pleræque etiam nomine & constitutione insolitæ res, duobus illis propositis Libris contentæ, ut si quæ illæ sint, paucis enunciem, texuisse potius Operis indicem, quam specimen adornasse, videar.

XLI. Itaque præstabit pergere ad eam, quam Libris suis adjecit Schefferus (atque ideo facile novimus, iisdem quoque in nostro Volumine esse adjiciendam) *de Antiquorum Vehiculis Diatribam Pyrrhi Ligorii*. Fuit hic patria Neapolitanus, floruitque seculo decimo sexto. Humanioribus litteris atque arte pingendi satis instructus, animum ac studium ad antiquitates scrutandas delineandasque convertit; ac in iis labores suos assidue, & diligenter impendit. Tractu tamen temporis Architecturæ etiam operam dedit; præfectusque Romæ fuit structuræ magnificentissimæ ædis D. Petri. Porro quod attinet ad propositam *Diatribam*, etsi palam est, eam ab Scheffero ante editionem sui Operis perlectam fuisse; Schefferus tamen vix quidquam, præter nonnulla summa capita, aut, si mavis, varia nomina vehiculorum, ex ea in rem suam transtulisse videtur.

XLII. Ceterum in pluribus quidem dissensisse Schefferum ab

Ligorio, liquet vel ex Annotationibus ab ipſo Scheffero ſua in editione Tractatui Ligorii ſubjectis : quæ præterea eum in finem concinnatæ eſſe videntur, ut ex iiſdem id etiam , quod in Præfatione ad Lectorem monuerat idem Schefferus, *appareret ;* nimirum *ſupervacuam non fuiſſe* ejus *in expoliendo de Re Vehiculari Veterum argumento, poſt celeberrimum Ligorium , induſtriam*. Sed ita ſatis de Schefferi Annotationibus: quæ pariter ſunt, poſt Ligorii Diatribam , in hujuſce Voluminis extrema parte deſcriptæ . Quod mihi ſane præſtandum fuit, nihil magis cupienti , quam concinna diſpoſitione, idoneaque collectione Operum, quæ congeſſi, faciliorem, ac, ubi fieri etiam poſſet, utiliorem ipſorum lectionem reddere. Pro qua optima mea voluntate, illud majorem in modum a Te peto, & rogo, Lector Benevole, ut, dum meæ Collectionis finem facio, dum *cyclos artemque repono*, velis labores meos, qualeſcumque, æqui bonique conſulere. Vale.

Patavii. Pridie Nonas Decemb. CIƆIƆCCXXXVIIII.



SERIES SCRIPTORUM

Qui Quinto Volumine Novorum Supplementorum utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque continentur.

N. 221

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolato: *Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova Supplementa Tom. V.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, & buoni Costumi, concedemo Licenza a Gio: Battista Pasquali Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 26. Febraro 1739.

(Z. Pietro Pasqualigo Reff.

(

(Daniel Bragadin Cav. Proc. Reff.

Registrato nel Libro a Car. 41. & in foglio unite le fedi di Rev.

Agostino Gadaldini Secretario.

1740. 15. Marzo.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo contro la Biastema.

Vettor Gradenigo Seg.

MARCHIONIS SCIPIONIS MAFFEII

DE

AMPHITHEATRO,

AC PRÆCIPUE DE VERONENSI,

LIBRI DUO.



DE AMPHITHEATRIS, AC PRÆCIPUE DE VERONENSI

LIBER PRIMUS.

A

CAPUT PRIMUM.

Gladiatorum Origo, eorumque initium in Urbe Roma.



INter ea, in quibus admirari Veteres potius licet, quam imitari, locum vendicant sibi facile principem molium quarundam cum magnificentia, tum suis numeris omnibus absoluta constructio. Moles autem omnes longe antecessit Amphitheatrum, sive magnitudinem spectemus, sive excellentiam operis. Quare non minus erit utile, quam jucundum in id incumbere, ut ejus simul historia vestigetur & usus, simul structura probe intelligatur. Videtur sane nihil esse reliqui, quod dici hac super re possit, cum tam multi de illa verba fecerint, cum illam ex professo docteque tractaverit Justus Lipsius, de illa amplissimum volumen, quod nuper editum est apud Transalpinos, Carolus Fontana conscripserit. Sed ut nihil de laude cuique debita detractum velim, facile tamen credo me posse ostendere, neminem adhuc plane intellexisse præstantiam hujusce operis in iis maxime partibus, quæ sunt elaboratæ artificiosius; atque jacere adhuc materiam in tenebris, neque satis inspectam, in quibus potissimum oportuerat, neque ordine explicatam, neque a multis falsis opinionibus, quæ in libris omnibus insunt, quæque multarum aliarum rerum cognitioni officiunt, probe purgatam. Hinc sane cum sacrorum tum profanorum scriptorum pluribus in locis intelligentia pendet, ut proinde in multo plures, quam fortasse quispiam putaverit, manare utilitas ex ejusmodi investigatione possit. Ab ovo, quod dicitur, rem ordiemur.

DEGLI ANFITEATRI E SINGOLARMENTE DEL VERONESE

LIBRO PRIMO.

CAPO PRIMO.

Origine de' Gladiatori, e principio in Roma.



TRA le cose, in cui gli Antichi ammirar più tosto si possono che imitare, dee singolarmente computarsi la sontuosità, e la perfezione d'alcuni edifizj. Tra gli edifizj superiore a ogn' altro sì per magnificenza nella mole, e sì per ingegno nell' arte fu l' Anfiteatro. Proficuo adunque non meno che dilettevole potrà riuscir lo studio per investigarne l' istoria, e l' uso, e per ben comprenderne la struttura. Stimasi per verità non restar più che dire in quest' argomento, dopo tanti che hanno di esso fatto parole, e dopo Giusto Lipsio, che lo trattò di proposito, e dottamente, e dopo Carlo Fontana, di cui ampissimo volume si è poco fa publicato oltra' monti sopra tal soggetto. Ma senza detrarre alla lode, che a ciascheduno si dee, io credo di poter fare assai agevolmente conoscere, come l'intendimento di così nobil fabrica nelle parti appunto ov'è più ingegnosa, non è stato penetrato ancora; e come la materia giace in oscuro tuttavia, non ricercata ne' punti suoi più essenziali, non trattata ordinatamente, e non depurata da molte false opinioni, che regnano in tutti i libri, e che a più altre cognizioni fan danno. Dipende certamente da queste notizie l' intelligenza di più luoghi d'antichi Scrittori, e sacri, e profani; onde a più che non si crederebbe giovar può tal ricerca. Ripiglieremo la cosa dal suo principio.

A Occasionem ergo inveniendi, extruendique Amphitheatrum non Gladiatorum, sed Ferarum spectacula dedere. Gladiatorum usus jamdiu Romæ viguerat, neque tamen cuiquam ut construeret Amphitheatra in mentem venit, quæ construi tum primum cœpere, cum imperii fines in remotas regiones bello propagati, cum potentia, cum opes novum hoc oblectationis genus invexere bestiarum nostro cœlo ignotarum inter se ferociter pugnantium. Amphitheatrum sane omnium celeberrimum ab eo Imperatore exædificatum est, qui Gladiatores, ut novimus ex Dione, minime amabat. Hinc cum primum factum Amphitheatrum est, appellatum legimus fuisse *Theatrum venatorium*, ut infra videbimus; quod nomen deinde etiam Cassiodorius retinuit: *Venatio* vero Romanis non ludus Gladiatorum fuit, sed ferarum. Quoniam tamen utrique inservivit, atque Gladiatorum usus longe fuit antiquior, in primis de Gladiatoribus pauca quædam dicemus.

v. Xiphil. in Vesp. — B — *Var. l. 5. 42.*

Itaque a Religione originem suam traxit institutio hæc, cum videlicet antiquorum mentibus ea insedisset opinio, hominum fato functorum animas, quasi corporea mole solutæ divinitatem nanciscerentur, humano sanguine gaudere, ac cæde hominum, veluti quodam sacro ipsis peracto, propitias reddi, vel certe placari, perinde ac si fieret cædes in ipsarum ultionem. Opinio hæc causa fuit, quare sæpe ii, qui capti in bello essent, tam crudeliter necarentur: qui mos quam sit antiquus, ex Homero intelligimus, in cujus majore Poemate duodecim ex Trojana Juventute nobiles adolescentes ad Patrocli pyram mactat Achilles. Cum res atrocior videretur, sic necari homines, placuit id quidem facere, sed alio modo, hoc est pugnando, ut observat Servius, quodque innuere videtur Herodotus in Thracibus. Quamquam alius fortasse intellectus ejus loci est, cum sermo ibi sit de certaminibus ludisque funebribus, in quibus proposita erant præmia; ut proinde non repetenda ab illis videatur esse origo Gladiatorum, qui Threces dicebantur, ut Lipsio placuit. Scribit Diillus apud Athenæum, Cassandrum in Aridæi Macedoniæ Regis, atque uxoris funere, quattuor milites jussisse confligere: nemo tamen iccirco putet, opinionem confirmari eorum, qui Gladiatores credunt Romam ex Græcia venisse. Singulare est, quod refert Diillus; neque radices egit hic usus in Græcia, multoque minus spectaculi loco in Græcia est usurpatus. Inter ea enim tam multa certamina, quæ fieri in Olympicis ludis consueverant, nunquam accepimus pugnis gladiatoriis locum fuisse. Atque apud Vitruvium legimus, in Italiæ urbibus fora constitui solita alia ratione, atque in Græcia, propter usum a majoribus acceptum edendi ludos gladiatorios. Itaque in Græcia si quando celebrata spectacula ista sunt, id eo accidit, quia a Romanis ad Græcos devenere. Venit hic in mentem quidam Luciani locus, qui plures induxit ad credendum, Athenis ab antiquis usque temporibus Gladiatores, ac Feras in usu fuisse in Theatro: sed narratio illa Toxaridis fabulosa est & commentitia, ut nosse quilibet potest. Ex Tito Livio enim discimus, qui omnium primus Gladiatores in Græcia dederit, fuisse Perseum postremum Macedoniæ Regem, qui Roma illos accivit, *cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum*. Rex idem sæpius spectacula hæc edidit, quæ non ideo tamen, sublato e vivis Perseo aut in Macedonia, aut in alia regione Græciæ fieri perrexerunt: quod factum si fuisset, crebra esset apud Scriptores rei mentio, atque in græcis monumentis Gladiatorum extarent imagines. Excepit Gladiatores deinde Corinthus; at

C — *ad Æn. X quod postquam crudele visum &c.* — D — *Sat. Serm. l. 1. c. 9.* — *Athen. l. 4.* — E — *l. . c. 1.* — *l. 2 Tox.* — F — *l. 41.*

Motivo preciso d'inventare, e di costruire gli Anfiteatri non fu veramente lo spettacolo de' Gladiatori, ma sì quello delle Fiere. Gran tempo corse in Roma l'uso de' Gladiatori, che non però si pensò a tal fabrica; ben vi si pensò, quando la conquista di remoti paesi, e la potenza, e dovizia nuovo compiacimento introdussero, di veder bestie incognite al nostro clima, e di vederle ferocemente combattere. In fatti il più famoso de gli Anfiteatri fu intrapreso da un Imperadore, che non amò i Gladiatori, come abbiam da Dione. Quindi è, che il primo nome dato all' Anfiteatro quando da prima si fece, fu di Teatro Cacciatorio, *come vedremo appresso, il qual nome anche da Cassiodoro poi si ritenne; e* Caccia *non si chiamò da' Romani il giuoco de' Gladiatori, ma bensì quello de gli animali. Poichè però all' uno, e all' altro servì, e poichè l'uso de' Gladiatori fu tanto anterior di tempo, di essi alcuna cosa diremo prima.*

Fece strada a così fatto instituto un motivo di religione; cioè l'antichissima credenza di molte genti, che l'anime de' trapassati, deificate in certo modo per la separazione dal corpo, gradissero il sangue umano, e si rendessero propizie dall'uccision d'uomini, quasi a loro per onore sagrificati; o si placassero almeno, appagandosi, come se fossero svenati per lor vendetta. Quest' opinione fece cader molte volte su i prigioni di guerra tal crudeltà; e quanto d antico, si vede in Omero, nel cui maggior Poema Achille uccide dodici nobili giovani Trojani alla pira di Patroclo. Troppo inumano parendo poi, come nota Servio, l'ammazzar uomini in sì fatta guisa, fu introdotto di conseguir l'istesso per via di combattimento: il che sembra accennarsi da Erodoto ne' Traci; ma quel luogo ha forse diverso senso, parlandosi quivi di què certami, e giuochi funerali in cui proponeasi premio, onde non crederei fosse da pigliar di là l'origine de' Gladiatori detti Treci, come parve a Lipsio. Scrive Diillo presso Ateneo, aver Cassandro nel seppelire Arideo Re di Macedonia, e la moglie, fatto duellare quattro soldati: ma non credasi avverata per questo l'opinione di chi tiene passassero i Gladiatori a Roma da' Greci. Singolare è il fatto da Diillo mentovato, nè in Grecia allignò tal uso, e molto meno in maniera di spettacolo vi prese piede. Sappiamo, che fra tanti generi di certami praticati ne' giuochi Olimpici, gladiatorie pugne non furon mai. Leggesi in Vitruvio, che nell' Italia si faceano le piazze delle Città in differente maniera da' Greci, per l'uso ch' era qui tramandato da' Maggiori, di fare in esse così fatti spettacoli. Non si videro però alcuna volta in Grecia, se non per esservi passati da Roma. Un luogo sovviemmi di Luciano, che ha fatto credere a più d'uno, Gladiatori, e Fiere essersi costumate ad Atene in Teatro fin ne' tempi antichi; ma quel racconto di Tossari è favoloso, e finto, come ognun può conoscere. Sappiamo da Tito Livio, che il primo a far vedere in Grecia Gladiatori fu Perseo ultimo Re di Macedonia, il quale gli fece venir di Roma, con terror *più tosto, che* con piacere del popolo non avvezzo a tale spettacolo. *Ne continuò l'uso quel Re, ma non per questo dopo lui, nè in altra parte della Grecia fissaronsi; il che se fosse avvenuto, frequenti ne sarebbero le menzioni negli Scrittori, e si vedrebbero ne' monumenti Greci sì fatte immagini. Gli ricevè procedendo i tempi la Città di Corinto; ma perchè? perchè quella Città distrutta già interamente da Lucio Mummio,*

ideo excepit, quia a Lucio Mummio funditus eversa, a Cæsare instaurata fuit, deductis Romanorum coloniis, ut habemus ex Dione, ut proinde dixerit Pausanias, ætate sua Corinthi civem Corinthium nullum fuisse, sed Romanos, atque a Romanis eo missos. Corinthios æmulati Athenienses aliquando accivere Gladiatores, quod ne facerent, hortatus est Demonactes, ut est apud Lucianum, ac Dion Chrysostomus magnopere vituperavit utrosque, quod excepissent.

Dio l. 43. Pauf. in Cor. *In vit. Demon.* *Orat. 3.*

Hunc ergo morem non a Græcis acceperunt Romani, sed ab Italis primitivis, seu ab Hetruscis, apud quos jam tum ab antiquissimis usque temporibus pro patrio quodam instituto observabatur. Quare ejusmodi spectacula ab ipsis Majoribus in Italia fuisse ad posteros traducta inquit Vitruvius. Quæ res constat præsertim ex Hetruscis monumentis sepulcralibus, in quibus nihil frequentius offendimus, quam delineata atque expressa ejusmodi certamina hominum districtis pugionibus, ensibus, aliis variis armorum generibus sibi mutuo vulnera mortemque inferentium, quemadmodum observare quilibet potest in Collectione magna nuper Florentiæ vulgata. Nec in funeribus solum, sed in conviviis etiam usus confligendi fuit ad convivarum voluptatem & solatium, ut de Campaniæ habitatoribus, qui erant Hetrusci, refert Athenæus: apud quem ait Eratosthenes, solitos fuisse Hetruscos *pugnare ad sonitum tibiæ*: vox eo loco usurpata videretur accipienda esse de Pugilibus; sed contextus Gladiatores indicat, atque ita interpretatus illam est Casaubonus. Refert etiam eodem loco Athenæus hæc Nicolai Damasceni antiqui Historici verba: *Fiebant Gladiatorum spectacula a Romanis non in publicis modo conventibus atque Theatris juxta consuetudinem Hetruscorum, sed etiam in conviviis.* Ad hunc locum suspicatus est Lipsius, a Græcis morem hunc duxisse originem, cum singularia certamina dixerit Hermippus a Mantineis inventa fuisse: at quanti facienda sit Hermippi auctoritas, quid eo loco sua illa loquendi formula *singulari certamine pugnantium* ipse intellexerit, quis definiat? quidvis potius intellexit procul dubio quam gladiatoria spectacula. Satis superque ostensum a nobis est in eo sermone, quem *de Italis Primitivis* habuimus, & quem subnexuimus *Historiæ Diplomatum*, Hetruscos instituta artesque a Græcis nequaquam accepisse. *Lanistæ* nomen quoque, tributum illi, qui Gladiatores emeret, aleret, informaret, Hetruscum esse affirmavit Isidorus, & lingua Hetrusca *carnificem* significare.

l. 5. c. 1. *l. 4. ib. πρὸς αὐλὸν πυκτεύειν.* *παρὰ Τυῤῥηνῶν.* *Sat. Serm. l. 1. c. 8.* *τῶν μονομαχούντων.* *Orig. l. 10. carnifex Thusca lingua.*

Affirmat etiam modo laudatus Isidorus, putare se, Gladiatores *Velites* a quadam Hetruriæ urbe nomen accepisse: fugerunt isti Lipsium, ubi Gladiatorum genera erudite enumerat atque illustrat; sed illos cum reliquis indicat monumentum quoddam Fabretti, & satis clare nominat Ovidius, ubi hæc scribit:

l. 18. c. 57. *In Ibin.*

Utque petit primo plenum flaventis arenæ
Nondum calfacti Velitis hasta solum:
Sic &c.

Horum fortasse munus erat ludum inchoare, ut Velitum Militarium inchoare prælia, seque celeres, atque expeditos præbere, ut solebant illi: quare fuisse eorum pugnam, vibratasque hastas inquit Isidorus spectatoribus gratiores: arena flavens morem indicat a Plinio commemoratum miscendæ cum arena chrysocollæ. Credo ego genus hoc Gladiatorum minime desiderari in eo Artemidori loco, ubi ipse recenset genera singula;

l. 33. c. 5.

A *fu ripopolata da Cesare con Colonie di Romani, come si ha in Dione; talchè disse Pausania, che a suo tempo niun Corintio era in Corinto, ma Romani, e mandati da essi. Per l'emulazione con Corinto chiamarongli dipoi alcuna volta gli Ateniesi, dal che dissuasegli Demonatte, come si vede in Luciano, e Dion Crisostomo biasimò gli uni, e gli altri altamente d'avergli ammessi.*

Non da i Greci adunque prefero i Romani questo costume, ma da gl'Itali primitivi, o sia da gli Etrusci, de' quali immemorabil fu e speziale B *instituto. Però disse Vitruvio di tali spettacoli, essere in Italia tramandati da' Maggiori. Apparisce questa verità singolarmente da' monumenti sepolcrali Etrusci, nelle figure de' quali niente più spesso s'incontra di così fatti certami, e d'uomini che s'ammazzano con coltelli, e spade, e ancora con armi varie, e strane; come può osservar ciascuno nella gran raccolta publicatane ultimamente in Firenze. Nè solamente in uso funerale, ma costumarono di far duellare per diletto, e per trastullo fin ne' conviti, come de gli abitatori della Campagna, che pur furono Etrusci, narra A-* C *teneo. Dice Eratostene presso l'istesso, come solean gli Etrusci* pugnare a suon di flauto: *la voce quivi usata parrebbe doversi intender de' Pugili, ma il contesto indica Gladiatori, e così intesela il Casaubono. Quivi ancora riferisce Ateneo le seguenti parole di Nicolò Damasceno antico Storico:* gli spettacoli de' Gladiatori si faceano da' Romani non solamente nelle publiche radunanze, e ne' Teatri, presone da gli Etrusci il costume, ma ne' conviti ancora. *Sospettò Lipsio a questo passo, Greco ne fosse in origine l'instituto, per aver detto Ermippo, che* D *de' Duelli inventori furono i Mantinei: ma chi potrebbe dire, qual' autorità al detto di costui debba deferirsi, e cosa volesi' egli intendere, per* Duellanti *in quel luogo? tutt' altro certamente che gladiatorii spettacoli. Si è già per noi dimostrato a bastanza nel* Ragionamento sopra gl' Itali primitivi *annesso all'* Istoria de' Diplomi, *come gli Etrusci non ebbero altramente gl' instituti, e l'arti da' Greci. Affermò Isidoro, anche il nome di Lanista, dato da' Latini a chi comperava, nodriva, ed esercitava Gladiatori, essere Etrusco, e significare in quella lingua* car- E nefice.

Affermò Isidoro parimente, di creder denominati da una Città Etrusca i Gladiatori Veliti: *Sfuggirono questi a Lipsio, dove le spezie di costoro eruditamente annovera, e illustra; ma si veggono indicati con l'altre classi in una Lapida del Fabretti, e gli trovo chiaramente nominati da Ovidio, ove scrive:*

Qual da principio al suol, di gialla arena
Coperto l'asta va del non ancora
Riscaldato Velite:
F

Doveano questi dar principio al Giuoco, come i Veliti militari alle battaglie, ed essere spediti com' essi, e leggieri, però disse Isidoro, riuscire la lor pugna, e il lor vibrar dell' aste più grato a gli spettatori: l'arena gialla indica l'uso mentovato da Plinio, di mischiar talvolta crisocolla con l'arena. Io credo ancora non mancare questa spezie di Gladiatori in quel luogo d' Artemidoro dove le nomina partitamente; sol

dummodo pro προβάκτορ, ut habent editiones, legatur προβοκάτορ *Provocator*. Sic legendum esse videbatur, cum prima illa vox neque græca sit, neque latina: qua in sententia confirmavit deinde me Venetiis probum Manuscriptum publicæ D. Marci Bibliothecæ, in quo ita legi animadverti. Gladiatoria Provocatorum classis nominatur a Cicerone, & in duabus Fabretti Inscriptionibus. Hos autem fuisse eosdem ac Velites, ac provocando ad pugnam inchoare spectaculum consuevisse, nomen ipsum docet: quare, quoniam non eodem inhærentes vestigio, sed huc atque illuc sese convertentes & discurrentes digladiabantur, per somnium visos inquit Artemidorus uxorem lubricam ac facilem denotasse. Fuit ergo veterum Italiæ habitatorum proprius Gladiatorum usus, non in gratiam modo mortuorum, sed ad voluptatem etiam viventium; qui quidem usus eorum bellicoso ac feroci ingenio magnopere conveniebat, virtutemque videbatur posse plurimum fovere. Plinius Junior certe ejusmodi ludos, in quibus vilissimi etiam homines victoriæ ac laudis amorem ostentabant, pronunciavit ad excitandos in spectatoribus ingentes spiritus, vulnerumque ac mortis contemptum vim habuisse.

Postquam vero horum ludorum usus propagatus ad Romanos est, mirum est dictu, quantopere progressu temporis eorum frequentia ac pompa aucta fuerit. Romæ celebratus primum ritu solemni Gladiatorum ludus est anno Varroniano 490. quando duo Fratres Bruti, ut memoriam ac cineres defuncti Patris honorarent, tria hominum paria publice digladiari jusserunt. Ab honore mortuorum ad vivorum honorem cito traducta spectacula hæc fuisse inquit Tertullianus. Cum enim multitudini gratissima essent, celebrare illa suis impensis cœpere omnes, qui ad principes quasdam dignitates evehebantur, ut populo, a quo electi essent, gratiam aliquam referrent instar muneris, ex quo etiam appellata sunt *munera*. Locus, in quo edebantur pugnæ ejusmodi (ut taceamus de primis temporibus, cum ante sepulcra instituebantur) erant utplurimum fora, utpote ampla distribuendisque spectatoribus accommodata: quare in eorum porticibus intercolumnia fiebant ampliora, quo commodius spectari omnia possent. Primum ludum a Brutis exhibitum paulo ante memoratum refert Valerius Maximus editum fuisse in Foro Boario, a bobus, qui in eo vendebantur, sic appellato. Polybii ætate, hoc est, sexto Romæ sæculo jam res abierat in artem, adeo ut Gladiatores non amplius viribus tantum pugnarent; immo multa pugnandi genera, multiplexque ratio esset.

Sext. pag. 204. — *Epitom. Liv. l. 16* — *De Spect.* — *Vitr. l. 5.*

CAP. II.

Spectacula Ferarum, ac prima species Amphitheatrorum.

PRimum Ferarum spectaculum editum est, cum anno Urbis Romæ 502. ducti in Circum Elephantes sunt, victoria Lucii Metelli in Sicilia de Carthaginiensibus capti: non pugnarunt tamen nisi medio fere consequuto sæculo in ædilitate Claudii Pulcri, si credimus Fenestellæ apud Plinium; imo, si Senecæ malumus credere, & Asconio Pædiano, solum Pompeii ætate. Neque aliarum Ferarum dimicationes incœpere nisi post secundum bellum Punicum, redacta in quandam servitutem Carthaginiensi Africa. Et sane earum primam in Romana Historia invenio fuisse anno 568. quo anno Marcus Ful-

Plin. l. 8. c. 6. — *c. 7.* — *Sen. Br. vit. c. 13.* — *Pisonian.*

A *che in vece di* προβάκτορ, *che portano le stampe, si legga* προβοκάτορ Provocatore. *Così doversi leggere pareami chiaro, per non esser la prima voce nè Greca, nè Latina; ma me ne son poi con piacere accertato in Venezia per un buon Manuscritto della publica Libreria di S. Marco, in cui così ho trovato leggersi. La gladiatoria classe de'* Provocatori *è nominata da Cicerone, e in due iscrizioni del Fabretti. Che questi fossero gl' istessi detti anche* Veliti, *e dessero principio allo spettacolo, provocando a pugna, l'indica il nome: però poichè non pugnavano di piè fermo, ma volteggiando, e scorrendo, dice Artemidoro, che dinotavano in sogno moglie lubri-* B *ca, e facile. Proprio adunque fu de' più antichi abitatori dell' Italia l' uso de' Gladiatori, non solamente in grazia de' morti, ma ancora per piacer de' vivi; ben' adattandosi alla lor' indole bellicosa e feroce, e parendo forse loro, che potesse molto contribuire a fomentar valore, e bravura. Disse Plinio il giovane di così fatti spettacoli, esser atti a inspirar fortezza, e disprezzo delle ferite, e della morte, facendo vedere anche in gente vile amor di vittoria, e di lode.*

C *Passato il costume a' Romani, ne ampliarono in progresso di tempo oltre misura e la frequenza, e la pompa. La prima volta che si facesse in Roma dimostrazion solenne di Gladiatori fu nell' anno Varroniano 490. quando i due fratelli Bruti tre coppie ne fecero publicamente combattere in memoria del lor defonto padre, e per onorar le sue ceneri.* Dall' onor de' morti *passaron ben tosto, come dice Tertulliano,* all' onor de' viventi *cotesti spettacoli; perchè riuscendo gratissimi alla moltitudine, cominciarono a fargli celebrare a proprie spese tutti coloro, che salivano a certe primarie dignità, quasi in regalo,* D *e per retribuzione al popolo d'avergli eletti, onde si dissero* Donativi. *Il luogo, ove faceansi queste pugne, lasciando i primi tempi, quando si combatteva dinanzi a' sepolcri, eran d' ordinario le piazze, come sito più ampio, e più adattato per distribuirvi gli spettatori: però ne' portici di esse si faceano gl' intercolonnii più spaziosi, acciochè la vista ne venisse tanto meno impedita. Il primo Giuoco accennato poc' anzi de' Bruti, si ha da Valerio Massimo, come fu nel Foro Boario, così detto dal mercato, cui serviva de' buoi. A tempo di Polibio, che vuol dire nel sesto se-* E *colo di Roma, il mestier de' Gladiatori era già ridotto in arte, onde non si pugnava più con la mera forza, anzi ve n'erano già più spezie, e varie maniere.*

CAPO SECONDO.

Spettacoli di Fiere, e prima idea degli Anfiteatri.

PRimo *spettacolo d' animali fu, quando l' anno di Roma* 502. *vennero introdotti nel Circo gli Elefanti presi a' Cartaginensi* F *con la vittoria di Lucio Metello in Sicilia: ma combatter non si fecero che alla metà del susseguente secolo nell' Edilità di Claudio Pulcro, se ne stiamo a Fenestella riferito da Plinio: anzi solamente in tempo di Pompeo, se ne stiamo a Seneca, e ad Asconio Pediano. Nè d' altre bestie cominciarono combattimenti se non dopo la seconda guerra Punica, ridotta l' Africa Cartaginese in una spezie di servitù. Infatti la prima menzione, ch' io ne trovi nell' Istoria Roma-*

vius voto promissos in Ætolico bello ludos longe majore, quam antea factum ab ullo fuisset, apparatu celebrandos curavit. Præter Athletarum certamen tum primum Romæ editum, narrat Titus Livius datam fuisse Leonum ac Pantherarum venationem. Hanc vero fuisse primam, colligo ex eodem Livio, qui, cum singulas, quo quæque tempore contigit, recenseat diligentissime, ante memorat aliam nullam, nisi forte in iis, qui desiderantur, libris meminerit; quemadmodum post annos viginti ab ea venatione in ludis circensibus pompam cœpisse augeri prodidit expositis ad pugnam tribus & sexaginta Pantheris, Ursis quadraginta, ac aliquot Elephantis. Sed luxu opibusque quotidie magis augescentibus Marcus Scaurus Ædilis dedit 150. Tigres, quinque Crocodilos, & Hippopotamum; Sylla Prætor 100. Leones, eosque solutos, cum antea alligati in circum induci solerent, referente Seneca. Sed cæteros longe antecessit Pompejus Magnus in ludis ob sui Theatri dedicationem celebratis. Post reliqua omnia spectacula tributi venationibus quinque postremi dies sunt. Tigres 410. Leones 500. Elephanti venabulis transverberati per homines Africanos, Lynx, Rhinoceron, aliæque belluæ ab Æthiopia usque deportatæ prodierunt. Cæsar quoque in dies quinque venationes suas distribuit post bellum civile, in quibus dedit primum Camelopardum, postremo autem die quingentos pedites, tercentos equites, ac viginti elephantos, deinde totidem cum suis turribus a sexaginta militibus defensis in campum dimicaturos induxit. Gladiatorum etiam numero reliquos omnes temporum præteritorum superavit Cæsar: Ædilis enim tercenta ac viginti paria dedit, ut ex Plutarcho habemus.

Margin notes: l. 43. — Plin. l. 8. c. 16. 17. 26. — Brev. vit. c. 1. — Dio. l. 30. Plut. in Pomp. Cic. l. 7. ep. 1. — Dio. l. 43. Suet. in Cæs. c. 39. Plin. l. 8. c. 7. — In Cæs.

Provectis ad tantam magnificentiam spectaculis, quo commodius celebrari possent, necesse fuit novum ædificii genus præparare. Ciceronis ætate ludi publici adhuc omnes vel in Theatro fiebant, vel in Circo. De Gladiatoribus in Foro mentionem facit Suetonius ætate Cæsaris; bellluis Circus erat destinatus. Apud Xiphilinum quidem legimus magnas illas Pompeii paulo ante commemoratas venationes factas in Theatro fuisse, sed eo loco usus parum accurato compendio est, si omisit ipse quattuor lineas ad cohærentiam sensumque necessarias, quibus ait Dion, Musicam quidem in Theatro, venationem vero in Circo fuisse factam. Circus tamen cum pro amplitudine, tum pro longitudine sua, utpote ad Bigarum, & Quadrigarum cursum compositus, in alio spectaculi genere parum jucundum reddere sæpius debebat in una parte, quod fieret in alia: longus enim erat Circus Maximus tribus stadiis (quorum singula octavam milliaris partem continent) latus autem stadio uno; spectata solum ipsa area, ac sine ædificiis aream coronantibus. Contuitum aliqua parte impediebant etiam Metæ, Obeliscus, Aræ, columnæ, signa, atque alia plura, quæ in medio Circo insistebant Spinæ: sane in ludis a Cæsare editis necesse fuit metas removere. Præterea difficile erat spectatorem populum tutari a periculis; quare refert Plinius, in ludis Pompeii, Elephantis exitum quærentibus, periclitatos fuisse, qui aderant; ut proinde Cæsar eandem venationem daturus, fossas circum excavandas curaverit. Opus itaque fuit ejusmodi ædificium construere, cujus simul ambitus minor esset, ne qua ex parte impediretur obtutus, simul spatium spectatores plurimos caperet; & in quo campus quidem liber esset atque apertus, illi tamen qui adessent, securi ac in tuto positi essent. Nec difficile fuit formam desumere ædificii hujus

Margin notes: Re legg. l. 2. — cap. 39. — Dio. l. 39. — Plin. l. 36. c. 15. — Suet. Cæs. 39. — l. 8. c. 7.

A *na, è nell' anno 568. quando Marco Fulvio celebrò con maggior' apparato che mai per l' addietro i Giuochi nella guerra Etolica promessi in voto. Narra Tito Livio, che allora oltre al certame degli Atleti veduto in Roma la prima volta, fu data una Caccia di Leoni, e di Pantere. Che questa fosse la prima, l' argomento da Livio stesso, che diligentissimo nel riferire i Giuochi di tempo in tempo, non ne fa anteriormente menzione alcuna, quando però ne' libri che mancano non l' avesse fatta. Ben la fa egli dell' essersi vent' anni dopo ne' giuochi Circensi cominciato ad accrescer la pompa con esporre 63. Pantere, 40. Orsi,* B *ed alcuni Elephanti. Ma ampliandosi il lusso, e la ricchezza di mano in mano, Marco Scauro nella sua Edilità fece mostra di 150. Tigri, e di cinque Cocodrilli, e dell' Ippopotamo: Silla nella sua Pretura di cento Leoni, e questi sciolti, dove prima soleano introdursi nel Circo legati, affermandolo Seneca. Ma vinse di gran lunga tutti gli oltrepassati Pompeo Magno ne' Giuochi celebrati per la dedicazione del suo Teatro. Dopo tutti gli altri spettacoli furono impiegati nelle Cacce gli ultimi cinque giorni. Vi si videro 410. Tigri, 500. Leoni, Elefanti saettati per uomini d' Africa, Lupo cerviero, Rinoceronte, e strane* C *bestie fin d' Etiopia. Cesare altresì divise in cinque giorni le sue Cacce dopo la guerra civile, facendo veder per la prima volta il Camelopardo, e facendo combatter nell' ultimo cinquecent' uomini a piedi, trecento a cavallo, e venti Elefanti, indi altrettanti con le lor torri difese da sessant' uomini. Nel numero parimente de' Gladiatori ei sorpassò di molto quanto fino allora s' era veduto, avendone posti insieme quando fu Edile 320. paja, come si ha da Plutarco.*

*Ridotti in tal magnificenza questi spettacoli, fu necessario pensare ad un nuovo genere d' edi*D*fizio, per potervegli celebrare con più diletto. A tempi di Cicerone i Giuochi publici si facean tutti ancora o nel Teatro, o nel Circo. Di Gladiatori nel foro fa però menzione Suetonio in tempo di Cesare: alle bestie era destinato il Circo. Presso Sifilino leggesi veramente, che le gran Cacce di Pompeo sopramentovate si facessero in Teatro; ma compediatore poco accurato fu egli in quel luogo, se da lui venne, il tagliar quattro versi necessarii alla coerenza, ed al sentimento, ne' quali esprime Dione, che in Teatro fu la musica, ma le Fiere nel Circo. Il Circo però per l' ampiezza sua, e per la lunghez*E*za, come ordinato al corso delle Bighe, e delle Quadrighe, dovea molte volte rendere in altro genere di spettacolo poco godibile all' una parte ciò che si facea dall' altra; essendo stato il Circo Massimo lungo tre stadii (ch' erano ottavi di miglio) e largo uno, intendendo dell' area solamente, e senza gli edifizj al circuito annessi. Impedita ancora ne rimanea in qualche parte la vista dalle Mete, dall' Obelisco, dall' are, colonne, figure, e più altre cose, che in mezo su la Spina posavansi: in fatti ne' Giuochi di Cesare sopraccennati convenne levar le mete. Non così agevole riusciva in oltre l' assi*F*curarvi il popolo spettatore, onde abbiam da Plinio, come pericolò ne' Giuochi di Pompeo dagli Elefanti, che tentaron sortita: però Cesare volendo poi far l' istessa mostra, fece cavar delle fosse intorno. Convenne adunque architettare un edifizio, che in assai minor giro, senza che gli occhi rimanessero da veruna parte impediti, desse luogo a quantità grandissima di spettatori, e avendo il campo libero e aperto, potesse però assicurar facilmente da ogni sor-*

A ex Theatris ipsis, quæ tum in Græcia, tum Romæ jamdudum erant in usu. Fiebant hæc ampla, & sine tecto, atque in his constituebatur hemicyclus graduum, in quibus federent spectatores frequentissimi. Facile ergo fuit cogitare, si pro ipsa Scena, quæ contra gradus constituebatur, alius fieret graduum hemicyclus, fore, ut locus capiendis spectatoribus duplo major evaderet, atque in medio amplus ac liber campus pugnantibus relinqueretur.

B Factum id primum est in ludis a Cajo Curione editis, qui deinde Cæsaris partes secutus in bello civili mortuus est, ab illo inquam eodem Cajo Curione, qui fuit Tribunus Plebis, ad quem plures epistolæ a Cicerone scriptæ extant, quique aliud quoque Theatrum a Marco Cælio memoratum construxit. Ex gente Scribonia illum fuisse suadet cognomen: Curio enim ille Maximus, de quo Livius, vocatur deinde ab eodem Livio alio loco Cajus Scribonius Curio Maximus. Is ergo, cum in Patris funere superare cæteros, qui ad ea usque tempora ludos dederant, vellet, opibus vero se nonnullis cerneret inferiorem esse, arte usus est & ingenio. Satis fortasse opus hoc unum est, ut intelligamus, quanta esset peritia atque C industria veterum in Architectura, artibusque cæteris mechanicis. Itaque Curio Theatra duo juxta construi jussit amplissima e ligno, ita tamen ut spectatores obverso sibi invicem tergo sederent, scenis inter sese adversis. Theatra hæc suspensa ac librata innitebantur singula suo cardini, sive axiculo, ut proinde moveri facile possent, & in orbem una cum frequentissimo populo insidente circumagi. Mane agebantur scenica; post meridiem repente Theatra sic vertebantur, ut contra starent; tum descendentibus tabulatis committebantur cornua orbisque absolutus & in- D teger efformabatur, idest Amphitheatrum, in cujus area pugnabant Gladiatores. Hæc Plinius, cui, ut alia sexcenta, hoc etiam unice debemus. Reprehendit ipse rei temeritatem, quod pensiles factæ essent Tribus omnes, populusque terrarum dominus in machina, quasi duobus navigiis impositus penderet, ad periculum ipse suum plaudens, etsi binis cardinibus sustentatus, ac in tali mortis discrimine constitutus, ut ad tumulum Patris ejusdem Curionis Romani universi tanquam Gladiatores pugnare viderentur. Nihil tamen adversi accidit; ac postremo solum die fessis turbatisque cardinibus, res parum tuta visa E est machinas circumagere; & amphitheatri forma servata deportatæ in medium scenæ sunt, atque in his athletæ editi; deinde raptis repente pulpitis producti Gladiatores, qui diebus anteactis victores extiterant. Utinam vero non adeo verbis pepercisset Plinius, sed artificium quoque, modumque accurate tradidisset; quibus trabium texturis firmatum immensum pondus; qua ratione constituti cardines, adeo ut nihil cederent, nec humi defigerentur; quibus machinis ad motum comparatæ, ac versatiles effectæ moles tam ingentes; an scenæ quoque agerentur in girum, F an soli graduum hemicycli sublatis scenis. Ingens enimvero laudis campus oblatus erat hoc loco eruditis illis hominibus, qui Plinium ediderunt, & illustrarunt. Daniel Barbarus in suis in Vitruvium Commentariis affirmat, Francifcum quendam Marcolinum, virum in cujusque generis quæstionibus solvendis ingenio prompto, ac felici, præclare ostendisse, qui possent duo illa Theatra circumagi, qui situs centri deberet esse, & quo loco cujusque cardo constitui: quam rem etiam Barbarus ipse demonstravit ad calcem libri

Cic. l. 8. ep. 2. In Theatrum Curionis. Liv. l. 27. & 35.

Plin. l. 36. c. 15.

te di belve chi stava intorno. Non fu difficile prenderne idea da' Teatri, che in Grecia, e in Roma erano da gran tempo in uso. Si facean questi spaziosi, e scoperti, e con un semicerchio di gradi, ne' quali sedeano in grandissimo numero gli uditori. Facil cosa fu però il pensare, che facendo in vece della Scena posta a rincontro de i gradi, un' altro semicerchio dirissi, e si raddoppiava il sito a gli spettatori, e si lasciava in mezo ampio, e libero campo a i combattimenti.

La prima volta che si vedesse di ciò l'effetto, fu nel maraviglioso e bizarro spettacolo di Caio Curione, che morì poi nelle guerre civili partigiano di Cesare; quell' istesso, che fu Tribuno della plebe, a cui più lettere si hanno di Cicerone, e che un altro Teatro pur fece nominato da Marco Celio. Il cognome l'indica della gente Scribonia: quel Curione Massimo, ch' è nominato da Livio, si dice poi da lui stesso altrove Caio Scribonio Curione Massimo. Ora volendo costui nella morte del padre superare quanto finallora era stato fatto, e non potendo con alcuni di gran lunga competere per ricchezza, si rivolse all' invenzione, ed usò l'ingegno. Basta forse una tal opera per dar saggio di ciò, che in fatto d' Architettura, e d' arti mecaniche valesser gli antichi. Fece adunque edificar Curione due ampissimi Teatri di legno contigui fra se, ma in modo tale, che gli spettatori venissero a sedersi a schiena gli uni degli altri, situate nelle parti opposte le Scene. Questi Teatri non erano fondati in terra, ma sospesi, e librati in aria, cioè posanti ciascheduno sopra un cardine, o perno, e però atti a esser mossi, e fatti girare attorno con tutto l' infinito popolo che vi era sopra. La mattina si rappresentavano azioni sceniche: dopo mezo giorno si facean d' improviso girare i Teatri, finchè venissero a essersi in faccia: di poi precipitando i tavolati, si congiungevano i corni dell'uno e l'altro, e si formava un recinto intero, e perfetto, ch' è quanto dire un Anfiteatro, nell'area del quale venivano a combattere i Gladiatori. Tanto si legge in Plinio, a cui, come di cent' altre, siamo unicamente debitori di questa bella notizia. Esaggerò egli contra la temerità del fatto, per essersi fatte pensili le Tribù tutte, e posto in machina, quasi sopra due navi, il popolo dominatore dell' Universo; applaudendo egli stesso al suo pericolo, benchè affidato a due cardini, e in tal rischio di morte, che parve al tumulo del padre di Curione pugnassero quai Gladiatori i Romani tutti. Con tutto ciò non seguì alcun danno; e solamente l' ultimo giorno indeboliti, o scomposti alquanto gli ordigni, non si fidarono di far più andare attorno, ma ritenendo la forma d' Anfiteatro della sera innanzi, furon portate nel mezo le Scene, e sopra esse fatti veder gli Atleti; indi rapiti via d' improviso i palchi, fatta mostra de' Gladiatori, ch' avean vinto i giorni innanzi. Quanto desiderabil sarebbe, che non ci fosse Plinio stato così avaro di parole, ma l' artifizio ci avesse distintamente descritto, ed il modo! e con quai contrasti di travature restasse assicurato l' immenso peso; e con quali circospezioni collocati i perni, talchè non cedessero, nè profondasser punto; e con quali argani rese ubbidienti, e girevoli machine sì inusitate; e se andassero attorno le scene ancora, o levandosi queste, solamente i semicerchi de' gradi. Bel campo avean qui di farsi onore quegli eruditi, i quali hanno dato fuori, e illustrato Plinio. Daniel Barbaro nel suo comento a Vitruvio, afferma, che un Francesco Marcolini, pronto e felice nello sciogliere ogni quesito, gli fece benissimo comprendere, come potessero i due Teatri muoversi in giro, e in qual sito dovesse farsi il centro, e porsi il perno di ciascheduno: il che ancora fu dal Barbaro

duabus solutis, sibique invicem impositis chartis, quæ circumaguntur ea ratione, qua ex ejus sententia agebantur Theatra. Verumtamen haud satis tam pauca verba sunt, ut tam mirum opus explicetur, atque ut solvantur difficultates, quæ attentius rem ipsam consideranti occurrunt. Quam fortasse ob rem ipse Barbarus in editione anni 1567. a se castigata duas illas versatiles chartas, & Marcolini mentionem rejecit. Cæterum credibile est, binos illos cardines non universo ponderi sustinendo, uti putat Plinius, sed retinendis in eadem linea Theatris, dum agebantur, potissimum deservisse, ac ponderis majorem partem non uni cardini, sed rotis ex metallo incubuisse.

CAP. III.

Prima Amphitheatra constructa.

Mirum illud inventum, de quo dictum est, prælusit potius Amphitheatris, quam vere principium dederit. Quo tempore condi Amphitheatra, & quo in ipsis Ferarum venationes edi cœperint scribit Justus Lipsius, *diu se quæsisse frustra.* Sed venationum initium quando fuerit, paulo ante vidimus; ex Amphitheatris autem quodnam primum fuerit docet aperte Dionis locus ab ipso Lipsio adductus, at non satis bene perspectus. Cæsarem ait eximius ille Historicus in Fori sui ac Templi Veneris a se excitati dedicatione dedisse multa ac varia certamina, constructo e ligno venatorio Theatro, quod & Amphitheatrum dictum est, utpote circum dispositis sedilibus ornatum sine scena. Ex his verbis liquido apparet, tunc & rem & nomen natum fuisse. Scriptores, apud quos vocem Amphitheatri primum invenio, sunt Strabo, ac Dionysius, quorum uterque Augusti ætate vixit: sed apud Dionysium utroque loco legi sic puto errore librariorum. Loquens enim scriptor hic de operibus a duobus Regibus Tarquiniis effectis alias τὸ Ἀμφιθέατρον ἱππόδρομον, alias στόαν Ἀμφιθέατρον nominat. Jam quemadmodum latine prave diceret, siquis *Porticum Amphitheatrum*, & *Amphitheatrum Circum*, sic æque male videntur in græca lingua duo illa *substantiva* nomina conjungi. Posset facile, ut ego quidem judico, error omnis facillime tolli, auferendo unicam litteram ac legendo ἀμφιθέατον; qua voce designatur, *Porticus & Circus, in quibus licet ex omni parte contueri.* Sic spectaculum quoddam eandem ob causam Ἀμφιθέαμα dictum est in Actibus S. Taraci Martyris. Si emendatio probatur, qui primus post Strabonem nomen hoc usurpet græce, Josephus erit. Reddi latine posset *circumvisorium*, idest locus, in quo circum undique videtur, & quemadmodum ab audiendo *Auditorium* dicimus, sic *Visorium* posset dici. *Visorium* certe appellatum est a Cassiodorio: quare ille D. Joannis Chrysostomi locus ἄλλο θέατρον ὧδε, καὶ ἄλλο ἀκροατήριον, quem editiones omnes reddunt, *aliud est hic Theatrum, aliud auditorium*, multo aptius redderetur, *aliud est hic visorium aliud auditorium*: Theatrum enim apud nos & *visorium* & *auditorium* sonat. Ut revertamur ad Dionem, pergit ipse loco antea commemorato, Cæsarem inquiens ob eas dedicationes, atque in memoriam defunctæ Filiæ, *belluarum interneciones, hominumque conflictus edidisse*, indicans per hæc verba duplicem illum usum, in quem factum novum ædificium est. Romæ ergo, non autem in Græcia origo Amphitheatri fuit, ejusque Auctor idem, qui & Imperii, & novi regiminis. Ex li-

Ampb. c. 5.

l. 43. θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρέθη.

Str. l. 5. D. Hal. l. 3. & 4.

Var. l. 4. 41. In Psal. 49.

l. 43.

baro dimostrato alla fin del libro con due carte sciolte, e soprapposte, che si fanno girare, come secondo quel valentuomo i due Teatri faceano. Ma non bastano sì pochi versi a spiegare un lavorio sì strano, nè a risolver le difficoltà, che si presentano a chi s'interna in tal fatto. Perciò forse lo stesso Barbaro nell'edizion sua riveduta del 1567. e nel Latino da lui publicato dell'istess' opera, levò quelle due carte girevoli nel fine, e la menzione del Marcolini. Credibile per altro è, che i cardini non a reggere tutto 'l peso, come Plinio dice, ma servissero principalmente a tenere nella divisata linea i Teatri, quando volgeansi, posando essi la maggior parte su ruote di metallo, e non già sopra un perno solo.

CAPO TERZO.

Primi Anfiteatri, che si edificassero.

Il sudetto bizarro ritrovamento preluse più tosto a gli Anfiteatri, che veramente lor desse principio. Quando essi principiassero, e quando altresì le Cacce di Fiere, scrive Giusto Lipsio, aver lui molto tempo indagato in vano. *Ma delle Fiere l'abbiam veduto poc' anzi, e degli Anfiteatri insegna chiaramente, qual fosse il primo, un passo di Dione addotto da Lipsio stesso, ma non ben considerato. Dice quell'esimio Storico, che Cesare nella dedicazione del suo Foro, e del Tempio di Venere da lui eretto, molti, e varj certami diede*, avendo edificato un Teatro Cacciatorio di legno, che fu anche chiamato Anfiteatro, per aver sedili tutto all'intorno senza Scena. *Appar manifestamente da queste parole, come nacquero allora e la cosa, e 'l nome. I primi Autori, in cui la voce d'*Anfiteatro *io ritrovi, sono Strabone, e Dionigi, ambedue de i tempi d'Augusto: ma presso Dionigi nell'uno e nell'altro luogo credo si legga per error de' copisti. Parlando lui dell'opere da i due Re Tarquinj fatte, nomina una volta τὸν Ἀμφιθέατρον ἱππόδρομον, e un'altra στόαν Ἀμφιθέατρον. Or siccome non ben sonerebbe in volgare* Portico Anfiteatro, *nè* Anfiteatro Circo, *così non pare, che molto ben si accoppino que' due sostantivi in Greco. Secondo me potrebbe rimediarsi con nulla più, che con cavare una lettera, leggendo ἀμφιθέατον*: Portico, e Circo, ne' quali potea starsi a veder da ogni parte. *Così uno spettacolo fu detto per l'istessa ragione ἀμφιθέαμα negli Atti di S. Taraco Martire. Se l'emendazion sussiste, il primo, ch'usi tal nome in Greco dopo Strabone, sarà Giosefo. Potrebbe rendersi in nostra lingua* Circonvisorio, *cioè luogo, ove d'ogn'intorno si vede, e a quel ragguaglio che da udire facciamo* Uditorio, Veditorio *da noi direbbesi. Così fu detto* Visorium *in Latino da Cassiodorio; onde in quel passo di S. Gioan Grisostomo, ἄλλο θέατρον ὧδε, καὶ ἄλλο ἀκροατήριον, reso in tutte le stampe*, aliud est heic Theatrum, aliud auditorium, *molto più propriamente direbbesi*, aliud est heic visorium, aliud auditorium, *perchè* Theatrum *ci fa in Latino intendere e visorio, e uditorio. Tornando a Dione, segue egli nel luogo sopradetto, dicendo che Cesare per quelle dedicazioni, e in memoria della defonta figliuola, fece vedere* uccisioni di bestie, e combattimenti d'uomini; *indicando così il doppio uso, per cui la nuova fabrica fu impiegata. In Roma adunque, e non in Grecia, nacque l'Anfiteatro con la gloria di vantar per autore il gran fondator dell'Imperio, e del nuo-*

gno faciendum curavit Cæsar, quemadmodum omnia ex ligno fuerant ante Pompejum, qui *Ann. l.14* primus omnium fecit suum ex lapide teste Tacito.

Sed Augustus supremum Reipublicæ regimen adeptus, cum, utpote ingenio hilari & amœno præditus, quemadmodum Victor Junior tradit, spectaculis, præsertim vero peregrinarum belluarum mirifice delectaretur, ut proinde in An- *Grut. p. 233.* cyranis Monumentis legamus, in ejus venationibus, fere 3500. belluas confectas fuisse, ab eoque refert Dion ostensum primum Hippopota- *l. 51. c. 20.* mum, ac Rhinocerontem, amphitheatrum lapideum cogitavit excitare, ut ex Suetonio colligimus in Vita Vespasiani; sed quod mente conceperat, non confecit. Ejus tamen ætate, ac fortasse ut gratum ipsi faceret, rem aggressus est *l. 51. θέατρόν τι κυνηγετικὸν λίθινον.* Statilius Taurus, qui deinde & Consul, & Præfectus Romæ fuit. Notitiam hanc ex Dione accepimus: *antequam compleretur quartus Augusti Consulatus, Statilius Taurus propriis impensis excitavit in Campo Martio lapideum Theatrum venatorium, ac certamine armatorum hominum dedicavit*. Juxta Strabonem loco superius memorato non in ipso campo Martio videretur fuisse, sed prope campum. Amphitheatrum tamen illud haud sane magnum quiddam fuit; quamvis ipsa rei novitas digna habita sit, propter quam loco præmii a Populo acciperet Statilius facultatem eligendi quotannis unum ex Prætoribus; neque dignum puto tanto nomine ædificium illud fuisse, neque usui, prout Roma postularet, respondisse. Memoriæ prodidit Isidorus, Curionem omnium primum, ex duobus Theatris ligneis Amphitheatrum fecisse, deinde vero Statilium Taurum condidisse parvum quoddam lapideum. Haud invenitur quidem locus hic in Isidoro typis commisso, eum tamen Isidoro tribuit Guillielmus Pa- *p. 25.* strengus Scriptor Veronensis Petrarchæ æqualis, qui aliis etiam in locis ostendit se libros Originum Isidori habuisse ampliores, quam nos in præsentia habeamus. Ego tamen ejus tenuitatem ædificii multo certius ex eo colligo, quod in solemnibus ludis biennio post editis, decretis tamen antea ob Actiacam Victoriam, in ligneo sta- *Dio. l. 53 & 54.* dio captivi pugnavere in hunc finem in Campo Martio constructo: sic datæ ob Drusi Præturam, atque natalem diem Augusti venationes fuerunt in Circo: spectaculum aquarum, in quo 36. Crocodili occisi fuere, edidit Augustus in Circo Flaminio: hæc omnia ex Dione, qui funebres pugnas primum quidem singulares, deinde vero turmatim editas pari utrinque digladiantium numero ob Agrippæ mortem in Comitiorum septis contigisse narrat, tum ad Agrippæ ipsius honorem, qui eum locum & perfecerat & ornarat, *55.* tum quia edi non poterant in Foro multis ædibus circum undique incendio dirutis, soloque exæquatis: ex quibus liquido constat, de Tauri Amphitheatro ne cogitatum quidem fuisse. Conjecturas meas confirmo ex eo, quod post hoc Amphitheatra adhuc lignea constructa fuisse reperio. Credibile præterea est non fuisse totum lapideum, sed gradus fortasse, aliasque internas partes li- *p. 709. ed. Leuncl. τὸ θέατρον τὸ Ταύρου ἐκαύθη. Xiph. l. ... γέφυραν λιθίνην.* gneas habuisse: in Dionis enim compendio legimus, sub Nerone Theatrum illud *conflagrasse*; nec, tot ludi celebrati cum sint, ejus tamen Historicus ullus amplius meminit. Nec vero quidquam officit, quod a Dione *lapideum* dicatur: sic enim appellavit Historicus ille & Trajani pontem super Danubium, etsi præter pilas nihil esset in eo lapideum, & pars superior esset lignea, ut cernere in columna Trajana licet, atque ex ipso Dionis contextu colligi potest. Illud ad extremum præstat observare, de Amphitheatro nusquam loqui

A *vo governo Romano. Di legno il fece fabricar Cesare, come di legno erano sempre stati i Teatri avanti Pompeo, che primo fece il suo di pietra per testimonio di Tacito.*

Ma passata in Augusto la suprema amministrazione della Republica, ed essendo lui, per detto di Vittor giuniore, come d'indole amena e gioviale, stato molto amante degli spettacoli, e singolarmente di bestie strane, onde leggesi nelle Lapide Ancirane, che intorno a 3500. Fiere si uccisero nelle sue Cacce, ed a lui attribuisce Dione l'aver fatto vedere la prima volta l'Ippopotamo, e il Rinoceronte; B *concepì il disegno d'ergere un Anfiteatro di pietra, come si raccoglie da Svetonio nella vita di Vespasiano, ma non l'eseguì. Sotto di lui però, e forse per fare a lui cosa grata, l'intraprese Statilio Tauro, stato poi Consolo, e Prefetto di Roma. La notizia si dee a Dione:* prima che terminasse il quarto Consolato d'Augusto, Statilio Tauro edificò a sue spese nel Campo marzo un Teatro Cacciatorio di pietra, e lo dedicò con pugna d'uomini armati. *Secondo Strabone nel sopraccennato luogo parrebbe non fosse propriamente stato nel Campo marzo, ma vicino ad esso.* C *Quell'Anfiteatro però certamente non fu gran cosa; e benchè la novità meritasse in premio dal popolo il privilegio d'elegger lui ogn'anno l'un de' Pretori; nè credo riuscisse quell'edifizio degno d'un tanto nome, nè adattato al bisogno di Roma. Scrisse Isidoro, che* Curione prima d'ogn'altro fece di due Teatri di legno un Anfiteatro, e che di poi Statilio Tauro un piccol ne fece di sassi. *Non si vede veramente questo passo nell'Isidoro, che abbiam dalle stampe, ma come di lui vien citato da Guglielmo Pastrengo Scrittor Veronese coetaneo al Petrarca, il quale anche in altri luoghi mostra* D *d'avere avuti i libri suoi delle Origini più ampj ch'or non gli abbiamo. Io argomento però la tenuità di quell'edifizio con più sicurezza dal vedere, che ne' solenni Giuochi celebrati due anni dopo, benchè decretati avanti per la vittoria Aziaca, combatterono i prigionieri in uno Stadio di legno, costruito a tal fine pur'in Campo marzo: così le Cacce date per la Pretura di Druso, e pel giorno natalizio d'Augusto furon nel Circo: lo spettacolo d'acque, in cui furono uccisi 36. Cocodrilli, lo diede Augusto nel Circo Flaminio: tutto da Dione; il quale delle pugne funerali prima da corpo a corpo, poi* E *a truppe d'ugual numero per la morte d'Agrippa, narra altresì, che si fecero nel Serraglio de' Comizii; così per onor dell'istesso Agrippa, che avea dato il compimento, e gli ornamenti a quel luogo, come a motivo, che* non potea darsi nel Foro per l'incendio seguito di molti edifizj all'intorno: *dove ben'apparisce, che all'Anfiteatro di Tauro nè pur si pensava. Confermo la congettura nell'osservare, come, dopo questo, Anfiteatri si fecero ancora di legno. E' credibile in oltre non fosse di pietra tutto, ma i gradi forse, ed altre interne parti di legname avesse; poichè leggesi in Dione compendiato, che* F *sotto Nerone si* abbruciò; *nè in occasione di tanti Giuochi da Storico alcuno se ne fa mai più ricordanza. Non osta l'esser detto* lapideo *da Dione, perchè così chiamò quello Storico anche il ponte di Traiano sul Danubio, benchè non avesse di pietra se non le pile, e la parte superior di legname, come nella colonna Traiana ben si riconosce, e dal contesto dell'istesso Dione può trarsi. Osservisi finalmente, che d'Anfiteatro punto non parla Vitruvio, il quale della strut-*

Vitruvium, qui de Theatrorum structura tam multa loquitur: ex quo intelligi facile potest, ad ea usque tempora Amphitheatrum memoria dignum ac stabile nullum extitisse. Vitruvium vero post constructum a Tauro Amphitheatrum suos libros vulgasse percipi ex Præfatione licet, in qua Augustum alloquitur, tanquam in Principatu tutissime constitutum, atque unice in exornanda ædificiis Urbe occupatum. Cæterum Augusti tempore plura Romæ fuisse Amphitheatra lignea inde facile constat, quod ille ipse in Ancyranis Monumentis magnifica spectacula se dedisse ait *in Circo, in Foro, in Amphitheatris*. Uno ex illis usus aliquando fuisse Tiberius videtur, quemadmodum innuit Suetonius, quo loco tamen *in septis* legit Lipsius, fortasse ex aliquo Manuscripto.

Gr.p.232 aut in Amphitheatris. Ti.c.7. Sat.serm. l.1.c.1.

Post Augusti tempora Amphitheatrum aliud inchoavit, sed non perfecit Caligula. Ad gladiatoria certamina, aliosque ejusmodi ludos scribit Suetonius eum Principem modo septis, idest Comitio usum fuisse, modo autem Amphitheatro Statilii Tauri: sed Dion contra, in quo multo melius cum notitiis reliquis convenit, affirmat, Caligulam nunc quidem in septis edidisse spectacula, nunc vero in locis aliis, quæ propterea circumvallanda palis curabat, solo etiam exæquatis, si fuisset opus, multis magnisque ædibus, quo campus amplior fieret; id autem, quia *Tauri Theatrum neglexit*. Claudius, qui magnopere delectabatur spectaculis, gladiatorium omnium maximum in septis edidit. Ajunt recentes nonnulli scriptores a Claudio Amphitheatrum in septis fuisse constructum, seque Suetonii testimonio tuentur: at Suetonius contra inquit in Caligula, ab eo opera duo fuisse suscepta, Aquæductum, & Amphitheatrum in septis, quorum alterum deinde consummavit Claudius, alterum inchoatum reliquit; ait vero in Claudio, opus ab eo perfectum fuisse Aquæductum, quare quod inchoatum reliquit, Amphitheatrum fuit. Nero, cui pariter placuere spectacula, iis edendis novum Amphitheatrum ligneum fabricatus est in regione Campi Martii, atque intra annum confecit: habuisse illud firma fundamenta, fuisse mole ingens, trabibusque magnis solide constructum, colligi ex Tacito potest. Refert etiam Plinius adhibitam in eo trabem e larice longam pedes 120. bipedali crassitudine æquali, quæ ex regione nobis proxima, scilicet ex Rhœtia cum aliis advecta Romam fuerat jussu Tiberii, cum naumachiarium pontem restituit, & quæ propter miraculum exposita ab eodem Imperatore ad tam longum tempus ob raritatem servata est.

Cal.c.21. & 18. — l. 59. τὸ γὰρ τ̃ Ταύρου θέατρον ὑπερεφρόνησε. — Suet. cl. 21. — Cal.c.21. — Cl. c. 21. — Ner.c.12. — Ann.l.13 — Plin.l.16 c.39. & 40.

Amphitheatra construi ad exemplum Romæ in aliis etiam urbibus haud multo post cœpere. Imperante Tiberio unum excitavit multo amplissimum quidam Attilius prope Fidenas, quam quinque mille passibus ab Urbe dissitam Dionysius fuisse ait: sed, cum fundamenta ejus per solidum subdita non fuissent, neque tigna probe commissa atque contexta, dum celebrarentur spectacula, ob insidentium spectatorum pondus corruit, ruinaque plusquam viginti millia hominum, teste Suetonio, interiere; quinquaginta autem millia, si Tacito credimus, partim debilitata, partim obruta fuere. Extra Placentiæ mœnia Amphitheatrum aliud fuerat constitutum omnium totius Italiæ pulcherrimum atque amplissimum, referente eodem Historico: atque hoc quoque fuisse ligneum ex eo licet colligere, quod dum in civili Vitellii atque Othonis bello oppidum copiæ tumultuario impetu aggrediuntur, & faces accensas in obsessos ejaculantur oppugna-

Dion. Hal.l.2. — Ti.c.40. An.l.4. — Hist. l.2.

tura de' Teatri sì a lungo tratta; dal che si può arguire, che Anfiteatro di considerazione, e tutto stabile, non si fosse veduto ancora: e pure ch' egli dopo quel dì Tauro i suoi libri desse fuori, si può arguir dalla Prefazione, in cui parla con Augusto, come già stabilito nel possesso del Principato, e già rivolto ad abbellir Roma con gli edifizj. Che in tempo d' Augusto per altro più d' un' Anfiteatro si vedesse in Roma di legno, può raccoglierſi dal dir lui nelle Lapide Ancirane d' aver dato superbi spettacoli nel Circo, nel Foro, ed in Anfiteatri. *D' alcun di essi pare facesse uso una volta Tiberio, per quanto accenna Svetonio, nel passo del quale però Lipsio legge* in Septis, *forse da qualche ms.*

Dopo i tempi d' Augusto altro Anfiteatro incominciò Caligola, ma nol condusse a fine. Per gladiatorii certami, e per altri simili scrive Svetonio, ch' or si valse quell' Imperadore de i Septi, cioè del Serraglio de i Comizj, or dell' Anfiteatro di Statilio Tauro; ma afferma Dione all' incontro, assai meglio concordando con l' altre notizie, come Caligola ora diede i suoi spettacoli ne i Septi, ora in luoghi ch' egli facea a tal fine circondare di palizate, abbattendo, ove occorresse per far piazza, molti e grandi edifizj, e ciò perchè del Teatro di Tauro ei non fece conto. *Claudio, che si dilettò di spettacoli grandemente, il gladiatorio più solenne lo diè ne i Septi. Affermasi per alquanti moderni Scrittori, che ne' Septi Anfiteatro fabricò Claudio, e ne citano Svetonio: ma dice Svetonio all' incontro in Caligola, com' egli due opere intraprese, Acquedotto, ed Anfiteatro ne' Septi, delle quali Claudio poi altra ne compì, altra ne tralasciò: e dice in Claudio, come la da lui compita fu l' Acquedotto; per conseguenza fu l' Anfiteatro la tralasciata. Nerone, che amò gli spettacoli parimente, edificò per essi un nuovo Anfiteatro di legno nella regione del Campo marzo, e lo terminò dentro un anno: che avesse buoni fondamenti, e fosse di gran mole, e con travature grandi solidamente lavorato, si può raccoglier da Tacito. Accenna Plinio, come vi fu impiegata anche una trave di larice, lunga 120. piedi, e grossa due da un capo all' altro ugualmente; quale dal Paese a noi prossimo, cioè dalla Rezia, era insieme con altre stata condotta a Roma per ordine di Tiberio, quando fece rifare il ponte alla Naumachia, e fu dall' istesso Imperadore fatta esporre in publico per maraviglia, e conservata poi tanto tempo per rarità.*

A intraprendere anche in altre Città Anfiteatri, dopo l' esempio di Roma, poco si stette. Sotto Tiberio uno capacissimo ne fu edificato da certo Attilio presso Fidena, cui cinque miglia lontana da Roma disse Dionigi, ma per non esservi stati fatti i fondamenti continuati, e per non esser la commettitura de i legni stata incatenata sicuramente, nel celebrarvi lo spettacolo precipitò tutto a un tratto dal peso de gli spettatori, con morte di sopra ventimila persone, dice Svetonio, e di cinquanta mila tra morti, e feriti, dice Tacito. Fuor delle mura di Piacenza altro ne fu eretto bellissimo, e più capace di qualunque altro d' Italia *per detto dell' istesso Storico: più altri adunque ve n' erano: ch' esso ancora fosse di legno, si raccoglie, perchè nel tumultuario assalto, qual per la guerra civile di Vitellio, e d' Ottone fu dato a quella Città, accesosi per le faci e fuochi scagliati di parte, e d' altra, avvampò, e s' incenerì. Fu sospettato, gli*

tores, regeruntque obsessi, ignem corripuit, & conflagravit. Creditum fuit fraude illatas flammas a vicinis coloniis invidiæ æmulatione.

venisse in quell' occasione malignamente poste il fuoco per invidia, che le vicine Colonie n' aveano.

CAP. IV.

Amphitheatrum Titi Colosseum non a Neronis collosso appellatum.

CAPO QUARTO.

Anfiteatro di Tito. Chiamato Colosséo non per Colosso di Nerone.



SEd tandem molem omnium longe maximam aggressus est Vespasianus, scilicet Amphitheatrum illud, cujus vel reliquiæ, quæ supersunt adhuc, ingerunt admirationem. Ædes hæc cum magnificentia, tum artificio cæteras omnes quotquot uspiam fuerunt, longe multumque antecessit, ut merito dixerit Martialis, huic cedere oportere & Pyramides, & Mausolæa, famamque unum hoc opus præ cunctis loqui. Affirmare non dubitavit Cassiodorius iisdem impensis, quibus hoc ædificium excitatum est, *fieri caput urbium potuisse*. Locum ædificio in media Urbe designavit Vespasianus, ubi norat voluisse Augustum illud moliri. Eo tamen imperante neque confectum est, nec fortasse multo ante. Ultimam illi manum impositam fuisse credendum est sub Vespasiano, si fidem adjungimus numis hujus Imperatoris, qui circumferuntur, integrumque & perfectum Amphitheatrum præseferunt: verum ejusmodi numos ego quidem nunquam vidi nisi falsos; nec sane videri nisi falsi possunt. Unum consulatu tertio insignitum descripsit Mezabarba aliorum fidem secutus; qui quam vanus sit quilibet intelligit: alium magis probatum, & consulatu

Spect. lib. ep. 1.

Var. l. 4. 42.

MA finalmente intraprese Vespasiano il portento delle fabriche nell' Anfiteatro di tutta pietra, che genera ancor maraviglia con quel pezzo della corteccia, che ne sussiste. Fu questo il più superbo, e il meglio inteso edifizio del Mondo, e non fuor di ragione disse Marziale, dovergli cedere anche le Piramidi, e i Mausolei, e dover la fama parlar di esso solo per tutti gli altri. Asserì Cassiodorio, che con tale spesa si sarebbe potuto fabricare una Città capitale. Nel bel mezo di Roma Vespasiano il volle, dove sapeva aver destinato di farlo Augusto. Sotto di lui però nè fu condotto a fine, nè forse molto avanti. Perfezionato sotto Vespasiano converrà crederlo, se vorremo aver fede alle Medaglie, che vanno in giro di quest' Imperadore con l' Anfiteatro bello e intero; ma tali Medaglie io non le ho vedute mai se non false, nè altro che false posson vedersi. Il Mezabarba su l' altrui fede ne registrò una col Consolato terzo, ch' ognun vede quanto sia vana: su la fede d' Occone registrò l' altra più ricevuta col Consolato ottavo, alla quale prestò credenza anche Giusto Lipsio: io l' ho bellissima quanto pos-

octavo insignitum, quem & Justus Lipsius recepit, descripsit Occonis fidem secutus: hunc ego habeo speciosissimum, ut fingi nequeat melius. Verum octavo Vespasiani consulatui respondit sextus Titi, quo anno, vel eo, qui proxime consequutus est, operi suo imposuit finem Plinius, ut ex nuncupatione operis Tito facta constat, in qua Consulem illum dicit sextum. Jam quis sibi persuadeat, scriptorem hunc, qui adeo Vespasiani gloriæ studuit, non fuisse facturum verba de hoc ædificio, si eo tempore vel confectum fuisset, vel inibi ut conficeretur? eo præsertim loco, ubi de insignibus urbis Romæ ædificiis loquitur, atque inter prima recenset Pacis ædem a Vespasiano excitatam? Sunt qui respondeant, credibile esse nummum Amphitheatro insignitum post ejus excessum fuisse procusum in memoriam molis ab eo inchoatæ: at si res ita esset, epigraphe Divum diceret, non consulem. Reapse Imperante Tito Amphitheatrum majore ex parte extructum fuisse, tum ex Eutropio discere licet, tum ex Chronicis Eusebianis, & D. Prosperi, & Cassiodorii, qui ab eo excitatum fuisse affirmate ajunt; tum ex Compendio Dionis, qui in Vespasiano Amphitheatrum non nominat, nominat autem in Tito, aitque Vespasianum, cum ludis gladiatoriis minime delectaretur, belluarum venationes dedisse in Theatris, quo loco, cum soleat Xiphilinus hæc nomina confundere, Circi intelligendi sunt. Sic Martialis Titum laudat. Victor in Cæsaribus a Vespasiano tradit inceptam esse *Amphitheatri tantam vim*, a Tito autem consummatam, quem & *perfecto opere interiisse* memorat. Sic Suetonius tradit mortuum fuisse *spectaculis absolutis*, quæ edita erant in Dedicatione: ex quo concludi potest, toto imperii sui tempore in opus incubuisse. Dedicatio instituta a Tito fuerat suo, non Patris nomine. In ea celebritate scribit Eutropius 5000. belluas interfectas fuisse, Dion vero 9000. cum quattuor elephantis, pugnasq; navales etiam institutas fuisse, *derivata repente in Amphitheatrum aqua*, atq; in ea bestiarum primum, tum navium pugnas commissas, antiqua Corinthiorum & Corcyræorum prælia referentes, quorum bellum descripsit Thucydides. Ex omni orbis tum cogniti parte gentes ludos spectaturæ, si Martiali credimus, Romam confluxere.

l.66. ὕδατος ἐξαίφνης πληρώσας.

Ep. 3.

Molem hanc admirabilem voce a majoribus accepta appellant Romæ *il Coliseo*; latine scriptum *Colisseum* & *Colosseum* invenitur. Communis est recentium scriptorum sententia jamdudum alte animis defixa, Amphitheatrum nomine hoc a populo fuisse donatum, quod non procul ab eo Neronis colossus positus esset: ego vero pauca quædam proponam, ex quibus quilibet intelligat, sicne, an secus oporteat sentire. Neronis colossus 120. pedum longitudine, a Zenodoro confectus in ejus aureæ domus vestibulo positus fuit. Extat Martialis epigramma, quo Titus laudatur, quia in publicum usum, bonumque commune restituerit magnam illam Urbis partem, quam domo sua Nero occuparat. Ex eo epigrammate discimus, ubi prius atrium erat, viam publicam a Tito apertam fuisse, a quo non longe distabat Colossus, ac *venerabilem Amphitheatri molem* erectam non fuisse in Atrio, seu vestibulo, sed *in stagnis*, quæ certe a vestibulo distare longo intervallo debuerunt. Prope Amphitheatrum, ubi prius horti erant, & ambulacra, Titus instituit Thermas, quas *velocia* munera vocat Martialis; cujus rei causa ex Suetonio percipitur, quia *celeriter extructæ* fuerunt. Alia etiam videntur persuadere posse, ab Amphitheatro haud ita parum recessisse colossum Neronis. Dimovit illum loco suo Adria-

Su. Ner. c. 13. Plin. l. 34. c. 7. ep. 2.

Stagna Neronis erant.

in Tit. c. 7.

A *sa lavorar l'impostura. Ma con l'ottavo di Vespasiano si accoppiò il sesto di Tito, nel qual'anno, o nel susseguente, diè compimento alla sua opera Plinio, come dalla Dedicatoria a Tito si riconosce, dicendolo sei volte Console: or chi potrà mai credere, che se in quel tempo, o terminata, o presso al termine fosse stata tal fabrica, non ne avesse fatto parola questo Scrittore tanto parziale della gloria di Vespasiano? e specialmente dove tratta degl' insigni edifizj di Roma, e mette tra primi il Tempio della Pace da Vespasiano eretto? C' è chi risponde, potersi creder la Medaglia coll' Anfiteatro battuta dopo la morte di lui per memoria d'averlo lui cominciato; ma in tal caso l' iscrizione lo direbbe Divo, non Console. Che veramente sotto Tito per la maggior parte l' Anfiteatro si lavorasse, può raccogliersi ancora da Eutropio, e dai Cronici Eusebiano, e di S. Prospero, e di Cassiodorio, che assolutamente lo dicono edificato da lui; e da Dione compendiato, che in Vespasiano nol nomina, ma ben'in Tito, e dice, che Vespasiano non essendo inclinato a i Giuochi de' Gladiatori, diede le Cacce di Fiere ne' Teatri; dove solendo Sifilino confondere questi nomi, è da intender ne' Circhi. Così Marziale n' esalta Tito. Vittore ne' Cesari dice cominciata da Vespasiano* così gran mole, *e finita da Tito, e accenna esser lui morto poco dopo d' averla perfezionata. Così Svetonio afferma morisse* terminati gli spettacoli, *che furon quelli della Dedicazione; onde si può dedurre, che vi facesse lavorare quasi tutto il tempo del suo Principato. La Dedicazione fu fatta da Tito in nome suo, e non del Padre. Nella solennità scrive Eutropio si ammazzassero* 5000. *Fiere, e Dione* 9000. *con quattro Elefanti, e vi si facessero pugne navali ancora,* introdotta in un subito nell' Anfiteatro l' acqua; *e in essa prima animali, poi fatte combatter più navi, che fingeano esser di Corintii, e di Corfiotti, l' antica guerra de' quali è scritta da Tucidide. Gente vi concorse da ogni parte della terra allor conosciuta, se abbiam fede a Marziale.*

Questa mirabil mole chiamasi in Roma per tradizione immemorabile il Coliseo; in Latino si trova scritto Colisseum, *e* Colosseum. *Il commune consenso de' moderni Scrittori ha già fissato da gran tempo, che così si denominasse l' Anfiteatro dal popolo, perchè in poca distanza da esso stesse il Colosso di Nerone: ma alcune considerazioni io proporrò, perch' altri giudichi, se così debba continuarsi a credere. Il Colosso di Nerone alto* 120. *piedi, opera di Zenodoro, fu collocato nel vestibolo della sua Casa aurea. Abbiamo un epigramma in Marziale, per cui si loda Tito d' aver restituita all' uso publico, e convertita in benefizio comune quella gran parte di Roma, che Nerone avea occupata con la sua casa. Vediamo in esso, come ov' era prima l' Atrio, Tito fece strada, in poca distanza dalla quale era il Colosso, e vediamo come* la venerabil mole dell' Anfiteatro *non fu alzata nel sito dell' Atrio, o sia del vestibolo, ma in quello delle* Peschiere, *che dovean certamente esser dal vestibolo assai lontane. Presso all' Anfiteatro, ov' eran prima orti, e passeggi, fece Terme, chiamate da Marziale* veloci doni; *la ragione appar da Svetonio, che dice furono edificate in fretta. Altre osservazioni ancora par che persuadano, rimanesse in non piccola distanza dall' Anfiteatro il Colosso di Nerone. Fu esso mos-*

nus, & transtulit alio: si Spartiano credimus, tum Soli sacratus est: sed ex Plinio novimus, id [*Plin. lib. 34. c. 7.*] jam ejus ætate factum fuisse *damnatis sceleribus* Neronis, adeoque quo tempore illum Vespasianus reficiendum curavit; de qua re loquitur Suetonius: Commodus illum rursus immutavit, ablatoque capite suum ipse imposuit. Jam inquit Spartianus in eo loco, ubi prius fuerat Colossus, excitatum postea fuisse Templum Deæ Romæ, quod profecto nemo dixerit ad Amphitheatri tergum positum fuisse; imo vero credendum est ab eo magnopere dissitum fuisse, si ipsum est, de quo meminit Victor in Regione diversa. [*P. Vict. Templum Urbis Romæ.*] Idem Auctor collocat pariter in Regione diversa ab Amphitheatro Colossum inter alios distinctum, ejusdemq; fere magnitudinis, quem illum ipsum fuisse, de quo sermo est, videtur ex eo colligi, quod septem radiis præcinctum caput habuerit, quibus Soli sacer indicabatur. Non igitur nomen capere potuit Amphitheatrum ex statua, quæ proxime non adesset, & quæ ad illud nullo modo pertineret. Quod si proximus etiam tam vasto ædificio fuisset colossus, profecto accepisset ab eo nomen potius, non tribuisset; cujus rei exemplum habemus ubi refert Plinius, colossum Jovis turri prope parem [*l. 34. c. 7.*] magnitudine, in campo Martio positum a Claudio, Pompejanum vocatum fuisse a vicinitate Theatri Pompejani.

Quod si quis a me petat, undenam putem illud nomen originem traxisse, dicam ex eo factum, quod ædificium hoc inter reliqua eam formam præseferret, quam inter statuas colossus, & quod ex veteri consuetudine eo nomine appellaretur, quidquid singulari magnitudine præstaret. Id ego jamdudum conjeci, cum in Suetonio legerem, [*Cal. c. 35.*] ætate Caligulæ Esium Proculum *ob egregiam corporis amplitudinem & speciem dictum colosseron*, sive *colosseum* fuisse, quemadmodum fortasse eo loco legendum est. Animadverti etiam in epistolis Cassiodorii, quendam nomine *colosseum* appella- [*Var. l. 3. ep. 3.*] ri *viribus præpotentem*, hoc est robustissimum: ex quo conjectare licet, ob eandem causam sic co- [*l. 10. c. 4. κολοσσικότερα.*] gnominatum fuisse. Vitruvius præterea majora onera appellat *onera colossicotera*; qua loquendi forma ostendit, *colossi* nomen ad significandam rem magnam usurpari consuevisse, quo pacto in græca lingua in vocibus compositis usurpantur haud raro *equi*, & *bovis* nomina. Rem ita esse plane intellexi deinde, cum Historiam Erchemperti Monachi a Camillo Peregrino editam, nunc insertam secundo Tomo *Rerum Italicarum* per currerem: in ea enim Amphitheatrum Capuæ, in qua urbe haud sane fuit Neronis Colossus, bis [*c. 44. & 73.*] *colossi* (legendum fortasse *colossei*) nomine designatur. Clarum est igitur, nuncupationem hanc a populo tribui Amphitheatris consuevisse, ob insignem eorum altitudinem: Romanum certe affirmavit Calpurnius in Eclogis verticem Tarpeii [*Ecl. 7.*] montis transcendisse, ut cælo immisceri videretur. Hæc aliquot abhinc mensibus scripseram; cum perlatus est mihi liber de eo Amphitheatro conscriptus ab Alexio Mazochio Canonico, quem recens editum ejus urbis Magistratus, ac princeps illius Joseph Capuanus Capecius liberaliter ad me miserunt. Liber hic tam docte eleganterque scriptus est, ut gaudere magnopere debeant nobiles illi viri, qui gaudio se perfundi sentiunt, dum vident, quo hac ætate evectæ in Italia litteræ sint. Jam vero quod attinet ad *Colossei* nomen Romano Amphitheatro impositum, invenio scriptorem illum affirmare hanc eandem mecum opinionem tueri, eamque aliquibus Vitruvii & Erchemperti locis, maxime vero interpretatione ab Hesichio

A *so poi dal suo luogo, e fatto trasportar da Adriano: secondo Sparziano fu allora dedicato al Sole; ma sappiam da Plinio, che ciò era già fatto fin da suoi tempi, in odio delle scelleraggini di Nerone, e però quando il fece ristorar Vespasiano, di che parla Svetonio: Comodo poi lo tramutò di nuovo, fattagli levar la testa con riporvi la sua. Ora dice Sparziano, che nel sito, ov'era prima il Colosso, fu poi fatto il Tempio della Dea Roma, quale non sarà certamente stato posto a ridosso dell' Anfiteatro; anzi convien dire ne fosse assai lontano, s'è il mentovato da Vittore in Region diversa.* B *L'istesso Autore mette pure in Region diversa dall' Anfiteatro un Colosso distinto tra gli altri, e di consimil grandezza, che per quello appunto, di cui si parla, par si palesi dall' avere avuto sette raggi intorno al capo, che lo dinotavano sacro al Sole. Non potè adunque denominarsi l' Anfiteatro da Statua, che non gli era prossima, nè attinente per nissun conto. Che se prossimo ancora fosse stato un Colosso a così vasto, e dominante edifizio, anzi che dato il nome, è assai più credibile l'avesse preso: e n' abbiam chiaro l'esempio ove riferisce Plinio, ch' un Colosso di Giove, grande come una torre, fatto porre nel Campo marzo da Claudio, per esser vicino al Teatro di Pompeo, acquistò il nome di Pompeiano.* C

Che s' altri mi richiede, donde adunque originata io pensi tal denominazione, dirò che da null' altro, se non dal comparir questo edifizio tra tutti gli altri, quel ch' era tra le statue un Colosso, e dall' uso antico di chiamar così tutto ciò, ch' eccedesse in grandezza. Vennemi questo pensiero gran tempo fa nel leggere in Svetonio, come a tempo di Caligola Esio Proculo per l'insigne ampiezza, e bella forma del suo corpo, D *veniva chiamato* Colossero, o Colosseo; *come forse in quel luogo dee scriversi. Osservai parimente nell' Epistole di Cassiodorio, come un Personaggio per nome* Colosseo *vien detto* prepotente di forze, *cioè robustissimo; onde appare, che per l' istesso motivo era stato così cognominato. In oltre Vitruvio chiama* pesi più colossei *i pesi maggiori; con che dimostra, che si usava il nome di* colosso *per esprimer cosa grande, appunto come in Greco usansi talvolta nelle voci composte i nomi di* cavallo, *e di* bue. *Mi accertai del tutto scorrendo poi l' Istoria d' Erchemperto Monaco dell' edizione di Camillo Pellegrini, re-* E *plicata ora nel tomo secondo delle* Cose Italiche; *perchè due volte in essa chiamasi* Colosso *(forse è da legger* Colosseo*) l' Anfiteatro di Capua, dove non era certamente il Colosso di Nerone. Appar però manifestamente, come si dava tal nome a gli Anfiteatri dal popolo, per la lor maraviglios a altezza: di quella del Romano affermò Calpurnio nell' Egloghe, che superava la cima del monte Tarpeo, e parea giugnesse al Cielo. Tanto io avea scritto mesi sono; quando mi arriva da Capua, speditomi gentilmente dal Magistrato degnissimo di quella Città, e dal no-* F *bil Capo di esso Giuseppe di Capua Capece, il libro novamente uscito del Canonico Alessio Mazochio sopra quell' Anfiteatro. Questo libro è così dotto, e così elegante, che debbon rallegrarsene quegli animi nobili, i quali godono in vedere a qual segno sian'oggi in Italia le lettere. Ora nel punto del nome di Colosséo dato all' Anfiteatro Romano, trovo tener quell' Autore tal' opinione assertivamente, e provarla co' passi di Vitruvio, e d' Erchemperto, e singolarmente coll' interpretazione data da Esichio della voce κο-*

ad vocem *κολοσσία* adhibita corroborare; adeoque in hac me sententia omnino confirmavi.

Quoniam tamen haud esset prorsus incredibile, a colosso, ut vulgo credunt, forte nomen suum accepisse Amphitheatrum, addam hic, si res ita esset, non a Neronis, sed potius a Titi colosso denominationem desumpsisse. Hujus rei fortasse indicium habemus ante oculos in duobus ab initio positæ tabulæ nummis, qui præseferunt figuram olivæ ramum manu tenentem, & sella curuli armorum acervo imposita sedentem. Hac referri colossum Titi verosimile est. Figuram huic simillimam, sellaque curuli pariter insidentem cernere licet in numo in honorem Tiberii percusso cum hac epigraphe: *Civitatibus Asiæ Restitutis:* in quo Tiberii vultus optime sese prodit, cum numus hic ab industrio peritoque artifice elaboratus inveniri soleat: quare manifestum puto in eo referri statuam ipsi erectam ob Asiæ urbes terræmotu dirutas ab eodem restitutas. Statuam hanc colosseam fuisse, conjici potest ex alterius similis base marmorea anno 1693. Puteolis reperta, imaginibus earum urbium circum sculptis insignita, & epigraphe in fronte, a Bulifone, ac Fabretto edita, de qua librum integrum conscripsit Laurentius Gronovius. Quare haud crediderim revocari in dubium posse, colossum non fuisse pariter similem Titi statuam. Referebat autem, colossos sedentes facere: sic enim Artifices facilius poterant moles illas firmare, & a casu tueri: de colosso Martis sedente mentionem facit Plinius. Hinc afferri *l. 36. c. 5.* lumen poterit figurarum sedentium in aliquibus numis significationi. Figuram similem manu pariter ramum tenentem, divinitatis insignibus, radiata corona, hastaque sive sceptro ornatam ambiunt circum verba hæc: *Divus Augustus Vespasianus*: ex quo videtur clarum esse, exprimi statuam ejus, Senatus decreto ipsi erectam, quemadmodum inversa prodit numi pars, in qua media nihil aliud visitur, nisi SC. colosseam vero fuisse, tum qui decrevit, tum ille, cui decreta est, facile suadere potest. In numo Augusti adeo vulgari, in quo figura similis cernitur, sella pariter, ac numo Titi, curuli sedens, & olivæ ramum manu tenens, si integre servatus sit, Augusti facies dignoscitur: ex quo liquet statuam ipsius referri ipsi post mortem dicatam *consensu Senatus* *l. 54.* *& equestris ordinis, Populique Romani*. Sic ipsi vivo excitatæ aliæ sunt, *singulis conferentibus*, ut Dion tradit. Augusti colossum nominat Martialis, Domitiani statius. Partim marmoreos, partim vero ex metallo octoginta octo colossos fuisse Romæ affirmat Publius Victor; talesque ferme fuere omnes Imperatorum statuæ. Sic statuam poni sibi in Hierosolymorum Templo mandaverat Caligula, aliamque in Judææ urbe Jamnia, ut refert Philo. Ælio Vero erigi *statuas* *Legat. ad C. Spart.* *colosseas* ubique jussit Adrianus. Ejusmodi fuisse statuam Titi in parte ab Amphitheatro aversa expressam, & fuisse rem insignem ac singularem, atque ad Aphitheatrum præcipue referri, ex eo colligi videtur posse, quod bis in duobus nummis inter se differentibus (quorum alter vivo ipso cusus est, nec adhuc vulgatus erat, alter post ejus excessum, ut ex Tabula ab initio posita clarum est) expressa, atque Amphitheatro semper conjuncta conspiciatur. Ad ea, quæ hactenus dixi, confirmanda, afferam locum alium, cui multum inest ponderis. Legimus ergo apud Xiphilinum, Vespa- *In Vesp. καὶ τὸ εἶδος οἱ μὲν τὸ τοῦ Νέρωνος, οἱ δὲ τὸ τοῦ Τίτου ἔχειν.* siani tempore in via sacra, prope quam Amphitheatrum erat, positum fuisse colossum altitudine pedum centum, *quem aliqui ajebant formam habuisse Neronis, alii formam Titi:* In ea igitur

A *λοσσία, per lo che mi sono ampiamente confermato in questa sentenza.*

Poichè però non sarebbe anche del tutto incredibile, che da un Colosso, come volgarmente stimasi, avesse per qualche accidente desunta l'Anfiteatro sua denominazione, aggiungerò qui, che quando pur così fosse, non certamente di Nerone, ma l'avrebbe più tosto presa dal Colosso di Tito. Ne abbiam forse un indizio dinanzi agli occhi nelle due prime Medaglie della premessa tavola, che ci dimostrano figura con ramo d'ulivo in mano, sedente in sedia curule, e questa collocata sopra varie armi. E' probabile rappresentarsi per essa un Co- B *losso di Tito. Figura simillissima, e pur sedente sopra sedia curule si vede nella Medaglia battuta a onor di Tiberio, con le parole* Civitatibus Asiæ Restitutis; *nella quale il volto di Tiberio ottimamente si riconosce, solendosi trovar tal Medaglia d'ottimo e valente artefice; onde credo manifesto rappresentarsi in essa una Statua, erettagli per aver sovvenute le Città d'Asia ruinate dal terremoto. Che tale statua fosse colossea, si può arguire dalla base marmorea d'altra simile scoperta nel 1693. in Pozzuolo, con le immagini di quelle Città scolpite all'intorno, e Iscrizione in fronte data fuori dal Bulifone, e dal Fabretti, e sopra la quale un libro scrisse Loren-* C *zo Gronovio. Non crederei però da porsi in dubio, che Colosso non fosse anche la statua somigliante di Tito. Tornava bene agli artefici di fare i Colossi sedenti, potendo in tal modo dar più facilmente consistenza a quelle machine, e sicurezza: d'un Colosso di Marte sedente fa menzion Plinio. Potrà intendersi con questo lume il significato in alcune Medaglie delle figure sedenti. Una simile pur con ramo in mano, e con insegne di divinità, corona radiata, ed asta, o debba dirsi scettro, ha intorno* Divus D Augustus Vespasianus; *onde par chiaro, rappresenti una statua di lui, erettagli per decreto del Senato, come indica il riverso, che non altro ha in mezo, se non SC. e che fosse colossea può arguirsi da chi l'ordinò, e in grazia di chi fu ordinata. In quella tanto volgare d'Augusto, ove simil figura si vede, e pur come quella di Tito sopra sedia curule, e con ramo d'ulivo in mano, quando sia conservata perfettamente, la faccia d'Augusto si ravvisa; ond'è chiaro, che una statua di lui ci mostra parimente consecratagli dopo morte* consensu Senatus & Equestris Ordinis, Populique Romani. *Così gliene furono eret-* E *te lui vivente,* contribuendo ognuno il denaro, *come si ha in Dione. Colosso d'Augusto nomina Marziale, di Domiziano Stazio. Tra di marmo, e di metallo ottantotto Colossi afferma fossero in Roma Publio Vittore; e tali furono per lo più le solenni statue degl'Imperadori. Così avea ordinato Caligola, che si ponesse a lui nel Tempio di Gerusalemme, e così in Giamnia altra Città di Giudea, come riferisce Filone. Ad Elio Vero comandò Adriano, si ponessero* statue colossesche *da per tutto. Che tal fosse la statua di Tito figurata dall'altra parte dell'Anfiteatro, e che fosse cosa molto notabile, e singolare, ed avesse par-* F *ticolar relazione con l'Anfiteatro, par si riconosca dal vederla replicata in due Medaglie differenti, l'una battuta lui vivente, che non si era veduta ancora, l'altra dopo morte, come nella premessa tavola si può osservare, e sempre unitamente coll'Anfiteatro. Per ultima conferma di quanto ho detto, addurrò un passo ancora molto stringente. Leggesi in Dione compendiato, che a tempo di Vespasiano fu collocato nella via Sacra, su la quale appunto era l'Anfiteatro, un Colosso di cento*

tur parte Titi colossus commemorabatur, quem A credibilius est fuisse Titi, cum a Vespasiano positus esset. Hæc ut ita sint, attamen priorem illam sententiam de Colisei nuncupatione, & multo verosimiliorem, & gravioribus nixam esse fundamentis puto.

CAP. V.

Amphitheatri Instaurationes, ac numi ejusdem forma insigniti.

AMphitheatro sæpe usus est Domitianus, B editis in eo spectaculis inusitatis, cujusmodi fuere navale prælium, venationes, *Suet. Dom. c. 4.* gladiatoresque noctu ad lychnuchos, pugnæque non virorum modo, sed & fœminarum; quod repetitum est postea, vetitumque rerum potiente *Xiph. in Sev.* Severo. De magnificis sumptuosisque ludis Trajani, Adriani, Antonini Pii, Marci, Commodi, Gordianorum, Probi, aliorumque loquuntur, qui Augustorum Historiam conscripserunt; quibus, ubi numerum referunt virorum ferarumque pugnantium, haud ita facile assentiendum est, *lib. 43. ταῦτα γὰρ αἱ τοιαῦται ἐπὶ τὸ μεῖζον κομπῶσι.* cum sapienter moneat Dion, famam augere res, C & morem fuisse eorum temporum, talia exaggerare referendo. Septimius Severus edidit primum Corocottam belluam indicam, atque in Amphitheatri arena receptaculum in navis morem construendum curavit, quo dissoluto repente prodire visæ sunt quadringentæ Feræ omnium generum: credo tamen pro quadringentis legi oportere quadraginta in Xiphilino: inquit enim centum singulis diebus in iis ludis fuisse occisas, ut proinde die uno quadringentæ occidi non potuerint. Navim illam exprimit Severi numus a Mezabarba relatus.

Sed ut veniamus ad Amphitheatri instauratio- D nes, prima facta est ab Antonino Pio, de qua meminit Capitolinus. Huic Imperatori nimium tribuit Auctor libelli hujusmodi argumento præfixi in Græcis Antiquitatibus Gronovii, cum ipsi molimen Colissei tribuat: sed ille idem & Terentium in Amphitheatro Comœdiam egisse scribit. Sequitur instauratio Elagabali a Lampridio commemorata *post exustionem*; id est post insigne detrimentum a fulmine illatum, quod sub initium Imperii Macrini Amphitheatrum deformaverat, ut in Dionis Fragmentis legimus. Fortasse instauratio hæc ab Elagabalo perfecta non fuit, sed E ab Alexandro Severo, qui in imperium successit: ejus enim habemus numum cum Amphitheatro. Plures sane superiorum Principum ædes ab illo fuisse instauratas narrat Capitolinus, ac Lampridius ædibus spectaculorum reficiendis ait illum addixisse vectigal, quod solvebant meretrices; fortasse quia prope ea loca degerent. Ait etiam post interfectos duos Gordianos, ab eo, qui primus in Senatu diceret, reprehensum Consulem, qui in eo tumultu de rebus minus gravibus *Amph. c. 6. Pr. Num. Diss. 3. c. 7.* ageret, in quibus non *de ædificatione*, ut locum hunc Lipsius & Spanhemius afferunt, (quibus verbis vis alia subjecta esset) sed *de exædifica-* F *tione*, hoc est de manu ultima Amphitheatro imponenda. Credibile autem est, ultimam hanc manum ejus instaurationi impositam fuisse imperante Gordiano Pio ex insigni quodam majore Numismate, quod extat cum Amphitheatro; ac licet vox *Munificentia* in eo inscripta videatur ludos editos designare, aliorum tamen numismatum cum hoc ædificio convenientia facit, ut eo modo, quo dictum est, accipi debeat; præsertim cum in Vita Gordiani non de ludis ab eo edi-

piedi, quale alcuni diceano aver avuto l'effigie di Nerone, altri di Tito. *Ecco però che d'un Colosso di Tito in quella parte c'era memoria, e di Tito è più verisimil fosse, mentre fu inalzato da Vespasiano. Non ostanti però tutte queste considerazioni stimo assai più verisimile, e meglio fondata intorno al nome di Coliséo la prima sentenza.*

CAPO QUINTO.

Restaurazioni dell' Anfiteatro, e Medaglie con esso.

GRand' uso del nuovo Anfiteatro fece Domiziano, e con bizarri spettacoli, come di pugna navale, e di Fiere, e Gladiatori in tempo di notte co' lumi, e non d'uomini solamente, ma di donne ancora, il che fu poi rinovato, e proibito sotto Severo. Delle maravigliose sontuosità di Trajano, Adriano, Antonin Pio, Marco, Comodo, e de' Gordiani, e di Probo, e d'altri parlano gli Autori dell'Istoria Augusta, ne' passi però de' quali non siamo in conscienza tenuti sempre a credere esattamente il numero degli uomini, e delle bestie, per una salutare avvertenza, che ci dà Dione, della fama amplificatrice, e dell'uso che correa d'ingrandir sì fatte cose nel riferirle. Settimio Severo fece veder per la prima volta la Corocotta animale Indiano, e fece nella piazza dell' Anfiteatro costruire un ricettacolo in forma di nave, dalla quale disfatta in un subito si videro uscir quattrocento Fiere d'ogni spezie: credo però doversi legger quaranta in Sifilino, perchè segue che se n uccisero in tutto cento al giorno, onde non quattrocento in un solo. Si rappresenta quella nave in una Medaglia di Severo riferita dal Mezabarba.

Ma venendo alle ristaurazioni, prima fu quella d' Antonin Pio rammentata da Capitolino. Troppo liberal con quell' Imperadore fu l' Autor del libretto, premesso a tal materia nelle Antichità Greche del Gronovio, attribuendo a lui la fabrica del Coliseo, ma colui scrive ancora, che Terenzio fece recitare una sua Comedia nell' Anfiteatro. Segue la ristaurazion d' Elagabalo notata da Lampridio dopo abbruciamento; *cioè a dire, dopo il gran danno patito dal fulmine, che avea deformato l'Anfiteatro sul principio dell' Imperio di Macrino, come si ha ne' frammenti di Dione. Forse tal risarcimento non fu compito da Elagabalo, ma ben dal successore Severo Alessandro, poichè di esso Medaglia abbiamo con l' Anfiteatro. Dice in fatti di lui Capitolino, che più fabriche ei ristorò degli anteriori Principi; e dice Lampridio, che deputò alle ristorazioni degli edifizj destinati a' spettacoli la gabella che pagavano le meretrici, forse perchè a tai luoghi abitar soleano. Dice questi altresì, che dopo uccisi i due Gordiani, fu ripreso da chi primo parlava in Senato il proporsi dal Console in tempo di tal rivoluzione cose di minor rilevo; una delle quali fu,* non de ædificatione, *come citano questo passo Lipsio, e Spanemio, che farebbe diverso senso,* ma de exædificatione, *cioè del dare l ultimo stabilimento all' Anfiteatro. Credibil cosa è, che quest' ultima mano alla sua reintegrazione fosse poi data sotto Gordian Pio per l insigne Medaglione, che di lui abbiamo con l' Anfiteatro, e benchè la parola, ch' è in esso, di* Munificenza, *sembri alludere a' Giuochi fatti, la corrispondenza però dell' altre Medaglie con tal' edifizio fa, che più tosto debba intendersi come ho detto: e tanto più che non fa menzione Capi-*

tolino

tis, sed ab eo tantummodo paratis mentionem faciat Capitolinus, ad quos celebrandos cum essent in promptu mille Gladiatorum paria, & magna copia belluarum, tanto apparatu usus est postea in ludis sæcularibus Philippus. In Chronico Eusebiano præter exustionem superius commemoratam in Amphitheatro, aliam habemus Decii tempore contigisse; sed de damni ab ea illati reparatione nihil invenio apud Scriptores. Quid esset illud, quod, si forte incendium fieret, conflagraret, & quare tam sæpe refici Amphitheatrum oporteret, ostendemus alio loco. Postrema damni Amphitheatro irrogati mentio ea est, quæ fit in quadam Constantini lege an. 321. cum Maximus Romæ Præfectus detulit, tactum de cælo, hoc est ictum fulmine Amphitheatrum fuisse; quæ res deferebatur, ut præsagium explicaretur, cujus vis inesse fulminibus credebatur. De Instauratione vero postrema mentio haberetur in quodam monumento lapideo, quod proditum est, olim Romæ possedisse Ciampinum, in quo instauratum Colosseum a Theodorico commemoretur. Haud est incredibile, factum id fuisse, cum Regi illi ædes curæ fuerint, præsertim Romæ, uti constat ex Variis Cassiodorii: sed monumentum illud inter Ciampini monumenta nunquam fuit; de qua re dubitare nos non sinit Blanchinus, qui ejus necessarius fuit, quique eo mortuo, omnia monumenta quam diligentissime collegit, ut illis egregium Cardinalis Alexandri Albani Museum quasi novis opibus ditaretur. In quadam Fabretti Inscriptione legitur *Vilicus Amphitheatri*, genus sane provinciæ nunquam visum antea, eumque significat, ad quem Amphitheatri custodia & cura pertinet. Defensorem curatoremque designatum Vilici nomine fuisse ætate Cassiodorii novimus. Munus *subvilici* visitur in insigni quodam monumento a paulo ante commemorato Blanchino edito ad calcem *Inscriptionum Sepulcralium Augusti familiæ officialium*.

Cod. Th. de Pagan. l.1. de tactu Amphitheatri.

Insc. p.3.

Var. l.5. 39.

Animadverterit opinor prudens lector, quanta, quod ad hanc materiam attinet, ex numis colligatur utilitas, rursusque in iis, quæ dicenda erunt, animadvertet. Ab his ergo exordium capere debuerat, quicunque hac de re instituit agere, etsi unus Panvinius, qui provinciam hanc aggredi in animo habuit, sibi duxerit id esse faciendum, ut propterea in Tractationem de ludis circensibus non solum numos circo insignitos, verum etiam numos Titi, Domitiani, & Alexandri Amphitheatrum habentes retulerit: numus Gordiani nondum ea ætate vulgatus erat. Nullum ille descripsit Vespasiani viventis, sed unum ejusdem inter Divos relati, qui etsi hodierna die non conspicitur, haud est tamen incredibilis. E re igitur futurum existimavi, si, quandoquidem præter reliquias nihil nobis superfuit ex Amphitheatris, ante cætera ponerem ob oculos totius ædificii formam, eamque in omnibus illis numis, in quibus adest, exhibere, quo etiam historiæ possit inde aliquod lumen afferri. Ejusdem sunt magnitudinis expressæ formæ ac numi ipsi. Qui primum locum in adjecta tabula obtinet, nunquam antehac aut conspectus, aut vulgatus est. Numus Titi Divi in Museis non paucis servatur, sed hic vivo illo, atque in postremo ejus consulatu, qui fuit octavus, cusus est. Crassior est, quam soleant reliqui, adeo ut enumerari in numis maximi moduli videretur posse, si crassitudini amplitudo responderet; sed amplitudine contra cæteris majoris moduli concedit. Sincerum esse dubitaverit nemo; atque idem unicus est, quod ego sciam: hunc possidet Venetiis Vir nobilis Christinus Martinellus, cujus humanitati tam præclarum

A *tolino nella vita di Gordiano di spettacoli da lui celebrati, ma solamente di preparati, con mille coppie di Gladiatori, e quantità di strane bestie, delle quali poi ne' Giuochi secolari si servì Filippo. Nel Cronico Eusebiano oltre all' incendio sopramentovato nell' Anfiteatro, altro se ne registra avvenuto in tempo di Decio; della riparazion del quale niente so veder notato negli Scrittori. Cosa fosse ciò, che in tali incontri s'incendiava, e perchè di così spessi risarcimenti bisogno avesse l'Anfiteatro, mostreremo altrove. Ultima memoria di danno patito è quella, che abbiamo in una legge di Constantino*

B *dell' anno 321. quando Massimo Prefetto di Roma dinunziò, essere stato tocco dal Cielo l'Anfiteatro, cioè percosso dalla saetta; di che si dava avviso per la forza di presagio creduta ne' fulmini, con necessità d' interpretazione. Di risarcimento si avrebbe l'ultima menzione in una Lapida, ch' è stato scritto possedesse già in Roma Monsignor Ciampini, ove menzion si faccia d' aver già ristaurato il Colosseo Teodorico. Non è inverisimile, che ciò avvenisse, mentre quel Re ebbe particolar cura degli edifizj singolarmente in Roma, come si vede nelle Varie di Cassiodorio: ma tal Lapida tra quelle del Ciam-*

C *pini non fu mai, di che m' assicura il nostro Monsignor Bianchini, che fu suo amicissimo, e che dopo la sua morte andò con somma diligenza a raccoglierle, per farle acquistare all' incomparabil Museo del Cardinale Alessandro Albani. In una Iscrizion di Fabretti si ha* Vilicus Amphitheatri; *ufizio non per avanti veduto, e vuol dir colui, che n'avea custodia, e cura. Per difensore, e conservatore si trova usato il nome di Vilico a tempi di Cassiodorio. Ufizio di* Subvilicus Sottocustode *vedesi in una insigne lapida, publicata dal pur' or nominato Bianchini*

D *nel fine delle* Iscrizioni Sepolcrali d' Ufiziali della casa d'Augusto.

Averà già osservato il Lettore accorto, quanto si ricavi dalle Medaglie in questa materia, e avvertirallo nel decorso altre volte ancora. Da queste però dovea far principio chi ne ha trattato, benchè il solo Panvinio, il quale avea in animo di trattarne, di ciò si avisasse, ponendo insieme nel Trattato de' Giuochi Circensi non solamente quelle, ch' hanno il Circo, ma quelle di Tito, di Domiziano, e d' Alessandro coll' Anfiteatro: l'altra di Gordiano non era in

E *quel tempo ancor data fuori. Niuna ne registrò egli di Vespasiano vivente, ma ben una di lui già deificato, che non è punto incredibile, benchè non si vegga in oggi. Ho dunque creduto a proposito, già che d' Anfiteatri non ci restano più che reliquie, di mettere prima d' altro innanzi a gli occhi l' immagine dell' edifizio intero, e di metterla in tutte quelle Medaglie, ove si ritrova, perchè si possa anche per l' istoria ritrarne lumi. Sono nell' istessa grandezza de gli originali. La prima, che apparisce nella premessa tavola, non è più stata veduta, nè publicata. Quella di Tito Di-*

F *vo conservasi in non pochi Studj, ma questa fu coniata lui vivente, e nell' ultimo suo Consolato, che fu l'ottavo. E' grossa più dell' ordinario, talchè sarebbe Medaglione, se corrispondesse la larghezza, ma in questo è all' incontro minore dell' altre grandi. Per sincerità è indubitata, ed è unica per quanto finor si sappia; degnamente posseduta in Venezia dal Nobiluomo Cristin Martinelli, alla gentilezza del quale dovranno averne l' obligo*

monumentum debent eruditi. Secundus Titi numus, qui & mediocris moduli invenitur, etsi rarus admodum sit, minus tamen rarus est cæteris: exemplar autem ipsum numi hoc loco expressi, quod ego ob admirabilem pulchritudinem diligentissime tueor, rarissimum evadit, tum quia magnitudine reliqua nonnihil superat, tum quia plumbeum est. Vir quidam in hac re versatissimus, atque omnium hujusce ætatis fortasse peritissimus, cum Musei cujusdam opes quanti essent, æstimaret non emendi caussa, sed solius domini erudiendi, multo pluris se facere dixit plumbeum hunc numum, quam alium pulcherrimum ex metallo. Primum atque indubitatum veritatis testimonium illud est, quod multo levior, si cum æquali plumbi minus antiqui mole compararetur, invenitur; alterum est inimitabilis illa, qua oblitus est, patina, ut vulgariter dicam, cui nimirum tribuenda conservatio est præter morem plumbi antiqui, & levitas non tanta ipsius numi, quanta aliorum solet esse, cum plumbeum Mithridatis numum ego habeam, cujus sane levitas incredibilis est: sed in eo, de quo loquimur, concretio circumlita particularum effluxionem cohibuit.

Reliqui tres numi servantur in Museo Magni Ducis, quod procul dubio puritate ac sinceritate longe præstat cæteris, quæ uspiam sunt, in quo tamen & secundus Titi numus adest, non autem Vespasiani, aut alii, qui venditantur. Designandos curavit Sebastianus Blanchius, ejusdem Musei custos, vir non scientia minus, quam humanitate commendabilis. Scio, mirаturos fortasse multos, paucis hisce numis contentum me fuisse, cum plures alii inveniantur in libris scriptorum: undecim certe descripsit Mezabarba. Sed illud indubitatum sit, præterquam in hisce quinque, difficile factu esse, ut in numo ullo sinceræ notæ reperiatur Amphitheatrum, ac reliquos hactenus venditatos vel esse confictos, vel male perceptos ab illis, qui se Amphitheatrum putant videre, ubi non est. Nonnullos offendi, qui in extremum alterum prolabentes, ob copiam exemplorum, quæ circumferuntur, quæque etiam in celebrioribus Museis asservantur, in nullo putant antiquo numo Amphitheatrum reperiri. At Raphael Volaterranus, qui ante floruit, quam scelerata Falsariorum natio artem suam exercere inciperet, se in aversa numi antiqui parte Amphitheatrum conspexisse affirmavit. Numi hoc loco a me descripti peritiorum in hac arte virorum judicia subierunt. Quatuor Florentini probati omnes, relatique sunt etiam a Vaillantio, ille præsertim Domitiani rarissimus, de cujus sinceritate neminem sinit ambigere genus sandarachæ prope nigræ, quam æmulari nondum didicere Falsarii. Tum ex consulatu septimo, tum ex eo, quod titulus Augusti adjectus non conspicitur, facile intelligimus numum ante obitum Titi fuisse cusum, delato etiam ipsi honore Fratris ob tantum ædificium. Artes in deterius jam prolapsas indicant reliqui duo. In ipsis exprimitur forum, atque in uno vir cum bellua decertans, in altero taurus, atque elephas, cui vir insidet. Numus Severi Alexandri duas figuras exhibet, Amphitheatrum, ut videntur, ingressuras, pone quas figura alia aditum tueri videtur, & qua, licet obscura sit, & corrosa, indicium est Herculem referri. Herculem sane clava armatum videtur referre etiam colossus ille, qui in numo postremo conspicitur. Maximi moduli numus Gordiani ipse quoque a Senatore Bonarota illustratus Circum Herculeæ Ponti præsefert, in eoque Herculis pariter statuam. Hanc nostram vocavi colossum, quia colossi formam exhibet; illudque no-

Comm. Urb. l. 6.

gli eruditi. La seconda di Tito, che trovasi anche mezana, benchè assai rara, è però la men rara d'ogni altra: ma rarissimo diventa l'originale, ch'io conservo della qui rappresentata per l'incomparabil conservazione, per essere alquanto più grande dell'altre, e per esser di piombo. Il più sicuro Pratico, che forse a' nostri giorni si sia veduto, nella stima, che per semplice instruzione del possessore, e non già per occasion di contratto, fece d'uno Studio, apprezzò questa assai più d'altra bellissima di metallo, che pur vi era. Primo e infallibil testimonio di verità è la leggerezza in paragone d'altrettanto piombo non antico; secondo è la patina inimitabile, che la veste. A tal patina dee attribuirsi la conservazione contra l'uso de' piombi veramente antichi; e altresì il non esser però la Medaglia tanto leggera, come altre sono, avend'io un Mitridate di piombo, la cui leggerezza è incredibile; ma in quella, di cui parliamo, si è dalla patina impedita in parte l'evaporazione.

L'altre tre Medaglie si custodiscono nel Museo del Gran Duca, che senza dubbio è il più depurato e sicuro, che si trovi in nissuna parte, e che ha però anche la seconda di Tito, ma non quella in Vespasiano, nè altre che si vantano. A' disegni ha assistito il Signor Bastiano Bianchi, degno custode di quel tesoro, e non men commendabile per l'intelligenza, che per la cortesia. So che molti si maraviglieranno, perchè queste sole io abbia poste, mentre più altre se ne veggon ne' libri: undici ne registrò il Mezzabarba. Ma abbiasi per indubitato, che fuor di queste cinque difficilmente si troverà l'Anfiteatro in Medaglia sincera; e che l'altre finora pretese, o sono imposture, o sono equivoci di chi vede l'Anfiteatro dove non è. In alcuni mi son avvenuto, che dando nell'estremo opposto, per la quantità di copie che vanno in giro, e che anche in famose raccolte si tengono, hanno opinione, che non si trovi l'Anfiteatro in Medaglia antica. Ma Raffael di Volterra, il qual fiorì avanti che la scelerata generazion de' falsarii a tai lavori ponesse mano, affermò d'avere osservato nel riverso d'antica Medaglia l'Anfiteatro. Le qui esibite son passate per la trafila de' pratici più rinomati. Le quattro di Firenze furono approvate, e registrate tutte anco dal Vaillant, e spezialmente quella di Domiziano rarissima, che si rende incontrastabile per una forte patina quasi nera, della quale non hanno i falsarii trovato ancora il secreto. Il Consolato settimo, e il non vedervisi titol d'Augusto, la mostrano battuta avanti la morte di Tito, comunicato anche a lui l'onor del fratello per tanto edifizio. L'altre due mostrano l'arti già decadute. Si fa in esse veder la piazza, e nell'una uomo che combatte con belva, nell'altra toro, ed elefante con uomo sopra. Quella di Severo Alessandro ha due figure, che sembrano andar nell'Anfiteatro, e una terza indietro, che par custodisca l'ingresso, e se bene oscura per corrosione, dà indizio d'esser Ercole. Ercole in fatti con la clava par si rappresenti anche dal Colosso che si vede nell'ultima. Medaglione pur di Gordiano, illustrato dal Senator Bonarroti, mostra un Circo in Eraclea di Ponto, e in esso altresì una statua d'Ercole. Ho chiamata la nostra Colosso, perchè tale apparisce, ed è notabile, che appunto nell'istesso

tatu dignum, quod eodem situ marmoreum caput colosseum excavata humo repertum est annis superioribus prope nostri hujus Veronensis Amphitheatri ingressum.

Postremus Gordiani Pii est, numus maximi moduli editus pariter juxta Florentinum ipsum exemplar, atque a Spanhemio celebratus, qui tamen nullas sub fornicibus statuas expressit, sed vacuos reliquit. Hunc eundem præstantissimum nummum, sed alterius cusoris, aliisque præterea quibusdam rebus insignitum, atque integrum possidet Cardinalis Alexander Albanus. Cum is numi hujus formam accurate expressam atque elaboratam perhumaniter ad me misisset, eam ipse in Tabula adjiciendam curavi. Observatu digna figura illa est, quæ inter spectatores visitur, & qua referri Imperator sedens videtur. Eam subobscure conspici etiam in numo Magni Ducis, colligo ex Spanhemio, qui tamen minus recte extare inquit Senatores, & quidem in *Orchestra*, de qua dicetur loco suo. Colossus, qui ex una parte conspicitur, caput habet præcinctum radiis: quare videretur Apollinis esse; non tamen credibile est, Neronis colossum esse a Vespasiano dicatum Apollini: illi detractum a Commodo caput erat, qui suum ipsi imponi jusserat. Illud observo potissimum, nullas circum conspici statuas, conspici tamen columnas retro in medio, quasi ex latere aspiceretur, & apparerent etiam columnæ secundorum arcuum: quod confirmant secundæ portæ in plano terreno, quæ oblique occurrunt oculis; interiora tamen recta repræsentantur. Fortasse ejusmodi secundæ columnæ creditæ statuæ sunt ab iis, qui ex aliquo alio numo minus integro formam præclari hujus monumenti descripsere. Dignissimus, qui observetur, clypeus etiam est, quo caret numus Florentinus. In eo conspicitur Imperator equo insidens, ante quem Victoria, sertum manu tenens, pone vero miles Imperatorem sequitur. In alio moduli maximi numo, quem vidi ipse, ejusdem Gordiani, figuræ istæ aversam partem formant; atque hinc apparet desumptum fuisse exemplum earundem hac ratione exprimendarum etiam in clypeo Probi.

Silentio prætereundum non est ædificium, quod in tribus primis numis ex una parte conspicitur, ac meta, quæ ex alia: duos fontes esse putavit Volaterranus. De rebus hisce haud sane potest quidquam certi & explorati afferri. Ex his alteram veteres Antiquarii omnes retulerunt ad Metam sudantem, cui illas muri reliquias, quæ adhuc Romæ supersunt haud procul ab Amphitheatro, unde putant aquam manasse, tribuunt. Figura certe, quæ hic conspicitur, ad illa proxime accedit, quæ extat in aversa parte numi Titi octavum consulis; nihil tamen ausim affirmare pronunciare, cum Metam sudantem Victor & Rufus statuant in Regione diversa ab Amphitheatro. Huc accedit, in Chronico Cassiodorii Metam sudantem in numerum referri ædificiorum *insignissimorum*, ac præcipuorum, ut majus quiddam fuisse videatur, atque iis accenseri, quæ vel constructa, vel instaurata sunt nono Domitiani consulatu: quare si tunc fuisset constructa, esse in numis Titi non posset; vel si instaurata, haud ita recens erectam fuisse credendum esset. Bosius, atque Arringhius citant acta manuscripta Sancti Restituti, in quibus Meta sudans nominatur; locus tamen, ubi illa esset, non nominatur. Numus hic conspectus est ita expressus, ut pro lilio figura summæ metæ insisteret.

Sed de columnis sibi mutuo impositis, veluti Porticum duplicis plani constituentibus, quæ vi-

sito testa colossesca di marmo si è disotterrata anche all' ingresso del nostro Anfiteatro di Verona quest' anni addietro.

L' ultima è di Gordian Pio, Medaglione dato fuori parimente su l' istesso originale di Firenze, e celebrato dallo Spanemio, il quale però non mostrò in esso statue sotto le arcate, ma le fece vacue. D' altro conio, e con qualche cosa di più, e molto conservato possiede questo nobilissimo Medaglione il Signor Cardinale Alessandro Albani. Essendosi lui degnato di mandarmene un' esatto disegno, e con l' assistenza di lui stesso lavorato, l' ho aggiunto nella Tavola. E' osservabile quella figura, che si vede tra gli spettatori, e da cui sembra denotarsi l' Imperador sedente. Che un' ombra di essa si veda anche in quello del Gran Duca, ricavo dallo Spanemio, il qual però men bene disse, che vi si veggano i Senatori, e questi nell' Orchestra, *di che si parlerà a suo luogo. Il colosso, ch' è da una parte, ha raggi intorno al capo, onde mostrerebbe esser d' Apollo; ma non però è da credere, che sia il colosso di Nerone mutato in Apollo da Vespasiano, perchè a quello era già stata levata la testa da Comodo, che vi ripose in cambio la sua. Singolarmente osservo, come statue non ci si veggono all' intorno, ma bensì colonne indietro nel mezzo, quasi si prendesse la veduta da un lato, e si mostrassero anche quelle de' secondi Archi, il che si compruova dalle seconde porte nel pian terreno, che si mostrano in iscorcio: l' interno però si rappresenta in facciata. Forse tali seconde colonne furon credute statue da chi disegnò alcun' altro originale men conservato di questo bel monumento. Molto osservabile ancora è lo scudo, che non si ha in quel di Firenze. Vedesi in esso l' Imperadore che marchia a cavallo, con la Vittoria innanzi, quale ha corona in mano, e un soldato dietro, che lo seguita. In altro Medaglione da me veduto dell' istesso Gordiano tali figure servono di rovescio, ed appare, che di qua fu preso l' esempio per figurarle poi nell' istesso modo anche nel clipeo di Probo.*

Non è da tacere dell' edifizio, che si vede nelle tre prime da una parte, e della Meta dall' altra: per due fontane le prese il Volterrano. Di queste cose non si può per verità render sicuro conto. L' una è stata da gli Antiquarj comunemente riferita alla Meta sudante, cui attribuiscono quel torso di muro per dir così, che ancor rimane a Roma in poca distanza dall' Anfiteatro, e credono ne sgorgasse acqua. La figura certamente che si vede qui, è molto simile a quella che campeggia nel riverso d' una Medaglia di Tito col Consolato ottavo: con tutto ciò non ardirei d' asserir cosa alcuna, mentre la Meta sudante si mette da Vittore, e da Rufo in Region diversa dall' Anfiteatro. Aggiungasi, che nel Cronico di Cassiodorio si computa la Meta sudante con insignissimi *e principali edifizj, onde maggior cosa par che fosse, e si annovera tra le fatte, o ristorate nel nono Consolato di Domiziano: se fatta allora, non potrebb' essere in Medaglia di Tito, e se ristorata, non dovrebbe credersi eretta sì di recente. Bosio, e Arringhi citano Atti a penna di S. Restituto, in cui si nomina la Meta sudante; ma senza dire in qual sito fosse. E' stata veduta questa Medaglia con una figura in cima della Meta in vece del giglio*

Ma delle colonne sovraposte, quasi Portico a due piani, che si veggon dall' altra parte,

ſuntur in parte altera, nihil hactenus dictum eſt. A Communis opinio, per eas indicari ædificium ſeparatum, uti reapſe in numis quandoque apparet, me quoque tenuit, & cogitatione modo huc modo illuc impulit. Videbantur primum habere multum affinitatis cum Baſilicis, quemadmodum ex Æmilia Pauli, quæ in Conſularibus extat, clarum eſt: erant autem Baſilicæ quædam publicæ ſumptuoſæque porticus, in quas concedebant cives, ut ſe alloquerentur mutuo, deque rebus ſuis agerent. Suſpicatus ſum tamen in hæc loca quandoque conceſſiſſe ab Amphitheatro viros nobiliores, dum ſol ardentior eſſet, ibique eorumdem juſſu aliqua Gladiatorum paria digladiari B conſueviſſe: cui conjecturæ videbatur favere
l. 59. Dion, a quo diſcimus, cum ſolis æſtus intolerabilis eſſet, pro Theatro uſos fuiſſe Diribitorio. Diribitorium locus erat amplus, & tectus, in quo
R. R. l. 3, c. 2. recenſebantur milites: eidem uſui inſerviebat etiam teſte Varrone ædes illa, quæ *Villa Publica* dicebatur. At Villa publica in numis Familiæ Didiæ conſpicitur, formamque refert quam ſimillimam ædi, quam videmus proximam Amphitheatro eſſe. Deinde in mentem venit, potueritne ejuſmodi tectus locus in eum finem paratus eſſe, ut eo ſe reciperent, ſi qui forte tantiſper recreari voluiſſent incommodo diuturnioris moræ in Am- C phitheatro affecti, tum inde rurſus ad ſpectacula redire; vel ſiqui etiam reficere ſe: in publicis enim ludis potum quoque ſumere nefas putabatur: quod colligo ex quodam Quintiliani loco,
l. 6. c. 3. qui refert, de facetiis agens, Auguſtum ad illum, quem in ſpectaculis bibentem viderat, miſiſſe, qui ei diceret: *ego, ſi prandere volo, domum eo*; ac Lampridius illud ſummæ impudentiæ vertit Commodo, quod in Theatro atque Amphitheatro palam biberet. Cogitavi etiam, an illa, de qua ſermo eſt, ædes credi poſſet unum ex iis pegmatibus, quæ in ſpectaculorum uſum ponebantur in me- D dia via prope Coliſeum, ut a Martiale erudimur:
Spect. ep. 2. atque an poſſet accipi pro Apodyterio, ſine Spoliario, non in quo Gladiatores in arena mortui exuerentur, ſed in quo Actores ſuis depoſitis gladiatorias veſtes ſumerent ibi ad ejus diei celebritatem præparatas, & in quo ingrediendi ordo conſtitueretur. Lapideum monumentum ſuperiore anno prope Amphitheatrum Capuæ repertum, atque in novo paulo ante commemorato volumine illuſtratum, in quo mentio fit Apodyterii in eo ſitu, ſuſpicionem hanc mihi injecit.

Sed tandem rejectis omnib. commemoratis opinationibus, veroſimile puto, columnas illas haud- E quaquam ſejunctum ædificium referre, ſed quoddam veſtibuli genus, quod apud Græcos προπιλαῖον dicitur, ideſt veſtibulum ante januam, quod ante oſtium frequentiæ magis obnoxium erectum eſſet. Uſitatiſſimum enim fuit apud veteres in illuſtrioribus ædificiis genus aliquod frontis, quæ ſimul munimini, ſimul ornamento eſſet aditui majori. In quibuſdam ſane numis Amphitheatro apparet conjunctum, & quod caput eſt, poſtremæ duæ columnæ eundem ſitum coopertum exhibent, ratione tamen admodum diverſa: quare videtur diruto olim primo refectum fuiſſe Propilæum alia F ratione. Confirmat me in hac opinione foſſio illa, quam ego faciendam curavi Veronæ ante eam januam, quæ numi ſitui reſpondet: eruta ſunt enim fragmenta nonnullarum columnarum ex marmore Africano, quæ nec alibi, nec aliter adhiberi potuiſſe in Amphitheatro videntur. Huc accedit, & Capuæ in eodem loco repertas fuiſſe columnas. Vidi olim numum ſecundum cum duabus figuris Propylæo impoſitis: ſed quoniam viriculum ſenſerat, negligendum putavi. Haud e-

nulla finora è ſtato detto. La prevenzion comune, che moſtrino edifizio ſeparato, come veramente talvolta nelle Medaglie appariſce, tirando me ancora ſeco, in varj penſieri g à mi conduſſe. Pareami prima gran ſimilitudine aver eſſo con le Baſiliche, come dalla Emilia di Paolo, che abbiam nelle Conſolari, ſi fa chiaro: eran queſte publici, e ſontuoſi Porticali, dove concorrevano i Cittadini, per conferire, e trattar negozj. Soſpetto però mi nacque, che paſſaſſero talvolta in queſto luogo dall' Anfiteatro le perſone di maggior conto, quando il Sole era più ardente, facendo quivi combattere qualche coppia di Gladiatori, il che parea favorirſi dall' inſegnar Dione, come quando il Sole ſi rendea inſoffribile, ſolean valerſi del Diribitorio in vece del Teatro. Il Diribitorio, ampio e coperto luogo, ſerviva per le raſſegne de' ſoldati: all' uſo ſteſſo ſerviva l' edifizio detto Villa publica *per teſtimonianza di Varrone. Ma la Villa publica ſi vede nelle monete della Famiglia Didia in aſpetto affatto ſimile all' Edifizio, che veggiam proſſimo all' Anfiteatro. Penſai da poi ſe poteſſe tal coperto luogo aver ſervito di ritiro a chi volea ſollevarſi alcun poco dall' incomodo di ſtar nell' Anfiteatro sì lungo tempo, e tornarvi toſto: forſ' anco a chi volea riſtorarſi, perchè ne' publici ſpettacoli indecente coſa era ſtimata per fino il bere: lo ricavo da un paſſo di Quintiliano, ove narra, trattando delle facezie, come a colui che bevea, motto pungente mandò Auguſto, dicendo, ch' egli volendo deſinare, ſe n' andava a caſa; e Lampridio a grand' impudenza aſcrive di Comodo, ch' egli nel Teatro, e nell' Anfiteatro publicamente beveſſe. Penſai ancora, ſe la noſtra fabrica poteſſe crederſi alcuna di quelle machine, quali per uſo degli ſpettacoli ſi tenean ſu la ſtrada preſſo il Coliſeo, come da Marziale: e ſe poteſſe conſiderarſi per Apoditerio, che vien' a dire Spogliario; non già mortuale, ma in cui ſpogliati gli Attori di gli abiti uſuali, veſtiſſero i gladiatorii, e preparati per la ſolennità di quel giorno, e dove ſi metteſſe ordine alla pompa dell' ingreſſo. Lapida trovata l' anno ſcorſo preſſo l' Anfiteatro di Capua, e nel prenominato nuovo volume illuſtrata, mi ha moſſo queſto dubbio, facendo memoria d' Apoditerio in quel ſito.*

Ma finalmente rigettando tutti i ſudetti diviſamenti, ho per veriſimile, che non edifizio ſeparato ci moſtrino quelle colonne, ma una ſpezie di veſtibolo, detto Propileo, cioè Antiporta, da' Greci; quale innanzi alla più frequentata foſſe inalzato. Molto in uſo era anticamente ne' più inſigni edifizj alcuna ſorte di frontiſpizio, quaſi difeſa, e ornamento al maggiore ingreſſo. In alcune Medaglie appariſce in fatti attaccato; e quel ch' è più, l' ultime due moſtrano l' iſteſſo ſito coperto, ma in molto diverſa faccia: onde ſembra, che nel tempo inferiore caduto il primo, foſſe rifatto il Propileo in altra forma. Mi ha confermato in queſt' opinione lo ſcavamento, che ho fatto fare in Verona innanzi quella porta, che corriſponde al ſito della Medaglia; poichè pezzi vi ſi ſon diſotterrati d' alquante colonne grandi di marmo Africano, quali non altrove, nè altrimente potrebbero eſſere ſtate nell' Arena impiegate. Aggiungaſi, che a Capua ancora nell' iſteſſo luogo ſi ſon trovate colonne. Ho veduto una volta la ſeconda Medaglia con due figure ſu la cima dell' Antiporta; ma come era tocca dal bulino, co-

rit, opinor, injucundum pulcrarum rerum amatoribus, quoniam tam multa in hoc capite de numis dicta sunt, unum hic intueri omnino singularem, atque adeo unicum, quantum nosse hactenus licuit, in quo ædificii frons exprimitur columnis pariter mutuo sibi impositis, atque insulatis, quemadmodum ante Amphitheatrum conspicitur.

A

rà non ne ho fatto conto. Non sarà discaro a gli amatori delle cose belle, poichè tanto si è in questo Capo di Medaglie favellato, il vederne quì una singolare per ogni conto, anzi unica per quanto finor si sappia, nella quale la fronte d'un edifizio si rappresenta con colonne parimente soprapposte, e isolate, come innanzi all'Anfiteatro si vede.



Vaillantius porticum esse autumavit, numi formam ex hoc eodem exemplari inter suos Græcos ab ipso relata: sed admodum pravo usus est deformatore. Messalina, quæ hic *Nova Juno* dicitur, nullibi sic ad vivum expressa conspicietur; in qua modus elegans eo admirabilior est, quod numus Græcus est. Procusus est Nicææ, nomenque præsefert Proconsulis Gellii Rufi. Servatur in Thesauro Pisanorum, olim Correriorum, eumque liberalitati nobilis viri Hermolai Pisani, Senatoris præstantissimi, ac de litteris cum ob amplissimam Bibliothecam, tum ob alia multa optime meriti, eruditorum Respublica debebit acceptum referre.

B

Al Vaillant parve un portico, avendola egli riferita da questo stesso originale tra le sue Greche; ma fu molto mal servito nel disegno. Messalina, detta qui nova Giunone, *non si vedrà altrove tanto vivamente effigiata, rendendosi la bella maniera tanto più osservabile per essere in Medaglia Greca. E' battuta in Nicea, e porta il nome del Proconsole Gellio Rufo. Conservasi nel tesoro Pisani, già Corraro, e dal grande e nobil animo del Signor Almorò, Senator prestantissimo, e delle lettere per la sontuosa Libreria, e per altri titoli in più modi benemerito, dovrà il publico riconoscerla.*

C

CAP. VI.

Non fuisse Romæ nisi unicum Amphitheatrum; & quamdiu ejus usus duraverit.

Ex iis, quæ dicta sunt hactenus, illud licet colligere, quod refert maxime, Romæ nullum aliud præter Amphitheatrum Titi extitisse, si de Amphitheatro perfecto, ludisque solemnibus destinato sermo sit. Hinc de nullo alio facta mentio in numis est, nec ullius alterius vestigium extat in forma antiquæ Romæ, descripta olim in marmoreo Templi cujusdam pavimento, asservata in præsentia magna ex parte in Palatio Farnesio, atque a Bellorio vulgata: Theatra quidem tria conspiciuntur. Nimiam enimvero Amphitheatrorum copiam Romæ commentus est Philander in Vitruvium, talia ratus fuisse septem theatra lapidea, ab eo enumerata, quamvis reapse neque Theatra stabilia plura fuerint, quam tria. In hunc ordinem retulit Theatrum Cassii a Paterculo commemoratum, quod diu Amphitheatra, atque adeo Theatra lapidea etiam antevertit, neque manum ultimam accepit: retulit Theatrum Caligulæ, quod fuit Amphitheatrum, sed perfectum non fuit, ac, uti Theatrum etiam Neronis, ex ligno: Theatrum Cornelii Balbi; Claudii vero neq; Theatrum neq; Amphitheatrum commemorat Suetonius; Theatrum Exquilinum tum Philander, tum alii ajunt commemorari a Martiale, qui *humidi Theatri* solum meminit in Suburra, quod merito dubitat P. Donatus nihil aliud fuisse, nisi fontem præditum forma Theatri. Denique Philander accepit pro Amphitheatro illud, quod a Trajano constructum in Campo Martio est, & cum primum ab ejus successore Adriano destructum; cujus rei meminit Spartianus. Etiam postremus Antiquitatum collector inter Amphitheatra Romæ retulit illud Trajani; quod reapse po-

Romæ 1673 fol

In lib. 5. c. 5. Sed puto pro Amphitheatris accipienda.

Roma Vet. l. 3. c. 20.

Montf. t. 3. p. 258.

CAPO SESTO.

Come può dirsi, non fosse in Roma che un'Anfiteatro solo; e quanto ne durasse l'uso.

Da quanto finor si è detto una verità può raccogliersi molto importante, non essere stato in Roma altro Anfiteatro che quel di Tito, volendo intendere d'Anfiteatro perfetto, e ne' solenni Giuochi adoprato. Non d'altro (D) *però fu fatta memoria nelle Medaglie, nè d'altro si vede vestigio nella pianta di Roma antica, figurata già nel marmoreo pavimento d'un tempio, conservata ora in gran parte nel Palazzo Farnese, e publicata dal Bellori: ben ci si veggono tre Teatri. Troppa abbondanza suppose in Roma d'Anfiteatri Filandro sopra Vitruvio, tali credendo essere stati sette Teatri lapidei, ch' egli annoverò, benchè per verità nè pure i Teatri stabili fosser più di tre. Pose in quest' ordine quel di Cassio riferito da Patercolo, che troppo fu anterior di tempo a gli Anfiteatri, e a' Teatri di pietra ancora, nè si* (E) *terminò; vi pose quel di Caligola, che fu Anfiteatro, ma non si compì, e fu di legno, come altresì quel di Nerone; quel di Cornelio Balbo fu Teatro: di Claudio nè Teatro, nè Anfiteatro mentova Suetonio: Teatro Esquilino, e Filandro, ed altri dicono ricordato da Marziale, il quale un* umido Teatro *nominò solamente nella Suburra, che molto ragionevolmente dubita il Padre Donati, non altro fosse che una fonte in forma di Teatro. Finalmente computò Filandro per Anfiteatro l'edificato da Traiano nel Campo marzo, e ben tosto dal successore Adriano distrutto, di che fa* (F) *memoria Sparziano. Anche l'ultimo raccoglitore d'Antichità ha computato tra gli Anfiteatri di Roma quel di Traiano: il qual veramente*

terat jure quis suspicari fuisse tale, cum vocet Pausanias *Theatrum magnum in orbem undique conformatum.* Theatrum tamen fuisse, licet alterius a vulgari structuræ, credendum est. Nondum ea ætate confundi cœperant hæc nomina: quare ergo Theatrum diceretur non a Pausania solum, sed etiam a Spartiano, qui proprio designat nomine, si forte res postulet, in eadem vita Amphitheatrum? sed rem hanc gravius confirmabimus alio loco, & cujusmodi esset Trajani Theatrum demonstrabimus. Non igitur de hisce omnibus, quæ nunquam fuere Amphitheatra, sed in re præsenti dicendum est solum de Amphitheatro Statilii Tauri, & de Castrensi, quippe quæ commemorata a Victore, atque a Rufo sunt in quattuordecim Romæ Regionum descriptione ab ipsis memoriæ prodita: quare de tribus Amphitheatris mentionem faciunt.

lib. 5. θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν.

Sed Tauri Amphitheatrum jam vidimus, quemadmodum parvi factum fuerit & vix fuerit ullius usus vel ab ipso suo exordio, imperante vero Nerone conflagraverit. Reliquiæ ejus, ac nomen, quod reliquiis mansit, in causa fortasse fuerunt, cur a Victore commemoraretur: non enim credibile est, ædificia, ac cætera, de quibus ipse meminit, etiam ejus ætate extitisse, & in usu fuisse. Castrense vero fuisse multo ignobilius credendum profecto est, cum apud alium scriptorem nullam inveniamus de illo mentionem fieri. Fuerunt Imperatores, qui ut rem gratam militibus Prætorianis facerent, in ipsorum castris gladiatorios ludos quandoque dederunt: quibus exemplo præivit Augustus: quare genus aliquod Amphitheatri credibile est fuisse constructum, fortasse a Tiberio, qui ludis castrensibus interfuit, aprumque ipse sagittis confodit: sed quoniam ipse spectacula alioqui aversabatur, sic verosimilius est, constructum fuisse a Claudio, qui quotannis gladiatoriam pugnam in castris Prætorianis instituit; sed res utpote nullius prope momenti a nullo Historicorum, a nullo Scriptorum commemorata est. Opinio hac ætate est, reliquias ejus Amphitheatri esse ambitum illum non lapideum, sed lateritium in muris prope Monasterium Sanctæ Crucis in Jerusalem. Viam ad hanc notitiam, emendato multorum aliorum errore, stravit Panvinius in sua Romæ Tabula, tractationi de Circensibus deinde apposita. Ex iis, quæ extant, conjectare licet, interiorem partem fuisse ligneam; & cum ab Aureliani usque temporibus inclusæ muris reliquiæ illæ fuerint, & propugnaculi loco constitutæ, intelligi hinc potest, jam tum ab antiquo usum ejus cessavisse. Non æque facile indigitare licut, ubi esset Amphitheatrum alterum Tauri: nullum enim ejus vestigium certum superest, nec certi quidquam ex antiquis auctoribus potest concludi. Panvinius tribuendos ipsi putavit muros, qui in præsentia Hortum *Spada* in monte Palatino sustinent: sed muri illi Theatrum indicant, non Amphitheatrum. Crediderim ego Amphitheatrum Tauri non satis longo tempore duravisse, nec tacebo suspicionem, ex quadam Cassiodorii epistola ortam, dirutum ædificium illud Theodorici tempore fuisse, locumque usui privato designatum. Jussit Rex duobus nobili familia natis pupillis *Turrem Circi, atque locum Amphitheatri* restitui, quæ ipsorum pater possederat, & in quæ alii invaserant. Locum hunc ego quidem accipio de Amphitheatro diruto, cujus proinde locus in privatum usum abiisset; eodemque modo de Turre aliqua in aliquo Circo erecta pariter destructa. Auctor Diarii Italici verba illa accepit de loco quodam distincto ad spectandos ludos in Amphitheatro, ac de Turre in Circo,

Dio. l. 54. ἐν τοῖς στρατοπέδοις.
Su. Ti. 42
v. Suet. c. 34. & 47. in Claud. c. 21.
Var. l. 4. 42.
c. 11.

A *potea con qualche ragione sospettarsi, che fosse tale, perchè chiamollo Pausania* Teatro grande circolare d'ogni parte. *Non per tanto di Teatro dee pure intendersi, benchè non della più comune struttura. Non si erano in quel tempo cominciati ancora a confondere questi nomi, onde perchè chiamerebbesi Teatro, non solamente da Pausania, ma da Sparziano ancora, il quale col suo nome mentova pur quando occorre l'Anfiteatro nell'istessa vita? Ma di questo daremo in altro luogo pruova più certa, e mostreremo, qual sorte di Teatro quel di Traiano fosse. Non di tutti questi adunque, che Anfiteatri non furon mai, ma nel presente proposito è da ragionar solamente di quel di Statilio Tauro, e del Castrense, atteso che da Vittore sono annoverati, e da Rufo nella descrizione, che ci hanno lasciata delle quattordici Regioni di Roma, onde di tre Anfiteatri fanno menzione.*

B

Ma quel di Tauro abbiam già veduto, come in poca considerazione, e di pochissimo uso fu anche nel suo primo tempo, e come sotto Nerone si abbruciò. Gli avanzi di esso, e il nome ad essi rimaso ne avranno fatta far menzione a Vittore, non dovendosi già credere, che gli edifizj, e le cose da lui nominate fossero a suo tempo ancora tutte in essere, e in uso. Del Castrense forza è credere, che assai minor cosa fosse, non trovandosene altrove menzione alcuna. Imperadori furono, che per gratificare i soldati Pretoriani diedero tal volta giuochi Gladiatorii nel loro Alloggiamento, al che fece esempio Augusto: vi sarà però stata eretta una spezie d'Anfiteatro; forse da Tiberio, che a' giuochi Castrensi intervenne, e vi saettò egli stesso un Cignale; ma com'egli per altro fu nimico degli spettacoli, così è più facile, che da Claudio, il quale pugna gladiatoria negli Alloggiamenti Pretoriani fece fare ogni anno; ma come facenda di poca considerazione, non meritò tal fabrica, d'essere mentovata da Storico, nè da Scrittore alcuno. Credesi in oggi esser residuo di tale Anfiteatro quel recinto non di pietra ma laterizio, che si vede compreso nelle mura presso il Monastero di S. Croce in Gerusalemme. Strada a questa cognizione, correggendo l'errore di molt'altri, fece il Panvinio nella sua Carta di Roma, posta poi col trattato de' Circensi. Da quanto sopravanza si può arguire, che l'interno fosse di legno, e dall'essere fin da' tempi d'Aureliano stato incluso nelle mura, e fatto servir come di bastione, si può conoscere quanto d'antico ne cessasse l'uso. Non così può additarsi dove fosse quel di Tauro, poichè sicuro vestigio non ne rimane, e poco aiuto in ciò ci prestano gli antichi Autori. Il Panvinio attribuì ad esso le muraglie, ch'ora sostentano il giardino Spada nel monte Palatino, ma quelle indicano Teatro, non Anfiteatro. Io crederei però, che quel di Tauro non avesse molto lunga vita, e non lascierò di proporre il sospetto natomi da un'Epistola di Cassiodorio, che a tempi di Teodorico fosse già atterrato, e il luogo di esso reso privato. Ordinò quel Re di restituire a due nobili pupilli Turrem Circi, atque locum Amphitheatri, *che il padre loro avea posseduto, e che altri avea lor tolto. Questo passo intendesi da me d'Anfiteatro diroccato, il luogo del quale fosse però divenuto privato; e così di torre eretta forse nel sito d'alcun Circo parimente disfatto. L'Autore del Diario Italico intese quelle parole d'un luogo distinto per vedere i Giuochi nell'Anfiteatro, e d'una torre nel Circo, assegnata a quella fami-*

C

D

E

F

Familiæ illi Senatoriæ ad ludos item spectandos assignata; quod ait perhonorificum fuisse. Verum ex tanto latinorum græcorumque scriptorum numero, qui de Circo verba faciunt, nemo unquam turrium meminit, quæ essent in circo; ac si quando fuissent, spectare ex iis ludos infimi popelli fuisset: loca enim senatoria erant omnium maxime depressa, & arenæ proxima. Peristylia seu pulpita in Circo appellata quidem sunt *spectacula*, & *fori*; nunquam *turres* tamen: consulum,
lib. 43. init. principumque Magistratuum vocat Livius *foros publicos*. Claudius Imperator sedendi locum in Circo, Senatui universo, non senatorum Familiis singulis assignavit, quod consequutis tempo-
l. 60. poribus observatum fuisse, refert Dion. Sic in Amphitheatro non poterat generatim loquendo occupari locus singulorum: ordini enim senatorio totum Podium assignatum erat, suique Equitibus gradus assignati. Is ergo locus erat cujusque, quem occuparet quisque, modo ejus ordinis esset: hinc ille Romanus Eques antea commemoratus, ad
Quint. l. 6. c. 3. quem misit Augustus, qui diceret; si prandere vellet, domum iret; *Tu enim*, inquit, *non times, ne locum perdas*; ex quibus verbis constat, cæteros, si abirent, posse locum perdere. Deinde usurpatio contigerat diebus Paschalibus, quibus sane tum temporis non edebantur spectacula, a
Cod. Th. l. 15. p. 5. Valentiniano diebus festis ac solemnibus omnino vetita: ipse etiam contextus docet, actum fuisse de *utilitatibus*, *locisque* a patre secundum *jus commune*, non honoris ergo possessis. Itaque videor mihi merito conjectare posse, ibi sermonem esse de situ Amphitheatri Tauri jam diruti, ac de Turre, cui a circo, qui eo in loco quandoque fuisset, nomen impositum esset. Sic legimus in vetere quodam Chronico Episcoporum Petrico-
v. Arena. riensium citato a Cangio, nescio quem *supra locum arenarum turrim ædificasse.*

Constans loquendi modus tum Christianorum, tum Ethnicorum Scriptorum satis ostendit, unum modo Amphitheatrum Romæ in usu fuisse, nomenque istiusmodi præsetulisse: nullius enim appellationis adjectione distinguunt; ac quandocumque ajunt, *instauratum est Amphitheatrum, editi ludi sunt in Amphitheatro, ille ductus in Amphitheatrum est*, de Titi Amphitheatro loquuntur: quæ res unicum illud fuisse demonstrat: non etenim solebant dicere exempli causa *Theatrum*, ut Theatrum Pompeii, etsi reliquis magnificentius, significarent. Ammianus referens
l. 16. c. 10 Constantii Imperatoris ingressionem in Urbem, illustriora ædificia recenset ea ætate consistentia, inter quæ *Molem Amphitheatri*, sine alia adjectione, & *Theatrum Pompeii*, ut ab aliis distingueretur. In fragmentis Dionis a clarissimo Fulvio Ursino editis una cum Legationibus, in librum Historici corporis Constantini Porphirogeniti relatis, plura prodigia (talia certe credebantur) leguntur, sub initium Imperii Macrini enata; inter quæ fulmen, quod in summum Amphitheatrum incidit, ignemque adeo contumacem
ἐν μέρει ἐκ τῶν [illegible] excitavit, ut neque injecta ab hominibus aqua plurima, neque effusis imbribus extingui potuerit, *vi fulminum utraque aqua ita consumpta, ut ipsum Amphitheatrum ex parte circum undique corrumperetur; propterea que spectaculum gladiatoriorum certaminum per annos multos in Circo ederetur.* Unus hic locus, quod ego volo, confirmat: ostendit enim, cum ineptum esset Amphitheatrum Titi, nullum aliud fuisse, in quo edi ludi possent, sed oportuisse Gladiatores in circum traducere. Illud etiam in allatis verbis, atque in

A *glia Senatoria per rimirar da essa gli spettacoli, il che dice era onor grande. Ma in tanta quantità d'Autori Latini, e Greci, che parlano del Circo, niuno mai ha fatto menzione di torri, che in esso fossero, e se vi fossero state, il rimirar da esse sarebbe stato dell' ultima gente, perchè i luoghi Senatorii erano i più bassi, e più vicini al campo. Le logge, o palchetti (com' or si direbbe) del Circo furono bensì detti* spectacula, *e* fori, *ma non mai* turres: *quelli de' Consoli, e de' primi Magistrati gli chiama Livio* foros publicos. *L'Imperador Claudio assegnò a' Senatori in comune il luogo di seder nel*
B *Circo, non per famiglie, e il suo ordinamento fu servato ne' susseguenti tempi, come insegna Dione. Così nell' Anfiteatro non potea, generalmente parlando, alle persone in particolare esser usurpato il sito, perchè all' ordine Senatorio era assegnato il Podio tutto intorno, e così a gli Equiti i lor gradini. I luoghi però erano di chi gli occupava, pur che fosse di quell' Ordine: quindi è, che il Cavalier Romano sopramentovato, cui fece Augusto intendere, che quand' i volea desinare se n' andava a casa, rispose;* tu puoi farlo, perchè non hai paura ti sia oc-
C cupato il luogo: *dove appare, che gli altri partendosi potean perderlo. Poi l' usurpazione era seguita ne' dì Pascali, ne' quali non si faceano certamente allora spettacoli, proibiti già espressamente ne' dì festivi, e solenni da Valentiniano: il contesto ancora mostra, che si trattava di* utilità, *e di* luoghi *posseduti dal padre secondo il* gius comune, *non d'onorificenza. Parmi adunque di poter congetturare con tutta probabilità, che si parli quivi del sito dell' Anfiteatro di Tauro già ruinato, e di torre che avesse preso il nome da un Circo stato avanti in quel luogo. Così leggesi in antica Cronica de' Vescovi di Perigord citata dal*
D *Cangio, come un tale* nel luogo dell' Arena edificò una Torre.

Il perpetuo modo di parlare degli Scrittori e Cristiani, e Gentili, fa conoscere a bastanza, come in Roma un Anfiteatro solo era d'uso, ed era in possesso di tal nome; poichè nol distinguono essi con sopranome alcuno; e quando dicono, fu ristorato l'Anfiteatro, fu condotto nell' Anfiteatro, si fecero Giuochi nell' Anfiteatro, *intendono senz' altro di quel di Tito, il che dimostra com' era solo; poichè non soleano a cagion d'esempio dire il* Teatro, *per significare quel di Pompeo, benchè più sontuoso degli altri. Am-*
E *miano narrando l'ingresso in Roma dell' Imperador Costanzo, recita gli edifizj più insigni, che sussistevano, e tra questi* la mole dell' Anfiteatro *senz' altro, e il* Teatro di Pompeo, *per distinguerlo dagli altri. Ne' frammenti di Dione editi dal gran Fulvio Orsino insieme con le Legazioni, raccolte già in un libro del corpo Istorico di Costantino Porfirogenito, leggonsi più prodigj (tali credeansi) avvenuti nel principio dell' Imperio di Macrino; e tra questi d'un fulmine, che colse nell' alto dell' Anfiteatro, e vi accese un fuoco sì contumace, che nè per l'acqua fatta*
F *scorrere a' fiumi dagli uomini, nè per la dirotta pioggia potè ammorzarsi,* consumandosi l'un' acqua, e l'altra dalla forza delle saette per modo, che l'Anfiteatro stesso ne fu in parte guasto d'intorno; onde per molti anni lo spettacolo de' combattimenti gladiatorii si fece nel Circo. *Questo sol passo stabilisce quant' io pretendo; perchè dimostra, come non essendo in punto l' Anfiteatro di Tito, non ve n'era un altro, in cui si potesse fra tanto operare, ma era forza passar co' Gladiatori nel Circo. Osservisi nelle rife-*

integro illo loco non dici, magno igne illo Amphitheatrum conflagrasse, quemadmodum de Tauri Amphitheatro Dion idem inquit, & quemadmodum latina Interpretatio indicaret, quæ perperam reddit *deflagravit*; sed accensum ignem in summo, partemque interiorem, aliaque eodem pertinentia consumpta esse, ut alibi observabimus, etsi nonnihil detrimenti ædificium ipsum cœperit.

Ut probem id, quod dixi hactenus, & quod ex hoc textu dicturus sum alibi, monebo, ubi ipse emendationis causa mutatis quatuor tantum litteris scripsi περιέφθαρτο, Ursinus, & cum eo Leunclavius in sua Dionis editione scribunt περιεγένετο, sed sine sensu. Hinc est, ut versio secundi neque rite componat, neque connectat: *aliquid tamen ex ea parte mansit integrum, unde spectacula gladiatorum multis in stadio deinceps annis edita fuerunt.* Non aliquid, sed *ipsum* hoc est Amphitheatrum; non *ex ea parte*, sed *ex parte*, non *tamen*, quæ particula non adest, sententiamque turbat, ne præsertim non *mansit integrum*, non enim licuisset rite concludere, propterea non potuisse in eo celebrari deinceps spectacula; sed contra *circum undique corruptum est*; ex quo consequitur optime, oportuisse per annos multos uti Circo. Nicolaus Falconius, qui recens honori Romæ fuit edendo, interpretando, atque illustrando quædam non visa prius monumenta Dionis, idest ejus Historici, quo nemo de Romana Historia melius meritus est, cum fortasse secum animo reputaret eo loco vocem περιεγένετο *superfuit* nullo modo posse sustineri, scripsit προσεγένετο: atque enimvero minus etiam convenienter: vox enim hæc significat, *additum est*, cum sententia hoc loco postulet *destructum est*.

pag. 900.

Ad quæ usque tempora duraverit Romæ usus Amphitheatri, haud ita facile constitui potest. Prima lex contra spectacula cruenta lata est a Constantino: prohibiti tamen ab eo sunt anno 325. Gladiatores non modo voluntarii, sed etiam coacti, quos jussit deinceps ad metalla potius damnari. Nihilo tamen minus ad longum adhuc tempus fieri ejusmodi spectacula perrexerunt, cum lata lex fortasse non obtinuisset, nisi in Orientis partibus, quemadmodum ostendit etiam auctoritas Sozomeni, quam paulo post afferemus. Eodem sæculo constitutionem aliam edidit contra spectacula Constantius, atque aliam Honorius, quo imperante fieri Romæ pergebant: quare initio quinti sæculi Honorium etiam, atque etiam hortabatur Prudentius, ut ea prorsus tollenda curaret: quod Imperator perfecit interdictis ubique ejusmodi spectaculis ob id maxime, quod casu contigit, quodque in Historia Ecclesiastica memoriæ proditum a Theodoreto est. Telemachus quidam instituto Asceta, qui ex Oriente venerat, die quodam solemni ingressus Amphitheatrum est, & quantum potuit, digladiantes coercere conatus est: indignatus populus impetum in hominem fecit, & obtruncavit: quare inquit Auctor, & cum eo Sozomenus, *tum primum apud Romanos interdictum fuisse ejusmodi genus spectaculi*. Haud ideo tamen ludi Amphitheatrales, ac sævi defuere, sed bestiarum. *Gladiatores*, ac *Bestiarios* jam Cicero quoque pluribus in locis distinxit; quorum postremi & Venatores, & Venatores Arenarii dicti sunt, de quibus consulatur Bulengerus, qui fuse de illis egit. Simmachus inquit vel sumptuosissimas celebritates flocci pendi consuevisse, nisi strenuiores venatores pugnassent. Quibus autem, quam variis, ac miris modis cum belluis homines isti

Prud. de Virg.

l. 5. c. 26.

Sozom. l. 5. c. 8. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις [illegible] μονομαχ[illegible]

de Ven. Circ. l. 5.

Ep. 59.

A *rite parole ancora, e in tutto quel passo, come non si dice già abbruciato da quel gran fuoco l'Anfiteatro, come di quel di Tauro l'istesso Dione disse, e come parrebbe nella version Latina, che mal rende* deflagravit; *ma che accesosi il fuoco in cima, quella parte interna, e altre cose attinenti se ne consumarono, come osserveremo altrove, benchè alquanto pur ne patisse anche l'edifizio stesso.*

Un avvertimento soggiungerò, per giustificar quanto ho qui detto, e col fondamento di questo passo son per dire altrove. Dov'io emendando con mutazione di quattro sole lettere ho scritto B περιέφθαρτο, *Orsino, e con lui Leunclavio nella sua edizion di Dione scrivono* περιεγένετο, *ma senza senso. Quindi è, che la version del secondo nè accorda, nè lega:* aliquid tamen ex ea parte mansit integrum, unde spectacula gladiatorum multis in Stadio deinceps annis edita fuerunt. *Non* aliquid, *ma* esso stesso, *cioè l'Anfiteatro; non* ex ea parte, *ma* in parte; *non* tamen, *che non c'è, e confonde, e sopra tutto non* mansit integrum, *perchè non ne sarebbe ben dedotto il non essersi perciò potuto farvi più gli spettacoli; ma all'incontro* si guastò C all'intorno, *da che poi ben segue, che per tal cagione dovessero per molti anni valersi del Circo. Il degno Sacerdote Nicolò Falcone, che di recente ha fatto onore a Roma, cavando fuori, e traducendo, e illustrando alcuni pezzi non più veduti di Dione, che vuol dir d'uno Storico, ogni periodo del quale per l'Istoria Romana è tesoro, conoscendo forse che in questo luogo* περιεγένετο, superfuit, *non può correre, ha scritto* προσεγένετο, *ma ciò per verità converrebbe ancor meno, perchè viene a dir* si aggiunse, *dove il sentimento richiede qui* si disfece.

Fino a qual tempo durasse in Roma il far D *uso dell'Anfiteatro, non si potrebbe di leggeri determinare. La prima legge contra gli spettacoli sanguinosi fu di Costantino: rimasero però da lui vietati nel 325. i Gladiatori, e non solamente volontarj, e di professione, ma i forzati ancora, ordinando di condannare in vece alle cave de' metalli. Continuarono con tutto ciò assai tempo ancora, non essendo forse stata la legge, se non per le parti d'Oriente; come anche mostra l'autorità di Sozomeno, che riferiremo or' ora. Nell'istesso secolo altra costituzione publicò contra di essi Costanzo, ed altra Onorio, sotto di cui pur proseguivano in Roma;* E *onde Prudenzio nel principio del quinto caldamente l'esortava ad estirpargli: il che egli fece poi, sbandendogli generalmente per un caso avvenuto, e narrato nell'Istoria Ecclesiastica da Teodoreto. Un certo Telemaco, di professione Asceta venuto d'Oriente, un giorno di solennità entrò nell'Anfiteatro, e cominciò a fare ogni sforzo per impedire i combattenti: mosso il popolo a sdegno, si scagliò sopra di costui, e lo fece in pezzi; per lo che dice l'Autore, e con lui Sozomeno,* allora per la prima volta restò presso Romani sbandito tal genere di spetta- F colo. *Vera cosa è, che non mancaron per questo spettacoli Anfiteatrali, e feroci, ma di bestie.*

Gladiatori, e Bestiarii *distinse già fin Cicerone in più luoghi: questi furon detti anche Cacciatori, e Cacciatori Arenarii, de' quali veggasi il Bulengero, che ne trattò ampiamente. Dice Simmaco, che per sontuosa che fosse la festa, non era niente, se non vi pugnavano i Cacciatori più bravi. I modi varj, e mirabili, con cui scherzavano intorno alle belve costoro,*

luderent, qua dexteritate, quibus inventis, quibus instrumentis uterentur, discere possumus præcipue ex quibusdam locis Tertulliani, Vopisci, Prudentii, maxime vero ex ea Cassiodorii epistola, in qua hæc omnia describuntur, exacta ad figuras in duobus Diptychis a P. Viltemio editis expressas, in quibus nonnulli ex iis modis oculis subjiciuntur. Symmachi ætate pro bestiis ad spectacula destinatis pendebatur vectigal, id autem erat quadragesima: quod constat, ubi conqueritur, etiam viros in dignitate constitutos huic vectigali obnoxios esse, cum soli negotiatores obnoxii esse deberent. Sub quinti sæculi finem etiam belluarum pugnas interdixit Imperator Anastasius, si Theophani credimus; sed paullo ante memorata Diptycha ostendunt cruentos bestiarum ludos Constantinopoli fuisse in ejusdem Anastasii Consulatu, qui consul Orientalis fuit anno 517. simul cum Agapito ejus collega. Romæ etiam genus hoc spectaculorum fuit anno 519. quæ in suo consulatu magnifice in Amphitheatro celebranda curavit Eutaricus Cillica, advectis ex Africa multorum generum belluis; qua de re meminit Senator in Chronico, innuens simul ætate sua id in desuetudinem abiisse. Celebrati sunt etiam ejusmodi ludi anno 523. ab Anicio Maximo in suo pariter consulatu, descriptique sunt ab eodem Cassiodorio, qui refert itum illo fuisse cum voluptate, ubi oportuerat humanitatem exhorrescere.

Var. l. 5. 42.
l. 5. ep. 59.
Var. l. 5. 42.

Non est silentio prætermittendum, Amphitheatrum suppliciis etiam infligendis deserviisse; cujus rei plura habemus apud Scriptores testimonia; quemadmodum de Theatris quandoque, ac circo factum fuit. De reo *per trina Theatra virgis cæso* loquitur Suetonius; alium in Ippodromo combustum commemorat Philo, alium Suidas. Quare populum, quod voluptatem ex suppliciis quæreret, vehementer coarguit Lactantius. Mos hic in causa sæpe fuit, ut Amphitheatra sacrarentur sanguine Martyrum, qui ab Ethnicis inter sceleftos homines numerabantur. In publicis calamitatibus hæc una omnium vox, *Christiani ad Leones*, perinde ac si eorum culpa adversa contingerent. Qui belluis objiciebantur, modo vinciebantur, quo statim dilaniarentur, modo cum feris committebantur, ut ferox spectaculum diutius oblectaret. Mos etiam committendi captivos, ut Gladiatorum more pugnarent, quem primus induxit Annibal, cum ad hoc genus certaminis captivos Romanos coegit, saltem per totum sæculum quartum duravit: loquens enim Symmachus de Saxonibus ac Sarmatis, ait hac ratione digladiatos fuisse. Sæculo vero sexto genus omne Amphitheatralium spectaculorum plane cessavit. Constantinopoli cæterisque orientis civitatibus spectacula omnino ejecit Justinianus, ut narrat Procopius, ac post illud tempus ne in Italia quidem spectaculorum ulla mentio reperitur. Ac tunc magnificum Titi Amphitheatrum utpote inutile, ac desertum cœpit temporis hominumque injurias pati. Aucta deinde ejus detrimenta, cum decrescente frequentia caruit habitatoribus pars illa urbis, ac per plura sæcula agri instar habita est. Sed hactenus satis de Romano, transeamus nunc tandem ad Amphitheatra illa, quæ extra Romam fuere.

August. c. 45.
Ter. Ap. c. 40.
Plin. l. 8. c. 7.
Sym. l. 2. 46. l. 10. 68.
Hyp. Arc. c. 6.

A *e la destrezza, e i ritrovati, e gli strumenti de' quali si servivano, si posson raccogliere singolarmente da alcuni passi di Tertulliano, e di Vopisco, e di Prudenzio, e sopra tutto da quella Epistola di Cassiodorio, che gli descrive, riscontrata con le figure rappresentate ne' due Dittici publicati dal P. Viltemio, dove alcuni di que' modi si veggono espressi. A tempo di Simmaco degli animali destinati a spettacolo si pagava gabella, ed era una quadragesima; il che apparisce, dov' ei si duole, che si volesse farla pagare a chi era in dignità, dovendo cader solamente su i negozianti. Sul fine del quinto secolo*
B *vietò anche il combatter con Fiere l'Imperadore Anastagio, se crediamo a Teofane; ma i due Dittici sopramentovati ci fanno vedere sanguinosi giuochi di Fiere in Costantinopoli nel Consolato di quell' Anastagio, che fu Consolo Orientale, l'anno* 517. *insieme con Agapito. In Roma vediamo ancora tal sorte di spettacoli nell' anno* 519. *avendogli solennemente dati nell' Anfiteatro Eutarico Cillica per occasione del suo Consolato, e fatte venir d'Africa bestie di vario genere, di che fa memoria Senatore nel Cronico, accennando nell' istesso tempo, che a giorni suoi ciò*
C *andò in disuso. Continuava ancora nel* 523. *avendogli dati Anicio Massimo parimente nel suo Consolato, e descrivendogli Cassiodorio stesso, e dicendo, che si andava con piacere, dove l'umanità avrebbe dovuto inorridire.*

Non è da tacere, come altr' uso dell' Anfiteatro fu per supplizii, di che abbiam molte testimonianze ne gli Scrittori; così talvolta anche de' Teatri, e del Circo. D'un reo flagellato per tutti tre i Teatri parla Svetonio; d'uno abbrugiato nell' Ippodromo fa memoria Filone, d'altro Suida. Riprese però acremente Lattanzio il prenderſi de i supplizii piacer dal popolo. Que-
D *sto costume fece consacrar molte volte gli Anfiteatri dal sangue de' Martiri, che presso i Gentili si computavano tra' malfattori. Nelle publiche disgrazie si gridava subito,* i Cristiani a' Leoni, *quasi per essi venisse ogni male. Gli esposti ora si legevano, perchè fossero senz' altro sbranati; or si facean contrastare, e combattere, per prolungare il fiero diletto. Anche l'usanza di far combatter quai Gladiatori tra se i presi in guerra, della quale diede esempio Annibale, quando così costrinse i prigionieri Romani, continuò per lo meno tutto il quarto secolo; parlando*
E *Simmaco de' Sassoni, e de' Sarmati, che fecero in questo modo di se mostra. Ma dentro il sesto secolo svanì ogni uso de' giuochi Anfiteatrali. A Costantinopoli, e nelle Città d'Oriente gli sbandì del tutto Giustiniano, come abbiam da Procopio; e nè pure in Italia se ne trova dopo quel secolo menzione alcuna. Allora fu, che il grand' Anfiteatro di Tito reso inutile, e abbandonato, cominciò a soffrir gl' insulti e del tempo, e de gli uomini. Si accrebbe la sua disgrazia dall' essere nello scemar della popolazione rimasa vacua d'abitatori quella parte della Città, e per più secoli tenuta come campagna. Ma tanto oramai basti per l'istoria del Romano, e passiamfi-*
F *nalmente a gli Anfiteatri, che furono fuor di Roma.*

CAP. VII.

Perperam credi, in singulis Imperii Urbibus Amphitheatrum fuisse. In primis de Urbibus Græciæ sit sermo.

Consuetudo a Romanis servata, ut deductis coloniis orbem Romanis civibus frequentarent, & oblata civitate Romanos facerent, etiam qui Romano nomine non censerentur, eadem studia in partes omnes propagavit. Proinde Gladiatores ac Feræ visuntur in Hispania vel ipsis Tullii temporibus in quadam Asinii Pollionis epistola. (*Fam. l. 10.*) Ætate Neronis ejusmodi spectacula dari consueverant a Præsidibus in Provinciis, (*Ann. l. 13.*) cum discamus ex Tacito, id ipsum a Nerone interdictum fuisse. Reliquæ civitates pariter, ac gentes reliquæ habere ejusmodi ædificia cupivere, in quibus speciosiorem formam spectacula præseferrent: quare pluribus in locis constructa Amphitheatra sunt. Immo vero si communi opinioni acquiescimus, si iis acquiescimus, quæ sexcentis in libris legimus, hoc ædificii genus in omnibus Imperii partibus fuit quovis alio frequentius, ut singulæ urbes eodem ornatæ essent. Omnes fere peculiarium Historiarum Auctores satis illiberaliter se acturos crediderunt, nisi patriæ quisque suæ Amphitheatrum tribuerent: facile enim id potuerunt cum nihil in tribuendo Amphitheatro impenderent, & assentientes haberent eruditos omnes duce Lipsio, qui affirmavit, *esse crebra admodum in provinciis* omnibus, atque adeo Theatris ipsis, Stadiis, Circis crebriora, *raramque* fuisse *coloniam*, vel *Municipium* illud, in quo Amphitheatrum desideraretur. Commentum hoc nostris hisce temporibus gliscit quotidie magis, adeo ut in recenti uberrima Antiquitatum figuratarum collectione legamus, (*Montf. t. 3 p. 259.*) non solum *singulas Urbes suum Amphitheatrum* habuisse, verum etiam, cum Roma totius orbis caput, ac ejusmodi miraculorum quasi sedes unum modo haberet, *in agro Augustodunensi plurima Amphitheatra solo pæne exæquata conspici*, (*p. 261.*) quasi plantarum more germinarent.

Ego vero affirmare contra non dubitabo, nullum ædificii genus fuisse rarius Amphitheatro, ac paucas Urbes stabile Amphitheatrum habuisse. Rem hanc demonstrabo fusius atque uberius, tum quia in Amphitheatrorum Historia gravissimi momenti est, tum ut hac ratione errores multos depellam, in quos falsa hac opinione abducti, qui de aliis etiam rebus agunt, labi facile possunt. Primum veritatis hujus argumentum incurrit in oculos omnium, quicumque reliquias, quæ supersunt, Romani, ac Veronensis Amphitheatri probe observaverit: facile enim est intelligere, hoc ædificiorum omnium, quotquot a Romanis efformata sunt, longe pulcherrimum fuisse, ac fuisse structuræ, ac molis ejusmodi, ut non omnes urbes habere potuerint ea omnia, quæ ad illud extruendum postularentur. Romana potentia hanc molem non perfecit nisi Vespasiani ætate; ac Roma, totius orbis quasi compendium, præter Maximum septem alios Circos, teste Victore, habuit, Amphitheatra vero edendis publicis ludis idonea uno plura, quemadmodum ostendimus, non habuit. Id eo etiam confirmatur, quod Amphitheatri reliquiæ hodierna die in paucis offenduntur locis: illud enim certum, ubi tantæ amplitudinis, talisque structuræ moles extitisset, cujusmodi Veronensis est, haud facile consumptam sic fuisse, ut nullum ejus vestigium superesset: partes siquidem internæ, atque a solo pa-

CAPO SETTIMO.

Malamente credersi, che fosse Anfiteatro in ogni Città dell' Imperio. Si fa prima osservazion nella Grecia.

A Il *sistema Romano, che di Romani Cittadini popolava il Mondo con le Colonie, e che per l' affetto prodotto dalla participazione della Cittadinanza trasformava in Romani anche gli altri popoli, diffuse in ogni parte l' istesse dilettazioni. Gladiatori, e Fiere veggonsi nelle Spa-* B *gne fino a tempi di Tullio in un' Epistola d' Asinio Pollione. A' tempi di Nerone era già in uso il darsi tali spettacoli da' Presidi nelle Provincie, mentre abbiamo in Tacito, ch' egli loro il vietò. S' invaghirono parimente l' altre Città, e l' altre genti d' aver gli edifizj, ne' quali meglio campeggiavano sì fatte mostre; però l' Anfiteatro ancora si emulò in più luoghi. Anzi se noi ce ne riportiamo all' opinion comune, e a quanto si legge in mille libri, questa fu la fabrica in tutte le parti dell' Imperio più d' ogni altra frequente, talchè ogni Città ne fu adorna. Qua-* C *si tutti gli Autori di storie particolari scortesia grande creduto avrebbero il non far regalo alle lor patrie d' un Anfiteatro, potendo uscirne con sì poca spesa: e tanto più avendo dalla sua gli eruditi tutti con Lipsio alla testa, che affermò com' erano* spessi grandemente nelle Provincie *tutte, e più de' Teatri, Stadii, o Circhi, e* rara *essere stata quella* Colonia, o Municipio, *che non l' avesse. Questa immaginazione a tempi nostri si va ampliando di giorno in giorno, talchè si legge nella recente grandissima raccolta d' Antichità figurate, non solamente che o*gni Città avea il suo Anfiteatro, *ma che dove* D *Roma Metropoli del Mondo, e patria di tai meraviglie, propriamente parlando n' ebbe uno, ne' contorni della Città d' Autun in Borgogna, quasi piante che germogliassero, ne fosser molti.*

Ma io tutto all' opposto dirò con asseveranza, che niun edifizio fu più raro, e che Anfiteatro stabile poche fur le Città che avessero: assai mi diffonderò in dimostrarlo, sì per essere nella storia de gli Anfiteatri punto essenziale, e sì per isgombrar con questo molti equivoci, che per tal falsa supposizion comune anche trattando d' altro si foglion prendere. Il primo argomento di tal verità è patente agli occhi di chiunque avrà E *ben osservati gli avanzi che rimangono del Romano Anfiteatro, e del Veronese; poich' egli è agevole il riconoscerne, come questo fu il più superbo edifizio, che i Romani ideassero, e di tal costruzione fu, e di tal mole, che non poteano esser molte le Città fornite di tutto quel che si richiedeva per inalzarlo. La potenza Romana nol ridusse a tal segno per fino all' età di Vespasiano; e Roma compendio del mondo sette Circhi bensì ebbe oltre al Massimo per testimonio di Vittore, ma, com' abbiam fatto vedere, atto ad esser adoprato ne' publici giuochi un Anfiteatro* F *solo. Altra dimostrazion ci presta l' avvertire, in quanto pochi luoghi reliquie d' Anfiteatro oggi si ritrovino; poich' egli è certo, che dove fosse stata una fabrica dell' estensione, e della struttura di quella di Verona, molto difficil sarebbe, che si fosse distrutta in modo di non rimanerne pur l' orma; mentre le parti interne, e basse malagevolmente poteano affatto perir da se, nè senza grandissima difficoltà del tutto disfarsi da gli uomini: e poichè tale annichilamento non è seguito in Verona, che per la sua situazione fu*

rum assurgentes ægre perire omnino ipsæ poterant, nec ab hominibus sine difficultate summa destrui. Id enim Veronæ non contigit, licet ob ejus situm magis, quam alia quævis urbs, excursionibus, bellis, mutationibus, excidiis obnoxia fuerit, multoque proinde minus debuit in aliis urbibus contingere. Huc adde, vim prope immensam lapidum adeo ingentium, solidorum, & quadratorum haud potuisse sic evanescere, ut in antiquis urbium illarum ædibus magna eorumdem copia non appareret; nemo comminuendos curavit, sed ex antiquis ædificiis ablatos adhibuit in novis. Quare Veronæ ex diruta Amphitheatri parte manifesta indicia plurimos lapides produnt in muris antiquis, in pontibus, in muro Arcis veteris, in base muri, qui hortum ambit ædium olim Scaligerorum, nunc Urbis Præfecti, aliis in locis pluribus passim.

De re hac fieri certiores poterimus, si breviter Romanas provincias percurramus. Quinam locus in primis numerare plura Amphitheatra debuisset, quam Græcia, ubi tantus fuit ludorum amor, ubi tantopere floruit ars ædificandi, ubi tanta marmorum copia fuit? At nulla tamen in Græcia Amphitheatra fuisse, confirmat consensio Auctorum monumentorumque Græcorum omnium, in quibus nulla unquam mentio fit Amphitheatrorum: credibile enim est, in ea regione, in qua nullum sine nomine saxum, nulla ratione molem tantam occultari, ac silentio prætermitti potuisse. Pausanias, qui videlicet Græciam descripsit tam accurate, nunquam Amphitheatrum nominavit. Sic de Amphitheatro Pollux ne verbum quidem fecit, qui de Theatro tam multa scripsit: immo vero Amphitheatrum plane exclusit, ubi duo affirmavit esse in Græcia genera spectaculorum, quorum alia Gymnica, alia Scenica, atque illa quidem in stadio celebrari, hæc autem in Theatro. Ac inter quinque ludorum in Græcia adeo celebratorum genera nunquam habuere locum aut Gladiatores, aut Feræ: quod ut ex multis libris, sic ex Anthologia, ubi sermo de ludis est, constare potest. Volui tamen quoddam Manuscriptum percurrere, in quo fore speravi multo plura, quam in monumentis editis, quippe cum conscriptum esset a Maximo Planude, qui postremus fuit epigrammatum Græcorum collector. Asservatur is codex in publica D. Marci Bibliotheca, habetque ad calcem illam Evangelii D. Joannis versionem in versus heroicos, quæ incipit Ἄχρονος ἦν &c. editam primum ab Aldo, adjudicatamque vulgo Nonno Dionysiacorum Auctori; sed hic eam esse Ammonii Philosophi ac Rhetoris affirmatur Ἀμμωνίου φιλοσόφου καὶ ῥήτορος μεταβολὴ &c. Jam vero in hujus operis calce dicitur scripta fuisse a Maximo Planude Constantinopoli in Monasterio *Salvatoris* cognomento *Incomprehensibilis*: χειρὶ Μαξίμου μοναχοῦ τοῦ Πλανούδη ἐντὸς Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τὴν μονὴν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ τὴν τοῦ Ἀκαταλήπτου ἐπονομαζομένην: atque ante ipsam est Anthologia eadem manu conscripta: sed nulla tamen epigrammata præter jam edita in illa observavi; ac si qua observassem, mentio tamen nulla fieret Amphithetralium certaminum, uti nulla fit in reliquis jam vulgatis.

l.3.c.30.

Nihil igitur fuit causæ, cur in Græcia extruerentur Amphitheatra, dum in ea peregrina fuere, ac parum grata ejusmodi spectacula. In duas modo Urbes introducta fuerunt, ut alibi innuimus, Athenas videlicet, & Corinthum. Quare hinc fortasse factum est, ut & Philander in Vitruvium, & Lipsius, nulla tamen nixi auctoritate, scripserint, Amphitheatrum marmoreum

Phil. ad ..5.c.5.

A *sopra ogni altra Città di continuo esposta alle irruzioni, alle guerre, alle vicende, agli eccidii, molto meno dovrebbe esser seguito nell' altre. Aggiungasi, ch' una immensa quantità di così grandi, e solide, e riquadrate pietre, non saprei come potessero esser sì fattamente svanite, che nelle vecchie fabriche di quelle Città non se ne vedesse in copia; poichè niuno si prendea cura di farle in polvere, ma si toglieano da gli edifizj vecchi per usarle ne i nuovi. In Verona però della parte ruinata dell' Anfiteatro con sicuri contrasegni moltissime pietre si ri-* B *conoscono nelle mura antiche, ne' ponti, nella muraglia del Castel vecchio, nel basamento di quella che circonda l'orto del Palazzo già Scaligero, or del Capitan grande, e sparsamente in più altri luoghi.*

Maggior sicurezza di questo fatto potrà darci una sommaria scorsa per le provincie Romane. Qual parte in primo luogo avrebbe dovuto abbondarne più della Grecia, ove tanto bollì l' amore degli spettacoli, e tanto fiorì l' arte edificatoria, e fu sì gran dovizia di marmi? e pure non furono in Grecia Anfiteatri, come si ren- C *de manifesto dal consenso in tacerne di tutti gli Autori, e de' monumenti Greci tutti; potendosi ben credere, che nel paese, ove non fu sasso, che rinomato non fosse, non sarebbe rimasa occulta, e immemorata una tanta mole. Pausania, che sì accuratamente la Grecia descrisse, non nominò Anfiteatro mai. Così non ne parlò Polluce, che del Teatro ragionò tanto; anzi positivamente l' escluse, dove affermò due maniere di spettacoli aver la Grecia, altri Gimnici ed altri Scenici, e che il luogo di quelli era lo stadio, di questi il Teatro. Nè cinque generi di certami sì famosi in Grecia, niuna parte* D *ebbero mai Gladiatori, o Fiere: il che come in molti libri, così può riconoscersi nell' Antologia, ove di Giuochi si favella. Ho però voluto scorrerne un Manuscritto, ch' io sperai potesse avere assai di più che le stampe, per esser di mano di Massimo Planude, che fu l' ultimo raccoglitore d' epigrammi Greci. Conservasi tal codice nella publica Libreria di S. Marco, e contien nel fine quel trasportamento dell' Evangelio di S. Giovanni in versi eroici, che comincia Ἄχρονος ἦν &c. dato fuori per Aldo la prima volta, e tenuto comunemente per di Nonno autor delle Dionisiache, ma si asserisce qui esser d' Ammonio Filosofo, e Retore:* Ἀμμωνίου φιλοσόφου E καὶ ῥήτορος μεταβολὴ *&c. Ora a piè di quest' opera notasi, come fu scritta da Massimo Planude in Costantinopoli nel Monastero del Salva*tore *cognominato* Incomprensibile: χειρὶ Μαξίμου μοναχοῦ τοῦ Πλανούδη ἐντὸς Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τὴν μονὴν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ τὴν τοῦ Ἀκαταλήπτου ἐπονομαζομένην: *ed avanti essa è l' Antologia scritta dall' istessa mano; ma con tutto ciò non ci ho osservato epigrammi oltra gli stampati; nè se gli avesse, menzion ci si vedrebbe d' Anfiteatrali certami, più che nelli già noti si vegga.*

F

Non v' era dunque motivo di costruire in Grecia Anfiteatri, mentre stranieri vi furono, e poco graditi universalmente sì fatti spettacoli. In due Città solamente furono in alcun tempo ammessi, come toccammo, Atene, e Corinto. Però forse fu scritto, e da Filandro ancora sopra Vitruvio, e da Lipsio, ma senza autorità veruna, che Anfiteatro di marmo fosse in

Athenis fuisse. At Herodes Atticus, qui in suis magnificentiæ portentis duo præclara ædificia Athenienfibus tribuit, quibus in universo Romano Imperio paria nulla invenirentur, ut ait Philostratus, stadium marmoreum, in quo Athletarum certamina fierent, ac Theatrum solummodo condidit. Itaque Amphitheatri vestigia nulla offendit, qui ejus Urbis loca diruta diligenter exploravit: ac sane quam falsum sit, Amphitheatrum ullum Athenis fuisse, colligi ex Spartiano potest, qui refert, Adrianum, cum esset Athenis, ac venationem celebrare vellet, eam in stadio exhibuisse; atque ex Philostrato, qui Apollonium, ut Athenienses a committendis voluptatis gratia scelestis hominibus pretio coemptis dehortaretur, cum advocatus in consilium esset, quod in Theatro instituebatur, dixisse narrat, se in locum sanguine commaculatum ire nolle, ac mirari se, Palladem ab Arce, ubi Theatrum erat, non demigrare, Bacchumque non amplius debere ad Theatrum, utpote homicidiis contaminatum accedere, ut libationes acciperet. Præclarus item locus apud Dionem Chrysostomum est, qui etiam de Corintho litem omnem dirimit. Athenienses enim vituperans, quod Gladiatoribus delectarentur, eos, inquit ille, in hoc Corinthiis fuisse pejores: hi etenim Gladiatores in valle sordida committebant, cum illi contra in loco nobili, id est in Theatro committerent: quibus verbis palam fit, neque Corinthi, neque Athenis Amphitheatrum ullum fuisse; ac perperam facere Lipsium, aliosque, qui in iis urbibus Amphitheatrum constituerunt, quia quandoque ejusmodi spectacula in Græcia fuisse celebrata invenerunt.

In Vit. Apoll. l. 4.

Orat. 31.

Quod si Corinthus atque Athenæ Amphitheatro caruere, jure profecto credendum est, multo magis civitates minores, ludisque minus deditas caruisse. Objici hoc loco possent Amphitheatra duo, quorum fama est reliquias extare in Sicilia, hoc est Catanæ, ac Syracusis: at Sicilia elapsis Romanæ Reipublicæ temporibus censebatur Italia sub Imperatoribus tum lingua tum moribus. Non tacebo videri in Insula Creta Amphitheatra fuisse: suspicionem injecit manuscriptum quoddam, quod mihi legendum præbuit P. Carolus Lodolus Franciscanæ Familiæ, qui quo gravissimo suo muneri probe respondeat, non minus ingenio ornatus est, quam rara ac pretiosa rerum ad eruditionem pertinentium supellectile. Complectitur MS. illud amplum de Insula Creta tractatum conscriptum ab Honorio Bello Vincentino, qui cum Generali ejus Provinciæ Administratore, cujus erat Medicus, eo se contulit, ibique mansit honestissima conditione conductus. Hujus hominis sæpe meminit Jo. Pona in suo *Montebaldo*, occasione rarissimarum plantarum, quas ad se ex Creta mittendas ille curavit.

Opus cum erudite, tum prudenter scriptum est, neque de illa regione editum quidquam est, quod comparari cum illo posse videatur. In primo libro, in quo de monumentis antiquis agitur, refert Auctor Inscriptiones, summaque Architecturæ peritia formas exhibet veterum omnium ædificiorum, de quibus publica notitia non extat, & quorum multa, cum res ita postularet, per eosdem annos subversa sunt. In his numerantur septem Theatra, quorum ipse in multis subrutis oppidis insignes reliquias detexit: sed quinque præterea Amphitheatra nominat, quorum sibi visus est videre vestigia: immo vero duorum, quorum alterum Gortynæ fuerat, alterum Hierapytnæ effingit, atque exhibet formas, ut fieri vulgo solet, quasi integra, atque perfecta

Atene. Ma Erode Attico, il quale ne' suoi sforzi di magnificenza due superbi edifizj a gli Ateniesi diede, che in tutto l'Imperio Romano non avean gli uguali, come afferma Filostrato, altro non fece che Stadio di marmo per li certami degli Atleti, e Teatro. Niun vestigio d'Anfiteatro ha però scoperto chi ha fatto attenta ricerca delle ruine di quella Città; e quanto sia lontano dal vero che Anfiteatro vi fosse, può raccogliersi da Sparziano, che narra come trovandosi Adriano in Atene, e volendo celebrarvi uno spettacolo di Fiere, lo diede nello Stadio: e da Filostrato, che racconta come Apollonio per distor gli Ateniesi dal far combatter per piacere uomini scelerati comperati a prezzo, essendo chiamato in Consiglio, che si ragunava in Teatro, disse, non voler andare in luogo lordo di sangue, e stupirsi come Pallade non abbandonasse la Città alta, dove il Teatro era, e non dover Bacco venir più in Teatro a ricever le libazioni, mentr'era da omicidii contaminato. Bel passo è altresì in Dion Crisostomo, che decide anche per Corinto. Vituperando egli gli Ateniesi del compiacersi de' Gladiatori, dice, ch'erano in ciò peggiori de' Corintii, poich' essi almeno gli facean combattere in una brutta, e sordida valle, dove gli Ateniesi in così nobil luogo qual era il Teatro: conchè si rende chiaro, che nè in Corinto, nè in Atene fu Anfiteatro, e che non bisogna, come Lipsio, e gli altri hanno fatto, dedurlo da qualche menzione, che si trovi a sorte di tai spettacoli in Grecia.

Che se non ebbe Anfiteatro Atene, nè Corinto, ben si può pensare, che molto men l'avessero le Città minori, e men dedite agli spettacoli. Potrebbero oppormisi i due Anfiteatri, de' quali corre voce vedersi reliquie in Sicilia, cioè a Catania, ed a Siracusa: ma la Sicilia passati i tempi della Republica Romana, sotto gl' Imperadori di Grecia si fece Italia, e per lingua, e per costumi. Non dissimulerò un motivo di credere Anfiteatri nell'Isola di Candia, che ho trovato in prezioso Manuscritto fattomi vedere dal P. Carlo Lodoli Minore Osservante, il quale per ben corrispondere al suo importante impiego, non men di talento, che di rare studiose supellettili è proveduto. Contiensi in tal Ms. un ampio Trattato dell' Isola di Candia composto da Onorio Belli Vicentino. che vi andò nel 1583. Medico del Proveditor Generale, e vi rimase orrevolmente condotto. Fa di questo valentuomo spesso menzione Giovanni Pona nel Montebaldo, *per rarissime piante, ch' ei gli mandò di Candia.*

L'Opera è scritta con erudizione, e con senno, e non si ha sopra quel paese alle stampe cosa di gran lunga paragonabile. Nel primo libro, in cui si tratta delle antichità, riferisce le Iscrizioni, e con ottima cognizion d'architettura dà le piante di tutti gli antichi edifizj, de' quali publica notizia non si ha, ed alcuni de' quali in quegli anni stessi per occasioni nate furon distrutti. Sono fra questi sette Teatri, di cui egli trovò tra le ruine di varie Città gran reliquie: ma cinque Anfiteatri nomina altresì, de' quali parvegli di veder vestigio; anzi di due, l'uno a Gortina, l'altro a Gerapitna, ne forma, e ne rappresenta i disegni, secondo l'uso comune come se gli avesse trovati interi, e per-

invenisset. Hic nihil aliud dixerim, nisi, quod cum primum ostendemus, facillimum esse, in veterum ædificiorum fragmentis, atque vestigiis rerum similitudine falli; idque tanto facilius potest contingere, quod Theatra, Amphitheatra, Circi, aliaque ejusmodi publica opera plurimum habent, similitudinis, quodque Theatra non deerant integro orbe clausa, qua de re agimus, ubi de Pola sermo erit. Gortynæ Amphitheatrum (cui ipse formam omnino similem Colisei Romani formæ tribuit, quod ad porticum duplicatam, & quatuor vias per diametrum oppositas pertinet, etsi arcus tantum 56. constituat) totum ait ex lateribus fuisse, omnique ornamento vacasse Architecturæ; quod ægre posset credi de Amphitheatro in ea præsertim regione, in qua ædes publicæ & ex lapide erant, & suo ornatu præditæ: huc accedit, molem hanc ostendi Urbis Foro proximam, cum tamen extra muros fieri Amphitheatra solerent. Amphitheatrum alterum fuisse ait Gerapetræ, ante, uti ex lapideis monumentis repertis didicit, Hierapytnæ, ex quo confirmatur opinio eorum, qui Gerapetram Ptolomæi eandem esse cum Hierapytna Strabonis ac Plinii credidere. Asserit Auctor hic, Amphitheatrum inter duos colliculos fuisse excavatum, atque, ut perficeretur ovatus orbis, in capitibus sex erismas factas fuisse e solido muro sine ornatu ullo; inter has vero fuisse scalas. Quid de hoc credendum sit, haud equidem sciverim, aut quis ejus loci usus esset: volo etiam, tam docti prudentisque hominis judicium vereri, atque concedere, genus aliquod Amphitheatri fortasse in gratiam alicujus Romani Præsidis etiam in Græca Urbe, licet contra græcam consuetudinem, erigi potuisse: id enim veritati assertionis meæ in genere, consuetudinique propriæ & communi Græcorum nihil officit. Cæterum verissimum est, etiam doctum hunc hominem abreptum fuisse præjudicio communi, & pro Amphitheatri vestigiis accepisse, quæ talia omnino non erant. In Gerapitnæ ruinis majores superbarum ædium reliquias ipse invenit, quam alibi; ac societatis contractum refert ab illa cum alia ignota urbe initum, & in quodam lapide inventum, cujus iste locus non est. Venit nunc in mentem mihi alia ejusdem Urbis Inscriptio, relata a Cel. P. Montfauconio in Diario Italico, ab eoque Venetiis conspecta, in qua ipse legit ΕΝΙΕΡΑΠΥΓΝΗ, quod vertit: *in sacra pugna*: atque hinc eo monumento contineri putat arcana sensa; propterea que his verbis nixus perperam totum interpretatur & explicat: neque enim ibi mentio ulla pugnæ sacræ aut profanæ, ubi legendum est ΕΝΙΕΡΑΠΥΤΝΗ, atque ita verba intelligenda, ut in Urbe Ierapytna, atque ab ejus senatu factum decretum illud sentiamus. Ejusmodi observationum multo major numerus, quam fortasse quispiam crederet, descriptus est in mea arte critica Lapidaria, cujus vix ego nunc recordor, & cujus quis futurus sit finis, ignoro.

C A P. VIII.

Idem quæritur de aliis Orientis partibus.

QUemadmodum Amphitheatris, si generatim loquamur, caruit Græcia, sic etiam Asia caruit. Aquæductuum, Templorum, Theatrorum, aliarumque id genus antiquarum ædium vestigia, ac reliquiæ adhuc in iis regionibus visuntur aliquæ, Amphitheatrorum vero nullæ. Templum Ephesinum, aliaque ædificia plura commemorantur

fetti. Qui altro non saprei dire, se non che mostrerem fra poco, quanto sia facile ne' frammenti, e vestigj d'antichi edifizj l'equivocare; e tanto più che Teatri, Anfiteatri, Circhi, ed altri publici recinti erano in gran parte simili ed uniformi, e che Teatri v'erano ancora con circonferenza intera, di che parleremo, ove di Pola. Di quello di Gortina (ch'ei rappresenta secondo il costume con pianta affatto simile a quella del Coliseo Romano nel portico raddoppiato, e nelle quattro vie diametrali, benchè poi di soli archi 56.) dice, ch'era tutto di mattoni, e senza nissun ornamento d'architettura; il che mal potrebbe credersi d'Anfiteatro in un paese, dove gli edifizj publici eran di pietra, ed ornati: aggiungesi, che tal fabrica si mostra attaccata al Foro della Città, dove gli Anfiteatri solean' essere fuor delle mura. L'altro Anfiteatro dice ch'era a Gerapetra, detta prima come imparò dalle Lapide trovatevi, Gerapitna, onde confermasi l'opinione di chi ha creduto la Gerapetra di Tolomeo essere appunto la Gerapitna di Strabone, e di Plinio. Afferma quest' Autore, ch'era incavato tra due collinette, e che per finir l'ovato avean fatto su le punte sei Contraforti di muraglia soda senza ornamento, e che tra questi erano le scale. Che debba di ciò credersi non saprei, nè qual uso veramente tal luogo avesse; e voglio ancora aver tanto rispetto al giudizio d'uom sì intendente, e sensato, di concedere non esser impossibile, che qualche spezie d'Anfiteatro, forse per compiacimento d'alcun Preside Romano, anche in Città Greca, benchè contra l'uso Greco, si ergesse; ciò non pregiudicando alla verità della mia asserzione in generale, ed al costume proprio e comune de Greci. Vero è per altro, che connettendo tutto ben si conosce, come anche questo valentuomo si lasciò condurre dalla prevenzion comune in creder vestigj d'Anfiteatro quei che non erano. Nelle ruine della detta Città di Gerapitna maggiori reliquie di superbe fabriche ei ritrovò, che altrove; ed un contratto di Società riferisce, fatto da essa con altra ignota, e trovato in Lapida, di cui non è questo il luogo. Sovviemmi ora d'altra Iscrizione di tal Città riferita dal celebre Padre Montfaucon nel Diario Italico, e da lui veduta in Venezia, dove legge ΕΝΙΕΡΑΠΥΓΝΗ *e traduce* in sacra pugna; *con che stima quel monumento di rarissima contenenza, e dipendentemente da queste parole per verità tutto in falso lo spiega, non avendosi quivi menzion di pugna nè sacra, nè profana, e dovendosi leggere* ΕΝΙΕΡΑΠΥΤΝΗ, *e intendere, che nella Città di Gerapitna, e dal suo Senato fu fatto quel decreto. Di simili osservazioni assai maggior numero che per certo non si crederebbe sta registrato nella mia Arte Critica Lapidaria, posta or da me quasi in dimenticanza, e di cui non so qual sarà il destino.*

CAPO OTTAVO.

Si fa ricerca nell'altre parti Orientali.

SIccome generalmente parlando non ebbe Anfiteatri la Grecia, così non gli ebbe l'Asia. D'acquedotti, di Tempj, di Teatri, e d'altre antiche fabriche vestigj e ruine osservansi in que' paesi ancora, non d'Anfiteatri. Il Tempio d'Efeso, e più altri edifizj son ricordati più volte dagli Scrittori: le mura, i Teatri, i Por-

sæpe a Scriptoribus: muros, Theatra, Porticus A illarum urbium, utpote res, quibus magnopere gloriarentur, in oratione ad ipsas habita nominat Aristides: stadiorum, circorumque in iis partibus passim fit mentio; Amphitheatri vero nunquam. Ea certe Asiæ civitas, quæ habuisset Amphitheatrum, nullo modo hunc principatus titulum producere in medium neglexisset, cum (Tac. Ann. l. 4.) disceptantes quanam in civitate Templum Tiberio statueretur, singulæ pari ambitione dotes suas ostentavere; idque tanto magis, quod Amphitheatrum frequentiam aliarum Urbium ad se rapuisset, eaque sedes fuisset spectaculorum sumptuosiorum, quæ sæpe communibus impensis fiebant: B quam etiam ob rem exortæ sæpe contentiones sunt, uti in eadem oratione innuit Aristides. Rem tamen hanc non attendit, qui nuper scripsit, titulum Neocoris indicio esse, civitates (Scion. de Med. c. 5.) illas habuisse *Amphitheatra*, in quibus Provinciæ totius nomine ludi celebrati fuissent. Sic constitui potest de iis civitatibus, quæ supra reliquas in Imperio eminebant. Inter ædificia Nicomediæ Terræmotu eversa recenset Libanius superbum Theatrum, ac Circum, quem inquit (Orat. 6.) muris Babylonis solidiorem fuisse; de ejus Aquæductu loquitur Plinius Junior, uti & de Theatro C (l. 10.) Nicææ, deque ædificiis aliis in ea Provincia extructis; de Amphitheatris autem ne verbum quidem uspiam facit. Sed quis e Scriptoribus est, qui Amphitheatrum Carthagine, Alexandriæ, Antiochiæ, Constantinopoli commemoret? Ego quidem facile inducor ad credendum, ne has quidem urbes verum ac stabile Amphitheatrum habuisse. Alipius D. Augustini necessarius, quan- (Aug. l. 6. Conf. c. 7.) diu Carthagine, ubi non sæva, sed nugatoria ac ludicra spectacula fervebant, moratus est, circensibus summopere delectatus est; ac solum Romæ gladiatoriis certaminibus captus est. Sane quod ad spectacula pertinet, non ob aliam rem D (l. 6.) Christianos Carthaginienses reprehendit Salvianus, nisi quod *in circis* insanirent, ac luxuriarentur *in Theatris*. Non omnino tamen defuere gladiatorii ludi, & venationes in Africa: he his loquitur D. Cyprianus, etsi Amphitheatri non meminerit; loquitur etiam D. Augustinus, qui & Amphitheatrum haud semel nominat, quippe qui morem hunc in Italia didicerat: at ipse quidem nomen ejusmodi fortasse ob similitudinem stadio, vel alteri id genus ædificio tribuit: fortasse etiam in Actis Sanctæ Perpetuæ, & Sociorum ejus, qui, ut quibusdam placet, Tuburbii, ut placet E aliis, Carthagine objecti feris sunt, Amphitheatri nomen tributum Circo est: legimus ad calcem, Martyres Feris objectos fuisse super tabulatum: quod fieri in Amphitheatris non consueverat; consueverat autem in locis aliis, in quibus circumspectare commode arenam omnem spectatores non possent.

Antiochiæ damnatus ad bestias a Trajano est D. Ignatius; at simul jussum est, eum Romam duci, ut ex Actis patet. Gladiatoribus quidem delectatæ aliquando sunt gentes illæ: quare Constantinus legem tulit Beriti, qua interdicebantur; de quibus ludis loquitur Libanius: hinc F tamen haud statim dicendum est, Amphitheatrum ibi fuisse: etenim in stadiis etiam, atque in septis celebrabantur. Quam magna Urbs fuerit Thessalonica, nemo ignorat. In ea urbe legimus in Actis S. Demetrii ab Anastasio Bibliothecario scriptis, atque a Mabillonio inter sua Analecta relatis, Imperatorem Maximianum Gladiatorum pugnis delectatum fuisse, iis tamen editis *in stadio Urbis*: imo ex iisdem Actis erudimur, ejusmodi certamina fieri etiam consuevisse intra

tici di quelle Città, come cose di cui molto si pregiavano, nell' Orazione a lor diretta rammenta Aristide: di Stadii, o Circhi in quelle parti si ha in più luoghi menzione; d' Anfiteatro non mai. Quella Città Asiatica che l' avesse avuto, non avrebbe per certo ommesso di metter fuori tal ragion di primato, quando ricordò ciascheduna le sue prerogative nella gara per ergere il Tempio a Tiberio; e tanto più, che un' Anfiteatro avrebbe tirato a se il concorso dell' altre Città, e sarebbe stata la sede de' più sontuosi spettacoli, quali spesse volte faceano in comune, e per la qual cosa aveano spesso contesa, di che nella stessa orazione fa cenno Aristide. Non ha però fatta su questo particolar considerazione, chi poco fa ha scritto, come il titolo di Neocore indicava d' aver quelle Città Anfiteatri, *in cui si fossero fatti Giuochi per nome di tutta la Provincia. Così può farsi ragione delle Città, che sopra l' altre torreggiavano nell' Imperio. Tra gli edifizj abbattuti in Nicomedia dal terremoto ricorda Libanio il superbo Teatro, e 'l Circo, che dice era più solido delle mura di Babilonia; del suo Acquedotto parla Plinio il giovane, e del Teatro di Nicea altresì e d' altri edifizj in quella Provincia; d' Anfiteatro non fa motto. Ma qual Autor parla d' Anfiteatro in Cartagine, in Alessandria, in Antiochia, in Constantinopoli? Io inclino a credere, che vero, e stabile Anfiteatro nè pur queste avessero. L' amico di S. Agostino Alipio, finchè stette in Cartagine, dove ferveano non i crudeli, ma i vani e piacevoli spettacoli, fu perduto nel piacer de i Circensi; e solamente in Roma fu rapito da i gladiatorii certami. Non d' altro in fatto di spettacoli riprende i Cristiani Cartaginesi Salviano, se non del* folleggiar ne' Circhi, e del lussuriar ne' Teatri. *Non però che mancassero del tutto giuochi di gladiatori, e di fiere nell' Africa: ne parla S. Cipriano, benchè non nomini Anfiteatro, e ne parla Sant' Agostino, il quale anche nomina Anfiteatro più d' una volta, siccome quello, che avea preso in Italia tal' uso; ma forse tal nome diede per similitudine allo Stadio, o ad altro simil recinto: e forse negli Atti di Santa Perpetua, e compagni, che furono esposti, altri ha creduto in Tuburbio, ed altri in Cartagine, alle Fiere, nome d' Anfiteatro fu dato al Circo: vedesi nel fin di essi come i Martiri furono esposti alle bestie sopra d' un palco, il che negli Anfiteatri non costumavasi; ma ben' in altri recinti, dove non si potea dagli spettatori tutti dominar sì ben la piazza.*

In Antiochia fu da Traiano sentenziato alle Fiere S. Ignazio; ma nell' istesso tempo fu ordinato di condurlo però a Roma, come negli Atti. Di Gladiatori ben si compiacquero quelle parti talvolta, onde Costantino promulgò in Berito la legge per abolirgli, e di tai Giuochi in Antiochia parla Libanio; ma non per questo bisogna inferirne Anfiteatro, perchè si celebravano anche negli Stadii, e dentro steccati. E' noto quanto gran Città fosse Tessalonica. In essa abbiam negli Atti di S. Demetrio scritti per Anastagio Bibliotecario, e registrati tra suoi Analetti dal Mabillone, come l' Imperador Massimiano si compiaceva del veder pugne di Gladiatori, ma ciò nello Stadio della Città; *anzi impariam dagli stessi Atti, come tai*

quendam *circulum*, sive ambitum *tabulis circumseptum*: quod unum satis est ut intelligamus, qua ratione in orientis partibus Amphitheatrorum vices supplerentur. Antiochiæ certe Amphitheatrum nullum fuisse patet ex Libanio ipso, qui referens Patriæ suæ illustriora ornamenta in pluribus orationibus, Theatrum, Circumque nominat, Amphitheatrum nusquam nominat; atque in Panegiri, præter magnum Theatrum fuisse inquit in media Urbe alterius formæ Theatra, alia Athletica, alia venatoria; ex quo apparet venationes etiam extra Amphitheatrum, in diversis, minoribusque ædificiis edi consuevisse. Idem multo etiam magis patet, ubi D. Joannes Chrysostomus cum significare vellet, Antiochenos deseruisse omnia spectacula, quibus cæteroquin tenebantur summopere, *circus*, inquit, *derelictus est*, & *orchestram clauserunt*; pariterque ubi refert Ammianus Marcellinus, Constantium Gallum, cum in ea urbe moraretur, ac *ludicris cruentis* gauderet, etsi sæpe vetitis, sex vel septem certamina instituisse, in quibus vel Gladiatores, vel Pugiles cestu armati pugnavere, atque hæc semper in circo: is enim Amphitheatro, si quod extitisset, profecto usus fuisset. Constantinopoli, quæ altera Roma fuit, nobilem Hippodromum, seu circum ejus urbis conditor exædificavit, de quo loquuntur Eusebius, Sozomenus, Zonaras, aliique multi, qui proculdubio Amphitheatrum, si quod forte constructum fuisset, silentio non prætermisissent. Amphitheatri sane haud procul siti *a Portu Juliani* mentio fit in quadam lege Codicis Theodosiani; itemque in eo libello, quem de Regionibus Constantinopolis vulgavit Pancirolus: at certum est, intelligendum hic esse ambitum quendam, Amphitheatri nomine a Latinis ob similitudinem appellatum, in quo venationes fierent: quoniam Circi usque ad postrema Græci Imperii tempora magna pars constitit; Amphitheatrorum contra nullæ unquam conspectæ reliquiæ sunt: nullum præterea Græcum monumentum extat, in quo Amphitheatri mentio fiat; nullus e tam multis Byzantinis Scriptoribus verba de Amphitheatris facit, ne ille quidem Anonimus, qui Constantini Ducis tempore floruit, quique de Antiquitatibus Constantinopolitanis plures libros conscripsit, & accurate ædificia recensuit; quemadmodum in *Orientali Imperio* P. Bandurii videre licet. Non est prætermittendum, quod in Chronico narrat Marcellinus, a Justiniano in suo primo consulatu insigne plurium Ferarum spectaculum in Amphitheatro datum fuisse. Sed & ipse vocem hanc eodem in sensu usurpavit; nec scio, qua fide dignum sit, quod narrat: loquitur enim Procopius in sua *Historia occulta* de antiquis spectaculis a Justiniano interdictis, conqueriturque, jamdiu deserta fuisse *Theatra, Circos, ac Venatoria*, hoc est Venationum loca: quæ omnia sublata ab eo Imperatore dicit ob avaritiam.

Hom. 15. τὴν Ὀρχήστραν ἐφράξαν, καὶ ὁ Ἱππόδρομος ἄβατος γέγονε. l. 14. c. 7.

C. Th. l. ult. de calc. coct.

cap. 26.

κυνηγέσια.

Peculiari diligentia examinanda Alexandria est, tum quia præ cæteris dedita ludis fuit, tum ob ea, quæ de ipsa ab illustribus scriptoribus dicta sunt. Legimus apud Plinium, ubi de charta Papyri Ægyptiacæ agit, quandam *Amphitheatricam* dictam fuisse *a confecturæ loco*. Guillandinus, qui de Papyro scripsit, cum ex ejus loci contextu animadverteret, de Amphitheatro ibi non agi, opinatus est legendum esse *Athribicam* ab Urbe principe cujusdam Ægypti Provinciæ; quemadmodum duo alia chartæ genera inquit ibidem Plinius eodem modo accepisse nomen, & aliam *Saiticam*, & ex ejusdem Guillandini e-

l. 13. c. 12.

certami si faceano ancora dentro un Cerchio, *o sia recinto* di tavole: *questo basta per far' intendere come si supplisse al mancar de gli Anfiteatri in Oriente. Che in Antiochia non fosse Anfiteatro, riluce da Libanio stesso, il quale nel rammentare le cose cospicue della sua patria, nomina in più orazioni Teatro, e Circo, non mai Anfiteatro; e dice nel Panegirico, che oltre al gran Teatro erano nel mezo della Città Teatri d'altra forma, alcuni per Atleti, alcuni per Fiere: dove si conferma, come faceansi Giuochi di Fiere anche fuor d'Anfiteatro, e in edfizj diversi, e minori. Riluce anche più tal verità, dove S. Gioan Grisostomo per dire, che gli Antiocheni aveano intralasciati tutti gli spettacoli, dietro a quali erano per altro perduti, così s'esprime:* il Circo s'è abbandonato, ed hanno chiusa l'Orchestra*: e così dove narra Ammian Marcellino, che Costanzo Gallo in quella Città dimorando, e dilettandosi de'* Giuochi sanguinosi, *benchè già più volte vietati, sei, o sette spettacoli fece, che o furon di Gladiatori, o di Pugili armati di Cesto; ma questi sempre nel Circo: non avrebbe certamente lasciato di far'uso dell'Anfiteatro, se stato vi fosse. In Costantinopoli, che diventò una seconda Roma, famoso Ippodromo o Circo edificò il suo fondatore; di cui parlano Eusebio, Sozomeno, Zonara, ed altri molti, i quali non avrebbero certamente taciuto dell'Anfiteatro se l'avesse parimente eretto. Vera cosa è, che Anfiteatro situato poco lungi dal* porto di Giuliano, *si mentova in una legge del codice di Teodosio, e parimente in quel libretto delle Regioni di Costantinopoli publicato dal Pancirolo. Ma è certo, doversi quivi intendere d'alcun recinto, così chiamato da' Latini per similitudine, e per farvisi mostra di bestie; mentre del Circo, si conservò fino a gli ultimi tempi dell'Imperio Greco gran parte, d'Anfiteatri non si è mai veduta reliquia alcuna; nè Greco monumento si ha che ne faccia menzione, e niuno de' tanti Bizantini Scrittori ne fa mai parola, e nè pur quell'Anonimo fiorito in tempo di Constantino Duca, che può vedersi nell'*Imperio Orientale *del P. Banduri, e il quale sopra le Antichità Costantinopolitane più libri fece, e ricercò gli edifizj minutamente. Non è da tralasciare, che Marcellino nel Cronico fatto insigne spettacolo di molte Fiere da Giustiniano nell'Anfiteatro rammenta al suo primo Consolato. Ma tal voce adoprò egli pure nell'istesso modo; e non so ancora qual fede meriti nel fatto; perchè parla Procopio nell'*Istoria Occulta *del bando dato a gli antichi spettacoli da Giustiniano, e si lamenta, che oziavano da lungo tempo* i Teatri, i Circhi, ed i Cacciatorii, *cioè luogi alle Cacce destinati, e attribuisce il divieto fattone da quell'Imperadore alla sua avarizia.*

Particolar' esame vuol farsi per Alessandria, sì per essere stata sopra tutte l'altre Città dedita a gli spettacoli; e sì per quello che di essa in tal proposito da famosi Scrittori è stato detto. Leggesi nelle stampe di Plinio, ove della carta di Papiro Egiziaco tratta, che una spezie di essa chiamavasi Anfiteatrica dal luogo ove si lavorava. *Guilandino, che del Papiro scrisse, vedendo nel contesto di quel luogo non ben' entrare l'Anfiteatro, fu d'opinione si dovesse leggere* Atribitica, *dalla Città principale d'una provincia d'Egitto, siccome due altre spezie di tal carta per l'istessa ragione insegna quivi Plinio, che si chiamavano* Saitica, *e secon-*

mendatione *Taniticam*, non *Tænioticam*, ut ferunt editiones. Risit præclaram hanc emendationem Josephus Scaliger, traducens Guillaldinum, quod *Amphitheatrum non fuisse Alexandriæ* vellet, hoc est in Urbe deliciarum plena. Scaligero adhæsit Vossius, utrique Harduinus, quemadmodum libro secundo *Historiæ Diplomaticæ* jam animadverti. Verum observandum in primis est, nullam eo loco mentionem Alexandriæ a Plinio fieri, eamque Urbem ne innui quidem, ut temere prorsus illis venerit in mentem, Urbem, in qua charta *Amphitheatrica* conficeretur, Alexandriam fuisse, ac Guillandinum emendatione illa sua Amphitheatrum denegasse Alexandriæ: qua de re ipse ne cogitavit quidem. Deinde opinio hæc haud ridicula, ac temeraria fuisset, quemadmodum ipsi credidere, opinione communi abrepti, in urbe qualibet Amphitheatra extitisse, sed verissima fuisset. Mittamus, dum Plinius scriberet, nondum fuisse conspectam ejusmodi molium formam, hoc est molem Titi; quare credibile non est, Amphitheatrum ullum stabile esse alibi potuisse: sed ante non fuisse, indicat Philo, ubi refert, Præsidem Flaccum Alexandriæ cruciare Judæos consuevisse in Theatro, antequam Musica, ludique scenici inciperentur: quod factum potius fuisset in Amphitheatro, atque inter sæva spectacula: non fuisse autem consequutis temporibus, manifeste discimus ex Ammiano Marcellino, qui in ejus Urbis laudibus ipsius quidem Turrim, aggerationem in mari factam, Templa, inter quæ ædem Serapidis commemorat, Amphitheatrum vero nullum commemorat. Imo vero Alexandriæ neque Amphitheatrum fuit, neque usus spectaculorum illorum, quibus celebrandis Amphitheatrum inserviebat: quod evidentissime demonstratur ex ea Dionis Chrysostomi oratione, qua Alexandrinos a nimio spectaculorum amore conatus est deterrere. Accusat illos semper, quod in Theatro, in stadio ineptirent, quod immodico equorum, aurigarum, cantorum, citharœdorum, saltatorum, luctatorum studio delirarent; at vero Amphitheatri, Ferarum, Gladiatorum nulla mentio est. Recordor Monumenti cujusdam ab Appiano in collectione a se facta, atque hinc a Grutero relati, quod movere quempiam posset, ut Gladiatorium ludum Alexandriæ fuisse crederet: legimus enim hæc: *Procurator Ludi familiæ Gladiatorum Cæsaris Alexandreæ ad Ægyptum*: sed inscriptionibus, ex quibus, si sapienter adhibeantur, tanquam ex germano fonte purissima derivatur cognitio, admodum caute utendum est, donec accurato adhibito examine a falsis genuinæ secernantur: videbimus olim, superis bene juvantibus commemoratum monumentum vel adulterinum esse, vel adulteratum ex ea parte. Gladiatores sane in illas regiones duxit M. Antonius, at tanquam milites, quemadmodum eorum duo millia postea armavit Otho contra Vitellium.

In Opusc. — Phil. in Flacc. — Orat. 32. — 376. 2.

Hæc omnia ut confirmem, addam hic, oratorem eundem, ut ostenderet Alexandrinis, quam se ridiculos redderent nimio illo suo spectaculorum amore, recitare triginta sex versus, a nescio quo Poeta adversus ejusmodi spectacula confectos. Digni maxime notatu sunt, utpote Satyræ Græcæ fragmentum, unicum, in hoc genere inter monumenta Græca, ac nondum probe observatum: Ecce illos latine redditos.

A *do altra correzione dell' istesso Guilandino* Tanitica, *non* Tæniotica, *com' hanno le stampe. Si rise di così bella emendazione Gioseffo Scaligero, deridendo Guilandino, perchè volesse*, che non fosse Anfiteatro in Alessandria Città sì piena di delizie. *Dietro Scaligero se n' andò Vossio, e dietro ambedue l' Harduino, come nel secondo libro dell'* Istoria Diplomatica *ho già avvertito. Ma in primo luogo è da osservare, che niuna menzione fa Plinio in quel luogo d' Alessandria, e niun cenno ne dà, onde senza immaginabil ragione venne in mente a que' valentuomini, che la Città, ove si facea la Carta,* B *che voglion detta* Anfiteatrica, *fosse Alessandria, e che Guilandino con la sua emendazione venisse a negare Anfiteatro in Alessandria, al che egli non pensò mai. Dopo questo abbiasi per certo, che questa opinione non sarebbe stata ridicola e stravagante, com' essi per la prevenzion comune degli Anfiteatri in ogni Città hanno creduto, ma verissima. Lasciamo, che quando scrivea Plinio non si era veduto ancora l'esemplare di così fatte moli, cioè quella di Tito, e non è però credibile, che Anfiteatro permanente potesse esser già in altra parte: ma che non vi fosse anteriormente, l' indica Filone, o-* C *ve narra, che il Preside Flacco facea in Alessandria tormentare i Giudei nel Teatro avanti di cominciar la musica, e i giuochi Scenici, il che si sarebbe più tosto fatto nell' Anfiteatro, e tra i fieri spettacoli; e che non vi fosse nè pur ne' posteriori tempi, si ricava con sicurezza da Ammian Marcellino, il quale nello studiato encomio di quella Città ricorda la sua Torre, il suo terrapieno in mare, i suoi Tempj, tra quali quel di Serapide, e non Anfiteatro. Anzi in Alessandria nè fu tale edifizio, nè uso di quei spettacoli a cui serviva: il che indubi-* D *tatamente si dimostra da quella Orazione di Dion Crisostomo, con cui cercò divertire gli Alessandrini dall' eccessivo amore de gli spettacoli. Gli accusa in essa continuamente del vaneggiare in Teatro, e nello Stadio; del delirar per cavalli, per cocchieri, per cantori, per citaredi, per ballerini, per lottatori; ma d' Anfiteatro, di Fiere, di Gladiatori non c' è menzione alcuna. Sovvienmi d' una Lapida riferita da Appiano nella sua raccolta, e quinci dal Grutero, che potrebbe far credere scuola in Alessandria di Gladiatori, leggendovisi* Procurator Ludi familiæ Gladiatorum Cæsaris Ale- E xandreæ ad Ægyptum: *ma delle Iscrizioni, fonte, che sanamente usato è il più prezioso, e più puro, molto cautamente si vuol far uso, finchè un generale esame non ne sia instituito per separar le false dalle legitime: vedremo un giorno a Dio piacendo chiaramente come la sudetta Lapida o adulterina è, o in tal parte adulterata. Gladiatori condusse bensì in quelle parti Marc' Antonio, ma per soldati, come due mila ne armò poi Ottone contra Vitellio.*

Confermerò tutto questo con aggiunger qui, come il sudetto Oratore per far conoscere a gli F *Alessandrini, quanto si facean ridicoli con esser dietro agli spettacoli così perduti, recita 36. versi, fatti da non so qual Poeta in lor derisione. Notabili son questi molto, per essere un pezzo di Satira Greca, unico di tal genere tra' Greci monumenti, e non ancora avvertito. Ne porrò la versione inerente quanto è possibile, e solamente ajutata alcun poco per coprir qualche imperfezione, che nasce nell' originale dall impegno d' andar per lo più parlando con versi, o con parole Omeriche.*

I coc-

At currus humiles modo, tellurique propinqui, A
Elati modo celse ibant fervente volatu:
At nullus stabat penitus nullusque sedebat
Sede locoque suo spectator: pallidus illis
Vertebat timor & turpis trepidatio mentem.
Hortabantur & ob palmam se mutuo vastis
Vocibus & gestu, manibusque ad sidera tensis,
Cunctos quisque Deos votis precibusq; vocabant,
Utque gruum resonat, picarumq; æthere clangor,
Sic illi simul ac zythum vinumque bibere
Per stadium clangore volant, rabieque furentes.
Ast alii sturnorum & picarum ut venit agmen
Clamore immenso vidissent quando ruentem
Cornipedem, qui fata viris fert tristia stultis, B
Vociferabantur pugna, alternaque cadebant.
Ut ventus paleas agit, & fert per loca plana,
Utque ebullit edax altis in vallibus ignis,
Quem partes rapidus convolvit ventus in omnes,
Impete procumbunt luci radicitus ignis.
Sic hi pugnabant ardenti corpore flammæ
Consimiles: nec tu posses tum dicere solem
Sedibus in superis, nec Phœbes lampada salvam:
Quale genus siquidem foliorum, tale virorum est,
Qui mentis levitate vigent, miroque feroces
Cantorum studio, cytharæque feruntur amore.
At vox amborum superas ascendit ad arces.
Sic autem acre tuens dixit sibi quisque propinquo: C
Ebrie, lumina habes canis, & qui pectora cervi
Quid trepidas spectasq; isto in certamine currus:
Ast age, rem tenta mecum, quo præmia solvas
Deflexus. Porro Hippocoon respondit ad illa:
Quæso sede tacitus moremque meis gere dictis:
Namque tibi famulus nequam est, tardiq; caballi
Huic vero varius pedibus sub fine jugali
Dixit equus: num non cernis quam magnus & ipse
Et pulcher sim, mors nobis tamen imminet atra,
Sic utinam vobis aliquas præsentibus atque
Omnibus unglas det magni soror alta Tonantis,
Edatis penitus garritus ut mihi nullos, D
In quavis etiam sedeatis parte Theatri.
Sic ait: ast illi regem fulgentis olympi
Multa precabantur:

I cocchieri ora a terra s'inchinavano,
Or sublimi s'ergean: gli spettatori
Non stavan fermi, uscian de i lor sedili,
E gialli per timore, e della palma
Ansiosi, animavansi tra loro,
Ed alzando le mani a tutti i Dei
Facean preghiere, con clamore uguale
A quel delle cornacchie, e delle grue.
Ma color, poichè birra e vin possente
Bebbero, per le vie del Circo vòlano
Schiamazzando; e qual viene di cornici
Nuvola, o pur di storni alto gridando;
Così anch'essi, allorchè vedeansi adosso
Corridore venir, che a gli uomin pazzi
Morte reca, cadean, mettendo strida,
Un sopra l'altro. Ma come per l'aie,
Porta il vento del gran la prima spoglia,
O stride il fuoco in alte valli, anch'eglino
Quasi fiamme infuriavano, e diresti
Non esser salvi pur la Luna, e'l Sole.
Quali le foglie son, tali son gli uomini
Gli uomin dico leggieri, innamorati
E de'canti, e de'cocchi: andava al Cielo
Il gran vociferar degli uni, e gli altri;
E fu chi riguardando il suo vicino,
Ubriaco, disse, occhi di cane, e core
Di cervo, che paventi? e perchè miri
Nell'agon dietro il carro? or via, ti pruova,
Che ti vedrem disteso in terra. Allora
Così rispose Ippocoonte. Amico
Siedi in grazia, e sta cheto; il mio consiglio
Accetta, poichè tu ministro imbelle,
Ed hai pigri cavalli. Inver l'istesso
Parlò un destrier balzan di sotto il giogo.
Non vedi tu, com'io son grande e bello?
Pur la morte m'è sopra, e la possente
Parca: deh vi facesse unghiati tutti
Voi che qui siete la Gran Dea Giunone;
Talchè sedendo, un d'una parte un d'altra,
Non mi garriste più. Così parlava,
Ma quelli a Giove di Saturno figlio
Si rivolgean pregando.

Horatius, & Quintilianus, & post hos Diomedes Satyram Lucilianam rem plane Latinam dixerunt esse, non autem Græcorum inventum. Sed quod ajunt, revocari in dubium videretur posse ex his versibus, idque tanto magis, quod Orator non inusitatum carminis genus fuisse ostendit, dum versus illos referens, ita scripsisse ait, *quendam ex his obscœnis poetis*: quod dum ait, ostendit, genus hoc carminis in more fuisse, E auctoresque dum vocat obscœnos, notam exprimit Satyricorum. Huc accedit, nihil aliud videri fuisse Timonis sillos, uti recte in suo de Poesi Satyrica Tractatu animadvertit Casaubonus. Nodum hunc solvi crediderim posse, si observemus, paullo ante allatos versus esse Homericarum parodiarum compositionem, quemadmodum & versus Timonis, quos hic atque illic adducit Laertius, ipsum demonstrant rationem eandem iniisse. Cum igitur Græci huic Poeseos generi addicti essent, ut ex Omeri versibus quosdam veluti centones conficerent, factum hinc est, ut parvo in pretio haberentur, neque cum Satyricis F Latinis ex æquo ponerentur.

τὶς τῶν σκαπρῶν τούτων ποιητῶν.

Ut ad propositum nostrum revertamur, ex hac Satyra apparet, Alexandriæ ludos intra cantus, & currus stetisse, spectacula vero Amphitheatralia nulla extitisse. Philo, qui Alexandrinus erat, referens, ab initio Imperii Caligulæ civitates singulas jocis ludisque indulsisse, ludos nominat Theatrales atque Circenses, non autem Amphitheatrales. Ad extremum ubicumque Græci Pa-

Legat. ad C. p. 994

Orazio, e Quintiliano, e dopo essi Diomede, dissero la Satira Luciliana cosa affatto Latina, e non fatta da Greci. Parrebbe da questi versi potersi rivocare in dubio la verità dell'asserzion loro, e tanto più che mostra non fosse componimento inusitato, mentre dice l'Oratore adducendogli, così avere scritto un di questi sporchi Poeti: *con che fa conoscere, che tal genere di Poesia era in corso, e con chiamargli sporchi, dinota un carattere de i Satirici. Aggiungasi, che i Silli di Timone, come ben avvertì Casaubono nel trattato della Poesia Satirica, altra cosa certamente non par che fossero. Questo nodo io crederei potersi sciorre osservando, come i sudetti versi sono un incatenamento di parodie d'Omero, e come quei di Timone, cui sparsamente adduce Laerzio, mostrano, ch'egli altresì tenne l'istesso stile. L'essersi però i Greci in tal maniera di Poesia legati per lo più, quasi a modo di centone, a versi d'Omero, e ad un rimpasto di essi, cagionò, che poco si considerassero, nè venissero computati co' Satirici Latini.*

Ritornando a nostro proposito appare anche in questa Satira, come i Giuochi d'Alessandria consisteano in canti, *e* in cocchi, *nè vi erano spettacoli Anfiteatrali. Filone, ch'era Alessandrino, raccontando come nel principio dell'Imperio di Caligola ogni Città vivea in feste, e in Giuochi, nomina Teatrali, e Circensi, non già Anfiteatrici. Per fine tutti i passi de' Pa-*

tres orientales populos ob ſpectacula reprehendunt, vel non loquuntur niſi de Theatro ac circo, vel loca, in quæ inducebantur Feræ, *Venatoria*, non Amphitheatra nominant; ut obſervare licet in pluribus Chryſoſtomi locis, in Homilia XXVII. Nazianzeni, atque in Catecheſi prima S. Cyrilli. Sic in Canonibus Quiniſextæ Synodi prohibentur *Venatoriorum* ſpectacula. Suidas in voce *Amphitheatrum* neminem adduxit niſi Agathiam, qui unum commemoravit in Italia. Atque in voce *Cynegium* locutus eſt de *Venatorio* quod erat Conſtantinopoli, neque ibi Amphitheatrum ullum fuiſſe indicavit. Sic in legibus dividi ſpectacula ſolent in *Theatralia*, ac *Circenſia*, & quando mentio fit de Feris, non dicitur, *& Amphitheatralia*, ſed *Ludi Theatrales*, *Circenſia certamina*, *Ferarumque curſus*, vel *lacrymoſa Ferarum ſpectacula*, ut loquitur lex Theodoſii ad Præfectum Prætorii orientis, & lex Leonis, qua genus omne ſpectaculorum die Dominico fieri Conſtantinopoli vetuit. Euſebius, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica tot Martyria refert ex iis maxime, quæ Ferarum miniſterio, & ſpectaculi more in tam multis orientalium Provinciarum urbibus contigere, in Græco textu nunquam meminit *Amphitheatri*; bis tamen meminit, ubi de S. Potini Martyrio, quod Lugduni accidit, loquitur. Sic quater *Amphitheatri* vocem in Græco textu uſurpat Joſephus, ubi de Amphitheatris ab Herode in Judæa extructis verba facit: ea enim vera Amphitheatra, etſi lignea, fuere.

κυνηγέσια. — Can. 52 — C. Th. de Spect. l. 2. C. Juſt. de Feriis l. 10. — l. 5. c. 1.

CAP. IX.

Amphitheatra lapidea neque in Occidente, atque in ipſa Italia multa fuiſſe.

VEniamus modo ad occidentalem Imperii partem, cujus provinciæ ſpectaculorum Italici illius generis, quibus edendis hujuſmodi ædificium conſtruebatur, fuerunt multo amantiores. In tam magno, ac prope infinito urbium numero paucæ tamen illæ ſunt, quæ ſe Amphitheatrum habuiſſe oſtendere graviter poſſint: atque iſtæ vel in Galliis ſunt, vel in Hiſpanis univerſæ. Amphitheatrum Tarraconæ maxime commemorant Acta S. Fructuoſi, & Sociorum. Prope Sevillam olim, ac recens Italicæ credidere nonnulli ſe Amphitheatri veſtigium offendiſſe: de qua tamen re nihil auſim affirmare pronunciare. Gladiatores, ac Feras Sevillæ vidimus ante ex quadam Pollionis Epiſtola; ſed tempus, quod Cæſaris Principatum antevertit, ſatis oſtendit, pugnas tunc non fuiſſe in Amphitheatro editas. In Gallia creditæ ſemper ſunt reliquiæ Amphitheatri illæ, quæ Nemauſi viſuntur. De alio Amphitheatro in Pictavia loquutus eſt Lipſius, licet ambigue, & præter Lipſium etiam Bulengerus: ſed rem inſpici diligentius oporteret. Alia non pauca ex iis, quæ ſuperſunt, reliquiis aſſeruntur Amphitheatra; at quam graviter, judicium illorum ſit, qui ipſas ejuſmodi reliquias eruditis oculis fuerint contemplati: ſunt enim qui pluribus in locis fuiſſe Amphitheatrum colligant ex ovali tantum figura, quæ in veſtigiis ipſis videretur extare. Amphitheatrum Lugduni, ut paulo ante innuimus, nominatur in epiſtola Lugdunenſis, ac Viennenſis Eccleſiæ, quam memoriæ tradidit in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica Euſebius. Scriptores, ac monumenta recentiorum temporum, ac poſt annum centeſimum ſupra milleſimum, a Cangio in Gloſſario relata, *Arenas* Maſſiliæ, Avaricis, in Regione Petricorienſi, Remis, Pariſiis nominant: ſed

dri Greci in riprenſione de' popoli Orientali per motivo di ſpettacoli, o non parlano che del Teatro, e del Circo; o i luogi, ove Fiere s' introduceano, chiaman Cacciatorii, *non mai Anfiteatri; come può oſſervarſi ſingolarmente in più luogi del Griſoſtomo, e nell' Omilia vigeſimaſettima del Nazianzeno, e nella Catecheſi prima di S. Cirillo. Così ne' Canoni del Sinodo detto Quiniſeſto ſi proibiſcono gli ſpettacoli de'* Cacciatorii. *Suida nella voce* Anfiteatro *non citò che Agazia, il quale uno ne mentovò in Italia. E nella voce* Cinegio *parlò del* Cacciatorio, *ch' era in Coſtantinopoli, nè punto indicò, che foſſe Anfiteatro. Così nelle Leggi ſoglion dividerſi gli ſpettacoli in* Teatrali, *e* Circenſi; *e quando di Fiere ſi aggiunge menzione, non ſi dice*, ed Anfiteatrali, *ma* giochi Teatrali, contraſti Circenſi, e correr di Fiere, *ovvero, e* lagrimoſi ſpettacoli di Fiere, *come parla quella di Teodoſio diretta al Prefetto del Pretorio d' Oriente, e altresì quella di Leone, con cui vietò in Coſtantinopoli ogni ſorte di ſpettacolo nella Domenica. Euſebio, che nell' Iſtoria Eccleſiaſtica tanti martirii narra, ſingolarmente per via di Fiere, e a modo di ſpettacolo ſeguiti in tante gran Città delle Orientali provincie, non ha nel ſuo Greco originale menzion mai d'* Anfiteatro; *ma ben due volte l' ha, dove ſi tratta del Martirio di S. Potino in Lione. Così quattro volte ha in Greco la voce* Anfiteatro *Gioſeffo, dove parla degli edificati da Erode in Giudea; perchè quelli furon veramente Anfiteatri, benchè di legno.*

CAPO NONO.

Non molti eſſere ſtati gli Anfiteatri di pietra anche in Occidenre, e nell' Italia ſteſſa.

PAſſiamo all' Occidente, le provincie del quale furono aſſai più inclinate a quel genere Italico di ſpettacoli, cui ſi adattava tale edifizio. Nell' infinito numero di tante Città poche non per tanto trovanſi, che qualche fondamento poſſano addurre d' avere avuto Anfiteatro, e queſte nelle Gallie ſon tutte, o nelle Spagne. D' Anfiteatro in Tarracona fanno ſingolar menzione gli Atti di S. Fruttuoſo, e compagni. Preſſo Siviglia fu creduto già, e in Italica novamente, di vederne veſtigio, ſopra che non ardirei decidere. Gladiatori, e Fiere in Siviglia abbiam veduto innanzi da un' Epiſtola di Pollione, ma il tempo anteriore al Principato di Ceſare fa dimoſtrazion baſtante, che non operavano allora in Anfiteatro. In Francia avanzo d' Anfiteatro è ſtato creduto ſempre quel che ſuſſiſte a Nimes. D' altro nel Poetù parlò Lipſio, benchè ambiguamente, e il Bulengero ancora, ma converrebbe foſſe oſſervato meglio. Non pochi altri ſe ne aſſeriſcono per ragion d' eſiſtenti reliquie; con quanta certezza, me ne rimetto a chi le avrà con occhio perito eſaminate ſul fatto; perchè vi argomenta taluno Anfiteatri in più luoghi da nulla più, che da figura ovale creduta apparire in veſtigj. Anfiteatro a Lione, come teſtè accennammo, ſi nomina dall' Epiſtola di quella Chieſa, e della Vienneſe conſervataci da Euſebio nell' Iſtoria Eccleſiaſtica. Scrittori, e monumenti di baſſo tempo, e poſteriori al mille cento, citati dal Cangio nel Gloſſario, nominano Arene *in Marſiglia, in Bourges, in Perigord, in Rems, in Parigi; ma in queſti proſſimi ſecoli nè ſi ſapea che foſſe An-*

proxime elapsis sæculis nec quid esset Amphitheatrum, notum erat, neque ejusmodi nomina in sua germana & antiqua significatione accipiebantur. Treviris, colonia per Augustum constituta, urbe, ut appellat Pomponius Mela, opulentissima, in qua plures Imperatores fixere suam sedem, sunt quæ moveant jure nos, ut fuisse Amphitheatrum credamus, cum *Arenas* ibi commemoret Aimoinus, inquiens, restitum fuisse olim *collocato præsidio in Arenis Urbis*. Ego tamen novi ex Salviano ab eo populo non alia spectacula quæri consuevisse nisi Theatralia atque circensia, ac video ab Eumenio celebrari ejus Urbis circum *Romani æmulum*, Basilicas, Forum, ædes, quæ usque ad sidera attollebantur, Amphitheatrum commemorari non video. Sic Constantius, cum Arelate hyemaret, sumptuosa spectacula dedit, *Theatralia* tamen, atque *Circensia*, ut testatur Ammianus Marcellinus; ac Circensia usque ad Justiniani tempus duravere, uti legimus in Procopio. Narbonæ laudes texit Sidonius Apollinaris, eamque ob ædes singillatim recensitas laudat: *Theatrum* nominat, *Forum*, *Portas*, *Porticus*, *Capitolia*, *Monetas*, *Thermas*, *Arcus*, *Granaria*, *Macella*: an vero prætermisi & Amphitheatrum, si quod fuisset? sed ad Italiam veniamus.

l. 3. c. 1.
l. 6. Theatra quæritis, Circum postulatis.
In Paneg. Const.
l. 14. c. 5.
Bell. Goth. l. 3. c. 43.

Amphitheatra lapidea ne in Italia quidem tam multa fuere, quam multa fuisse creduntur. Volebat Vitruvius Herculis Templa in iis Urbibus, in quibus neque Gymnasia essent, neque Amphitheatra, prope circum fieri. Circus igitur in Urbibus singulis fuit, Amphitheatrum vero non fuit, ne ligneum quidem, cujusmodi ea ætate construi Amphitheatra solebant. Si fidem certiorem ex reliquiis quærimus, Verona excepta, & Capua, perraro manifesta Amphitheatri indicia inveniemus. De Amphitheatris Siciliæ ac Polæ mittimus in præsentia loqui. Reliquiæ cæteræ Amphitheatrorum, quæ ajunt ad Lirim, Puteolis, Otriculi, Hispelli, aliisque in locis pluribus fuisse nihil aliud ostendunt præter fragmenta antiqui muri lateritii, vel signa cujusdam ambitus, ex quibus non possunt nisi temere Amphitheatra colligi: quod confirmari ex eo maxime potest, quia eorum aliqua colliculis adhærent, quibus de industria conjungebantur, ut minori sumptu Theatrum conficeretur, constituta per declive Audientia, scena vero in planitie collocata; Amphitheatrum vero fieri omnino non poterat, utpote quod gradus circum undique requirebat. Quæ res facit, ut dubitem, fueritne & Albani Amphitheatrum veri nominis, etsi fuisse vulgo credatur. Etenim antiquitatis vestigia, quæ ibi visuntur adhuc, de quibus loquitur in suis Commentariis Pius secundus, atque ex iis, qui de Latii antiquitatibus scripserunt, Eq. Jacovatius in opere nondum edito præseferunt semicirculum graduum scalpro in ipso collis vivo saxo excavatorum; in parte vero opposita nullum opus ex lapide conspicitur, nullumque graduum vestigium, sed reliquiæ tantum muri in varia fragmenta comminutæ. Visuntur etiam circum plures statuis recipiendis paratæ sedes, quæ neque in Romano neque in Veronensi Amphitheatro observantur, multa præterea aquæ conceptacula cum subterraneo specu, ubi videtur aquæductus fuisse. Ferarum ludos edidit Albani Domitianus, ubi sumptuosa villa ei erat. Hic Glabrionem hominem consularem coactum fuisse ab eo Imperatore cum leone congredi inquit Dion, Amphitheatrum tamen non nominat. Eundem ait Suetonius plures belluas confodisse sagittis *in Albano secessu*, ubi certe dixisset *in Albano Amphitheatro*, si forte fuisset. Sed ejusmodi ludi a Neronis usque tempore,

l. 1. c. 7.

A *fiteatro, nè si usavano sì fatti nomi nel suo vero, e antico significato. In Treveri, Città fatta Colonia per Augusto, detta opulentissima da Pomponio Mela, e dove fecero qualche tempo residenza più Imperadori, ragion forte abbiamo per credervi Anfiteatro, mentre vi fa menzion d'* Arene *Aimoino, dicendo, che in cert' occasione fu fatta resistenza* con collocar presidio nell' Arene della Città. *Tuttavia io veggo in Salviano, che altri Giuochi non chiedea quel popolo se non Teatrali, e Circensi; e veggo Eumenio celebrare di quella Città il Circo* emulo al Romano, *le Basiliche, e il Foro, fa-*
B *briche, quali* si alzavano fino alle stelle, *senza far menzione d' Anfiteatro. Così svernando in Arles Constanzo, sontuosi spettacoli vi celebrò, ma* Teatrali e Circensi, *come attesta Ammian Marcellino; e Circensi vi continuavano fino in tempo di Giustiniano, il che si vede in Procopio. Di Narbona fa l' encomio Sidonio Apollinare, e l' esalta per gli edifizj partitamente*: Teatro, Foro, Porte, Portici, Campidogli, Zecche, Terme, Archi, Granaj, Macelli: *avrebb' egli taciuto l' Anfiteatro? Ma veniamo all' Italia.*

C

Gli Anfiteatri di pietra nè pur in essa fur tanti, quanti vien creduto. Insegnava Vitruvio, che i Tempi d' Ercole in quelle Città, dove non erano nè Gimnasii, nè Anfiteatri, si facessero presso al Circo. Era dunque Circo bensì da per tutto, ma non Anfiteatro, nè pur di legno, quali faceansi in quel tempo. Se noi ricerchiamo accertata fede dalle ruine, fuor di Verona non veggiam forse manifesta pruova d' Anfiteatro stabile, se non a Capua. Di quelli di Sicilia, e di Pola sospendiamo il parlar per ora. Gli
D *altri avanzi, che si predicano d' Anfiteatri al Garigliano, a Pozzuolo, in Otricoli, a Spello, ed in più altri luoghi, non mostrano per lo più se non pezzi d' antico muro laterizio, ovvero segni di circuito, da quali o visionaria, o incerta cosa è arguire Anfiteatro; e tanto più che alcuni di essi sono in costa di collina, ch' eran industria per formare un Teatro con minore spesa, lavorando l' uditorio nel declive, e mettendo nel piano la scena, non Anfiteatro, che volea i gradini circolarmente all' intorno. Questa particolarità mi fa dubitare, se vero Anfiteatro fosse nè pure in Albano, benchè ciò si cre-*
E *da comunemente; poichè le vestigie d' antichità, che quivi tuttavia rimangono, e delle quali parla Pio secondo ne' suoi Comentarj, e tra quelli che scrissero sopra le antichità del Lazio, il Cavalier Giacovazzi in opera non pubblicata dicesi mostrino un semicerchio di gradini, incavati a forza di scalpello nel vivo sasso del colle; e che nella metà opposta nulla di pietra si vegga, nè vestigio di gradi, ma bensì reliquie di muraglia in varj pezzi. Vi si vede ancora un giro di nicchie, che non si osservano*
F *nel Romano Anfiteatro, nè nel Veronese, e molte conserve d' acqua con sotterraneo speco, ove pare, che fosse acquedotto. Giuochi di Fiere fece Domiziano in Albano, dov' ebbe sontuosa villa. Parla Dione dell' aver lui costretto quivi Glabrione stato Console a combatter contra un Lione, ma non nomina Anfiteatro. Dice Svetonio, ch' ei saettò gran numero di Fiere* in Albano secessu*; dove pare assai non avesse detto* in Albano Amphitheatro. *Ma sì fatti giuochi si fecero in Albano fin dal tempo di Nerone, che vuol dire avan-*

hoc est antequam ulla essent Amphitheatra lapidea, fieri Albani solebant: cujus rei fidem facit Juvenalis, ubi ait, in *Albana Arena* strenue interfici Africanas belluas consuevisse quasi a quodam Bestiario, ab eo Adolescente consulis Filio, a Nerone postmodum perempto. Jam vero quis locus esset, ubi ejusmodi venationes Albani celebrarentur, docet antiquus commemorati Poetæ Interpres, inquiens ibi *Lusorium* fuisse Imperatoris: quod dum ait, peculiarem locum innuit ludis ejusmodi designatum, amplum quidem atque magnificum, non ita tamen, ut Amphitheatri nomen mereretur.

Ad Sat. 4. in lusoriis Cæsaris &c.

Sed ego non omnia conquiram, quæ in Italia ferunt extitisse: nimis enim in longum abiret oratio. Dicam illud modo, si Venetiam hanc nostram lustrare voluerimus, hoc est regionem, quæ semper præ ceteris eminuit, quæque cum opulentia, tum frequentia habitatorum illustris fuit, in ejus finibus extitisse Aquilejam urbem maximam; in ea tamen proditum memoriæ non est Amphitheatrum fuisse; neque ego, etsi diligenter omnia ibi scrutatus sim, Amphitheatri vestigium, aut indicium ullum potui invenire. Jornandes, qui annis centum post Attilæ excursionem floruit, Aquilejæ vix superfuisse ulla vestigia affirmat: non dubito, id ab eo nimis exaggerate fuisse dictum: sed moles tanta, cujusmodi est nostrum hoc Veronense Amphitheatrum, haud sane tam brevi temporis intervallo ad nihilum omnino redigi potuisset. Posset hic respondere quispiam, ideo Amphitheatrum Aquilejæ non extitisse, quod postremis temporibus ad magnitudinem evecta urbs illa fuerit; ejusmodi autem ædificia superiorum ætatum opera fuisse. Sed quid de Patavio dicetur, quæ urbs antiquis temporibus adeo floruit, ut cum illa paucæ in Italia comparari possent, ut colligere licet e Strabone? Amphitheatrum tamen stabile Patavii ne fuerit, magnopere dubito, quippe cum nullum unquam detectum vestigium sit, nihilque de hac re meminerit Scardeonius. Non inficior, Pignorium postea de Patavino Amphitheatro fuse egisse, formamque, & quaternas facies exhibuisse: sed is pro Amphitheatro accepit cavædium quoddam ovale ante pulcherrimam domum prope Templum Patrum Augustinianorum reliquiis muri circumseptum, quod propter januarum multiplicitatem, & figuram *Arenæ* nomen accepit. Verum ejus ætas vix quattuor, aut quinque sæcula, ut videtur, numerat, nec unquam porticus adnexas habuit, neque scalas, neque gradus. Consulantur Acta Sanctorum Firmi, ac Rustici a me nuper vulgata ad calcem *Historiæ Diplomaticæ*. Anolino, dum Mediolano ad utramque Venetiam auctoritate Magistratus extra ordinem insignitus iter pararet, jussu Maximiani traduntur duo illi Heroes, ut eos vel a Christi fide deficere cogat, vel manentes in proposito interficiat. Is ut duos Christianos publico spectaculo proponeret, ratus se rem gratam populo facturum, duci illos Veronam jubet, ubi dilaniari in Amphitheatro deinde præcepit. Sic Antiochiæ mandavit Trajanus, ut D. Ignatius Romam duceretur, ut plebi spectaculo esset, sicuti tradunt Acta. Videtur hinc posse colligi, neque Bergomi, neque Brixiæ, per quas Urbes transiturus erat primum Anolinus, Amphitheatrum fuisse; sed nec Aquilejæ fuisse, ad quam Urbem utpote totius provinciæ ea ætate maximam, ac frequentissimam procul dubio deducendos curasset. Veronam etiam hac in re plus æquo honoravit Julius Cæsar Scaliger, qui eidem Amphitheatra duo tribuere non dubitavit. Sic Ambrosius Leo, qui initio de-

De Comœd. & Tr. c. 17.

A *ti l'uso d'Anfiteatri di pietra; di ciò fa fede Giuvenale, ove dice, che nell'* Albana arena *trafiggea bravamente le belve d'Africa, quasi Bestiario, quel giovane figliuolo di Console ucciso poi da Nerone. Or qual fosse il luogo, ove in Albano sì fatte Cacce si celebravano, insegna l'antico interprete del suddetto Poeta, affermando quivi, ch'era un* Lusorio *dell'Imperadore: vuol dire un recinto particolare per usi simili, che sarà stato bensì ampio, e magnifico, ma non tale, che meritasse nome d'Anfiteatro.*

B *Ma io non farò ricerca degli asserti in Italia, che troppo lungo sarebbe: dirò bensì, che se prendiamo a considerare la Venezia nostra, regione, che in ogni tempo tanto si distinse, e tanto doviziosa fu, e popolata, grandissima Città nell'estremità di essa fu Aquileia, e non per tanto d'Anfiteatro non vi si ha memoria; nè io attentamente ricercando ve n'ho saputo quivi riconoscere orma, o indizio alcuno. Giornande, il qual fiorì cent'anni dopo l'incursion d'Attila, afferma, che d'Aquileia appena erano rimasi i vestigj: son certo ch'egli allora esaggerò; ma una mole come la nostra Arena* C *non avrebbe potuto mai rimaner poca cosa in sì breve tempo. Potrebbe rispondersi, non avere avuto Anfiteatro Aquileia, perchè la sua grandezza fu nel secol basso, e sì fatti edifizj furon lavori delle superiori età. Ma che dirassi di Padova, la qual fiorì nell'alto secolo sì fattamente, che poche in Italia potevano ad essa paragonarsi, come da Strabone si può raccogliere? e con tutto ciò se Anfiteatro stabile avesse, dubito grandemente, mentre non se n'è mai scoperto vestigio alcuno, e non ne fece però parola lo Scardeone. Vera cosa è, che il Pignorio poi d'Anfiteatro in Padova parlò a lungo,* D *e ne diede la pianta, e quattro prospettive; ma tale parve a lui un Cortile ovato dinanzi un bel Palagio presso la Chiesa de' Padri Agostiniani con avanzo di muro intorno, che per la moltiplicità di porte, e per la figura fu chiamato Arena; ma non mostra più di quattro, o cinque secoli d'età, nè portici ebbe annessi mai, nè scale, o gradi. Osservisi negli Atti de' SS. Fermo e Rustico publicati poco fa da me a piè dell'* Istoria de i Diplomi. *Ad Anolino, nel punto di dover partire da Milano verso l'una e l'altra Venezia con autorità di Magistrato straordinario,* E *vengono consegnati per ordine di Massimiano que' due Cristiani Eroi, perchè gli sforzi a rinegar la fede, o gli uccida. Costui con intenzione di farne publico spettacolo, e di gratificar con ciò il popolo, ordina subito, che sian mandati a Verona, dove gli fece poi nell'Anfiteatro lacerare. Così Traiano ordinò in Antiochia, che fosse condotto Sant'Ignazio a Roma, perchè servisse alla plebe di spettacolo, come parlano gli Atti. Pare potersi ricavar da questo,* F *che Anfiteatro non fosse in Bergamo, nè in Brescia, per le quali Città Anolino dovea passar prima; e non fusse nè pure in Aquileia, dove come Città allor più grande e più frequentata di tutte l'altre della Provincia, gli avrebbe certamente più tosto fatti condurre. Anche Verona troppo fu per questo conto onorata da Giulio Cesare Scaligero, il quale di due Anfiteatri le fu liberale. Così ad Ambrogio Leone, che scrisse nel principio del decimosesto secolo, restò di*

cimi sexti sæculi scripsit, reliquias duorum Am- A phitheatrorum visus est sibi videre Nolæ; quod mirum profecto fuisset; sed inquit etiam, in illis fabulas agi consuevisse.

Quis, fuerit, necne Amphitheatrum Mediolani, in Urbe scilicet tam vasta, ac tot nominibus illustri, constituere certo possit? Hinc Amphitheatrum nominari video in antiqua D. Ambrosii vita; inde contra ab Ausonio in ejus Urbis laudibus Amphitheatri mentionem fieri non video; cum tamen elogium potissimum ædificia ad aliarum urbium distinctionem complectatur: hanc Urbem vocat scriptor æmulam Romæ, quod *circum* ac Theatrum, quæ duo ante res cæteras com- B memorantur, deinde quod Templa, Monetam, Palatium, marmoreis ornata peristyla signis habeat, quis autem credat, Amphitheatrum ab eo fuisse prætermissum? Quare haud absurdum esset existimare, in ea Vita Amphitheatri nomen tributum fuisse circo, de quo Socrates etiam, Sozomenus, aliique meminere, quemadmodum de Mediolanensibus Aurigis meminit Cassiodorius. (*l.3.c.26. l.7.c.28. Var.l.3.29.*) In Actis modo commemoratis Maximianus e suggestu imperat duos Martyres Mediolani cruciari: supplicia hæc fere solebant in Amphitheatro infligi; in Actis tamen Martyres, de quibus hic lo- C quimur, in circo passi dicuntur. Duo Rithmi plane similes Pipini tempore, atque, ut credibile videtur, ab eodem Auctore conscripti, editi nunc fuere cum *Rerum Italicarum* scriptoribus, (*To.2.p.2.*) in quorum altero Verona, in altero Mediolanum describitur, laudibusque exornatur. In Veronæ descriptione peculiariter ac distincte mentio fit ejus Amphitheatri; quid est autem, quod nulla fiat Amphitheatri Mediolanensis? præsertim cum de ejus Urbis Portis, de Turribus, de Aquæductu, ac de specioso quodam ædificio, quod erat extra muros, hoc est, de Arcu in pluribus monumentis celebrato, ut est credibile, verba fiant. D In antiquo opusculo *de situ Mediolani* legimus, Romanos Mediolani Prætorium, Theatrum, *Aumatium*, Thermas, atque Hortum construxisse, (*Rer. It. T.1.p.2.*) de Amphitheatro autem ne verbum quidem. Non ita posteriorum temporum Scriptores. Nam Landulphus Senior repetens modo adducta verba, de suo addidit, sed parum apposite, *Arenam mirabilem*, (*l.2.c.15.*) in qua sedentes totius Provinciæ cives dicentem oratorem audire possent; eodemque modo Galvanus Flamma a Romanis constructa Mediolani fuisse *plurima Theatra atque Amphitheatra* memoriæ prodidit. Vox *Aumatium*, quam E modo retulimus, desideratur apud Cangium: extat apud Papiam; sed locus corruptus est; videtur tamen significari Theatrum minus, illud fortasse, quod Veteres dixere *odeum*: scribendum fortassis est *Aulatium* a græco verbo αὐλέω. Non est hoc loco tacendum, Petrum Lasenam in erudito illo suo de Gymnasio Neapolitano Tractatu, ignorantiæ accusare eos omnes, qui Neapoli, Urbe vel antiquissimis temporibus tam celebri, Amphitheatrum fuisse crediderant.

Superest ut aliud quiddam observemus. Veronæ, cujus lapidea monumenta miserrime ob causas alibi adductas periere, inter pauca illa, quæ F tot cladibus superfuere, quatuor numerantur, quæ ut dicemus loco suo ad Amphitheatrum pertinent. Capua, quæ multo felicius a temporum injuriis vindicavit sua, tria invenit, in quibus rerum Amphitheatralium mentio fieret, ut in recens edito libro videre licet. Qui igitur factum esset, ut in tam magno Urbium numero tam rara monumenta, in quibus memoria extaret rerum Amphitheatralium, invenirentur, si in singulis Amphitheatra fuissent? Duo ego inveni in libris,

due Anfiteatri parve di vedere in Nola, che non sarebbe stata piccola maraviglia; ma disse ancora, che in essi recitavansi le Favole.

Chi mai potrebbe con sicurezza affermare, se Anfiteatro fosse, o non fosse in Milano, Città sì grande, e per tanti titoli illustre? Da una parte vi trovo nominato Anfiteatro nell' antica vita di Sant' Ambrogio; ma non veggo dall' altra farsene menzione per Ausonio nell' elogio di quella Città; e pure a distinzion dell' altre l'elogio si rigira appunto su gli edifizj: e la dice emula a Roma per aver Circo, *e* Teatro *nominati prima d' altro, indi Tempj, Zecca, Palazzo, Tribune, o sia Rotonde ornate di statue, e forti mura. Chi potrà credere, ch' egli avesse trasandato l'Anfiteatro? Non sarebbe però fuor di ragione il sospettare, che nome d' Anfiteatro fosse stato in quella Vita dato al suo Circo, di cui anche Socrate, Sozomeno, ed altri fanno menzione, come de gli Aurighi Milanesi la fa Cassiodorio. Negli Atti pur' or mentovati Massimiano stando nel Suggesto fa publicamente tormentare i due martiri in Milano: tali supplizii eran d'ordinario nell' Anfiteatro, pur si esprime negli Atti, che i nostri Martiri fur tormentati nel Circo. Due Ritmi affatto simili composti in tempo di Pipino, e probabilmente dall' istesso Autore, sono stati ora publicati nella raccolta de' Scrittori delle* Cose Italiche, *nell' un de' quali si descrive, e si esalta la Città di Verona, nell' altro quella di Milano. Nella descrizion di Verona speziale, e distinta menzione si fa del suo Anfiteatro; perchè mai non se ne sarebbe fatta niuna in quella di Milano? parlandovisi per altro delle sue Porte, delle sue Torri, del suo acquedotto, e d'uno spezioso edifizio, ch' era fuori, cioè, com' è credibile, dell' Arco in molte memorie celebrato. Nell' antico opusculo* de situ Mediolani, *leggesi che i Romani fabricarono in Milano Palazzo, Teatro,* Aumatium, *Terme, e Giardino, senza menzione d' Anfiteatro. Non così i posteriori, perchè Landolfo seniore ripetendo queste parole, vi aggiunse del suo, ma poco a proposito,* Arena mirabile, *in cui sedendo tutti i Cittadini della Provincia, potessero udire un che perorasse; e così Galvano Fiamma* moltissimi Teatri, ed Anfiteatri *asserì che avean fatto i Romani in Milano. La voce* Aumatium *sopra riferita manca nel* Cangio: *si ha in Papia, ma il luogo è scorretto; par però voglia spiegarsi per minor Teatro; quello forse, che gli Antichi diceano* odeum: *forse va scritto* Aulatium *dal Greco* αὐλέω. *Non è da tralasciare, che Pietro Lasena nel suo erudito Trattato del Ginnasio Napoletano, rimprovera d'ignoranza tutti coloro, che Anfiteatro aveano creduto essere stato in Napoli, Città anche ne' remoti tempi tanto famosa.*

Un' osservazione è da fare ancora. In Verona, le Lapide della qual Città patirono fin nell' antiche età miserabil naufragio, per le ragioni che altrove si son dette, tra le poche in tanta strage avanzate quattro se ne contano, quali all' Anfiteatro si riferiscono, come vedremo a suo luogo. Capua, che non fu molto più felice in conservar le sue, tre però ne ha rinvenute con menzion di cose Anfiteatrali, come nel nuovo libro può vedersi. Perchè mai dunque in tanto gran numero di Città così rare sarebbero le Lapide, che di cose Anfiteatrali faccian memoria, se in ogni Città Anfiteatro

quæ Amphitheatra memorant Lucoferoniæ, ac Velitris; ac duo alia, quæ indicare Amphitheatra possunt Præneste, atque Alliphæ: sic inter Scriptores Lampridius Lanuvii nominat Amphitheatrum, ac Puteolis innuit Xiphilinus: utrum autem fuerit ex lapide, nemo tradit. Catanæ in Sicilia proditur stabile Amphitheatrum, ubi legimus apud Cassiodorium, eos cives petiisse, atque obtinuisse a Theodorico facultatem utendi lapidibus ejusdem ad muros farciendos, & instaurandos. Alterum etiam Parmæ nominat Agathias, quo usus est Butilinus, ut milites in insidiis collocaret; atque alterum Spoleti Procopius, in quo præsidium posuit Dux quidam Belisarii. Utrum omnia hæc gradus, partesque omnes lapideas habuerint, nemo est, qui vel affirmare possit, vel impugnare. Verum in summa, quidquid sit de hac vel illa peculiari Urbe (de hac enim re nolo obstinate pugnare, aut cum quopiam litigiose contendere) illud ex iis, quæ hactenus dicta sunt, indubitatum est, non solum in provinciis, sed neque in ipsa Italia lapidea Amphitheatra in Urbibus singulis fuisse, aut fuisse tam crebra, ac tam multa, quam vulgo credunt.

V. l. 3. ep.

Ag. Bell. Goth.

Goth. l. 3. c. 23.

CAP. X.

Unde manaverit error, ut in singulis Urbibus crederentur Amphitheatra.

Adeo communis est opinio, fuisse in singulis Imperii Urbibus Amphitheatrum, ut non aliam rationem attulerit Velserus, non aliam Mabillonius, dum ille quidem Augustæ, hic vero Parisiis, atque Tolosæ Amphitheatrum fuisse affirmavit. Non inutile igitur fore puto, si inquiramus præcipuos fontes, ex quibus error hic manaverit, causasque, propter quas ejusmodi opinio invaluerit. In primis itaque id factum ex eo est, quod non reputavere secum, ex ligno etiam confecta Amphitheatra fuisse. Ut in singulis Urbibus stabiles Arenæ constituantur, afferri statim solent illæ multæ, quas, uti quidam scribunt, in Judæa extruxit Herodes. Duas commemorat Josephus, alteram Jerosolymis, Cæsareæ alteram. At quid est, quod non animadvertunt, ut Romanis assentaretur eorum mores introducendo, Regem illum id præstitisse Augusti temporibus? hoc est multo ante, quam lapideorum Amphitheatrorum exemplar, scilicet Amphitheatrum Titi esset conspectum? Id unum satis superque persuadere poterat, Herodis Amphitheatra lignea proculdubio fuisse. Hinc duo construere ille potuit; atque hinc neque in scriptoribus, neque in monumentis ulla eorum mentio reperitur. Idem dicendum de illo altero, quod refert Josephus Claudii tempore confectum Beryti ab Agrippa fuisse. Atque hinc est, ut neque Cæsareæ, neque Beryti ullum Amphitheatrum ille scriptor memoret, cum postea narrat, a Tito natalem Patris ac Fratris diem celebratum fuisse variis spectaculis, in quorum uno cum bestiis, tum igne mutuoque conflictu duo millia & quingenta captivorum Judæorum scribit occubuisse. Neque quidquam refert, illum de iis ædificiis, utpote de operibus magnis loqui: neque enim mediocris res erat Amphitheatrum etiam ligneum. Illud, quod a Nerone constructum est, etiamsi e ligno esset, memoratur a Tacito tanquam sumptuosa moles: illud, quod Fidenis erat, etsi pariter ligneum, quinquaginta hominum millia capiebat. Illud etiam possumus animadvertere, Josephum res suorum temporum exaggerare con-

Rer. Aug. l. 5. Re. Dipl. l. 4. n. 110. 143.

Ant. l. 15. c. 10. & 12.

l. 19. c. 6.

Bell. Jud. l. 2. c. 20.

A fosse stato? Due n'ho osservato ne' libri, che ne fanno menzione in Lucoferonia, e in Velletri; e due altre, che posson farne indizio in Preneste, e in Allifi: così tra gli Scrittori Anfiteatro nomina in Lanuvio Lampridio, e l'accenna Sifilino in Pozzuolo. Se di pietra interamente fossero, non abbiamo chi faccia fede. Anfiteatro stabile si riconosce in Catania di Sicilia, dove leggesi in Cassiodorio, avere i Cittadini chiesto, e ottenuto da Teodorico facoltà di valersi delle pietre da esso ruinate per riparar le mura. Uno ancora ne nomina a Parma Agazia, avendo servito a Butilino per mettervi B soldati in aguato; ed altro a Spoleto Procopio, avendovi collocato presidio un Capitano di Belisario. Se avessero tutti questi di pietra i gradi, e le parti tutte, non c'è chi possa asserir, nè impugnare. Ma in somma comunque sia di questa, o di quell'altra Città in particolare, sopra di che non intendo ostinarmi punto, nè imprender veruna lite con chi si sia, indubitata da quanto si è detto riluce questa verità generalmente, che non solamente nelle provincie, ma nell'Italia stessa gli Anfiteatri di pietra nè furono in ogni Città, nè furono in sì gran numero, come vien comunemente creduto.

C

CAPO DECIMO.

Donde l'error venisse di credere Anfiteatro in ogni Città.

Tanto comune è la prevenzione dell'essere in ogni Città dell'Imperio stato Anfiteatro, ch'altra ragione non apportò il Velsero, quando asserì, che fu già in Augusta, nè altra il Mabillone, quando disse, che in Parigi già fosse, e in Tolosa. Non inutile cred'io D però poter riuscire il far ricerca de' fonti principali di quest'inganno, e de' motivi per cui tal' opinion s'introdusse. Possiam dunque mettere in primo luogo il non aver pensato, che Anfiteatri si fecero anche di legno. Per asserire Arene permanenti in ogni Città si suol subito ricordar le molte, come altri scrive, edificate da Erode in Giudea. Di due fa menzion Giosesso, una in Gerusalemme, altra in Cesarea. Ma come non riflettono, che per adulare i Romani con introdurre i lor costumi, in tal singolarità diede quel Re ne' tempi d'Augusto? vuol dire tanto innanzi, che l'esemplare de gli Anfitea- E *tri di pietra, cioè quel di Tito si fosse veduto? tanto bastava a far comprendere, che senza dubbio gli Anfiteatri d'Erode furon di legno: perciò ne potè far due, e perciò nè in Autori, nè in monumenti trovasene di poi menzion veruna. L'istesso è da dir dell'altro, che narra Giosesso edificato dal Re Agrippa in tempo di Claudio nella Città di Berito. Quindi è, che nè in Cesarea, nè in Berito dà cenno quell'Istorico che fosse Anfiteatro, quando poi narra, come Tito vi celebrò il dì natalizio del padre, e del fratello con varj spettacoli, in un de' quali tra* F *per le bestie, e di fuoco, e dal combatter fra se, scrive morissero 2500. Giudei prigioni. Nè osta, ch'egli parli di quegli edifizj, come d'opere grandi, perchè non era mediocre cosa un Anfiteatro anche di legno. L'edificato da Nerone vien ricordato da Tacito come sontuosa mole, benchè di legno fosse. Quel di Fidena pur di legno era capace di cinquanta mila persone. Possiamo anche riflettere, che Giosesso a magnificar le cose de' suoi fu grandemente inclinato. Par molto a cagion d'esempio, che il*

fueviffe. Exaggerate videtur dictum caufa exempli, Regem Agrippam paulo ante commemoratum, feptingenta facinoroforum hominum paria in promtu habuiffe, quos ad fpectaculum pugnæ committeret. Sed quod ad frequentem Amphitheatrorum ligneorum ufum pertinet obfervare licet in Tacito, Cecinnam ac Valentem, cum, ut Vitellio indulgerent, edere Gladiatorum ludum vellent Cremonæ, ac Bononiæ, milites legionis decimæ tertiæ *ftruere Amphitheatra* juffiffe: quis putet, alia, ac lignea intra breve fpatium, atque a militibus conftrui Amphitheatra potuiffe? Apud Xiphilinum habemus, Caracallam in fuis expeditionibus parari Amphitheatra& Circos voluiffe in iis locis omnibus,in quibus hyemaret: an putabimus, ifthæc opera hic atque illic celeriter confecta lapidea fuiffe? Fabros in Legionibus fuiffe monumenta lapidea teftantur, at lignarios, atque ferrarios, non autem cæmentarios, quorum ars machinis militaribus nulli ufui erat. Arenæ Municipales apud Juvenalem, in quibus egerant, qui poftea divites evaferant, atque evecti ad potiorem conditionem fuerant, non pro Theatris accipiendæ funt, ut recentes annotationes contra veteris Scholiaftæ explicationem interpretantur, fed neque de marmoreis Amphitheatris neceffe eft illas intelligere.

Hift.l.2.

Sed Amphitheatrum cujufcumque generis ex ludis Gladiatoriis perperam colligi, jam fuperius ajebamus. Quælibet, non inficior, vel mediocris Civitas quandoque pugnantes Gladiatores, quandoque Venationem etiam aliquam fpectare fortaffe voluerit; fed ejufmodi fpectacula peræque edebantur in Circis; atque in Circo fane fuam edere Venationem voluit Imperator Probus, quam tamen vocat *ampliffimam* Vopifcus. Fiebant pariter in Stadio, qui locus Athletis, ideft luctis, ac pugnorum certaminibus defignatus erat: qui ludus cum & facile pararetur, atque in orientis partibus ufitatiffimus effet, urbes omnes illuftriores ftadium fuum habebant. Fiebant etiam in feptis ex tabulis, ex quibus gradus quoque conftruebantur, uti Acta S. Demetrii teftantur.

Alia erroris caufa fuit, quod ex eo colligeretur, faltem in amplioribus Urbibus haud dubie Amphitheatrum fuiffe, quia in aliqua Urbium minorum fuiffe conftat. Sic fe certo fcire inquit Lipfius, nobiliores Galliæ Urbes Amphitheatra habuiffe, quod Amphitheatrum habuit Nemaufus; ac fcire fuiffe multo majora, quia in majoribus Urbibus fuerunt: quæ opinio non unum errorem complectitur. Nam in primis, ut ftabilis Arena ftrueretur, non fatis erat illud unum, fi dives Urbs effet, atque ampla; illud etiam conferre multum poterat, fi in ejus agro, proximifque locis marmorum lapidumque uberes fodinæ effent; fi cives magnanimos & grandia molientes fpiritus gererent, fi Architectura floreret, fi magnus effet fpectaculorum amor. Sed dum hac de re loquimur, in definienda urbium magnitudine, non oportet præfentia tempora, aut proxime elapfa infpicere, fed fuperiores Imperii Romani ætates attendere: tunc enim conftrui Amphitheatra folummodo cœpta funt. Omnes fere Urbes, quæ in præfentia magnæ funt, quæque in recentiorum temporum Hiftoriis celebrantur, maxime floruerunt potentia fæculo tertio, vel poft novam regiminis rationem a Conftantino invectam; ut proinde mirum nemini videri debeat, fi Amphitheatris caruere.

Amph. ext.R.c.5.

Novam erroris caufam præbuit nominum prava acceptio. Salmafius, Pagius Balutius, aliique pro

A *fudetto Re Agrippa aveffe in pronto per uno fpettacolo 700. coppie di malfattori da far combattere. Ma per l'ufo frequente de gli Anfiteatri di legno offervifi in Tacito, come Cecinna, e Valente volendo per fecondare il genio di Vitellio far giuoco di Gladiatori in Cremona, e in Bologna, ordinarono a'foldati della legione decimaterza di* coftruir gli Anfiteatri*: ci farà chi penfi, altro che di legno in una ftagione, e per man di foldati poteffer farfi? Abbiamo in Sifilino, che Caracalla nelle fue efpedizioni volle fi fabricaffero Anfiteatri, e Cir-*

B *chi in tutti que' luoghi, dove paffava l'inverno: crederem noi, che cotefti lavori celeremente qua, e là efeguiti foffer di pietra? Fabri avean le legioni, come le Lapide c'infegnano, ma legnarii, e ferrarii, non muratori, l'arte de' quali per le machine militari non veniva ad ufo. Le Arene Municipali preffo Giuvenale, nelle quali avean' operato coloro arricchiti poi, e venuti in altro ftato, non debbonfi già intendere per Teatri, come moderne note mal vogliono, contra la dichiarazione dello Scoliafte antico, ma nè pure è neceffario intendere d'Anfiteatri di marmo.*

C

Ma che Anfiteatro di qualunque forte mal fi arguifca da giuochi Gladiatorii, fi è già toccato fopra. Vero farà forfe, che ogni mezana Città avrà voluto vedere alcuna volta il combatter di coftoro, e qualche Caccia altresì: ma quefti fpettacoli fi faceano ugualmente ne' Circhi, e nel Circo volle dar la fua Caccia l'Imperador Probo, che pur Vopifco chiama ampliffima. *Si facean parimente nello Stadio, luogo deftinato a gli Atleti, che vuol dire alle lotte, e al combatter co' pugni; qual giuoco effen-*

D *do di facile appreftamento, e nelle parti Orientali ufatiffimo, ogni Città di confiderazione il fuo Stadio avea. Si faceano altresì dentro fteccati di tavole con effe lavorandofi anche i gradi, come gli Atti di S. Demetrio ci atteftano.*

Altro motivo d'errore fu il dedurfi comunemente, che fenza dubbio foffe almeno in ogni gran Città Anfiteatro dal vederlo in qualcuna non tanto grande. Così Lipfio diffe faper di certo, ch'ebbero Anfiteatri le Città più nobili della Gallia, non per altra ragione, fe non

E *per averlo avuto Nimes; e fapere ancora, che furono molto più fontuofi, per effere ftati in maggior Città: nella qual opinione non un folo equivoco s'involge; poichè in primo luogo l'ergere un'Arena ftabile non dipendea folamente dalla ricchezza, e dall'ampiezza della Città; ma potea molto contribuirvi l'aver nel proprio diftretto e vicine cave di marmo, o di pietra: potea contribuirvi lo fpirito grandiofo, e nobile de' Cittadini, il fiorirvi l'Architettura, e la paffione più viva per gli fpettacoli. Ma quando in oltre parlando di quefta materia, fi definifcono le maggiori, e le minor Città, non bi-*

F *fogna aver riguardo a'prefenti tempi, e nè pure al fecol baffo, ma folamente alle fuperiori età del Romano Imperio, poichè in effe folamente Anfiteatri s'intraprefero. Quafi tutte le Città, ch' ora fon più grandi, e che nell'Iftoria del tempo inferiore fon più rinomate, ebbero il lor maggiore aumento nel terzo fecolo, o dopo il nuovo fiftema introdotto nel governo da Coftantino: non è però maraviglia fe non ebbero Anfiteatri.*

Nuovo fonte d'inganno fu l'equivoco de' nomi. Salmafio, Pagi, Baluzio ed altri hanno

Amphitheatro accepere *Luforium:* Lipfius fignificari hac voce putavit ludum, feu gymnafium Gladiatorum: at Lampridius, qui omnium primus vocem illam ufurpavit, nifi fallor, inquiens, Elagabalum *ftraviſſe fibi triclinium*, hoc eft cænaculum, *in fummo luforio, & dum pranderet, noxios, & venationes fibi exhibuiſſe*, quoddam feptum ejufmodi ludis in Palatio paratum fuiffe oftendit. Non videtur hunc locum mihi fatis feliciter emendare Lipfius, neque *noxios* pro Gladiatoribus poffe explicari. Quæ a me dicta funt, confirmantur ex libro de Mortibus Perfecutorum, ubi dicitur Maximinus Luforium, Urfofque fæviffimos habuiffe, quos pro libidine jubebat in ipfum *cap. 21.* induci, iifque laniandum hominem objici, nunquam cænare folitus fine fanguine. Voces etiam Arenæ & caveæ nonnullos traxere in errorem: non enim femper Amphitheatrum fignificant. *Arena* dictum olim Amphitheatrum eft, cum mos effet arena five fabulo folum tegere, ne laberentur, qui pugnabant, atque ut cruor abforberetur: fed quoniam idem factum eft etiam in circo, fic pariter idem nomen quandoque tributum etiam circo eft, immo & cuilibet loco, in quo pugnæ exercerentur: Forum etiam cooperiebatur arena, quando pugnaturi in eo Gladiatores erant, ut ex quodam Propertii verfu difcimus. Arenæ nomen fuiffe Circo aliquando tributum negavit Lipfius: fed quando Plinius *Arenam Pompeii Magni* nominavit, haud fane Amphitheatrum, quod nondum erat, intellexit; fic quando *Cæfarem* inquit *Euripis Arenam circumdediffe*. Caveæ vocabulo Theatrum etiam defignatum eft, ob auditorii fimilitudinem fere concavi in Theatris fingulis: quare fcribit Cicero, in cavea auditos cantus ac fonos fuiffe, totamque plaufu perfonuiffe acta Pacuvii fabula. Duplicem hujus vocis fignificationem docet Tertullianus, ubi ait Beatorum gaudium multo gratius futurum Circo & Stadio, & *utraque Cavea* (uti legendum eft) hoc eft Theatro & Amphitheatro. Scenicos ludos *Pompejanæ caveæ* memoravit Symmachus.

l. 8. c. 22. c. 7. — *De legg. De Amic.* — *De spect. cap. ult. utraque circa non [illegible]* — *l. 10.*

Sed circumfpectione utendum eft maxime, dum monumenta, fcriptorefque recentiorum temporum leguntur: etenim Romanorum ædificiorum ut ufus intercidit, fic & nomina confufa paulatim funt; adeo ut voces Amphitheatri, Theatri, Circi, Stadii, Arenæ promifcue interdum ufurpatæ fuerint, proptereaque non femper in propria & antiqua fignificatione accipi debeant. Hiftoria Mifcella Theatrum vocat molem Titi: Zonaras, ac Manaffes in Verfibus Politicis Theatrum appellant Circum: Caffiodorius bis Hiftriones appellavit Aurigas. Acta nefcio quæ manu fcripta ab Arringhio citata, ajunt Martyres quofdam extra Urbem claufos Amphitheatro fuiffe; quoniam vero extra Romam non erat Amphitheatrum, clarum eft verbis illis Circum fignificari, quorum non pauci prope Romam fuere, uti docuit Panvinius. Sic Arenæ nomen tributum quandoque fuit cuicumque ejufmodi ftructuræ ædificio, cujus rei exemplum innuimus ex Arena Patavina. Ravennæ Amphitheatrum nominat Agnellus: fed cum tempus, tum quod ait prope ipfum Apollinis Templum fuiffe, Theatrum prodit: mittebantur eo quidem Gladiatores nutriendi, atque inftituendi, fed propter aeris falubritatem, ut fidem facit Strabo, idque facere jam tum Cæfar cogitavit, quo tempore nondum erant Amphitheatra: Theatrum nominavit Salvianus tanquam fingulare Ravennæ decus, non Amphitheatrum. Papiæ inquit Anonymus Valefianus, Amphitheatrum fuiffe a Theodorico conftructum: fed quis credat, de ftruendo Amphitheatro cogi-

[illegible] 51. l. 4. [illegible] c. 26. [illegible] 5. [illegible]

A *intefo per Anfiteatro la voce* Luforium: *Lipfio intefela per ludo, cioè fcuola de' Gladiatori; ma Lampridio, che fe non erro, primo l'usò, dicendo, come Elagabalo nella fommità del Luforio fi fece apprestare triclinio, cioè luogo per la menfa, e che mentre defìnava, facea per fe folo far caccia di Fiere, e pugna di malfattori, moftra ch'era un ferraglio deftinato a tai fatti giuochi nel Palazzo. Non credo quì felice l'emendazion di Lipfio, nè lo fpiegar* noxios *per Gladiatori. Confermafi quanto ho detto dal libro delle Morti de' Perfecutori, ove fi dice*

B *che Maffimiano avea Luforio, ed Orfi ferociffimi, quali però facea condurre in effo, quando gliene venia talento, e gli facea sbranar qualcuno, non folendo cenar fenza fangue. Anche i vocaboli d'Arena, e Cavea hanno ingannato qualche volta, perchè non fignificano Anfiteatro fempre.* Arena *fi chiamò anticamente l'Anfiteatro per l'ufo di fparger di fabbia il fuolo, affinchè non ifdrucciolaffero i combattenti, e perchè il fangue ne reftaffe afforbito: ma ficcome l'isteffo fi fece nel Circo, così ad effo ancora fi diede l'ifteffo nome talvolta, anzi ad ogni luogo di certame: coprivafi d'arena anche il Foro, quando pugnar*

C *vi doveano Gladiatori, come s'impara da un verfo di Properzio. Negò Lipfio che il nome d'Arena foffe mai dato al Circo; ma quando nominò Plinio* l'Arena di Pompeo Magno, *non intefe certamente d'Anfiteatro, che ancor non v'era, così quando diffe, che Cefare* circondò di foffe l'Arena. *Col vocabolo di Cavea fi dinotò anche il Teatro, per la fomiglianza dell'uditorio quafi concavo in ciafchedun di quefti edifizj: però fcriffe Cicerone, che nella Cavea fi udivano i canti, e i fuoni, e che tutta rifonò d'applaufi per un Drama di Pacuvio. Ci moftra il doppio fignificato Tertulliano, ove dice, che il godimento de'*

D *beati farà ben più grato del Circo, e dello Stadio,* e dell'una, e dell'altra Cavea (*come dee leggerfi*) *cioè del Teatro, e dell' Anfiteatro. I piaceri fcenici* della Cavea Pompeiana *mentovò Simmaco.*

Ma fopra tutto bifogna ftare avvertiti, monumenti leggendo, e Scrittori d'inferiori fecoli: perchè de gli edifizj Romani a mifura che fi perdè l'ufo, vennero altresì confondendofi i nomi; talchè Anfiteatro, Teatro, Circo, Stadio, Arena fi differo talvolta promifcuamente, o abufivamente, e non bifogna però intender fempre nel proprio ed antico fignificato. La Storia mifcella chiama Teatro quel di Tito. Zo-

E *nara, e Manaffe ne' verfi Politici chiamano Teatro il Circo. Caffiodorio chiamò due volte Iftrioni gli Aurighi. Atti a penna citati dall' Arringhi dicon d'alcuni Martiri, che fur chiufi fuor di Città in un Anfiteatro, ma come fuor di Roma Anfiteatro non era, così è chiaro, doverfi intender Circo, non pochi effendone ftati vicino a Roma, come infegnò il Panvinio. Così il nome d'Arena fu dato talvolta ad ogni fabrica di ftruttura alquanto fimile, di che abbiamo accennato l'efempio in Padova. In Ravenna nomina Anfiteatro Agnello; ma e il tem-*

F *po, e il dire, che a lato di effo era il Tempio d'Apolline, lo fa conofcer Teatro; vi fi mandavano bensì a nodrire, e ad ammeftrare i Gladiatori, ma per la falubrità dell'aria, come fa fede Strabone, e a ciò fare fi pensò già da Cefare, quando Anfiteatri non c'erano ancora: il Teatro nominò Salviano, come cofa fingolar di Ravenna, non l'Anfiteatro. In Pavia dice l'Anonimo Valefiano, che fabricò Anfiteatro Teodorico; ma chi crederà fi penfaffe ad Anfiteatro nel fefto fecolo Criftiano, aboliti*

già

tatum eſſe ſæculo ſexto Chriſtiano, ſublatis jam de medio cum Gladiatoribus, tum quolibet alio cruento ſpectaculo? Theatrum illud fortaſſe fuit, vel circus, cum equorum curſus ubique ad multo longius tempus duraverint; ac Circenſes ludi etiam a Totila fuerint celebrati: Inſcriptionem cum voluptate vidi in ea Urbe ædificii a Theodorico extructi, quid tamen eſſet, non declarat. Sunt etiam inter recentes, clarique nominis ſcriptores non pauci, qui Amphitheatrum ac Theatrum interdum confundunt: non pauci, quos decepere apocripha monumenta, ſanctorum Vitæ non antiquæ, Acta Martyrum non genuina, in quibus paſſim nominatur Amphitheatrum.

Hiſt. Miſc. l. 16. c. 19.

Quid dicam de latinis verſionibus Auctorum, vel monumentorum Græcorum, quæ Amphitheatrum reddunt, ubi non oportet? Acta latina S. Taraci & Sociorum ter Amphitheatrum nominant; at in græco textu Martyrium illud in ſtadio contigiſſe dicitur. Smyrnæ Arenam nominat latina verſio Actorum S. Polycarpi, ac D. Hieronymus de illo verba faciens in libro de illuſtribus, vocat Amphitheatrum: græcus tamen Actorum textus ſtadium dicit. Hallucinatus proinde eſt, ut ſæpe ſolet in veterum ædificiorum reliquiis, Thomas Smithius, qui in Notitia de Eccleſiis Aſiæ, Smyrnæ reliquias ejus Amphitheatri extare inquit. Ter Amphitheatrum legitur in verſione fragmenti, quod extat, libri de Martyribus in Palæſtina, ubi in græco Euſebii textu vox illa non adeſt, & ubi legimus ſpectaculum in ſtadio editum fuiſſe. In vita Adriani Sophiſtæ a Philoſtrato conſcripta latina enarratio vertit in *Amphitheatralia ſpectacula* etiam *circularia* ſaltatorum. Contra vero Pæanius in Græca ſua verſione *Theatrum Gladiatorium* reddit, ubi Eutropius latine *Ludum* habet, hoc eſt gymnaſium Gladiatorum. In Dionis verſione dicitur, Druſillæ imago currui ab Elephantis tracto impoſita *in Theatrum* fuiſſe invecta, ubi textus Græcus ait *in Circum*. In græco textu etiam Xiphilini Theatrum vocari ſolet Amphitheatrum, prætermiſſa voce *Venatorium*, quam addere mos eſt Dionis, cui parum placuit *Amphitheatri* vocabulum, quemadmodum & Græcis reliquis: cujus rei non alia mihi videtur cauſa fuiſſe, niſi quod vox illa extra Græciam nata in Italia eſt: quod maxime confirmatur ex iis, quæ in *Hiſtoria Diplomatica* animadverti, hoc eſt vocem *Diploma*, etſi græca, a Græcis non fuiſſe uſurpatam, niſi a ſolo Plutarcho ſatis verecunde; idque non alia profecto de cauſa factum, niſi quod nata vox illa Romæ fuit, atque extra Græciæ fines.

φίσεται δὲ εἰς μέσον τὸ σάδιον.

ἐγκυκλίους θέας ὀρχηστῶν, ſpectaculis Amphitheatrorum &c.

l. 55.

l. 1. n. 13.

In Galb. τὰ καλούμενα Διπλώματα.

Tandem hallucinati non pauci ſunt, occaſionem hallucinationis præbentibus, quod fieri facillime ſolet, veterum ædificiorum reliquiis. Parva Sirmionis peninſula in noſtro lacu ſervat adhuc muros aliquos, ac partem Romanæ domus, cui non temere nomen eſt, fortaſſe a majoribus acceptum, domus Catulli. Parthenius ejus Poetæ Interpres *Theatri lateritii reliquias* credidit, cujus opinionem probavit Joſephus Scaliger: quo factum eſt, ut Sirmionem inter duodecim Etruſcorum Urbes cis Appeninum recenſeret Dempſterus. Ædes antiquæ habebant ſane partes aliquas Theatrorum caveæ nonnihil ſimiles, quemadmodum ego in antiquioribus reliquiis obſervavi. Animadvertit Adrianus Valeſius in *Notitia Galliæ*, ac poſt eum Mabillonius, unum ex Amphitheatris, de quibus egit Lipſius, non Amphitheatrum fuiſſe, ſed ædem Galliæ Regum: cæterum deſcriptio a Lipſio facta neque Amphitheatro convenit, neque domui, neque Lipſius hac in re, ut vere dicamus, judicio

Etr. Reg. l. 4. c. 9. & 107.

Re Dipl. l. 4. c. 142.

A *già i Gladiatori, e ogni ſanguinoſo ſpettacolo? Teatro ſarà ſtato, o Circo, eſſendo le corſe de i cavalli continuate aſſai più in ogni parte; ed eſſendoſi i Circenſi celebrati fin da Totila: preziosa, e già nota Iſcrizione oſſervai con piacere in quella Città di tal edifizio fattovi da Teodorico, ma non vi ſi dichiara che coſa foſſe. Non pochi ſono anche tra moderni e famoſi Scrittori, che Anfiteatro, e Teatro confondono qualche volta. Non pochi, che ſi laſciarono fare inganno da monumenti apocrifi, e da vite di Santi non antiche, e da Atti non legitimi di Martiri, ne' quali Anfiteatro qua e là ſi nomina.*

B

Che dirò delle Latine verſioni d'Autori, o monumenti Greci, che mettono l'Anfiteatro dove non va? Gli atti Latini di S. Taraco e compagni tre volte nominano Anfiteatro; ma nell'original Greco leggeſi, che tal Martirio seguì nello Stadio. Arena a Smirna nomina la verſion Latina degli Atti di S. Policarpo, e S. Gerolamo di lui favellando nel libro degl' Illuſtri, la chiama Anfiteatro; ma l'original Greco degli Atti dice ſempre Stadio. Equivoco però preſe, com'è ſolito nelle reliquie d'antichi edifizj, Tomaſo Smith, che nella Notizia delle Chieſe d'Aſia diſſe vederſi a Smirna avanzi di tale Anfiteatro. Tre volte leggeſi Anfiteatro nella traduzione del pezzo che ſi ha del libro de' Martiri in Paleſtina, dove il Greco d'Euſebio non l'ha, e dove leggeſi, che lo ſpettacolo fu nello Stadio. Nella vita d'Adriano Soſiſta ſcritta da Filoſtrato il Latino muta in Anfiteatrali ſpettacoli *fino i* circolari *de' Ballerini. All'incontro Peanio nella ſua verſione Greca rende* Teatro gladiatorio, *dove il Latin d'Eutropio ha* Ludo, *cioè ſcuola de' Gladiatori. Nella traduzion di Dione diceſi, che il ritratto di Druſilla fu introdotto ſopra cocchio tirato da Elefanti* in Teatro; *dove il Greco dice* nel Circo. *Nel Greco ancora di Sifilino ſi ſuol chiamar Teatro l'Anfiteatro, tronco l'aggiunto di* Cacciatorio, *che vi ſuole appor Dione, il qual poco ſi compiacque del vocabolo* d'Anfiteatro, *e poco gli altri Greci altresì; la ragion di che non altra io penſo doverſi credere, ſe non l'eſſer nata queſta voce fuor di Grecia, e in Italia: il che mirabilmente confermaſi da ciò che ho notato nell'* Iſtoria Diplomatica; *cioè il nome* Diploma, *benchè Greco, non eſſerſi uſato da Greci, e da Plutarco ſolamente con certa verecondia; non per altro certamente, che per eſſer nato fuor di Grecia, ed in Roma.*

C

D

E

Finalmente non pochi sbagliarono per l'equivoco, ch'è faciliſſimo prendere nelle reliquie d'antiche fabriche. La peniſoletta di Sarmione nel noſtro lago alcuni muri, e qualche parte ancor ſerva d'abitazion Romana, con nome non irragionevolmente dato, e forſe tramandato, di caſa di Catullo. Al Partenio comentatore di quel Poeta parvero avanzi di Teatro, e la ſua opinione fu applaudita da Giuſeppe Scaligero; per lo che il Dempſtero computò poi bizzarramente Sarmione fra le dodici Città degli Etruſci di qua dall' Apennino. Per verità i Palazzi antichi avean parti alquanto ſomiglianti all'uditorio de' Teatri, come in più antiche reliquie ho oſſervato. Notò Adrian Valeſio nella Notizia delle Gallie, *indi il Mabillone, come uno de gli Anfiteatri, di cui trattò Lipſio, non Anfiteatro fu, ma Palazzo de i Re di Francia: la deſcrizion per altro, che Lipſio ne fece, nè ad Anfiteatro compete, nè a Palazzo, ed egli in ciò non impegnò veramente il*

F

ſuo uſus eſt. Sed in ejuſmodi materia vel peritiſſimi Antiquarii decepti nonnunquam ſunt: quare Amphitheatri veſtigia viſus eſt ſibi videre Fabrettus, ubi fuit Trebula Mutueſca, quæ deſiit eſſe, ut ipſe eo loco oſtendit, multo ante, quam Amphitheatra ulla eſſent. Siqua appareat rotunda, vel ovalis figura, quibuſdam Amphitheatri ſpeciem ſtatim ingerit. Huc adde, ſicubi Circi, vel Theatri, reliquiæ ac veſtigia inveniantur, omnino reliquias ac veſtigia Amphitheatri poſſe referri. Quid quod vox eſt vulgi, ut pluribus in locis accidit, conſtanter dicentis reliquias Amphitheatri, vel Romani Templi extare, ubi omnia recentia ſunt, ubi ne unus quidem lapis antiquus, ubi ne minimum quidem fragmentum vetuſtum conſpicitur? Quid dicemus de tot ſcriptis in publicum editis, quæ nobis illudunt, ſuperba Amphitheatra oſtentando in iis urbibus lociſque, in quibus informia ſolum fragmenta viſuntur? In *Antiquitate Explicata* Amphitheatri tanquam exiſtentis Auguſtoduni, triplici ordine diſtincti forma delineatur cum porticu ſupra gradus, ſtatuiſque in parte externa: ſed qui in ea Urbe fuit, teſtatur totum id purum putumque Auctoris figmentum eſſe: quod facile is intelliget, qui animadverterit, totum id deſcriptum accurate ex quadam Ligorii forma eſſe, qua Veronenſis Arena, ut maxime Auctori placuit, expreſſa eſt. Conjungemus igitur ædificium illud cum Naumachiæ noſtræ deformatione operi poſthumo Panvinii de Antiquitatibus Veronenſibus inſerta. In paulo ante commemorata collectione ſtatuitur etiam integra deformatio, ac latus ſcalarum Amphitheatri Italicæ in Hiſpania, etſi ſimul ibi legatur ab ipſis fundamentis Amphitheatrum illud dirutum eſſe. In ampla ac præſtanti operum Architectonicorum collectione nuper a Fiſchero facta, Amphitheatrum Tarraconenſe octoginta hominum millia comprehendiſſe dicitur; quod ex aliquo veteris muri, dirutique arcus fragmento, in ea parte ſuperſtitis colligi potuit.

Inſc. pag. 490.

CAP. XI.

Decipi facile poſſe in antiquis figuratis monumentis, in quibus videatur Amphitheatrum eſſe, quod quidvis potius eſt quam Amphitheatrum.

QUod ſi facile eſt decipi in ipſis antiquarum ædium reliquiis, quid in earundem imaginibus fiet, quæ vel in detritis metallis, vel in corroſis anaglypticis operibus, vel in aliis id genus monumentis ſeſe nobis offerant? In figuratis Dicticis Anaſtaſii, Conſulis Orientalis, viſus eſt ſibi Viltemius, a Pagio deinde deſcriptus, Amphitheatrum videre, in quo ejuſmodi ferarum, hominumque ludi exerceantur. Sed quam Amphitheatri ſpeciem unquam habet gradibus deſtitutus hemicyclus, in quo ſpectatores ſunt extra? Immo vero ex iis Dicticis optime evincitur, Conſtantinopoli fieri ejuſmodi ſpectacula conſueviſſe in ædificiis diverſis, non autem in Amphitheatro, etſi eo nomine propterea aliquando appellarentur. Neſcio quod ædificium etiam, quod in Fauſtinæ Senioris numo ad Mediobarbum miſſo apparet, perperam Amphitheatrum eſſe creditum eſt. Juvat tamen in præſentia verba peculiariter facere de Amphitheatris, quæ in Columna Trajana videre ſe nonnulli putaverunt.

Ædificium neſcio quod rotundæ formæ bis expreſſum in ea viſitur, primum prope Urbem a Dacis obſeſſam, deinde ubi cernuntur Legati a

ſuo giudizio. Ma equivocaron talvolta i più eſperti Antiquarj ancora; onde parve al Fabretti veder veſtigj d'Anfiteatro nel ſito di Trebula Mutueſca, quale, com' egli ſteſſo quivi moſtra, perdè l'eſſer di Città gran tempo avanti che d'Anfiteatri ci foſſe idea. Ogni apparenza di rotondità, o di oval figura, all' immaginazione d'alcuni ricorda Anfiteatro. Aggiungaſi, ch' ove reliquie, e veſtigio di Circo ſi ritrovino, o di Teatro, anzi di più altri antichi edifizj ancora, poſſono raſſomigliare interamente a quelle d'Anfiteatro. E che airemo di quando, come in più luoghi accade, pretende il volgar grido coſtantemente, che avanzi ſi veggano d'Anfiteatro, o di Romano Tempio, dove tutto è moderno, e dove nè pure un ſaſſo antico, o il menomo rimaſuglio appariſca? Che diremo di tante ſtampe, quali ſenza ſcrupolo alcuno ſi prendon giuoco di noi, ſuperbi Anfiteatri moſtrandoci in Città, e luoghi, dove informi rottami ſolamente vegganſi? Nell' Antichità Spiegata *ſi mette in diſegno, come eſiſtente in Autun, Anfiteatro in tre ordini, con portico ſopra i gradi, e ſtatue al di fuori: ma afferma chi fu in quel paeſe tutto queſto eſſer mero lavoro di penna, e fabbricamento di carta; il che ben ſi compruova dall' oſſervare, come tutto è copiato da un diſegno del Ligorio, in cui figurò a capriccio l'Arena di Verona. Porremo quell' edifizio adunque col diſegno della noſtra Naumachia, intruſo nell' Opera poſtuma del Panvinio ſopra le Antichità Veroneſi. Nella ſopraccennata raccolta metteſi ancora l'intero diſegno, e profilo delle ſcalinate dell' Anfiteatro d'Italica in Iſpagna, benchè leggaſi quivi nell' iſteſſo tempo, che quell' Anfiteatro è ruinato tutto ſino a' fondamenti. Nell' ampia, e nobil collezione d'opere architettoniche, fatta di freſco dal Fiſchero, affermaſi che l'Anfiteatro di Taracona conteneva ottanta mila uomini; e tal computo ſi è potuto fare da qualche piccol pezzo di muro antico, e d'arcata rotta, che ſi raccoglie ſopravanzare in quella parte.*

CAPO UNDECIMO.

Poterſi sbagliar facilmente ne' monumenti antichi figurati, credendo vedere Anfiteatro, dov' è tutt' altro.

CHe ſe ſi sbaglia negli ſteſſi avanzi dell' antiche fabriche, che ſarà poi nelle immagini di eſſe, quali in logori metalli, o in corroſi baſſi rilievi, o in altra ſorte di monumenti ci ſi preſentino? Ne' Dittici figurati d' Anaſtagio, Conſole Orientale, parve al Viltemio, copiato poi dal Pagi, di vedere Anfiteatro, dentro il quale ſi facciano que' giuochi di Fiere, e d'uomini. Ma qual faccia d'Anfiteatro ha mai un ſemicerchio ſenza gradi, e dove gli ſpettatori ſon fuori? Anzi da que' Dittici ottimamente ſi conferma, che in Coſtantinopoli ſi faceſſero tali moſtre in edifizj diverſi, e non in Anfiteatro, benchè per correlazione ſi chiamaſſero forſe con ſimil nome talvolta. Anche certo edifizio, che appariſce in Medaglia di Fauſtina ſeniore mandata già al Mezabarba, mal fu ſuppoſto Anfiteatro. Giovami ora però di ragionar particolarmente ſu gli Anfiteatri, ch' altri ha creduto vedere nella Colonna Traiana.

Non ſo qual rotondo edifizio ſcorgeſi due volte adombrato in eſſa, prima preſſo una Città aſſediata da i Daci, poi dove ſono i Legati

Decebalo ad Trajanum missi. Quid hoc esset, in lapidis obscuritate constitui vix potest, ac ne vix quidem. Quare Ciacconius, qui præstantissimum illud monumentum pulcherrime illustravit, ubi ad duo illa loca devenit, prudenter prætermisit, nihilque de iis pronunciavit. Bellorius, qui post Ciacconium alia notavit, visus est sibi videre gradus, atque Amphitheatra referri putavit, de illorum altero inquiens *inter ejus Urbis, vel oppidi ædificia castrense Amphitheatrum ligneum fuisse*. Quod creditum ligneum & castrense fuerit risit Fabrettus, qui cum stabile fuisse putaret, eam Urbem fuisse Romanam Coloniam judicavit. Sed hoc novum esset Coloniæ indicium, ac nota: neque vero Coloniæ ullæ in ea regione adhuc erant, quæ solum confecto bello deductæ a Trajano sunt, ut habemus ex Dione: ac res mira nimis esset, in obscuris ignotisque Urbibus ad Tibiscum Amphitheatra extitisse. Verum si talia essent commemorata ædificia, proculdubio lignea, celeriterque a militibus extructa credenda essent, quemadmodum de duobus aliis ab una Legione sub Vitellio in Italia confectis paulo ante diximus. Ut lignea opera fuisse credamus, illud movere nos potest, quod in forma primum typis commissa a Mutiano exacte delineata, cæterisque, ut testatur Fabrettus, magis accurata, videre licet stipites præcipuos in ejus ædificii ambitu acuminatos esse ad partes extremas, ut nostris hisce temporibus solent esse palationes, quæ antiquorum vallo respondent. Valli trabes alia ratione deformari consuevisse persuadet quidem cum numus Licinii, tum Varronis, ac Livii auctoritas: sed eodem modo tamen acuminatæ visuntur in columnæ principio trabes illius valli, quod ovali pariter figura præditum militaria promptuaria ambit. In eo bello aliarum profecto rerum, quam Amphitheatrorum cura militibus esse debuit; atque res alias plures præter Amphitheatra, ovalis, vel rotundæ figuræ in duobus illis locis referre potest detritus lapis; ut certi quidquam definire nemo ausit, si quas, quam varias, atque nullis certis regulis adscriptas leges, quantum ad proportionem & prospectivam attinet, in suis operibus usurpaverint veteteres artifices, noverit: quare neque ex altitudine, neque ex magnitudine certo constituendum quidquam est. In Susano Arcu, in honorem Augusti a Marco Julio Cottio Regis Donni Filio erecto, atque a nobis in publicum edito cum Historia diplomatica, visuntur in Zophoro figuræ duæ suis, ac bovis figuris hominum altiores.

Tab. 29. & 87.

Tab. 23. & 85.

Col. Tra. Tab. 39. & 86.

Figura haud absimilis modo in Trajana columna memoratis, sed Amphitheatri formæ paulo similior, cernitur in numis quibusdam argenteis, quorum pars inversa procul dubio Amphitheatrum referre putaretur, si quæ circum leguntur, Inscriptiones non repugnarent, ac orbis ille, quem expressum conspicimus, a peritissimis Antiquariis pro *Castris Prætoriis* non esset acceptus; ut proinde ad hæc usque tempora nomen ejusmodi obtineat. Antequam ad hosce numos veniamus, alium hic ponam, qui, ut ego quidem arbitror, idem exprimit, & quod ad ambitum pertinet, præivisse illis videtur. Habet is caput Fulvii Julii Quieti, qui in Tyrannis numeratur, cujus nullus adhuc græcus numus editus est, sed unus modo Ægyptius a P. Bandurio relatus. Quod ejus pars inversa neque Prætoriana, neque alia castra referat, quemadmodum de numis aliis similibus creditum est, constat ex eo manifestissime, quia & muri, & turres, & portæ amplissimæ observantur; & quia adjecta vox infra Nicæam Urbem illam esse docet. Numum a-


A *da Decebalo spediti a Traiano. Non è possibile nell'oscurità della pietra accertar che fosse: però il Ciaccone, che sì bene illustrò quell'incomparabil monumento, giunto a que' due luoghi prudentemente gli trapassò, e nulla ne disse. Al Bellori, ch'altre annotazioni dopo vi fece, parve distinguer de' gradini, e stimò rappresentarvisi Anfiteatri, dicendo d'uno di essi; che* tra le fabriche di quella Città, o Castello fosse un Anfiteatro Castrense di legno. *Del crederlo di legno, e Castrense si rise il Fabretti, e supponendolo stabile, giudicò essersi voluto indicar con esso, che quella Città fosse Colonia Romana.* B *Ma nuova marca, o contrasegno di Colonia sarebbe questo, nè erano Colonie in quella parte ancora, solamente dopo terminata la guerra avendovene fondate Traiano, come da Dione; e troppo mirabil sarebbe, che avessero avuto Anfiteatri oscure ed ignote Città sul Tibisco. Quando tali pur fossero gli accennati edifizj, non altro che di legno, e celeremente fatti da' soldati dovrebber credersi, come d'altri due fabricati in Italia da una Legione in tempo di Vitellio abbiam veduto poc' anzi. A credergli opere di legno contribuisce il* C *vedersi nella prima stampa, esattamente disegnata dal Muziano, e più accurata come il Fabretti attesta, che gli stipiti maestri nel circuito di tal fabrica sono appuntati nella cima, come in oggi è uso delle palizate, quali corrispondono al Vallo antico. I legni del Vallo veramente ci persuade una Medaglia di Licinio, e così l'autorità di Varrone, e di Livio, ch'altra conformazione avessero: ma acuminati nell' istessa forma veggonsi nel principio della Colonna i legni di quello steccato, che in figura parimente ovale circonda i magazini militari. Altro ebber certamente che fare i soldati in quel-* D *la guerra, che Anfiteatri, e troppe cose di rotonda, o di oval figura possono in que' due luoghi significarsi dalla corrosa pietra; nè ardirà giudicarne chi sa le stravaganti irregolarità, che nell'opere degli antichi artefici s'incontrano in fatto di proporzione, e di prospettiva, per lo che non bisogna punto fidarsi nè dell'altezza, nè della grandezza, che apparisce. Nell'Arco di Susa, eretto in onor d'Augusto da Marco Giulio Cottio figliuolo del Re Donno, e publicato da noi con la Storia de' Diplomi, veggonsi nelle figure del Fregio porco, e bue più alte degli uomini.*

E

Figura non dissimile dall' accennate della Colonna Traiana, ma con alquanto maggior sembianza d'Anfiteatro, mirasi in alcune Medaglie d'argento, il rovescio delle quali sarebbe senza dubbio così interpretato, se le iscrizioni intorno non ripugnassero, e se il rotondo quivi rappresentato non fosse da' primi Antiquarj, che l'osservarono, stato battezzato per Castri Pretorii, *ond'è, che in possesso di tal nome mantiensi fino al dì d'oggi. Prima di venire ad esse, altra ne porrò qui, che secondo me rappre-* F *senta l'istesso, e per quanto è del recinto, pare facesse strada a quelle. Ha la testa di Fulvio Giulio Quieto, che va fra Tiranni, e di cui Medaglia Greca non si è finor publicata, ma solamente una Egizia registrata dal P. Banduri. Che il riverso non figuri nè Pretoriani, nè altri Alloggiamenti, o steccati, come d'altre simili vien creduto, è manifesto dal vedersi chiaramente mura, e torri, e sontuose porte; e dall' insegnarci la parola sotto, com' è la Città di Nicea. Battuta dall' istessa, e con tipo somi-*

lium ex illo defcriptum, eodemque typo cufum, A
græcum, non antea confpectum Macriani Quieti Fratris vulgavit Haimus Romanus in *Thefauro Britannico*. Belli tempore, quod in iis regionibus cum Perfis exarfit, in quo Quietus fortiter fe geffit, verofimillimum eft, Nicææ muros ac portas inftauratas fuiffe; quo in iis numis allufere cives.

gliante, altra Medaglia Greca non prima veduta di Macriano fratello di Quieto ha meſſo fuori il Sig. Haim Romano nel Teforo Britannico. *Nella guerra, che in quelle parti allor bollì co' Perfiani, ed in cui valorofamente fi portò Quieto, è naturaliſſimo, che le mura, e le porte di Nicea foſſero rifarcite; al che fi alluſe da Cittadini in tali monete.*



Sed rotundus, five ovalis ambitus in paulo ante B
memoratis argenteis numis confpicitur, qui quantum exprimi in tam angufto fitu potuit, multo magis Amphitheatrum refert, quam figuræ aliæ pro Amphitheatris acceptæ: vulgo tamen pro *Caftris Prætoriis* accipitur. Ejufmodi typus fatis frequens, ac notus in Diocletiano incipit: pro ambitus foribus ftant quatuor viri habitu militari, quorum duo fpeciem facrificantium fuper aram, atque in aliis ad tripodem in medio pofitum referunt. Redit inverfa pars eadem in Maximiano Herculeo, qui cum Diocletiano imperavit, in Galerio, & in Conftantio, qui eodem tempore Cæfares fuerunt. Cum fingulis capitibus tres In- C
fcriptiones diverfæ leguntur: *Providentia Auguftorum. Virtus Militum. Victoria Sarmatica.* Ut non Amphitheatrum, etfi videatur effe, fic neque caftra ulla aut Prætoriana Romæ, aut campeftria foris in numis illis arbitror exprimi. Murus in ipfis delineatus ovalis eft, vel rotundus: at Romanorum Vallum (quod non ex muro ftruebatur, neque turres addebantur, fed parabatur

Ma tondo, o pure ovato recinto vedefi nelle avanti nominate d'argento, quale per quanto fi poteſſe rappreſentare in così piccol fito aſſai più fomiglia ad Anfiteatro ch' altre figure per Anfiteatro prefe: ma comunemente s'interpreta per Caftri Pretorii. *Tal tipo aſſai frequente, e a baſtanza noto comincia in Diocleziano: dinanzi alla porta del recinto ftanno quattr' uomini in abito militare, due de' quali in atto di ſagrificar fopra un'ara, e in altre a un tripode, ch' è nel mezo. Torna l'iſteſſo rovefcio in Maſſimiano Erculio, che fu Imperadore infieme con Diocleziano, e in Galerio, e in Coftanzo, che furon Cefari nell'iſteſſo tempo. Tre diverfe iſcrizioni con ognuna delle tefte ci fi ritrovano:* Providentia Auguftorum. Virtus Militum. Victoria Sarmatica. *Come non Anfiteatro, benchè l'apparenza ne fia, così non credo figurarfi in quefte Medaglie Alloggiamenti, nè Pretoriani in Roma, nè campeftri in guerra. Il muro in eſſe rappreſentato è ovato, o rotondo: ma il Vallo de' Romani (che non fi facea di muro, nè*

ex humo, uti nostris hisce temporibus fieri Aggeres solent) quadratum erat, quod ex Polybio colligimus. Ad castrorum militarium similitudinem prope muros Romæ Prætoriana constructa sunt, proindeque quadratæ & ipsa figuræ, uti ex ipsorum reliquiis ac vestigiis apparet, quæ olim Panvinius, vel ejus ætate alius quispiam inter portas Viminalem ac Tiburtinam, quo loco prius Vivarium creditum est, deprehendit. Ex quadrata earum muri reliquiarum figura etiam P. Donatus Prætoriana Castra fuisse constanter credidit. Contra vero ad eundem modum expressæ in numis inveniri Urbes solent, per rotundum scilicet ambitum, uti videre licet in Cæsare coloniam Casilinum, quam propterea Mediobarbus pro sphærico ædificio accepit; qui ambitus apparet etiam quandoque turribus distinctus, uti cernitur Urbs Tusculana in numo ab Ursino in Gente Sulpitia relato. Puto ergo non Prætoria castra, sicut hactenus creditum est, sed, æque ac in numis Nicææ commemoratis, Urbem designari, vel bello victam, quod indicent verba: *Virtus Militum*; *Victoria Sarmatica*; vel instauratam, novisque operibus munitam, quod declarent illa alia verba: *Providentia Augustorum*. De Sarmatica Victoria nemo gloriari potiore jure poterat, quam commemorati Principes, quorum expeditionibus inquit Eumenius in PanegyriConstantio dicta prope deletam Sarmaticam nationem fuisse. Et quoniam ejusmodi typus non invenitur nisi in illis quatuor, qui eodem tempore concordes imperaverunt, atque in singulis invenitur cum ejusmodi inscriptionibus, credibile efficitur, quatuor illis figuris duos Augustos, ac duos Cæsares exprimi; sacrificio vero, vel ædis dedicationem, vel actionem gratiarum ob relatam victoriam designari: animorum enim conjunctio atque inter ipsos concordia in causa est, cur simul omnibus tribuatur, quod singuli egerant.

l. 1. c. 15.

Vopisc. in Carin. Quatuor janeP incipes unum in Republ. sententes.

Conjectura hæc nostra, in iis numis non Prætoria castra, sed urbem aliquam exprimi, plane confirmabitur ex alio numo nunquam antehac viso, in Tabula eadem descripto, in quo adjecta verba repræsentari Urbem Veronam typo eodem docent. Dicam prius, quemadmodum illud nunquam antea conspectum monumentum casu ad manus meas devenerit. Cum in Venetis Musæis quærerem, an cum eo typo alia epigraphe inveniretur præter triplicem illam modo memoratam, etiam atque etiam, ut idem quæreret in uberrima numismatum suorum copia, rogavi Ab. Honorium Arrigonium hominem cum perhumanum, tum mihi amicissimum, qui alios hujus secundæ Tabulæ numos, Florentino excepto, possidet, & non tam ut suo cuidam harum rerum studio satisfaceret, quam ut bonas artes foveret, inter plures, ac peculiares series a se collectas octingentos numos coloniarum, mille quingentos Græcos, mille ducentos Ægyptios comparavit; quam postremam classem si olim licebit mihi per tempus in publicum edere, novum, spero, nec inutile subsidium in Chronologiam redundabit. Postridie octo argenteos numos is ad me detulit, in quibus eadem erat pars inversa, atque in his illum quoque, de quo loquimur; ad cujus singularem epigraphem tum primum non sine admiratione adverterat animum. Hunc simul cum multis aliis argenteis jamdudum emerat, quem proinde neque inspexerat studio ullo singulari, neque nisi ex pondere æstimarat. Hæc tam innocenter gesta magnam de numi sinceritate opinionem conciliavere. Quæ opinio omnium ore confirmabatur maxime ex ipsius numi inspectione, atque ex concinna rerum in eo expressarum forma. Caput e-

A *con torri, ma di terra, come anche oggigiorno i trinceramenti) era quadrato, il che da Polibio ben si raccoglie. A imitazione degli Alloggiamenti di guerra si fabricarono presso le mura di Roma i Pretoriani, e però di forma quadrata, come apparisce da' lori avanzi, e vestigj, conosciuti già dal Panvinio, o almeno in tempo suo, tra le porte Viminale, e Tiburtina, nel luogo creduto prima Vivario. Dalla figura quadra di que' resti di muraglie si confermò anche il P. Donato in credere, che fossero de' Castri Pretoriani. All'incontro le Città soglion così trovarsi espresse nelle Medaglie; cioè* B *con tondo recinto, come si vede in Cesare la Colonia Casilino, che al Mezabarba parve però un edifizio sferico; e frammezato di torri, come si vede la Città Tusculana nella moneta riferita dall'Orsino nella gente Sulpizia. Penso adunque, che non i Castri Pretorii, come si son finora interpretate le sudette Medaglie, ma niente meno che in quelle di Nicea, una Città si vegga in esse; o vinta in guerra, il che si dinoti dalle parole* Virtù de' soldati, Vittoria Sarmatica; *o ristaurata, e fortificata di nuovo, il che si dinoti da quell'altre* Providenza degli Augusti. *La vittoria Sarmatica da niun* C *altro più giuridicamente potea vantarsi, che da i sopradetti Principi, per le espedizioni de' quali dice Eumenio nel Panegirico di Costanzo, essersi quasi distrutta quella nazione. E poichè non si trova sì fatto tipo se non in que' quattro, che nell'istesso tempo concordemente imperarono, e si trova con tutti questi motti in ciascun di essi; rendesi probabile, che le quattro figure rappresentino i due Augusti, e i due Cesari, e si dinoti dal sagrifizio o dedicazion di fabrica, o rendimento di grazie per vittoria; la congiunzione, e la concordia fra essi facendo attribuire unitamente a tutti, ciò che ognun di essi avea* D *fatto.*

La congettura del non figurarsi in tali monete i Castri Pretorii, ma bensì qualche Città, resterà assicurata interamente dalla non più veduta, che nella stessa tavola si mostra, in cui le parole insegnano rappresentarsi per l'istesso tipo la Città di Verona. Dirò prima come siami il non più veduto monumento capitato poco fa casualmente. Ricercando io negli studj di Venezia, se con quel tipo altro motto si ritrovasse, che i tre accennati, pregai singolarmente di E *fare nel vasto oceano delle sue Medaglie tal ricerca un mio gentilissimo amico, cioè l'Abate Onorio Arrigoni, il quale possiede l'altre di questa seconda tavola eccettuando quella di Firenze, e non meno per proprio diletto, che col fin nobilissimo di promuover le buone lettere, tra le molte, e particolari serie da lui raccolte,* 800. *Medaglie ha posto insieme di Colonie,* 1500. *Greche, e* 1200. *Egizie; qual ultima classe se avrò un giorno agio di publicare, un nuovo, e non inutil sussidio spero ne ritrarrà la Cronologia. Il giorno appresso otto d'argento egli me ne portò col riverso istesso, e tra queste la qui accennata, alla singolarità della cui epigrafe allora solamen-* F *te avea egli con maraviglia fatto riflessione, essendogli stata venduta gran tempo fa in monte con molt'altre d'argento, senza fargli osservar punto questa, e senza però computarne se non il peso. L'innocenza di tali circostanze gran credito conciliò subito di verità. Si confermava il credito a detto di tutti dall'inspezione della Medaglia, e si confermava dall'aggiustatezza di ciò che contiene. La testa è di Ga-*

rat Galerii Maximiani, qui anno 202. a duobus Imperatoribus simul cum Constantio Cloro Cæsar creatus est. Epigraphem inversæ partis sic ego interpretor: *Verona. Nova Porta Rite Condita.* Constantius statim atque renunciatus est Cæsar, in Gallias missus est. De Galerio nihil memoriæ prodiderunt scriptores; hoc unum relatum invenio, pugnasse illum cum Sarmatis, & in iis regionibus oppida condidisse: quare ejus caput exprimi in numo conspicitur, in quo legitur *Victoria Sarmatica*, & in quo referri Urbem, sive oppidum diximus. Pugnavit etiam in Germania, ex qua credibile est venisse non semel in Italiam, etiamsi non legatur venisse nisi anno 304. ut Mediolani Maximianum seniorem alloqueretur. Nihil ergo facilius, quam eum, dum vel pertransiret, vel moraretur Veronæ, novæ Urbis portæ construendæ manum admovisse. Gallienus haud multo ante metu Barbarorum novos illius Urbis muros reædificaverat, cujus rei inscriptam Magnificæ Portæ epigraphem, quæ durat adhuc, videmus. Quemadmodum opus illud confectum summa celeritate est, uti ex epigraphe colligimus, sic credibile est aliam Portam mansisse inchoatam, deinde vero Maximiani Cæsaris jussu fuisse perfectam. Plures Urbes, in quibus & Mediolanum, a Maximiano Augusto novis muris ea ætate fuisse cinctas innuit Aurelius Victor. Nostra igitur, de qua loquimur, Porta, uti legere licet, condita est *rite*, hoc est juxta ritum in Ethnicorum religione receptum, adhibitisque iis auspiciis, quæ in muris portisque Urbium ædificandis, quæ apud ipsos erant *res sanctæ*, uti legimus in Justiniani Institutionibus, requirebantur. Quare, ut ex hoc monumento intelligimus, sacrificium peragitur post novam Portam Veronæ *rite conditam*, & ante ipsam peragitur, quod ejus dedicationem denotat; dedicationem autem celebrare nihil aliud erat, nisi opus declarare absolutum, atque ad usum superis bene juvantibus primum traducere. Historiæ igitur convenientia, formula præterea, ac verba hic adhibita longe Falsariorum peritiam superant, qui sunt homines rudes atque indocti, ut si quando addunt forte aliquid de suo, statim suammet inscitiam prodant. Huc accedit, incredibile esse, si quis verbis circum scriptis fingere voluisset Urbem, hunc nunquam fuisse electurum numisma, cujus typum pro Urbe hactenus nemo, pro castris Prætorianis omnes acceperunt. Neque vero desunt numi alii, in quibus circumscripta epigraphe Urbem designet; neque admirationem ullam debet injicere, quod postremis temporibus hic numi cuderentur, ut nullam injicit admirationem, quod cuderentur Aquilejæ: utrobique enim eadem est ratio, quo nimirum militibus, qui in utraque Urbe tanquam in præsidio adversus gentes exteras perpetuo degebant, stipendia solverentur.

De rer. div. l. 2. Sanctæ quoque res, veluti muri & portæ civitatis.

Multo minus videri mirum debet, typo eodem in iis numis diversas Urbes, aliam in Italia, aliam in Sarmatia, alias in aliis ignotis partibus repræsentari. Quemadmodum postremis temporibus numorum epigraphe sæpe non alludebat amplius ad rem aliquam singularem, uti primis ætatibus solebat, sed ad assentationem puram putamque traducta cuilibet Imperatori promiscue inscribebatur; sic iisdem typis aliter atque aliter usi sunt. In Constantino eadem figura, eodemque habitu prædita modo Galliam refert, modo Germaniam. Forma, quæ ad illam proxime accedit, de qua loquimur, idest murus cum porta, at sine quatuor figuris, ad urbem proinde, oppidumve designandum delineata, non autem ad significanda ca-

lerio Massimiano, fatto Cesare insieme con Costanzo Cloro dalli due Imperadori l'anno 202. L'iscrizion del riverso così l'interpreto: Verona. Nova Porta Rite Condita. Costanzo appena fatto Cesare fu mandato nelle Gallie. Di Galerio per assai tempo non si rinvien cosa alcuna negli Scrittori: sol ritrovo che pugnò co' Sarmati, e che in quelle parti edificò Castelli: ben però si vede con sua testa la moneta, che ha Victoria Sarmatica, e che abbiam detto rappresentare Città, o Castello. Guerreggiò egli ancora in Germania, ed è credibile che in Italia passasse più volte, benchè non si legga se non di quando venne nel 304. a conferir con Massimiano il vecchio a Milano. Niente però più facile, che l'aver lui nel passare, o nel trattenersi in Verona, dato mano alla fabrica d'una nuova Porta della Città. Gallieno non gran tempo avanti per timor de' Barbari vi avea rifabricate nuove mura, e sopra una sontuosa Porta, che pur sussiste, ne veggiamo ancor l'Iscrizione. Siccome quel lavoro fu fatto in somma fretta, il che si ricava dall'Iscrizione istessa, così è facile ch' altra Porta rimanesse imperfetta, e fosse poi per ordine di Massimiano Cesare condotta a fine. Di mura fatte di nuovo in quel tempo a varie Città, e fra queste a Milano, da Massimiano Augusto, tocca Aurelio Vittore. La nostra Porta adunque, secondo ciò che qui si legge, fu inalzata rite, cioè secondo il rito dalla religion de' Gentili prescritto, e con quegli auspizj, che si richiedeano nell'edificar mura, e porte di Città, quali secondo essi erano cose sante, come abbiam nelle Istituzioni di Giustiniano. Il sacrifizio si fa però giusta questo monumento, dopo fabricata in Verona secondo il Rito una nuova Porta, e si fa innanzi ad essa, e dinota la dedicazion sua, che volea dire, il dichiararla perfezionata, e il cominciare col favor de gli Dii a porla in uso. L'accordo adunque con l'Istoria, e la formola, e le parole qui usate superan di molto la cognizion de' falsarii, quali per somma providenza del Signore sono uomini idioti, e ignoranti, e allorchè alcuna cosa pongon di suo, danno subito in qualche balorderia. Si aggiunge il non esser mai probabile, che chi avesse voluto fingere con le parole intorno una Città, avesse perciò scelta una Medaglia, il tipo della quale da niun finora è mai stato preso per Città, ma da tutti per Alloggiamento Pretoriano. Nè altre Medaglie mancano col nome di Città nel contorno, nè maraviglia dee far veruna, che nel basso secolo si battesse qui moneta, come non la fa che nell'istesso tempo si battesse in Aquileia; poichè correa l'istessa ragione, cioè del pagar le soldatesche, quali nell'una e nell'altra Città, come di frontiera verso straniere nazioni, e piazza d'arme come or direbbesi, soggiornavano.

Molto meno dee dar fastidio, che col tipo stesso si rappresentino dunque in tali Medaglie Città diverse, altra in Italia, altra in Sarmazia, ed altre non si sa in qual parte. Siccome nel secol basso il motto delle Medaglie molte volte non alludeva più ad alcun fatto particolare, qual nelle prime età, ma divenuto mera adulazione, si accomunava ad ogni Imperadore; così degli stessi impronti si valsero spesso variamente. In Costantino la figura medesima, e nel medesimo atteggiamento, ed abito, rappresenta ora la Francia, ora l'Alemagna. Disegno, che s'accosta a quello, di cui trattiamo, cioè muro con porta, ma senza le quattro figure, e fatto però per significar parimente Città, o Ca-

ſtra Prætoriana, pro quibus & ipſa accipitur, neque ad ſignificanda promptuaria, ut aliis recens placuit interpretari, in Conſtantio Cloro incipit ac pergit conſpici uſq; in Criſpo, inverſamque tenet partem decem capitum inſignitam cum iiſdem inſcriptionibus *Providentia*, & *Virtus* nunc *Militum*, nunc *Auguſtorum* nunc *Cæſarum*. Indubitatum eſt autem, etiam ſi forma ſit eadem, urbem tamen, ſeu oppidum inſtauratum munitumve, quod forma exprimit, idem ſemper non eſſe. Redit typus idem in Valentiniano, in Magno Maximo, atque in Flavio Victore, ſed cum alia epigraphe: ex quo palam fit quantopere fallantur illi, qui hac etiam figura exprimi Prætoria Caſtra contendunt, quæ a Conſtantino, poſt victum Maxentium, ſublatiſque Prætorianis, qui illi faverant, ut docet Zoſimus, diruta, ea ætate non amplius exiſtebant. Caſtra militaria, non Prætoriana fortaſſe deſignari eo typo ſolummodo poſſent, quatenus ſtabilia caſtra, ſive Præſidia in finibus hoſtium conſtituta inſtar caſtellorum erant; ex quo & *caſtri*, & *caſtelli* nomen ortum. Talia fortaſſis *Præſidiaria Caſtra* fuere, quæ trans Danubium, ut inquit Ammianus Marcellinus, juſſu Valentiniani conſtructa ſunt: de caſtris a Trajano etiam conſtructis in locis, quæ maxime ſuſpecta eſſent, meminit Victor.

lib. 2.

l. 29. c. 6.

Ut Caſtrorum potius, quam Urbis portam crederem, quæ in Veronæ numo exprimitur, atque in aliis ſimilibus, illud unice primo ſuadebat, quod animadverteram, Urbium portas a Veteribus duplices fieri conſueviſſe; cujuſmodi eſſe Gallieni Portam Veronæ videmus, portam Emeritæ Urbis in Hiſpania, & Caſilini ſuperius commemorati, uti licet in numis cernere. Sed profecto non omnes fuere ejuſmodi; cui rei argumento eſſe poteſt Quieti numus, in quo Nicææ porta conſpicitur portæ prædictorum numorum plane ſimilis, luminis tamen unius. Obſervetur etiam pulcherrimus ejuſdem Tabulæ numus, qui in Magni Ducis Muſeo aſſervatur; caput Adriani præſefert, in parte autem inverſa portam exhibet Bitiæ Thraciæ Urbis cum Itii, ſive Iteii Imperatoris Legati ac Proprætoris nomine; inſpiciatur & quartus Gordiani Pii, in quo Urbis Adrianopolis porta exprimitur ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Atque ut intelligamus, portas a Veteribus non una eademque ratione extrui conſueviſſe, inſpiciatur porta numi quinti alio modo novo confecta, hoc eſt prædita triplici lumine ſeu aditu; eſtque porta Nicopolis Epiri in Adriano: ΙΕΡΑϹ ΝΙΚΟΠΟΛΕΩϹ. Qui in Antiquis monumentis verſatus eſt, fortaſſe primo aſpectu ſuſpicabitur, eo numo arcum potius, quam portam referri; ac ſane pro Arcu poſſet accipi, cum triplex lumen habeat, niſi, quæ duo ſunt ad latera, depreſſiora eſſent, ac niſi quatuor feneſtræ in parte ejus ſumma, ac duæ turres hinc atque hinc poſitæ omnem dubitationem tollerent, atque Urbis portam demonſtrarent. Conſulatur apud Serlium antiqua Spelli porta ab eo deformata cum duabus ſimilibus turribus, quæ antiquæ perhibentur, etſi recens inſtauratæ ac ſarcitæ. Duas quoque turres ad latera præſefert porta Emeritæ; quo factum fortaſſe fuit, ut a Spanhemio, atque Patino oppidum crederetur; eodemque typo portam ſuam in numis deformant Nicopolis ad Iſtrum, ac Trajana, ſeu Trajanopolis.

Obſervationem aliam juvat addere hoc loco, ut in omnibus commemoratis numis non exprimi Prætoriana caſtra confirmemus. Videlicet ejuſmodi caſtra biforem portam habebant. Portas hac ratione extrui conſueviſſe etiam præter portas Urbium, quando magna hominum frequentia

A *ſtello, non Caſtri Pretoriani, come vien' anch'eſſo interpretato, e non Magazini, com' altri ha voluto di freſco intenderlo, comincia in Coſtanzo Cloro, e continua fino in Criſpo, ſervendo di riverſo a ben dieci teſte pur con gli ſteſſi motti di* Providentia, *e di* Virtus, *ora* Militum, *ora* Auguſtorum, *ora* Cæſarum. *E' indubitato, che ſe ben la forma è l'iſteſſa, la Città riſtaurata, o fortificata, overo il Caſtello, che ſi dinota, ſarà per lo più diverſo. Torna l'iſteſſo tipo in Valentiniano, e in Magno Maſſimo, e in Flavio Vittore, ma con altra iſcrizione: dal*

B *che ſi conferma, quanto vadano errati coloro, che vogliono rappreſentarſi anche per tal figura i Caſtri Pretorii, quali a quel tempo non v'eran più, disfatti da Coſtantino dopo vinto Maſſenzio, e abolito il corpo de' Pretoriani ſtati a lui favorevoli, come inſegna Zoſimo. Alloggiamenti militari, ma non già Pretoriani, potrebber ſolamente per tal tipo eſſer forſe indicati, in quanto che gli Alloggiamenti ſtabili, o ſia i Preſidii poſti alle frontiere de' nimici, erano in modo di Caſtelli, onde il nome di* Caſtrum, *e di* Caſtellum *ebbe origine. Tali ſaranno ſtati i* Preſidiarii Caſtri, *cui diſſe Ammian Marcellino fece edificar Valentiniano di là dal Danubio: di*

C *Caſtri fabricati ſin da Traiano* ne' più ſoſpetti luoghi *fa menzion Vittore.*

Al creder porta di Città, e non d'Alloggiamenti, la rappreſentata nella moneta di Verona, e nell' altre ſimili, difficoltà ſolamente mi fece da prima l'avere oſſervato, come le porte delle Città da gli Antichi ſi facean doppie, qual veggiam la noſtra di Gallieno in Verona, e ſi oſſerva nelle Medaglie quella d'Emerita Città di Spagna, e di Caſilino mentovata ſopra. Ma non tutte furon certamente in tal guiſa; in pruova di che oſſerviſi la Medaglia di

D *Quieto, in cui la Porta di Nicea ſi vede, pur ſimile a quella dell' antidette, e con un foro ſolo. Oſſerviſi altresì la belliſſima dell'iſteſſa tavola, che ſi conſerva nel Muſeo del Gran Duca, con la teſta d'Adriano, e nel riverſo una porta di Bizia Città di Tracia col nome d'Itio, o ſia Iteio Ruffo Legato, e Vicepretor dell'Imperadore; e oſſerviſi la quarta, ch'è di Gordian Pio dove una porta ſi rappreſenta della Città d' Adrianopoli* ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *E per imparare, che variamente ſi coſtruivano, veggaſi finalmente la quinta in nuovo modo, cioè a tre fori, o ſia ingreſſi, ed è quella di Nicopoli d' Epiro in Adriano* ΙΕΡΑϹ ΝΙΚΟΠΟΛΕΩϹ. *Chi*

E *ha notizia dell' Antichità dubiterà a prima viſta, che queſta moſtri Arco, e non Porta; e tal veramente potrebbe crederſi per aver tre aperture, ſe le due laterali foſſer più baſſe, e ſe le quattro feneſtre, che ha ſopra, e le due torri dalle parti non metteſſero fuor d'ogni dubbio, ch'è porta di Città. Veggaſi nel Serlio l'antica da lui diſegnata di Spello con due torri ſimili riconoſciute per antiche, benchè modernamente riſtorate, e ſupplite. Due torri laterali moſtra quella ancora d'Emerita, onde forſe venne l'eſſerſi dallo Spanemio, e dal Patino creduta Caſtello; e ſimilmente effigiano nelle monete la Porta loro le Città*

F *di Nicopoli all'Iſtro, e di Traiana, o ſia Traianopoli.*

Nuova oſſervazione cade in acconcio d'aggiunger quì, per confermare come tutte le ſopradette Medaglie non rappreſentano altramente gli Alloggiamenti de' Pretoriani. Coteſti Alloggiamenti aveano appunto la porta doppia, cioè a due fori. Che in tal guiſa altre porte ancora ſi fabricaſſero oltre a quelle delle Città, quando gran quantità di gente per eſſe tranſitar dovea,

transitura per illas esset, demostrat porta duplex, cujus magna pars Veronæ adhuc extat, quæ non urbis, sed Fori porta fuit. Talem & in castris prætorianis fuisse colligo ex eo numo, qui unus, ut ego quidem arbitror, castra prætoriana nobis exhibet; unus inquam; in aliis enim, in quibus maxime oporteret, expressa non video, ut in *Allocutionibus*, in *Exercitubus*, in donariis, quæ militibus largiebantur Imperatores, ubi demum hi tituli leguntur: *Pater*, aut *Mater Castrorum*. Is, in quo conspiciuntur, Claudii numus est, ubi murus apparet cum porta duplici, & Epigraphe in medio: *Imperatore Recepto*; quæ indicat, Imperatorem post obitum Caligulæ e loco, ubi latuerat, a militibus fuisse receptum, in castra deportatum, & Imperatorem salutatum, uti apud Suetonium, & Dionem legimus. Quare duplicem portam præseferrent numi commemorati, si castra Prætoriana referrent.

Ut dicam in summa, nihil prorsus est, quod contra nostrum hunc Veronæ numum objici posse videatur, ad cujus puritatem persuadendam illud etiam forte plurimum contulit, quod non defuit, qui in quodam alio Constantii numo, cujus inversa pars eandem formam præseferebat, abrasis prioribus litteris, vocem hanc insculpendam curavit: *Verona*. Quem ego numum emi libenter, non quod deceptus fuerim, uti spes erat, sed quod cum meo ac genuino numo comparatus mirifice sinceritatem illius confirmat: Emicat enim oculis vel mediocriter eruditis inter utrumque diversitas, sive utriusque crassitudo, sive operis concinnitas, sculptura, ac forma, ut nihil dicam de immutatione campi, spectetur. Comparatio hæc ostendit etiam, fieri iterum in numi ambitu tam longam epigraphem non potuisse, ac si forte factum id fuisset, ex pondere detegi errorem potuisse: ut enim periculum hoc vitaretur, in adulterato numo sola vox *Verona* cælata est, ostensumque, in reliquis partibus mutilatum corruptumque numum fuisse. Præter novum hoc argumentum, favet huic numo expertissimorum Practicorum consensio, penes quos, quantum libuit, numus fuit; favet typus antiquus, favet exploratum pondus: impositus enim cum aliis similibus bilanci, qua solet numorum aureorum pondus æstimari, ejusdem plane ponderis inventus est, ac sine ulla omnino differentia; tolli vero primæ litteræ, campusque abradendo deprimi, quam unicam fraudem intercessisse suspicari liceret, omnino non potuere, quin de pondere nonnihil detractum perciperetur.

Non deerit, qui miretur, me de numo hoc, cujus sinceritas tot argumentis confirmatur, sic hactenus locutum esse, nec adhuc asseveranter protulisse, quæ colligi ex eo possunt. Quod ego quidem pro quodam meo instituto facio, a quo nunquam discessi, ac discedam nunquam. Videlicet novam opinionem, sive notitiam, atque ab aliis discrepantem nunquam ego constituere soleo ex ullo numo, qui unicus sit, etsi nihil appareat esse, quod objici contra possit. Sic libuit in pluribus civitatibus celebratissimorum Practicorum, qui falli nescii putantur, opiniones inter se conferre, quas sæpius inveni constanter discordes: licuit etiam animadvertere, neminem esse, qui interdum deceptus non fuerit; præterquam quod novi quot, quamque variis modis utantur Falsarii, quod unum crimen impune patratur, etsi in hac materia cum proditione, & cum perniciosa Historiæ, potiorisque eruditionis eversione sæpe delictum conjungatur. Nolo ego proinde tamen cujuslibet singularis numi sinceritatem in dubium revocari: sed hic, quoniam res

si è già dimostrato per una pur doppia, di cui gran parte rimane in Verona, e non fu della Città, ma del Foro. Che tal fosse quella de' Castri Pretorii, l'imparo da quella Medaglia, che unicamente secondo me ce gli mette dinanzi a gli occhi: dico unicamente, perchè io non gli veggo figurati in altre, dove par si converrebbe più; come nelle Allocuzioni, *negli* Eserciti, *ne' donativi distribuiti dall' Imperadore a' soldati, e dove i titoli si danno di* Pater, *o di* Mater Castrorum. *La Medaglia in cui si veggono, è quella di Claudio, dove muro appare con doppia porta, e il motto in mezzo* Imperatore Recepto, *indicando l'averlo i soldati dopo la morte di Caligola, dal luogo ove s'era nascosto, ricuperato, e trasportato negli Alloggiamenti, e gridato Imperadore, come da Svetonio, e Dione. Porta doppia mostrerebbero però l'accennate Medaglie, se fossero de' Castri Pretoriani.*

In somma niuna eccezione sembra dunque potersi dare alla nostra Medaglia di Verona, per far creder la purità della quale un accidente ancora è venuto a contribuire: essendo che si è trovato subito un bell' ingegno, che presane una di Costanzo con l'istesso rovescio, rase le prime lettere, vi ha fatto intagliar su Verona. *Io l'ho comperata volontieri, non già per esserne rimaso ingannato, come si sperava, ma perchè posta appresso la mia, serve mirabilmente a giustificarla, spiccando ne' caratteri ad ogni occhio anche mezanamente addottrinato la diversità nella grossezza di essi, nell' affilatura, nell'incavo, e nella forma, oltre all' alterazion del campo. Questo riscontro fa conoscere ancora, come non era possibile il far di nuovo nel contorno sì lunga epigrafe, e che in tal caso il peso ne potrebbe scoprir l'inganno; poichè per fuggir questo pericolo nell' adulterata si è fatto* Verona *solamente, e mostrato, che dall'altre parti la Medaglia fosse mutilata, e guasta. Oltre a questa nuova conferma, sta in favor della nostra il parere di più esperti Pratici, cui si è lasciata a tutto comodo in mano; e sta il conio antico, e patente, e sta il cimento del peso, poichè posta su bilance da oro gelosissime a rincontro d'altre simili, trovasi ugualissima, e senza atomo di differenza; là dove il levar le prime, e l'abbassare il campo per far nuove lettere, ch'è l'unica fraude qual sospettar si potesse, non era possibile senza detrarre al peso sensibilmente.*

Non mancherà chi si maravigli, come con tutte queste pruove io parli di questa Medaglia quasi con riserva, e non avanzi con asseveranza quanto può da essa ritrarsi. Il che da una mia massima procede, dalla quale non mi son mai dipartito, nè son per dipartirmi già mai. Questa è di non fondare opinione, o notizia nuova, e dalle ricevute diversa, in Medaglia che si trovi sola, quantunque non apparisca che opporvi. Così mi fece già stabilire il piacer ch'io mi presi in varie Città, di mettere in confronto i Pratici più rinomati, e tenuti per infallibili, e l'averli trovati più d'una volta costantemente discordi: parimente l'aver veduto, come niun ve n'ha, che non sia stato colto in error qualche volta: appresso il sapere quanti strani modi mettono francamente in opera i falsarii, essendo questo il solo delitto, che si commette a man salva, e che punir non si vede, benchè il latrocinio sia qui congiunto sovente col tradimento, e con la perniziosa sovversion dell' Istoria, e d'ogni più importante notizia. Non è per questo, che la sincerità d'ogni Medaglia unica voglia per me rivocarsi in dubbio; ma trattandosi qui di cosa

alla

agitur, quæ ad Patriam meam attinet, nolo quidquam constituere, nisi quid aliud in lucem aliquando prodeat. Cæterum numus ille ita erit semper penes me, ut curiosorum examini patere semper debeat, cum illum mihi, ut solet cum amicis se gerere, Ab. Arrigonius dono dederit. Hæc duobus ab hinc annis scripseram in prima hujus libri seorsim facta editione; atque hæc litteris consignare volui etiam in hac secunda, quo & res ipsa, & consilii mei ratio innotesceret. Cæterum in præsentia, quod antea fieri videbatur non posse, certi aliquid affirmate pronunciare, & constituere ex eo numo licebit: non enim est amplius singularis. Cum Vienna forte Venetias commigrasset Apostolus Zenus vir litteraturæ fama omnibus notus, qui cum rerum aliarum scientia summam & in hac materia peritiam brevi conjunxit, ac præstantissimum numorum ex omni metallo Museum composuit, dum mecum ipse pro quadam sua liberalitate animi de vulgato a me de Amphitheatris Tractatu loqueretur, ægrius ferre se significavit, in eo nunquam ante auditum Veronæ numum descriptum fuisse, utpote qui non esse spurius non posset. Sed haud multo post me quadam die convenit, ac se opinionem mutasse dixit ac debitum numo meo honorem tribuere: alium enim plane similem in alio Museo a se repertum, de cujus germana sinceritate ambigere non liceret. Et sane, cum singulos Musei Capelli numos, in quibus argenteorum copia maxima est, singulari diligentia inviseret, non sine sua admiratione hunc Veronæ numum invenit, cumque simul adessent Eq. Leonius in hoc rerum genere vir peritissimus, atq; alii pauci antiquitatum studiosi homines numum etiam atq; etiam expenderunt, atque unanimi consensu non posse de ipsius sinceritate dubitari omnes constituerunt. Quo intelligimus, numorum veluti regnum non adhuc esse peragratum totum, simulque innotescere in eptas tum Venetiis, tum Romæ vulgatas voces de meo illo numo ab iis, qui cum falsa concinnent, loqui vera non possunt.

Sed jam digressionis hujus finis esto (si digressionem vocare placet) in eum finem institutæ, ut palam fieret, ex rotunda ædificii figura in antiquis monumentis colligi Amphitheatrum non posse, neque Amphitheatrum fuisse, quod in commemoratis numis exprimitur. Cæterum necesse fuit, quantum præsertim attinet ad Veronensis Arenæ Historiam, in explicando commemorati Maximiani Cæsaris numi germano sensu paulo fusius immorari: cum enim opinio multorum sit, molem illam eo tempore ab alterutro Maximiano fuisse constructam, non defuisset, qui typum accipiens pro Amphitheatro, in ejusmodi falsa sententia permaneret.

CAP. XII.

Amphitheatra, quorum hisce temporibus magnæ, atque certæ reliquiæ extra Urbem Romam supersunt.

URbes præter Romam, in quibus ut communis est, atque ab ipsis majoribus accepta opinio, adhuc Arenarum magnæ ac celebres reliquiæ extant, quatuor esse feruntur, videlicet Verona, Capua, Pola, ac Nemausus. Sed quid dicetur, si ex his ita paucis aliquam adhuc ego excipiam? atque ita sane fiet: cum enim ipse me Polam contulissem, molem illam nihil aliud fuisse nisi Theatrum superbum deprehendi: quod evidenter libro secundo demonstrabitur. Neque inficias iverim, nonnihil dubitandum vi-

alla patria mia appartenente io non intendo di farne stato, nè di lavorarvi sopra, s'altro riscontro un giorno non ne dà fuori. Essa per altro sarà in mia mano esposta sempre all'esame de' curiosi, avendomene il Signor Abate Arrigoni fatto dono, com'è uso suo con gli amici. Tanto io scrissi due anni fa nella prima edizione di questo libro fatta separatamente, e tanto ho voluto che rimanga vivo anche in questa seconda per intera notizia del fatto, e di mia condotta: per altro al presente in maniera diversa son per discorrerla, nulla più esitando intorno al fondamento, che può farsi nella Medaglia, poichè non è più sola. Essendosi per buona sorte trasferito da Vienna a Venezia il Sig. Apostolo Zeno Letterato a tutti noto, il quale all'altre sue cognizioni ha in poco tempo aggiunta una mirabil perizia in questa materia, e scelto tesoro di Medaglie d'ogni metallo ha posto insieme, ne' complimenti amichevoli, che per sua bontà mi fece sopra il Trattato degli Anfiteatri, dispiacere mi significò aver solamente provato per essere in esso registrata la non più intesa Medaglia di Verona, siccome quella, ch'altro che falsa esser non potesse. Non molto tempo dopo venuto in cerca di me un giorno, dissemi tutto giulivo, aver cambiata opinione, e render l'onore alla mia Medaglia, poichè altra in tutto simile ne avea trovata in altro studio sincera, e indubitatissima. In fatti visitando egli con diligenza straordinaria ad una ad una le Medaglie del Museo Capello, che in argento è ricchissimo, trovò con sua maraviglia quella di Verona, ed essendo con lui il Cavalier Lioni famoso Pratico, e alcun altro di tal ordine, osservata, e riosservata, fu conchiuso da tutti concordemente, non potersi della sincerità di essa aver dubbio alcuno. Ecco però come il regno delle Medaglie non è corso tutto ancora; ed ecco quanto si scuopran vere le sciocchezze sparse a Venezia, e a Roma intorno alla mia Medaglia per opera di coloro, che lavorando falso non possono parlar vero.

Diasi ormai termine a questa digressione, se così vogliam chiamarla, diretta a far conoscere come per rotondità di edifizio non deesi ne' monumenti antichi far argomento d'Anfiteatro, nè sospettare che Anfiteatro sia, ciò che nelle mentovate Medaglie si rappresenta. Necessario per altro fu, spezialmente per l'istoria dell' Arena Veronese, il diffondersi nel far ben conoscere il vero senso della riferita moneta di Massimiano Cesare; poichè opinion correndo presso molti, che appunto in quel tempo, o dall'uno, o dall'altro Massimiano essa fosse edificata, non sarebbe mancato chi interpretando per Anfiteatro il tipo, in tal falsa credenza si confermasse.

CAPO DUODECIMO.

Anfiteatri, de' quali restano in oggi fuor di Roma grandi, e sicure reliquie.

LE Città oltre a Roma, che secondo l'universale, e da secoli tramandata osservazione, e credenza, ancor conservano grandi, e famosi avanzi d'Arene, si riducono a quattro; Verona, Capua, Pola, e Nimes. Ma che dirassi mai, se di queste poche ancora alcuna io ne trarrò fuori? e pure così avverrà; perchè trasferitomi personalmente a Pola, ho rilevato, come quello altro non fu che un superbo Teatro; la qual cosa con evidenza si dimostrerà nel secondo libro. Nè posso negare, che qualche dubbio non mi

deri de mole quoque illa Nemausina; quippe cum noverim, in duobus tantum planis esse, sine fenestris in parte summa, sine numeris in Arcubus, sine ullo graduum vestigio; cum affirmet P. Montfauconius, hoc Amphitheatrum ab aliis differre, & loco scalarum habere portas; cum denique ex recenti erudito Gauterii libello, cui titulus *Historia Nemausi, ejusq; Antiquitatum*, intelligam, pluribus in locis Priapos in lapidibus opere anaglyptico insculptos cerni, quod sane in Theatrum apte fortasse caderet, in Amphitheatrum non æque caderet. Insolens fortassis videbitur suspicio hæc, cum nemo hactenus animadverterit, Theatra etiam ita constructa aliquando fuisse, ut ambitu, atque orbe integro clauderentur: quod tamen ipsi ex quodam Pausaniæ loco capite sexto jam innuimus, atque ad calcem hujus operis evidentius demonstrabimus. Nihilominus in præsentia moli tum Nemausinæ, tum etiam Polensi honorem Amphitheatri nomenque, quo gaudet, relinquemus, quatenus Theatrum fuit structuræ a vulgari diversæ, atque in externo ambitu ad Amphitheatri formam proxime accessit.

Postquam fuse vidimus, quam rara fuerint stabilia Amphitheatra, optabit fortasse quispiam, eorum, quæ superius commemorata sunt, ac Veronensis in primis, quod cæteris, Romano excepto, magnitudine præstat, & de quo potissimum loqui instituimus, Historiam nosse. Sed nescio quo malo fato factum est, ut neque de Veronensi, neque de aliis admodum certa proferre liceat, auctoremve, ac tempus certo assignare, cum neque scriptor, neque monumentum ullum nobis superfuerit qui de illorum constructione loquatur; nisi excipi Capuense debeat, de quo extat illud Inscriptionis fragmentum, quod anno superiore editum in lucem est. Quod apud Historicos Veteres memoria nulla inveniatur, mirandum non est: illi enim de rebus, quæ in Municipiis fierent, plerumque non laborabant: illud mirandum potius, neque aliorum, neque ipsius Romani prodiisse unquam in lucem amplum illum lapidem, quem pro recepta consuetudine in fronte, hoc est supra ostium princeps singula gerebant. Fato aliquo mehercule videtur contigisse, ut operum majorum Inscriptiones majore ex parte perierint. Nemo tamen suspicetur, ejusmodi Inscriptiones non fuisse, cum ex Plutarcho noverimus, Theatrum ab Augusto extructum ac dedicatum, ejus nutu in Epigraphe Marcello tributum fuisse; atque a Dione erudimur, in Epigraphe sumptuosæ Porticus ab eo pariter extructæ Liviæ nomen, sic jubente Augusto, fuisse descriptum. Theatro Pompeii inerat principe loco ipsius memoria, scenæ vero inerat memoria Tiberii, qui illam refecerat, reposita utraque a Claudio in restauratione a se facta, deinde adjecta memoria Claudii ipsius ob dedicationem. Inscriptionis Circo Maximo refecto atque amplificato a Trajano impositæ idem scriptor sententiam etiam refert, hoc est circum Populi Romani capacem a Trajano redditum. Communis fuit Inscriptionum in ædificiis publicis usus, non solum si construerentur, sed etiam si constructa jam instaurarentur; ut proinde, quasi rem singularem expresserit Augustus in Lapidibus Ancyranis, se opera multa extruxisse, aut refecisse *sine ulla inscriptione nominis sui*; ac mirum putavit Spartianus, Severum, cum publicas ædes instaurasset, earum nulli nomen suum imposuisse, sed primorum auctorum memorias insculptas reliquisse.

Plut. in Marc.

Dio l. 54

Dio l. 60

Dio. op. Xiph.

Grut. p. 232.

Antequam ad alia progrediamur, illud etiam observandum hoc loco est, singulas quatuor commemoratarum Urbium non solo Amphitheatro

A

nasca anche su quel di Nimes dal sapere, ch'è in due soli piani, senza finestre nell'alto, senza numeri sugli Archi, senza vestigio di gradi; e parimente per affermare il P. Montfaucon, che sia diverso dagli altri Anfiteatri, e abbia porte in vece di scale; e dall'imparare nell'erudito recente libretto del Gautier, intitolato Istoria di Nimes e delle sue Antichità, *come in più luoghi si osservan Priapi effigiati a basso rilievo su le pietre, il che a Teatro può forse convenire, ma non ad Anfiteatro. Strano parrà questo sospetto per non essersi finora avvertito come Teatri si fecero anche di recinto intero, e circolare; ma noi l'abbiamo accennato già per un passo di Pausania nel capo sesto, e lo mostreremo più chiaramente nel fin di quest'opera. Tuttavia lasciando quel di Nimes nel suo possesso, vi lascieremo per ora anche quel di Pola in quanto che fu Teatro di struttura dalla comune diversa, e simile nell'esterno giro a gli Anfiteatri.*

B

Aver veduto ampiamente quanto rari furono gli Anfiteatri stabili, invoglierà tanto più di saper l'istoria de' sopranominati, e sopra tutti del Veronese, ch'è il maggior de gli altri dopo il Romano, e di cui abbiam preso a trattare singolarmente. Ma sventura vuole, che nè di esso, nè degli altri si possa render molto sicuro conto, nè precisamente assegnarne autore, o tempo, Scrittore, o monumento non essendoci rimaso, che della fabrica loro faccia parola; quando non debba eccettuarsi il Capuano per quel frammento d'Iscrizione, che l'anno passato è venuto a luce. Del non vedersene memoria negli antichi Storici non dobbiam maravigliarci, mentr'essi di quanto ne' Municipj faceasi per lo più non preser cura: maraviglia è più tosto da prendere, come nè degli altri che furono, nè del Romano istesso sia mai data fuori l'ampia Lapida, che secondo l'uso pur doveano portare in fronte, cioè sopra il principale ingresso. Par fatalità, che dell'Opere maggiori le Iscrizioni sien per lo più perdute. Non si dubiti per altro, che non vi fossero, mentre sappiam da Plutarco, che il Teatro fatto, e dedicato da Augusto, fu per suo ordine attribuito nell'Iscrizione a Marcello; e sappiam da Dione, che in quella del sontuoso Portico da lui pure edificato fece porre il nome di Livia. Sul Teatro di Pompeo era prima la memoria di lui, e su la Scena quella di Tiberio, che l'avea rifatta, rimesse l'una, e l'altra da Claudio nel suo risarcimento; indi quella di Claudio stesso per la dedicazione. Dell'Iscrizione fatta porre nel Circo Massimo da Trajano dopo averlo rifabricato, e ampliato, ci riferisce lo Storico anche il sentimento, cioè averlo lui reso sufficiente al Popolo Romano. Era generale l'uso delle Iscrizioni ne' publici edifizj, non solamente facendogli di pianta, ma ristaurandogli, onde come singolar cosa espresse Augusto nelle Lapide Ancirane d'aver fatte più opere, o rifatte, senza mettervi iscrizione alcuna del nome suo; e con maraviglia notò di Severo Sparziano, che avendo risarcite le publiche fabriche, quasi in niuna pose il suo nome, ma conservò le memorie de' primi autori.

C

D

E

F

Una riflessione è da far quì prima di passare avanti. Ognuna delle quattro sopranominate Città non va superba dell'Anfiteatro sola-

gaudere, aut Theatro, quod ad externum ambitum pertinet, Amphitheatris pari, sed aliis etiam veteris magnificentiæ, ac potentiæ reliquiis ejusmodi, ut hoc laudis genere urbes cæteras longe antecellant. Præ reliquis fortasse eminet Urbs nostra: Capua haud procul ab Amphitheatro reliquias Arcus habet, ac prope Turrim S. Erasmi reliquias Theatri, ut Canonicus Mazochius testatur. De Nemauso satis est consulere Serlium in epistola ad Franciscum Primum, quam is libro suo tertio præfixit: affirmat, fuisse tunc Arcum ornamentis plurimis insignem, fuisse Templum Corinthium, sumptuosum Aquæductum triplici ordine altero supra alterum elaboratum (pontem appellat Casaubonus) reliquias Prætorii, ædificium in tres ordines digestum cum pulcherrimis signis, atque fornice in parte summa columnis decem corinthiis canaliculatis innixo: fortasse fuit Plotinæ Basilica Adriani jussu Nemausi excitata, quam Spartianus *opus mirabile* vocat: Templi forma suadere facile poterat, ædem fuisse a Xiphilino Templi appellatione designatam; prope hac molem fuisse duas ingentes Turres octogonas, quibus veterum propugnaculorum modus ostendebatur, nonnullas præterea statuas, ac Lapides frequentes. Palladius etiam referre, & accurate describere duo antiqua Nemausi Templa voluit. De Pola verba faciemus alio loco; nunc satis sit monuisse, ad hanc usque diem plures veterum ædificiorum reliquias in ea urbe extare tam pulcras, & ab injuriis temporum sic immunes, ut vix credat, qui suismet oculis non viderit.

ad Spart.

in Adr.

Ex his antiquitatis reliquiis ea discimus, quæ a paucis, & quantum ad res extra Romam pertinet, plerumque omnino jejunis scriptoribus ægre possemus discere; hoc est Urbes hasce primis Imperii sæculis magnas fuisse atque insignes; quippe cum in earum singulis, ut majores ea ætate temporum aliis multis, quæ deinde auctæ sunt, credantur fuisse, cum Amphitheatro tot aliæ sumptuosorum ædificiorum reliquiæ præclaræ conspirant. En igitur quam facile hallucinentur recentes Auctores, qui non complectentes animo nisi recentia, & Imperii rationem post Constantinum cum ea, quæ ante hunc Imperatorem obtinebat, perperam confundentes, amplas Urbes antiquis Temporibus fuisse non opinantur, nisi quæ temporibus postremis magnitudinis gloria claruerunt. Temporibus antiquis Urbes has longe præstitisse multis aliis, quæ deinde sua accepere incrementa, & quarum splendor non ante emicuit, quam superbis Ethnicorum ædificiis finis impositus esset, commemorati Lapides manifestissime declarant: qua enim occulta de causa in illis, quæ gaudent Amphitheatro, asservari debuissent tot aliæ nobilissimorum ædificiorum reliquiæ, ita ut hoc rerum genere reliquis omnibus, Roma excepta, longe antecellant; ac nullæ superfuissent in illis, in quibus juxta communem opinionem dicendum esset, ejusmodi publica ædificia & multo plura, & multo majora extitisse? *Quid Nemausus*, inquit Lipsius, præ magnis Galliæ Urbibus? At qui factum est, si parva urbs fuit Nemausus, ut reliquas Galliæ Urbes Augusti tempore cudendorum numorum laude antecederet? notus est vulgaris quidem, sed pulcherrimus numus, in quo & attributum Coloniæ, & Augusti atque Agrippæ capita sunt: alium ætatis ejusdem retulit Tristanus. Quare Coloniæ Augustæ titulus Nemauso tributus? quare Nemausi superbam Basilicam construxit Adrianus in honorem Plotinæ? quare posterioribus etiam temporibus fuit Nemausi una ex tribus Galliæ monetis, cum ipsarum Præside in *Notitia Imperii* comme-

cap. 5.

Grut. 325. 5.

Spar. in Adr.

A *mente, o di Teatro uguale nell' esterior recinto a gli Anfiteatri, ma di tali altre reliquie ancora d'antica magnificenza, e grandezza, che superano in ciò tutte l'altre. La nostra ne abbonda forse sovra tutte: Capua poco lungi dall' Anfiteatro ha i rimasugli d'un Arco, e presso la torre di Sant' Erasmo ha quei d'un Teatro, come il Canonico Mazochio attesta. Di Nimes in Francia basta vedere il Serlio nell' Epistola a Francesco I. ch' ei premise al suo libro terzo: afferma egli, come vi era allora un Arco ricco d'ornamenti, un Tempio Corintio, superbo Acquedotto a tre ordini un sopra l'al-*

B *tro, (Casaubono lo chiama ponte) resto di Palazzo, edifizio in tre ordini con bellissime scolture, e cupola in cima sostenuta da dieci colonne Corintie canalate; forse era la Basilica di Plotina edificata a Nimes per ordine d'Adriano, e detta da Sparziano di* mirabil lavoro: *l'aver sembianza di Tempio potea appunto farla credere edifizio stesso con tal nome ricordato da Sifilino: appresso due torrioni ottangoli, che mostravano il modo dell' antiche difese, ed alcune statue, e lapide in coppia. Anche il Palladio si compiacque di rappresentare, e minutamente descrivere due antichi Tempj di*

C *Nimes. Di Pola parleremo altrove, e basti per ora, che al bel dì d'oggi non un solo, ma più avanzi d'antiche fabriche vi si trovano di tal bellezza e conservazione, che difficilmente potrebbe crederlo chi non gli ha veduti.*

Impariamo da queste eloquenti ruine ciò, che da i pochi, e delle cose fuor di Roma per lo più affatto digiuni Scrittori mal si potrebbe; cioè come queste Città ne' primi secoli dell' Imperio furono insigni, e grandi: mentre in cias-

D *cuna d'esse per farle conoscere maggiori allora di molte, che poi sormontarono, accoppiansi con l'Anfiteatro tant' altre nobili reliquie di sontuosi edifizj. Ecco però come facilmente s'ingannano i moderni Autori, quali ripieni d'idee moderne, e col solenne abbaglio di confondere il sistema dell' Imperio posteriore a Costantino con l'anteriore, non soglion riconoscere negli antichi tempi per gran Città se non quelle, che primeggiaron nel secol basso. Che nell' alto secolo fosser queste superiori di molto a molte, che poi s'accrebbero, e lo splendor delle quali non fu, se non quando a i più superbi edifizj de' Gentili*

E *non si ponea più mano, i mentovati marmi lo dimostrano irrefragabilmente, imperciocchè per quale occulta ragione appunto in quelle, ch' hanno Anfiteatro, avrebber dovuto conservarsi tante altre reliquie d'insigni fabriche, talchè superino in ciò le Città tutte, eccettuando Roma; e non se ne sarebbero conservate altrettante in quelle, che secondo l'idea comune converrebbe dire, avessero avuto sì fatti edifizj publici in molto maggior numero, e molto maggiori?* Che fu Nimes? *disse Lipsio, in paragone delle gran Città della Francia? Ma per-*

F *chè, se fu sì poca cosa Nimes, si distinse essa sopra tutte le Città della Gallia in tempo d' Augusto per le Monete? è nota la volgare, ma bellissima, con attributo di Colonia, e con le teste di lui, e d' Agrippa: altra dell' istessa età ne riferì Tristano. Perchè le si diè titolo di Colonia Augusta? perchè Adriano vi edificò una superba Basilica in onor di Plotina? Perchè anche nel secol basso fu in Nimes una delle tre Zecche di Francia, nominate dalla* notizia dell' Imperio *col lor Preposto? Verona*

moratis? Verona, & Capua quales fuerint fu- A pervacaneum esset exponere: ad primam quod attinet, quanta urbs esset Augusti tempore ut intelligamus, satis est, quendam Strabonis locum legere, qui tum temporis cum Mediolano Veronam ex æquo componit, & præ illa reliquas non procul dissitas, uti Mantuam, & Brixiam, etsi alioquin claras Urbes, appellat exiguas.

Sæpe mihi confirmavere idonei auctores, extra Forojulium in Provincia Amphitheatri reliquias conspici, fortasse certiores quibuscumque aliis, quas Gallia venditat; de quibus Serlius etiam meminit, qui præterea alias quoque in eadem B urbe reliquias commemorat Romani Ædificii, quod Prætorium fuisse videtur. Eam Galliæ par- *l. 3. c. 4.* tem inquit Plinius *Italiam verius esse, quam Provinciam*; eaque Urbs maritima vocata est Colonia *Julia*, & Colonia *illustris*, in qua moram semper traxere Romani, ex quo eo misit Augustus rostratas naves Actiaca pugna captas, atque ut apud *Ann. l. 5.* Misenum, & Ravennam, classis remansit, quæ omnia ex Tacito discimus.

Si supplementum, atque interpretationem fragmento Lapidis nuper prope Capuense Amphitheatrum eruti tributam admittimus, hujus tantum, præter Romanum, novimus Auctores C ætatemque; novimus a Coloniæ Capuensis Incolis sumptu publico extructum fuisse paullo post Amphitheatrum Titi; instauratum, exornatumque ab Imperatore Adriano, atque ab Antonino Pio dedicatum. Sane cum in supplendo, tum in explicando eo Lapide ingenii atque doctrinæ specimen præbuit Canonicus Mazochius; nec in ejus supplemento quidquam est, quod plausibile ac probabile non videatur: est solum, qui in eo mallet aliam vocem pro voce illa *Imagines*, quam ipse tamen mancupio, quod dicitur, non dedit. Nulla Urbs alia magis quam Capua, æmulari mirabile, ac proximum Titi Amphitheatrum potuit, D tum ob Urbis notam amplitudinem, & opes, tum etiam ob innatum & antiquum erga ludos gladiatorios studium. In nullum alium Imperatorem convenientius cadit, quam in Adrianum ejus Instauratio, & ornatus: nullus enim alius tot opera extra Romam facienda curavit. Nec absurdum videri debet, non ab ipso, sed ab ejus successore fuisse dedicatum: postremis enim vitæ suæ temporibus reparationi manum potuit tantummodo admovere. Columnæ quidem, quæ in Lapide dicuntur adjectæ, Theatro potius convenire viderentur, quam Amphitheatro; sed opportune ad- E monitum est, potuisse illas Prothyris servire. Neque a proposito abhorret Inscriptio, quia apposita dedicationis tempore fuerit: etenim mos erat post insignes instaurationes factas, & novum monumentum ponere, & rursus dedicationem facere; quemadmodum paulo ante, cum de Theatro Pompeii loqueremur, discere potuimus ex Dione. Recte igitur in hoc & prima erectio a Capuensi populo facta notata est verbis illis: *A solo fecit*, quæ erat forma lapidaria, qua ædificii a fundamentis constructio declarabatur, ac no- F tata est instauratio, ornatus additus, & nova dedicatio.

De Polensi, ac Nemausensi nihil proditum accepimus vel a monumentis, vel a scriptoribus. Cum Adrianus in singulis ferme Urbibus molitus aliquid fuerit, ut scribit Spartianus, hinc fortasse posset colligi, molem Nemausensem huic Imperatori referri acceptam oportere. Sed quemadmodum idem scriptor Basilicæ in honorem Plotinæ ab Adriano constructæ singularem mentionem facit, Amphitheatri, quod majus opus erat, mentionem quare non fecisset? Refert sub initium

e Capua soverchio è ricordar quai fossero: per lo stato in cui si trovasse la prima al tempo d' Augusto, basta il passo di Strabone, che la mette allora in uguaglianza con Milano, e piccole rispetto ad essa chiama l'altre per se molto considerabili, che avea vicine, come Mantova, e Brescia.

Persone degne in ciò di fede m'hanno più volte asserito, vedersi un pezzo d'Anfiteatro fuor di Frejus in Provenza, più certo forse di qualunque altro, che sia vantato in Francia: fu nominato anche dal Serlio il quale parlò in oltre, d'altro avanzo quivi d'edifizio Romano, che sembra Palazzo. Di quella parte della Gallia disse Plinio, esser più tosto un' estensione dell' Italia, che Provincia; e quella Città marittima fu detta Colonia Giulia, *e Colonia* illustre, *e si fece soggiorno permanente di Romani, da che Augusto vi mandò le navi Rostrate prese nella battaglia Aziaca, e vi rimase un' armata navale, come a Miseno, e a Ravenna, il che s'impara da Tacito.*

Se noi ammettiamo interamente il supplemento, e l' interpretazione data al frammento di Lapida poco fa disotterrata presso l' Anfiteatro di Capua, di cotesto unicamente, oltre al Romano, noi sappiamo gli autori, e l'età. Fabricato dal Publico della Colonia Capuana poco dopo quel di Tito; risarcito, e adornato dall' Imperadore Adriano, e dedicato da Antonin Pio. Per verità ingegnoso e dotto si è dimostrato il Canonico Mazochio sì nel supplire, sì nell' interpretare; nè cosa contiensi nel supplemento suo, che non si possa con applauso ricevere: v' ha solamente chi alcun' altra parola vedrebbe quivi più volentieri in vece di Imagines, *della qual però ei non si profesiò mallevadore. A niuna Città più che a Capua competeva l' emular subito il maraviglioso, e vicino Anfiteatro di Tito, sì per la nota grandezza, e dovizia di essa, come per l' insita, e antica compiacenza de' gladiatorii spettacoli. A niun Imperadore più che ad Adriano si adatta l' averlo ristaurato, e abbellito; poichè niun altro fu che fuor di Roma tanto edificasse. Non dee far difficultà l'esser dedicato non da lui, ma dal successore, perchè potè a tal ristaurazione aver dato mano solamente negli ultimi tempi di sua vita. Le colonne veramente, che nella Lapida si dicono aggiunte, parrebbe più convenissero a Teatro, che ad Anfiteatro; ma ben' è stato avvertito, come puotero servire nell' Antiporta. Nè fuor del caso è l' Iscrizione per esser posta solamente al tempo del dedicare; poichè dopo i risarcimenti considerabili, e si collocava nuova Lapida, e per rimettere in uso, si dedicava di nuovo; come parlando del Teatro di Pompeo, abbiamo poco avanti potuto imparar da Dione. Ben però in questo e si notò la prima erezione fatta dal popolo Capuano, forse con le parole* A SOLO FECIT, *ch' era la formola lapidaria per esprimere il far da' fondamenti, e si notò la ristaurazione, e l' ornamento aggiuntovi, e la nuova dedicazione.*

Dell' edifizio Polano, e del Nemausense indizio non abbiamo alcuno, nè da monumenti, nè da Scrittori. L' avere Adriano quasi in ogni Città fabricato qualche cosa, come Sparziano afferma, potrebbe dar qualche motivo di riferire a lui quel di Nimes. Ma siccome l' istesso Storico fece distinta menzione della Basilica in onor di Plotina quivi da lui eretta, perchè mai non l' avrebbe fatta anche d' un Anfiteatro, ch' era maggior' opera? Narra Capitolino nel principio

Vitæ Antonini Pii Capitolinus, illum ex ea Urbe originem traxisse: quare ab eodem erectam fuisse Arenam, suspicari licere opinatus est Casaubonus. At si alicujus Imperatoris opus hoc fuisset, quare silentio prætereundum id fuisset in Historia Augusta? Jam vero mittamus alia, ac tandem aliquando ad Amphitheatrum Veronense veniamus.

CAP. XIII.

Ætas, & Auctor Veronensis Amphitheatri inquiritur.

QUod attinet ad tempus, quo credi possit extructa nostra hæc Veronensis Arena, in opiniones duas abiere scriptores. Aliqui Augusti opus crediderunt esse, quorum antesignanus fuit Torellus Saraina: id enim legerat in veteri Chronico, atque in Itinerario Cyriaci Anconitani, qui vixit sæculo decimoquinto; ac præterea scripsit Suetonius, ab Augusto ornatam ædificiis Italiam fuisse: in eadem sententia fuit etiam P. Mabillonius. Alii vero opus hoc Maximiano tribuerunt, in quo sequuti sunt ducem Sigonium in *Imperio occidentali*, qui hanc opinionem eo maxime amplexus est, quia ignotus est Auctor, & quia falso credit, a Maximiano ædem Brixiæ excitatam fuisse, & aliam Aquilejæ; quod a multis descriptum est, atque a Lydiato in suam seriem Chronologicam relatum. Verum cum neutra conjectura satis firmo fundamento nitatur, ego quidem pro certo habeo, ab aliis justo citius, ab aliis justo tardius extructam Veronensem Arenam credi. Ex Architectura colligi fortasse gravius posset, opus hoc Augusti temporibus confectum fuisse, quam Maximiani: multo enim magis videtur ad proba tempora, quam ad prava accedere; atque Architectura Thusca in planis omnibus adhibita majorem videtur conciliare fidem antiquitatis. Præterea cum Brixiam Augustus aquas corrivaverit, ut ex lapideo monumento constat, clarum est, in his etiam regionibus ab eo Imperatore confecta opera fuisse: cum contra illæ Maximiani ædes Brixiæ & Aquilejæ excitatæ pura putaque figmenta sint, dum Orator ille nescio quis a Sigonio unice adductus de nulla re alia loquitur, nisi de quadam Tabula Maximiani jussu in Prætorio Aquilejensi posita. Nihilo tamen minus ægre inducor ad credendum, lapideum Amphitheatrum, atque ejusmodi structuræ Augusti temporibus in colonia fuisse constructum, antequam ullum aliud simile extitisset Romæ, & quam illud Titi Amphitheatrum cæterorum omnium exemplar erectum fuisset. Credibile videtur etiam futurum fuisse, ut alicubi a Plinio nominaretur, qui de Tabulis rebusq; aliis minoribus Patriæ suæ pluribus in locis mentionem facit. Cæterum nimis aspere ridet Lipsius rationes a Saraina adductas, ut ad Augustum molem hanc referat. Ex eadem illa Lipsii pagina capere documentum licet, quam humaniter alter alteri veniam dare debeat mutuoque errores condonare: etenim etsi vir summus is fuerit, ut nemo negaverit, & ille, non minus ac ipse Saraina citat epistolam Plinii ad *Maximum Africanum* propterea quod legerat: *Vellem Africane quas coemeras*, cum constet legendum esse *Africanæ*, hoc est *Pantheræ*. Cælius ad Ciceronem scribens loquitur de *Africanis advectis*, ac de *decem Africanis* dono datis, ubi ex superioribus rebus constat sermonem esse de Pantheris: sic Livius, alter Plinius, Suetonius, aliique.

l.6.ep.ult.

Fam. l.8 ep.8.& 9.

Liv. l.44 Pl. l.8.c. 17. Su. Cal. 18. Cl. 21.

Sed ut hoc credamus Maximiani opus prohi-

A *della vita d' Antonin Pio, che da quella Città ei trasse origine; potersi però sospettare, ch' ei vi ergesse l' Arena, parve al Casaubono. Ma se d' Imperadore fosse stata sì grand' opera, perchè avrebbe dovuto tacersi nell' Istoria Augusta? Or lasciam degli altri, e veniam finalmente all' Anfiteatro Veronese.*

CAPO DECIMOTERZO.

Si va investigando l' età, e l' autore dell' Arena Veronese.

B *INtorno al tempo, in cui possa credersi fabricata la nostra Arena, in due opinioni gli Scrittori si son divisi. Alcuni l' hanno creduta opera d' Augusto, e di questi fu antesignano Torello Saraina, mosso, dall' aver ciò letto in vecchia Cronica, e nell' Itinerario di Ciriaco Anconitano, che visse nel decimoquinto secolo, e ancora dall' avere Svetonio scritto, che Augusto ornò l' Italia di fabriche: fu in tal sentenza anche il P. Mabillone. Altri l' hanno creduto opera di Massimiano, e a questi precedette il Sigonio nell'* Imperio Occidentale, *indotto a* C *sospettar ciò dall' esserne ignoto l' autore, e dal supporre erroneamente, che Massimiano fabricasse un Palazzo a Brescia, e un altro in Aquileia; il che fu trascritto da molti, e riferito anche dal Lydiat nella sua Serie Cronologica. Ma veramente come nè l' una, nè l' altra congettura è appoggiata a solido fondamento alcuno, così ho per certo, che troppo presto il ponesser gli uni, e troppo tardi gli altri. L' Architettura assai più lo potrebbe far credere de' tempi d' Augusto, che di Massimiano; mostrandosi assai più prossima a' buoni tempi, che a i cattivi; e l' ordine* D *Toscano servato in tutti i piani sembra conciliare maggior credito d' antichità. In oltre l' avere Augusto condotte acque in Brescia, come da una Lapida s' è imparato, mostra, ch' anche in queste parti promosse lavori; dove i Palagi di Massimiano in Brescia, e in Aquileia son meramente supposti ed immaginati, mentre il Panegirista unicamente citato dal Sigonio, non d' altro parla, che d' una pittura fatta porre da Massimiano nel Palazzo d' Aquileia. Con tutto ciò io non so indurmi a credere, che Anfiteatro di tutta pietra, e di così fatta struttura, si edificasse in Colonia a tempi d' Augusto, avanti* E *che altro tale si fosse veduto in Roma, e avanti che quel di Tito esemplare di tutti gli altri fosse inalzato. Pare ancor credibile, che sarebbe stato nominato in qualche occasione da Plinio, il quale di pitture, e di cose di minor momento del suo natio paese in più luoghi fa ricordanza. Troppo aspramente per altro derise Lipsio le ragioni dal buon Saraina addotte per riferirlo ad Augusto. Da quell' istessa pagina di Lipsio si può prender documento di compatire umanamente, e di scambievolmente perdonarsi gli errori; poichè grand' uomo com' egli era, cita anch' egli non meno del Saraina istesso l' Epistola* F *di Plinio ad* Maximum Africanum, *per aver letto,* Vellem Africane quas coemeras, *quando è patente, doversi legere* Africanæ, *e intender delle* Pantere. *Celio a Cicerone scrivendo parla dell'* Africane condotte, *e di* dieci Africane *donate, dove consta dalle precedenti, che parla di Pantere: così Livio, l' altro Plinio, Svetonio, ed altri.*

Ma al crederlo di Massimiano ripugnano mol-

bent multo magis repugnantiæ temporum. Imperium jam perturbatum erat, afflicta Italia, Urbes, præsertim quæ, ut Verona, erant in finibus sitæ, metu incursionum barbaricarum vel incæptarum, vel imminentium perculsæ. Artes in deterius prolapsæ, veteresque grandium rerum formæ ex hominum animis in vexatis Municipiis oblivione deletæ. Christiana quoque Religio longe lateque propagata, quæque brevi triumphavit, ægre passa esset, rem tantam ab Ethnicorum religione manantem ad exitum perduci; idque eo magis, quod Amphitheatra in puras putasque crudelium facinorum sentinas, Martyriorumque loca jam evaserant. Quid plura? Graviter ostendi arbitror ego quidem posse, ante Maximianum, hoc est sub Gallieno, Arenam Veronensem non solum extitisse, sed dirui etiam incæpisse. Elucet id ex veterum murorum Gallieni tempore extructorum reliquiis, quæ multæ superfuerunt: in iis enim plurimos lapides observavi, quos non solum ex qualitate, colore, ac forma, sed etiam ex signis certis apparet prius in exteriore Amphitheatri ambitu fuisse. Id apprime confirmat Saraina, qui se nonnullos vidisse testatur cum iis numeris, qui in clavibus omnium inferiorum arcuum erant insculpti. Neque quisquam ægre inducat animum suum ad credendum, tam cito externam tantæ molis partem dirui cæpisse. Sive fundamentorum, ac situum vitio, sive ex eo potius, ut Architectus quidam scripsit, quod parietes omnes ab imo ad summum arcuati essent, adeoque pars major esset inane, contigerit; illud certum est, Catanæ quoque Amphitheatrum sub rege Theodorico magna ex parte dirutum fuisse, cujus lapides reficiendis muris servierunt. Saxa illa inquit Cassiodorius non terræmotibus, sed *longa vetustate collapsa* fuisse: ex quo apparet, isthæc ædificia opus fuisse veterum temporum, atque integra brevi duravisse. Etiam Theatrum Pompeii tempore Theodorici ruinosum erat, brevique omnino videbatur collapsurum, nisi opportune adstructis propugnaculis, pilisque ingentibus fulciebatur.

p. 23. in ipsis muris nonnullę Amphitheatri tabulæ cum numeris &c.

Var. l. 3. 49.

Cass. Var. l. 4. 51.

Cum maxime cuperem certo definire tempus, auctorem detegere hujus molis, tandem excavandam humum curavi in iis locis, in quibus Epigraphem inveniri facilius posse sperabam; sed res e sententia non cessit: inventæ tamen duæ dimidiæ litteræ sunt, quæ conjunctæ cum majore fragmento lapidis ex puteo in medio sito eruti formant S. CON. Has litteras ad Inscriptionem in Amphitheatri fronte positam pertinuisse, ex earum inusitata magnitudine credibile efficitur: diameter enim litteræ O excedit aliquid duodecim uncias; litteræ vero reliquæ proportione respondent. Hinc ego nihil conjectabor, ne illud quidem, significari per eas litteras *Senatus Consulto*; quod duabus litteris S.C. designari consueverat. Dicam tamen ex earum forma, ac pulchritudine probam ætatem, non recentius tempus indicari. Non loquor de illa tam inepte conficta Inscriptione, quæ Amphitheatrum nostrum cuidam Flaminio Consuli tribuit. Vulgarunt illam Carotus, ac Leander Albertus tanquam Lucæ existentem, ubi nunquam fuit, ac perperam in multis libris descriptam videmus.

Quoniam Adriani jussu multa extra Romam facta ædificia esse noverimus, posset fortasse quispiam hoc loco ad eum Imperatorem mentem convertere: sed illa paulo ante commemorata Plinii Junioris epistola persuadet, Amphitheatrum nostrum ante Adrianum extitisse & quoniam non videtur verosimile, hoc extitisse ante Amphithea-

A *to più le condizioni de' tempi. L'Imperio era già sconvolto, l'Italia afflitta, e le Città, massimamente situate alle frontiere come Verona, stavano in terrore per le incursioni cominciate, o minacciate da' Barbari. L'arti decadute di molto, e l'antiche idee da' travagliati Municipj obliate. Anche la religion Cristiana già grandemente diffusa, e che poco stette a farsi trionfante, malamente avrebbe lasciato effettuare a un popolo tanta impresa, proveniente dalla religion de' Gentili; e tanto più che gli Anfiteatri eran già resi mere sentine di crudeltà, e piazze di Martirii. Ma che più? sicura pruova* B *io credo potersi rilevare, come avanti Massimiano, cioè sotto Gallieno, non solamente era fatta l'Arena nostra, ma si era già cominciata a disfare. Riluce tal pruova ne' molti pezzi, che ci rimangono dell'antiche mura erette in tempo di Gallieno: poichè in essi quantità di pietre ho osservate, quali non solamente dalla qualità, dal colore, e dalla forma, ma da segni certi si riconosce, come furon prima dell'esterior recinto dell'Anfiteatro. Bella conferma ci dà di ciò il Saraina, dove attesta, avercene vedute alcune con que' numeri, ch'erano scol-* C *piti nelle chiavi, o pietre di mezo di tutti gli archi inferiori. Nè sia chi si renda difficile a credere, che così presto a ruinar cominciasse l'esteriore di tanta fabrica. Fosse difetto de' fondamenti, e de' siti, o quasi natural conseguenza, come scrisse un Architetto, in pareti archeggiate tutte dal basso all'alto, e dove però la maggior parte era vano; egli è certo, ch'anche l'Anfiteatro di Catania sotto il Re Teodorico era in gran parte a terra, e appunto per risarcir le mura ne furono impiegate le pietre. Dice Cassiodorio, che quelle pietre erano precipitate non per terremoti, ma per lunga vetu-* D *stà; da che apparisce, come fur dell'alto secolo sì fatti edifizj, e come nel loro intero poche età ebber di vita. Anche il Teatro di Pompeo in tempo di Teodorico già minacciava ruina, ed era ridotto a termine di perir fra poco, se non si trovava modo di sostentarlo con gran barbacani, e pilastri.*

Il desiderio di scoprire con sicurezza il preciso tempo, e l'autore, mi ha fatto ultimamente scavare in que' siti, dove l'Iscrizione potea più sperar di trovarsi; ma non sono stato così felice: e pure due meze lettere se ne son rinvenute, quali unite a un maggior pezzo di lapida, e- E *stratto già dal pozzo, ch'è nel mezzo, formano S. CON. Che queste lettere fossero dell'Iscrizione messa in fronte all'Anfiteatro, si rende probabile per la loro inusitata grandezza, perchè l'O cresce d'undici once di diametro, e corrispondon l'altre. Da queste io non mi farò a indovinar cosa alcuna, e nè pure che voglian dire* Senatus Consulto, *che uso era di significare con S. C. Ben posso dire, che la lor forma, e bellezza indicano buona età, e non basso tempo. Non parlo di quella tanto scioccamente finta Iscrizione, che attribuisce il nostro Anfiteatro a un Flaminio Console. La diedero fuo-* F *ri il Caroto, e Leandro Alberti come esistente in Lucca, dove non fu mai, e malamente è stata ricevuta in più libri.*

L'uso singolare d'Adriano di fabricar fuor di Roma potrebbe qui far pensare a lui; ma quella Epistola di Plinio il giovane, ch'abbiam poco fa mentovata, ci persuade, che il nostro Anfiteatro avanti Adriano già fosse; e poichè non par conveniente il supporlo avanti quel di Tito, ci fa molto appressare al vero tempo della

trum Titi, hinc ad verum ædificationis ejus tempus proxime licet accedere. Eadem epistola Plinii, qui postremis annis Trajani obiisse creditur, solemne Amphitheatrale spectaculum munificentia cujusdam *Maximi* Veronæ celebratum fuisse docet. Is munus hoc dedit, ut defunctæ Uxoris, quæ ex hac Patria erat, memoriam honoraret, atque gratum faceret Veronensibus, a quibus colebatur, & diligebatur, nec sine mutua benevolentiæ vicissitudine, ut tradit Plinius, qui cum illo loquens inquit *Veronensibus nostris*. Jam vero ad hoc spectaculum *Africanæ plurimæ* præparatæ erant, quæ ob maris tempestates opportune ex Africa non pervenere. E tot taliumque belluarum pugna licet conjicere, stabilem in Italia Arenam extitisse. In ludis a Curione, a Fidenatibus, a Cecinna, e Valente in Amphitheatris ligneis celebratis, atque a Plinio ac Tacito commemoratis Gladiatorum mentio fit, Ferarum mentio non fit. Non levis ergo conjectura est, molem hanc sub Domitiano, & Nerva, vel si post, primis Trajani annis erectam fuisse, adeoque Veronam sine mora præclarum Romæ exemplum æmulatam.

Opinio satis communis est, Imperatoris, vel Præsidis Romani cum opus, tum sumptum fuisse. At si quis Imperatorum tam magnificum Amphitheatrum molitus esset, res profecto non videtur prætermitti silentio debuisse ab iis, qui eorum Vitas conscripserunt. Non tacuit Suetonius
Cap. 21. de muris, Templisque a Caligula Syracusis instauratis, neque Regiam Polycratis, & Apollinis ædem, quas ipse cogitabat Mileti, atque in Samo reficere, prætermisit. Non siluit Spartianus Nemausensem Basilicam, neq; sacram ædem Aramque ab Adriano Athenis erectam. Imperator, qui tam præclarum ædificium extruxisset, profecto honorem dedicationis, ut mos erat illorum temporum, minime neglexisset; atque de hac re quoque loquerentur Scriptores, quemadmodum meminit Suetonius de Nolano Templo, ac de Capuen-
Cap. 40. si Capitolio a Tiberio dedicato. Præses vero Amphitheatro nostro nullus, opinor, admovere manum potuit: non enim tunc in Italia Præsides erant, Italia ad Provinciæ conditionem nondum redacta, in qua singulæ civitates se ipsæ suis legibus gubernabant. Quare omnino verosimile est, a Republica, Populoque Veronensi opus hoc fuisse susceptum. Sic paulo infra videbimus a quodam Cive Veronensi partem Porticus ludo gladiatorio adnexæ constructam fuisse, neque alterius, nisi solius populi nutum ad id perficiendum postulatum fuisse. Sic Amphitheatrum Capuense Inscriptio superius commemorata ab ea Colonia indicat erectum fuisse. Tantas civitatibus addebat vires Romæ consortium, & honorum communicatio; minuente etiam ejusmodi operum sumptus servorum copia; &, quod ad civitatem nostram attinet, res eo evadebat factu facilior, quia marmora in promptu erant, ac parum dissita. Si optatam Inscriptionem invenissemus, qui operi præfuerunt, innotescerent.

Architecti saltem nomini maxime cuperem debitam laudem me posse tribuere: sed Veronensis perinde ac Romani Amphitheatri Artificem ignoramus. Pro certo habeo utriusque Architectum potuisse nobis innotescere, si superba isthæc ædificia, quo tempore præclarum suum opus conscripsit Plinius, extitissent. Insignis Architectus hic fuit Vitruvius Cerdo, quemadmodum reliquiæ Arcus ab eo confecti fidem faciunt. Utrum opus ejusdem fuerit Amphitheatrum, neque affirmare ausim, neque negare: sed fuisse, profecto conjicere merito licet. Romanum Amphithea-

A *sua edificazione. La detta lettera di Plinio, che si crede morto ne gli ultimi anni di Traiano, insegna come solenne spettacolo Anfiteatrale si celebrò allora in Verona per liberalità d'un Personaggio cognominato* Massimo. *Ei lo diede per onorar la memoria di sua moglie defonta, ch'era di questa patria, e per gratificare i Veronesi, da' quali era riverito ed amato, e non senza contracambio, secondo Plinio, il quale, come Veronese per adozione, parlando seco dice,* i Veronesi nostri. *Ora per questo spettacolo* moltissime Pantere *erano destinate, quali*
B *per le tempeste di mare non giunsero d'Africa a tempo. Combattimento di tante, e di tal sorte di bestie può fare in Italia qualche indizio d'Arena stabile. Ne gli spettacoli di Curione, de' Fidenati, e di Cecinna, e Valente mentovati da Plinio, e da Tacito, quali furono in Anfiteatri di legno, menzion si vede di gladiatori, ma non di Fiere. Non lieve adunque è la congettura per supporre eretta questa machina sotto Domiziano, o sotto Nerva, e al più tardi ne' primi anni di Traiano, e per credere emulato qui senza ritardo il grand' esempio di Roma.*

C *Suol credersi comunemente, che d'Imperadore, o di Preside Romano l'impresa fosse, e la spesa. Ma se d'opera d'Imperadore fosse stata l'erezione di così magnifico Anfiteatro, non pare si dovesse esser ciò taciuto dagli Scrittori delle lor Vite. Non tacque Svetonio delle mura, e de i Tempj risarciti da Caligola in Siracusa, e della Reggia di Policrate, e del Tempio d'Apolline, ch'egli pensava rimettere in Mileto, ed in Samo. Non tacque Sparziano della Basilica in Nimes, nè del Tempio, e dell'Ara fatta da Adriano in Atene. Un Imperadore, che avesse eretta sì nobil fabrica, non avrebbe se-*
D *condo l'uso di quel tempo trascurato l'onore di dedicarla, e di ciò pure si parlerebbe da gli Scrittori, come fa memoria Svetonio del Tempio in Nola, e del Campidoglio dedicato da Tiberio in Capua. Preside non potrebbe al nostro Anfiteatro aver dato mano, mentre Presidi allora in Italia non erano, non essendo l'Italia ridotta ancora in condizion di Provincia, e reggendosi le Città da se. E' però affatto verisimile, che della Republica, e popolo Veronese tal' impresa fosse. Così vedremo appresso, come un Cittadin Veronese fabricò parte del Portico annesso al Ludo gladiatorio, e che l'appro-*
E *vazion del Popolo, e non d'altrui, a ciò si richiese. Così l'Anfiteatro di Capua indica l'Iscrizione sopra mentovata, che da quella Colonia fosse inalzato. Tanto facea potere allor le Città il consorzio di Roma; e la comunicazion degli onori; minorandosi ancora grandemente in que' tempi il dispendio di così fatti lavori dalla quantità de' servi, e facilitandosi per la Città nostra dall' avere il marmo in pronto, e in così poca distanza. Se avessimo rinvenuta la bramata Iscrizione, i Presidenti alla fabrica ci sarebber noti.*

Vorrei sopra tutto poter far giustizia al nome
F *dell' Architetto; ma tanto il sappiam del nostro, come del Romano Anfiteatro si sa. Ho per certo, che dell' uno e dell' altro l' Architetto ci sarebbe noto, se questi superbi edifizj, quando scrisse Plinio la sua grand' Opera, fossero stati in essere. Insigne Architetto fu qui Vitruvio Cerdone, come ben mostrano le reliquie dell' Arco, che abbiam di lui. Se fosse opera sua l' Anfiteatro, nè ardirei d'asserir francamente, nè di negare, ma la congettura ne è per certo molto ragionevole. Il Romano fu situato nel*

A trum positum in media Urbe fuit; Veronense extra muros, muris tamen proximum, & ab una ex portis parvo dissitum intervallo: eodem modo in Coloniis constituta fuerunt reliqua. Veteres ambitus angustiores, majorque frequentia populi in ipsis urbibus non tantum spatii liberi iis temporibus relinquebant, quod tam vastis ædificiis capiendis par esse posset. Dum excavaretur humus ante eam portam, quæ etiam antiquis temporibus princeps erat, majorique frequentia trita, detectum est fundamentum muri cujusdam admodum crassi, ipsius Arenæ lapidibus aliqua ex parte confecti, atque columnarum fragmentis, qui Arenæ ejusdem flexuram comitatur, B videturque ipsam ambiisse ad partem *Prati* vulgo *Bra.* Nihil aliud licet credere, nisi temporibus inter primos muros constructos & secundos elapsis, hoc modo circumvallatam Arenam, & intra Urbem receptam, ne hostibus pateret, ab iisque occuparetur. Nemo tamen putet id in ipsa murorum instauratione a Gallieno facta contigisse, tum quia multo illis inferior crassitudo est, tum quia fundamentum illud per majorem aquæductum fertur, eumque claudit: ex quo licet colligere factum fuisse, postquam desierat Amphitheatri usus in spectaculis.

mezo della Città; il nostro fuor delle mura, ma ad esse vicinissimo, e poco lontano da una porta: così fur gli altri nelle Colonie. Gli antichi recinti più ristretti, e la maggior frequenza del popolo, non lasciavano in quei tempi tanto spazio libero dentro la Città, che potesse servire a moli di tanto giro. Nello scavare dinanzi alla porta, ch'anco anticamente fu la primaria, e più frequentata, si è scoperto il fondamento d'un grosso muro, fatto in parte con pietre dell'Arena stessa, e con pezzi anche di colonne, che vien secondando il piegar di essa, e pare la circondasse dalla parte della Bra. Altro non può credersi, se non che nell'età corse dalla fabrica delle prime mura a quella delle seconde, si pensassero di circonvallarla in tal modo, e di comprenderla nella Città, perchè non restasse esposta ad esser occupata da nimici. Non è però da pensare, che ciò avvenisse nella stessa rinovazion delle mura fatta da Gallieno, sì perchè la grossezza è inferior di molto a quelle, sì perchè quel fondamento attraversa, e serra il maggior condotto, da che si può arguire, esser fatto dopo ch'era mancato l'antico uso dell'Anfiteatro negli spettacoli.

C

CAP. XIV.


Inscriptiones ad Veronense Amphitheatrum spectantes.

Amphitheatri frequens fuit usus apud Veronenses; quod evidenter indicabitur loco suo ex quodam lapide Velarii funibus excavato: id in præsentia trium insignium lapidum, qui existunt adhuc, quique locati a me sunt alter juxta alterum in publico Academiæ Museo, testimonio D probabo. Primus, qui cujusdam Retiarii Gladiatoris est, parum accurate a Grutero, aliisque describitur, a quorum nemine designata in eo armorum, quibus utebantur Gladiatores, forma observata est, dos hujus lapidis enimvero singularis.

CAPO DECIMOQUARTO.

Iscrizioni al Veronese Anfiteatro spettanti.

Uso dell'Anfiteatro si fece da' Veronesi molto frequente, di che indizio grande si addite à a suo luogo per una pietra dalle funi del Velario incavata: ora il proverò con tre insigni Lapide tuttavia esistenti, e da me collocate una presso l'altra nel publico Museo dell'Accademia. La prima, ch'è d'un Gladiator Reziario, poco esattamente si ha nel Grutero, e negli altri, e niuno ha osservato in essa la particolarità singolare del mostrar la forma dell'armi di costoro.



E Rarissima sunt ejusmodi monumenta, nec sciverim, an nostris hisce temporibus alia ulla supersint. Immo illa ipsa paucissima, quorum formæ typis commissæ sunt, ipsa tamen non visuntur, non omnia tam facile videntur probanda. Monumentum hoc sepulcrale cujusdam Gladiatoris est nomine Generosi: is conditione servus, *natione*, hoc est patria Alexandrinus fuit, classe Retiarius. Plura fuere Gladiatorum genera, quæ vestibus, armis, pugnandi ratione differebant; qua varietate voluptas in spectandis ludis pluri-

Rarissimi sono sì fatti monumenti, nè saprei dire, s'altro in oggi ne sussista. De i pochissimi di tal genere che si hanno alle stampe, ma non si veggono, non è anche da credere a tutti. Questa sepolcral memoria è d'un Gladiatore per nome Generoso, che fu di condizion servile, di nazione (cioè di patria) Alessandrino, e di classe Reziario. Diverse furono le spezie, e le maniere de' Gladiatori, che si distingueano dal vestimento, dall'armi, e dal differente modo di combattere, per la qual varietà molto

mum augebatur. De hac re non addam plura, cum fuse de illa scripserit Lipsius. Monebo tantum, classes apud Scriptores omnium celebratissimas Secutorum ac Retiariorum, qui inter se digladiabantur, fuisse. Secutoris, qui pugnaverat octies, Inscriptio Veronæ jam fuit, legiturque apud Sarainam: sed ea cum perierit, & cum depravate descripta sit, ego non utar. Hujus se classis esse gloriatus est Commodus, atque in ea locum principem tenuisse, ac proinde Retiarios plurimos vicisse, vel interemisse. Id accepimus ex Lampridio, in quem scribens Salmasius, quinam secutores essent, haud probe intellexit. Sed Retiarii sic appellati sunt a rete, cum quo campum ingrediebantur, ab eo inquam rete, quo adversarium conabantur involvere, & implicitum capere, quem deinde fuscina, seu pugione, quo erant præditi, confodiebant. Rei originem recte judicat Lipsius manasse a Pittaco, cujus vitam scribit Laertius, & de quo loquitur Strabo. Cum is Mythilinæorum dux esset, piscatoria schema cum Atheniensium duce singulari certamine cominus congressus est: etenim rete, quod obtectum gestaverat secum, involvit hostem, involutumque tridente & gladio percussit.

Laer. l. 1. Str. l. 23.

Non dubitabit, ex eo certamine genus hoc Gladiatorum profectum fuisse, qui singillatim perpenderit, reliquas etiam classes modum arma tractandi pugnandique gentis alicujus proprium, vel genus aliquod militiæ fingere, aut ad rem quampiam sive historicam, sive fabulosam adludere consuevisse. Supplicia quoque, quoniam erant instar spectaculi, solebant scenice infligi, ab ipso nomine sæpe capta occasione. Jam tum ab initio, cum in Foro edebantur Gladiatorii ludi, id narrat Strabo de Siculo illo latrone, qui se *Filium Ætnæ* vocitabat, quique veluti exodii cujusdam scenici fuit: etenim sublimi cuidam machinæ, quæ referebat montem Ætnam, impositus, mole repente collapsa, inter ferarum caveas, quæ in eo monte videbantur delitescere, præceps corruit, laniatusque est. Similia gesta in Amphitheatro sunt, in quo Orphei, Laureoli, Dedali, ac Læandri, ut commemorat Martialis, fabulas damnati ad supplicia exhibuerunt. Illæ veterum in spectaculis allusiones ipsis manu confectis operibus respondebant, in quibus plerumque etiam supellex ipsa domestica, atque ipsa instrumenta, usu obvia aliquid referre solebant. Erat propemodum necessaria hæc veluti mutatio scenæ in spectaculis; quippe quæ durabant diem totum. Erant etiam Gladiatores, qui pugnabant insidentes equis, de quibus alibi recurret sermo. Erant etiam, qui pugnarent e curribus, appellati propterea Essedarii; atque hi pugnando vel orientales veteres imitabantur, vel Britannos, quorum morem hunc pugnandi fuisse, tradit Cæsar: quare Satyricus jocans augurabatur fore, ut ille nescio quis barbarum quempiam regem in bello caperet, aut ob oculos *de temone Britanno* Arviragum Regem dejectum conspiceret. Si Jornandi credimus, etiam *Essedi* nomen Anglicum est; sed & a Cicerone sæpe usurpatum invenitur. Contra vero Junius Philargyrus Essedum vocari quoddam vehiculum inquit, ex quo pugnare consueverant Galli. Adolescentulos e curribus pugnare jussit in ludis Cæsar. Mitto sylvas, cavernas, naves, quæ nonnunquam exhibebantur in Amphitheatro; mitto luxum, ac pompam, cujus causa etiam sub quarti sæculi finem eorum, qui patrimonia spectaculis instituendis profundebant, prodigentiam accusavit D. Ambrosius, atque sub finem etiam quinti sæculi Consul Turcius Asterius in epigrammate a se scripto in Vir-

Bel. Gal. l. 4. Juv. Sat. 4.

Jorn. c. 2. Quas more vulgari essedas vocant.

Ad Geor. l. 3.

Dio. l. 43.

De off. l. 4. c. 21.

Supplem. Tom. V.

A *molto s'aumentava il piacere negli spettacoli. Io non entrerò in questo, avendone già scritto Lipsio distintamente. Dirò solamente, che le classi più dell'altre celebrate negli Scrittori furon quelle de' Secutori, e de' Reziarii, quali combattean fra se. Iscrizion d'un Secutore, ch' avea combattuto otto volte, fu già in Verona, e si legge nel Saraina; ma essendo ora perduta, ed essendo stata riferita scorrettamente, non ne farò uso. D'esser di questa classe si vantò Commodo, e d'esser primo in essa, e d'aver però vinti, o uccisi Reziarii moltissimi. Tanto abbiam da Lampridio, sopra il quale scrivendo*

B *Salmasio, non ben'intese quai fossero i Secutori. Ma i Reziarii furon così detti dal giacchio, con cui entravano in campo; cioè dalla rete, che gettavano al nimico per invilupparlo; ferendolo poi con la fuscina, overo col pugnale, di che andavan guerniti. Ben dice Lipsio, che ne sarà venuta l'origine dal fatto di Pittaco, di cui fa la vita Laerzio, e parla Strabone. Essendo costui Capitano de' Mitilenei, combattè da corpo a corpo col Capitano degli Ateniesi in figura di pescatore; perchè involse il nimico con una rete, che avea portata seco nascosta, poi lo ferì con tridente, e coltello.*

C *Non dubiterà, che da quel fatto non fosse presa questa spezie di Gladiatori, chi osserverà a parte a parte, come l'altre ancora rappresentavano il modo d'armeggiare, e di combattere di qualche nazione, o pure d'alcun genere di milizia, o alludevano a qualche fatto, fosse istorico, o favoloso. I supplizj ancora, poichè erano in figura di spettacolo, soleano eseguirsi scenicamente, prendendo spesso i motivi dal nome. Fin quando i Gladiatorii Giuochi si facean nel Foro, narra Strabone di quel ladro Siciliano, che si facea chiamare* figliuolo dell' Etna, *e servì*

D *quasi d'intermezo: poichè posto sopra un'alta machina, che figurava il monte Etna, cadendo questa tutta a un tratto, precipitò il reo tra le gabbie delle Fiere, che parea covassero in quella montagna, e ne fu lacerato. Modi somiglianti si tennero nell' Anfiteatro con Orfeo, Laureolo, Dedalo, e Leandro, mentovati da Marziale. Queste allusioni degli antichi negli spettacoli corrispondeano al loro operar ne' lavori manuali, dove per lo più anche gli utensili, e gli usuali strumenti si faceano rappresentar qualche cosa. Rendeasi necessaria negli spettacoli sì fatta quasi mutazion di scena, poichè*

E *duravano tutto il giorno. V'eran Gladiatori, che combatteano a cavallo, de' quali accaderà di parlare altrove. Ve n'era, che pugnavano da i carri, detti però Essedarii, quali o imitavano il combatter degli antichi Orientali, o quel de' Britanni, de' quali che tal fosse l'uso, insegna Cesare: però in forza d'augurio dicea scherzando il Satirico a colui, che avrebbe preso in guerra qualche Re straniero, e sarebbe innanzi a lui* da Britanno cocchio *caduto il Re Arvirago. Se ne stiamo a Giornande, Anglico era anche il vocabolo* d'Essedo, *ma si vede usato fin da Cicerone più d'una volta. Giunio Fi-*

F *largiro all'incontro disse chiamarsi Essedo certo veicolo, da cui soleano combattere i Galli. Giovinetti da carri fece combatter Cesare negli spettacoli. Lascio le selve, le caverne, le navi, che nell' Anfiteatro si faceano veder talvolta; lascio il lusso, e la pompa, per cui fin nella fine del quarto secolo accusò S. Ambrogio la prodigalità del dissipare i patrimonj negli Spettacoli; e fino nella fin del quinto il Console Turcio Asterio nell' Epigramma da lui scritto sul*

H

p. 444. In quorumdam fame censui jactura incucurrit.

gilium Mediceum, atque a Cardinali Norisio in lucem edito in Pisanis Cenotaphiis, magnas opes a se in suos ludos impensas affirmavit, censumque popularibus acclamationibus captandis profusum confessus est.

Sed ut ad Retiarios revertamur, non cum solis Secutoribus, sed etiam cum Mirmillonibus, qui more Gallorum sese armabant, piscemque, ut tradit Festus, in galea deformatum gerebant, quos proinde decebat rete capi, pugnabant. Retiarius, qui capite rete involuto adversarium ad se rapit, expressus conspicitur in quodam majoris moduli numo Gordiani Pii per Senatorem Bonarottum illustrato. At rete nequidquam effuso tridentem corripiebant Retiarii. Mira gerebat tridente Hermes ille a Martiale commemoratus. Hastam multiplicis cuspidis appellat Prudentius, ubi ait æratam adversarii faciem illa impacta quati consuevisse. Neque putet quisquam hoc armorum genus nulli usui fuisse. Cum Retiarii quinque totidem secutoribus olim succubuissent, atque occidi juberentur, unus *resumpta fuscina* omnes victores interemit. Rei crudelitatem etiam ipse Caligula deflevit. Vestis Retiariorum erat tunica, proinde appellantur hoc loco *tunicati* a Suetonio; & *tunicati fuscina Gracchi* nominatur a Juvenale. Arnobius, dum videret Neptunum, quem artifices tridentem manu gestantem deformabant, Gladiatorem quendam videbatur sibi videre. Sed præter fuscinam habuit Pittacus etiam brevem ensem, seu pugionem, ut refert Strabo: quare & Retiarii pugione usi sunt: quæ res cum in dubium revocata esset, ex hoc nostro monumento apprime confirmatur, quod utrumque genus armorum exhibet. Gladius hic sive sica satis ostendit Retiariorum arma talia non fuisse, qualia adhiberi a Gladiatoribus voluit Marcus Aurelius, idest cuspide carentia, ut cædes vitarentur; sed potius fuisse ex illis, quæ inquit Historicus in Nerva, ac Victor, antequam pugna iniretur, explorabantur, an satis acuta essent.

Juv. Sat. 8. movet ecce tridentem. Postquam vibrata pendentia retia dextra. Nequidquam effudit. l. 1. 25. de Virgg. Suet. Cal. c. 30. Sat. 2. l. 6. Str. l. 14. τῇ τριαίνῃ, ἐν τῷ ξιφιδίῳ. Dio. Xiph. idem εἰ ὀξέα ἐστὶν. Vict. in T.

De Spect. c. 25. l. 9. Spongia pectori integumentum.

Aliud armorum genus Retiariis tribuit Tertullianus, hoc est *spongiam*. Titus Livius, ubi Samnitium armaturam describit, *spongiam* nominat, quo pectus obtegebant: quo loco ansulæ quædam ferreæ intelligendæ sunt, quæ spongiæ speciem aliquam referunt: sed apud Tertullianum *spongia* armorum genus quoddam designat, quibus Retiarii non semet tuerentur ab adversario, sed adversarium ipsum impeterent: inquit enim: *poterit de misericordia moneri defixus in morsus ursorum, & spongias Retiariorum?* Ego quidem hoc loco lego *moneri*, non *moveri*, ut editiones, ac Lipsius legunt: sic enim verba sensu carent. Jam vero pectoris integumentum nec ita adversaretur pietati, nec ursorum morsibus satis bene responderet. Præterea pugnabant Retiarii sine armatura, ac tunicati, uti diximus, neque galea frontem abscondebant, ut legimus apud Juvenalem. Reti igitur, vel fuscinæ, vel pugioni necesse est dicere etiam spongiæ nomen fuisse tributum. Inditum esse fortasse poterat reti propter quandam ejus cum spongia similitudinem, poterat brevi etiam ensi ob eam fortasse caussam, quod spongiæ instar ejus capulus perforatus & elaboratus esset. Ut id credam, movent me illa Augusti verba a Suetonio relata: *Ajacem suum in spongiam incubuisse*. Erat hæc tragica fabula ab eo incepta, quam non succedente stylo abolevit, ac delevit; quod a veteribus spongia fieri solebat. Sed frigida sane vox hæc Augusti fuisset, si solus verborum ipsorum & simplex sensus acciperetur, quod Casaubonus, & reliqui o-

Sat. Ser. l. 1. c. 8. Sat. 8. cap. 85.

Virgilio Mediceo, e publicato dal Cardinal Noris ne' Cenotafi Pisani, gran ricchezze asserì consumate ne' suoi Giuochi, e confessò d'aver sagrificate al popolar grido le facoltà.

Ma tornando a' Reziarii, non co' Secutori solamente, ma pugnavano essi sovente anche co' Mirmilloni, i quali si armavano all'uso de' Galli, ed aveano un pesce effigiato su la celata, come si ha da Festo, onde quadrava il coglierli con una rete. L'atto d'un Reziario, che tira a se il competitore, involtogli con la rete il capo, mirasi espresso in un Medaglione di Gordian Pio illustrato dal Senator Bonarroti. Ma scagliata la rete in darno, davan mano i Reziarii al tridente. Terribile era con esso quell' Ermete ricordato da Marziale. Asta di più punte lo chiama Prudenzio, ove dice, che la faccia degli avversarj coperta dalla visiera ne veniva percossa. Nè si creda già fosse questa arma da scherzo. Essendo una volta cinque Reziarii restati soccombenti ad altrettanti Secutori, e dovendo esserne trafitti, uno di essi ripigliato il tridente tutti i vincitori uccise; la fierezza del qual fatto fu deplorata fin da Caligola. Il lor' abito era la tunica, onde tunicati *gli chiama qui Svetonio, e* la fuscina del tunicato Gracco *nomina Giuvenale. Ad Arnobio in veder Nettuno, che si facea da gli artefici col tridente in mano, parea di vedere un Gladiatore. Ma oltre al tridente ebbe seco Pittaco corta spada, o coltello, come narra Strabone: e però usaronla i Reziarj ancora: il che essendo già stato rivocato in dubbio, vien con sicurezza stabilito dalla nostra Lapida, che ci fa vedere la forma dell' un' arme, e dell' altra. Questo gladio, o fica, ben mostra non esser di quelle, che volle adoprarsi da Gladiatori Marco Aurelio, cioè senza punta, per fuggir la carnificina; ma più tosto di quelle, quali, dice lo Storico in Nerva, e altresì Vittore, si esploravano prima del combattere, per veder s'erano ben' acute.*

Un' altr' arme di costoro nomina Tertulliano, cioè la Spugna. *Dove Tito Livio descrive l'armatura de i Samniti nomina* la spugna, *che lor copriva il petto: è da credere fosse maglia di ferro, che vien' ad avere qualche apparenza di spugna. Ma il passo di Tertulliano indica, che ne' Reziarii così chiamavasi qualche arme da offesa, non da difesa; poichè dice:* potrà ricordarsi la misericordia a colui, che sta mirando i morsi degli Orsi, e le Spugne de' Reziarii? *leggo* moneri *in questo passo, non* moveri, *com' hanno le stampe, e come cita anche Lipsio, perchè non fa senso. Ora una coperta del petto non sarebbe tanto a pietà opposta nè ben corrisponderebbe al morder degli Orsi. I Reziarii in oltre combatteano senza armatura, e in tunica, come abbiam detto, e senza ascondere in celata la fronte, come si legge in Giuvenale. Alla rete adunque o al lor tridente, o al coltello forza è ch' anco tal nome si desse. Potea darsi per certa somiglianza alla rete, e poteva alla corta spada ancora, forse perchè il suo manico traforato fosse, e lavorato a guisa di spugna. Inclino a creder questo per quel motto d'Augusto riferito da Svetonio, ch' il suo* Aiace si era lasciato cader su la Spugna. *Era questa una Tragedia da lui cominciata, che non riuscendogli a suo modo, l'annullò eancellandola, al quale ufizio serviva presso gli antichi una spugna. Ma fredda facezia sarebbe stata questa d'Augusto, intendendo semplicemente, come Casaubono e tutti gli altri hanno fatto, senza che*

omnes faciunt, nec ad aliud quidquam spongiæ vocabulum referri posset: nulla enim inter Ajacem Heroem, atque illud delendi instrumentum affinitas, ex qua leporem venustatemque caperet. Quare concludi certo arbitror hinc posse, aliquod etiam armorum genus acuminatum spongiæ nomine appellatum fuisse, ex quo intelligeremus, Tragœdiæ eundem exitum obtigisse, atque ipsi Ajaci, qui ensi incumbens mortem sibi intulit. Sed ut finis demum sit iis, quæ capta ex nostro Gladiatore occasione diximus, septem ac viginti ab eo initæ pugnæ, satis ostendunt, quam crebra Veronæ fuerint ejusmodi spectacula; verosimile cum sit, in hac Urbe illum moram traxisse, atque huic Amphitheatro addictum fuisse: ceterum poterat etiam pluries uno eodemque die pugnasse. Rarum aliquid ex hoc monumento facile disceremus, si diminutum aliqua ex parte non esset: videtur enim in fine (ubi perperam Gruterus legit VI. R.) incepta referri memoria alicujus certaminis, in quo Retiarius iste *pugnavit viriliter*.

Multo rarius est, venationum extra Romam editarum, quam Gladiatorum certa monumenta invenire. In Amphitheatro nostro præclarum venationis testimonium paulo ante vidimus apud Plinium Juniorem. Venationis alterius memoriam nobis suppeditavit adjecta Inscriptio, pulcherrimis insculpta litteris in quadam ingenti basi ex rubro marmore nostrate, lata magis, quam alta. Eadem verba ex utraque parte conspiciuntur: quod argumento esset, sic olim positum lapidem fuisse, ut duplicem faciem hinc atque hinc ostenderet.

NOMINE
Q. DOMITII. ALPINI
LICINIA. MATER
SIGNVM. DIANAE. ET. VENA
TIONEM
ET. SALIENTES. T. F. I

Bona hæc mulier, ut pietati suæ indulgeret, pro illorum temporum religione, Venationem fieri testamento jussit. Jussit præterea fieri signum Dianæ. Dianæ omnium Venationum Præsidi, non Amphitheatra, ut vulgo credunt, sed ejusmodi spectacula nuncupabantur. Quo situ statua hæc posita fuerit, conjectare non licet: certe in medio Amphitheatro, ut alii putaverunt, erecta non fuit. Fieri etiam mulier hæc *Salientes* jussit. Nuspiam in iis, quæ ad Amphitheatrum pertinent, *Salientium* alia ulla mentio invenitur. Vox illa de tubis, per quos corrivatur aqua, solet accipi. Quare suspicari liceret, hoc loco designari voce illa occultas illas fistulas, per quas admirabili artificio bis a Seneca commemorato a fundamentis mediæ arenæ in summam altitudinem Amphitheatri attollebantur odorati liquores, qui deinde scaturiebant, atque instar minutissimi imbris per aerem fundebantur. *Sparsiones* dicebantur ejusmodi effusiones, atque ex altero Seneca in controversiis apparet non defuisse, qui figurate *odoratos imbres* diceret. Ex eo loco licet colligere ejusmodi fistulas *Syphonum* appellatione designatas vulgo fuisse: hinc ego in monumento nostro salientium nomine multo libentius designari fontes crediderim, quos admodum videbatur esse e rei

Nat. Qu. l. 2. c. 9. Epist. 90.

lib. 5.

doppio senso potesse aver quella voce, essendo che niuna relazione era tra Aiace Eroe, e l' istrumento da cancellare, per cui dovesse acquistar grazia tal detto. Parmi però potersene ricavar con certezza, ch' anco alcun' arme da punta portasse nome di Spugna, per lo che si venisse a intendere, aver la Tragedia avuto simil fine ad Aiace istesso, che si diede morte abbandonandosi sopra una spada. Ma per dar fine a quanto per occasion del nostro Gladiatore abbiam detto, l'aver lui pugnato ventsette volte, mostra la frequenza in Verona di questi Giuochi, probabile essendo, che stesse qui, e fosse a quest' Anfiteatro dedicato: potea per altro aver combattuto più volte in un giorno. Qualche rara notizia ci recherebbe facilmente questa pietra, se non fosse tronca, parendo si cominciasse nel fine (dove malamente il Grutero fa VI. R.) a far memoria d' alcuna occasione, in cui costui pugnò virilmente.

Assai più raro che di Gladiatori è il trovar sicuro monumento di Cacce date fuor di Roma. Nell' Anfiteatro nostro bella testimonianza n'abbiam veduta poc' anzi in Plinio giuniore. D'altra Caccia memoria c'è rimasa nella seguente Iscrizione, scolpita a bellissime lettere in gran base di marmo rosso nostrale; più larga che alta. Le stesse parole si veggono di qua e di là, il che mostra fosse anticamente collocata in luogo, che facesse faccia a due parti.

NOMINE
Q. DOMITII. ALPINI
LICINIA. MATER
SIGNVM. DIANAE. ET. VENA
TIONEM
ET. SALIENTES. T. F. I

Questa buona donna seguendo l'istinto della sua pietà, secondo la bizarra religion di quel tempo, lasciò in testamento, che si celebrasse una Caccia di Fiere. Lasciò in oltre, che fosse fatta una statua di Diana. A Diana Preside d' ogni Caccia erano spesso consacrati, non già gli Anfiteatri, come vien creduto, ma sì fatti spettacoli. In qual sito tale statua fosse collocata, non si potrebbe indovinare; ma non certamente nel mezo dell' Anfiteatro, com' altri ha pensato. Ordinò in oltre costei, che si facessero Salienti. *Non si ha altrove menzion di Salienti in proposito d' Anfiteatro. Questa voce suole intendersi per cannoni o tubi da condurr' acqua. Potrebbe però sospettarsi ancora, che significasse qui quelle occulte cannelle, per le quali con artifizio mirabile due volte rammentato da Seneca, si faceano salire dal fondo dell' Anfiteatro sino alla cima liquori odorosi, che schizzavano poi, e si spargean per l' Aria in modo di minutissima pioggia.* Sparsioni *chiamavansi queste effusioni, e appar presso l'altro Seneca nelle Controversie, come c'era chi rettoricando chiamavale* pioggie odorate. *Si può ricavar da quel luogo, che tali canne s'intendessero comunemente con nome di* Sifoni: *quindi è, ch'io nella nostra Lapida più volontieri intenderei per Salienti ciò, che in oggi di-*

juxta Amphitheatra construere: ex quo etiam factum est ut meta illa, quæ in numis conspicitur prope Coliseum, pro quodam fonte acciperetur. Imo vero ex ea latina voce manasse reor apud nos vocem italam *Sorgente*, licet significatio nonnihil diversa tribui illi soleat: ac de fontibus accipienda mihi videtur esse eadem illa vox etiam in scriptoribus, ut in Cicerone ubi piscinam nominat & salientes, atque in Plinio, ubi in publicum bonum ab Agrippa inquit tot lacus, ac *salientes centum quinque* factos fuisse; in Frontino etiam, ubi confirmat, Agrippam compluribus salientibus aquis Urbem instruxisse, atque ubi tradit, unde aqua derivaretur in subsidium publicorum salientium; apud Ulpianum denique.

Fam. l. 3. 17. l. 36. c. 15. De Aquæd. art. 10.

Harum rerum omnium Licinia, cujus amplissimam conditionem fuisse credendum est, cum Venationem Amphitheatralem edendam mandare potuerit, gloriam omnem tribui filio suo voluit, ludumque ejus nomine institui, quasi suis ipse sumptibus munus dedisset. Sic legimus apud Dionem, Augustum *filiorum suorum nomine* gladiatoria spectacula exhibuisse, atque exhibuisse nomine quoque Nepotum discimus ex Lapidibus Ancyranis. Legimus etiam apud Tacitum, Drusum, suo ac Germanici fratris nomine ludos dedisse.

l. 54. τῷ τῶν παίδων ὀνόματι. Grut. p. 232. meo nomine, aut filiorum meorum & nepotum. Ann. l. 1.

Sed ejusmodi spectaculorum frequentem, continuatumque usum Veronæ fuisse multo etiam magis confirmat Lapis tertius, quo erudimur in hac Urbe, ut utamur latinorum verbo, Ludum fuisse, hoc est gymnasium, in quo exercerentur, qui Amphitheatro operam daturi erant. Hoc sensu *ludi* vocem usurpare Inscriptiones solent, atque hoc sensu usurpatam inquit Fabrettus in quibusdam legibus esse, quæ de damnatione *ad ludum* loquuntur: sed in his revera de ipso spectaculo accipienda est, nec de gladiatorio solum, ut explicat Gotofredus, sed etiam, & quidem peculiarius de bestiario. Ludi ejusmodi Romæ plures erant in Lapidibus, atque a Publio Victore commemorati. Extra Romam vero vix ulla Ludorum mentio offenditur. Fuisse Ludum Capuæ ac Ravennæ legimus apud Cæsarem, & Strabonem: in utraque urbe instituendos Gladiatores Cæsar habuit: Capuæ, utpote ingenti Amphitheatro præditæ, vel temporibus Didii Juliani Gladiatores plurimi moram agebant. Sed quod in nostro Lapide maxime dignum observatu est, illud est, quod Veronæ non secus ac Romæ plures fuisse Ludos indicat: peculiari enim *Ludi Publici* nomine notatur is, de quo fit mentio. En lapis in vertice diminutus.

Insc. p. 298. C. Th. ad l. 8. de Pœn. v. Spar.

....

... LVCIL. IVSTINVS
EQVO PVBLICO
HONORIB. OMNIB
IN MVNICIPIO. FVNCTVS
IDEM. IN. PORTICV. QVAE
DVCIT. AT. LVDVM. PVBLICVM
COLVMN. IIII. CVM. SEPER FC
IE. STRATVRA. PICTVRA
VOLENTE. POPVLO. DEDIT

A *ciam Fontane, quali era molto a proposito di fare presso l'Anfiteatro, onde tal si è creduta quella Meta, che si vede nelle Medaglie a canto del Coliseo. Anzi io penso da quella voce Latina esser venuta in nostra lingua quella di Sorgente, benchè soglia usarsi in senso alquanto diverso; e per fontane parmi doversi spesso intender tal voce anche ne gli Scrittori, come in Cicerone, dove nomina la peschiera, e i Salienti; e in Plinio, ove dice che Agrippa a comodo publico tanti laghi fece, e* cento cinque Salienti; *e in Frontino, ove conferma che Agrippa* d'acque Salienti fornì la Città, *e dove nota, onde si prendesse l'acqua* per sussidio de'Salienti publici; *e presso Ulpiano, ove nomina le* canne, che si attaccano a'Salienti, o alle Salienti, *come più propriamente direbbesi.* B

Di tutte queste cose la nostra Licinia, che di gran condizione convien creder fosse, mentre potè ordinare una Caccia Anfiteatrale, volle se ne desse l'onore a suo figliuolo, e si celebrasse lo spettacolo in nome suo, com'egli n'avesse fatta la spesa. Così veggiamo in Dione, che Augusto certami Gladiatorii diede a nome de' figliuoli suoi, *e ne diede anche a nome de' nipoti, come dalle Lapide Ancirane s'impara. Leggesi parimente in Tacito, che a nome suo, e del fratello Germanico fece Giuochi Druso.* C

Ma l'uso assiduo, e continuato di tali spettacoli in Verona molto più si comprova dalla terza Lapida, che insegna come qui era Ludo secondo il parlar de i Latini, cioè Seminario per così dire, e scuola di coloro, che si addestravano per l'Anfiteatro. In questo senso sogliono usar le Iscrizioni tal voce, e in questo senso disse Fabretti usarla anche alcune leggi, che parlano del condannare ad ludum; *ma in esse dee veramente intendersi dello spettacolo; e non del gladiatorio solamente, come spiega Gotofredo, anzi più precisamente del bestiario. Di così fatti Ludi erano diversi in Roma mentovati ne' marmi, e da Publio Vittore. Fuor di Roma rarissimo è, che menzion se ne vegga. In Capua si osservano, e in Ravenna presso Cesare, e Strabone: nell'una, e nell'altra Città tenne Cesare in educazion Gladiatori: in Capua, come di grand Anfiteatro fornita, quantità ne soggiornava fino a tempi di Didio Giuliano. Ma ciò che si rende nella nostra Lapida più osservabile, è l'indizio, che in Verona ancora come in Roma più Ludi fossero, mentre distinguesi quello, di cui si fa menzione, con nome di* Ludo Publico. *Ecco il marmo mancante nel principio.* D E

....

... LVCIL. IVSTINVS
EQVO PVBLICO
HONORIB. OMNIB
IN MVNICIPIO. FVNCTVS
IDEM. IN. PORTICV. QVAE
DVCIT. AT. LVDVM. PVBLICVM
COLVMN. IIII. CVM. SVPER FC
IE. STRATVRA. PICTVRA
VOLENTE. POPVLO. DEDIT

F

A

in tergo ejusdem Lapidis.

ΩΡΑ

ΚΑΙ

ΤΥΚΗ

In Grutero, aliisque Inscriptio hæc, ut ferme reliquæ omnes, parum accurate descripta est. Litteræ a ceteris distinctæ desiderantur in Lapide, quas ipse supplevi: sed in quinto verso, ubi typi omnes sufficiunt PARTEM, lapis non capit nisi duas litteras: quare non alia vox adesse ibi poterat nisi ITEM; qui modus in aliis etiam conspicitur; ac fortasse scriptum erat IDEM, ut sæpe licet animadvertere, vulgo duas illas litteras pronunciatione confundi: quare etiam hoc loco AT pro AD scriptum est. Igitur Lucilius Justinus, Magistratibus omnibus in Urbe functus, annuente Populo faciendos curaverat arcus quatuor in Porticu, quæ ad Ludum Publicum ducebat, ponendasque columnas, & locum texerat, straverat, & pinxerat. *Superficiei* nomine a Jureperitis quidquid supra terram extat, solet intelligi. Duo verba in Lapidis tergo scripta accipienda puto pro formula illa proverbiali, qua uti etiam lingua vernacula solemus: *Tempo e Fortuna*: ἐπισίους ὥρας apud Philonem ad calcem libri de Creatione vertunt *horas*, ubi *tempora* significantur.

CAP. XV.

Notitiæ Veronensis Arenæ ab inferioribus temporibus desumptæ.

INnuimus superius, quam ab antiquo primus hujus molis ambitus dissolvi cœperit. Detrimentum ingens credibile est illatum fuisse ex murorum constructione Barbarorum metu festinanter confecta jussu Gallieni; in quibus visuntur lapides, qui prius in eodem Arenæ ambitu locati fuerant: ex quo conjectare licet, materiam tam opportunam, tamque proximam ea occasione magna ex parte in opere extruendo adhibitam fuisse. Olim mecum animo reputavi, an summitas ambitus eo tempore destructa atque disjecta fuerit, ne Arenæ potiti hostes, ex ea Urbi imminerent, ac facilius damna inferrent; sed evanuit suspicio hæc statim atque animadverti, exiguam illam exterioris ambitus partem, quæ adhuc superest, illo respicere, ubi in eum finem destrui cœpisset. Postremam populi in Amphitheatrum hoc antiquitus coacti notitiam haurimus ex Actis Martyrum Firmi ac Rustici, hoc est ad annum Christi 304. Dubitare non licet, initium eorum Martyrii in Arena non contigisse; pridie enim jussu Præsidis convocatus *ad spectaculum* populus fuit, omnisque multitudo illo convenit. Romæ etiam mos fuit satis frequens, quemadmodum superiore capite innuimus, supplicia in Amphitheatro infligere; imo vero postremis temporibus in Amphitheatro nonnunquam a Judicibus expediebantur criminales causæ, magnaque populi frequentia damnabantur rei, uti colligere ex Ammiano Marcellino possumus, ubi de Aproniano Romæ Præfecto loquitur. In Arenam ductus est etiam quartus hujus nostræ Urbis Episcopus S. Proculus, qui Martyrium & ipse cupiebat; sed in eum desævire noluit Anolinus. Sed non multo post facta gladiatoriorum ludorum abolitio ad Amphitheatrorum ruinam plurimum conferre debuit: sublato enim præcipuo illo-

Convenerat omnis multitudo populi ad spectaculum.

a tergo della stessa Lapida

ΩΡΑ

ΚΑΙ

ΤΥΚΗ

Nel Grutero e negli altri quest' Iscrizione al solito è poco esattamente presa. Le lettere contradistinte mancano nel marmo, e l' ho supplite, ma al quinto verso, ove in tutte le stampe vien supplito PARTEM, *la pietra non ha luogo che per due lettere, onde altro non potea dir che* ITEM, *il qual modo anche in altre si vede; e forse era scritto* IDEM, *come spesso osservasi per la popolar pronunzia, che scambiava fra quelle due, ond'anco qui si fa* AT *per* AD. *Avea dunque Lucilio Giustino, dopo sostenuti nella Città tutti i Magistrati, col consenso del Popolo fatte quattro arcate nel Portico, che conduceva al Ludo Publico, e poste le colonne, e l' avea coperto, lastricato, e dipinto. Per* Superficie *suol' intendersi da' Leggisti quanto è sopra terra. Le due parole Greche nel di dietro della Lapida le prendo per quel detto proverbiale, che suole usarsi anche in nostra lingua:* Tempo, e Fortuna: ἐπισίυς ὥρας *presso Filone, al fin del libro sopra la Creazione, vien tradotto* horas, *dove significa* stagioni.

CAPO DECIMOQUINTO.

Notizie dell' Arena Veronese ne' tempi inferiori.

ABbiam toccato sopra, quanto d' antico principiasse il primo recinto di questa mole a scompaginarsi. Gran colpo è credibile ricevesse dalla fabrica per timor de' Barbari frettolosamente eseguita delle mura di Gallieno; pietre state avanti in esso riconoscendovisi, e potendovisi, però credere, che di material sì opportuno, e sì prossimo fosse allora, in gran parte, fatto uso. Pensai una volta, se la sommità del recinto fosse allora stata disfatta, e gettata a terra, acciocchè occupata mai l' Arena, da nimici, non servisse a dominare, e danneggiar la Città d' alto in basso; ma si sventa questo sospetto osservando, come la poca parte della circonferenza esteriore ch' ancor rimane, è appunto da quel lato, dove per tal riguardo si sarebbe cominciato a distruggere. L' ultima notizia che si trovi di popolo in quest' Anfiteatro anticamente ragunato, è negli Atti de' Martiri Fermo, e Rustico; che vuol dire nell' anno Cristiano 304. *Non è da dubitare, che non seguisse nell' Arena il principio del lor Martirio, mentre il dì avanti fu dal Preside fatto invitare il popolo a* spettacolo, *e tutta la moltitudine vi si ragunò. Uso fu anche in Roma assai frequente, come si è toccato nel Capo che precede, d' eseguir nell' Anfiteatro i supplizj; anzi nel secol basso quivi si spedivano talvolta le cause criminali da' Giudici, e in gran concorso di popolo vi si condannavano i rei, come può ricavarsi da Ammian Marcellino, ove parla del Prefetto di Roma Aproniano. Nell' Arena fu condotto anche il nostro quarto Vescovo S. Procolo, che pur desiderava il martirio, ma contra lui non volle Anolino incrudelire. L' essersi non molto dopo aboliti i gladiatorii spettacoli avrà grandemente contribuito alla ruina degli Anfiteatri, per-*

rum usu, identidem instaurari, quemadmodum, ut diu consisterent, necesse erat, desierunt.

Sed detrimentum multo majus ego puto Arenæ fuisse importatum, quo tempore ut muris comprehenderetur ea pars Urbis, quæ extra veterem ambitum erat, novus ambitus constructus est: quod initio sexti sæculi fortasse contigit, cum probatum in Historia sit, novum hunc ambitum opus fuisse Regis Theodorici [1]. Verum quidem est, ex alio materiæ genere murum illum confectum esse, idest ex parvis, minorique cura quadratis teneri lapidis fragmentis, ut pluribus in locis observare licet; sed tamen una ex ejus turribus, cujus bona pars stat adhuc, movet me ut credam, in turribus ipsis utpote alterius, ac solidioris structuræ, plurimos Amphitheatri lapides fuisse locatos. Conspicitur turris hæc Arcis veteris muro prope Gaviorum Arcum comprehensa, quæ non simul cum Arce ipsa extructa fuit, sed aucta solum tunc parte superiore lateribus confecta. In parte inferiore antiquis lapidibus constructa, majora saxa in primo Amphitheatri ambitu fuere, inter quæ fragmentum quoque Epistylii plani tertii cernitur. Neque dubitare fas est, quin ad secundum ambitum ejusmodi turris pertineat: quandoquidem inter commemoratos lapides, partemque lateritiam a Scaligeris impositam, apparet quidam tractus rursus consuetæ materiæ, atque operis, quo totus Theodorici murus confectus est; imo qui Arcem ingrediatur, videbit, murum illum in parte quoque interna ejusdem esse conditionis, atque ad flumen usque, ubi finem habebat, protendi.

Labentibus annis Arenæ nostræ mentio occurrit in Rythmo composito quo tempore in hac Urbe Rex Pipinus moram agebat, atque in publicum edito nuper *in Historia Diplomatica*, ad veram formam, germanamque lectionem revocato. Continet is Veronæ descriptionem, cujus Auctor commemoratis muris, turribusque circum positis, ante cætera Amphitheatrum nominat, ac de illo sic loquitur.

Habet altum Labyrinthum, magnum per circuitum,
In quo nescius egressus nunquam valet egredi,
Nisi cum igne lucernæ, vel cum fili glomere.

In Manuscriptis pluribus, sed parum antiquis, atque auctoritatis nullius mentionem fieri inveni de quodam opere Pacifici nostri Archidiaconi, qui obiit anno 846. atque indicari, fuisse hoc veluti quoddam Dictionarium Geographicum, in quo Veronensis Arena Labyrinti pariter vocabulo commemoraretur. Mentio illius certior extat apud Raterium Episcopum clari nominis, qui sæculo decimo Veronensem gubernavit Ecclesiam. Is in opusculo, cui titulus *Qualitatis conjectura*, nescio quas tunc temporis enatas in Urbe turbas innuit; ædem quandam nominat, quæ erat instar Arcis; nominat *Cortalta*, qui locus pro Arce pariter erat; ac demum nominat *circum, quod Arena dicitur*, quo Comes quidam ut in tuto esset, sese recepit. Mos utendi antiquis ædificiis tanquam Arcibus posterioribus temporibus, multis documentis, scriptoribusque confirmatur; nec Amphitheatris solum, ut de Capuano, ac Nemausense memoriæ proditum est, verum etiam Thermis, ac Templis: consulatur Vita Innocentii Tertii: Adriani Mausolæum locum Arcis adhuc tenet.

[1] Dach. Spic. t. 2.

chè cessatone il principal uso, si levò mano dal ristaurargli di tempo in tempo, com' era necessario per la conservazion loro.

Ma colpo in oltre molto sensibile penso io, che ricevesse l' Arena, quando per comprender dentro quella parte di Città, che restava fuori dell' antico recinto, altro più ampio se ne fabricò; il che sarà avvenuto nel principio del sesto secolo, essendosi provato nell' Istoria, come il detto recinto opera fu del Re Teodorico. Vera cosa è, che d' altro genere di materiale fu composto quel muro, cioè con pezzi piccoli, e rozamente riquadrati di pietra tenera, come si può vedere in più luoghi; ma con tutto ciò una delle sue torri, che in gran parte ancor ci rimane, mi fa creder, che in esse come di diversa, e più forte struttura, molte delle pietre dell' Anfiteatro saranno state impiegate. Vedesi la detta Torre compresa nella muraglia del Castel vecchio presso l' Arco de' Gavii: non essendo essa già stata fondata insieme col Castello, ma solamente accresciuta allora della parte alta, ch'è lavorata di mattoni. Nella parte inferiore composta di pietre antiche, state prima in opera, le maggiori furon del primo giro dell' Anfiteatro, e tra queste un pezzo si ravvisa dell' architrave del terzo piano. Nè dubitar si può, che al secondo recinto non appartenga tal torre, mentre tra le dette pietre, e il cotto soprapostovi da gli Scaligeri, un tratto si vede ancora del solito materiale, e lavoro, con cui fur condotte tutte le mura di Teodorico; anzi entrando nel Castello si vedrà come quel muro continua dentro ancora, e procede interrottamente fino al fiume, ch' era il suo termine.

Procedendo i tempi menzion si trova della nostr' Arena nel Ritmo, composto mentre risedeva il Re Pipino in questa Città, e publicato poco fa nell' Istoria de' Diplomi, *ridotto finalmente alla sua vera forma, ed a lezion sana. Contiensi in esso una descrizion di Verona, l'autor della quale dopo le mura, e le Torri del suo recinto nomina, prima di tutt' altro, l' Anfiteatro, e così ne parla.*

Ha un alto Laberinto ampio per giro,
Di cui non uscirà chi non sa il varco,
Se filo ei non ha seco, o pur lucerna.

In più Manuscritti, ma di poca antichità e di nissun conto, ho trovato citarsi un' opera del nostro Pacifico Arcidiacono, che morì l' anno 846. e accennarsi, che fosse una spezie di Dizionario Geografico, e in esso si mentovasse l' Arena Veronese pur con nome di Laberinto. Menzion più sicura ne abbiamo in Raterio, celebre nostro Vescovo del secol decimo. Egli nell' operetta intitolata Qualitatis Conjectura, *toccando alcune rivoluzioni seguite allora nella Città, nomina un* Palazzo, *che tenea luogo di Castello; nomina* Cortalta, *che facea pure l'istessa figura; e nomina il* Circo chiamato Arena, *in cui parimente certo Conte per esser sicuro si tenne. L'uso di valersi ne' tempi bassi degli antichi edifizj per Fortezze, è comprovato da molti documenti, e Scrittori; nè solamente degli Anfiteatri, come del Capuano, e del Nemausense si ha, ma delle Terme ancora, e de' Tempj: veggasi la vita d' Innocenzo terzo: il Mausoleo d' Adriano è Castello ancora.*

Non est prætermittendum, hoc loco illud confirmari, quod capite nono demonstratum est, idest veterum ædificiorum ad ludos pertinentium nomina sequioribus ætatibus promiscue accepta fuisse, praveque usurpata. Paulo laudatus Rythmi Auctor Amphitheatrum vocavit Labyrinthum: hanc enim speciem multiplex interiorum scalarum ordo, viæ diversæ ac tenebricosæ, aliæ atque aliæ in orbem conformatæ mesaulæ Poetæ exhibuerunt. Sic Romanorum temporibus subterraneum Clusii monumentum, præclarum illud Etruscæ magnificentiæ testimonium, Labyrinthi nomine appellatum est. Circus sive *semicircus* vocatum est Veronense Theatrum in colliculo extructum in celebri Berengarii rescripto apud Panvinium, quo permisit, vetera ædificia dirui, si forte cum aliorum damno collapsura viderentur: contra vero Theatrum dicitur Carthæ Amphitheatrum, de quo quamprimum dicam. In documento quodam, quod, ubi de Pola verba faciam, in medium afferam, palatia nuncupantur Theatrum, ac Templum. Sed Arenæ nomen etiam ex adducto Raterii loco intelligimus apud Veronensem populum in usu semper fuisse, atque ad nos usque ab ipsis Romanis fuisse transmissum. Ex antiqua origine manat etiam vox *covoli*, qua Veronensis Dialectus loca tecta atque interiora Amphitheatri designat: *cubile* apud Vitruvium loca illa significat, in quibus lapides, aut ligna jacent: atque iis fornicibus gradus insistunt. *Arcovalos*, & *Arcovolitos* (atque hinc italice *Archivolti*, ut *volta* a *voluta*) legimus in Testamento ann. 922. Joannis Veronensis Papiensis Episcopi ab Ughellio in lucem edito; quæ vox Theatri arcus ac fornices significat, in quibus laudatus Episcopus S. Syri sacellum extruendum curavit. Saraina locum ex Itinerario Cyriaci Anconitani adduxit, in quo Labyrinthi nomen Arenæ tribuitur, & *cubalis & antris multiformiter redimitus* dicitur; *cubatis* quoque scriptum invenitur. Sed auctor ille decimo quinto sæculo vixit; atque ejusmodi locus, licet desumptus, atque adductus etiam a Lipsio ac Bulengero, neque in vulgato, neque in manuscripto illius opere invenitur. Quare jure Panvinius quædam ex illis verbis tanquam Chronici incerti, non autem ipsius Cyriaci, attulit. *Ant. Ver. l. 3. c. 2.*

Verosimile est, mediis etiam inter vetera, ac recentia temporibus usum aliquem extitisse, in spectaculis fortasse nobis plane ignotis. Narrantur, ac leguntur in fictis documentis fabulosæ pugnæ Lancellotti de Lacu, aliorumque romanensium Heroum in Arena commissæ: sed illud tamen certum est, patrari in Arena consuevisse Duella Judicialia, seu a Judice decreta iis temporibus, cum juxta leges Longobardorum, nationumque septentrionalium institutum Duello lites plures decidebantur. Ut mos hic diutius Veronæ, quam in locis aliis obtineret, procul dubio in causa fuit opportunitas Amphitheatri. Rei hujus memoriam pluribus in documentis inveni, quæ non pertinet ad hunc locum recensere. Tempore Innocentii Tertii Duellum Clerico, qui Archipresbyterum interemerat, indictum a Prætore est, uti constat ex ejus Pontificis Epistola ad Episcopum nostrum & Cardinalem Adelardum, cujus nomen utpote sola littera initiali designatum assequutus non est Balutius. *l. 1. ep. 435.* Sed temporis etiam multo posterioris certissimum argumentum extat in longo quodam, & curioso codice, quem ego in domestico meo tabulario servo, quique sæculo anni 1300. conscriptus est. Continentur in eo rationum momenta, quibus nescio qui cognomento Vicecomites in judicio anno 1263. ha-

Non è da lasciar senza riflessione il confermarsi qui, ciò che al capo nono si dimostrò, cioè che i nomi degli edifizj Romani spettanti a'Giuochi ne' tempi inferiori si confusero, e si usarono stranamente. Il nostro Poeta ritmico chiamò Laberinto l'Anfiteatro, perchè tal sembianza parve a lui gli dessero le molte scale interne, e le varie ed oscure vie, ed i replicati e circolari corridori. Così al tempo de' Romani Laberinto, per consimil ragione, fu chiamato il sotterraneo monumento di Chiusi, gran saggio della magnificenza Etrusca. Circo, o mezo Circo*, fu chiamato il Teatro di Verona, ch'era su la collina, nel noto rescritto di Berengario, che si può vedere presso il Panvinio, con cui permise d'atterrare i publici antichi edifizj, quando con altrui pericolo minacciasser ruina: ed all'incontro Teatro vien detto l'Anfiteatro in Carta che riferirò fra poco. In documento che addurrò, ove di Pola, Palazzi chiamansi un Teatro, ed un Tempio. Ma il nome d'Arena per altro anche dal detto passo di Raterio ben si riconosce, come nel nostro popolo durò sempre, e da' Romani si è fino a noi tramandato. D'antica derivazione è ancora la voce* covoli*, con cui il dialetto Veronese dinota i luoghi coperti, e interiori dell' Anfiteatro:* cubile *presso Vitruvio significa que' luoghi, dove pietre, o legni posano; e posano sopra quelle volte i gradi.* Arcovalos*, e* Arcovolitos *(onde in volgare archivolti, come volta da* voluta *) si ha nel testamento dell' anno 922. di Giovanni Veronese Vescovo di Pavia edito dall' Ughelli, e significa le arcate, e le volte del Teatro, nelle quali il sudetto fece fare l'Oratorio di S. Siro. Il Saraina citò un passo dell' Itinerario di Ciriaco Anconitano, in cui si dà all' Arena nome di Laberinto, e dicesi, che per di dentro è cinta di* cubali*, e d'antri; si trova anche scritto* cubatis*. Ma quello fu un autore del decimoquinto secolo, e tal passo, benchè preso, e addotto anche da Lipsio, e dal Bulengero, nè si trova nell'opera stampata, nè nella manuscritta. Ben però parte di quelle parole citò il Panvinio, come d'incerta Cronica, e non di Ciriaco.*

Qualche uso si sarà probabilmente fatto dell' Arena anche ne' mezani tempi, e forse di spettacoli a noi del tutto ignoti. Fole si raccontano, e in supposti documenti si leggono, di battaglie fattevi da Lancellotto del Lago, e dagli Eroi Romanzieri; ma egli è pur vero, che servì di campo ai Duelli giudiziali, o sia ordinati dal Giudice, in que' secoli, quando secondo le leggi Longobarde, e l'instituto delle nazioni Settentrionali molte liti si decidevano per Duello. A continuare in Verona più che in altre parti sì fatto costume, diede fomento senza dubbio il comodo dell' Anfiteatro. Memoria ne ho veduta in più documenti, che non è qui luogo di riferire. A tempo d'Innocenzo terzo fu dal Podestà intimato personal Duello a un Cherico ch' avea ucciso un Arciprete; come si vede da un' Epistola di quel Pontefice al Vescovo nostro e Cardinale Adelardo, il cui nome non è stato inteso dal Baluzio per esser dinotato con la sola iniziale. Ma di tempo ancor più basso pruova ne appar certissima in un lungo e curioso rotolo, ch' io conservo nel mio domestico Archivio, scritto nel secolo del 1300. Contengonsi in esso le pruove fatte in giudizio da certi per cognome Visconti l'anno 1263. per via d'esami, e di testimonj, dell' esser essi e gli a-

bitis examinibus, ac testibus contenderunt, se A centum & amplius annis ante vectigal portarum S. Stephani, & Episcopi, omnisque introitus terra marique ex ea parte tenuisse, ac possedisse pariter *introitum, & honorem Arenæ occasione pugnarum judicatarum, quæ fiunt in ipsa Arena.* Asserunt quidam e testibus, *in singulis pugnis judicatis in Theatro factis* commemoratos Vicecomites *denarios vigintiquinque monetæ Veronensis* exegisse; cum hoc onere, ut locum tutum præstarent; ajunt etiam se illos vidisse, *ire ad Theatrum pro custodiendo battajam cum hominibus armatis.* Ex hoc igitur singulari documento discimus, B Amphitheatrum nostrum Duellis per judices indictis ad longum tempus campum præbuisse; ac illud etiam credibile est convenisse & ex aliis partibus homines ob loci opportunitatem & securitatem pugnaturos; ex quo emolumentum & lucrum percipiebat Civitas, quod ipsa locabat.

Non raro etiam infligi reis supplicia in Arena consueverunt, servato hac in re antiquorum more: virorum illustrium, quibus in ea amputatum caput fuit Scaligerorum temporibus, frequens occurrit mentio, præsertim in codicibus manuscriptis. Initio ann. 1400. in Arena morabantur C Meretrices, ac pensionem solvebant, ut ex quo-
12. 9. 5. dam codice Tabularii familiæ *Bevilacqua* collegi. Durabat usus hic etiam sub finem ejus sæculi: in Actione enim Panthea de *Amphitheatro* dicitur

Flevimus hocque super, nobis quod structa pudicis
Nunc loca prostantes faciant immunda puellæ.

Sed maxime mos ille semper obtinuit adhibendi Arenæ divulsos lapides in aliis ædificiis, siqua nova construerentur; quod potissimum apparet in D turre prope Gaviorum Arcum; atque in parte ima murorum pinnatorum, quos anno 1364. circa hortum suum extruendos curavit Cansignorius. Anno etiam 1406. gradus plurimi in nescio quibus operibus ad Arcem S. Felicis adhibiti sunt, ut in codice Saibante 667. legi.

Unum tamen Veronensibus laudi tribuendum est, quod haud ullius alterius Urbis civibus puto esse posse commune. Historiæ Amphitheatri nostri finis idem est, ac Instaurationum ejus, quæ ad hanc usque diem nullo adhibito sumptibus modo fieri perrexerunt. Qua in re non aliorum modo, E sed Romani etiam ipsius Amphitheatri conditio multo deterior fuit: atque utinam saltem ipsum obtinuisset, ut ejus eversio prohiberetur, ut de Polano videbimus alibi. Sed decreta publica de reficiendis Arenis pro certo habeo nullibi ostendi posse nisi Veronæ, atque hæc multo sane antiquiora, quam fortasse quispiam putaverit. Eximium codicem servat in suo Tabulario Capitulum nostrum Canonicale anno 1228. scriptum, in quo Statutum Veronense, sive munera illa continentur, quæ ad Prætoris dignitatem evecto a civitate imponebantur, & a Prætore sancte recipiebantur, quæque ad Statutorum com- F positionem viam aperuerunt. Codex hic nuperrime editus in publicum est a Cancellario Campagnola, qui admodum scite, & incredibili diligentia Tabularium idem in ordinem redegit, atque illustravit. Paragrapho 162. legimus Prætorem sic polliceri consuevisse. *In reparatione & refectione Arenæ de Communi expendam in meo regimine infra sex Menses ab initio mei regiminis quingentas libras; ita tamen quod hoc possit immutari voluntate concilii, vel Arengi.* Errore deceptus

vi loro stati in possesso da più di cent' anni addietro del dazio delle porte di Santo Stefano, e del Vescovo, e d'ogn' ingresso per terra, e per acqua da quella parte; e in possesso parimente dell' introito, & onore dell' Arena per occasione delle pugne giudicate, che si fanno nell' Arena stessa. *Affermano alcuni de' testimonj, come* per ogni battaglia giudicata fatta in Teatro *avean costoro sempre riscosso* venticinque lire di moneta Veronese, *con obligo di tenere assicurato il luogo; e affermano, come* per custodir battaglia, gli avean veduti più volte andare al Teatro con uomini armati. *Impariamo adunque da questo singolar documento, come servì assai tempo il nostro Anfiteatro di campo franco per li Duelli giudizialmente decretati; ed è credibile vi venissero per l'opportunità e sicurezza del luogo a combattere anche uomini d'altre parti, ritraendone il Publico della Città un diritto, e una contribuzione, che allogava.*

Non poche volte servì ancora la nostr' Arena a i supplizj de' rei, quasi continuando il costume antico: di persone di conto decapitate in essa ne' tempi Scaligeri più memorie si trovano, spezialmente ne' testi a penna. Nel principio del 1400. *serviva di stanza alle meretrici, e ne pagavan pigione, come da un curioso rotolo dell' Archivio Bevilacqua ho ricavato. Durava quest' uso anche verso la fine di quel secolo dicendosi dell'* Anfiteatro *nell' Azion Pantea*:

Flevimus hocque super, nobis quod structa pudicis
Nunc loca prostantes faciant immunda puellæ.

Sopra tutto continuò sempre il fatal' uso di valersi delle sue pietre in occasion di nuove fabriche; il che apparisce singolarmente dalla torre presso l'Arco de' Gavii, e dal fondo delle merlate mura fatte intorno al suo giardino da Cansignorio nel 1364. *Fin nel* 1406. *molti e molti de i gradini furono adoprati per lavorare al Castello di S. Felice, come ho letto nel codice Saibante* 667.

Con tutto ciò una lode non può negarsi a' Veronesi, che a' Cittadini di verun' altra Città non credo sia comune. La Storia del nostro Anfiteatro termina con quella delle ristaurazioni, senza risparmio di spesa continuate fino a' dì nostri. Non che gli altri, ma nè pure il Romano fu in questa parte sì fortunato: e piacesse a Dio ch' esso almeno avesse ottenuto, che si vietasse il disfarlo, come del Polano vedremo altrove. Ma publici decreti per risarcire non credo certamente possan mostrarsi se non in Verona, e questi assai più d' antico, che non si crederebbe. Esimio codice conserva nel suo Archivio il nostro Capitolo Canonicale scritto nel 1228. *in cui si contiene lo Statuto Veronese, o quegl' incarichi addossati dal Publico a chi veniva assunto al grado di Podestà, e da esso promessi e giurati, che fecero strada alla compilazione degli Statuti. Questo codice è stato pur' ora publicato dal Signor Cancellier Campagnola, che con molta cognizione, e con diligenza incredibile ha riordinato, e illustrato l'Archivio stesso. Al paragrafo* 162. *così si vede che il Podestà prometteva.* In reparatione, & refectione Arenæ de Communi expendam in meo regimine infra sex menses ab initio mei regiminis quingentas libras; ita tamen quod hoc possit immutari voluntate Consilii, vel Arengi. *Per errore scrisse qui il copista* non possit, *che non*

hic scripsit *non possit* amanuensis, quod cum verbis *ita tamen* minime cohæret: non enim definiri terminis auctoritas *Consilii* poterat, penes quod summa *Communis* idest Reipublicæ potestas erat. Summa quingentarum *librarum* erat iis temporibus sumptus satis magnus; ut proinde maxime cordi civibus nostris vel tunc fuisse appareat, pretiosum hoc monumentum ab injuriis temporum defendere.

Quemadmodum commemoratus liber dici potest statutum primum, sic secundum appellare licet illud, quod in Tabulario *Provisorum* Urbis asservatur. Illud plurium annorum spatio conscriptum est; sed nulla tamen pars ejus est post annum 1376. Continet statuta sub Scaligeris sæpius temperata, in ordinem digesta, atque in sex libros distributa. Ad calcem libri primi extant electiones Populi, qui *Provisoribus* regimen contulit, ad Monarchiam postea prolapsum. Libro quarto cap. 156. jubetur omnes Arenæ januas perpetuo clausas esse, quæ deinde patebant; atque ejus custodiæ ac dignitati consultum in hunc modum est.

Qum multa maleficia in Theatro sive Arena commissa sint hactenus, & possent committi de cetero, statuimus & ordinamus, quod dictum Theatrum, sive Arena clausum permaneat, & claves portarum ejus in Massaria Communis Veronæ, vel apud Massarium dicti communis ponantur & stent. Et si quis fregerit portas, vel murum ipsius Theatri per vim, puniatur in XXV *libras pro quoque, & quaque vice. Quod denunciare teneantur & debeant Jurati, & Custodes noctis guaitarum circumstantium eadem die vel sequenti, banum ad voluntatem Domini Potestatis vel Curiæ auferendo. Et si quis in eo Theatro fecerit aliquam turpitudinem, puniatur in* V *solidos pro unoquoque & qualibet vice = Procuratores Communis Verone infra* XV. *dies officii sui teneantur inquirere per covalos habitantes; & si invenerint aliquem habentem cloacam, vel fossam, vel scaffam discurrentem in dicto Theatro, vel Arena &c.*

Statutum tertium illud est, quod denuo temperatum, typisque commissum est an. 1475. In eo videre licet, paucissimis immutatis, decretum idem, adjecta pœna iis infligenda, si qui vel gradum aliquem loco movissent, vel aliquem lapidem alio transtulissent; addita quoque alia lege sane curiosa, quam quilibet in ipso libro videre potest. Anno 1480. graduum plerisque Arenam destitutam fuisse colligo ex quodam Pamphili Saxi Poemate manuscripto penes me existente, in quo Arena *gradibus vacua* dicitur. Sed an. 1500. sæculo accurate instaurari cæpit, atque anno 1545. cautum est, ut identidem præstans aliquis civis seligeretur, qui curandæ Arenæ vacaret. Tribus ac viginti annis post collecta summa argenti est sponte conferentibus symbolam civibus, ut reficerentur gradus, rursusque loco suo statuerentur. Anno 1579. indictum vectigal est quatuor annorum spatio exigendum, ut *repararetur Amphitheatrum*, cautumque est, ut peteretur a Senatu, ut eo annuente in idem opus liceret mulctarum partem impendere. Alia deinde ejusmodi decreta tum in *Consilio Duodecim*, tum in *Consilio Quinquaginta* facta sunt, quæ perenne in hanc rem studium curamque testantur. Inter cætera anno 1606. sancitum est, ut in posterum duobus *solidis* singulis *libris* pecuniariæ mulctæ augerentur in criminalibus causis *Consulatus*, quæ summa curando Amphitheatro impenderetur, atque ut per *Rectores* peteretur a Senatu, ut decretum hoc ratum faceret. Sapienter post aliquod tempus mos est institutus duplicandi custodes,

A *non concorda con l'*ita tamen, *e non potendosi limitar mai l'autorità del pien Consiglio, in cui risedeva la suprema potestà del Comune, cioè della Republica. La somma di* 500. *lire era in que' tempi molto considerabile, e però non lieve appar la premura ne' Cittadini nostri fin da quel tempo di conservarsi questo tesoro.*

Come il sudetto libro può dirsi primo Statuto, così quello, che si conserva nell' Archivio particolare de' Proveditori della Città, può dirsi secondo. Fu scritto in anni diversi, ma niuna parte di esso è dopo il 1376. B *Contiene gli Statuti regolati più volte sotto Scaligeri, e ordinati, e in sei libri divisi. Nella fin del primo son le elezioni del Popolo, che conferì loro il governo degenerato poi in Monarchia. Nel libro quarto al capitolo* 156. *si vede ordinato di tener chiuse tutte le porte dell' Arena, che prima stavano aperte, e si trova in questo modo proveduto alla sua custodia, ed al suo decoro.*

Qum multa maleficia in Theatro sive Arena commissa sint hactenus, & possent committi de cetero, statuimus & ordinamus, quod dictum C Theatrum, sive Arena clausum permaneat, & claves portarum ejus in massaria Communis Veronæ, vel apud Massarium dicti Communis ponantur, & stent. Et si quis fregerit portas, vel murum ipsius Theatri per vim, puniatur in XXV. libras pro quoque, & quaque vice. Quod denuntiare teneantur, & debeant Jurati, & Custodes noctis guaitarum circumstantium eadem die vel sequenti, banum ad voluntatem domini Potestatis vel Curiæ auferendo. Et si quis in eo Theatro fecerit aliquam turpitudinem, puniatur in V solidos pro unoquoque, & qualibet D vice = Procuratores Communis Veronæ infra XV. dies officii sui teneantur inquirere per covalos habitantes: & si invenerint aliquem habentem cloacam, vel fossam, vel scaffam discurrentem in dicto Theatro, vel Arena &c.

Terzo Statuto è il regolato di nuovo, e stampato nel 1475. *In esso si può veder replicata con poca diversità l'ordinazione istessa, aggiunta penalità a chi movesse di luogo alcun de' gradi, o trasportasse qualche pietra; e soggiunta altra curiosa legge, che ognuno può osservar nella stampa. L'anno* 1480. *ricavo, che mancava la maggior parte de i gradi da un Poema di Panfilo Sas-* E *so, testo a penna presso di me, in cui si dice l'Arena* gradibus vacua. *Ma nel secolo del* 1500. *si pose mano a ristaurarla da vero, e nel* 1545. *ottimamente fu preso d'elegger di tempo in tempo un prestante Cittadino, di cui fosse cura l'attendere alla sua conservazione. Ventitrè anni dopo fu fatta una raccolta di denaro volontariamente contribuito da Cittadini per rifare i gradi, o rimettergli a luogo suo. Nel* 1579. *fu imposta una gravezza da esiggersi per quattr' anni a fine di* riparar l'Anfiteatro, *e fu preso di supplicare il Dominio, perchè vi fosse impiega-* F *ta anche una parte delle condanne. Altri simili decreti furon poi più volte fatti nel Consiglio de' Dodici, e in quello de' Cinquanta, che fanno fede del continuato fervore in così nobil cura. Tra gli altri nel* 1606. *fu stabilito di crescere in avvenire due soldi per lira le condanne pecuniarie nelle cause Criminali del Consolato, per applicar tal somma all' Anfiteatro, e di supplicare col mezo de' Rettori il Dominio per la confermazione di tal Decreto. Saggiamente dopo qualche tempo fu messo in uso di raddoppiar*

creandique duos Arenæ Præsides, qui diligentius ipsius instaurationem curarent; quo munere post plures clarissimos viros, in præsentia summo studio, summaque fide funguntur Comites Gombertus de Justis, & Augustinus Rambaldius, in cujus locum succedit Bertoldus Peregrinius.

Quoniam vero hac ætate refecti absolutique sunt ab imo ad summum omnes graduum ordines, haud sane esset abs re, ad generosam frequentemque Veronensem Juventutem, nobilesque Patriæ nostræ cives orationem convertere, eamque hortari, ut ad ostentandos magnanimos spiritus, quos pectore gerunt, virtutemque exercendam præstantissimo campo hoc uterentur. Si identidem equestres armorum lusus jamdiu intermissi instaurarentur, res hæc procul dubio spectaculum omnium pulcherrimum, quotquot uspiam edi possent, incredibili cum intuentium voluptate exhiberet; cujusmodi sane foret Amphitheatrum nostrum ab imo ad summum circum undique frequentia maxima spectatorum refertum. Species hæc longe superat cujuslibet captum, atque una aliquo modo Romanam in spectaculis magnificentiam referre potest, oculisque ipsis subjicere. Nihil enimvero opportunitatem majorem afferre, aut stimulos majores addere posset ad instituendum identidem publicum aliquem ludum, in quo aliqua ex parte locus esset virtuti, quique ab hodiernis moribus abhorrens, animi mollitiem inspirando ad gentis nostræ segnitiem, & ignaviam magis magisque augendam studiose compositus non videretur. Sæculo superiore duas invenio commemorari ludicras pugnas celebritate præ reliquis insignes; alteram anno 1654. alteram 1622. in hac palmam præripuit cæteris Marchio Alexander a Monte, de quo meminerunt Orlandus Pescettus in Dialogo de Honore, Palladius in Historia Forojuliensi, ac Brusonius in Historiis Italiæ, utpote qui illustris Imperator postea evasit, ut in ejus Vita a Co: Gualdo in lucem edita videre licet; atque videre liceret multo uberius in multis ejus epistolis, in multis etiam Cardinalis Mazarini aliorumque ad ipsum scriptis, quæ penes operis hujus Auctorem asservantur. Sed alias etiam superiore sæculo ejusmodi ludicras pugnas institutas fuisse, etsi publica earum memoria non extet ulla, conjectare possumus ex quodam rarissimo Arenæ typo anno 1627. edito; in quo expressa cernitur ejusmodi pugna occurrentium sibi equitum, quo habitu, quo armaturæ genere, quibus indumentis in campum prodierint; apparent clypeis insculpta gentilitia stemmata; visuntur, qui duo correptis hastis sibi occurrunt, Diathyro tamen separati, *Rectoresque* cum Judicibus a præmiis pulpito insidentes. Credibile est anteactis temporibus plura istiusmodi lusoria certamina celebrata fuisse: unum editum ann. 1222. commemorat in Historia Saraina. Cum amici imperio, tum alii votis obtinuerunt, uti hoc loco referretur lusus lanceæ ac annuli, qui eo apparatu, quo per tempus licuit, in Arena XII. Kal. Decembris ann. 1716. institutus est, ut adventus Veronam incliti Principis, nunc Electoris Bavariæ, celebraretur. Pluvia, quæ forte totum eum diem etsi minute rorans duravit, nec lusum impedivit, neque magnum spectatorum numerum absterruit. Præfecti personam sustinuit Co: Cozza de Cozzis equorum Magister adeo peritus, ut in ea nobili disciplina, pares illi invenirentur pauci, propterea a multis viris Principibus expetitus, & honoribus affectus. Judices sedebant Marchio Octavianus Spolverinius, Co: Gombertus de Justis, Marchio Joannes Carolus Malaspina, Co: Ricciardus Sanbonifacius.

la custodia, e l'attenzione al risarcimento, creando due Presidenti dell'Arena; il qual ufizio dopo molti degnissimi Soggetti è sostenuto con attenzione, e con zelo da' Conti Gomberto Giusti, ed Agostino Rambaldi, al qual succede ora il Sig. Bertoldo Pellegrini.

E poichè al presente rimessi già sono e perfezionati dal fondo alla cima i giri tutti de i gradi, non sarebbe per certo fuor del convenevole il rivolgersi alla gioventù Veronese, ed alla fiorita e numerosa nobiltà della nostra Patria, eccitandola a valersi qualche volta di questo unico, e incomparabil campo per far mostra del suo spirito, e per esercitar suo valore. Il rinovar qualche volta i solenni armeggiamenti a cavallo per sì lunga età intermessi, ci farebbe godere della più bella e più superba veduta, che oggi giorno in qualunque parte, e in qualsisia occasione ammirar si possa; tale senza alcun dubbio essendo quella del nostro Anfiteatro ripieno, e coperto dal basso all' alto intorno di spettatori. Sì fatta apparenza supera ogn' immaginazione, ed è l'unico saggio, che in oggi si possa prendere delle antiche idee, e della grandezza Romana ne gli spettacoli. Non potrebbe per certo miglior comodo desiderarsi, o eccitamento maggiore a celebrar di tanto in tanto alcun publico divertimento, in cui Virtù avesse parte, e che uscendo delle miserabili costumanze de' giorni nostri, non paresse con ispirare effeminatezza e mollizie studiosamente ordinato ad anneghittire ed avvilir sempre più la misera nostra nazione. Nel passato secolo di due Tornei più degli altri solenni memoria trovo; l'uno nell' anno 1654. l'altro nel 1622. in questo fu riportato il primo premio dal Marchese Alessandro da Monte, di cui fanno menzione Orlando Pescetti nel Dialogo dell' Onore, il Palladio nell' Istoria del Friuli, e 'l Brusoni nell' Istorie d'Italia, per esser riuscito poi gran Generale, come nella Vita publicatane dal Conte Gualdo può vedersi; e si vedrebbe assai più in molte sue lettere, e del Cardinal Mazarini, e d'altri a lui, quali da chi scrive conservansi. Ma che altre Giostre ancora nel passato secolo si sien fatte, benchè non se ne trovino publicate le relazioni, si può arguire da rarissima Stampa in grande dell' Arena impressa nel 1627. in cui vedesi figurata dal vero una Giostra d'incontro, e vi si veggono le comparse, e i Cavalieri nell' armatura, ed abito che portarono, con l'armi del lor casato sopra gli scudi, e i due che con le lancie s'incontrano, separati però dalla sbarra, e i Rettori, che siedono sopra un palco co' Giudici, e co' premj. E' credibile, che negli anteriori tempi molti torneamenti si saranno fatti: d'uno nel 1222. fa menzione il Saraina nell' Istoria. Imperio d'amici, e vivo desiderio di molti, hanno finalmente ottenuto, che si rammenti qui ancora l'azione di lancia, e corsa all' anello, quale con quell' apparato, che fu dal tempo permesso, si fece nell' Arena il dì 20. Novembre dell' anno 1716. per la venuta in Verona dell' inclito Principe al presente Elettor di Baviera. La pioggia, che per disgrazia perseverò in quel giorno ostinata benchè minuta, nè impedì l'operazione, nè tolse gran numero di spettatori. Figura di Mastro di Campo vi fece il Conte Cozza Cozzi Cavallerizzo che pochi pari ha avuto in così nobil arte, e che da più Principi è però stato onorato, e richiesto. Giudici eran deputati il Marchese Ottaviano Spolverini, il Conte Gomberto Giusti, il Marchese Gio. Carlo Malaspina, il Conte Ricciardo Sanbonifacio.

Actores fuere.

Co: Junius Pompejus
Co: Albertus Pompejus
Marchio Scipio Maffejus
Co: Afcanius Maffejus
Co: Alexander Sanbaftianius
Co: Æmilius de Æmiliis Eq. Melitenfis:
Co: Rambaldus Rambaldius
Co: Francifcus Rambaldius

Patrini.

Co: Hieronymus Allegrius
Co: Hieronymus Rambaldius
Co: Hieronymus Pompejus
Dnus. Jacobus Braida
Co: Cajetanus Bevilaqueus
Marchio Hieronymus Spolverinius
Marchio Antonius Sacramofius
Dnus. Bertoldus Peregrinius.

A

B

Attori furono

Conte Giugno Pompei
Conte Alberto Pompei
Marchefe Scipione Maffei
Conte Afcanio Maffei
Conte Aleffandro Sanbaftiani
Conte Emilio Emilii Cav. di Malta
Conte Rambaldo Rambaldi
Conte Francefco Rambaldi

Padrini

Conte Gerolamo Allegri
Conte Gerolamo Rambaldi
Conte Gerolamo Pompei
Sig. Giacomo Bra
Conte Gaetano Bevilacqua
Marchefe Gerolamo Spolverini
Marchefe Antonio Sagramofo
Sig. Bertoldo Pellegrini.

FINIS LIBRI PRIMI.




DE
AMPHITHEATRIS, AC PRÆCIPUE DE VERONENSI
LIBER SECUNDUS.

DEGLI
ANFITEATRI E SINGOLARMENTE DEL VERONESE
LIBRO SECONDO.

CAPUT PRIMUM.
Sternitur via ad ejusmodi ædificiorum descriptionem.

CAPO PRIMO.
Si fa strada alla discrizione di così fatti edifizj.




Xposita Amphitheatrorum Historia, ad examinandam eorundem structuram gradum faciemus. Parum referret ædificii cujuspiam, de quo agitur, extrinsecas quasdam notitias acquirere, ipsam vero formam, atque opus ignorare: neque ullum manaret emolumentum in illam magistram artium Architecturam, quam totam Antiquis acceptam referri oportet. Non ignoro, curam hanc, laboremque meum supervacaneum, atque inutilem prima fronte judicatum iri: tam multi enim sunt Antiquarii, tam multi Architecti, qui materiam hanc tractavere, ac tam multæ tamque amplæ ac sumptuosæ Amphitheatrorum delineationes in publicum editæ, ut nemo non habeat pro certo, nihil reliqui mihi fore, nisi, quod est in more positum hac ætate, quæ ab aliis dicta sunt, referre, atque describere. A quo tamen tantum absum, ut statim ab initio affirmare, Reique publicæ litterariæ recipere debeam, (quod sine injuria & offensione illorum, qui hac de re scripserunt, dictum volo) de interna Amphitheatri structura vel nihil hactenus dictum fuisse, vel prope nihil, delineationesque, quæ circumferuntur, plerumque internas, ac principes Amphitheatri partes perpe-

A


Opo l' istoria de gli Anfiteatri ne passeremo a esaminar la struttura. Piccol frutto sarebbe, ove d' un edifizio si tratti, averne estrinseche notizie, e non intenderne la forma, nè l' artifizio; e niun giovamento ne ritrarrebbe la maestra dell' arti, cioè l' Architettura, che tutta a gli Antichi si dee. Io ben so, che soverchia cura, e inutil fatica sarà giudicata a primo aspetto la mia; poichè tanti sono gli Antiquarii, tanti gli Architetti, da quali si è trattata questa materia, e tante, e così ampie, e fontuose sono le

B

delineazioni publicate de gli Anfiteatri, che ognuno terrà per certo, altro non potersi per me fare, che ridire il detto, e ricopiar di nuovo, come in oggi è uso. Ma tanto son' io lungi da ciò, che mi trovo all' incontro costretto d' assicurare nel bel principio, con tutto rispetto a chi per lo passato n' ha scritto, la letteraria Republica, come dell' interna struttura dell' Anfiteatro poco o nulla si sa finora; e come i disegni, che vanno in giro, servono per lo più solamente a far concepire la cosa nelle parti interiori e più essenziali a rovescio. Strano rassembra a molti, ch' io osi dir tal volta, co-

ram exhibere. Mirum videri multis solet, quod identidem pronunciare non dubito, oportere totam Antiquitatem refici; quam vere tamen id a me dici consueverit, ex hac brevi tractatione fas erit intelligere. Liceat mihi, cum quartum jam, atque adeo Italiæ quintum vertatur reparatarum bonarum artium sæculum, liceat inquam ea, qua uti me in omnibus par est, modestia dicere, oportere demum in quibusdam studiis ulterius progredi; ac demum de medio tolli morem describendi aliena, ac habendi magno in pretio libros non tam quia res ipsæ ad severam trutinam revocatæ ad veritatem viam sternunt ac ducunt, quam quia pretio commendantur, atque ex peregrino cælo advehuntur, præsertim si magnæ molis speciem præseferant, qui tum demum æstimantur plurimi, cum sumptuosi ornatus instar esse possunt: quo sane more nullus alius perniciosior litteris unquam fuit.

Lapidea Amphitheatra forma structuræ non differebant, ut Templa, sed ita conveniebant inter se, ut si unum modo integrum superesset, ex eo explicari omnia possent. Sed quoniam tam præclare actum nobiscum non est, venari notitias Amphitheatrorum oportet ex ipsis reliquiis, Romani præsertim, ac Veronensis, cum duo hæc cæteris magnificentia præstent, & ab injuriis temporum felicius vindicata fuerint, quorum alterum faciem, alterum viscera, ut ita dicam, hujusce corporis exhibet. Mira scripta sunt de Capuensis Amphitheatri magnificentia, cum qua tamen parum apte convenit, quod apud unum ex ejus principibus laudatoribus legimus, videlicet, interiorem ejus partem non lapideam fuisse, sed lateritiam. Utut res tamen sit, quæ ex eo supersunt, reliquiæ tam exiguæ sunt, ut in hac re, quam præ manibus habemus, nulli usui esse possint. Conspicitur illud quidem in pluribus editis Tabulis integrum; sed, ut solet, pura putaque imaginationis opera absolutum est. Ab omni detrimento plane immune prædicatur Nemausense; sed simul tamen nemo inficiatur, nullam in eo internarum partium superesse; immo vero certo sciri nequit, an fuerit Amphitheatrum, ut alibi innuimus. Ad Romanum ergo ac Veronense opus est confugere, atque ad Veronense in primis: quod enim maxime interest, & quod summam difficultatis complectitur, illud est, ut internam Amphitheatri structuram, atque scalarum viarumque anfractus, quorum causa Labyrinthorum nomen Amphitheatris inditum aliquando est, cognoscamus: quod ex Romano percipi nequit, in quo partes illæ desiderantur. Hinc videamus, quid certi constituere potuerint illi, qui fuse de Amphitheatro scripserunt, neque tamen nostrum hoc Veronese, quod unice poterat facem præferre, suismet oculis unquam inspexere. Illud etiam curandum omnino erat, ut Romæ in parte Amphitheatri interna effoderetur humus, atque internarum forium depressiorumq; adituum pes detegeretur, de quibus temere nemo non verba fecit: neque enim alia ratione subterraneæ partes, antiqua forma, carceres in præsentia humo obruti, aliequæ id genus res plures cognosci poterant. Qua neglecta cura quisque in id potius incubuit, ut quæ ab aliis ante conscripta fuerant, describeret, accuratoque labore earum partium, quæ amplius non extant, & quæ nemo novit cujusmodi essent, formas delinearet. Justi Lypsii in primis formam amplexi omnes sunt, qua is Coliseum expressit ea partium figura ac distributione, qua, cum integrum esset, præditum fuisse judicavit. Parum tamen feliciter excogitatum hic patebit esse quidquid de suo Lipsius apposuit, idest quidquid in illa deformatione conspicitur, si porticus, sive mesaulas orbiculares, a Serlios in deformatione colisei a se facta jam memoratas excipias.

Montf. Ant. t. 3. p. 258. Diar. It. c. 22.

A *me l'Antichità avrebbe bisogno d'esser rifatta tutta; ma da questo breve Trattato se ne potrà forse prendere alcun saggio. Siami lecito dire, senza dipartirmi punto da quell'umiltà, in cui per ogni conto contener mi debbo, che correndo già il quarto secolo, anzi per l'Italia il quinto, dal rivivere delle buone lettere, sarebbe oramai tempo in certi studj d'andare innanzi; e dovrebbe una volta aver termine il ricopiare, e il desumer la riputazione, e il merito de' libri, non dall'esame intimo delle cose, nè dal condurre al vero, ma dal costo, dal venir di lontano,* B *e sopra tutto dall'estensione, allor solamente apprezzandogli, che possono far figura di ricchi addobbi; del qual costume niun altro è stato più mortale alle lettere.*

Gli Anfiteatri di tutta pietra non furon varii nella costruzione come i Tempj, ma tanto uniformi, che se un solo n'avessimo intero, si potrebbe render ragion di tutti. Poichè però non siam sì felici, bisogna rintracciarne la notizia dalle diverse reliquie, e singolarmente del Romano, C *e del Veronese, per esser questi due i più magnifici, e i più conservati, mentre da uno si ha la faccia, e dall'altro le viscere, per dir così, di tal corpo. Gran cose sono state scritte della sontuosità del Capuano, alla quale però mal converrebbe ciò, che in uno de' suoi maggior celebratori si legge, cioè che l'interior di esso non fosse di pietra, ma laterizio. Comunque sia però, sì poco è quanto ne rimane, che al nostro intento non serve. Vedesi veramente intero in più stampe, ma secondo l'uso per mero lavoro d'immaginazione. Conservatissimo si predica quel di Nimes, ma si confessa nell'istes-* D *so tempo che niente ha delle parti interne; anzi come accennai, non si può per anco aver' intera certezza, che Anfiteatro fosse. Al Romano dunque forza è ridursi, ed al Veronese; ma al Veronese singolarmente: perchè la difficoltà consiste nell'intendere la struttura segreta, per dir così, e i rigiri delle scale, e delle vie, che fecero ne' mezani secoli chiamar gli Anfiteatri Laberinti; al che poco sussidio presta il Romano, in cui quelle parti non sussistono. Si arguisca da questo, quanto potessero accertar coloro, che dell' Anfiteatro più diffusamente hanno scritto, non essendo venuti a studiar sul nostro,* E *che unicamente potea dar lume. Diligenza ancora assolutamente necessaria era lo scavare a Roma interiormente, e scoprire il piè delle interne porte, e de' più bassi ingressi; de' quali ognuno ha parlato a caso: nè in altro modo poteasi acquistar notizia del sotterraneo, nè del piano antico, nè delle prigioni ora interrate, nè di più altre parti. In vece di tutto questo ognuno ha preso a trascriver gli anteriori, ed ha posto lo studio maggiore nel mettere in disegno quelle parti, che più non sono, e che niun sa come veramente fossero. Abbracciato* F *fu singolarmente da tutti il disegno di Giusto Lipsio, con cui rappresentò il Coliseo nella forma, ch'egli giudicò avesse internamente, quand' era in essere. E pure molto poco fortunatamente pensato si conoscerà qui tutto ciò, ch'egli vi pose di suo, cioè a dire quanto in esso disegno si mostra, a riserva de' portici, o corridori circolari, additati già nella sua pianta dal Serlio.*

Non deerit qui miretur putare me, supeesse adhuc aliquid in hac materia dicendum post recens editum apud Transalpinos librum viginti amplissimis Tabulis, a Romano Architecto elaboratis, ornatum, ut ob oculos Coliseum, ejusque partes singulæ ponerentur; & qui vereatur, ut aliquo plausu excipiatur hoc opusculum cum suis hisce diminutis figuris, in publicum jam emisso ingenti illo volumine, in quo nihil est non accurate absolutum. De Auctore nihil ego dicam aliud in præsentia, nisi commendabile admodum ingenium ac laborem ejus videri; quod errores in libris de hac re conscriptis frequentissimos evitet, quod ea prudenter missa faciat de quibus nihil attinet agere, quod bona multa habeat, quod in quibusdam partibus ejus opus poterat esse satis utile: sed ab Auctore res ad exitum perducta non fuit, immo vero inchoata remansit; quodque pejus est, exemplar libri, quem par erat Romæ diligenter expendi, ac manum ultimam a quopiam Auctoris discipulo accipere, emptum a Transalpinis, nescio cujus impensis & cura typis commissum est; præterea pluribus in locis, uti constat ex dictato, ab aliena manu immutatum est atque suppletum; ut proinde, præter errores plures, quibus verba mutuo unum in aliud transformantur, ac sensus mutatur, præter loquendi modum, cui sæpe quænam sit subjecta sententia vix licet intelligere, præter loca per errorem adducta, ac perperam expressa, præter alia innumerabilia inscite dicta, ut cum legimus Theatrum Pompeii *sub Philippo Macedone* conflagrasse, atq; a Senatorum tergo *quatuordecim equitum ordines sedisse*; præter hæc inquam omnia, quod ad artem Architectonicam pertinet, ejusmodi errores inveniantur, in quos nemo ejus artis peritus potuisse videtur labi; nam cum doceat Vitruvius gradus, exempli causa, in quibus in Theatro considebant spectatores, non minus altos esse oportere *palmopede*, in hoc libro legimus, placere Vitruvio, fieri eosdem gradus altos *uno palmo*, atque id ea voce *palmopede* significari. Sed præter ridiculam incongruentiam rei, etiamsi Auctor libri latinam linguam non calluisset, Italica Danielis Barbari interpretatio sic textum Vitruvianum vertit: *non siano men' alti d' un palmo e d un piede*; ac pergit, *nè più d' un piede e sei dita*; probe perlecto integro illo loco, quem depravatum refert Lipsius. Verum errores hosce non esse Fontanæ ipsi tribuendos tum plane intellexi, cum ad meas manus pagellæ nonnullæ, superstite adhuc Fontana, ex ejus opere descriptæ pervenerunt; ex quibus novi, recens editum librum ab ejus tum mente, tum dictato magnopere differre.

p. 13. & 23.

Vitr. l. 5. c. 6.
Font. p. 93.

Lips. Amph. c. 13.

Illud notandum hoc loco est, nemini hactenus recentium sive Auctorum, sive collectorum librum quendam innotuisse, qui unus est, in quo de intrinseca Amphitheatri œconomia ac distributione dictum aliquid fuerit. Libro præfixus est titulus; *Discorsi sopra le Antichità di Roma di Vicenzo Scamozi Vicentino*; qui quidem liber editus est Venetiis ann. 1583. ex quadraginta Tabulis, in quibus expressa Romana monumenta antiqua sunt, quindecim ad Amphitheatrum pertinent. Paucis illis verbis, quæ Tabulis singulis præfatur Scamozius, ea de viis, de scalis, de luminibus attingit etsi leviter, quæ nemo hactenus vel intellexit, vel investigavit; atque ego quidem pro certo habeo futurum fuisse, ut absolutissimum opus perficeret, si ad Arenam nostram accurate expendendam diligenterque perlustrandam se contulisset, si ad hanc rem studium convertisset, deformationesque suas in hunc finem delineasset. Sed formæ illæ, quas ipse explicat, cum prius ab

A *Non mancherà chi si maravigli del creder'io, che resti ancora alcuna cosa a dire in questa materia, dopo il libro stampato di fresco di là da' monti con venti sontuosissime tavole, da Romano Architetto lavorate, per metter dinanzi a gli occhi il Coliseo a parte a parte, nè saprà intendere qual riflessione meritar mai possa quest' operetta con le sue tronche figure, a fronte di quel grandissimo volume, dove tutto si rappresenta perfetto. Di quel degno uomo altro non dirò per ora, se non che molto commendabile fu il genio suo, e la sua fatica, lasciando il difetto a' libri di tal professione assai frequente, di voler entrare dove non appartiene,*
B *buone cose ha, ed assai utile potea riuscire in alcune parti: ma non ebbe da lui l'ultima mano, anzi rimase imperfetta; e quel ch'è peggio, in vece d'esser riveduta in Roma, e condotta a termine da qualche suo discepolo, comperato da persone oltramontane l'originale, fu data fuori non si sa da cui; e in oltre, come in più luoghi dal dettato appare, ritoccata, e supplita da straniera mano; per lo che oltre a i molti errori, che trasformano d'una in altra le parole, e mutano il senso, oltre al linguaggio che talvolta mal s'intende, oltre all' erronee citazioni, e malamente espresse, oltre a*
C *semplicità infinite, e mirabili, come dove leggesi, che il Teatro di Pompeo s'incendiò* sotto Filippo Macedone, *e che dietro a' Senatori* sedevano li quattordeci Ordini de' Cavalieri; *oltre dico a tutte queste cose, in materia architettonica ancora errori ci si trovano, che non posson mai credersi d'un professore: perchè insegnando a cagion d'esempio Vitruvio di fare i gradi, sopra i quali si sedea ne' Teatri, alti non meno d'un* palmopiede; *leggesi in questo libro, voler lui, che si facciano alti un* palmo,
D *e tanto significar quella voce; quando oltre all' incongruità ridicola, s'anche l'Autore non avesse inteso il Latino, la versione volgare di Daniel Barbaro rende,* non siamo men' alti d' un palmo, e d' un piede; *e segue,* nè più d' un piede e sei dita, *bene avendo letto l'intero di quel passo, cui deformato riporta Lipsio. Ma che non siano del Fontana i sudetti errori, mi son del tutto persuaso nell' essermi arrivati alcuni pochi fogli copiati mentr' egli era ancora in vita dalla sua Opera; poichè riconosco da questi, molto diversa dalla sua intenzione, e dal suo dettato esser la stampa ora divulgata.*
E

E' da notare, come niuno de' moderni Autori, o raccoglitori, ha avuto cognizione d'un libro, ch'è l'unico, in cui si sia fatto motto dell' intrinseco ripartimento, e distribuzione dell' Anfiteatro. Ha per titolo Discorsi sopra le Antichità di Roma di Vicenzo Scamozi Architetto Vicentino, *e fu stampato in Venezia nel* 1583. *Delle quaranta Tavole di esso, in cui le*
F *Romane Antichità si mostrano, quindici son consacrate all' Anfiteatro. Nelle poche parole, che a ciascuna d'esse lo Scamozio premette, delle vie, delle scale, de' lumi cose si toccano benchè leggermente, non intese, nè indagate finora dagli altri; ed ho per certo, che compita opera ei facea, se veniva a ricercar minutamente, e ad osservar con diligenza l'Arena nostra, e se ordinava con questo fine i disegni, e gli adattava a tale intenzione. Ma quelli, che da lui si spiegano, essendo stati prima fatti da un Pittore, e per servire a chi dipin-*

aliquo pictore confectæ essent, ut iisdem tanquam exemplaribus uterentur, qui locorum prospectus, regionumque situm pennicillo describunt, quemadmodum ex ipsis colligitur, atque in Nuncupatione significatur, vix alium usum habere possunt, & obscura, parumque fructuosa reddunt, quæ de hac materia dicuntur.

Illud notatu etiam dignius, apud Recentes plerumque neque in pretio haberi, neque commemorari Sebastianum Serlium Bononiensem Architectum, qui ducentis fere ab hinc annis optimam antiquorum ædificiorum collectionem vulgavit; qua in re magister atque antesignanus extitit cæterorum. Peculiari studio is incubuit in Amphitheatra, inter quæ in suis libris Romanum, Veronense, & Polanum, icnographia, orthographia, sciographia recta sectione laterum partium que aliarum deformatione exhibita expressit. Etiam Leo Baptista de Albertis Florentinus de gradibus ac præcinctionibus Theatrorum, quæ cum Amphitheatris hac in re conveniebant, ducentis & amplius abhinc annis multo melius, quam recentiores scriptores soleant, verba fecit. Serlium, quantum ad Amphitheatra, aliasque ædes, sive ædium reliquias pertinet, plurimi facere visus est unus Desgodetius; qui etsi accuratiore diligentia errores plerumque circa mensuras, typographorum incuria natos emendaverit, ejus tamen vestigia constanter sequenda putavit. Præcipua laude inter externos omnes Auctores dignus est Gallicus ille Architectus, quippe qui scite, fideliterque antiqua monumenta deformavit, quin aliquid adderet de suo, & quin quæ ipse forte confingeret, tanquam vera & antiqua venditaret. Plurimum etiam ipsi debere nos fatendum est, quod ab eo architectonicas quatuor Colisei ordinum partes magnis formis, accuratisque mensuris diligenter expressas accepimus.

Tabulæ Amphitheatri Capuensis ex pictura quadam descriptæ sunt, quam Archiepiscopus Cæsar Costa (is Legum scientiam Baronio tradidit) Amphitheatrum illud in suis ædibus delineandum curavit, ea tamen ratione, qua confectum fuisse ipsemet opinatus est: neque enim quidquam aliud in ea deformatione lumen aliquod poterat afferre præter duos inferiores arcus, qui etiam hodierna die a temporum injuriis immunes conspiciuntur. Hinc in *Antiquitate explicata* Amphitheatrum hoc pluribus januis in quarto ordine præditum visitur, ubi nullum omnino habere locum aditus illi possunt; a qua multum differt altera illa ejus delineatio in libro Canonici Mazochii expressa. Ex ea temere conficta pictura manavit etiam Tabula ejusdem Amphitheatri a P. Vitali Clerico Regulari Capuensi in suo Lexico Mathematico indicata. Amphitheatrum Nemausense cælandum curavere Joannes Poldus, Grasserus, ac Lipsius tum in pagina soluta, tum in Athlante urbium Galliæ edito an. 1706. ac nuper in *Antiquitate explicata*, & Gautierus, sed ex Tabulis hisce omnibus externam solum ejus molis faciem & structuram nosse licet. Veronensis quoque Arenæ eodem, quo Serlius, tempore deformationes vulgare cæperunt Torellus Saraina Historicus, ac Joannes Carotus Pictor; sed icnographiam modo & orthographiam ediderunt. Atque hactenus res cum veritate consensit: sed post hos Æneas Vicus Arenam deformavit in Tabula perampla, eamque Duci Cosimo II. dicavit, in qua simul externam, atque internam extructionem, sectionem, & orthographiam conjunxit; sed de ingenio externum ambitum triplici distinctum ordine, & porticum supra gradus, ac demum Flaminii Consulis Inscriptionem adjecit. Tabula hæc edita iterum est an. 1560. Romæ, curante Pyrrho Ligorio typis Lafrerii; & quoniam res fictæ probari magis, quam veræ solent, magisque placere populo Romanenses fabulæ, quam Historiæ,

tom. 3. Tab. 149.

in v. Theatrum.

ge prospettive, e paesi, come in essi si riconosce, e nella Dedicatoria si accenna, ad altro poco servono, e rendono oscuri, e di piccol frutto in tal materia i Discorsi ancora.

E' ancor più notabile, come i moderni d'ordinario nè conto, nè menzion fanno di Bastian Serlio Architetto Bolognese, il quale ha poco meno di dugent' anni, diede fuori un' ottima raccolta degli edifizj antichi, e fu in ciò maestro, e quasi modello d'ogni altro. Pos' egli distinta cura negli Anfiteatri, avendo rappresentati ne' libri suoi quelli di Roma, di Verona, e di Pola, e datene piante, prospetti, spaccati, profili, e parti. Anche Leon Battista Alberti Fiorentino de' gradini, e delle precinzioni de i Teatri, che in questa parte agli Anfiteatri si uniformavano, più di dugencinquant' anni fa parlò assai meglio, che ne' recenti volumi non si suole. Al Serlio in proposito dell' Anfiteatro, e nell' altre fabriche ancora, o reliquie, onor fece unicamente il Desgodetz; perchè se bene con ulterior diligenza andò emendando errori per lo più di misure, forse dalle poco accurate stampe nati, seguì però di continuo i vestigi suoi. Distinta lode fra gli stranieri tutti merita quel Franzese Architetto, perchè disegnò le Antichità con intelligenza, e con verità, senza fabricar di suo, e senza dar sue fantasie per cose reali, ed antiche. Molt' obligo dobbiamo avergli ancora per averci date le parti architettoniche de' quattr' ordini del Coliseo in grande, e in misura con molta esattezza.

Le stampe dell' Anfiteatro di Capua sono state prese da una pittura, che l'Arcivescovo Cesare Costa (fu Maestro in legge del Baronio) ne fece fare nel Palazzo, rappresentandolo qual si pensava che fosse stato, e senza averne maggior lume, che delli due archi inferiori, quali anche in oggi si veggono conservati. Però nell' Antichità Spiegata *vedesi con più porte nel quarto piano, che sono affatto fuor di luogo; e molto diverso figurasi nel libro del Canonico Mazochio. Da quella immaginaria pittura venne anche la Carta di tale Anfiteatro indicata dal P. Vitali Cherico Regolare Capuano nel suo Lessico Matematico. Quel di Nimes fu fatto intagliare da Giovanni Poldo, e dal Grassero, e da Lipsio, e in Carta volante, e nell' Atlante delle Città di Francia stampato nel 1706. e ultimamente nell'* Antichità Spiegata, *e dal Gautier; ma non s'impara da tutte queste Carte se non l'esteriore. Dell' Arena Veronese nell' istesso tempo del Serlio diedero mano a publicar disegni Torello Saraina Istorico, e Giovanni Caroto Pittore, ma non diedero che prospetto, e pianta. Fin qui si stette dentro i termini della verità; ma dopo questi Enea Vico gran Rame ne intagliò, dedicato al Duca Cosimo II. unendo insieme alzato esteriore, e interiore, e sezione, e pianta; ma di capriccio vi aggiunse l'esterno recinto in tre ordini, e un portico sopra i gradi, e per compimento l'iscrizione di Flaminio Console. Fu questa carta replicata nel 1560. in Roma con l'assistenza di Pirro Ligorio da i torchi del Lafrerio: e perchè il finto suol riportar più applauso del vero, e più graditi al popolo esser dell' Istorie i Romanzi, questa fu*

factum est ut Tabula illa plurima consensione exciperetur, cum omnibus signis suis a Lipsio accurate describeretur, & tractationi de Amphitheatris extra Romam insereretur, deinde ab eo susciperetur, qui posthumum opus Panvinii de Veronensibus Antiquitatibus in lucem emisit: verbo dicam, Tabula illa tanquam exemplari usi sunt, atque uti solent ii omnes, qui oculos populi oblectare Amphitheatri Veronensis deformatione volunt; immo vero deformatione etiam Amphitheatrorum aliorum: siquidem non defuere, qui illam describerent, ut Amphitheatrum Augustodunense referrent. Haud ita se gessit Desgodetius, qui inter antiqua monumenta, quæ extra Romam sunt, soli Veronensi Arenæ locum in suo libro concessit. Hanc ipse suismet oculis contemplatus est, eamque deformatam typis quater commisit, in cujus Tabulis quædam expressa sunt multo melius, quam in formis antea editis fuerint. Res tamen illi successit non omnino feliciter, ubi ea, quæ difficiliora sunt, quæque ad internam partium distributionem maxime pertinent, animo concipienda, atque explicanda fuerunt. Quod attinet ad exteriorem interioremque faciem laudabilis, cæterisque multo amplior est Tabula Veronæ an. 1696. edita a Valentino Maserio, Arenæ ejusdem curatore studioso ac perito, in qua etiam & prudenter dictata sunt, quæ infra exponuntur, & perite deformata, quæ ornamenti causa adduntur: verba apposita fuere a Doctore Josepho Morando Medico perillustri; deformationem elaboravit noster Ludovicus Dorignius. Delineationes, quibus conatus sum in hoc libro per singulas partes, & multiplici aspectu idem Amphitheatrum, ejusque non antehac exploratam structuram internam, ex qua Romani etiam & alterius cujuscumque structura potest animo concipi, exhibere, egregie deformatæ sunt a Cl. Xaverio Avesanio cive Veronensi, qui in postremo adversus Turcas bello, munere insignitus publici Machinatoris præ reliquis laude excelluit. Formas cælavit Franciscus Zucchius.

v. Ant. Spieg. tom. 3.

abbracciata universalmente, e con tutte le sue statue puntualmente fatta copiare da Giusto Lipsio, e inserta nel suo Trattato de gli Anfiteatri fuor di Roma; indi da chi diede fuori l'Opera postuma del Panvinio sopra le Antichità Veronesi; e in somma servì, e suol servir d'esemplare, a chi vuole appagar gli occhi popolari con la veduta del nostro Anfiteatro; anzi d'altri ancora, mentre l'istessa è stata pur ricopiata per rappresentare l'Anfiteatro d'Autun. Ma non così il Desgodetz, il quale delle antichità, che son fuor di Roma, all'Arena Veronese unicamente diede luogo nel suo libro. Osservolla egli personalmente, e ne fece quattro stampe, nelle quali alcune cose sono assai meglio rappresentate, che ne gli anteriori disegni. Non fu però felice nell'intendere il più scabroso, nè in comprender ciò che all'interna distribuzione più rileva. Per quanto è della veduta esteriore, e dell'interiore, molto lodevole, e più in grande d'ogni altra, è la Carta publicata in Verona nel 1696. da Valentino Masieri, suo intelligente e innamorato custode, nella quale ancora ben dettato è ciò che sotto si espone, e ben disegnato quanto per ornamento si aggiunge: le parole vi furon poste dal Dottor Giuseppe Morando insigne Medico; il disegno fu del nostro Lodovico Dorignì. Le delineazioni, con le quali mi sono studiato di rappresentare in questo libro a parte a parte, ed in varj aspetti lo stesso Anfiteatro, e la sua non più investigata interna struttura, onde intender si possa anche quella del Romano, e d'ogni altro, sono state nobilmente eseguite dal Signor Saverio Avesani Cittadin Veronese, che nell'ultima guerra col Turco in grado di publico Ingegnere si è fra gli altri singolarmente distinto. L'intaglio è del Sig. Francesco Zucchi.

CAP. II.

Dimensiones Arenæ & Colisei, ac primæ externarum partium notitiæ.

Molis figura tam externa, quam interna ovalis est. Quæ primum ego dimetienda curavi, fuere duo ellipsis axes, atque ambitus peripheria. Summa igitur longitudo a primo ingressionis arcu ad arcum oppositum, complectebatur pedes Veronenses 450. summa vero latitudo pedes 360. Longitudo areæ intra murum, quo circumscribebatur, desumpta numerat pedes 218. & uncias sex, latitudo autem pedes 129. Peripheria externa, seu primus ambitus, erat pedum 1290. Pes Veronensis accurate tertia parte Romanum Architectorum palmum excedit.

Coliseum, ut refert Fontana, longum erat pedes Veronenses 564. latum vero pedes 467. Area ejus longitudinem habebat pedum 273. latitudinem vero pedum 173. Ambitus complectebatur pedes 1566. Præclara Alexandri Specchii Architecti Tabula Romæ edita an. 1703. longitudini interiori tribuit pedes 300. ac latitudini pedes 203. sed tota ratio discriminis ex eo nascitur, quod Fontana quidem, ut par erat, dimensionem instituit intra murum Podii, quod in præsentia obrutum humo est; Specchius vero dimetiendi initium fecit a vestigiis ambitus, qui proxime sequitur.

Altitudo Romani Amphitheatri, ad quam in-

CAPO SECONDO.

Misure totali dell'Arena, e del Colifeo, e prime notizie dell'esteriore.

La figura dell'edifizio, così esterna come interna, è ovale. Le prime misure da me fatte prendere sono state delli due assi dell'elissi, e della linea del contorno. La somma lunghezza adunque dal primo arco d'ingresso all'altro, era di piedi Veronesi 450. La somma larghezza di piedi 360. La lunghezza del campo, ch'è nel mezo, o sia della piazza, presa dentro il muro che la circoscriveva, è di piedi 218. once sei, la larghezza di 129. La circonferenza esteriore, o sia il primo recinto, era di piedi 1290. Il piè Veronese cresce per l'appunto un terzo del palmo Romano de gli Architetti.


Il Coliseo secondo l'asserzion del Fontana era lungo piedi nostri 564. largo 467. Il campo di esso lungo piedi 273. largo 173. Il circuito fu di piedi 1566. La bella Carta d'Alessandro Specchi Architetto stampata in Roma nel 1703. fa la lunghezza interiore di piedi 300. e la larghezza di 203. Ma tal diversità nasce dall'avere il Fontana misurato, com'era dovere, dentro il muro del Podio, ch'or resta sepolto, e lo Specchi da i vestigj del susseguente giro.

L'altezza del Romano Anfiteatro, che disse Ammia-

A quit Ammianus oculorum aciem vix ac ne vix quidem pertingere potuisse, major est pedibus 140. relatis in hunc numerum illis octo ferme, quos jam humus a rusticis essedariis illo comportata atque exaggerata obtexit. Augebat adhuc altitudinem ambitus quidam ex lapidibus supremæ coronæ impositus, cujus fragmenta plura trium ferme aut quatuor palmorum hic atque illic in summitate supersunt; eandem augebat ornamentum illud supra commemoratum ambitum, quod in hac nostra deformatione observare licet; augebant denique tres lati ac depressi gradus, qui in parte ima Amphitheatrum circum ambiebant, & per quos ad primos aditus ascendebatur. B Eadem ratione credibile est & Arenam nostram fuisse in ima parte gradibus coronatam, quo primæ porticus pavimentum viarum exteriorum plano aliquanto altius extaret. Altitudo, quæ superest hac ætate, acceptis sex illis pedibus, qui sunt infra terram depressi, pedes octoginta octo complectitur. Addito quarto ordine, de quo dubitare non licet (conspiciuntur enim supra tertium lapides, ex quibus prima, ut ita dicam, fasciat & pars etiam secundæ cum duarum columnarum planarum initio componebatur) altitudo minor esse non poterat, quam quæ pedes centum & decem, aut C centum & viginti ferme complecteretur. Gradus, quos nunc habemus, sunt 45. excepto primo, quem injecta humus cooperuit, pariterque excepto loco, quem vomitoria & scalæ occupant, sedere in illis commode possunt vigintiduo millia hominum, designato singulis spatio unius pedis cum dimidio.

l.16.c.10.

se Amiano superava le forze dell' umana vista, cresce di piedi 140. computati gli otto in circa, ch' ora se ne perdono per l' alzamento del terreno, villanamente portatovi da carrettieri. Restava più alto ancora per un giro, o sia mano di pietre sopra il cornicione ultimo, di cui più pezzi di palmi tre in quattro pur rimangono qua e là nella cima; e per l' ornamento sopra esso giro, che si può osservare nel nostro disegno: parimente per tre larghi, e bassi gradini, che da piede lo circondavano intorno, e per li quali ascendevasi a' primi ingressi. In consimil modo è credibile fosse contornata l' Arena nostra; affinchè il pavimento del primo portico rimanesse superiore al piano delle strade di fuori. L' altezza, ch' or ci resta, è di piedi ottantotto, computati i sei, che ne restan sepolti. Aggiunto il quart' ordine, di cui non si può dubitare, perchè veggonsi sopra il terzo le pietre, che ne formavano la prima fascia per così chiamarla, e parte della seconda col principio di due colonne piane, non potea l' altezza esser minore, che dalli cento dieci alli cento venti piedi. I gradi che al presente abbiamo, son 45. Debattuto il primo ch' è interrato, e debattuto altresì l' importar de gli sbocchi, e delle scalette, vi possono star comodamente a sedere ventidue mila persone, assegnando a ciascheduna un piede e mezo di spazio.





T. IIII. *Prospetto e profilo del Coliseo.*

D Jam vero a primo ambitu initium facturus, qui quidem ambitus cum fere omnino dirutus in Arena nostra sit, &, quæ supersunt exiguæ reliquiæ, ipsæ quoque sint diminutæ, necessarium esse pu-

Or volendo far principio dal primo recinto, ed essendo questo presso di noi perito quasi del tutto, e mozzo anche quel piccol pezzo che ne rimane, ho creduto necessario met-

tavi ob oculos ponere orthographiam Amphitheatri Romani, cujus externa quædam pars forte contigit, ut prope nullum a temporum injuriis detrimentum pateretur, qua nullum aliud præſtabilius veteris magnificentiæ monumentum nobis relictum eſt. Cum in quatuor ordines digeſta moles ſit, quatuor Architecturæ genera, cum quadruplici columnarum ordine uſurpata ſunt: in duobus primis ordinibus columnæ extra pilas duabus tertiis diametri ſuæ partibus, in tertio vero ſemiſſe ejuſdem diametri extant; illæ autem, quæ in ſupremo ſunt ordine, planæ ſunt, & quadratæ: qua forma concinnior redditur in tanto intervallo ipſarum proſpectus. Primus, hoc eſt infimus ordo Doricus eſt ſine ſtylobate. Doricum certe dixere Architecti omnes. Prudenter Zophorum læve, ac ſine cælatura factum eſt tum ob ædificii genus, tum ob convenientiam cum ſuperioribus, cum liberum eſſe oporteat in uno etiam eodemque ordine, magis, minuſve ornatum illum facere. Non ita laude dignus habitus eſt Berninus, cum in magnifica orbicularis D. Petri plateæ porticu Zophorum Doricum pariter fingendum curavit ſine triglyphis, ac metopis: neque enim hoc loco quidquam erat in cauſa, cur tam pulcro ornatu Zophorum fraudaretur, neque diſtributionis difficultas negotium Bernino præſtanti Architecto faceſcere debebat. Quemadmodum Dorica nihilominus eſt porticus illa, ſic in Coliſeo, etſi Zophorum ſimplex ſit, Doricus dicendus eſt primus ordo, cum læve ſit ac nudum Zophorum tertii quoque ordinis, quem tamen nemo Corinthium non eſſe dixit: neque iccirco appellare Thuſcanicum primum poſſumus, cum deinceps quatuor ordines rite progredi iſthic conſpiciamus, & loco ſecundo Jonicum eſſe; cumque nihil ruſtici inſit in opere, neq; diviſiones, ſeu extantes lapides; & quoniam Dorica eſt baſis, quippe cum Thuſcanica præter abacum, non habeat niſi torum ſeu baculum, ac cingulum ſeu zonam; & quoniam Doricum eſt capitulum, cum admodum eleganter annuli, ſeu parvi gradus confecti in ipſo ſint, quibus potiſſimum genus hoc architecturæ a cæteris diſtinguitur. Secundus igitur ordo Jonicus eſt, Corinthius tertius, & quartus Romanus ſeu Compoſitus. Sic reliquos ſequutus ſcripſit etiam Scamozius, ubi de monumentis antiquis agit; etſi deinde in opere ſuo, propter novam de hoc Architecturæ genere opinionem, in Coliſeo ordinem quartum, uti tertium Corinthium eſſe affirmaverit. Et ſane capitula Corinthia ſunt, illiſque ſimilia, quæ in tertio ordine, quatuor volutis, ac duplici foliorum politorum ſerie diſtincta, etſi mutuli in Zophoro ordinem illum traducant ad Romanum, ut affirmavit Serlius, qui animadvertit propter eos mutulos effici, ut univerſa trabeatio unica corona videatur eſſe; ac propterea videri univerſum ædificium coronari, inquit etiam Deſgodetius. Similitudo, quæ inter proximos ordines, ut inter Romanum & Corinthium, inter Doricum & Thuſcanicum intercedit, atq; architecti licentia fingendi interdum aliquid in ipſis ordinibus de ingenio, in cauſa eſſe non debet, quare alii cum aliis confundantur.

P. 2, l. 6, c. 24.

Stipites, qui ſuperſunt, exhibent formam trabium, quæ rectæ menſulis circum in orbem conſtitutis inſiſtebant, quæque findentes epiſtylium, coronamque pertranſeuntes capitibus ſuis attollebant ac ſuſpendebant Velarium, quo ſpectatores protegebantur, de quo ſermo erit loco ſuo. Rem ita fuiſſe, evidenter colligimus ex iis cavis, quæ in mutulis extant, & in quæ immittebantur antennæ, atque ex foraminibus, quæ in corona reſpondent: neque vero alia ratione uti Velario

A *tere dinanzi a gli occhi un ſaggio del proſpetto dell' Anfiteatro Romano, quale ha per buona ſorte una parte dell' eſterno conſervatiſſima, ed è la più ſuperba reliquia, che dell' antica magnificenza ci ſia rimaſa. Eſſendo in quattro piani, vi ſi ſono uſati quattr' Ordini d' Architettura, con quattro mani di colonne a mezo rilevo; ne' due primi ordini, quaſi per due terzi fuor de' pilaſtri, nel terzo per la metà del diametro: le più alte ſon piane e riquadrate, il che molto meglio ſeconda l' occhio in tanta diſtanza. Il primo piano, cioè l' inferiore, è Dorico ſenza piedeſtallo.* B *Per tale l hanno riconoſciuto gli Architetti tutti. Saggiamente il fregio fu fatto liſcio, e ſenza intagli, sì per la qualità dell' edifizio, e sì per l' accordo co' ſuperiori, dovendo eſſere in libertà anche nell' iſteſſ' ordine di farlo più, e meno ornato. Non così meritò lode il Bernino, quando nel gran portico della piazza circolare di S. Pietro fece parimente il Fregio Dorico ſenza triglifi, e ſenza metope; poichè non era quivi ragione alcuna di privarlo di così bell' ornamento, e la difficoltà del comparto non dovea far paura a un Architetto come il Bernino.* C *Ma ſiccome Dorico con tutto ciò è pur quel portico, così nel Coliſeo, benchè ſchietto ſia il Fregio, altro che Dorico non dobbiam chiamare il primo piano, liſcio, e nudo eſſendo anche il fregio del terzo, che niuno con tutto ciò ha detto mai non eſſer Corintio: nè per queſto poſſiam dire Toſcano il primo, mentre veggiamo nel rimanente proceder quivi col ſuo grado i quattr' ordini regolatamente, ed eſſer per ſecondo l' Ionico; e mentre niente di ruſtico ha il lavoro, nè ſpartimenti, o bozze; e poichè Dorica è la baſe, non avendo la Toſcana oltre al zoccolo o* D *dado, ſe non toro o baſtone, e cinta o liſta; e poichè Dorico è il capitello, eſſendo anzi fatti con particolar grazia in eſſo gli anuli, o gradetti, che ne ſono il principal diſtintivo. Il ſecondo piano adunque è Ionico, Corintio il terzo, e Romano, o ſia Compoſito il quarto. Così con la comune ſcriſſe anche lo Scamozio ove delle Antichità; benchè poi nell' Opera ſua, per la nuova opinione intorno a queſt' Ordine, affermaſſe il quarto piano del Coliſeo eſſer Corintio come il terzo: per verità Corintii ne ſono i capitelli, e ſimili a quelli* E *del terz' ordine, con quattro volute, e due mani di foglie liſce, benchè i modiglioni nel Fregio lo facciano diventare ordine Romano, come l' affermò il Serlio, il quale oſſervò per detti modiglioni farſi tal' effetto, che tutto il Sopraornato vien' a raſſembrare una cornice ſola, e parer però, che ſe ne incoroni l' edifizio tutto, diſſe anche il Deſgodetz. La ſomiglianza, che hanno gli Ordini vicini, come il Romano, e 'l Corintio, e come il Dorico e 'l Toſcano, e qualche licenza che l' Architetto in eſſi ſi prenda, non gli dee far confonder tra ſe.*

F *Gli ſtipiti che ſopravanzano, figuran travi, quali poſavano in piedi nelle menſole, che ſi veggono intorno, e fendendo l' architrave, e trapaſſando la cornice, tenean ſollevato, e ſoſtentavano con le lor teſte il tendone, con cui ſi coprivano gli ſpettatori, di che parleremo a ſuo luogo. Che così foſſe, n' abbiam certezza dagl' incavi, che ſon ne' modiglioni, ne' quali ſi faceano entrar l'antenne, e da i fori, che corriſpondono nella cornice, nè ſi ſarebbe in al-*

licuisset. Ac rem sane sic animo concepit, atque expressit olim Barbarus quoque libro quinto, ubi de Theatro agit, cui trabes illas erectas, ac præterea zonam, de qua paulo ante dixi, supra coronam ille tribuit. Ego in mea deformatione illas veluti pinnas adjiciendas curavi in modum parvarum pyramidum elaboratas cum globulis superpositis; quod ornamenti genus perperam ab aliis prætermissum est, quippe quod in nummis omnibus delineatum licet conspicere. Neque solum ornatus hic elegantiam augebat operis ad finem concinne perducti, verum etiam addi necessario debere videbatur, quo firmius ingens corona consisteret, utpote qui ejusdem coronæ projecturam suo pondere libraret.


Quatuor iisdem ordinibus in parte externa constructum fuisse etiam Amphitheatrum Capuense, ajunt vulgo: verumtamen qui poterat id tam affirmate pronunciari, cum non innotuerint nisi arcus duo primi atque infimi ordinis? duo quippe solum supersunt; & cum, nulla ex partibus superioribus ab interitu servata, vix certo constare possit, an quatuor illi ordines aliquando extiterint? Nihil sane prohibet, quominus ædificium etiam in parte superiore eadem Architecturæ forma perfici potuerit, qua Veronense, Polanum ac Nemausense. De duobus arcubus, qui superfuere ex Amphitheatro Capuensi, quæri solet, fuerint ne structuræ Doricæ, uti putavit Sanfelicius, an Thuscanicæ, uti sentit Canonicus Mazochius. Si Architecturæ ordines accipiantur, ut vulgo solent, quæstio videri insolens poterit; sin vero considerentur, qua ratione ego quidem arbitror expendi debere, vel inter ipsos in arte peritiores homines credo facile nasci occasionem disputandi posse. Hinc Arenam Polanam Serlius appellavit Doricam, Thuscanicam Palladius. Davilerius Architectus Gallus Thuscanicam dicit Nemausensem, quam alii Doricam vocant: in Athlante vero Urbium Galliæ Thuscanica in parte inferiore constituitur, Dorica in superiore. Gaviorum Arcum, qui Veronæ extat, compositum dixit Serlius, Barbarus Corinthium. In Coliseo Doricus dicitur primus ordo: in eo tamen læve est Zophorum ac nudum; Corinthius tertius, nec tamen præter capitula cælaturas habet, aut ornamenta; quartus Compositus, & tamen capitula habet Corinthia, & tertii capitulis similia. Columnæ aliæ aliis impositæ non decrescunt juxta regulas, sed omnes ejusdem sunt crassitudinis; neque spatia arcuata, neque partes neque ornamenta, neq; moduli in ordinibus diversis eam proportionum varietatem habent, quæ ad essentiam creditur diversorum Architecturæ generum pertinere. Fontana post Orthographiam Colisei, partes, ut par erat, ampla forma descriptas dejectisque mensurarum numeris, & accurate delineatas nequaquam exhibet, idque ob eam causam, quod, inquit, illa architecturæ ratio oculis subjecta, cum membra habeat ob distantiam aucta, non satisfacit: sed hoc ipsum arti præclarum documentum erat. Fuit, qui observaret, in Coliseo non esse delicatius elaborata Corinthia capitula; sed ridiculum sane fuisset, in ea altitudine, atque in ea mole foliorum scalpturas ponere; quemadmodum ridiculum esset, desumpto hinc exemplo columnarum capitula in atrio aliquo lævia pariter facere ac sine cælatura. Quod ad dimensiones pertinet, atque ad partes, nihil judico superesse dicendum, cum genus indicatum est Architecturæ: sed videndum superest, num proportionum, & membrorum regula, quæ in Ordinibus constituta a quibusdam est, constanter fideliterque a Veteribus servaretur, an symmetriæ & modi in Ordine eodem variarentur pro diverso ædificiorum genere, pro Architecti judicio,

tro modo potuto far' uso della gran tenda. Così per l' appunto intese, e rappresentò già anche il Barbaro nel libro quinto, ove del Teatro, con le travi in piedi, e di più con quella fascia sopra il cornicione, di cui ho parlato poco fa. Io ho fatto aggiunger di più nel mio disegno quella spezie di merli, fatti a piramidette con palle sopra, quale ornamento nella cima male è stato tralasciato da tutti gli altri, mentre lo veggiamo concordemente nelle Medaglie tutte. Non solamente era grazioso per finimento, ma necessario per maggior sicurezza del cornicione, contrapesandone lo sporto.

Che fosse lavorato al di fuori con gli stessi quattr' ordini anche il Capuano, si asserisce comunemente; ma come poteasi affermar tanto, senza averne veduto più di due arcate del primo, e più basso piano, che sole restano? e quando niuna essendone conservata delle parti superiori, appena si può aver certezza, se i quattro piani vi fossero? Nulla osta certamente, che la fabrica non potesse procedere con l' istessi' ordine anche nel di sopra, come la Veronese, e quelle di Pola, e di Nimes. De' due archi conservati a Capua va in controversia, se sian Dorici, come gli stimò il Sanfelici, o Toscani, come gli giudica il Canonico Mazochio. Secondo l' idea che corre de gli Ordini, strana parrà cotal disputa; ma secondo quella, ch' io ne ho, credo poter nascere di leggeri anche tra più intendenti. Però l' Arena di Pola fu detta Dorica dal Serlio, Toscana dal Palladio. Daviler Architetto Franzese dice Toscana quella di Nimes, che gli altri Dorica: l' Atlante delle Città di Francia la vuol Toscana sotto, Dorica sopra. L' Arco, ch' è in Verona, de' Gavii fu detto Composito dal Serlio, Corintio dal Barbaro. Nel Colisèo Dorico si dice il primo piano; non per tanto fa il Fregio liscio, e nudo; Corintio il terzo, pure fuor de' capitelli non ha intagli, nè ornamenti; Composto il quarto, pure ha i capitelli Corintii, e simili al terzo. Le Colonne una sopra l' altra non diminuiscono secondo le regole, ma son tutte d'una grossezza; e i vani archeggiati, e le parti, e gli ornamenti, e i moduli non hanno ne' diversi piani quella diversità di proporzioni, che si crede essenziale a i diversi Ordini. Il Fontana dopo il prospetto del Colisèo non dà, come conveniva, le parti in grande, e in misura, e disegnate esattamente, e dice non darle, perchè quelle modinature sotto gli occhi non sodisfanno, avendo i membri ingranditi per la distanza; ma questo stesso era per l' arte un gran documento. Fu chi notò non esser delicatamente lavorati nel Colisèo i capitelli Corintii: ma ridicolo sarebbe stato l' intagliar le foglie in quell' altezza, e in tal fabrica, come ridicolo sarebbe il prenderne esempio per farle lisce in una sala. Per le misure, e per le parti si suol creder detto tutto, quando si è detto il nome dell' Ordine; ma resta a vedere, se la regola delle proporzioni, e de' membri, che si è da molti fissata negli Ordini, si tenesse da gli Antichi per legge perpetua, e universale, o pur variassero nell' istessi' Ordine le misure, e i modi secondo il diverso genere de gli edifizj, e secondo il giudizio dell' Ar-

pro circumſtantiis; quod moderate factum fuiſſe intelligendum eſt. Vitruvius enim abſoluto de columnis ſacrarum ædium ſermone, cum ad dicendum de Theatro gradum facit, rurſus de columnis verba inſtituit, atque proportiones ac ſymmetrias negat eaſdem eſſe debere in ædibus ſacris, in quibus nihil non gravitatem præſeferat oportet, atque in porticibus, aliiſque operibus, quibus maxime convenit elegantia. Tanto igitur inſolentius videtur mihi, quod apud duos peritos Architectos Gallos legimus, qui *Veteris Architecturæ cum Recente comparationem* inſtituerunt, (*Eccard & Chambray.*) ratos, ex ordine Thuſcanico nihil antiqui ſupereſſe, ex quo duci rationes poſſint, præter columnam Trajanam; ad quam proinde confugiendum eſſe ajunt, non autem ad Veronenſe, ac Polanum Amphitheatrum, quod fecit Palladius. etenim etſi ad aliquem ordinem revocari ea columna poſſit, ac ſit Thuſcanica (Doricam facit Fabrettus ob ſtriarum formam, quas habet in parte ſumma) (*Col. Traj. p. 87.*) opus tamen eſt adeo inuſitatum, atque ab aliis ita differt, ut hinc neque argumentum, neque certæ ullæ regulæ deſumi videantur poſſe. Hæc cum ita ſint, mirum non eſt, columnam illam docto Vitruvii Interpreti Gallico certis rationibus carentem viſam fuiſſe. (*Perrault. l. 4. c. 7.*) Thuſcanicam vulgarem columnam legimus apud Plinium, (*l. 36. c. 23.*) ſeptimam partem altitudinis in craſſitudine ima habuiſſe, Doricam vero partem ſextam. Sed fortaſſe amanuenſes in numeris notam I Doricæ ſubduxerunt, & addiderunt Thuſcanicæ. (*l. 4. c. 7.*) Harduinus ad hunc locum rei confirmandæ cauſa adducit Vitruvium, ubi de Thuſcanicis columnis videtur idem tradere; (*l. 4. c. 1.*) ſed hic non loquitur Vitruvius generatim; ac de Doricis alibi docet, ab initio quidem earum altitudinem craſſitudine ſexies majorem fuiſſe, (*l. 4. c. 1.*) a poſteris vero factas fuiſſe ſepties eadem craſſitudine majores. Quare Ruſconius, qui tum in aſſequenda, tum in exponenda paucis verbis opportuniſque figuris doctrina Vitruviana, videtur mihi excelluiſſe, inquit referens Vitruvii doctrinam, Architectos ad majorem venuſtatem minoribus modulis delectatos Doricis columnis ſeptem diametros altitudinis tribuiſſe. Alia ſe digna obſervabit hoc loco Marchio Joannes Polenus, de cujus ſincera amicitia glorior maxime, ſi perficere hortando potero, ut ea præ manibus capiat, quæ ad novam Vitruvii editionem collegit, ex qua appareat, nondum hactenus ſcriptorem illum probe illuſtratum a quopiam fuiſſe.

chitetto, e le circoſtanze, il che vuol' intenderſi con moderazione, e dentro certi limiti; perchè io veggo Vitruvio, dopo aver trattato interamente delle colonne ne i Tempj, quando viene a parlar del Teatro, trattarne di nuovo, e dire, che le proporzioni, e le miſure non debbono eſſer le iſteſſe ne gli edifizj ſacri, ove tutto dee ſpirar gravità, e ne' portici, ed altre opere, cui ben ſi confà la ſveltezza. Tanto più però mi par bizarro il penſier che ſi legge in due valenti Architetti Franzeſi, che hanno fatto il Parallelo dell' Architettura antica, e moderna; *cioè che d' Ordine Toſcano non abbiamo altro d' antico, e da cui ſi poſſa ricavarlo, ſe non la colonna Traiana, a cui però vogliono ſi ricorra, e non a gli Anfiteatri di Verona, e di Pola, come fece il Palladio: poichè dato, ch' eſſa poſſa dirſi d' alcun Ordine, e ſia Toſcana (Dorica l' aſſeriſce il Fabretti per la forma delle canalature, che ha nella cima) quella è un' opera sì ſtraordinaria, e fuori di tutte l' altre, che non può prenderſene argomento, o regola alcuna. Con sì fatte idee non è maraviglia, ch' eſſa pareſſe* ſproporzionata *al dotto traduttor Franzeſe di Vitruvio. Della ordinaria colonna Toſcana leggeſi in Plinio, ch' avea per diametro nel fondo la ſettima parte della ſua altezza, e che la Dorica vi avea la ſeſta. Ma forſe i copiſti ſcemarono ne' numeri un' I alla Dorica, e l' aggiunſero alla Toſcana. Harduino a queſto paſſo ne cita in conferma Vitruvio, ove delle Toſcane par dica l' iſteſſo, ma non parla egli quivi generalmente; e delle Doriche inſegna altrove, come di ſei groſſezze furon bensì fatte da principio, ma che ſi fiſſarono poi a ſette. Però il Ruſconi, che nell' intender Vitruvio, e nel farlo con poche parole, e con opportune figure intendere, parmi foſſe eccellente, diſſe riferendo la ſua dottrina, che paſſati per maggior vaghezza a cercar moduli più riſtretti, fecero l' altezza delle colonne Doriche di ſette diametri. Altre rifleſſioni di lui degne farà qui il Marcheſe Giovanni Poleni, della cui ſincera amicizia ſommamente mi pregio, ſe varranno le mie eſortazioni a farlo riſolvere di prender per mano quanto ha raccolto per una edizion di Vitruvio, che ci faccia conoſcere come veramente non abbiamo ancora quell' Autore in tutto il ſuo lume.*



A Jam vero ut ad primum Arenæ Veronensis ambitum veniamus, Tabula quinta frontem exprimit ac latus totius molis, quæ superest, quæque ob angustias viæ ex ea parte oculis satis commode lustrari nequit: omnia ad dimensiones exacta sunt, summaque cura delineata; apposita figura rectam etiam sectionem exhibet. Memoriæ errore deceptus scripsit Desgodetius, sex arcus extare. Quod in summa parte desideratur, facile potest in ipsa Colisei Orthographia conspici: certum enim est, seriem quandam ingentium fenestrarum in suprema Amphitheatrorum parte extitisse. Materies Romani Amphitheatri est ex tyburtino saxo. B Veronensis autem tum in ambitu, tum in pilis omnibus, arcubus, januis, gradibus, scalisque durum marmor nostras est partim rubrum, partim album, effossum, ut plerique credunt, e fodinis Grezanæ septem millibus passuum ab Urbe. Opus rusticum est; magnificentiam tamen præsefert; hic vivos hosce lapides complanare ac perpolire longe mehercule operosius fuisset, quam Romæ fuerit elaborare saxum tyburtinum. Architecturæ ratio in tribus ordinibus singulis Thuscanica est, etsi alii scripserint, tria conspici Architecturæ genera diversa. Partes scalpturis ornatæ, hoc est Trabeatio ordinis tertii, capitula, & coronæ C duorum aliorum ordinum ex albo marmore constant, reliqua fere omnia ex rubro confecta sunt: quod sane pervenustam intuentium oculis debuit speciem objicere. Scalas internas, & gradus etiam ex reliquiis, quæ supersunt, e rubro lapide fuisse licet colligere. Adhibiti lapides magnæ mole sunt: ex singulis enim, qui utrimque suis capitibus faciem constituunt, universus pilæ fundus confectus est. Nulla sunt certa lege dispositi, sed sine ulla æqualitatis & mutuæ convenientiæ cura locati: quæ res in ipsa deformatione expri-

Or venendo al primo recinto dell' Arena nostra, ecco nella quinta Tavola la fronte, e il fianco di quanto ne sussiste, e che per l' angustia della strada da quella parte non si gode con l' occhio nell' originale: tutto è in misura, e con somma esattezza; nel taglio mostrasi anche il profilo. Sbaglio di memoria fece scrivere al Desgodetz, che se ne conservino sei archi. Quel che manca nella cima, può a un dipresso ravvisarsi nel prospetto del Coliseo, essendo certo, che un ordine di finestroni era nella parte superiore degli Anfiteatri. Il materiale del Romano è di travertino; di questo, sì nel recinto, come in tutti i pilastri, archi, porte, gradi, e scale interiori, è duro marmo nostrale, parte rosso, e parte bianco delle cave, per quanto credono i più, di Grezana dalla Città sette miglia. Il lavoro è rustico, ma grandioso; di troppo maggior opera sarebbe stato l' appianar qui, e ripulire queste pietre vive, che il travertino di Roma. L' ordine in tutti tre i piani è Toscano, benchè altri abbia scritto vedervisi tre diversi ordini d' Architettura. Le parti lavorate, cioè il Sopraornato del terzo piano, e i capitelli, e le cornici degli altri due, sono di bianco, il restante regolarmente è di rosso, il che dovea fare un accordo a gli occhi molto grazioso. Le scale interne, e i gradi ancora, si vede da quel che n' avanza ch' eran di rosso. Le pietre vi furono usate molto grandi, formandosi col pezzo istesso, che con le teste vien' a far faccia di parte e d' altra, tutto il fondo de' pilastroni. Non furon disposte regolarmente, ma senza cura d' uguaglianza, o di corrispondenza fra loro, il che nel disegno esattamente si rappresenta. Però forse ad alcuni stranieri parve l' Architetto po-

mitur accurate. Quo factum est, ut quibusdam A exteris hominibus *Architectus non singularis peritiæ fuisse videretur*, perinde quasi in hoc sita esset universa ratio Architecturæ. Operis rusticitas, ac lapides rudes, nec complanati in Thuscanico ordine, atque in mole hujusmodi cum generis, tum materiei, ad magnificentiam simul, & firmitatem videntur pertinere. Observatu dignum illud est, ab antiquis non consuevisse lapidum interna latera, quæ committenda erant, universa complanari, sed amplam oram tantummodo, rudi ac depressiore medio relicto; idque sive ut supervacaneo labori parceretur, sive quia B non ita facile factu esset ut lapides ipsi conjungerentur apte inter se, si per totum spatium mutuo committi deberent: quod tamen non in omnibus locis ædificiorum observatur. Atque hæc esse nota potest, qua veterum ædificiorum lapides in recentibus adhibiti internoscantur; & hac quidem nota quoque aliquis Amphitheatri lapis distinguitur inter eos multos, qui Scaligerorum tempore in muri Prætoris hortum ambientis pedamento locati sunt, ubi qui supra humum extant, fidem faciunt, quam multi in ipsis fundamentis positi esse debeant.

Tam in toto hoc ambitu, quam in partibus in- C ternis, quæ marmoreæ sunt, nusquam adhibita calx cernitur, sed commissa cæmenta sine ullo intriti genere conspiciuntur. Congruunt quidem aptissime, unaque colligata sunt in arcuum fornicibus axiculis ferreis sive clavis, in partibus autem rectis subscudibus pariter ferreis. Atque is fuit mos antiquus; quam autem antiquus, ostendit Thucydides, qui in crassis muris, auctore Themistocle ab Atheniensibus circa Pyreæum extructis, narrat *neque glaream, neque cœnum fuisse, sed ingentes lapides simul commissos, & quadratos, quorum externi ferro plumboque colligabantur*: D sic credo verti ejus verba oportere. Multa sunt Græcorum scriptorum loca, in quibus idem cernitur. Hinc, ut ait Fontana, arduus propter subscudum conjunctiones esse eorum labor debuit, qui ætate minus remota Colisei partem diruerunt. Adhibebantur ejusmodi subscudes in partibus solummodo exterioribus, ut modo ex Græco Historico animadvertimus, utque Vitruvius confirmat, qui præcipit, *plumbo & ansis ferreis frontes vinciri*. Ex hac colligandi antiqua ædificia consuetudine vertentibus annis tot illa foramina orta sunt, quæ conspiciuntur in Coliseo, de quibus tam multa de ingenio conscripta sunt, E inter quæ illud maxime, fuisse ea foramina barbarorum opera confecta, vel figendis palis ad sustinenda nundinarum tempore velaria deservisse. Tractationem de iis conscripsit Doctus vir Episcopus Suaresius, qui suam ex aliis sex variis opinionibus sententiam constituit. Sed illud pro certo habeatur, foramina illa non alia de causa facta fuisse, nisi ut metallum colligeretur, quod lapides alios aliis mutuo devinciebat. Et sane in libro de Romanis Antiquitatibus testatur Scamozius, se deprehendisse, in omnibus Colisei par- F tibus subscudes vel sublatas fuisse, vel tentatum, an liceret auferre. Fortasse mediis sæculis metallum rarius erat, & habebatur in pretio majori; vel cum ea pars Urbis deserta esset, a custodibus armentorum, pastoribusque frequentari cœpit, qui suadente rerum inopia, atque otio huic operi manum admovere cœperunt. Suspicor ego Regis Theodorici tempore genus hoc miserum latrocinii patrari cœpisse; quippe huc revocari videtur posse, quod legimus, reprehensos ab illo fuisse, qui ex muris metallum ac plumbum furto surriperent. In Arcu Susano eadem foramina apparent,

lib. 1. ... χάλιξ ... πηλὸς ἦν, ἀλλὰ ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι, καὶ ἐντομῇ ἐγγώνιοι, σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν καὶ μολύβδῳ δεδεμένοι.

Vitruv. l. 2. c. 8.

Cass. Var. l. 3. 31.

co perito, pensando consistere in questo l' Architettura. La rusticità dell' opera, e le bozze in ordine Toscano, e in mole di tal genere, e di così fatto materiale, sembrano contribuire a grandiosità, e a robustezza: le bozze per altro non son già rilevate, ma si suol dar tal nome al lavoro non compianato. E' osservabile l' antico uso di non ripianar nelle pietre l'intero de i lati interni, che debbono congiungersi, ma un largo orlo solamente, lasciando rozo, e più basso il mezo; o fosse per risparmiar lavoro, o perchè non così agevol sarebbe il far che si unissero esattamente, se dovessero per tutto lo spazio combaciarsi insieme: il che non si vede però in tutti i siti delle fabriche. Da tal segno si posson riconoscer talvolta le pietre d'antichi edifizj usate ne' moderni; ed alcuna dell' Anfiteatro si riconosce anche da questo tra le molte, che a tempo de' Scaligeri furono usate nel pedamento del muro, che ricinge l'orto del Capitano, dove quelle, che sopravanzan da terra, fanno fede delle molte più, che saranno state gettate ne' fondamenti.

In tutto questo recinto, e così nelle parti interne che son di marmo, non si vede usata mai calcina, o malta, ma commesse le pietre senza intriso di sorte alcuna. Si combaciano bensì perfettamente, e son collegate insieme, nelle volte de gli archi con perni, o chiodi, nelle parti rette con chiavi di ferro, cioè arpesi. Tale fu l'uso antico; e quanto antico, ottimamente il dimostra un passo di Tucidide, il quale nelle grosse mura, per consiglio di Temistocle fabricate da gli Ateniesi intorno al Pireo, afferma, che non era nè ghiaia, nè malta, ma pietre grandi commesse insieme, e tagliate in quadro, le esteriori delle quali collegate fra loro con ferro e piombo: *così credo doversi rendere le sue parole. Molti sono i luoghi di Scrittori Greci, ne' quali l'istesso si ravvisa. Quinci come il Fontana afferma, arduo fu per la concatenazione delle sprangbe il lavoro di chi smantellò in età men rimote una parte del Coliseo. Si praticavano tai legature solamente nelle pietre esteriori, come abbiam' or veduto nel Greco Storico, e conferma Vitruvio, ordinando, che* con piombo, e spranghe di ferro siano legate le fronti. *Da questo uso di concatenare l' antiche fabriche vennero a nascer poi col tempo que' tanti buchi, che si veggon nel Coliseo, de' quali tante bizarrie sono state dette, e singolarmente, che fossero opera de' barbari, o che servissero per piantar legni da sostener tende in occasion di Fiera. Un Ragionamento sopra di essi compose il dotto Vescovo Suaresio, delle sei varie opinioni componendo la sua. Ma abbiasi per certo, non per altro essere stati fatti, che per prendere il metallo, quale stringeva una pietra con l'altra. In fatti asserisce lo* Scamozio *nel* libro delle Antichità di Roma, *aver conosciuto, che in ogni parte del Coliseo, o furon levate, o tentato di levar le chiavi. Forse ne' mezani secoli il metallo era più raro, e in maggior prezzo; e forse l'abbandono di quella parte della Città la fece frequentare da guardiani d'armenti, e da pastori, che dalla povertà, e dall' ozio erano indotti a sì fatto lavorio. Io sospetto fosse già incominciata a tempo del Re Teodorico tal misera sorte di latrocinio, potendo di ciò intendersi la riprensione da lui fatta a chi rubava dalle muraglie il metallo, e 'l piombo. Nell' Arco di Susa veggonsi per l'ap-*

A quemadmodum observare licet in ejus deformatione a me in Historia Diplomatum, atque Actorum edita, ubi foramina hæc eadem prorsus ratione, qua in ipso arcu extant, exprimenda curavi. Rogatus, dum opus lustrarem præsens, quid ea significarent, in eorum, quæ dixi, confirmationem, animadverti volui, quemadmodum ea foramina duorum lapidum conjunctioni ubique superstant, neque conspiciuntur nisi ultra certam altitudinem. Sed quia res tam facile non credebatur, conquisitis allatisque scalpris, factoque foramine, qua parte intactus adhuc arcus erat, ferrea ansa apparuit, quam inde sublatam, mecumque asportatam servo inter antiqua monumenta a B me collecta. Ferrum, tum ut tenacius lapides devinciret, tum ne rubiginem contraheret, plumbo obductum est: quæ res commemorata loca Thucydidis ac Vitruvii illustrat atque confirmat. Joannes Baptista de Albertis se observasse in antiquis ædificiis inquit, ferrum corrumpi, nec durare: ita sane res habet: sed ne corrumperetur, inducto plumbo cavebant. Effectus hujusmodi vincturæ apertissime perspicitur in ea Amphitheatri nostri parte, quam in præsentia expendimus: in ea enim apparent in summo lapides extra alios omnino porrecti, atque pendentes; neque tamen C apparet, quid eos aut sustineat, aut detineat suspensos: sic una ex superioribus pilis admodum curvata, & inclinata conspicitur ruenti plane similis; nihilo tamen minus per plura sæcula hoc modo omnia constant, quin ulla motio partium contingat.

Discrimen est observatu dignissimum in recta sectione exteriorum parietum inter Romanum Amphitheatrum & Veronense, hoc est retractio crassitudinis, quæ fit in singulis ordinibus, fit semper in Romano versus partem ejus interiorem, ubi tamen murus fere ad perpendiculum extructus est: contra vero in Veronensi murus sen- D sim decrescit in parte interiore, & parum retrahitur imminuiturque in exteriore. Retractionem internam, ut fit in Amphitheatro Romano, inquit Serlius ad ædificii firmitatem multum conferre: Palladio placebat, ut muri ex utraq; parte ad modum pyramidum decrescerent; si tamen ex una parte tantum, decresceret ex exteriore, propterea quia interior cum tabulatis, tum rebus aliis firmetur. Videtur exitus eorum sententiam probasse, cum tanta pars in Amphitheatro Romano, ac tam exigua in Veronensi faciei exterioris superstiterit. Nihilominus tamen constitit detrimenti immunis Amphitheatri Polani ambitus, qui ex interna par- E te & ipse retrahitur; atque ex utroque intelligimus, etiam oppositam structuræ formam in usu apud Veteres fuisse, ex eaque illud commodi manare, ut in partibus superioribus loca ampliora sint & capaciora: cujus rei effectus cognoscitur in primo fornice, qui primam porticum nostram tegit; ejus enim murus totus innititur inferiorum pilarum crassitudini, quæ in secundo ordine decrescit; cognoscitur etiam in ima parte alterius superioris fornicis: etenim hic quoque innitebatur illi parti, quæ decrescit in ordine tertio.

F

CAP. III.

Primus Arenæ Ambitus.

ARenæ arcus, sive aditus in universo ambitu erant duo & septuaginta; in Coliseo octoginta: qua ex re, simulque ex pilarum modo, atque amplitudine ostiorum colligimus, Veronensem Arenam non tot partibus Romana minorem fuisse, quot nonnulli credunt,

punto gl' istessi buchi, come si può osservare nella stampa datane da me nell' Istoria de' Diplomi, e de gli Atti, dove ho fatto rappresentar tali buchi come veramente sono. Richiesto, quando fui sul luogo, che significassero; in pruova di quanto ho detto feci osservare, come i buchi soprastanno sempre al congiungimento di due pietre, e non si veggono oltre a una certa altezza. Ma perchè ognuno si renda difficile a crederlo, mandato in cerca di scarpelli, e fatto fare un simil buco in sito non ancor tocco, apparve la chiave, qual levata, e portata meco conservo fra le cose antiche da me raccolte. Il ferro, così perchè più tenacemente legasse, come perchè fosse da ruggine difeso, è tutto circonvestito di piombo, onde appare il riscontro, e la verità de' sopraddotti passi di Tucidide, e di Vitruvio. Disse Gian Battista Alberti, avere osservato negli edifizj antichi, che il ferro si guasta, e non dura; così è veramente: ma con questa circospezione lo assicuravano. L'effetto di tal concatenazione si riconosce a maraviglia nell' Ala, ch' or consideriamo del nostro Anfiteatro; perchè pietre veggonsi là nell' alto quasi affatto fuor dell' altre, e pendenti, senza apparire come si sostengano: così un de' pilastri superiori incurvato grandemente, e smusso: in atto di minacciar ruina: non pertanto son più secoli, che in tal' aspetto ogni cosa si mantiene senza far mossa.

Una differenza molto considerabile è da osservar nel profilo delle pareti esteriori tra il Romano Anfiteatro, ed il Veronese; cioè che nel Romano il ritirarsi, che va facendo la grossezza di piano in piano, è sempre verso il di dentro, dove però il muro vien quasi a piombo: all' incontro nel Veronese il muro va sempre diminuendo nell' interiore, e poco si ritira, e scema nel di fuori. Disse il Serlio, che il ritirarsi verso l interno, come fa il Romano, dà all' edifizio maggior fortezza: al Palladio piacea, che i muri diminuissero di parte e d' altra piramidalmente; ma se una sola dovesse farlo, fosse quella di fuori, stante che il di dentro dalle travature ed altro è tenuto fermo. Pare, che l' effetto abbia comprovato il lor sentimento, mentre tanta parte si è mantenuta dell' esterna facciata nel Romano, e sì poca nel Veronese. Tuttavia si è pur conservato interamente il recinto di Pola, che scema anch' esso nel di dentro; e vediamo dall' uno, e dall' altro, ch' anche il contrario modo era d' uso antico, e porta il benefizio d' acquistar maggiore spazio nelle parti superiori; l'effetto di che si riconosce prima nella volta, che cuopre il nostro primo portico, poichè il muro di essa impostа tutto su la grossezza de' pilastri inferiori, che degrada nel secondo piano; e si vede ancora nel piè dell' altra volta superiore, poichè questa ancora impostava su quella parte, che degrada nel terzo.

CAPO TERZO.

Primo recinto dell' Arena.

L*E arcate dell' Arena, o sia gl' ingressi attorno, erano settantadue; quelle del Coliseo erano ottanta: dal che, e insieme dalla misura de' pilastroni, e larghezza delle aperture, risulta non esser questa minor di tanto, quanto altri pensa, benchè il mancar qui l'*

etsi cum in Veronensi externa ac superba frons desideretur, ædificium hoc cum illo comparatum externam formam intuentibus exiguæ molis videri soleat. Arcus Nemausensis Amphitheatri (si tamen Amphitheatrum illud fuit) plures non sunt, quam sexaginta, uti habemus ex Athlante Gallico superius commemorato: octoginta feruntur arcus Capuensis: sed qui se testatur suismet oculis molem studiose inspexisse, testatur etiam, difficile esse eorum numerum in præsentia certo definire, aitque pariter tum in hoc, tum etiam in ejus deformatione cum duabus porticibus exterioribus contiguis delineanda illud in primis tanquam certum fuisse positum, Amphitheatrum hoc idem prorsus extitisse, ac Romanum. Neque numerus tamen arcuum, neque duplex illa porticus a me in dubium revocabitur, postquam vir doctrina, ac dignitate conspicuus, Canonicus Mazochius, quipræsens omnia summa cura exploravit atq; expendit, rem sic esse in suo libro testatus est.

Tam in Romano, quam in Veronensi singulis arcubus inscripti numeri sunt, ut in Tabula videre licet: quam rem non animadverterunt, qui de Romano scripserunt, ac perperam prætermiserunt: hinc enim facile fiebat ut brevi temporis intervallo, ac sine turbis ingredi Arenam, atque ex ea egredi populus prope innumerabilis posset, quippe quo in partes distributo per classes ac regiones, harum singulis singulares aditus destinati erant. Idem prorsus fiebat & in circo, diviso per Tarquinium in triginta curias populo, singulisque curiis assignato suo loco, ut legimus apud Dionysium, ac Livium. Numeri insculpti epistylio sunt, cum tabellæ eos complectentis vestigio: in Romano, in quo unus ac triginta supersunt, hoc est a XXIII. usque ad LIIII. sine ullo alio ornamento inter epistylium, ac fornicem, sive zonam arcus positi conspiciuntur: quare in tabula a me deformata addendos curavi. Ex lapidibus numeris hisce distinctis, qui olim impositi Arenæ nostræ arcubus, dirutis in præsentia, fuere, unus conspicitur in media *Pontis a Navibus* pila, alius in ostio carrucarum in ædibus Bertoldi Peregrini, ubi pluribus ab hinc sæculis pilæ loco constitutus est.

Dio. Hal. l. 1. Liv. l. 1.

Pilarum inferiorum pars infra humum latet, ut deformatio ostendit, depressa: cujus rei non ea ratio est, quam putavit Lipsius, ubi parum se in arte ædificandi peritum sane ostendit, quando ejusmodi moles ingentis ponderis causa subsidere scripsit *terra cedente*: nemo enim futurum ignorat, nisi solido ac firmo solo ædificia innitentur, sed cederet fundus, ut solverentur, ac cito collaberentur. Incommodum ejusmodi ex eo nascitur, quod ex collapsa, vel congesta materia pro fatali pravaque Civitatum consuetudine, nisi cura adhibeatur, humus ipsa circum excrescit. Nihilo tamen minus una ex pilis conspici in præsentia hic potest ab ipso usque illius imo pede, disjecta in eum finem humo, ut integra pateret simul cum interiore porticus solo.

Amph. c. 7.

Ejusmodi pilæ a pavimento usque ad postes altæ sunt pedes decem, uncias decem. Habent in ima parte lapideam laminam, altam paulo amplius dimidio pede, quæ porrigitur extra reliquam pilam pede fere dimidio, & locum basis tenet. Capitulum (hoc ego nomine postem arcus appello, quia totam pilam ambit) altitudinem habet unius pedis, unciarum octo, projecturam vero unciarum octo. Pilarum frons sex pedes complectitur & uncias tres, quo amplitudinis modo latus majus est dimidio pede, & amplius. Frons interior minor est quam exterior uncia & aliquid amplius; quod servata proportione fit in reliquis

A *esterna, e superba fronte, faccia per di fuori parer piccola cosa quest' edifizio rispetto a quello. Gli archi dell' Anfiteatro (se tal fu) di Nimes non son più di sessanta, come si ha dall' Atlante Franzese citato sopra. Ottanta si dicono quei di Capua; ma chi pretende averne fatto personalmente ricerca, mi afferma, difficilmente poterfene adesso rilevare il giusto, ed afferma parimente, così in questo, come nel farne la pianta con due portici esteriori l'un presso l'altro, aver' avuto prima parte la supposizione, che dovesse quell' Anfiteatro essere interamente l'istesso, che quel di Roma. Con tutto* B *ciò nè il numero delle arcate, nè il doppio portico, si rivocherà da me in dubbio, dopo che dotto, e cospicuo Soggetto, qual' è il Canonico Mazochio, che sul luogo stesso tutto ha con somma diligenza esaminato, e misurato, così nel suo libro asserisce.*

Tanto nel Romano, come nel Veronese ogni arco ha sopra il suo numero, come nella Carta si vede: circostanza non osservata da chi del Romano ha scritto, e malamente ommessa, poichè serviva al buon' ordine dell' entrare, o uscire infinita gente in breve tempo, e senza folla, C *o confusione alcuna, diviso il popolo per contrade, o per classi in parti, ed assegnate a ciascuna le sue porte. Così avveniva appunto anche nel Circo, dopo diviso in trenta Curie il popolo, e distribuiti a ciascuna d'esse i suoi luoghi da Tarquinio, come si legge in Dionigi, ed in Livio. I numeri sono scolpiti nell' archi-trave con segno di cartella che gli contenga: quei del Romano, che trentuno ne conserva, cioè dal XXIII. al LIIII. sono senz' altro ornamento tra l'architrave, e l' archivolto, o sia la fascia dell arco: gli ho però fatti mettere* D *nel mio disegno. Delle pietre segnate di questi numeri, che furon già sopra i nostri archi or distrutti, una se ne vede nella pila di mezo del ponte dalle Navi, altra nella porta delle carrozze del Sig. Bertoldo Pellegrini, ove serve da più secoli di pilastrata.*

De' pilastroni inferiori resta profondata una parte nella terra, come mostra il disegno: la ragion di che non è già quella, che stimò Lipsio, il quale poco istruito si mostrò veramente nell' arte edificatoria, quando scrisse, sprofondarsi in tal modo sì fatte machine per lo gran peso, cedendo E *il terreno; mentre ognun sa, che se le fabriche non posassero sul fermo, e sodo, ma cedesse il fondo, si scompaginerebbero, e n' andrebbero ben tosto a terra. Vien tal danno per l'alzamento del terreno fatto all' intorno, secondo il fatal disordine delle Città, quando non ci si stia con avvertenza, a cagion de' materiali caduti, o portati. Si può con tutto questo aver' ora qui il piacere di veder' uno de' pilastroni fin dal suo fondo, essendosi a questo fine fatto disterrare, e scoprire, insieme col suolo interiore del portico.*

Questi pilastri dal pavimento all' imposta sono alti piedi 10. once 10. Hanno in fondo una F *lastra alta più di mezo piede, qual viene in fuori quasi mezo piè più del rimanente, e serve di basamento. Il capitello (così chiamo l' imposta dell' arco, perchè rigira tutto attorno) ha d'altezza piedi 1. on. 8. e di sporto once 8. La fronte de i pilastri è di piedi 6. once 3. della qual misura cresce il fianco alquanto più di mezo piede. Il contrafronte è minore alquanto più d un' oncia del dinanzi, e così a proporzione avviene nell' altre parti inte-*

partibus interioribus, cum singulæ retrahi debeant, quo magis ad punctum accedunt. Plana columna a pede ad summitatem usque procedit, & pilæ capitulum dividens epistylium vertice sustinet: latitudinis habet pedes duos, uncias octo; altitudinis autem pedes 19. projecturæ minus quam unciam, atque altitudinis in capitulo pedem unum cum dimidio. Cum in hoc ædificio columnæ non sint, modulum non composui; utor autem semper eadem mensura pedum atque unciarum. In Amphitheatro Romano inferiores pilæ frontem habent pedum sex, unciarum octo, in quarum medio pro columna plana ut in Arena nostra, est semicolumna Dorica, quæ extat pedes duos, uncias octo. Amplitudo luminum complectitur pedes 13. Dimensiones alias, quæ ad rem nostram pertineant, non exhibet Fontana; quare paucis sese expedit. Monui jam Veronensem pedem unius ac dimidii palmi architectonici Romani magnitudini æquari.

In Arena nostra arcuum lumina, hoc est quatuor, quæ supersunt ostia, amplitudinis habent ped. 11. unc. 8. non omnia tamen, ut dicemus alibi. Altitudo arcus ab imo ad summum numerat pedes 18. Luminibus hisce totidem portæ respondebant, quæ extra ludorum tempus clausæ manebant: quare in pilarum lateribus prope frontem (quemadmodum in ipsa deformatione observare licet, ubi schema exhibet) apparent adhuc excavationes ab ima parte ad capitulum, latæ fere pedem unum, in quas cancelli, seu portæ ingrediebantur, quæ videntur non pandi, sed omnino tolli diebus solemnibus consuevisse. Epistylium planarum columnarum supra capitula duos pedes altum est; sequitur Zophorum duabus unciis altius. Utrumque efformant duæ, ut ita dicam, zonæ simplices ac rudes, inferior extantia sua, altera vero retractione. Scalptura ornata est corona, quæ ped. 1. unc. 8. habet altitudinis, ac projecturæ tantumdem. Illud observandum, rusticum epistylium in ima parte per digitos quatuor complanatum esse ac læve.

Gradu ad alterum ordinem facto, in primis zona quædam est, quæ ipsum ambit, alta ped. 1. unc. 3. supra hanc attolluntur pilæ altæ p. 12. 2. sequitur ipsarum capitulum altitudinem habens p. 1. 8. In parte illarum ima adest lapidea lamina erecta in latus non rustica, sed polita, alta p. 3. 6. crassa unc. 8. quam, cum ex eo, quod duobus in locis eminet, tum ex complanatione, atque impressione in pavimento patet porrectam circum fuisse, locoque spondæ in hujus ordinis mesaula deambulantibus extitisse. Frons seu latitudo pilarum complectitur p. 5. unc. 6. ac latus tantundem: columnæ planæ, quæ in medio ipsarum est, latitudo p. 2. 10. continet, projectura unc. 6. altitudo supra lapideam laminam in latus erectam p. 21. 8. capitulum ejus altum p. 1. 8. Pilæ, quæ arcum sustinent, excepta lamina lapidea altitudinis p. 3. 6. altæ sunt p. 8. 8. latæ p. 1. 3. Projectura postis dimidio pede definitur. Arcus altitudinem habet p. 20. 2. latitudinem luminis p. 12. 3. eadem tamen omnium non est. Crassitudo fornicis inferioris, ac pavimenti superioris, cujus apparet signum in pilis, complectebatur p. 2. unc. 2. Epistylium ordinis hujus altum est p. 1. 7. Zophorum p. 1. 9. corona p. 1. 4. quæ partes ejusdem formæ omnes sunt, ac antea descriptæ.

In ordine tertio tres infimæ zonæ altæ sunt pedes quinque; pilarum frons lata p. 8. 8. latus p. 2. in hoc vestigium apparet excavationis mæniani seu septi, quod erat loco spondæ. Arcus altus est p. 12. 8. pila alta pedes 8. postis p. 1. 2. Columnæ planæ, si tanquam planas habere illas volumus,

interiori, dovendosi ristringer tutte a misura che s'accostano al punto. Il contrapilastro, o sia colonna piana, corre dal piede alla sommità, e partendo il capitello del pilastro va a sostener l'architrave: ha di larghezza p. 2. on. 8. di altezza piedi 19. di risalto meno d'un'oncia, ed un piede e mezo d'altezza nel capitello. Non avendosi in quest'edifizio colonne, non ho formato modulo, ma mi servo sempre dell'istessa misura di piedi, e d'once. Nell'Anfiteatro Romano i pilastri inferiori hanno piedi 6. on. 8. di fronte, e nel mezo di essi in luogo del nostro contrapilastro una semicolonna Dorica, che risalta piedi 2. on. 8. La larghezza de i vani è di piedi 13. Altre misure, che facciano a proposito nostro non dà il Fontana, onde facilmente si sbriga. Si è già avvertito, come il nostro piede fa un palmo e mezo de' Romani architettonici.

La larghezza de' nostri vani archeggiati, cioè de' quattro ingressi che ci rimangono, è di piedi 11. 8. non però ugualmente, come diremo altrove. L'altezza dell'arco dal pavimento alla sommità è di piedi 18. Come questi vani erano altrettante porte, così fuor dell'occasion di spettacoli si tenean chiusi: ed appaion però ne' fianchi de' pilastri presso alla fronte (come può osservarsi nel disegno, ove rappresenta il taglio) gl'incavi da terra al capitello, larghi quasi un piede, ne' quali entravano i cancelli, o porte, che par non si aprissero, ma si levassero affatto i giorni solenni. L'architrave sopra i capitelli delle colonne piane è alto piedi 2. segue il fregio alto due once più. L'uno e l'altro vien formato da due fasce per così dire, semplici, e roze, la più bassa con sua prominenza, l'altra che rientra. Lavorata è bensì la cornice, ch'è alta p. 1. 8. ed ha altrettanto di sporto. E' osservabile, che l'architrave rustico ha nel piede quattro dita di spianato, e pulito.

Salendo al secondo piano, è prima una fascia che rigira intorno, alta piedi 1. 3. Sopra questa si alzano i pilastri p. 12. 2. Segue il lor capitello alto p. 1. 8. Al piè di essi è una lastra in costa non rustica, ma liscia, alta p. 3. 6. e grossa once 8. quale dal venir fuori in due luoghi, e dallo spianamento, e impressione nel pavimento si conosce che continuava tutto attorno, e veniva a servire di parapetto, e di riparo a chi camminava nel corridore di questo piano. La fronte, o sia larghezza de' pilastri è piedi 5. once 6. altrettanto è il lor fianco: la colonna piana, che hanno nel mezo, è larga p. 2. 10. ha di risalto once 6. alta sopra la lastra in costa p. 21. 8. suo capitello p. 1. 8. Le pilastrate, che tengon su l'arco, oltre alla lastra di p. 3. 6. son' alte p. 8. 8. larghe p. 1. 3. Sporto dell'imposta mezo piede. Altezza dell'arco p. 20. 2. larghezza de' vani p. 12. 3. non però tutti ugualmente. La grossezza della volta di sotto, e del pavimento di sopra, di cui si vede il segno ne' pilastri, importava piedi 2. on. 2. L'architrave di questo piano è alto p. 1. 7. il fregio p. 1. 9. la cornice p. 1. 4. e son dell'istessa forma, che i precedenti.

Nel terzo piano le tre fasce da piede son'alte piedi cinque; la fronte de' pilastri è larga p. 8. 8. il fianco p. 2. in questo è segno d'incavo del poggiuolo o la balaustrata, che serviva di sponda. L'arco alto p. 12. 8. la pilastrata è alta p. 8. l'imposta è di p. 1. 2. Le colonne piane,

ersi tales revera non sint, latitudinem habent p. 4. unc. 4. sed animadvertendum, has post pilarum capitula evanescere; reliquus enim solummodo paries planus: quæ res tamen in ejus, qui humi sit, oculos non incurrit tum ob intervalli magnitudinem, tum ob capitulum altum p. 1. 9. quod nihilominus superstat. Luminis amplitudo continet p. 9. 6. arcuum facies excavata est, quemadmodum excavatur pars superior, simæ rectæ foramina habent tanta proportione sibi respondentia, hemicyclos tam concinne confectos, lapides tam artificiose excavatos, tantaque convenientia ornamenti in ejusmodi Architecturæ genere tam pulcram oculis speciem objicientis, ut qui ex mediocri intervallo atque e loco, quam maxime fieri potest, edito prospiciat, incredibili voluptate afficiatur. Ejus deformatio extat in Tabula sexta, ubi hujus ejusdem ordinis trabeatio conspicitur, quæ complectitur altitudinis pedes quatuor & uncias sex; sed de hac sequenti capite.

A *se per tali vogliam considerarle, benchè veramente non sono, son larghe piedi 4. on. 4. ma queste è da avvertire, che dal capitello delle pilastrate in su si perdono, restando tutta parete uguale, di che non s'avvede chi sta giù, sì per la distanza, e sì per la ragion del capitello di piedi 1. 9. che ciò non ostante è di sopra. Larghezza del vano è p. 9. 6. gli archi in facciata son fatti a guscio, e con aperture sì proporzionate, semicerchj sì ben girati, pietre incavate con tanta maestria, e con accordo di tale ornamento sì grato in tal'Ordine all'occhio, che chi gli mira in ragionevol di-* B *stanza, e più d'alto che sia possibile, non può saziarsi di riguardargli. Se ne ha la mostra nella sesta Tavola, dove si vede anche il Sopraornato di questo piano, che monta in tutto piedi quattro once sei, ma di questo nel seguente Capo.*

CAP. IV.

Trabeatio Thuscanica ab Architecturæ Magistris hactenus non observata.

CAPO QUARTO.

Sopraornato Toscano non osservato finora da' Maestri in Architettura.



UT partium architectonicarum, quæ in ambitu primo supersunt, absoluta notitia habeatur, restat, ut eas magna forma expressas cum membrorum mensuris, cum abacis,

C *PEr notizia intera e perfetta delle parti architettoniche conservate nel primo recinto, non resta che di osservarle in grande con la misura de' membri, e co' lor abachi,*

cum zonis, ac fimis suis, inspiciamus, quæ omnia in Tabula septima deformata oculis subjiciuntur. Sed digna est, quæ peculiari cura observetur, Trabeatio tertii ordinis cum capitulis, quibus innititur, quippe quia aliquid novi, magnique momenti colligi hinc potest, quo lacunam, ut ita dicam, in arte nondum sublatam suppleamus. Cum sæculo an. 1400. in Italia scientiarum artiumque studia impensius coli cœpta sunt, cœpit etiam reflorescere probæ notæ Architectura tum propter antiquitatis, quæ eodem tempore cœpit & ipsa reviviscere, gustum, tum ob analysim, quæ cœpit institui, Romanorum ædificiorum. Illustriores Architecti inde in publicum bonum collegerunt, atque ediderunt diversis temporibus regulas generum Architecturæ, eas maxime, quæ ad ornamenta pertinent: neque enim desunt ædificia, in quibus ornamenta superfuerint, & a quibus desumi illorum rationes potuerint. Doricum ergo ordinem didicere potissimum ex Theatro Marcelli, ex Templo Fortunæ virilis Jonicum, Corinthium ex Agrippæ Pantheo, ex Arcu Titi Compositum, atque omnes ex aliis pluribus reliquiis, quæ hic atque illic superstites inventæ sunt. Solus ordo Thuscanicus mansit in obscuro, cum nullum in Urbe Roma antiquum ædificium repertum fuerit, quod ejus ordinis ornamentum conservaverit, atque ad posteros transmiserit: quare non defuit, qui crederet, ordinem hunc utpote firmitate præstantem cæteris, sic omnino rudem, artisque gratiis destitutum esse, ajentibus etiam nonnullis, in Architectura Thuscanica epistylia fuisse lignea, quasi præstantia ædificia ejus ordinis extrui non possent. Cæterum ordo hic dignus erat, qui majore, quam reliqui, cura pervestigaretur; tum quia proprie ad nos pertinet, atque in Italia natus est, tum quia est omnium primus atque antiquissimus. Natus in Italia postremus quoque, scilicet Compositus est; ut propterea ex quinque Architecturæ generibus tria invenerit Græcia, duo Italia; quorum alterum ad aliorum inventionem viam aperuit, alterum arti manum ultimam imposuit. Dignus etiam erat Thuscanicus ordo, qui studiosius, quam cæteri, coleretur, quia plura complexus est, quam vulgo credunt, & quia non una fuit ejus ratio: id ego colligo ex Vitruvio, ubi is *de Thuscanicis*
l. 4. c. 7. *generibus* meminit, ac fuisse inquit Thuscanicas rationes columnarum in Jonicam atque Corinthiam Architecturam traductas. Videtur is quidem Græca opera cum Thuscanicis contulisse, ubi de quodam Templi vestibulo loquitur, quod utramque rationem præseferebat: sed re-
l. 4. c. 7. vera Thuscanicum ordinem cum tribus Græcis nequaquam conjunxit, neque de Thuscanicis columnis egit, ubi de aliis sermonem instituit: imo vero ubi de Thuscanico genere loquutus est, agens de Thuscorum distributione in Templis, Trabeationem nobilem, solisque lapideis columnis convenientem ne attigit qui-
ibid. dem, sed rusticanam tantum & ligneam complexus est, inquiens columnis trabes ita superponi oportere, ne corrumpantur; trabibus autem, ac parietibus debere superponi capita tigillorum, quæ mensularum locum tenebant. Coronam vero, quæ inter ornamenta principem locum tenet, quæque operosior pars est Trabeationis, nullam eo loco plane nominat; ac epistylium, & Zophorum cum meminit, ad alia transit genera, ut probe novit Barbarus, proindeque ad ea redit, quæ tradidit alibi, ubi de Architectura Thuscanica ne verbum quidem fecit.

Leo Baptista de Albertis Florentinus, primus qui post antiquarum ætatum Auctores, cumula-


listelli, e gole, quali nella settima Tavola si sono espresse. Ma riflession particolare merita il Sopraornato del terzo piano co' capitelli, sopra cui posa, essendo che nuova, e importante scoperta può trarsene, per supplire una lacuna, per dir così, che si ha finora nell' arte. Allora che nel secolo del 1400. cominciò in Italia a riscaldarsi lo studio delle scienze, e dell' arti, cominciò altresì a rifiorire la sana Architettura pel gusto d'antichità, che andò nell' istesso tempo sorgendo, e per la notomia delle Romane fabriche, che prese a farsi. I principali Maestri raccolsero a comun benefizio da esse, e publicarono in varj tempi le regole degli Ordini, e singolarmente negli ornamenti, non mancando edifizj, che gli abbiano conservati, e da cui potessero apprendergli. Impararono adunque il Dorico principalmente dal Teatro di Marcello, l' Ionico dal Tempio della Fortuna virile, come è stato chiamato, il Corintio dal Panteon d' Agrippa, il Composto dall' Arco di Tito, e tutti da più altri avanzi qua e là. L' Ordine Toscano solamente rimase all' oscuro, per non essersi trovato in Roma edifizio antico, che n' abbia conservato l' ornamento; per lo che non è mancato poi chi abbia creduto fosse tal' Ordine, come più massiccio degli altri, così affatto rozo, e privo delle grazie dell' arte; essendo anche fermato da i più, che nel Toscano gli architravi fosser di legno, quasi fabriche nobili in tal' ordine non si potesser fare. Meritava per altro quest' Ordine d' essere investigato con più cura de gli altri; sì per essere proprio nostro, e nativo d' Italia, come per essere il primo, e il più antico. Nativo d' Italia fu l' ultimo ancora, cioè il Composto, onde de' cinque Ordini tre n' inventò la Grecia, e l' Italia due, il più robusto, ed il più ornato; l' uno, che fece agli altri la strada, l' altro, che impose termine all' arte. Meritava ancora d' esser più degli altri studiato il Toscano, perchè abbracciò già più che non vien creduto, e non fu una sola la sua maniera: lo raccolgo da Vitruvio, ove fa menzione de i generi Toscani, *e dice, come v' era chi ne trasportava le disposizioni delle colonne nell' Ionico, e nel Corintio. Egli con tutto ciò parve bensì mettesse in certo confronto l' opere Greche, e le Toscane, ove parlò d' un modo d' Antitempio, che accomunava l' una, e l' altra maniera, ma veramente non accoppiò il Toscano co' tre ordini Greci, e non parlò delle Toscane ove dell' altre colonne; anzi dove ne parlò trattando della distribuzion de' Toscani ne' Tempj, non entrò punto nel Sopraornato nobile, e competente a colonne di pietra, ma solamente nel rusticano, e di legno, dicendo, sopra le colonne doversi impor le travi in modo, che non si possano putrefare, e sopra le travi, e pareti doversi porre le teste de' travicelli, che servivano di mensole. Cornice poi, ch' è il principal degli ornati, e ch' è la più operosa parte del sopraornato, ei non nomina quivi di sorte alcuna: e quando viene a nominare Architrave, e Fregio, entra in altri generi come il Barbaro ben conobbe, e però si riporta a ciò che ha detto, dove di Toscano non parlò punto.*

Leon Battista Alberti Fiorentino, primo dopo le antiche età, che d' Architettura pieno,

tum, docteque conscriptum de Architectura Tractatum ederet, libro septimo ornatum descripsit quatuor ordinum reliquorum, sed de Thuscanico nihil dixit, imo hunc neque inter Architecturæ ordines recensuit: neque inducat quemquam in errorem libri ejus interpres, qui dividens opus in capita, in argumento ad caput octavum agi inquit in illo de Thuscanico capitulo: agitur enim de composito; neque argumenta illa in latino extant ipsius Auctoris exemplari in lucem edito post ejus mortem Florentiæ an. 1485. quemadmodum etiam ubi capite septimo inquit Interpres, Thuscos transtulisse in capitula sua quidquid ornamentorum invenire licuit; latinus Auctoris textus id factum ait fuisse *ab Italicis*, ac de Composito seu Romano capitulo loquitur. Hac in re confusionem pariunt nonnulli alii scriptores, ut Vasarius, qui Romanum, & Compositum ordinem repertum esse tradit ab Thuscis, Tuscanicoque tribuit nomen ordinis Rustici. Daniel Barbarus in præclara illa sua Vitruvii Interpretatione atque illustratione omnia fere cumulate tractavit; sed Thuscanicam Trabeationem utpote ab Auctore suo prætermissam ne attigit quidem. Ejus sane formam exhibuit Sebastianus Serlius, sed plane de ingenio confictam, neque hac in re quidem satis feliciter. Idem Auctor inter antiqua sua ædificia deformavit etiam Templum, quod Pietatis Templum appellavit, cum Porticu, seu vestibulo, cujus ratio ad Thuscanicam accederet; sed ejus quoque supremam partem de ingenio perfecit, testatus formam ipsam non posse probe percipi, cum ea pars diruta sit: columnæ sine stylobate, ac sine base ædificium Doricæ structuræ fuisse indicant. Serlii, qui post Fratrem Jucundum accitus a Francisco I. in Galliam ad Transalpinos Architecturæ disciplinam detulit, discipulus fuit Philander, qui Vitruvium illustrans, omnes Thuscanicæ Architecturæ partes ostendere & ipse voluit; sed eas neque ab Auctore suo accepit, neq; ab ullo veteri ædificio. Barozius de Vignola ingenue confessus est, se rem totam in hac materia de suo confinxisse, idque ob eam causam, quod *inter vetera monumenta Romæ Thuscanicum ornatum nullum invenerit, ex quo certas ejus ordinis regulas ducere licuerit, quemadmodum licuit quatuor ordinum reliquorum*. Scribit ergo Chambrajus, cum nullum Thuscanicæ Trabeationis exemplum Architecti invenerint antiquum, apud se illorum commenta vix esse in pretio ullo. Jam vero dubium nemini esse potest, laudatos Architecturæ Magistros hunc, qui desiderabatur, ordinem supplere feliciter potuisse, ac solide, quisnam esset germanus ornatus Thuscanicus, demonstrare, si diligentius Arenam nostram inspexissent, in cujus tertio ordine integer servatus est, eleganterque elaboratus. Cum legerem olim in primo Andreæ Palladii libro, ex Arena Veronensi Epistylii, Zophori, & coronæ Thuscanicæ rationes eum desumpsisse, solum Palladium existimavi scopum attigisse: cum autem animadvertissem postea, ab eo epistylium sine membris, Zophorum sine politura, coronam aliis præditam partibus, omnia denique diversis symmetriis elaborata exhiberi, tum demum intellexi, neque ipsum ob angustias viæ ex illa parte supremum ordinem accurate & distincte lustrare potuisse, qui ordo unus peculiari observatione dignus erat, duobusque inferioribus tanquam exemplaribus in re proposita usum fuisse; atque hos etiam duos cum aliis ædificiis fortasse permiscuit, ex quibus pariter ait se nonnulla hausisse. Scamozius, qui & ipse Thuscanicæ rationem Architecturæ de suo finxit, opem ex antiquorum fragmentorum auctoritate prudenter conquisivit: sed eam integram absolutamque videre is in Arena nostra potuisset, qua inspecta in Zophoro suo trabium capita nequaquam posuisset.

F 2. c. 3.

e dotto Trattato desse fuori, descrisse nel settimo libro l'ornato degli altri quattr' Ordini, ma non parlò del Toscano, anzi nol computò tra gli Ordini: nè faccia inganno la traduzione del suo libro, che dividendo in capi, nell' argomento prefisso all'ottavo del libro settimo dice trattarsi in esso del capitello Toscano; mentre vi si tratta poi del Composto, e quegli argomenti non sono nell'original Latino dell' Autore, stampato dopo sua morte in Fiorenza nel 1485. come altresì dove nel capo antecedente dice il volgare, che i Toscani trasferirono ne' lor capitelli tutti gli ornamenti, che e' poterono trovare; *il Latino dice, che così fecero* gl' Italici, *e intende del capitello Composto, o sia Romano. Confusion genera in ciò qualch' altro Scrittore ancora, come il Vasari, che l' Ordine Romano, e Composito dice trovato da' Toscani, e al Toscano dà nome d' ordine Rustico. Daniel Barbaro nella sua nobil versione, e illustrazion di Vitruvio trattò quasi d' ogni cosa pienamente, ma il Sopraornato Toscano non toccò, come dal suo Autore non tocco. Ne diede bensì la forma Bastian Serlio, ma in tutto di sua invenzione, e non molto in questa parte felicemente. Egli disegnò ancora tra' suoi edifizj antichi un Tempio, che chiamò della Pietà, con portico, o vestibolo, che s' accosterebbe al modo Toscano; ma quello pure nella parte alta compì di sua testa, dichiarando non si poter comprendere per esser ruinata: le colonne senza piedestallo, e senza base mostrano ch' era edifizio Dorico. Del Serlio, che dopo Fra Giocondo chiamato in Francia da Francesco I. portò anch' esso l' Architettura di là da' monti, fu discepolo Filandro, il quale illustrando Vitruvio, mostrar volle anch' egli tutte le parti del Toscano; ma nè dall' Autor suo prendendole, nè dall' autorità d' edifizio antico. Il Barozzi da Vignola confessò candidamente d' avere in questa parte lavorato di sua fantasia, e ciò dic' egli,* per non aver trovato fra le antichità di Roma ornamento Toscano, di cui n'abbia potuto formar regola, come degli altri quattr'Ordini. *Scrive però il Chambray, che non avendo gli Architetti trovato esempio antico del Sopraornato Toscano, non fa gran conto delle loro invenzioni. Ora egli è certo, che poteano i detti maestri supplir felicemente a tal mancanza, e con fondamento insegnare qual fosse il vero ornato Toscano, se avessero con più diligenza osservata l' Arena nostra, nel terzo piano della quale si conserva intero, e pulitamente eseguito. Leggendo io già nel primo libro d' Andrea Palladio, che dall' Arena Veronese ei prendesse le sacome dell' architrave, fregio e cornice Toscana, mi pensai tosto, ch' egli solo avesse dato nel segno: ma osservando poi, che dopo questo ei mostra un architrave senza membri, un fregio senza pulitura, una cornice con altre parti, e tutto con diverse misure, m' avvidi, ch' egli pure per l' angustia della strada da quella parte non giunse con l' occhio a osservare il più alto piano, che quasi solo meritava d' essere osservato, e si regolò co' due di sotto; e questi ancora mischiò forse con altri edifizj, da cui disse aver parimente tolto. Lo Scamozi, che lavorò altresì di sua invenzione il Toscano, cercò saggiamente d' andarsi ajutando con autorità d' antichi frammenti; ma egli potea vederlo qui intero, e in opera, con che non avrebbe poste nel suo Fregio teste di travi.*



A Meta nell' Imposta degli Archi
B Capitello della Colonna piana
C Architrave D Fregio E Cornice.

Transgressi igitur in Tabula duos inferiores ordines, in quibus epistylium, ac Zophorum efformant duæ Zonæ rusticæ, uti reliqua, observare possumus in primis, capitulum, quo supremum epistylium sustinetur, habere membra duplo plura, quam cætera, cum astragalo, simaque recta inter duas inversas. Epistylium vero divisum est in partes quatuor, hoc est in duo plana, simam inversam, ac zonam: fragmentum ejus intueri licet cominus in turri Horologii ad veterem Arcem prope Gaviorum Arcum, ubi quemadmodum diximus lapides majores, qui conspiciuntur, fere omnes fuere in externo ambitu Amphitheatri. Zophorum simplex est, complanatum tamen ac perpolitum; atque ex hoc ordine videtur in Doricum Colisei ordinem traductum fuisse. Sequitur corona membris prædita pariter duplo pluribus, quam reliquæ, concinne dispositis, prædita etiam corona, uti apparet in ipsis deformationibus. Ecce igitur quo pacto ornamenta sua delinearet Thuscanicus ordo, ab ornamentis ordinum reliquorum sane diversa, iisque solidiora, nobilia tamen, apteque convenientia. Non deerit, qui fortasse inquiat, postremam hanc Trabeationem videri Doricam posse: quod si ita sit, nova isthæc, uti putabatur, detectio Thuscanici ornatus plane corrueret: sed nemini veniet in mentem id suspicari, qui secum reputans Thuscanicum esse utrumque inferiorem, novit optime colligi certo posse, non posse nisi Thuscanicos esse etiam superiores: etenim vel singuli diversæ architecturæ, vel ejusdem omnes in aliquo ædificio ordines sint oportet: propterea in Coliseo singuli a singulis inter se differunt, in septizonio vero Severi erant omnes Corinthii. Davilerius recens Auctor Gallus in suo Architecturæ cursu, seu in versione, atque enarratione Barozii de Vignola nullum monumentum antiquum esse ait, in quo Thuscanicus ordo suis certis regulis deformatus inveniri possit, atque Amphitheatra Veronense, Polanum ac Nemausense inquit esse nimium rusti-

A *Trapassando adunque nella Carta li due piani di sotto, dove architrave, e fregio si formano da due fasce rustiche come il rimanente, osservisi prima, che il capitello, da cui si regge il più alto architrave, ha il doppio più di membri de gli altri, con tondino, e gola dritta fra due riverse. L' architrave poi è divisa in quattro parti, due piani, gola riversa, e lista: di esso si può veder da vicino un pezzo nella torre dell' orologio al Castel vecchio, presso l' Arco de' Gavii, dove com' si disse, le pietre più grandi che si veggono, furon quasi tutte dell' esterno recinto dell' Anfiteatro. Il fregio è schietto, ma spianato, e pulito, e da quest' Ordine*
B *si par qui lo togliesse il Dorico del Colifeo. Segue la cornice con membri parimente il doppio più dell' altre, molto ben disposti, e con gocciolatojo, come appar ne' disegni. Ecco però come divisasse gli ornamenti suoi l' Ordine Toscano, diversi per certo da quelli degli altri, e più sodi, ma nobili, e ben accordati. Non mancherà chi opponga quest' ultimo Sopraornato poterfi aver per Dorico, con che n' andrebbe a terra la pretesa scoperta dell' ornamento Toscano: ma non dirà così chi osservando esser Tos-*
C *cani ambedue i piani di sotto, ben sa dedurfene con sicurezza, altro che Toscani non poter però essere anche i superiori; poichè o tutti d' Ordine diverso, o tutti dell' istesso convien siano i piani d' un edifizio: però nel Colifeo ciascuno è vario, e nel Settizonio di Severo tutti eran Corintii. Daviler moderno Franzese nel suo corso d' Architettura, o sia versione, e comento del Vignola, afferma non esservi monumento antico, in cui si possa trovare Ordine Toscano regolare; e dice, che gli Anfiteatri di Verona, Pola, e Nimes son troppo rustici per*

ca, ut ex iis Thuscanica ratio desumi queat, atque inter ordines reliquos enumerari. Vix intelligo, ac ne vix quidem, qui etiam ex lapidibus non complanatis, nigredine obductis, ac vetustate nonnihil corruptis Architecti pravam Architecturam, atque ædificium tam splendidum, tam apte, artificioseque confectum, nequaquam dignum, quod inter ea, quæ non casu, sed juxta certas alicujus ordinis regulas constructa sunt, referretur, pronunciare poterint: sic enim Davilerii mentem interpretor, ubi scribit, Amphitheatrum hoc reliquis ordinibus accenseri non posse. Idem damnat etiam consuetudinem relinquendi extantia saxa in pilarum lapidibus; ex quo inquit nasci confusionem in Architectura, ejusque formam corrumpi; ut propterea magnopere improbet Veronense Amphitheatrum, in quo in ædificii solum corpore vellet esse ejusmodi extantes lapides, non autem in pilis: quod si ita esset, maxime inconcinna species oculis objiceretur, ac multum imminueretur de operis majestate: sed neque illud Davilerius animadvertit, hoc esse ædificium ejusmodi, quod quantum ad externam structuram pertinet, totum solis pilis & arcubus constat: quod cum ita sit, quodnam erit apud Davilerium corpus ædificii? Blondellus contra item Gallus, qui ex Vitruvio, Palladio, Barozio & Scamozio Architecturæ cursum concinnavit, tres hosce nostros pilarum ordines appellavit Doricos: quare licet rustici, Thuscanicis elaboratiores visi ei sunt, ornatioresque, quam revera sint. Sed ii, qui ob eam operis rusticitatem rati sunt formam ordinis tolli ac amitti, in quorum numero fuit quoque Chambrajus, facile errorem suum intellexissent, si præter duos inferiores ordines, qui tamen & ipsi certis regulis extructi sunt, apteque deformati, ac præter eorum capitula, & coronas, quæ profecto nequaquam sunt *en bossage*, oculos ad summitatem Alæ erexissent, ubi Trabeationem conspexissent ita perpolitam, atque affabre elaboratam, ut plumbeus ille sit, qui artificium non admiretur. Et quoniam ex ea parte non patiuntur angustiæ viæ omnia commode oculis explorare, adire poterit, qui tam nobili Arte delectatur, editam quandam domunculæ nonnihil dissitæ fenestram, ex qua prospicienti concinni tertii ordinis arcus cum superiore ornatu pergratam sanæ ac genuinæ Architecturæ speciem exhibebunt.

Desgodetius, qui ædificium hoc nullo certi ordinis donavit nomine, in postrema sua Tabula oculis subjecit magna forma rectam sectionem partium omnium, quas descripsimus hactenus, Serliumque in aliquibus membris, cælatorum fortasse vitio perperam expressis, emendavit. Miror equidem, neutrum animadvertisse, hic quantum videbatur ad Thuscanicum ordinem perficiendum deesse, haberi. Sed non satis hic fuit Desgodetii diligentia, ut verum cumulate ob oculos poneretur. Bene habet in primo ordine postis: bene habet & capitulum planarum columnarum, quas ipse pilas vocat. Sed infra Zophorum locat abacum quendam, qui neque adest in ædificio, neque vero adesse potest. In membris coronæ inest exigua aliqua dimensionum differentia. In ordine superiore postis arcus caret subjecto illo plano, eaque modorum distributione: duæ enim superiores simæ sunt ferme æquales. Epistylium pariter non efficit primam zonam sic angustam, quod venustati plurimum officeret; neque angustissimam efficit simam inversam, quod pariter concinnitatem perturbaret; sed tria priora membra habet prope æqualia. Coronis quoque Desgodetii diversam habet membrorum symmetriam, uti ex

A *servir di regola al Toscano, e per aver luogo negli altri Ordini. Io non so intendere, come Architetti ancora per le pietre non ripianate, e imbrunite, e smussate dal tempo potessero giudicar cattiva l'architettura, e non meritevole un sì maestoso, e regolato, e ben' accordato edifizio d'esser computato tra quelli, che non a caso, ma furono ideati secondo alcun Ordine; così interpretando, che Daviler si voglia dire, ove scrive, che tale Anfiteatro non dee aver luogo con gli altri Ordini. Condanna egli ancora il far bugne, come diciam noi, o sia* B *bozze, come dicono i Toscani, nelle pietre de' pilastri, il che dice metter confusion nell'architettura, e farle perder la sua forma, e grandemente però condanna l'Anfiteatro Veronese, nel qual vorrebbe fossero le bozze solamente nel corpo dell'edifizio, ma non ne' pilastri; con che si farebbe un disaccordo all'occhio disgustosissimo, e si perderebbe assai di grandiosità: ma non osservò in oltre il mirabil' uomo, come questo è un edifizio, che nel di fuori in pilastri, ed archi consiste tutto, onde qual sarà presso di lui il suo corpo? Blondel all'incontro altro Franzese, che sopra Vi-* C *truvio, Palladio, Vignola, e Scamozio lavorò un Corso d'Architettura, i nostri tre ordini di pilastri chiamò Dorici, onde benchè rustici, più che Toscani a lui parvero, e più ornati di quel che sono. Ma quelli che hanno creduto perdersi per tal rusticità d'opera la forma dell'Ordine, come parve anche al Chambray, avrebbero facilmente conosciuto il loro inganno, se oltre alli due piani inferiori, che pur son regolati, e ben' intesi, ed oltre a' loro capitelli, e cornici, che non sono certamente* en bossage, *avessero alzato gli occhi alla sommità dell'Ala, dove avrebbero veduto un So-* D *praornato sì pulito, e sì ben condotto, che insensato in tal materia è da dire chi non lo gusta. E poichè la ristrettezza della strada da quella parte non ne lascia godere a bastanza, non lasci il forastiero dilettante di sì bell'arte, di farsi condurre a certa alta finestra di povera casa alquanto distante, perchè quivi le belle arcate del terzo piano col superiore ornamento gli presenteranno una gioconda veduta in sana e legitima architettura.*

Il Desgodetz, che non diede a questa fabrica nome d'Ordine alcuno, nell'ultima sua E *Tavola mostrò il profilo in grande di tutte le parti, ch'abbiam finora descritte, e corresse il Serlio in alquanti membri per colpa forse degl'intagliatori, malamente espressi. Stupisco, come nè l'un nè l'altro riflettesse all'aversi qui il compimento dell'ordine Toscano. Ma non bastò qui la diligenza del Desgodetz per rappresentare interamente il vero. Va bene nel prim'ordine l'imposta: va bene anche il capitello de' contrapilastri, o colonne piane, ch'egli chiama pilastri. Ma egli mette sotto il fregio uno zoccolo, che non vi è, e che non vi può es-* F *sere. Ne' membri della cornice è alcuna piccola differenza di misure. Nell'ordine superiore l'imposta dell'arco non ha quel piano sotto, nè quel compartimento di misure, essendo le due gole superiori quasi uguali. L'architrave parimente non fa la prima fascia sì stretta, il che leverebbe la grazia, nè fa strettissima la gola riversa, che sconcerterebbe altresì, ma i tre primi membri ha quasi uguali. La cornice similmente del Desgodetz ha proporzion diversa di membri, come si potrà osservare, para-*

comparatione poterit intelligi, eamque habet veteri Architecturæ minus convenientem, nec præsefert coronam.

Quartus ordo augeri ornatu fortasse poterat, facta zophoro adjectione aliqua: poterat etiam esse genus quoddam Atticurgis, aliaque ratione variari. Prima ejus zona, quæ supra coronam est, lapides omnes cuneatos habet hoc est in modum caudæ hirundinis elaboratos. Ex his duo magna fragmenta observata sunt, alterum, quod locatum est in recenti muro sub mesaula media, alterum, quod erat supra in mesaula secundi ordinis jacens, quæ fragmenta indicium est ingentium fenestrarum partes fuisse. Altitudo, in qua mansit secundum, quod est molis maximæ, e suprema parte delapsum esse ostendit. In his conspicimus, fenestras quodam coronæ genere fuisse circundatas, qua carebant fenestræ Amphitheatri Romani, ac superiorem lapidem in transversum fuisse aliquantillum arcuatum. Sed præterea modico ab Amphitheatro intervallo, longo ab hinc tempore jacebat fragmentum veteris epistylii, quod nunc inferendum intro curavi, effossaque terra in ambitus exterioris loco duo inventa sunt coronæ fragmenta, quæ satis bene cum eo epistylio conveniunt. In his ordo Romanus est, membraque, & ratio plane eadem, quæ in Arcu Titi. Nemo putet, reliquias summi verticis esse posse; tum quia duo inferiores ordines, ut paulo ante diximus, ostendunt, cujus architecturæ etiam superiores essent; tum etiam quia ineptæ fuissent ejusmodi scalpturæ in tam magna altitudine, neque cæteris respondissent. Inducor itaque ad credendum, fragmenta illa ad majoris ostii vestibulum pertinuisse, in quo etiam situ eruta sunt, qua de re suo loco dicetur.

Non possum hic facere, quin singulares gratias habeam præclaris illis litterarum, & Architecturæ laude viris, qui de modo exposita Thuscanicæ Trabeationis observatione gratulati mihi per litteras sunt, auctoresque fuere, ut alii gratularentur. Ut aliquos commemorem, nominabo in primis March. Polenum, de quo capite secundo honorifica mentio facta est, & a quo Vocabularium Architecturæ speramus, quod necessarium est, ut tandem aliquando vocibus nominibusq; membrorum certus intellectus constituatur, quæ cum soleant multifariam usurpari, parere confusionem consueverunt. Ex Venetis inter cæteros commemorabo Bernardinum Zendrinium, Mathematicum insignem, qui Architecturæ studio maxime delectatur; ex Romanis D. Herculanum, qui de tam præclara Arte egregium Tractatum, spes est fore ut edat in lucem; itemq; Equitem Odamium, qui tum in hoc, tum in aliis bonarum artium studiis tanto splendore nominis eminet, quique pollicetur, se, cum iterum typis committi Barozium de Vignola opus erit, qui adolescentium manibus teritur, & qui doluit Thuscanicum ornatum inveniri in antiquis reliquiis non potuisse, ejus rationem ex hoc Amphitheatro desumptam adjecturum. Neque tacebo duos perillustres Viros Bibbienas, ex quorum exemplaribus in tam multis clarisque Urbibus ædificia pulcherrima extructa sunt; neque Eq. Philippum Juvaram Messanensem, qui erectis a se præclarissimis ac regiis ædificiis nostra hac ætate summa cum laude antiquæ Architecturæ gloriam æmulatur, silentio prætermittam. Tacere neque Cl. Alexandrum Gordonium Scotum debeo, qui præclare scripsit de muro dividente in Anglia a Romanis extructo, quique post paucos a prima hujus opusculi editione menses, convertere illud in Anglicum sermonem, & Londini typis committere constituit. Il-

gonando, e l'ha non molto confacente all'uso antico, e non mostra il gocciolatoio.

Il quarto piano potea forse crescer d'ornamento con aggiunger qualche cosa nel Fregio: poteva ancora essere una spezie d'Attica, e variare in altra forma. La prima fascia di esso ch' è sopra la cornice, ha tutte le pietre cuneate, cioè a coda di rondine. Due gran pezzi si sono osservati, l'uno ch' è stato adoperato in moderno muro sotto il corridor di mezo, l'altro ch' era sopra, giacente in un andito del secondo piano, quali mostrano esser parti de' fenestroni. L'altezza in cui era rimaso il secondo, ch' è grandissimo, mostra, che vi cadde da suprema parte. Scorgesi in questi, come le fenestre aveano attorno un corniciamento, che non è in quelle di Roma, e come il traverso di sopra era alcun poco archeggiato. Ma in oltre a pochi passi dall' Anfiteatro giacea da gran tempo un pezzo d'architrave antico, ch' ora ho fatto trasportar dentro, e scavando nel sito del recinto esteriore due framenti si son trovati di cornice, che molto bene accompagnano tale architrave. L'Ordine in questi è Romano, e i membri, e 'l lavoro affatto simile a quel dell' Arco di Tito. Non è da pensare che possano esser reliquia dell' ultima cima; sì perchè come abbiam detto poc' anzi, insegnano i due piani inferiori di qual' Ordine anche i superiori si fossero; e sì perchè non sarebbero stati convenevoli così fatti intagli in tanto smisurata altezza, e non avrebbero accordato col rimanente. Inclino però a credere, che quei pezzi attenessero al Vestibolo della principal porta, nel qual sito si sono anche scavati, di che si parlerà a suo luogo.

Non posso qui trattenermi dal render grazie a quegl' insigni Letterati, e Architetti, i quali per la osservazione del Sopraornato Toscano pur' ora esposta si sono compiaciuti di scrivermi, o di farmi scrivere liete congratulazioni, e gentili. Per nominarne alcuni, farò principio dal Marchese Poleni, di cui si è fatta nel secondo capo onorevol menzione, e da cui un Vocabolario d'Architettura si spera, ch' è necessario per fissare una volta i termini, e i nomi de' membri, che per esser variamente usati soglion generar confusione. Di Venezia ricorderò fra gli altri il Signor Bernardino Zendrini, insigne Matematico, che dell' Architettura si compiace singolarmente; di Roma Monsignor Ercolani, che sopra così nobil' arte egregio Trattato sperasi sia per dar fuori, e parimente il Cavaliere Odami, il quale in questa e in altre belle cognizioni tanto si distingue, e persuade in occasione di ristampare il Vignola, ch' è tanto alle mani de' giovani, e che si dolse di non aver trovato l'ornamento Toscano nelle reliquie antiche, d'aggiungervelo ora da questo Anfiteatro. Nè lascerò i due celebri Signori Bibbiena, co' disegni de' quali in tante gran Città edifizj bellissimi si sono eretti; nè il Cavalier Filippo Iuvara Messinese, che con le sue incomparabili, e regie fabriche sostien veramente in oggi l'onor della nostra età a fronte delle antiche. Ommetter non debbo parimente il Signor Alessandro Gordon Scozzese, che nobilmente ha scritto sopra la muraglia divisoria fatta da' Romani nell' Inghilterra, e pochi mesi dopo la prima edizione di quest' operetta, volle tradurla in lingua Inglese, e farla stampare a Londra. Debbo però altresì confessar

A lud tamen fateri etiam debeo eodem tempore, me, in ejusmodi observatione nihil aliud promeruisse, nisi quantum ex eo potui, quod Amphitheatrum hoc quotidie ante oculos ipsos percommode habui; atque illud quoque fateri debeo, viæ angustias & conformationem ex ea parte, molisque proceritatem impedimento fuisse, quominus etiam ego antehac potuerim hæc omnia animadvertere, quæ tunc solum detexi, cum primum omnia ad dimensiones suas exigenda curavi, partemque superiorem ex editiore loco prospexi. Perlibenter adderem hoc loco aliquas hominum tam illustrium epistolas, si verbis suis de me perhonorificis pudori meo aliquanto magis ipsi pepercissent. B In earum quibusdam nonnulla sunt pulcherrima observata pertinentia ad incomparabile Amphitheatrorum artificium, atque ad præstans Architectorum eorundem ingenium in molibus tam superbis adeo multiplici cautione, tantaque internorum locorum tam concinne concepta varietate extruendis. Illud in primis a doctissimo Poleno animadversum est, quantum colligi ex superbis ipsorum reliquiis possit, præsertim quod ad Architectorum licentias pertinet, quæ nihil sunt aliud, quam ingeniosa quædam artificia, quæque docent, in arte Architectonica C principem regularum omnium, omniumque symmetriarum esse prudentis Architecti unicum judicium, idque eo magis in extraordinariis operibus, cujusmodi Amphitheatra fuere. Videmus sane in Coliseo, columnis ordinum diversorum non inesse proprias symmetriarum diversitates, neque ordinibus superioribus degradationem; immo vero quartum contra multum crescere, in eoque columnas quadratas esse, cum in tribus inferioribus sint rotundæ; nihilo tamen minus opus illud est ejusmodi, ut nullum plane aliud queat cum illo ex æquo componi. Sic videmus in Arena, in superiore ambitu non esse columnas planas D reapse; earum autem speciem ex eo nasci quod sub arcuum capitulis pilæ aliquantum retrahuntur introrsum. In Polano quoque Amphitheatro nullæ sunt in ordine tertio columnæ. Cum in hoc ordine ob rationes nobis ignotas, (quandoquidem diruta est interna structura,) vacua spatia in Arena nostra decrescant, fit consequens, ut amplificetur solidum, & paries evadat: quare supervacaneas ne ibi judicaverunt columnas planas, ubi pilæ deessent? sed etsi infra capitulum plana columna desideretur, id tamen qui ex terra prospicit, non advertit; ita ut quod in deformationibus, in quibus non omnia satis exprimi possunt, E exhibet speciem praviorem, eam in ipso ædificio nequaquam exhibeat, quippe ob altitudinem hallucinatur oculus, & capitula ipsa superiora parieti infixa depressaque introrsum ex parte sunt. In suprema Colisei corona inter mutulos pro rosis vel alia re ejusmodi, extant lapides rudes nec complanati; attamen vero nihil omnino præseferunt inconcinnitatis: neque enim e terra prospecti oculis distinguuntur. Sunt etiam, qui scribant, non eadem ratione considerari oportere pilas, seu veras columnas, & columnarum adumbrationes, cujusmodi sunt planæ columnæ mi- F nimum extantes; ad eundemque modum neque epistylia ficta, ut ita dicam, quæ & ipsa insistunt arcubus, & epistylia vera alicujus porticus hoc membro præditæ, quæ reapse sustineant, quidquid supra est, quæque a solis pilis sustineantur. Observat autem Eq. Iuvara, quam prudenter in Veronensi, Polano, ac Nemausensi Amphitheatro adhibitus sit ordo Thuscanicus, quippe qui præ cæteris nova artis commenta patitur, & in maximis ædificiis rustico illo suo operis genere,

nell'istesso tempo, ch' altro merito io non ebbi in tale osservazione, se non quello che potè nascere dal comodo d'aver tutto dì questo Anfiteatro sotto gli occhi; e confessar debbo altresì, che con tutto ciò l'angustia, e la conformazion della strada da quella parte, e l'altezza non meno, sottrassero a me ancora sempre tale avvertenza, onde riflession non vi feci, se non nel far prender di tutto le misure, e nell'osservar la parte superiore da luogo alto. Molto volontieri porrei qui alcune delle lettere di Soggetti così rinomati, se avessero perdonato alquanto più al mio rossore nelle cortesi loro espressioni. Bellissime osservazioni in alcune si contengono intorno alla maestria incomparabile degli Anfiteatri, e alla gran mente degli Architetti loro nella costruzione di così superbe moli con tante avvertenze, con tanti ripieghi, e con tanti luoghi interni sì ben pensati. Vi si nota spezialmente dal dottissimo Poleni quanto dalle lor superbe reliquie imparar si possa, sopra tutto per le licenze, che sono industriosi artificj, e che insegnano come in Architettura, la regola delle regole, e la misura delle misure è il giudizio sano dell'Architetto, e tanto più negli edifizj straordinarii, com'eran questi. Veggiamo in fatti nel Coliseo, come le colonne de' diversi ordini non hanno le proprie loro diversità di proporzioni, nè i piani superiori degradazione., anzi il quarto cresce all'incontro di molto, e in esso le colonne son quadre, dove quelle di sotto rotonde, e non per tanto è il più bell'edifizio del mondo. Così veggiamo nell'Arena, che nel giro superiore non ci son propriamente colonne piane; l'apparenza di esse nel disegno nasce dal ritirarsi alquanto in dentro le pilastrate sotto i capitelli degli archi. A Pola parimente non si hanno colonne nell'ordine terzo. Ristringendosi in questo piano i nostri vani per ragioni, che non appariscono, stante che la costruzione interna è distrutta, si allarga per conseguenza il solido, e diventa parete: forse però non credettero necessarj contrapilastri, ove pilastri non sono? ma il fatto sta, che se ben non è colonna piana sotto il capitello, chi rimira da terra non se n'avvede; talchè ciò che viene a far brutta vista ne' disegni, che non possono rappresentare a bastanza ogni cosa, non la fa già nell'edifizio stesso, perchè l'occhio resta ingannato dall'altezza, e dall'essere i capitelli superiori concentrati in parte nel muro. Nella cornice più alta del Coliseo tra i modiglioni in vece di rose, o d'altra cosa tale, son bozze rustiche; e pur non disdicon punto, perchè da terra non si distinguono. Evvi chi scrive in oltre, non esser da considerare in tutto all'istessa maniera li pilastri, o colonne vere, e le mostre di esse, quai son le piane di pochissimo risalto; nè parimente gli architravi finti, per dir così, che posano anche su gli archi, e quelli d'un portico architravato, che sostengano veramente quanto è di sopra, e che da i soli pilastri sien sostenuti. Avverte poi il Cavalier Iuvara singolarmente, con quanto giudizio a Verona, a Pola, a Nimes si vegga posto in opera l'ordine Toscano, che più degli altri dà adito all'inventare, e che sì ben riesce ne' grandissimi edifizj col suo rustico lavoro, e bozze, e riquadramenti;

e con

rudibusque saxis, & quadrationibus ingentem nescio quam speciem pulchritudinis ostentat; quam prudenter item ordo idem in arena nostra robustior ac minus ornatus in inferioribus, ornatior, atque elegantior effectus fuerit in superiore ordine. Animadvertunt ad extremum omnes ad unum, quam utile sit, conspicere in præsentia genuinum exemplum Thuscanici ornatus cum sua corona; atque hunc quoque ipsum ordinem multiplici membrorum varietate exornare, quando opus fuerit: ut propterea conqueri desinant docti *Institutæ inter veterem recentemque Architecturam comparationis* Auctores, Trabeationis Thuscanicæ antiquum exemplum desiderari; eodemque tempore animadvertunt, quam merito, & jure prudens & accuratus Desgodetius hoc unum antiquitatis monumentum inter universa reliqua, quæ extra Urbem Romam sunt, quatuor Tabulis in præclaro suo opere editis exprimendum simul cum Romanis monumentis judicaverit, etsi in aliquo membro nonnihil variaverit, neque monuerit, vel non animadverterit, hic haberi, quod ad Thuscanici ordinis perfectionem videbatur desiderari.

CAP. V.

Statuas Vici, & Ligorii fabulas esse.

Antequam primum ambitum dimittamus, opus est aliquid de statuis dicere, quas nonnulli contendunt fuisse circum in Amphitheatro. Ante quadratas ordinis tertii columnas, totidem statuas delineaverunt Pyrrhus Ligorius, & Æneas Vicus. Id satis fuit, ut genus hoc ornamenti ab omnibus susciperetur; adeo ut nulla postea Amphitheatri deformatio delineata fuerit sine ejusmodi statuis; adeoque res omnium animis alte insedit, ut sine ejusmodi signis nihil esse Amphitheatrum multis videretur; imo vero desumpto ex Arena nostra exemplo in alterius etiam cujuslibet deformatione signa isthæc adduntur. Nihilo tamen minus certissimum est, statuas istiusmodi nec in Amphitheatro fuisse, nec vero esse aut debuisse, aut potuisse; neque parum detrimenti inferunt genuinæ Architecturæ formæ qui credunt, veteres Architectos in externa ejusmodi ædificii parte vel ante parietes, seu pilas statuas collocasse, in quibus quidem pilis nulla sunt in eum finem cubilia; vel supra coronæ alicujus projecturam, quæ sustentari non possent & in qua collocari non potuissent, nisi sextuplo minores, quam altitudo postulabat. Cum in Romano Amphitheatro, quod erat opus tanto magnificentius atque ornatius, in qua præterea Urbe tanta erat Statuariorum copia, ejusmodi statuæ nunquam conspectæ fuerint, id unum satis esse poterat, ut quilibet intelligeret, multo minus in Amphitheatris Municipiorum, atque a Roma longe dissitis statuas nullas extitisse. Ostendunt sane Figuras numi in secundo ac tertio Colisei ordine; sed has quidem in spatiis vacuis, in quibus locus ipsis esse potuisset, ac sub arcubus, non autem in eo situ conspicimus, ubi constituuntur illæ, de quibus loquimur. Huc accedit, quod iis numorum figuris minime arbitror statuas marmoreas, aut metallicas exprimi nisi forte supra majus ostium; sed aliis in locis nihil referri aliud, præter quam adscita ornamenta ex tabula, vel ex tela, quæ diebus solemnium ludorum, in argumentum festivitatis, locoque supellectilis adjicerentur cum honorificis allusionibus ad ipsum spectaculorum Auctorem. Sedes multo statuis convenientior, ac magis propria Theatrum fuit; atqui tamen neque Pompejanum, neque

e con quanta prudenza l' istess' ordine si sia fatto qui più robusto e meno ornato ne' piani inferiori, e più ornato e più gentile nel superiore. Notano al fine concordemente, quanto giovi il vedersi ora esempio autentico di Toscano ornamento con sua cornice, e di far anco quest' ordine ricco di membri dove occorra; con che cessar debba la querela de i dotti autori del Paralello dell' Architettura antica e moderna, *di non aversi esempio antico del Sopraornato Toscano: e notano nell' istesso tempo con quanta ragione il saggio ed accurato Desgodetz a questa sola antichità tra tutte l' altre, che son fuor di Roma, facesse l' onore di rappresentarla insieme con le Romane in quattro stampe, o disegni nella sua bell' Opera, benchè variasse in qualche membro, e non desse avviso per dir così, o non facesse avvertenza all' aversi qui il compimento dell' ordine Toscano.*

CAPO QUINTO.

Esser favola le Statue del Vico, e del Ligorio.

Prima di levar mano dal primo recinto, convien parlar delle statue, ch' altri vuole fossero intorno all' Anfiteatro. Dinanzi alle colonne quadre del terzo piano, Pirro Ligorio, ed Enea Vico disegnarono altrettante statue. Tanto bastò, perchè tal vaghezza fosse da tutti abbracciata, di modo che senza statue non si è poi fatto più disegno, e se n'è talmente impressa la fantasia comune, che senza quelle figure nulla parrebbe a molti esser l' Anfiteatro: anzi a emulazion del nostro si pongon' ora anche nelle stampe d' altri. Non pertanto egli è indubitatissimo, che coteste statue nè vi furono, nè vi dovevano, nè vi potean' essere; e non è di piccol danno alla sana idea dell' Architettura il far credere, che gli Antichi collocassero così balordamente statue, per di fuori in edifizio di tal natura, dinanzi pareti, o pilastri, che non hanno nicchia alcuna, e sopra lo sporto d' una cornice, che non potrebbe reggerle, e dove non avrebbero potuto porsi, se non sei volte più piccole di quel che richiedea l' altezza. Il vedere, che non sono tali statue nell' Anfiteatro di Roma, ch' è d' opera tanto più sontuosa ed ornata, e dove in tanta abbondanza erano gli Statuarii, dovea bastare a far comprendere, che non saranno state negli Anfiteatri municipali, e lontani. Vera cosa è, che nelle Medaglie figure si veggono nel secondo, e nel terzo piano del Coliseo; ma queste ne' vani, e sotto gli archi dove avrebbero potuto aver luogo, non nel sito delle nostre. Aggiungasi, ch' io credo molto probabile, non rappresentarsi per quelle figure delle Medaglie statue di marmo o di metallo, se non se forse sopra il maggior' ingresso, ma negli altri luoghi non altro che ornamenti posticci di tavola, o di tela, che vi si mettessero ne' giorni de' solenni spettacoli, in segno di festa, e in modo d' addobbo, e con allusioni d' onore a chi dava i Giuochi. Sede assai più propria alle statue fu il Teatro, e non pertanto nè quel di Pompeo, nè gli altri

alia Theatra fixas statuas in exteriore parte habuere. In hac ego sententia animum meum confirmavi, cum in eadem esse paulo ante laudatum Equitem Juvaram Augustæ Taurinorum invenerim. Illud certum est, exploratis Romæ iis in Amphitheatro locis, ne vestigium quidem detectum esse stylobatarum, aut basium, neque in ea parte statuas unquam ullas, effossa humo, repertas. Hinc est fortasse, quod idem Titi numus, sed mediocris moduli, a me inspectus figuras nullas præsefert; atque hinc etiam est, quod in numis diversis illæ quoque figuræ diversæ sunt; hinc præterea ubi in quarto Colisei ordine conspiciuntur alternis quadratæ fenestræ, in numis conspicimus spatia intermedia, non, ut in ædificio, nuda, sed occupata orbibus quibusdam, qui clypei videntur esse, nihilque aliud referre possunt, quam adscita quædam ornamenta, quæ apponerentur, ac removerentur. In excelsa illa mole ab Herodiano descripta in Imperatorum Apotheosi narrat Historicus, varias Tabulas, ac signa eburnea consuevisse circum statui; atque in Antonini numo cum eadem machina visuntur statuæ sub arcubus, quo prorsus modo in numis Colisei, atque in summitate Imperator in quadriga: certissimum tamen est, ejusmodi statuas marmoreas non fuisse, neque ex metallo: omnia enim inflammari debebant, atque in cineres redigi. Numum cum Arcu in Nerone ego habeo quodam lemnisco præditum, qui quidem lemniscus ex alto descendit, & per vacuum transversus fertur, ut propterea nihil aliud profecto referat, quam adscitum quendam ornatum certis diebus apponi solitum.

lib. 4.

Vid. Bonar. Mad. p. 171.

P. Monfauconius in Diario Italico, atq; in Antiquitatum Collectione frequentem statuarum populum circa Amphitheatrum Capuense admittit, de quo multo melius, quam de multis aliis rebus Italicis scriptor ille meritus est. Narrat itaq; in ordinis inferioris epistyliis capita esse Numinum; in epistyliis secundi ordinis esse Deos ipsos umbilico tenus; atq; in epistyliis ordinis tertii eorundem Deorum esse statuas integras; secum animo reputans, genus hoc ornamenti Coliseo Romano absuisse, & quam pulcrum debuerit esse in uno circuitu universam veterum Deorum turbam, quorum singulos vera ipsorum forma exhiberet, intueri. Videretur credidisse, isthæc epistylia in singulis ordinibus sic debuisse amplificari, ut primum quidem figuras caperent pectore tenus, tum corpus cruribus diminutum, ad extremum totum cum ipsis cruribus. Sed in primis novum est, marmorea signa ac statuas fuisse in epistyliis: sive enim vox hæc de illo membro Architecturæ, quod supra capitulum columnæ sedet, intelligatur, ut ratio postulat, atque ut accipit Vitruvius, sive de capitulis ipsis, ut eam alii malunt interpretari, perperam tamen; jucundum enimvero auditu est, statuas impositas fuisse epistyliis Zophoro suppositis, vel capitulis suppositis epistylio. *In Antiquitate explicata, omnibus columnis* res has fuisse innixas legimus: verum semicolumnæ, quæ erant circum, supra se habebant epistylia. Nec minus festivum est opinari, octoginta figuris voluisse Romanos, repræsentare Deos suos, quasi apud eam gentem totidem fuerint Dii principes, atque communes, qui eodem in loco ponendi viderentur. Sed ut dicamus, quod res ipsa est, in duobus arcubus inferioribus, quæ supersunt, arcuum claves instar ornamenti vultum præseferunt opere anaglyptico elaboratum cum parte thoracis; neque credibile est, quidquam fuisse amplius in ordinibus superioribus, cum & in Coliseo in quatuor ordinibus plane similes arcus conspiciantur. Non defuit, qui ex commemorata descriptione opinare-

cap. 22.

ebbero statue permanenti nel di fuori. Mi son confermato in quest' opinione per aver trovato dell' istessa in Torino il prenominato Cavalier Iuvara. Certa cosa è, che fatto osservare a Roma in que' siti, orma non vi apparisce, nè indizio alcuno di piedestalli, o di basi, e che non si è inteso mai di statue disotterrate in quella parte. Quinci è forse, che la stessa Medaglia di Tito, ma di mezana grandezza, da me veduta non mostra figure; e quinci è, che nelle diverse Medaglie quelle figure son diverse; e quinci è ancora, che dove nel quarto piano del Coliseo veggiam fenestre quadrate alternatamente, nelle Medaglie veggiamo gli spazj intermedii, non nudi come son nella fabrica, ma occupati da certi tondi, che pajon clipei, ed altro non possono rappresentare, che ornamenti posticci, quali si ponessero, e si levassero. Nell' alta machina descritta da Erodiano per la Deificazion de gl' Imperadori racconta egli, che pitture varie, e figure d' avorio si metteano attorno; e nella Medaglia d' Antonino con detta machina statue veggonsi sotto archi appunto come nelle Medaglie del Coliseo, e su la cima l' Imperadore in quadriga; non pertanto è certissimo, che non di marmo saranno state, nè di metallo, poichè tutto dovea avvampare, e ridursi in cenere. La Medaglia con l' Arco in Nerone io l' ho con un Festone, che discende nell' alto, e attraversa il vacuo, ed altro però che ornamento posticcio di certi giorni senza dubbio non rappresenta.

Il P. Montfaucon nel Diario Italico, e nella raccolta d' Antichità, numeroso popolo di simulacri ammette intorno all' Anfiteatro di Capua, quale presso tal riverito Scrittore incontrò miglior sorte di molt' altre cose Italiane. Narra egli adunque, come sopra gli Epistilii *dell' inferior piano son le teste de i Numi; sopra quei del secondo gli Dei stessi dall' umbilico in su, e sopra quei del terzo le statue intere de' medesimi; riflettendo come mancava questo genere d' ornamento al Coliseo Romano, e quanto bella cosa dovea essere il veder in un circuito solo tutta la turba dell' antiche Deità nella lor vera forma. Parrebbe, ch' ei credesse, dover cotesti Epistilii in ogni Ordine prolungarsi, talchè prima capissero le figure sino al petto, poi con tutto il busto, poi fino a' piedi. Ma nuovo è prima l'intendere, come busti, e statue stessero su gli Epistilii: perchè o vogliasi intender questa voce de gli architravi, come ragion vuole, e l' usa Vitruvio, o de' capitelli, com' altri la prende, e suol malamente spiegarsi; gioconda cosa è l' udire, che posassero statue sopra architravi supposti a' fregi, o sopra capitelli supposti ad architravi. Nell'* Antichità Spiegata *dicesi, che queste cose posavano* sopra ogni colonna; *ma le semicolonne, ch' erano attorno, avean sopra di se gli architravi. Non men grazioso è il pensare, che per un sito d' ottanta figure avessero scelto per argomento di rappresentarvi i Dei, quasi tanti n' avessero i Romani de' principali, e comuni da porre nell' istesso grado. La verità si è, che nelle due arcate inferiori, quali si conservano, le chiavi degli archi portano per ornamento effigiata di rilevo una faccia col principio del busto, e che niente più avranno avuto gli ordini superiori, vedendosi anche nel Coliseo gli Archi affatto simili in tutti quattro i piani. Non è mancato chi dalla descrizion sudetta si sia mosso a dire, che busti, e nicchie*

tur, ac pronunciaret, simulacra, & cubilia frequentia fuisse etiam in Coliseo, quæ supra aditus existerent in parte interiore, etsi hujusce rei nullum vestigium appareat, atque ejusmodi ornamentis opportunum locum assignare non liceat.

Ut ad statuas nostras regrediamur, occasionem hallucinationis hac in re præbuere tesseræ quædam lapideæ, quæ visuntur supra coronam secundam prope planarum columnarum pedem, uti patet ex ipso schemate: sed illæ quidem tesseræ adeo parvæ sunt, ut non potuerint pares esse nisi simulacris perexiguis, cum tamen in ea altitudine esse statuas colosseas oportuisset cum ingenti stylobate, atque parietum excavatione, quo reciperentur. Neque vero plane evanuissent tam ingentes statuæ septuaginta duæ, quin plura fragmenta conspecta fuissent, atque effossa. Quod si quispiam a me postulet, cuinam usui essent lapideæ illæ tesseræ, dicam primum, me in medio singularum quadratum cavum conspexisse, in quod defigi lignum poterat, ac foramen aliud in parte antica, indicatum in deformatione, quod aquæ præbebat exitum, & ex quo colligitur, cavum illud neq; plenum semper, neq; coopertum esse consuevisse: animadverti etiam, alias ejusmodi tesseras supra tertiam quoq; extitisse coronam, quarum & in præsens visuntur duæ ad quadratarum postremi ordinis columnarum pedem. Has vero pro certo habeatur non in medio excavatas fuisse, sed prope parietem, ut trabes illis insisterent, quæ coronam superiorem perforantes Velario deserviebant: id ego Polæ detexi, in quo Amphitheatro ad eundem modum cernuntur lapides omnino similes in eodem situ, foramen, quod parietis excavationi conjungitur, in parte superiore habentes. Sed de iis lapidibus, qui sunt in Arena nostra supra coronam secundam & foramen habent in medio nihil aliud venit in mentem dicere, nisi ludorum, ac frequentiæ diebus vexilla, trophæa, libellos, figuras, aliaque id genus ornamenta, quæ ad solemnitatem pertinerent, in illis defigi consuevisse.

A *in copia fossero anche nel Coliseo, quali restassero sopra gl' ingressi per di dentro, benchè di ciò alcun vestigio non si ravvisi, nè per sì fatti ornamenti opportuno luogo additar si possa.*


Tornando alle nostre statue, motivo di tanto inganno diedero alcuni dadi di pietra, che si veggon su la cornice seconda al piè delle colonne piane, come appar nel disegno: ma questi son sì piccoli, che non avrebbero potuto servire se non per figurini, là dove in quell' altezza volean' esser colossi, con gran piedestallo, e con incavo nelle pareti per ricettargli. B *Nè sarebbero svanite qual polvere settantadue sì grandi statue senza che molti e molti pezzi se ne fosser veduti, e disotterrati. Che s' altri mi richiede a che dunque servian que' dadi, dirò prima, come ho osservato in mezo d'ognun di essi buca in quadro, nella quale un legno potea piantarsi, e altro foro per davanti accennato nel disegno, che serviva d' esito all' acqua, e da cui si raccoglie, come quel vano non era pieno, nè coperto sempre: ho osservato ancora, come altri dadi simili erano anche sopra la terza cornice, vedendosene tuttora due al piè delle colonne quadre dell' ultimo piano.* C *Questi abbiasi per certo, che non nel mezo, ma saranno incavati presso la parete, affinchè in essi posassero le travi, quali forando la cornice superiore, servivano al Velario: tanto ho riconosciuto a Pola, dove parimente veggonsi in quel sito pietre del tutto simili col buco sopra, che si unisce all' incavatura del muro. Ma di quelli che presso noi son su la cornice seconda, e col buco in mezo, non saprei altro pensarmi, se non che ne' giorni di spettacolo, e di concorso vi si piantassero vessilli, trofei, cartelloni, figure, e altri tali ornamenti,* D *che alla solennità si riferissero.*

CAP. VI.

Forma ædificii. Viæ, atque aditus in Aream.

CAPO SESTO.

Pianta dell' edifizio. Vie, ed ingressi nella piazza.



A Cum animus sit in Arenæ descriptione porro progredi, ipsam universi ædificii formam prius oculis subjicio. Addo & formam Colisei, qualem Fontana, Desgodetius, aliique exhibuerunt, quam a Serlio magis, quam ab ipso Amphitheatro suspicari licet ab his Auctoribus desumptam fuisse. Apparebit ex hac, cum progressi dicendo ulterius erimus, eoque magis constabit, cum ad secundum ordinem transierimus, in quot errores prolapsi hactenus fuerint, qui de Amphitheatro egerunt; siquidem ea, quam hic dedi, forma tum inferni ordinis tum superni, ex iis Arenæ partibus, quæ adhuc supersunt, desumpta diligenter, ac fideliter est, neque forma Romani Amphitheatri, quantum ad generalem B pertinet partium distributionem, potuit ab hac esse diversa. In utraque deformatione adjiciendum curavi arcum unum supra dimidium numerum, quo melius effectus mediæ in transversum viæ intelligatur; atq; ut ex nostra quidem pateat, qualis ea via esset, ex illa vero Colisei, qualem fuisse ceteri commenti fuerint. Totum ædificium, uti videre licet, componitur ex quatuor zonis, atque ex tribus mesaulis ellipticis: zonæ nomine structuram intelligo inter duo quælibet vacua: huic plane simile erat Amphitheatrum Romanum; nisi quod Romanum in parte externa duas habebat porticus, alteram alteri proximam, arcubus innixas, atque quadratis pilis a se mutuo divisas.

Volendo procedere innanzi nella descrizione, metto prima dinanzi a gli occhi la pianta generale. Vi accompagno quella del Coliseo, come l' hanno data Fontana, Desgodetz, e gli altri, i quali dal Serlio più che dal vero par quasi potersi sospettare che la prendessero. Apparirà da questa, inoltrandosi il Trattato, e si riconoscerà tanto più quando verremo al secondo piano, quanti errori siano finora corsi in materia dell' Anfiteatro; poichè la nostra pianta così del pian terreno, come del superiore, è presa tutta dal vero che sussiste, nè potea quella di Roma nella distribuzion generale esser diversa. Ho fatto aggiungere nell' uno, e nell' altro disegno un' arcata di più della metà, perchè meglio si vegga l' effetto della via di mezzo per traverso, e si riconosca dal nostro, qual' essa era, e da quel di Roma, come si sono immaginati che fosse. Formasi il tutto insieme, come si vede, da quattro cinte, e da tre corridori elittici: intendo per cinta il fabricato tra un vacuo e l' altro: affatto simile era quel di Roma, se non che raddoppiava nel di fuori con un portico di più, avendone due un presso all' altro, sostentati su gli archi, e divisi fra se da pilastri quadri.

A Quamquam in hoc capite propositum sit tantummodo explicare, quæ ad vias in campum ducentes pertinent, monere tamen necesse in primis est, internam zonam ex muro esse omnino solido, pedes 15. crasso, supra quem erat Podium, & initium graduum; atque murum hunc nequaquam fuisse præditum iis foraminibus, quæ in antehac editis deformationibus ostendebantur, sed integrum continuari: nam sex parvæ illæ scalæ paucorum graduum, quæ in hoc nostro schemate visuntur delineatæ, nequaquam murum findunt, sed supra ipsum attolluntur. Gradus isti Lipsium latuere, atque alios omnes; ac proinde B perperam creditum est hactenus a cunctis, infimos exitus in aream ipsam desivisse: cujus erroris causa fuit solum, quod excrevit in altitudinem, ita ut in præsens gradus ipsos æquet; exitus siquidem illi, ut reliqui totidem, erant Vomitoria, ac per quatuor internos gradus, singulos uncias octo altos, ascensum præbebant ad Podium, quod quintum gradum constituebat. Ex his Vomitoriis unum apud nos servavit omnes gradus antiquos cum ea lapidea lamina, quæ pavimentum ante ipsos formabat. In extrema solum ellipsi utrimque duo ingentia ostia, & quatuor ad eorum latera summitatem muri hujus nonnihil secabant, ut a-C reæ plano æquarentur. Illud pariter animadvertatur, duas medias in transversum vias neque aliis communibus majores esse, neque in aream ducere: immo vero inter duos muros productæ in interiorem porticum desinunt, contraque murum habent: quare qui illas ingrediebatur per alterutrum proximum Vomitorium ascendebat ad Podium. Eodem haud dubie pacto res se habebat in Amphitheatro Romano ob eas rationes, quas afferemus infra; ac in eo solum spatio, quod inter primum aditum, ac tertiam porticum interjicitur, esse potuissent pilæ insulatæ, ac trium viarum communicatio, quemadmodum in deformatis tabulis so-D let ostendi. In utraque ellipsis extremitate contra duæ ingentes portæ erant, quarum effossa humo, limina reperi, quæ in aream ducebant, ac ingentes vidi crassasque pavimenti lapideas laminas in externa parte utraque signatas atque excavatas, fortasse a cancellis ferreis, ut credibile est, qui pandebantur, & claudebantur. Inveni quoque, duo foramina ad utriusque januæ latera constituta in aream & ipsa duxisse: etenim pro quatuor gradibus, seu ipsorum vestigiis, & pro pavimento ante eosdem strato, habent singula lapideam laminam nonnihil declivem, quæ per totam muri E crassitiem protenditur, qua descensu unius fere gradus in areæ planum erat ingressus.

Arcus exteriores ac primi duabus hisce januis recta respondentes, ac numeris I. & XXXVII. distincti cæteris ampliores erant. Duæ viæ, in quas per eosdem ingressio est, reliquis pariter sunt spatiosiores; & quod observatu dignum est, non coarctantur, ut aliæ procedentes ad punctum, sed usque ad ipsum exitum eandem amplitudinem constanter retinent. Ultra medianæ mesaulæ arcus videntur extare cancelli seu januæ vestigia quædam, qua fortasse porro progredi prohiberentur cæteri omnes, præter Actores; quæque tum F panderetur, cum spectaculi initium fieret. Supra fornicem externi aditus, qui in præsens cernitur, atque januæ loco est, murus attollitur, in quo ingens fenestra erat, nunc immutata propter instaurationes factas. Supra intervallo pedum 15. laquear planum est, & inde quadam fornicis specie ad totam extenditur altitudinem, supra nihil aliud habet præter gradus; ac longius etiam procurrebat, quam protenditur in præsentia: habitæ enim consequutis temporibus instaurationes,

Benchè in questo capo l' intenzion sia d' instruir solamente delle vie, che conducean nella piazza, necessario però è di far prima osservare, come la cinta interna è d un muro tutto solido, grosso piedi 15. che avea sopra di se il Podio, e il principio de' gradi, e come questo muro non era altramente forato dalle aperture che vi mostrano i passati disegni, ma continua intero, essendo che le sei scalette di pochi gradini, che vi si figuran nel nostro, non lo aprono già, ma s' alzano sopra di esso. Questi gradini sono stati incogniti a Lipsio ed a tutti gli altri, e malamente però è stato creduto da tutti finora, che i più bassi sbocchi mettessero nella piazza, nato l' inganno dall' alzamento del terreno, ch' or si ragguaglia con essi; quando erano Vomitorii come gli altri, e per quattro gradini interni, alti ciascheduno once otto, faceano ascender sul Podio, che veniva a formare il quinto. Uno di questi sbocchi ha presso di noi conservati tutti gli antichi gradini con la lastra, che formava innanzi ad essi il pavimento. Solamente nelle punte dell' ovato le due gran porte, e le quattro ad esse laterali alquanto tagliavano della sommità di questo muro per doversi ragguagliare col piano del campo. Notisi parimente, come le due strade di mezzo per traverso nè son maggiori dell' altre comuni, nè conducon nel Campo; anzi avanzandosi tra due muraglie, terminan nel portico interiore, ed hanno per contra il muro, onde chi veniva per esse, saliva poi sul Podio per uno de' due prossimi Vomitorii. Così era indubitatamente anche nell' Anfiteatro Romano, per le ragioni che vedremo appresso, e solamente nello spazio, ch' è dal primo ingresso al terzo portico, potrebbero esservi stati pilastri isolati, e comunicazion di tre strade, come si suol mostrar ne' disegni. All' incontro nelle punte dell' ovato erano due gran porte, delle quali scavando ho trovate le soglie, che mettean nella piazza, e ho vedute le grandi e grosse lastre del pavimento, segnate dalla parte esterna di qua e di là, e incavate, probabilmente da cancelli di ferro, che si aprivano, e serravano. Ho trovato altresì, come i due fori laterali all' una, e all' altra di queste porte interiori mettevano nel Campo anch' essi, poichè in vece de' quattro gradini, o de' segni di essi, e del pavimento innanzi, hanno tutti una lastra alquanto in pendenza che continua quanto il muro, dalla quale, con discesa di non più che l' importar d' un gradino, si calava nel piano della piazza.

Gli Archi esteriori e primi, corrispondenti in retta linea a queste due porte, e segnati de i numeri I. e XXXVII. erano più larghi di tutti gli altri. Le due strade, nelle quali si vien per essi, son parimente più spaziose, e quel ch' è osservabile, non si ristringono come l' altre procedendo al punto, ma si tengono sempre nell' istessa larghezza fino allo sbocco. Trapassati gli archi del corridor di mezzo, par che si veggan ne' muri segnali di rastello, o porta, con cui si dovea impedire il passar' oltra dirittamente a tutt' altri, che a gli Attori, aprendosi poi nel cominciar dello spettacolo. Sopra l' arco dell' esterno ingresso, ch' or sussiste, e fa porta, muro s' alza, nel quale era un fenestrone alterato ora da i risarcimenti. Sopra per lo spazio di piedi 15. il soffitto è piano, poi segue in volta pendente di tutta altezza, non avendo al di sopra che i gradi, e proseguiva ancor più avanti ch' ora non fa, poichè i posteriori accomodamenti, e il poggiuolo aggiunto sopra gl' ingressi,

adjectumq;supra aditus mœnianum in causa sunt quamobrem scire non liceat, quo se pacto res ipsa habuerit. Quatuor insulatæ pilæ, quæ visuntur ex utraque parte in hisce viis, in parte superiore arcuatæ sunt:quo loco illud est animadvertendum, muros, quibus in præsentia concluduntur, recentes esse, atque in usum diversarum in locis iis locationum extructos. Qui tamen si diruerentur, locusque clauderetur cancellis, seponendis lignis ea spatia peræque inservirent, atque hinc veteris aditus magnificentia pateret.

Regredientibus per quatuor arcus ad latera majorum, duos hinc ac duos inde positos, ineuntur viæ totidem apertæ, & cum ea, quæ media est concurrentes; inter quas aliæ quatuor pilæ sunt pariter insulatæ. Quatuor istæ viæ in porticum secundam erumpebant: earum fornices instar sunt dimidii circuli multo depressiores, quam medianus, ac secundum horizontem procedunt. Exacta harum omnium viarum patebit amplitudo, ubi ea in medium proferetur, quam eorum arcus habent in aditu. Sed illud in primis observatu dignum est, quemadmodum, cum propter ovalis figuræ rationem eo magis decrescere deberent, quo protraherentur magis, prudens architectus æqualem fecerit, ejusdemque ubique amplitudinis eam quæ cæteris magis conspicua est, rejecto defectu toto in duas alias laterales proximas quarum pilæ postremæ propterea accedunt multum inter sese: sed in iis etiam prope omnis defectus latet, propterea quia non in lumen ipsum, sed in murum minus conspicuum desinunt.

Exterioribus arcubus quatuor ac septuaginta, quæ proxime ex utraque parte succedunt,respondent, uti licet videre, viæ rectæ, quæ porticus, zonasque omnes inter utrumque parietem penetrantes in aream ducunt, ac per foramina paulo ante memorata in ipsam desinunt; ita ut septem essent utrimque arcus externi ad ellipsis extrema, per quos ibat, qui acturus erat in area; neque ad hanc ullus alius patebat ingressus, præter tres hinc, ac tres inde modo commemoratos. Hæc omnia indubitata sunt, quæ cuilibet fas est suismet oculis intueri.

Quare satis jam patere potest, quam perperam hactenus Amphitheatrorum forma animo concepta sit, atque exposita: nam etiam deformatio, quam in vasto atque sumptuosissimo recens edito libro habemus, quamque hoc loco subjiciendam oculis curavimus, falsa est prope universa. In duabus tantum zonis exprimuntur scalæ, cum tamen scalæ essent in zonis omnibus; atque ex iis scalis, quæ ibi exhibentur, fere dimidiæ absunt a vero. Internus ambitus ita deformatur, quasi ex tenui muro constaret, cum tamen ex interna parte totius molis veluti basis esset. In eo plures fiunt laterales aperturæ, cum tamen reapse nulla esset. In medio transversæ ostenduntur viæ duæ majores reliquis, quæ majores nequaquam erant, atque in aream desinentes, cum tamen in hanc non pateret ingressus nisi ad extrema ellipsis; ac prope illas duo aditus, ac pilæ insulatæ, etsi, effossa utrimque humo, nulla sit in iis locis inventa apertura. Viæ per minorem ellipsis diametrum oppositæ erant illæ quidem Imperatori, cæterisque spectatoribus dignitate præditis opportuniores, utpote quæ locis ad conspicienda spectacula accommodatioribus erant proximæ, non ita tamen ingressioni illorum, quorum adventus ac pompa, mora ipsa, augere voluptatem debebat illis, qui extrema occuparent. In antehac editis deformationibus arcus duo primi aditus in utraque ellipsis extremitate fiunt ejusdem fere amplitudinis cum cæteris, qui revera tamen a cæ-

non ci lasciano vedere come la cosa per l'appunto si stesse. I quattro pilastri isolati, che si veggono di parte, e d'altra in queste strade, sono archeggiati sopra: dovendosi avvertire, che i muri da' quali al presente si serrano questi pilastri, son moderni, e fatti per uso d'affittanze separate in que' luoghi. Se si abbattessero però, e si serrasse con cancelli, servirebbero quegli spazii per conserve di legnami ugualmente, e ne apparirebbe la nobiltà dell' antico ingresso.

Tornando fuori, per li quattro archi laterali due per parte a i maggiori, s'entra in altrettante vie aperte, e comunicanti con quella di mezo, avendo fra se quattro altri pilastri parimente isolati. Queste quattro vie terminavano nel secondo portico: le volte di esse sono a mezo cerchio assai più basse, che quella mezana, e camminano orizontalmente. La larghezza precisa di tutte queste vie s'intenderà, ove diremo quella de' loro archi d'ingresso. Ma è notabile sopratutto, come dovendo per necessità della figura ovale riuscir tutte col difetto di andarsi ristringendo nel progredire; il saggio Architetto ha tenuta uguale la più cospicua, e sempre nell' istessa larghezza, facendo cader tutta l'imperfezione nelle due prossime laterali, i due ultimi pilastri delle quali vengono però ad essersi assai vicini; ma resta anche in esse quasi occultato il difetto, perchè non terminano nel chiaro d'un vano, ma in muraglia, che ha poco lume.

Agli archi esteriori 4. e 70 che prossimamente da una parte, e dall' altra succedono, corrispondono, come si vede, vie diritte, quali trapassando i portici, e le cinte tutte tra muro e muro, conducono nella piazza, e mettono in essa per gli aperti fori poco fa riferiti: talchè sette di qua, e sette di là erano gli archi esterni alle due punte dell' ovato, per li quali passava chi dovea operar nel Campo, nè in esso altro ingresso, che li tre per parte accennati, si avea. Tutto ciò è fuor di dubbio, potendosene accertare ognuno con gli occhi suoi.

Ben però si può già riconoscere, quanto storta idea si sia finora avuta dell' Anfiteatro; poichè anche la pianta, che ne abbiamo nel vasto e sontuosissimo moderno libro, e che si è qui posta dinanzi a gli occhi, è quasi tutta erronea. Vi si mostrano le scale solamente in due cinte, quando ve n'era in tutte e tre, e delle scale, che vi si segnano, quasi la metà è fuor del vero. L'interno recinto vi si rappresenta come d'un sottil muro, quando serviva in certo modo dalla parte interna di basamento alla mole. Si fanno in esso più spaccature laterali, quando niuna ve n'era. Nel mezo per traverso si mostrano due strade maggiori dell'altre, quando non erano, e terminanti nel Campo, quando non si entrava in questo che su le punte dell' ovato; e con due porte, e pilastri isolati presso esse, benchè scavando di qua e di là non si sia trovata in que' siti apertura alcuna. Le vie diametrali per largo eran bensì opportune per l'Imperadore, e per gli spettatori più graduati, siccome quelle ch'eran prossime a migliori siti per vedere, ma non già per l'entrar di coloro, con la cui comparsa alle estremità si cercava di prolungare il diletto. Si fanno nelle passate piante i due archi di primo ingresso su le punte dell' ovato quasi dell' istessa larghezza degli altri, quando veramente v'è molta dif-

teris amplitudine multum differunt; arctiores etiam fiunt duæ illæ viæ, quemadmodum reliquæ, quanto propius accedunt ad punctum: quæ res plane tollit, quidquid Architectus ingeniosius molitus est. Ita demum forma delineatur, ut unus modo in utraque ellipsis extremitate esset aditus, ut ea via non esset spatiosior, ut duas illas alias non haberet ad latera, quibus redditur tam magnifica; cum tamen, ut alias causas missas faciam, etiam ob ipsam pompam, atque ob ipsos apparatus, quibus interdum campum ingrediebantur, atque priusquam congrederentur, pulcherrimum visu spectaculum exhibebant, amplitudo isthæc, aditusque multiplex necessario requiri videretur.

Rem vero ita se habuisse, colligi in primis potest ex Plinio, ubi ait, omnem apparatum Arenæ argenteum fieri a Cæsare jussum; qui quidem apparatus ante reliqua omnia induci in campum consueverat. Ait etiam eodem loco Plinius, *feras argenteis vasis incessere tum primum visum*; (quo loco non possum quin conquerar, periodum illam in splendida ejus scriptoris postrema editione sine ulla causa, si fas est dicere, immutatam esse: dicam etiam hic obiter, ubi textus habet *vasis*, legendum fortasse *armis*;) alio enim etiam in loco inquit idem Plinius, in quodam Neronis munere, *arma totumque apparatum e succino fuisse*. Cum Gladiatorium munus Bononiæ celebravit Fabius Valens, Roma *cultum* advexit, ut apud Tacitum legimus. Sed in Amphitheatra fortassis etiam ab initio inducebatur quoddam pompæ genus, quam hodie supplicationem diceremus, ad Circensium imitationem: conjecturæ occasionem præbet Prudentius, ubi *Pompam Amphitheatralem* nominat. Ex Isidoro præterea novimus, genus fuisse quoddam Gladiatorum, qui Equis insidentes congrediebantur, atque hos alterum quidem una, alterum vero alia janua in albis equis, auratis galeis, armisque majoribus & minoribus ornatos ingredi campum consuevisse; ante illos autem præferri solita militaria insignia: quæ res amplos aditus requirebat, ac postulare videbatur, ut prope majorem essent alii duo laterales. Horum Gladiatorum familia cæterarum in eo genere princeps erat, & nobilitate reliquis antestabat, ut innuit Isidorus, atque Artemidorus etiam, qui affirmat, somniatos nobilem ac divitem uxorem portendisse. In eorum ego pugna primum tanquam exemplar video eorum ludicrorum certaminum, quæ vulgo *Tornei*, e *Giostre* dicimus. Ætate Ciceronis græca voce *Andabatæ* dicebantur; & quoniam galeæ oculos ipsis magna ex parte obtegebant, quod & in præsentia contingit eo genere armaturæ utentibus, dum correptis hastis alter in alterum incurreret, factum est ut hac voce proverbialiter eos designarent, qui imprudenter aliquid agerent: de hac re docte Lipsius loquutus est in Saturnalibus. Ex Gladiatoriis certaminibus, non autem ex quibusdam Septentrionalium gentium institutis ludicras pugnas apud nos originem duxisse, videtur mihi posse colligi ex Actis etiam S. Demetrii, a me libro primo commemoratis; in iis enim, dum Thessalonicæ, *in castris singularia certamina* Imperator spectat, inducto celebri nescio quo *Gladiatore*, qui victoriam de omnibus referre solebat, conclamatur, in campum prodiret, siquis cum illo congredi auderet, magnaque præmia proponuntur: quare reliquis metu absterritis, e gradibus descendit quidam adolescentulus, seseq. ad pugnam offert animose. Ut ad modo commemoratum Isidori locum revertamur, constat etiam ex illo duo fuisse ma-

l.18.c.53. Genera gladiatorum plurima, quorum primus ludus equestrium &c.

l.2.c.12.

A *ferenza, e si fanno ristringer quelle due vie come l'altre nel procedere al punto, con che si perde la più bella finezza dell'Architetto. Vi si rappresenta finalmente, che nelle punte dell'ovato una sola fosse l'entrata, e che quella via non fosse più larga, e non avesse quell'adiacenza di due strade per parte, che la rende sì magnifica: quando oltre all'altre ragioni necessaria era tale ampiezza, e raddoppiamento d'ingressi anche per la pompa, e per gli apparati, con che tal-volta entravano nella piazza, e faceano prima di combattere superba mostra.*

B

Che così fosse veramente, si può prima raccoglier da Plinio, ove dice, che una volta Cesare fece tutti gli arnesi per l'Arena d'argento; quale apparato si facea precedere pomposamente. Dice anche Plinio quivi, che allora fu veduto per la prima volta instigar le Fiere con masserizie di tal metallo; dove non posso non condolermi con quel misero periodo, nell'ultima sontuosa edizione senza motivo alcuno, s'è lecito dirlo, fatto cambiar sembianza: dirò altresì di passaggio, che dove il testo ha vasis, *forse va letto* armis; *perchè dice altrove l'istesso Plinio, che in un Giuoco di Nerone* l'armi, e l'apparato *furon d'ambra*. C *Quando Fabio Valente celebrò un Giuoco gladiatorio in Bologna, fece venir di Roma gli apprestamenti, come si vede in Tacito. Ma ne gli Anfiteatri fors' anco nel principio qualche spezie di Pompa s'introducea, che si direbbe in oggi Processione, a imitazione delle Circensi: mi nasce il sospetto dal cenno, che ne dà Prudenzio, ove nomina la* Pompa Anfiteatrale. *S'impara in oltre da Isidoro,* D *come un genere v'era di Gladiatori, che combatteano a cavallo, e come entravan questi un per l'una porta l'altro per l'altra, su bianchi destrieri, con elmi dorati, e con lor' armi grandi e piccole,* precedendo le militari insegne: *quali apparenze, e comparse richiedevano spaziosi ingressi, e alle quali tornava molto bene l'averne due altri presso il più grande. La classe di costoro era nel lor genere la prima, e la più nobile, come Isidoro accenna, e Artemidoro altresì, affermando, che prediceano in sogno moglie ricca, e nobile. Io ravviso nel lor combattere la prima idea de' tornei, e delle giostre.* E *A tempo di Cicerone chiamavansi con voce Greca* Andabati, *e perchè le celate impedivan loro gli occhi in gran parte, come anc'oggi avviene in quell'armatura, che si veste, correndo con lancie all'incontro, però usarono tal nome proverbialmente per chi operava alla cieca: parlò di questi dottamente Lipsio ne' Saturnali. Che da i Gladiatorii combattimenti, e non da usi Settentrionali, come vien comunemente creduto, si originassero le Giostre, parmi di ravvisarlo ancora negli Atti di S. Demetrio, citati da me nel primo libro; perchè in essi, mentre sta l'Imperadore* F singolari certami *osservando a Tessalonica dentro uno* steccato; *introdottovi certo famoso* Duellante, *che solea vincer tutti, gridasi, ch' esca in campo chi ardisce contra lui combattere, e gran premii però si propongono: per lo che, temendo gli altri, scende un giovanetto da i gradi, e francamente si presenta. Tornando al sudetto passo d'Isidoro, si riconosce ancora in esso, come due fu-*

jora Amphitheatris ostia, non quatuor, quorum alterum ad orientem solem erat obversum, alterum ad occidentem; quod in Romanum Amphitheatrum apte cadit, non item in Veronense: nam etiam extra Romam, dum sermo esset de Amphitheatro, Titi Amphitheatrum intelligebatur.

lib. 1. ὑποστὰς ἐν τῇ τοῦ Ἀμφιθεάτρου [illegible] &c.

Nunc de quodam Herodiani loco commemorabo, qui Domino Turrio Adriæ Episcopo Viro præclaro, atque Amico meo admirationis multum solebat ingerere; neque sane assequi ejus intellectum, aut cum veritate consensionem liceret, si Amphitheatrum tale fuisset, quemadmodum in Tabulis hactenus fuit deformatum; explicatur autem facile, si fuit ejusmodi, cujusmodi hic a nobis describitur, & delineatur: imo vero locus ille mirifice confirmat, viam, qua ingrediebatur Imperator ludos spectaturus, unam ex duabus per minorem ellipsis diametrum oppositis extitisse; eaque nimirum erat illis plane similis, quas in Arena Veronensi conspicimus, non autem similis duabus majoribus, quæ secundum alteram longiorem diametrum producebantur. Narrat laudatus Historicus, adolescentem missum, ut Commodum interficeret, in eum finem Amphitheatri aditum sibi delegisse, ea spe fore, ut ibi utpote *in loco obscuro latere posset*. Si ea via, in sui extremitate ostium habuisset ad ipsum campum, profecto obscura non fuisset, sed potius valde lucida, cujusmodi videmus esse duas ad majorem axem ellipsis, idque cum ob ipsam amplitudinem, tum ob alias circumstantias. Neque tam obscurus extitisset quilibet alius aditus; quandoquidem unus ille ad tertiam porticum desinens in cæcum oppositum parietem incurrebat, uti in Tabula nostra numero 19. licet intueri; ut proinde, qui hac ingrediebantur, deflectere vel ad dexteram, vel ad sinistram nonnihil deberent, quo ex alterutro duplici Vomitorio prodirent. En igitur quanta cum voluptate ea, quæ in Arena etiam nostra conspicimus, lucem afferant iis, quæ legimus in Historia; contraque quam bene ea, quæ leguntur in Historia, confirmentur ex iis, quæ in Arena licet nunc quoque intueri.

rono le porte grandi dell' Anfiteatro, non quattro, e come l'una riguardava Oriente, l'altra Occidente; il che riscontra nel Romano, ma non nel nostro, perchè anche fuor di Roma, quando si trattava d' Anfiteatro, intendeasi di quel di Tito.

Ora un luogo ricorderò d' Erodiano, che molta maraviglia recar solea ad un mio illustre amico, cioè a Monsignor Torre Vescovo d' Adria, e veramente non potrebbe intendersi, nè verificarsi mai, se l' Anfiteatro fosse stato qual nelle piante si è figurato finora; ma si comprende subito perfettamente, posto ch' ei fosse qual da noi qui si rappresenta: anzi quel luogo mirabilmente conferma, come la strada, per cui entrava l' Impradore a vedere i Giuochi, era una delle diametrali per largo, ed era per l' appunto qual veggiam le nostre in Verona, e non punto simile alle due maggiori per lungo. Racconta quell' Istorico, come il giovane mandato per uccider Commodo, scelse per tal fatto il sito d' ingresso nell' Anfiteatro, sperando di poter quivi stare occulto per esser luogo oscuro. Se quella via avesse avuto nel suo termine una porta nella piazza, non sarebbe stata oscura, ma molto lucida, come vediamo essere le due per lungo, contribuendovi anche l' ampiezza, e l' altre circostanze. Non tanto oscuro sarebbe anche stato ogni altro ingresso, poichè quel solo nello sboccare al terzo portico trova una muraglia cieca di fronte, come nella nostra pianta al numero 19. si può conoscere; dovendo chi per esso entrava, piegare alquanto a dritta o a sinistra, per sboccare dall' un de' due Vomitorj. Ecco però con quanto piacere quel che veggiamo ancora nell' Arena nostra, ci fa intendere ciò che nell' Istoria si legge, e come ciò che nell' Istoria si legge, vien comprovato mirabilmente da quello che nell' Arena possiam tuttora osservare.

CAP. VII.

Quo pacto Feræ prodirent in campum. Podium circum.

Campus erat ab omnibus impedimentis plane liber. Justus Lipsius de Diis egit, quibus sacrum erat Amphitheatrum; ac putavit, in campo Jovis Aram extitisse, quam propterea in medio constituit in sua Amphitheatri deformatione. *c. 4.* Sed profecto ædificium hoc, quippe quia Templum non erat, neque erat sacrum ulli Deo; ludi vero ipsi, qui edebantur, Diis sacrari consueverant: hæc nos docuit Sisinnius Capito in libris, in quibus agebat de spectaculis, a Lactantio adductis. *l. 6. c. 20.* Proprie itaque loquutus Tertullianus est, cum ejusmodi ludorum præsides inquit esse Martem ac Dianam; figurate vero, cum ait Numinibus asperis Amphitheatrum consecrari. *c. 12.* Quare Ara in ipso fortassis esse potuit, nequaquam tamen in medio, neque eo loco, ubi posset esse impedimento; imo vero nec fixa fortasse fuit, sed talis, ut inferretur, quandocumque res postulasset. Planum hujus campi, quod in præsentia gradum infimum exæquat, cujus quidem gradus corpus infra humum delitescit, olim tribus fere pedibus cum dimidio depressius erat. Situm antiqui plani certo collegi ex altitudine ductuum, qui infra humum supersunt adhuc, ac

CAPO SETTIMO.

Come venissero nella Piazza le Fiere. Podio intorno.

La piazza era tutta libera. Giusto Lipsio trattò de gli Dei, a' quali era sacro l' Anfiteatro, pensò, che un' ara di Giove stesse nel Campo, e la pose in mezo ad esso nel suo disegno. Ma l' Anfiteatro non era veramente consecrato a Deità veruna, non essendo un Tempio; bensì a gli Dii si consacravano i Giuochi, che si andavan facendo: tanto insegnò Sisinnio Capitone ne' libri, ove trattava de gli spettacoli, citati da Lattanzio. Propriamente parlò adunque Tertulliano, quando disse Marte, e Diana di tali Giuochi esser Presidi; e figuratamente, quando disse ad aspri Numi consecrarsi l' Anfiteatro. Ara però sarà forse stata in esso, ma non nel mezo, e dove potess' esser d' impedimento, anzi nè pur fissa, ma portata secondo occorrenza ove si richiedevà. Il piano di questa piazza, che ora si ragguaglia col più basso grado, il corpo del quale resta sepolto, era anticamente più fondo quasi tre piedi e mezo. Ho imparato il sito dell' antico piano con sicurezza dall' altezza de' condotti, che sotterra si conservano, e de' quali si par-

de quibus sermo erit loco suo. Deprimebatur pede uno & unciis quatuor infra interiorem porticum, ex qua ad Podium ascendebatur. Altitudo crassi muri, qui campum ambiebat, accurate gradum penultimum exæquabat, qui hodie extat; ita ut solum pavimento Podii depressius esset pedibus quatuor cum dimidio.

Nemo est, qui Amphitheatrum contempletur, quin statim scire desideret, quemadmodum bestiæ inducerentur in campum. Probata vulgo, & recepta est opinio Lipsii, ajentis, Feras, quippe cum cavis subterraneis clausæ detinerentur, in populi conspectum produci consuevisse per eas januas, quæ in muro Podium sustinente fuisse creduntur. Quare octo vel decem ex utraque parte sub Podio in deformatione sua Scriptor ille, cæterique ipsum sequuti constituunt, ob eam unice causam, quod ejusmodi ostia conspiciantur in Amphitheatro Veronensi. At Veronense Amphitheatrum illud videlicet est, ex quo, effossa humo, manifeste intelligimus, januas ejusmodi nec esse, nec vero esse potuisse. Unus hic error Lipsii, Desgodetii, Perraultii, Fontanæ, aliorumque satis est, ut Amphitheatri œconomia universa turbetur: si enim dicas infimos exitus in aream prorupisse, unum Vomitoriorum ordinem tollis, eaque ad triplicem seriem redigis tantummodo, cum quadruplex esset; quare & triplicem seriem falso etiam Desgodetius non minus ac reliqui, in Romano Coliseo ostendit. Aditus intercludis ad locum nobilissimum, hoc est ad Podium, quod ingressiones alias non habebat, & cui quemadmodum etiam aliis depressioribus gradibus, designata erant ordinis primi Vomitoria. Qui autem ajunt, atque in delineatis deformationibus ostendunt, foramina hæc sub Podio extitisse, ac per ea eductas in campum feras fuisse, iisque bestiarum carceres respondisse, satis produnt, se nunquam Amphitheatra tam integra vidisse, quam integrum nostrum est, neque rem hanc diligenter expendisse: profundus enim murus crassus est quindecim pedes; post murum, ejusque summitati respondens plano suo est mesaula orbicularis, in qua circum excavatus ductus quidam est undique coopertus, de quo dicetur suo loco. In zona, quæ sequitur, sunt quædam sane cubilia, quæ videntur ferarum carceres fuisse; sed, quatuor exceptis, reliqua januas habent versus mesaulam alteram, non autem versus ipsum campum, easque adeo angustas, ut solis hominibus inservire potuerint. Ubi nam ergo inveniri tam amplus locus poterat, qui multa Leonum, Tygridumque centena caperet? aut qui feræ illæ educi potuissent, prout libuisset? Neque enim gregatim, ac turmatim asservari animalia hæc possunt: nam hoc modo clausa se mutuo laniarent. Huc accedit, quod statim videbimus, ante Podium extitisse quoddam vallum ad spectatorum securitatem, ita ut egressæ ex muri ambitu feræ in campum prodire non potuissent. Neque vero cuiquam negotium facescat, quod legimus in Herodiano, Leones a Commodo in Amphitheatro peremptos *ex subterraneis exivisse*: hæc enim subterranea haud erant intra ipsa Amphitheatri fundamenta; sed quandocumque res postularet, in campo præparabantur; in quo quemadmodum nunc extruebantur moles formam montium referentes, nunc veræ arbores *v. Mant. Apul. &c.* infigebantur nemora efformantes; sic interdum occultæ quædam cavæ fiebant, ex quibus repente prosiliebant feræ. Rei hujus fidem facit Poeta Calpurnius, referens in quadam ecloga, in venationibus ab Imperatore Carino editis, visam interdum fuisse pandi humum, *ruptæque voragi-*

A *parlerà a suo luogo. Restava piedi 1. once 4. più basso del portico interiore, da cui si saliva al Podio. L'altezza del grosso muro, che cingea il Campo, veniva appunto a ragguagliarsi col penultimo grado, che si vede in oggi; talchè il suolo restava più basso del pavimento del Podio piedi quattro e mezo.*

Curiosità nasce a ciascheduno, che contempla l'Anfiteatro, di sapere come fosser condotte le bestie nel campo. Si è comunemente accettata l'opinion di Lipsio, che tenendosi esse in cave sotterranee, adiacenti al Campo stesso d'intorno, si facessero venire a vista del popo-
B *lo per quelle porte, quali vien creduto fossero nel muro, che sostentava il Podio. Perciò detto Autore, seguito dagli altri tutti, otto o dieci per parte ne pose sotto al Podio nel suo disegno, per unica ragione assegnandone, il vedersi queste porte nell'Anfiteatro Veronese. Ma l'Anfiteatro Veronese è appunto l'unico, in cui scavando siasi veduto con sicurezza, come tali porte non ci erano, nè ci potean' essere. Questo errore di Lipsio, del Desgodetz, del Perrault, del Fontana, e de gli altri basta a turbare tutta l'economia dell'Anfiteatro; per-*
C *chè dicendo, che i più bassi sbocchi mettano nella piazza, si viene a far perdere un ordine di Vomitorj, ed a ridurgli in tre mani, quando eran quattro, e tre sole mani ne mostra però erroneamente anche il Desgodetz non meno degli altri nel Coliseo di Roma. Si viene inoltre con ciò a serrare gli aditi al più nobil luogo, cioè al Podio, ch'altri ingressi non avea, e pel quale, come ancora per gli più bassi gradi, eran destinati i Vomitorj dell'ordin primo. Dicendo poi, e facendo comparir ne' disegni, che questi fori riuscissero sotto il Podio, e mettessero le Fiere nel Campo, e che*
D *ad essi corrispondessero le prigioni delle Fiere, ben mostrasi di non aver' osservato Anfiteatri nello stato in che si trova il nostro, nè fatta bastante considerazione sopra questo fatto; poichè il profondo muro è grosso quindici piedi; dietro il muro, e corrispondente nel piano alla sommità di esso, è il corridor circolare, nel quale è incavato tutto attorno un condotto coperto, di che si parlerà a suo tempo. Nella cinta che succede son bensì alcune stanze, quali mostrano essere state prigioni; ma fuorchè quattro, con la porta nel corridor di là, e non verso il campo, e così piccola, che sol per*
E *uomini potea servire. Dove dunque potea mai trovarsi luogo per incavernare centinaia di Leoni, e di Tigri? e qual modo vi sarebbe stato di trarnele a piacere? nè posson già sì fatti animali tenersi in mandra, e a torme, poichè si ammazzarebbér tra se. Aggiungasi, che vedremo or'ora, come davanti al Podio stava uno steccato per assicurare gli spettatori, talchè uscendo le Fiere dal recinto di muro, non avrebbero potuto entrar nella piazza. Non faccia difficoltà il leggere in Erodiano, che i Leoni uccisi nell'Anfiteatro da Commodo* sorsero da sotterranei, *perchè questi sotterranei*
F *non erano tra i fondamenti dell'Anfiteatro, ma si preparavano in tal caso nel Campo; nel qual siccome or si ergean machine, che figuravan montagne, or si piantavano veri alberi, che formavan boschi; così alle volte occulte cave faceansi, dalle quali uscian d'improviso animali. Il Poeta Calpurnio ne fa fede, narrando in un' Egloga, come nelle cacce date dall'Imperador Carino, si vide cader talvolta il terreno, ed aprirsi voragini, da*

ne Terræ emersisse feras. Idipsum potuit in Commodi venatione fieri; narrat tamen Herodianus semel id contigisse. Arbitror ego quidem, ad fingendas ejusmodi voragines, usos fuisse veteres amplis illis subterraneis ductibus, qui per campum transversi producti sunt, ut videbimus loco suo. Denique notum est, bestias ludis destinatas in locis remotis, atque in septis quibusdam, quæ *Vivaria* dicebantur, asservari consuevisse. Id nos docet inter cæteros Paulus Jureconsultus. Amplus propterea, ac celebris locus erat Romæ *Vivarium*, de quo bis meminit Procopius, & de quo videre licet præclaram Eq. Pauli Maffei Volterrani dissertationem, Tomo duodecimo Diarii Veneti insertam de insigni quadam, ac rara Inscriptione.

Bell.G.l.1

In Vivariis itaque, non autem in Amphitheatris asservabantur bestiæ, prætereaque caveis vel ferreis, vel ligneis includebantur. Id ego colligo in primis ex quodam D. Joannis Chrysostomi loco, ubi disertis verbis inquit, ejusmodi bestias remotis, *solitariisque* in locis urbium, atque *in caveis* detinere in more positum fuisse. Quare vox *cavea*, interdum pro Theatro & pro Amphitheatro, seu pro illa ejus parte, in qua sedebat populus, figurate usurpata, ut explicat Servius, proprie non *subterraneam cavam*, uti propter commemoratum errorem in Amphitheatrorum structura solent in præsentia illam exponere etiam Lexica, sed quoddam ferarum receptaculum denotat, transformata voce ex nostra lingua ob immutationes fieri solitas in Mss. veteribusque monumentis in litteris *c* & *g*, *u* & *b*; *i* & *e*. Caveam dixere cubile pullorum Plautus ac Cicero. In ejusmodi caveis, etsi tanto majoribus, quanto majores erant bestiæ, ex longinquis regionibus advehebantur feræ, atque servabantur, inde vero, quo res postularet, transferebantur. Callisthenem accepimus ex Laertio, Alexandri Magni jussu ferrea cavea fuisse inclusum; atque ex Tatiano, in ea, *quasi ursus esset aut Panthera*, circumvectum fuisse. Quare fabellam commentus est Apulejus de Thrasileonte, qui sumpta ursina pelle Ursum se finxit, atque cavea inclusus, domumque introductus illius, qui spectaculum editurus erat, noctu januam pandit sociis, simulque omnia diripuit. Talis fuit *cavea*, in qua referente Plinio cicuratam Tygridem exhibuit conspiciendam Augustus: neque enim id fieri decuisset in subterraneo specu. Quare inquit Marcellinus, Valentinianum duarum ferocissimarum Ursarum *caveam* prope cubiculum suum habere consuevisse. Cancellis fuisse instructas ejusmodi caveas ex Horatio novimus, ubi in Arte Poetica affert ursi similitudinem, *caveæ valuit si frangere clathros*. Sic accepit *caveas* etiam doctus Gotofredus in Theodosii, & Honorii lege contra eos, qui in advehendis Romam Feris *caveas* exigebant a Civitatibus. Caveæ istæ modo erant ferreæ; quare refert Symmachus canes quosdam e Scotia adeo feroces in ludis extitisse, ut & ipsi *ferreis* caveis advecti credi potuerint: modo erant ligneæ; quare inquit Claudianus, bestias, quæ Stiliconis ludis præparabantur, *ilignis domibus* clausas fuisse latas. Hinc in libro de Mortibus Persecutorum, Maximianus, cum laniari homines vellet cernere, jussisse dicitur *adferri* aliquem ex ursis, quos in hunc finem asservabat.

Hom. in Matth. ἐν ἐρήμῳ τόπῳ, καὶ ἐν γαλεάγραις.

ὥσπερ ἄρκτον ἢ πάρδαλιν περιέφερε. *l. 4.*

l. 8. c. 17.

l. 29. c. 3.

C. Th. l. 1. t. 11. l. 2.

l. 2. ep. 77.

Paneg. 3.

Jam vero illud habeatur pro certo, non alio modo inductas in Amphitheatrum ferocissimas belluas fuisse. Hinc Claudianus, in apparandis Amphitheatralibus spectaculis ob Stiliconis consulatum, tantam fuisse ferarum multitudinem narrat ut *fabri nec tigna polire sufficerent*, adeo-

Paneg. 3.

A *cui bestie scappavan fuori. Simil cosa potè farsi vedere in quella di Commodo; però accenna Erodiano, che avvenne ciò una sola volta. Ho per certo, che per finger tali voragini, si valessero de' gran condotti sotterranei, che attraversano il Campo, come vedremo a suo luogo. Finalmente è noto, come le Fiere a fine d'adoprarle ne' Giuochi teneansi in luoghi remoti, e in serragli, che si chiamavan* Vivaria. *Lo insegna tra gli altri Paolo Giurisconsulto. Grande e famoso luogo era però il* Vivario *in Roma, del quale fa due volte chiara menzione Procopio, e del quale può vedersi la bella Dissertazione del Cavalier Paolo Maffei di Volterra, inserita nel duodecimo tomo del Giornal di Venezia sopra un' insigne, e rara Iscrizione.*

B

Ne' Vivarj adunque e non negli Anfiteatri si custodivan le Fiere, ed oltre a ciò si teneano in gabbie o di ferro, o di legno. L'imparo prima da un passo di S. Gioan Grisostomo, ove chiaramente dice, che sì fatte bestie teneansi ne' luoghi remoti, e disabitati *delle Città*, e dentro gabbie. *Però la voce* cavea, *usata talvolta figuratamente per Teatro, e per Anfiteatro, o per quella parte di esso, ove sedea il popolo, come la spiega Servio, significò propriamente non* cava sotterranea, *come per l'accennato inganno nella struttura degli Anfiteatri soglion' ora spiegarla i Vocabolarj ancora, ma* gabbia, *trasformata la parola dalla nostra lingua per li soliti scambiamenti, che si ravvisan ne' Mss. e ne' monumenti antichi fra le lettere* c, e g; v, e b; i, ed e. *Cavea chiamarono Plauto, e Cicerone quella de' polli. In serragli di simil forma, benchè tanto più grandi, quanto le bestie eran maggiori, si conduceano da paesi lontani, e si conservavano le Fiere, indi si portavano ove occorreva. Di Callistene abbiam da Laerzio, che Alessandro Magno lo fece mettere in una gabbia di ferro; e abbiam da Taziano, che in essa lo facea portare in volta, come fosse* Orso, o Pantera. *Però compose Apulejo la favoletta di Trasileonte, che si finse Orso vestitane la pelle, e introdotto dentro una gabbia in casa di colui, che dovea dar lo spettacolo, aprì la notte a' compagni, e mise tutto a ruba. Tal' era la* cavea, *in cui dice Plinio, che Augusto fece vedere una Tigre mansuefatta; poichè non sarebbe stato conveniente di far questa dimostrazione in cava sotterranea. Però dice Marcellino, che Valentiniano tenea presso la sua stanza le* cavee *di due Orse ferocissime. Ch'erano fatte a cancelli si riconosce, ove Orazio nell' Arte Poetica dà la similitudine d'un Orso, quando potea talvolta romper le inferriate, o le stanghe della* cavea. *Così intese le* cavee *anche il dotto Gotofredo nella legge di Teodosio, e d'Onorio contra coloro, che nel condur Fiere a Roma esigeano le* cavee *dalle Città. Queste gabbie ora eran di ferro, onde dice Simmaco d'alcuni cani Scozzesi, come si eran mostrati ne' Giuochi sì feroci, che si sarebbe creduto fossero anch' essi stati condotti in* cavee di ferro; *ora eran di legno, onde disse Claudiano delle bestie, che si preparavano per gli Giuochi di Stilicone, come* li portavan chiuse in *magioni d'elce, o sia di leccio. Quindi è, che nel libro delle Morti de' Persecutori dicesi di Massimiano, che quando volea vedere sbranar' uomini, facea* portare *alcun degli Orsi, che perciò tenea.*

C

D

E

F

Ora abbiasi per certo, che non in altro modo introduceansi le più feroci belve anche nell' Anfiteatro. Quinci è, che dice Claudiano, come nel prepararsi spettacoli Anfiteatrali nel Consolato di Stilicone, tante eran le Fiere, che i fabri non bastavano a piallare i legni,

que *rudibus fagis, & ornis frondentes caveæ* texerentur. Nec ſane aliter potuiſſet induci in campum quæ maxime libuiſſet beſtia, & quando libuiſſet, nec aliter induci multa ferarum centena uno die, quod tamen ſæpe ac ſæpius factum fuiſſe legimus apud Hiſtoricos. Per quas autem januas inducerentur, facilis eſt conjectura, poſtquam animadvertimus, nullos alios aditus in campum duxiſſe, præterquam qui ad extremitates ellipſis patebant. Neque vero anguſta oſtia opportuna eſſe potuiſſent, ut beſtiæ tam vaſti corporis cum domibus ſuis commode inferrentur. Ferarum ergo carceres intelligendi ſunt *cavearum* nomine in pluribus illis multorum ſcriptorum locis, in quibus de Feris, ac de Amphitheatro loquuntur. Bulengerus antra etiam, ſive cubilia vellet eo nomine intelligi, quæ in Pictavia ſub Amphitheatri cujuſdam gradibus ſe conſpexiſſe ſcribit: ſed cubilia iſthæc beſtiis inſervire non poterant, uti videbimus, cum de iis ſermo erit. Affert ille Vopiſci etiam locum, ajentis innumerabiles belluas *per aditus omnes* immiſſas fuiſſe: verum eo loco ſermo eſt de Circo. Eadem, qua diximus ratione, inferebantur belluæ etiam in Forum, quo tempore ante condita Amphitheatra edebantur in Foro ludi: id patet ex Strabone, ubi narrat de machina illa a nobis alibi commemorata, ex qua inter ferarum *caveas* reus ille præceps dejectus eſt.

Ven. Cir. ep. 17.

l. 6. εἰς γαλεάγρας θηρίων.

Vox quædam obſcuri intellectus invenitur uſurpata in hac materia. Ammianus Marcellinus Præſidis Maximiani furorem ex æquo componit cum furore Amphitheatralium Ferarum, quando *difractis tandem ſolutæ poſticis* ſunt. Falſa opinio mente jam concepta de Amphitheatrorum ſtructura in cauſa fuit, cur Salmaſius in Vopiſcum pronunciaret, ea voce ſignificari exitus, per quos ex ſubterraneis in Arenam beſtiæ egrederentur; putavitque a ſe Auctoris ſui obſcurum locum emendatum iri adjecta voce hac in hanc ſententiam accepta. Eadem opinio placuit etiam Valeſio in Ammianum eundem; ſed error hic ex iis, quæ ſunt hactenus dicta, patet ſatis manifeſte; ſimulque illud clarum eſt, *poſticis* illis nihil aliud poſſe deſignari, niſi cavearum ipſarum januas, quas aliquando quærentes exitum beſtiæ vi perfringebant; quæque eo fortaſſe nomine appellabantur, quod non in fronte, ſed in poſtica parte fieri ſolebant. Extat vocabulum hoc etiam in Actis S. Taraci, & Sociorum, in quibus legimus, Leænam quandam provocatam fregiſſe *Poſticam*. Græcus textus inquit eam, cum Martyribus nocere nequaquam vellet, ad januam rediiſſe, qua clauſa, conatam dentibus tabulas perrumpere. Sed nullum hinc colligi argumentum poteſt, maxime vero quia res contigit in Cilicia, ubi nulla fuerunt Amphitheatra. Non tacebo tamen ſingularem rei hujus mentionem, quæ extat in quodam Lapidis fragmento, ætatis Valentiniani, per Fabrettum editi, & a nobis libro primo commemorati: ſic enim in eo legimus: AMPHITHEATRUM CUM PORTIS POSTICIIS ET OMNEM FABRI..... quo loco videtur de inſtaurationibus ſermo eſſe; ac ſi lapis revera habet *Amphitheatrum, poſticiæ portæ* nequeunt hoc loco de cavearum oſtiis intelligi. Dicam hac in re, quod ſentio. Vox hæc *poſticcio* italica lingua deſignat id, quod fixum non eſt, neque ad locum aliquem proprie pertinet, ſed quod modo apponitur, modo removetur: derivatur autem procul dubio a latino vocabulo *poſticus*, cui propterea eadem vis ſubjecta eſſe debuit etiam apud Latinos. Hinc credibile efficitur, ſic appellatas in Amphitheatro januas illas fuiſſe, quibus exterio-

l. 28. c. 1.

onde le cavee teſſeanſi con orni, e faggi rozi, e frondeggianti. Non altrimenti ſarebbeſi mai potuto metter nel campo qual beſtia ſi volea, e quando ſi volea, nè altrimenti ſarebbonſi potute introdurre centinaia di Fiere in un giorno, com' eſſerſi tante volte fatto leggiam negli Storici. Per quali porte s' introduceſſero è facil penſarlo, dopo che abbiam veduto come altre porte non v' erano che metteſſer nella piazza, ſe non quelle ſu le punte dell ovato. Nè piccole porte ſarebbero certamente ſtate opportune per dar paſſaggio a beſtie sì grandi con le caſe loro. Per gabbie però voglionſi intendere le cavee, *ne' molti paſſi di varj Autori, che parlano di Fiere, e d' Anfiteatro. Bulengero vorrebbe intendere ancora gli antri o ſtanze, che ſcrive aver vedute ſotto i gradini d' un Anfiteatro nel Poetù: ma tali ſtanze non poteano ſervir per Fiere, come vedremo ove di eſſe. Cita egli ancora un paſſo di Vopiſco, che infinite beſtie furono ſpinte fuori* per tutti gli aditi; *ma ivi ſi parla del Circo. Nel modo per noi detto portavanſi le Fiere anche nel Foro, quando avanti gli Anfiteatri nel Foro ſi facean gli Spettacoli: appare da Strabone, ove narra di quella machina altrove mentovata, dalla quale ſi fece cadere il condannato tra le* gabbie *di eſſe.*

Voce trovaſi uſata in queſta materia d' oſcura intelligenza. Ammian Marcellino paragona la furia del Preſide Maſſimino a quella delle Fiere Anfiteatrali quando ſi mettono in libertà rotte le Poſtice, difractis tandem ſolutæ Poſticis. *La falſa prevenzione intorno alla ſtruttura degli Anfiteatri, fece che il Salmaſio ſopra Vopiſco diſſe ſignificarſi con queſta voce le porte, per cui da' lor ſotterranei uſcivan nell' Arena le beſtie, e preteſe di emendar un oſcuro paſſo dell' Autor ſuo riponendovi tal voce nell' iſteſſo ſenſo. Della medeſima opinione fu il Valeſio ſopra Ammiano ſteſſo, ma queſto errore da quanto ſi è fin qui detto reſta ſgombrato ad evidenza; e inſieme fatto chiaro, come per Poſtice non altro ſi può intendere, ſe non le porte delle lor gabbie, quali alcuna volta riuſciva alle beſtie di rompere. Forſe ſi dicean Poſtice per uſarſi di farle non nella fronte, ma nella parte poſteriore. Si ha queſto vocabolo anche negli Atti di S. Taraco, e compagni, leggendoviſi d'una Leoneſſa, che* provocata rupPe la Poſtica. *L'original Greco dice, che non volendo offendere i Martiri, tornò alla porta, e non venendole aperta, cominciò a far pruova di romper le tavole co' denti. Ma da ciò non ſi può trarre argomento alcuno, e tanto più che il fatto ſeguì in Cilicia, dove non erano Anfiteatri. Ben ne accennerò una menzion molto ſingolare in frammento di Lapida de' tempi di Valentiniano, edita dal Fabretti, e mentovata già da me nel primo libro. Leggeſi in queſta, AMPHITHEATRUM CUM PORTIS POSTICIIS ET OMNEM FABRI..... Par ci ſi parli di riſtaurazioni; e ſe il marmo dice veramente* Amphitheatrum *le* porte poſtice *non poſſono qui intenderſi di quelle delle gabbie. Dirò ſopra queſto quel ch' io ne penſi. La voce* poſticcio *in volgar lingua eſprime ciò che non è fiſſo, e proprio d' un luogo, ma ſi mette, e leva: viene indubitatamente da* poſticus, *che avrà però avuto anche tal ſignificato in Latino. Credibil da ciò ſi rende, che così ſi chiamaſſero nell' Anfiteatro le porte, che tenean ſerrati gli archi eſteriori d' ingreſſo, le quali,*

A res ingressionis aditus claudebantur, quæ, sicut ostendunt vestigia in Arena nostra, ac superius nos innuimus, nequaquam stabiles erant, sed spectaculorum diebus removebantur, ut proinde *posticiæ* essent. Has igitur credere licet refectas ab eo fuisse, de quo Lapis meminit. Etiam hac significatione vox hæc in cavearum januas apte cadebat, quippe quæ apponi debebant ac removeri. Non tacebo hoc loco, ex quodam Apuleii textu credibile fieri, in venationibus fuisse in more positum, ligneam machinam instar mobilis domus ornatæ ac turritæ constituere, quæ futuræ venationis receptaculum esset. Quare ibi ante pu-

l. 4. confixilis machinæ sublicæ turres decora futuræ venationis receptacula.

B gnam positæ fere fuissent veluti in totidem carceribus, januisque clausæ, quæ quidem januæ merito poterant appellari *posticæ*. Tabulatum, supra quod bestiis exponerentur Martyres, quo melius conspici possent, fuisse credendum procul dubio est *Pulpitum*, ac *Pontem*, de quo mentio fit in Actis S. Perpetuæ, ac sociorum: legimus in iis ad eorum confirmationem, quæ antea sunt dicta, feras cum *caveis* ipsis in pulpitum eductas fuisse: cum enim Saturus *ad Ursum substrictus esset in Ponte*, *Ursus de cavea prodire noluit*.

C Quod ad januas attinet, notus est Lampridii locus de sinistro omine tum capto, cum Commodi galea extra Amphitheatrum delata esset per januam Libitinariam, hoc est, ut explicat Dion, qua mortui efferebantur. Janua hæc non alia esse poterat, nisi unus ex minoribus quatuor aditibus, per quos in aream ingrediebantur, atque ex ea egrediebantur, qui aditus spoliarium versus constitutus esse debebat, in quem locum deferebantur, ibique expoliabantur Gladiatorum corpora, qui propterea non longe ab Amphitheatro abesse debuit. Fallitur dupliciter Cuperus, quod attinet ad Spoliarium, in librum *de Mortibus*, postquam scite de Ponte, seu

D Pulpito egit. Dion *januas* dicit numero multitudinis: eas enim omnes prætergredi opus erat, quotquot erant in eo aditu, seu via. Credibile non est Libitinariam januam unam fuisse ex principibus, quemadmodum visus est credere Lipsius, aut placuisse, ullam ex iis reddi mali ominis. Novam in Amphitheatro januam peperit, (nemo novit, in quem usum) lepidum sane erratum in Actis S. Perpetuæ, hoc est januam *Sanavinariam*, de qua egit P. Possinus, quem sequitur Grævius. Ego in meo exemplari jampridem *Sandapilariam* reposui, quæ quidem emendatio multo nunc probabilior mihi redditur, cum sic sentire mecum vi-

cap. 21.

Ant. Rom. t. 10. in Præf.

E deam etiam Canonicum Mazochium: potuit autem Libitinaria eo nomine designari ob *Sandapilas* seu feretra, in quibus per illam mortui efferebantur.

Supra zonam muri, qui campum ambiebat, mænianum erat, quod simul ornatus, simul spondæ obtinebat locum, situsque Podii nomen dabat: erat aliquanto capacius gradibus reliquis, in eoque ligneis subsellis, ac pulvillis insidebant senatores, virique alii dignitate præditi: murus in externa sui parte præstanti marmore ornatus erat. Id ego colligo ex pluribus fragmentis marmoris

F Africani, Viridis, & Ophitis variis temporibus in Arena nostra effossis; colligo etiam ex quodam Poeta non obscure id indigitante, ubi murum hunc appellat *marmoreum*. Quemadmodum vetustate, atque instaurationibus omnia corrupta sunt, sic in muro, qui in præsentia latet sepultus, nihil observavi præter fragmentum basi elaboratæ, quæ videtur planum exæquasse. Stratum marmore fortasse fuit Podii ipsius pavimentum, idque fragmenta plura marmoris Parii atque Africani in tenues marmoreas laminas concisa, quæ detecta

Cal. Ecl. 7.

come mostrano i vestigii nostri, e come sopra accennammo, non eran fisse, ma si levavano i giorni di spettacolo, onde veniano ad esser posticcie. Queste dunque può credersi fosser rifatte da colui, di cui parla la Lapida. Anche in questo senso ben quadrava il nome di posticcie *alle porte delle gabbie, perchè dovean mettersi, e levarsi. Non lascerò di dire, come un luogo d' Apulejo fa credere, che ne' Giuochi di Fiere fosse solito mettersi machina di legno nel mezzo a guisa di mobil casa ornata, e turrita, che servisse* di ricettacolo per la futura Caccia. *Quivi però si sarebbero poste innanzi, e preparate le Fiere, quasi in tante prigioni, con porte, che ben potean chiamarsi* Posticæ. *D' un palco, sopra il quale fossero esposti i Martiri alle bestie, perchè fossero veduti meglio, è da intendere il* Pulpito*, e il* Ponte*, di cui si fa menzione negli Atti di Santa Perpetua, e compagni: si vede in essi per conferma di quanto avanti s' è detto, come furon tratte le Fiere con le lor* Cavee *sul palco, poichè essendo messo sul ponte Saturo legato innanzi a un* Orso*, l' Orso non volle uscir della* Cavea.

A proposito delle porte è noto il passo di Lampridio del mal' augurio, che fu preso per esser la Celata di Commodo stata portata fuori dell' Anfiteatro per la porta Libitinaria: cioè come dichiara Dione, per cui si portavan fuori i morti. Questa porta altra esser non poteva, ch' uno de' quattro aditi minori, per cui si entrava nell' area, e si usciva, e che dovea esser rivolto verso lo Spogliario, luogo, dove si portavano, e si spogliavano i corpi de' Gladiatori, e che dovea esser poco discosto dall' Anfiteatro: equivocò doppiamente intorno allo Spogliario il Cupero sopra il libro de Mortibus, *dopo aver molto ben ragionato del ponte, o palco. Dione dice* porte *in plurale, perchè era forza trapassar tutte quelle, ch' erano in quell' adito o via. Non è da credere, che la mortual porta fosse una delle due più nobili, come Lipsio mostrò di credere, nè che una di esse volesse rendersi di mal' augurio. Nuova porta fece nascer nell' Anfiteatro, non si saprebbe per qual uso, una lepida scorrezione de gli Atti di Santa Perpetua, cioè la* Sanavinaria, *di cui trattò il P. Possino, seguitato dal Grevio. Ma io riposi tempo fa nel mio esemplare* Sandapilaria; *della quale emendazione ora ho preso miglior concetto, poichè ho veduto aver così giudicato anche il Canonico Mazochio: potea certamente così esser detta la Libitinense, per le* sandapile, *o cataletti, sopra de' quali per essa i morti si portavan fuori.*

Sopra l' orlo del muro, che ricingea la piazza, era un poggiuolo, il qual serviva d' ornamento, e di riparo, e dava nome di Podio a quel sito: era alquanto più ampio degli altri gradi, e vi sedeano intorno sopra panche di legno, e sopra piumaccetti i Senatori, ed i Graduati. Il muro era esteriormente adornato di marmi nobili. L' argomento prima da i molti pezzi scavati nell' Arena nostra in varj tempi d' Africano, di Verde, di Serpentino; e l' argomento ancora dal cenno, che ne dà un Poeta, ove chiama questo muro marmoreo. *Come il tempo, e i risarcimenti hanno tutto guasto, così nel muro, ch' or riman sepolto, non ho osservati se non pezzi d' un basamento lavorato, che pare esser già stato a ragguaglio del piano. Lastricato di marmo sarà stato il pavimento del Podio stesso, e varii frammenti di Pario, e d' Africano assottigliati in picciole lastre, che si sono andati scoprendo,*

A sunt,testantur. Mæniani haud est credibile projecturam ullam fuisse extra ipsum parietem; tantundem enim spatii, quod ad campum, quodque ad eos, qui ex alto prospiciebant, attinet, nequidquam periisset; ejusque præterea rei nullum indicium extat, etsi,quoniam id a Lipsio traditum fuit, in præsentia hæc dicatur esse vocis hujus *Podium* significatio. Fragmentum aliquod columellæ ex transmarino marmore confectæ effossum est, non ejusmodi tamen, ut ex ipso colligi certo potuerit modus ac forma columnarum, quæ locatæ circum esse debuerunt.

B Nunc videndum est, qui tuti esse potuerint a bestiarum injuriis, qui e Podio spectabant. Planum soli inquit Lipsius duodecim aut quindecim pedibus fuisse depressius: sed si res ita fuisset, area ipsa quidam veluti puteus extitisset, ejusque magna pars eos, qui e summo prospexissent, latuisset. Vidimus antea, solum depressius pavimento Podii non fuisse nisi pedibus quatuor cum dimidio; accedebat altitudo mæniani, quod altum esse debuit pedes tres, vel tres cum dimidio fere: sed quoniam satis non erat altitudo septem vel octo pedum, ita ut in tuto essent spectatores contra Tygridis, aut Pardi saltum, provisum est C huic periculo in Circo ætate Cæsaris primum quidem ferreis cancellis, deinde etiam fossa; in Amphitheatro vero pluribus obstaculis idest retium, cuspidum, ac versatilium tignorum. Retia, quæ Podium protegebant, nominantur a Plinio, ubi narrat in Neronis ludo, succinis fuisse nodata. Nominantur etiam a Calpurnio, qui in spectaculis a se visis inquit ejusmodi retia aurea, seu aurata fuisse. Ex his locis certum non est,fuerintne retia hæc ex metallicis filis, an ex funibus contexta; nisi cui forte placuerit Calpurnii verba *auro torta*, sic interpretari, ut ex auro neto confecta significent. Credibile est illa attolli supra mæniaD na consuevisse; sed ex eodem Poeta colligo,quod præ reliquis usui maximo hac in re esse debuit, hoc est, retibus ipsis conjunctam fuisse seriem quandam prælongarum cuspidum, instar dentium, qui longius in arenam protendebantur, atque, ut ego arbitror, ad eam curvabantur, quare prohibebantur bestiæ, quominus ad Podium prosilirent. Erant etiam prope murum rotundæ ac mobiles trabes, quo fiebat, ut in ipsas impetum facere, impactisque unguibus sursum attollere se feræ non possent. Nescio an contingeret in Amphitheatro, ut post ejusmodi versatiles tra E bes plebejorum turba spectaret, ut proinde cum forte Rei ad bestias damnati olim deessent,aliquot ex iis capi jusserit Caligula,ac bestiis damnatorum loco objici. Obscuros Calpurnii versus, ex quibus omnia ante commemorata munimenta discimus, & quorum intellectum sine accurata Amphitheatri notitia vix ac ne vix quidem liceret assequi, proferam hoc loco. In quinto versu lectionem sumo ex optima Salmasii in Vopiscum emendatione.Quid nomine *balthei* ac *porticus* in primo versu intelligendum sit, quam primum explicabitur. In septimo lego *tota*, ac *tortis* in octavo: nam *totis dentibus* hoc loco mihi videtur minus a F pte convenire.

Dio l 59. ἐκ τοῦ ὄχλου τοῖς θηρίοις προεστηκότας &c.

Baltheus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant; nec non ubi finis Arenæ
Proxima marmoreo peragit spectacula muro,
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rutulum, tereti qui lubricus axe
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras; auro quoque tota refulgent

me ne fanno fede. Il poggiuolo non è verisimile, che avesse proiettura fuori del muro, perchè sarebbe stato tanto spazio perduto per la piazza, e per chi riguardava d'alto, nè se n' ha indizio veruno, benchè per averlo detto Lipsio, venga ora data questa significazione alla voce Podium. *Qualche pezzo di colonetta si è scavato di marmi oltramarini, ma non tale, che se ne sia potuto ritrar con sicurezza la misura, e la forma de' balaustri, che saranno stati all' intorno.*

Ora è da vedere, come fossero sicuri dalle bestie quei che stavan sul Podio. Disse Lipsio, che il pian del terreno era più basso dodici, o quindici piedi; ma in questo modo l' area sarebbe stata un pozzo, e una gran parte se ne sarebbe coperta a chi sedea nella sommità. Abbiam veduto avanti, come il terreno non era più basso del pavimento del Podio che quattro piedi e mezo: eravi in oltre l' altezza del poggiuolo, che sarà stato di piedi tre, in tre e mezo: ma perchè non bastava l' altezza di sette in otto piedi per assicurare dal salto d' una Tigre, o d' un Pardo, era proveduto nel Circo a tempi di Cesare prima con cancelli di ferro, poi con un fosso; nell' Anfiteatro con più ripari, cioè di reti, di punte, e di palizate versatili. Le reti, che difendeano il Podio, son nominate da Plinio, ove narra, che in Giuoco di Nerone si annodarono col succino. Son nominate anche da Calpurnio, il qual dice, che negli spettacoli da lui veduti fur d' oro, o sia indorate. Non è certo per questi passi, se fossero ramate di metallo; o reti di corde; quand' altri non volesse intendere l' auro torta *di Calpurnio per lavorate d' oro filato. E' credibile s' inalzassero sopra i poggiuoli; ma ricavo dallo stesso Poeta quel che dovea servir più di tutto; cioè che unita alle reti era una serie di punte molto lunghe in forma di denti, che sporgeano ben avanti nell' Arena, e com' io credo, s' incurvavano verso essa, con che s' impediva alle bestie il lanciarsi. Erano ancora presso al muro legni rotondi, e mobili, che impedivan loro il far forza in essi, e l' aggrapparsi. Non so s' era nell' Anfiteatro, che stava dietro tal palizata a vedere turba di plebei, onde mancando alcune volte i condannati alle Fiere, Caligola ne fece prendere alquanti, e gli fece servire di condannati. Gli oscuri versi di Calpurnio, in cui tutti i sudetti ripari s' imparano, e l'intendere i quali senza una piena contezza dell' Anfiteatro non sarebbe possibile, addurrò qui, e la versione insieme, con cui ho procurato di fargli chiari. Nel quinto verso leggo secondo l'ottima emendazion del Salmasio sopra Vopisco. Che debba intendersi per la Cinta, e Portico nel verso primo sarà dichiarato fra poco. Leggo* tota *nel settimo, e* tortis *nell' ottavo, perchè* totis dentibus *in questo luogo mi par convenire alquanto meno.*

Splendono a gara il Portico, e la Cinta,
Questa di gemme, e d' or quel: non meno
Presso al marmoreo, dove il Campo ha fine,
Muro, avorio mirabile risplende
A i pali intorno, e a formar vien cancelli
Girevoli, ne' quai lubrico inganno
Trovan le Fiere, che afferrar non ponno,
Deluse l' unghie lor dal volger pronto.

A *Retia, quæ tortis in Arenam dentibus extant,*
Dentibus æquatis; & erat, mihi crede, Lycota,
Siqua fides, nostro dens longior omnis aratro.

CAP. VIII.

Gradus. Vomitoria. Præcinctiones. Scalæ. Cunei.

Agemus nunc de structura interna, hoc est de toto illo tractu, in quo circum sedebant spectatores, quique constat gradibus, ab B ima parte ad summam sese in orbem expandentibus. Hæc Arenæ nostræ pars, si plerisque peregrinorum, qui de itineribus, monumentisque antiquis scripserunt, credimus, manet integra, atque illæsa: sed si vere fateri volumus, quod res est, hæc nimirum ea pars est, quæ periit prope tota, ideoque transformata est atque corrupta. Omissis scopulis illis pluribus, in quos hactenus impegerunt, quicumque vetera monumenta tabulis expressa ediderunt, is inter cæteros fatalis extitit, quod Auctores recentia opera, quæ in antiquis etiam sæpe locum habent, hoc est, instaurationes non animadverterunt, neque distin- C xerunt. Gradus, qui visuntur hodie, recentes sunt fere omnes, atque omnes extra suum locum: etenim in reparationibus institutis, quemadmodum fieri quandoque contigit, non hac quidem, sed aliis ætatibus, neque in hac, sed in aliis urbibus, ut non, qua par erat diligentia, caveretur, ut viris in eo genere peritis negotii summa demandaretur, a patribus, avisque nostris provincia credita homini non est, qui veteri eruditione delectaretur: quare cum prima forma, ac distributio in opere instaurando retenta non fuerit, difficile erit in præsentia illam inquirere, ac invenire. Non minimum tamen erudiri possumus etiam D prudenter accurateque observando. Etenim in primis non pauca sunt hic atque illic, in suprema parte maxime, antiqua graduum cum recentibus permixta fragmenta, ex quibus modos ac formam illorum possumus perdiscere, quod aliunde non posset colligi, quippe cum in Amphitheatro Romano nullus ex antiquis gradibus ad hanc usque ætatem superfuerit.

Sunt igitur gradus ex marmore rubro plerique: fragmenta quædam, ut mos vetus ferebat, admodum magna, quippe quæ octo etiam pedes longa sunt. Altitudinis habent pedem unum, uncias quinque; E latitudinis pedes duos, & prope duas uncias; totidemque uncias complectitur zona, quæ remanet sub gradu superiore: qui modi cum iis, qui traditi a Vitruvio sunt, conveniunt. Facile est eos recentes esse intelligere ex zona quoque eminente, quam habent ad latera; quæ quidem zona in antiquis sensim attollitur, ac in tenue labrum desinit, quod minimum occupat, satisque erat ad arcendam a compagibus aquam. Conjungebantur præterea accuratissime inter sese, ac tenuissima rima, quæ remanebat, conspicitur alicubi optimo marmorato protectas; credibile est etiam ita fuisse locatos, ut essent nonnihil F declives. Contra vero gradus recentes sunt e saxo squamoso, ac pleriq; eorum neque solidi, neq; quadrati, ita ut vivo latere committantur; sed interius admodum præcisos; intervallo saxis, & squamis completo, ita ut non sine magno camerarum, tectorumq; recens infra gradus ipsos extructorum detrimento aqua pluvia illabatur. Ingentes etiam rimæ inter duos quosque remanent, quas ut tollerent, ut fieri solet, recentes structores gradus ipsos turpiter conspurcarunt. Intritum vul-

D' oro splendono ancor le reti tutte,
Che si spingon co' denti uguali, e adunchi
Verso il Campo; e ogni dente (abbimi fede)
Non era lungo men de' nostri aratri.

CAPO OTTAVO.

Gradi. Vomitorii. Precinzioni. Scalette. Cunei.

Or tratteremo dell' alzato interiore, cioè di tutto il tratto intorno, ove sedeano gli spettatori, e che consta di gradi, quali dal fondo alla cima si vanno allargando in giro. Questa parte della nostra Arena, se crediamo alli più de' forastieri, che di viaggi hanno scritto, o d' antichità, è tutta conservata, e sana; ma la verità si è, che questa è quella parte appunto, che perì quasi tutta, ed è però trasformata, e guasta. Lasciando i molti scogli, ne' quali ha urtato finora chi ha publicato stampe d' antichità, fatale è stato sopra tutti quello di non ravvisare, nè distinguere il moderno, che si trova spesso anche nell' antico, cioè i risarcimenti. I gradi ch' or si veggono, son moderni quasi tutti, e tutti son fuor di luogo, perchè nelle ristaurazioni, secondo l' uso che si è osservato talvolta, non in questo ma in altri tempi, e non in questa ma in altre Città, di guardarsi con diligenza nel dar gl' impieghi da chi a sorte di quella materia cognizione avesse, non fu da padri, e dagli avi nostri deputata a presedervi persona, che dell' antica erudizione si dilettasse: non essendosi però servata la prima forma, e distribuzione, è ora molto malagevole il rintracciarla. Con tutto ciò non poco si può imparare ancora accortamente osservando: perchè in primo luogo non pochi sono qua e là, e massimamente nell' alto, i pezzi antichi di gradi framischiati co' moderni, onde possiamo impararne le misure, e la forma, il che non si potrebbe altrove, nè pur uno essendone conservato dell' Anfiteatro Romano.

Sono adunque di marmo per lo più rosso: alcuni pezzi all' uso antico molto grandi, perchè lunghi fin piedi otto. Son' alti piedi uno, once cinque; larghi, o sia di fondo, piedi due, e quasi due once; altre due ne ha l'orlo che resta sotto il superior gradino, quali misure con le insegnate da Vitruvio riscontrano. E' facile riconoscergli da' moderni anche per l'orlo rilevato, che hanno dalle parti, qual' orlo negli antichi ascende insensibilmente, e termina in sottil labro, che niente occupa, e bastava a tener l' acqua lontana dalle commissure. Congiungeansi in oltre molto esattamente fra loro, e il tenuissimo adito che rimaneva, si riconosce in alcun luogo difeso già con finissimo stucco: è credibile, che saranno anche stati collocati con alquanto d' inclinazione. I gradi moderni all' incontro son di pietra scagliosa, e i più di essi non solidi e quadrati, talchè vadano a canto vivo, ma smussati assai per di dentro; essendo riempiuto il vacuo con sassi e scaglie, e fatto ricetto all' acqua piovana, con molto danno delle volte, e de' tetti modernamente fatti sotto. Gran fessure rimangono ancora tra l' uno e l' altro, per rimediare alle quali furon poi secondo l' uso de' nostri muratori villanamente imbrattati i gradini. L' intriso ordinario a nulla

gare nulli uſui eſt; nec vero deſunt, qui marmoratum quoddam antiquo ſimile noverint artificioſe conficere, quod lapideſcebat. Fuere quoque tam prave compoſiti lapides, ut cum nec firmati ullo modo ſint, pluribus in locis ſoluti appareant, atque alii quidem magis, alii vero minus, delapſi, luxatique. Neque ſervata præterea eſt quibuſdam in locis lineæ ellipticæ curvatura. Hoc intereſt inter opus antiquum ac recens. Non eſt propterea tamen, quod magnam gratiam habere illis non debeamus, qui identidem ejuſmodi inſtaurationes peragendas curaverunt: quale enim cumq; demum opus ipſum ſit, certe bene meriti illi cives effecere, ut ad hæc uſque tempora utcumque ſervaretur interna pars ejus ædificii, quod etiam, ut nunc ſe habet, judicio exterorum, qui de rebus æquum judicium ferunt, cum rebus vel pulcherrimis præſtantia contendat.

Plurimum lucis ad animo concipiendam genuinam Amphitheatri conſtructionem affulgere etiam ex eo poteſt, quod in Arena noſtra omnes ſpectatorum ſervati ſint exitus in gradus, ac fere omnium janua interna. Exitus iſti Macrobii ætate appellabantur *Vomitoria*. Philander autem ac Lipſius vocatos exiſtimant fuiſſe *aditus* a Vitruvio, ubi de Theatris loquitur: ſed cum Vitruvius eo loco jubeat aditus hoſce fieri amplos, *perpetuos, & directos ſine inverſuris*, manifeſtum eſt, eum deſignare meſaulas, hoc eſt tranſitus ac vias, quæ ducunt ad januas. Vomitoria hæc in Arenæ deformatione a Lipſio edita, atque in Deformatione Coliſei delineata a Fontana, temere caſuque deſcribuntur. In Arena noſtra optime locantur a Deſgodetio, qui in eo ſolum errat, quod eorum ordines uno pauciores facit, quam ſint, quodque putat infima Vomitoria ad aream pertinuiſſe, cæteriſque fuiſſe minora; quemadmodum falſo pariter alii credidere, hæc reliquis fuiſſe multo majora; cum omnium internæ januæ æquales ſint, graduumque inepta retractio ab inſtaurationibus naſcatur. Diſtincta ſunt in ſeries, ſive lineas quatuor, ita tamen ordinata ut quandam teſſellatam formam oculis exhibeant, ac æqualia intervalla ſervent, prout ambitus ipſe latius expanditur, uti videre licet in Tabula tertia. In qualibet linea ſexdecim ſunt, adeoque omnia numerantur ſexaginta quatuor. In linea ſecunda a ſolo ſurſum verſus progrediendo, deſunt illa duo, quæ pertinere ad ellipſis extrema debebant: ſpatium enim occupat inverſura, quæ ibi, ut conſtrui commode poſſet ingens areæ janua, dirigitur; ſed eorum loco duo facta in medio ſunt ad minorem diametrum inter ſe admodum vicina pro uno tantum, quod in ipſa diametro eſſe debebat. Ad veritatem acceſſit Deſgodetius in Romani quoque Amphitheatri Vomitoriis ſuo loco deſcribendis, atque adeo veritatem ipſam plane attingebat, ſi ad exemplum noſtrorum numerum complebat Vomitoriorum in ſecunda linea, addebatque illa quoque ſexdecim ordinis inferioris: certum eſt enim, in hac diſtributione Amphitheatrum illud non potuiſſe a noſtro hoc diverſum eſſe. Solum quatuor ex his Vomitoriis aditum aperiebant in campum, uti vidimus, ac ſexaginta reliqua erant pro ſpectatoribus, qui etſi frequentiſſimi, per aditus ſexaginta facillime tum ingredi, tum egredi poterant.

Sat. l. 6. c. 4. Unde & nunc Vomitoria in ſpectaculis dicimus, ubi homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt.

l. 5. c. 3.

Gradus, uti videre licet in eorum ſectione recta Tabula X. in præſentia numero ſunt quadraginta quinque, hoc modo diſtributi. Unus infra humum latet; quinque occupat Vomitorium infimum; per ſex alios itur ad exitum ſecundi, quod tres accipit; deinde duodecim numerantur uſque ad pedem Vomitorii tertii, quod quatuor

ſerve, e non manca per altro chi ha il ſegreto d' uno ſtucco ſimile a quel degli antichi, che impietriva. Furono altresì così mal' imbaſate le pietre, che non eſſendo anche fermate in niſſun modo, ſon già in varj luoghi ſconneſſe, e qual più, qual meno calate giù, e ſcompoſte. Non ſi è ancora in alcuni luoghi ſervata punto la curvatura della linea ovale. Queſta è la differenza tra il lavorar moderno, e l'antico. Non reſta con tutto queſto che grand' obligo non dobbiamo avere a chiunque tali riſtorazioni di tempo in tempo ha promoſſe, e fatte eſeguire; poichè qual foſſe nell' eſecuzione il lavoro, ci hanno però quei benemeriti Cittadini mantenuto comunque ſia l'interno d' una fabrica; che ancora com' or ſi trova, a detto degli ſtranieri di miglior ſenſo, che la veggono, è la più bella coſa del Mondo.

Grandiſſimo lume per rilevare la vera coſtruzion dell' Anfiteatro ſi ricava ancora dall' eſſer qui conſervate tutte le uſcite de gli ſpettatori ne i gradi, e conſervata quaſi di tutte l'interna porta. A tempo di Macrobio queſti sbocchi ſi chiamavano Vomitorii. *Filandro, e Lipſio tengono, che foſſero chiamati* Aditi *da Vitruvio, parlando de' Teatri; ma dicendo lui in quel paſſo, che biſogna fargli* ſpazioſi, continuati, *e* diritti ſenza volte, *manifeſto è, che intende gli anditi, cioè i tranſiti, e le vie, che alle porte conducono. Queſti Vomitorii nel diſegno dell' Arena data da Lipſio, e in quello del Coliſeo fatto dal Fontana, ſi figurano a caſo. Nell' Arena noſtra perfettamente gli ſituò il Deſgodetz, errando ſolamente nel farne un ordine di meno, e nel credere che i più baſſi sbocchi metteſſero nella piazza, e foſſero più piccoli degli altri, come erroneamente altresì credettero alcuni, che foſſero aſſai maggiori, quando le interne porte di tutti ſono affatto uguali, e lo ſtringer talora mal' a propoſito de' gradi dinanzi alle aperture vien da riſarcimenti. Sono diſtinti in quattro mani, o vogliam dir linee, diſpoſti però quaſi a ſcacco, e in diſtanze uguali a proporzion dell' allargarſi del giro, come può vederſi nella terza tavola. Ogni linea ne ha ſedeci, onde ſono in tutto 64. Nella ſeconda principiando da terra, mancano i due, che dovean cadere ſu la punta dell' ovato, perchè lo ſpazio ne vien' occupato dal drizzarſi della volta per far luogo alla porta grande del Campo; ma ſon rimeſſi nel mezo per largo, dove due ſe ne veggono aſſai vicini, in luogo d' uno che dovea cader nella diametrale. Si accoſtò al vero il Deſgodetz, anche nella ſituazione di quei di Roma; e incontrava del tutto, ſe a ragguaglio de i noſtri compiva il numero de' Vomitorii di mezo nella ſeconda linea, e poneva anche i ſedeci dell' ordine inferiore, eſſendo certo, che non potea in queſta diſtribuzione eſſer quell' Anfiteatro diverſo. Quattro ſole di queſte aperture davano ingreſſo nella piazza, come abbiam veduto, e ſeſſanta ne rimaneano per gli ſpettatori, quali benchè in grandiſſimo numero per ſeſſanta porte poteano avere molto ſpedita entrata, ed uſcita.*

I gradi, come ſi può vedere nel lor profilo alla Tavola X. ſono al preſente in numero di 45. diſtribuiti così. Uno è ſotterrato: cinque ne vien' a occupare il Vomitorio più baſſo: per altri ſei ſi arriva allo sbocco del ſecondo, il quale ne importa tre: poi dodici ſe ne contano fino al piè del Vomitorio terzo, il quale

plectitur; septem sunt usque ad quartum, quod duos modo capit, ac quinque sunt etiam supra ipsum. Nequit certo sciri, quot revera fuerint antiquitus, propter modorum varietatem, aliasque circumstantias, quas attingemus postmodum. In ima parte duobus plures sunt in præsens, quam fuerint olim; in summa vero uno vel duobus pauciores: qui enim instauraverunt opus, rem humilius aggressi sunt, quemadmodum ex vestigiis nonnullis in locis apparet. Nemo tamen a primo Architecto nasci diversitatem putet, quam modo exposuimus in adituum altitudine, dum unus quidem gradus quinque capit, alius quatuor, tertius duos. Eorum januæ, quæ usque adhuc in singulis ordinibus ad internas ipsorum scalas conspiciuntur, omnes sunt æquales, atque æqualia pariter procul dubio esse debuerunt etiam Vomitoria, ac singula per gradus quatuor, altitudini januarum ipsarum respondentia: sed ita ordinem transformavere peractæ reparationes, modo quidem pluribus, quam oportebat, gradibus interceptis, modo vero paucioribus. Exitus quoque ipsos transformavere; nunc enim inclinandum caput est ingredi volentibus ad sedilia, ne impingatur in lapides superiores: a quo vitio vetus structura aberat quam longissime. Notatu vero digna est diversitas spatii, quæ inter unam Vomitoriorum lineam intercedit & alteram: decem enim pedibus intervallum, quod inter secundam ac tertiam interjicitur, majus est eo, quod Podium inter ac secundam erat, atque inter tertiam ac postremam.

Non est credendum, ab ima parte ad summam gradus continuato ordine æqualiter processisse, quemadmodum fit in præsentia: quibusdam enim divisionibus, quæ amplioribus atque altioribus gradibus similes erant, intercidebantur. Divisiones illas Vitruvius appellavit Præcinctiones. Honorius Bellius, quem libro primo nominavi, Gortynnæ unam ex his præcinctionibus in quodam Theatro conspexit, quæ in duas æquales partes dividebat gradus: in alio Theatro in Urbe Licti tres vidit: sed in Theatris præcinctiones locandis vasis metallicis præsertim inserviebant, quorum cellas sive receptacula in ipsis Bellius perspexit. Egregie Leo Baptista de Albertis scripsit, a veteribus sedilia in tres fuisse partes divisa, singulisque divisionibus gradum reliquis ampliorem circum adstructum fuisse, atq; ad hos ampliores gradus pertinuisse scalas, de quibus infra sermo erit. Præcinctionum altitudo ipsa latitudine major esse non debebat, hoc est earum pars ad perpendiculum posita parti secundum horizontem jacenti esse debebat æqualis, uti docet Vitruvius, cujus textum haud arbitror eo loco esse corruptum, ut contendit Perraultius, qui aliter interpretatus illum est, ratus, præcinctionum altitudinem dimidio minorem esse oportere latitudine: cui sane rei plura repugnant. Sed quot in Amphitheatro fuerint Præcinctiones, & quisnam earum situs, restat ut investigemus.

l. 5. c. 3. Neque altiores quam quanta Præcinctionis itineris sit latitudo.

Videntur esse debuisse ad Vomitoriorum omnium exitum, quo aditus evaderent spatiosiores; etsi nullum hujus rei indicium extet in Amphitheatro nostro, nisi ad ordinem tertiorum, ubi totus ambitus deformatus est per gradum reliquis dimidio angustiorem, qui sane remanet inutilis. Puto ego id a reparatoribus factum, qui nacti in eo loco tantum spatii, quod ad unum gradum constituendum videbatur nimis amplum, ad constituendos vero duos nimis angustum, ingeniose posuerunt gradum unum cum dimidio. Baltheus Præcinctionum in Romano Amphitheatro elaboratus erat musivo opere sive lucidis pre-

ne comprende quattro: sette ve n' ha fino al quarto, che n' occupa due soli, e cinque sono ancora sopra di esso. Non si può accertare quanti fossero in antico precisamente, per l' alterazion delle misure, e per altre circostanze, che toccheremo appresso. Da piedi ne abbiam' ora due di più; nella cima uno, o due di meno, essendosi quelli che ristaurarono tenuti più bassi, come da vestigj in alcuni luoghi si riconosce. Non si creda però venir dal primo Architetto la diversità, ch' ora abbiamo esposta nell' altezza delle aperture, mentre una taglia cinque gradi, altra quattro, altra due. Le lor porte, quali in ognun de' quattr' ordini tuttavia si veggono alle interne loro scale, son tutte uguali, e uguali saranno stati senza dubbio anche gli sbocchi, e ognuno in quattro gradi, corrispondendo all' altezza delle porte stesse: ma così hanno trasformato i risarcimenti, ora attraversando più gradi che non doveasi, ora meno. Hanno parimente trasformate le uscite, dovendosi ora abbassare il capo al riuscir ne' gradi, per non urtar nelle pietre di sopra, dal qual diffetto lontanissima era l' antica struttura. Ben' è notabile la diversità dello spazio, che corre tra una linea di Vomitorj e l' altra, crescendo dieci piedi l' intervallo, ch' è tra la seconda e la terza, sopra quello ch' era dal Podio alla seconda, e dalla terza all' ultima.

Non bisogna credere, che i gradi continuassero dal basso all' alto sempre ugualmente, come or si veggono, perch' erano interrotti da alcune divisioni, somiglianti a gradi più larghi, e più alti. Vitruvio le chiamò Precinzioni. Onorio Belli, citato da me nel primo libro, in un Teatro a Gortina ne vide una, che partiva i gradi in due parti uguali: in altro Teatro nella Città di Litto ne vide tre: ma ne' Teatri servivan queste principalmente per li vasi di metallo, de' quali vide in esse il Belli le celle, o nicchie. Ottimamente scrisse Leon Battista Alberti, aver gli antichi divisi i gradi da sedere in tre parti, ed a ciascuna di queste divisioni aver fatto attorno attorno un grado più largo degli altri, e sopra tai pianerottoli esser arrivate le scale, delle quali parleremo appresso. L' altezza delle Precinzioni non dovea essere maggiore della lor larghezza, cioè a dire, che la parte perpendicolare dovea uguagliar la orizontale; come insegna Vitruvio, il testo del quale non cred' io già in quel luogo corrotto, come vuole il Perrault, che diversamente il tradusse, persuaso che l' altezza delle Precinzioni esser dovesse la metà minore della larghezza, al che più cose ripugnano. Ma quante fossero nell' Anfiteatro le Precinzioni, e quale il lor sito, è da investigare.

Parrebbe, che avesser dovuto essere allo sbocco de' Vomitorii tutti, per dar maggiore spazio a gl' ingressi; benchè indizio alcuno non ne serbi l' Anfiteatro nostro, se non al piano de i terzi, dove deformato è tutto il giro per un gradino metà più stretto degli altri, e che resta inutile. Mi penso, che ciò venisse da' ristauratori, i quali trovando quivi spazio, che per un grado parea lor troppo, e per due troppo poco, presero l' ingegnoso ripiego di farvene uno, e mezo. La fascia delle Precinzioni era nell' Anfiteatro Romano lavorata a mosaico, overo commessa di lucide pietre, e preziose: l'impa-

tiosisque lapillis contextus: id me docet Calpurnius loco paulo ante adducto, ubi *Baltheum illitum gemmis* nominat, qui quidem baltheus non alias res est quam ipsa præcinctio: ibi tamen videri posset tale opus confectum in eum unice finem fuisse, quo sumptuosior evaderet alicujus spectaculi pompa: sed illud fieri etiam potest, ut hoc non inusitatum ornamenti genus in causa fuerit, ut *Baltheorum* nomen præcinctionibus imponeretur. In Arena nostra effossa olim sunt tenuia aurati vitri fragmenta, quæ fortasse adhibita in opere musivo præcinctionum fuere; ac fortassis rebus hisce gemmarum nomen tribuebatur. Præcinctioni similis erat ambitus Podii, quod reapse gradui ampliori, ac nobiliori reliquis respondebat; sed inter præcinctiones numeratum non fuisse docet Vitruvius, qui *præcinctionem* primam eam vocat, ad quam per gradationem primarum scalarum ascendebatur. Prima ergo dicebatur illa, quæ erat ad exitum secundorum Vomitoriorum, uti docet conformatio scalarum, de quibus modo.

l. 5. c. 3.

Gradibus insidebant spectatores, non autem per illos ascendebant: quare ut ascenderent in gradibus ipsis excavatæ erant plures brevesque scalæ, quas recentiores Architecti in instaurationibus imitati sunt. Harum etiam discere in Arena nostra possumus & modos & formam: extant fragmenta uno plura ex iis, quæ in scalis antiquis inerant. Facile est fragmenta singula internoscere ex excavatione ad angulos rectos, atque exacte ad normam, atque ex politissima complanatione, cum scalæ recentes pleræque sint inartificiosius confectæ. Scalæ igitur istæ latæ erant pedes duos cum semisse, & quilibet Amphitheatri gradus secundum eam latitudinem secabatur in duos æquales scalæ gradus. Procedendo sursum versus, atque ab una Præcinctione ad aliam scalis hisce alii ab aliis spectatores secernebantur, ac inter se distinguebantur.

Non erit nunc admodum difficile eum Tertulliani locum intelligere, quem parum feliciter conati hactenus multi sunt enarrare: *nam apud spectacula & in via statur; vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum, & discrimina popularium per proclivum: cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad concessum situs*. In primis opus est contextum ipsum expendere. Cum id agat Tertullianus, ut ostendat, nefas esse Christianos Ethnicorum spectaculis interesse, respondet hoc loco iis, qui, ut se defenderent, ajebant in Sacra Scriptura vetita spectacula non inveniri; ac suadere vult, id aliquo modo vetari in iis Psalmi verbis, ubi *beatus* dicitur *vir, qui in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*; idque confirmat ex eo, quod *Via* & *Cathedra* dicantur loca quædam in Theatro atque in Amphitheatro. Eodem versiculo usi sunt adversus spectacula Clemens Alex. & Chrysostomus, sed non eodem modo. Videmus igitur apud Tertullianum, Vias appellata fuisse Præcinctionum plana ac scalas: & sane tam illa, quam istæ transitus quidam erant ac semitæ; ac videmus præterea, in hisce viis *stantes* spectacula consuevisse illos cernere, qui serius accedentes occupata ab aliis sedilia inveniebant. Ex duabus Præcinctionis partibus *baltheum* ipse vocat parietem, ut vocat etiam Calpurnius; ex eo nata denominatione, quod videretur area pariete illo veluti zona quadam seu balteo præcincta; planum vero appellat *cardinem* utpote in quo spectatores circum deambulabant; quam ob causam cardinem nuncupavit Apulejus Tellurem. Vitruvius loco paulo ante commemorato viam appellavit, etsi alio vocabulo, planum, parietem vero dixit Præcinctionem.

Spect. c. 20.

Ps. 1.

Paed. l. 3.
Hom. 6. de Poenit.

Apul. de Mundo.

Supplem. Tom. V. O

A *l'imparo dal luogo poco fa addotto di Calpurnio, ove nomina il* balteo impiastrato di gemme*, ch' altro non è se non la Precinzione: quivi però parrebbe, che tal lavoro fosse stato a posta fatto per la sontuosità di qualche spettacolo; ma può anch' essere, che tale non inusitato ornamento contribuisse a far dare alle Precinzioni nome di* cintole. *Si sono qui disotterrati una volta pezzetti di vetro dorato, che poteano forse essere stati adoprati per lavoro mosaico alle Precinzioni, e forse a simili cose si dava nome di gemme.* B *Simile a Precinzione era il giro del Podio, che in sostanza corrispondeva a un grado più ampio, e più nobile de gli altri; ma che non si computasse fra esse imparo da Vitruvio, ove chiama* Precinzion *prima quella, cui si andava per la gradazione delle prime scale. Prima dunque diceasi quella, ch' era allo sbocco de' secondi Vomitorii, come insegna la conformazion delle scale, delle quali ora.*

I gradi servivano per sedere, non mai per salire; però per salire erano incavate ne i gradi più scalette, le quali sono state imitate nelle ristaurazioni nostre. C *Anche di queste possiamo imparar qui la misura, e la forma, perchè pezzi antichi abbiam più d' uno di quei, che contencan le scale. E' facile riconoscerne ogni pezzo per l' incavamento ad angoli retti, e perfettamente in isquadra, con pulitissimo compianamento, dove delle moderne le più si veggon fatte alla peggio. Queste scale adunque erano larghe piedi due, e mezo, e prendeano la metà del grado per alto, e la metà per fondo. Procedendo di basso in alto, e da una Precinzione all' altra, venivan per esse a esser separati fra se, e distinti gli spettatori.*

D *Ora non sarà difficile l' intender quel luogo di Tertulliano con poca fortuna illustrato, o tentato finora da molti:* nam apud spectacula & in via statur; vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum, & discrimina popularium per proclivum: cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. *Bisogna prima osservare il contesto. Mostrando Tertulliano, come non era lecito a' Cristiani d'intervenire a gli spettacoli de' Gentili, risponde qui a coloro, che si difendeano con dire di non veder vietati gli spettacoli nella Scrittura; e vuol' insinuare,* E *trovarsi in certo modo tal proibizione in quelle parole del Salmo, ove Beato si chiama colui, il quale* in Via peccatorum non stetit; & in Cathedra pestilentiæ non sedit*: e di ciò prende motivo dal chiamarsi* Via *e* Catedra *alcuni siti del Teatro, e dell' Anfiteatro. Dell' istesso versetto si valsero contra gli spettacoli Clemente Alessandrino, e il Crisostomo, ma non nell' istesso modo. Vediamo adunque in Tertulliano, che Vie si chiamavano i piani delle Precinzioni, e le scale; servivano in fatti e quelli, e queste di transito, e di sentiero: e vediamo ancora, come in dette vie* stavano in piedi F *riguardando coloro, che giunti tardi, avean trovato i sedili occupati. Delle due parti della Precinzione egli chiama* balteo, *o sia cintola, o fascia la parete, così chiamata anche da Calpurnio, nata la denominazione dal parere, che ne rimanesse fasciata la Cavea; e chiama* cardine *il piano, come quello sopra cui gli spettatori giravano all' intorno, onde Cardine chiamò Apuleio la terra. Vitruvio nel passo poco avanti addotto chiamò strada, benchè con altro vocabolo, il piano, e chiamò Precinzion la parete.*

A Dupliciter erravit Bulengerus, qui baltheos & cardines conjecit in Orcheſtram: multo melius locutus de iis eſt Salmaſius in Solinum. Sed ex Tertulliano colligimus præterea, vias appellatas fuiſſe etiam ſcalas, quas ipſe *diſcrimina popularium per proclivum* vocat: ex quo aliquis ſuſpicari poſſet, partem graduum inferiorem nobilioribus viris aſſignatam ſcalis caruiſſe; ſed quoniam id eſſe nequaquam potuit, ac plane falſum oſtendit præſertim locus quidam Suetonii, quem alibi afferemus, dicendum eſt, *popularium* nomine univerſam hominum frequentiam in gradibus collocatam a Tertulliano ſignificari. Non aliunde diſcimus, niſi ex hoc loco *cathedram* fuiſſe dictum ſitum illum, qui erat *in anfractu*. Docet Varro idem fuiſſe *in anfractu*, ac *in flexu*: ſed quemadmodum continua ac orbicularis Præcinctionum via inverſuras alias non habebat, præterquam ubi Vomitoriorum aditibus trajiciebatur, ſic facile inducor ad credendum, fuiſſe ſitus illos ita denominatos ob aliquanto commodiora ſedilia, quæ, ne vacua eſſent illa ſpatia, mos fuerit ibi locare.

De circ. c. 34. Sal. p. 919.

B

Ex duobus hiſce viarum generibus, hoc eſt ex Præcinctionum planis, atque ex ſcalis efformabantur Cunei. Multa ſcriptorum loca ſunt, ex quibus apparet, ſpectaculum in Theatro, & in Amphitheatro fuiſſe diſtinctum, atque conformatum in Cuneos; ſed qua ratione diſpoſiti eſſent Cunei, ordinatæque ſcalæ, nemo hactenus fuit, qui noſſe potuerit. Nullam opem affert hac in re Arena noſtra, in cujus inſtaurationibus ſcalæ forte ac temere conſtitutæ ſunt. Quonam pacto Cunei ſeſe habuerint, ac quinam propterea fuerit illorum numerus, ſcalarumque ſitus, puto me ex duplici fonte detexiſſe, videlicet ex Vitruvio, atque ex nummis. In Vitruvio enim lego, Theatrorum Cuneos ita conformari debuiſſe, *ut anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigerent aſcenſus ſcalaſque inter cuneos ad primam præcinctionem: ſupra autem alternis itineribus ſuperiores cunei medii dirigerentur*: atque alibi, *gradationes ſcalarum*, inquit ille, *dirigantur ad primam præcinctionem inter cuneos & ſubſellia ſpectatorum; atque ab ea præcinctione rurſus inter eaſdem dirigantur gradationes ſecundæ*. In numis autem duas video referri e ſcalis ſuperioribus quæ a graduum ſummitate procedentes medium intercipiunt unum ex Vomitoriis, atque infra prope conjunguntur, ſpatium inter utramque comprehenſum inſtar cunei conformantes. Ex iis ergo patet, ramum alterum debuiſſe inter deſcendendum eadem ratione dilatari, qua prior comprimebatur: idem dicendum eſt de duobus aliis inferioribus. Etſi ego non ſoleam ea deformare, quæ ipſis oculis non viderim, tamen certitudo indiciorum cum veſtigiorum certitudine conjuncta, ac voluptas etiam quædam ex eo percepta, quod videar mihi certo inveniſſe qua ſe ratione res habuerit, in cauſa fuit, quare ob oculos Tabula nona conſtituerim cuneos ponere a ſcalis, & præcinctionibus efformatos, ut hinc appareat etiam, quam venuſte hoc pacto a ſummo ad imum gradus diſtribuerentur; ut nihil dicam de civili harum diviſionum uſu, de quo alibi verba faciemus. Neque vero alia ratione dividi in triangula ſpatium univerſum poſſet, ita tamen ut præcinctiones quorundam baſim conſtituant in parte ſuperiore, quorundam vero contra in inferiore. Totum autem ſpatium in cuneos fuiſſe diviſum ex eo conſtat, quod ab Apulejo *excuneati* vocantur illi, qui in marmoreis gradibus nullum locum nacti, in viis conſiſtebant: cumque Nero milites poſuiſſet in Amphitheatro, ut ejus partes omnes plauſu perſonarent, colligimus ex

C

l. 5 c. 6.

D

E

F

Florid. c. 16.

A Con doppio errore il Bulengero confinò i Baltei, e i Cardini nell' Orcheſtra: aſſai meglio ne parlò il Salmaſio ſopra Solino. Ma ricavaſi in oltre da Tertulliano, che Vie ſi chiamavano anche le ſcale, dette da lui ſeparazioni de gli uomini, o de' ſedili popolari d'alto in baſſo: donde ſoſpetto potrebbe naſcere, che la parte inferior de i gradi deputata a' più nobili, non aveſſe ſcale; ma come ciò non è poſſibile, e ſi trova riprovato ſpecialmente da un paſſo di Svetonio, che addurremo altrove; convien dire che con nome di popolari intendeſſe qui Tertulliano la gente tutta allogata ne i gradi. Non altronde che da queſto paſſo impariamo, ſi chiamaſſe Catedra quel ſito, ch' era in anfractu. Inſegna Varrone, che tanto era in anfractu, quanto in flexu; ma ſiccome la continuata, e circolar via delle Precinzioni altre volte non avea, che dov' era infilata da gli anditi de gli sbocchi, così ho per certo, che quelli foſſero i ſiti così denominati per ſedie alquanto più comode, quali per non laſciar quegli ſpazj vuoti, foſſe quivi in uſo di collocare.

B

Da queſte due ſorti di ſtrade, cioè da i piani delle Precinzioni, e dalle ſcalette, ſi formavano i Cunei. Molti ſono i paſſi de gli Scrittori, da' quali appariſce, che lo ſpettatorio e nel Teatro, e nell' Anfiteatro era diſtinto, e formato in Cunei, ma come queſti foſſero ripartiti, e come le ſcale diſpoſte, non s'è trovato chi abbia potuto rilevar finora. Niun' ajuto ci preſta l' Arena noſtra, ne' riſarcimenti della quale le ſcalette fur ſituate a caſo. Come i Cunei ſi ſteſſero, e qual per conſeguenza foſſe il numero, e la poſitura delle ſcale, io credo con due ſcorte avere indagato; l una di Vitruvio, l' altra delle Medaglie: perchè leggo in Vitruvio, come li Cunei de' Teatri dovean conformarſi in modo, che gli angoli de' triangoli, quali cadono nella curvatura del giro, dirizzaſſero le lor ſalite e ſcale tra un Cuneo e l' altro alla Precinzion prima: e ſopra queſti, alternando le vie, i Cunei di mezo parimente s'indirizzaſſero. Dic' egli ancora altrove, che le gradazioni delle ſcale s'indrizzino alla prima Precinzione tra i Cunei, e i ſedili degli ſpettatori; e che da quella Precinzione di nuovo infra le medeſime ſi dirigano le gradazioni ſeconde. Veggo poi come le Medaglie ci moſtrano due delle ſuperiori ſcale, quali ſpiccandoſi dalla ſommità de i gradi prendono in mezo un Vomitorio, e vengono ſotto quaſi a congiungerſi, cuneando lo ſpazio fra l'una e l' altra. Si riconoſce però in eſſe, come l' altra diramazione convien diſcendeſſe allargandoſi, all' iſteſſo modo che la prima riſtringendoſi: l' iſteſſo è da dire dell' altre due inferiori. Bench' io non abbia in coſtume, di far mettere in diſegno ciò che non veggo, la certezza de gl' indizj accoppiata con quella de i veſtigj, ed anche alquanto di compiacenza, provata nel parermi d' aver ſicuramente rinvenuto, come tal faccenda ſi ſteſſe, mi fa por ſotto gli occhi nella nona Tavola i Cunei, dalle ſcale formati, e dalle Precinzioni, perchè n' appariſca ancora, quanto graziosamente ſi veniſſero in queſto modo a compartire i gradi dalla cima al fondo; oltre all' uſo civile, che aveano queſte diſtinzioni, di che parleremo altrove. Non in altro modo certamente potrebbe dividerſi in triangoli lo ſpazio tutto, facendone però in tal maniera le Precinzioni riuſcire alcuni con la baſe ſotto, ed altri con la baſe ſopra. Che lo ſpazio foſſe compartito in Cunei tutto, appare, perchè ſcuneati chiama Apuleio coloro che non avendo ne' marmorei gradi trovato luogo, ſi rimanean nelle vie: e quando Nerone poſe ſoldati nell' Anfiteatro, affinchè ogni parte di eſſo ſtre-

C


D

E

F

Tacito per universos cuneos fuisse dispositos. In hac Tabula præter scalas cuneosque, qui sunt in medio, exhibentur etiam interiores mesaulæ, de quibus dicetur loco suo.

A *pitasse d'applausi, si raccoglie da Tacito, come furon per tutti i Cunei distribuiti. In questa Tavola oltre alle scale, e cunei, che son nel mezo, si rappresentano anche gl' interni corridori, de' quali si tratterà a suo luogo.*



B

C A P. IX.

Explicatio majoris zonæ prope solum.

COgitanti mihi integram ædificii tanti structuram sine exemplaris proposita ob oculos deformatione ita exponere, ut omnia animo probe concipiantur, videtur usui magno futurus in primis ordo. Cæpi ab iis, quæ primum incurrunt in oculos, agens de Icnographia, ejusque partibus singulis. Exhibita deinde operis totius descriptione in aream Lectorem deduxi, viasque & aditus omnes, qui ducerent in campum, indigitavi. Absoluto jam de externa structura, atque interna sermone, reliquum est, quod inter utramque continetur, hoc est pars obtecta atque abscondita. Hæc sane pars nondum a quoquam cognita, & explicata est; propterea que nobilior, ac admirabilior tam ingeniose constructi ædificii portio latet adhuc occulta.

Per arcus ambitus primi ab initio descripti itur in primam atque exteriorem porticum: de hac prius dicendum est, quam porro progrediamur. Porticus hæc tresdecim pedes habet latitudinis, superior habet pedes quatuordecim; uno plures, quam inferior, nacta ex interna muri retractione. Solum, uti videre licet in ea parte, quæ detecta est, erat pavimentum laminis lapideis admodum ingentibus generis ejusdem stratum: altitudo a solo usque ad medium fornicem complectitur pedes 27. unc. 4. Fornex autem sic elaboratus est. A primis pilis in eo situ, qui supra medium est pro-

CAPO NONO.

Spiegazione della maggior Cinta al pian terreno.

NEl non leggero assunto di far comprendere senza modello dinanzi a gli occhi l'intero d'un tanto edifizio, spero debba sopra ogni cosa giovarmi l'ordine. Ho fatto principio da ciò, che si presenta prima, partitamente trattando del Prospetto. Premessa poi la generale inspezion della pianta, ho condotto il Lettore verso C *la piazza, e gli ho dato contezza di tutte le vie, e porte, che in essa conducono. Quinci ho esaminato tutto ciò, che dalla piazza si vede. Sbrigato ora dall' alzato esteriore e dall' interiore, resta quanto fra l'uno, e l'altro si contiene, vale a dire, la parte coperta, e nascosta. Questa per verità non è stata rilevata ancora, e però di così ingegnosa fabrica il più mirabile ci resta occulto.*

Per gli archi del primo recinto nel principio descritto, s' entra nel primo ed esterior portico: di questo convien parlare avanti di penetrare addentro. Ha di larghezza piedi 13. il D *superiore n' ha 14. acquistandone un di più per lo degrado interiore del muro. Il piano, come si può vedere in quella parte, che si è fatta scoprire, era pavimentato di lastre molto grandi dell' istessa pietra: l' altezza da esso al mezo della volta è di piedi 27. on. 4. La volta è lavorata in questa forma. Da' primi pilastri, nel sito ch'è sopra il mezo, si gettano*

jiciuntur ad interiores totidem arcus (quemadmodum intueri licet in ſchemate Tab. V. & X.) A compoſiti ex magnis lapidibus latis pedes 4. quanta videlicet eſt pilarum ſecundarum latitudo. Inter utramque hanc arcuatam lineam jacet camera ad dolii modum confecta, muro nonnihilo altiore, ac deorſum venuſte prominentibus marmoreis arcubus. Fornices craſſitudini arcuum innituntur: murus eorundem fornicum nullos habet lateres, ſed univerſus conſtat lapidibus, ita tamen ut nullus integer conſpiciatur: non enim rotunda ac lævia ſaxa firmiter poſſunt adhæreſcere; quare tam facile ea videmus dimoveri in muris B noſtris; ſed omnes appareant fracti; ſic enim, ſcabri cum ſint, intrito mirum in modum colligantur. Cameræ Coliſei lapidibus pariter conſtant, innixæ etiam ipſæ arcubus non tamen marmoreis, cujuſmodi noſtri ſunt, ſed lateritiis, qui ab una in alteram pilam reflectuntur.

In ſecundo Arenæ ambitu duo ſunt arcuum ordines, alius ſupra alium, toti circum ab injuriis temporum immunes, ut videre eſt in Tabula tertia. Pilæ cum ſuis arcubus, atque aliquid amplius ex eodem marmoris genere conſtant. Tres modo ex arcubus ſuperioribus antiqui non ſunt, ſed ſuppleti refectique, centum & quin- C quaginta ab hinc annis. Integra pariter eſt zona univerſa, quoad muros & fornices, etſi ſcalæ deſiderentur; quarum una tamen (eſtque ex numero geminatarum) retinuerat gradus aliquot, & aliquot lapideas diazomatum, ductuſque lateralis laminas, ex quibus, certiſque aliis veſtigiis ſupplendæ ac perficiendæ ſcalæ ratio deſumpta eſt. Frons pilarum in utroque ordine continet pedes quatuor, ſi demetiaris ad poſtis pedem, ſi autem in trunco, pedes quatuor, uncias ſex. In ordine terreno altitudo arcus eſt pedum 18. unc. 6. in ſuperiore vero pedum 16. Poſtibus arcuum idem eſt ordo ac ratio, quæ in ambitu pri- D mo. In eo nihil dixi de adituum, ſive luminum arcuatorum latitudine; nunc tamen reddi de hac re ratio poterit ex aditibus ambitus ſecundi, quos expendendos ſuſcipimus.

De ſecundis hiſce aditibus ſermonem inſtituens, ineo jam deſcriptionem illorum interiorum itinerum, quam animo non licuiſſet ullo pacto concipere, ſi prius illam aggreſſus eſſem, quam eſſet a me oſtenſus numerus ac ſitus Vomitoriorum, ad quæ tanquam ad terminos itinera ipſa diriguntur. Duo igitur arcus ad ellipſis extrema, qui numeris I. & XXXVI. in duorum externo- E rum fronte affixis reſpondebant, ſunt ambo lati pedes 12. unc. 10. atque ad pedem capituli p. 13. 1. reliquis proinde omnibus majores. Duo medii ad extrema diametri minoris, qui numeris XIX. & LV. reſpondebant, lati ſunt p. 12.2. ac proximis utrimque ſibi ſunt anguſtiores, a quibus unciis quinque deficiunt. Ex quo etiam apparet, quam temere putaverimus hactenus, duos hoſce aditus duobus illis prioribus fuiſſe æquales, reliquis vero ampliores, ac magnificentiores. Omnium minimi ſunt laterales quatuor ad duas majores januas: iis enim detractum eſt, quod eſt tributum januis: eorum amplitudo plus quam decem F pedes cum dimidio complectitur, minus vero quam undecim. Sexdecim aditus, quorum octo hinc, octo inde ſunt ad latera duorum, qui medii extrema diametri minoris tenent, amplitudinem habent majorem quam p. 12.3. minorem autem quam p. 12. 6. Alii totidem numero, qui ad omnes quatuor partes ſequuntur, ampliores ſunt quam p. 11. 4. anguſtiores quam p. 11. 9. quæ quidem coanguſtatio ex elliptica linea, ubi magis inflectitur & curvatur, naſcitur. Ecce igitur arcuum o-

a gl' interiori altrettanti archi (come appar nel taglio alla Tavola V. e X.) compoſti di gran pietre, larghe 4. piedi, ch' è appunto la larghezza de' pilaſtri ſecondi. Tra l'una e l'altra di queſte linee archeggiate è incaſſata la volta a botte, reſtando alquanto più alto il muro, e prominenti in giù le arcate di marmo graziosamente. Le volte impoſtano ſu la groſſezza degli archi: il muro di eſſe volte non ha mattoni di ſorte, ma è tutto di ſaſſi, con tale avvertenza, che niuno ſe n' oſſerva intero, atteſo che il rotondo e liſcio non può far preſa, onde gli vediamo ſcaſſarſi dalle noſtre muraglie sì facilmente, ma tutti ſpezzati, con che lo ſcabro loro lega con la malta mirabilmente. Le volte del Coliſeo ſon parimente di ſaſſo, e intramurate anch' eſſe con archi, non però di marmo come i noſtri, ma di cotto, che ribattono da un pilaſtro all'altro.

Nel ſecondo recinto l' Arena ha due piani, cioè due ordini d' archi un ſopra l' altro, tutti attorno conſervati, come ſi vede nella terza Tavola. I pilaſtri con gli archi loro, e alquanto più, ſon del ſolito marmo. Tre ſolamente delle arcate ſuperiori non ſono antiche, ma ſupplite, e rifatte cencinquant' anni fa. Conſervata altresì è la cinta tutta, quanto alle muraglie, e volte, benchè abbia perdute le ſcale, una delle quali però (ed è delle doppie) avea ritenuto alcuni gradini, e alquante laſtre de' ripiani, e del condotto laterale, e ſi è con tale ſcorta, e co' ſicuri veſtigi ſupplita, e perfezionata. La fronte de' pilaſtri nell' uno e nell'altro piano è di piedi 4. preſa nel piè dell' impoſta, e due once più preſa nel vivo: il fianco è di piedi 4. 6. Nel pian terreno l' altezza dell'arco è di piedi 18. 6. nel ſuperiore di p. 16. Le impoſte degli archi procedono con l'iſteſs' ordine del primo recinto. In eſſo non parlai della larghezza delle porte, o vogliam dir vani archeggiati; ma ora ſe ne potrà far ragione da quelli del ſecondo, che prendiamo a conſiderare.

Parlando di queſte ſeconde porte, entro già nella deſcrizione di quelle interne ſtrade, che non ſi ſarebbe potuta intendere, ſe l' aveſſi poſta prima d' aver moſtrato il numero, e'l ſito de Vomitorii, che ſono i termini, cui ſon dirette. I due archi adunque nelle punte dell' ovato, che corriſpondevano a numeri I. e XXXVI. ſegnati in quei di fuori, ſono ambedue larghi piedi 12. onc. 10. e nel piè del capitello piedi 13. 1. maggiori però di tutti gli altri. Li due di mezo per largo, che corriſpondeano a numeri XIX. e LV. ſon larghi piedi 12. 2. e ſon più ſtretti de' contigui a loro di parte e d'altra, creſcendo queſti cinqu' once. Anche da ciò appariſce, quanto vanamente ci ſiamo immaginati finora, che queſti due ingreſſi foſſero uguali a' primi due, e foſſero maggiori, e più ſontuoſi degli altri. Più piccoli di tutti ſono i quattro laterali alle due maggiori porte, eſſendo ad eſſi tolto ciò che ad eſſe è dato: la lor miſura è tra li dieci piedi e mezo, e gli undici. Li ſedici ingreſſi, che ſono di qua e di là, otto per parte alli due di mezzo per traverſo, hanno di larghezza da i piedi 12. 3. alli 12. 6. Gli altrettanti ſuſſeguenti da tutte quattro le parti hanno dalli piedi 11. e 4. alli 11. 9. il qual riſtringimento naſce dalla linea eliptica, dove s' inflette, e s' incurva più. Ecco additata la miſura delle arcate tut-

mnium minus accurate indigitata magnitudo: inutile enim esset id agere, ut singulorum amplitudo ad unguem colligeretur, cum aliquando inveniantur discrimina duarum, atque adeo quatuor etiam unciarum in iis locis, quæ tamen congruere deberent, ac in quibus certum est non factum prudenter, sed casu contigisse. Ratio operis rustici, atque consumptio ex vetustate multifariam enata in causa est, quominus liceat rem exacte definire: sed in Colisco etiam, quod politius confectum est, tum in latitudinum, tum in altitudinum dimensionibus non parva discrimina inveniuntur; quare minus accurate extructum esse opus inquit Desgodetius: sed hæc necessario accidunt in maximis ædificiis lapideis, in quibus operi plurimi structores incumbunt. Nemo hactenus inventus est, qui id egerit, ut Colisei adituum, qui supersunt, quique non supersunt, latitudines dimetiretur; nemo enim non arbitratus est, eos esse inter se æquales: credibile tamen est ubi linea ambitus maxime inflectitur, ibi & ipsos decrescere; quodque caput est, Fontana ratus, quatuor januas extrema diametrorum tenentes eidem usui deservire, iisque æquales respondere vias, ac similem terminum, singulas 20. palmorum esse affirmavit, reliquas vero 76. palmorum 19 cum tertia palmi parte: quæ quidem differentia nihili facienda esset ob eam rationem, quam adduximus. Verum si res accuratius exploretur, procul dubio duæ in fronte positæ januæ ad majorem diametrum reliquis omnibus invenientur ampliores magnitudine fortasse duorum, fortasse trium, ac plurium etiam pedum. Non erit difficile rem certo scire ex arcubus, qui ex deformationibus superesse videntur in ambitu tertio, qui secundo Arenæ nostræ respondet.

Dicemus nunc, quo eatur per aditus singulos, & quo pertineant multiplices balthei primi scalæ, expendentes quartam partem; quandoquidem plane similes sunt reliqui tres totius ædificii quadrantes. Intueantur lectores, dum hæc perlegunt, partim Tabulam VIII. ubi totius molis forma delineata conspicitur, partim Tabulam X. quæ exhibet sciographiam cum internis scalis minime sane cognitis, neque animo conceptis ab iis, qui de Amphitheatro egerunt.


inutile essendo di notarne il preciso ad una ad una, per trovarvisi talvolta svarii, ed irregolarità fin di due, e fin di quattr' once ne' siti, ch' esser dovrebbero corrispondenti, e dove siam sicuri, che fu casualità, e non mistero. L' opera rustica, e la consumazione variamente nata dal tempo, leva il modo d' accertar nel minuto; ma nel Coliseo altresì, ch' è lavorato più pulitamente, sì nelle larghezze, come nelle altezze variano le misure non poco, onde con poca esattezza eseguito lo dice il Desgodetz; ma tali accidenti quasi necessariamente avvengono ne' grandissimi edifizj di pietra, dove lavorano

B *molti, e molti. Non c' è stato finora chi si sia dato cura di misurar le larghezze degl' ingressi del Coliseo, che rimangono, e che non rimangono, per la prevenzione che sian tutti uguali: ma è credibile, che nella maggior inflessione scemino anch' essi; e quel che più importa, il Fontana col pregiudizio, che le quattro porte diametrali servissero all' istesso uso, e lor corrispondessero strade uguali, e simil termine, affermò, esser tutte di palmi 20. e l' altre 76. di palmi 19. e un terzo, che sarebbe differenza non computabile per la ragion ch' abbiam detto.*

C *Ma il fatto sta, che ricercandosi con esattezza si troveranno indubitatamente le due porte di fronte per lungo larghe più di tutte l' altre forse due, e forse tre piedi, e forse più ancora. Non sarà difficile accertarsene dagli archi, che secondo i disegni par rimangano nel terzo recinto, che corrisponde al nostro secondo.*

Or diremo dove si capiti per ciaschedun degl' ingressi, e dove mettan le varie scale della

D *prima cinta, prendendo a considerarne una quarta parte, già che affatto simili sono i tre altri quarti dell' edifizio. Accompagni il Lettor cortese con l' occhio parte alla tavola VIII. ove si vede la pianta, e parte alla X. che mostra uno spaccato con le scale interne, non conosciute per verità, nè intese da chi ha trattato dell' Anfiteatro.*



A Ut ergo ab ellipsis vertice ordiamur, tum de principe illo aditu, tum de proximis jam diximus. Illud modo animadverti præterea potest, duas vias principes ad campum directas non fuisse, ut erant reliquæ, secundum horizontis lineam, sed non nihil declives, adeoque interiorem murum trajecisse, areæ plano depressiore existente. Numero 6. in deformatione exhibetur scala graduum 20. diazomate intercisa; ad scalæ hujus terminum objicitur oculis ingens fenestra, quæ tertium ambitum trajicit, lumenque ulterius transmittit. Hujus spatii fornex fere usque ad dimidium ascendit, tum descendit. B Hujus rei ea ratio est, quia supra fornicem hunc in primis constituta est scala, quæ ad Vomitorium pertinet lineæ quartæ; deinde vero reliquum spatium occupat pars graduum: ex fornicibus ob eandem causam octo sunt, qui formam eandem præseferunt.

Commemorata scala procedit, ac duplicatur, divisaque in ramos duos, quorum uterque scamillos 14. numerat ex parte utraq; regreditur, ac ducit in ambulationem: ad duos hosce ramos itur utrimque per januas epistyliis præditas pedes 9. & uncias quinq; altas, latas vero pedes 7unc.2. quarum stipes unus, is scilicet, qui muro interiori adhæresceret, desideratur, speciemq; refert in muro C delitescentis, ut janua spatiosior existat. In Tabula X. nisi fallor, omnia luculentissime expressa sunt. Occupant crassitudinem stipitis alterius januæ scamilli quatuor, & ipsi in Tabula delineati, per quos itur ad diazoma rami alterius, de quo meminimus. In quinto ac septimo spatio existit propterea duplex vacuus sub scala situs ex quo efformata sunt cubicula. Prope muros secundum scalas producuntur marmorei canales, qui latebant, in eumque usum confecti erant, ut per eos efferretur urina ex locis superioribus. Fragmenta eorum plura superfuerunt, latique ipsi erant pedem unum, ac in subterraneos ductus, de quibus suo loco, influebant.

Cominciando adunque dalla punta dell'ovato, di quel principale ingresso, e de' prossimi abbiam già reso conto. Si può solamente avvertire ancora, che le due strade principali dirette alla piazza non erano orizontali come l'altre, ma alquanto in declive, e fendevano però il muro interiore, essendo il piano del Campo più basso. Al numero 6. della pianta si presenta una scala di gradini 20. interrotta da un ripiano; al termine di questa scala si ha in faccia una gran fenestra, che fora il terzo recinto, e tramanda lume oltra. La volta di questo spazio ascende fin presso alla metà, poi discende. La ragion si è, perchè sopra essa è prima una scala, che va a un Vomitorio della quarta linea, poi nel rimanente ha sopra una parte de i gradi: otto delle volte sono per la stessa ragione di tal figura.

L'accennata scala proseguisce raddoppiandosi, e con due rami di 14. gradini di parte e d'altra ritorna, e conduce su l'ambulatorio: a questi due rami si passa di qua e di là per porte architravate alte piedi 9. once 5. larghe piedi 7. once 2. uno stipite delle quali, cioè quello che resterebbe attaccato alla muraglia interiore, manca, e mostra perdersi nel muro per lasciar la porta più spaziosa. Nella Tavola X. tutto, s'io non m'inganno, è perfettamente espresso. Occupanti la grossezza dell'altro stipito della porta son 4. gradini, espressi anche nella pianta, quali mettono sul ripiano dell'altro ramo, che abbiam detto. Nel quinto, e settimo spazio si hanno però due sottoscala, che formano stanze. Presso i muri accompagnano le scale canali di marmo, che restavano occultati, e servivano per le orine delle parti superiori. Se n'hanno più pezzi conservati, e son larghi un piede, e mettevano ne' sotterranei condotti, de' quali a suo luogo.

Octavo Tabulæ spatio respondet via, quæ recta fertur usque ad interiorem baltheum. Numeris nono ac decimo duo sunt vasta cubicula oblonga sine ullo exitu. Ad undecimum scala erat cum fenestra arcuata contra posita, quæ in aliam secundi balthei lumen trajicit. Scala hæc inflectebatur dextrorsum cum janua quadrata simili descriptis in scala duplici scamillorum ordine instructa, ac per scamillos quatuor ferebatur ad diazoma atque ad ramum secundum numeri 12. sub ipsa vero cubiculum erat. Sequitur alia via ad Podium, ut num. 8. tum cubiculum aliud ingens formæ oblongæ: hinc scala in duplicem divisa scamillorum ordinem, paulo ante commemoratæ similis. Numerus 17. viam habet ad Podium duabus antea memoratis similem, ac numerus 18. vastum cubiculum, quod finem imponit ædificii quadranti in terreno ordine: numero 19. sequitur via secundam transversam ellipsis diametrum, quæ in porticum tertiam desinit; cui etiam adjacet ad dextram vastum cubiculum cum ingenti fenestra, ad medianam mesaulam obversa. Delineatis in hujus ordinis ichnographia internis scalis, utpote quæ e solo assurgunt, signati sunt etiam in pariete exitus diazomatis secundis contigui, etsi illi quidem ad ordinem secundum spectent.

Si quis est, qui labore minimo animo velit concipere difficiliores hujus ædificii partes, is attente contempletur decimam hanc Tabulam, ex qua uno oculorum ictu videbit, qua ratione ad quaternas Vomitoriorum lineas ascenderetur, atque iretur in gradus, propterea que præcipuam notitiam acquiret. Videbit, quemadmodum ad prima duodecim veniretur per itinera recta, donec offendebantur scalæ scamillis quinque instructæ. Ad sexdecim secunda ibatur via recta usque ad mesaulam medianam; inde vero inibantur scalæ diazomate intercisæ. Quicumque ascendere ad superiores ordines debebat, scalas suas inveniebat in mesaula prima, ascendebatque usque ad ordinem secundum: quo ubi perventum erat, qui prodire in gradus tertios deberet, declinabat dextrorsum, eique offerebatur janua sua, ac brevis scala; qui vero altius adhuc deberet ascendere, declinabat sinistrorsum, ingressusque mesaulam offendebat statim scalam aliam in duos gradationis ordines divisam, postquam proditurus in gradus quartos dexteram tenebat, iturus vero ad superiores ligneos gradus, atque ad suprema ambulacra, quæ ferebantur circum, tenebat lævam, & ascendebat adhuc per quandam scalam, quæ per mesaulam protendebatur transversa: sed hic hærendum est: quæ enim conservata sunt, desinunt, nihilque præterea remanet. Illud observandum in recta sectione gradus exhiberi, ea ratione, ad quam in reparationibus exacti fuerunt; hinc brevis scala, quæ ad Podii Vomitoria ducebat, ostendit gradus quosdam exitu suo depressiores; quod olim sic esse non potuit, adeoque neque Præcinctiones in eadem sectione recta visuntur.

CAP. X.

Ordo Amphitheatri secundus, ejusque forma.

QUemadmodum prima zona duos habet ordines, sic antequam ad partes magis internas procedamus progrediendum est ad secundum. Atque hic sane est, ubi maxime hujus ædificii artificium elucet, & ubi vel præstantiores Architecti hæserunt, qui hac de re loquuti sunt, quemadmodum ex deformationibus secundi Colisei ordinis a Desgodetio & Fontana editis præsertim licet intelligere: illæ enim temere omnino

A *All' ottavo spazio della pianta corrisponde una via, che va direttamente fino all' interna cinta. Nove, e dieci hanno due stanzoni bislunghi senz' altro esito. L' undecimo avea una scala con fenestra archeggiata in faccia, che batte il lume in altra della seconda cinta. Questa scala voltava a dritta con porta quadrata simile alle descritte nella scala doppia, e per quattro gradini andava al ripiano, e al secondo ramo del num. 12. avendo sotto una stanza. Segue altra via al Podio, come al num. 8. poi altro stanzone bislungo: indi scala in due rami, simile alla pur or narrata.* B *Il diciassette ha una strada al Podio, come le due predette, e il diciotto uno stanzone, con che finisce il quarto dell' edifizio nel pian terreno, susseguendo nel diecinove la via diametrale per traverso, qual termina nel terzo portico; e quale anche su la dritta ha un simile stanzone con gran fenestra, che guarda sul corridor di mezo. Mostrandosi nella pianta di questo piano le scale interne, siccome quelle ch' hanno radice in terra, vi si son segnate altresì le aperture nel muro contigue a' secondi ripiani, benchè propriamente spettino al pian secondo.*

C *Chi vuole impossessarsi con poca fatica del più difficile di quest' edifizio, osservi bene questa tavola X. dove in un' occhiata scoprirà il modo col qual si saliva alle quattro mani de' Vomitorj per riuscir ne' gradi, e ne rileverà per conseguenza l' intendimento principale. Vedrà in essa come alli primi dodici si andava per vie diritte finchè trovavansi le scale di cinque gradi. Alli secondi sedici si andava per via retta fino al corridor di mezo, e quinci salivansi le scale interrotte da un ripiano. Chi dovea riuscire a gli ordini superiori,* D *trovava le sue scale nel corridor primo, e montava fino al secondo piano; dove giunto chi dovea uscir da i terzi voltava a dritta, e trovava la sua porta, e piccola scala: chi dovea salire ancora, voltava a sinistra, e montando sul corridore trovava ben presto altra scala in due rami, dopo la quale chi dovea uscir da i quarti voltava a dritta, chi dovea passare a i gradi ulteriori di legno, ed alle logge, che sopra essi giravano, voltava a manca, e saliva ancora per una scala, che attraversava il corridore: ma qui la traccia si perde, poichè il* E *conservato si tronca, e null' altro ci rimane. Avvertasi come il profilo de i gradi gli mostra come or si trovan ridotti da' risarcimenti; però la breve scala, che conduceva a gli sbocchi del Podio mostra avere alcuni gradi più bassi dell' esito suo, il che anticamente non era; e però ancora non si veggono nell' istesso profilo le Precinzioni.*

CAPO DECIMO.

F Secondo piano dell' Anfiteatro, e sua pianta.

COme la prima cinta ha due piani, così prima d' inoltrarsi alle parti più interne bisogna salire al secondo. Qui è certamente dove spicca l' ingegnoso di quest' edifizio, e dove per verità hanno perduto ogni traccia tutti i valenti Architetti, ch' hanno trattato finora di questa materia, come si può singolarmente conoscere dalle piante, che Desgodetz, e Fontana ci hanno date del secondo piano del


confictæ sunt, ac plane falsæ, neque scalas, ac itinera, per quæ ad lineæ quartæ Vomitoria procedebatur, nec qua ratione prodiretur in gradus, indigitant. In Tabula ostendi, quemadmodum uterque commemoratus Architectus rem animo conceperit.

Proloqui hic ea opus est, quæ exprimi in Tabula nequeunt, hoc est duo esse in ordine secundo pavimenta; alterum interius, ac depressius; atq;hoc quidem omnium cubiculorum sive mesaularum pavimentum est, ad quod pertinent secundi scalarum rami; alterum vero exterius atque elevatius supra mesaulam orbicularem, ad quod ascenditur per novos scamillorum ramos. Illud etiam monendum est, in hoc ordine non omnes arcus ejusdem esse altitudinis: ex iis enim octo cæterorum altitudinem excedunt tribus pedibus, uti in Tabula III. indicatur, hoc est quatuor extrema tenentes, ac alii quatuor inter hos intermedii; non tamen accurate intermedii; quandoquidem inter medianum arcum ad diametrum majorem, ac medianum ad diametrum alteram numerantur, arcus septemdecim; quare ei, qui intermedius est, hinc atque hinc octo adjacerent; cum tamen editiori arcui, de quo diximus, septem quidem ex parte longitudinis, novem autem ex parte latitudinis adjaceant.

A *Colisèo; poichè per verità son fatte a caso, e son del tutto erroniche, nè danno cenno alcuno delle scale, nè delle vie, per cui si venisse a' Vomitorii della quarta linea, nè del modo con che si riuscisse ne i gradi. Ho fatto veder nel disegno come l'uno e l'altro de i sudetti Architetti l'intesero.*

B *Bisogna premetter qui ciò, che nella pianta non si può esprimere; vale a dire, che due sono i pavimenti nel pian secondo: uno interiore più basso, ed è quello di tutte le stanze, o anditi, che vogliam dire, sul quale mettono i secondi rami delle scale; altro esteriore più alto sul corridor circolare, al quale si va per nuovi rami di gradini. Bisogna premettere ancora, che in quest'ordine gli archi non son tutti d'altezza uguale, essendovene otto, che sormontano gli altri di tre piedi come nella tavola III. si accenna, cioè li quattro diametrali, e altri quattro fra mezo a questi; non però in mezo per l'appunto, poichè tra il mezano per lungo, e il mezano per traverso abbiamo archi 17. onde ne rimarrebbero otto per parte a quello che intermedia; dove l'arco più alto, che abbiam detto, ne lascia 7.*

C *dalla parte verso il largo, e 9. dalla parte verso il lungo.*



Jam vero ut a depressiore pavimento interiore exordiamur, ad quod perducunt secundi scalarum rami in terreno ordine ostensarum; atque ut ordiamur scilicet a numero 5. ut prosequamur inflexuram scalarum, quarum intelligentiæ plurimum lucis sagittas, quæ earum directionem commonstrant, posse arbitror afferre. Conspici-

D *Or facciam principio dal più basso pavimento interiore, sul quale mettono tutti i secondi rami delle scale mostrate nel pian terreno; e facciamolo dal numero cinque per secondare il piegar delle scale, l'intelligenza delle quali credo sarà molto facilitata dalle frecce, che mostrano la lor tendenza. Vedesi adunque al numero*

tur ergo numero quinto secundæ hujus deformationis diazoma, quo pertinet sinister scalæ geminatæ ramus: ad dexteram hujus diazomatis existit foramen, quod rotundi ostii formam exhibet altitudine p.10.6. latitudine vero p.7.quod ostium observari potest, cujusmodi reapse est, in Tabula X. quam & hoc loco habere ante oculos oportet. Per ejusmodi ostium transitur in mesaulam quandam spatium nu. 4. occupantem, quod spatium in eadem Tabula indigitatur colore illo clariore. Ad extremam mesaulam adest janua unius ex tertii ambitus Vomitoriis cum sex scamillis, qui in Arena nostra pluribus in locis servati ab interitu sunt, atque in deformatione ostenduntur: eadem ratione ad Vomitoria reliqua lineæ tertiæ proditur. Sciendum est, Vomitoriorum januas etiam in superiore parte fere omnes integras superfuisse, atque in singulis quatuor ordinibus uniformes esse, altas p. 7. 9. latas vero p. 6. 6. lapideasque esse totas: pavimenta vastis lapideis laminis strata sunt: scamilli sex, omnes fere ex rubro marmore, per quos ascenditur, iturque ad subsellia, lati sunt pedem unum, alti vero uncias decem.

Eadem mesaula, contra januam illam, per quam ingressi sumus, habet januam aliam figuræ quadratæ, totam ex vastis lapidibus, crassitudine pedum quatuor: alta est pedes 7. unc.9. detractoque limine, reliquum est lumen altitudine p.7. latitudine vero p. 4. unc. 4. Per hanc itur in spatium tertium, ubi adest cubiculum mesaulæ anteriori, quoad figuram, simile, sed clausum ad extrema, & ex quo per ostium rotundum angustius, ac sine lapideis pilis itur in cubiculum non absolutum & integrum, ad quod fortasse patebat aditus luci per fenestram aliquam, quæ parieti inesse poterat, quo ex antica parte clauditur: sed ejusmodi parietes diruti omnes sunt. Duo hæc cubicula cum ostiis suis exprimi in Tabula non potuere; verum quod intererat, hoc fuit, ut scalæ, earumque itinera, atque exitus ob oculos ponerentur.

Illud observandum hoc loco est, ex hisce tribus ostiis, primum, quod a diazomate in locum transitus tendit, postes ullos, aut septum ullum habuisse, indicio nullo patere, cum in alterius, quod ad cubicula vel rebus quibusdam seponendis, vel aliis peculiaribus usibus destinata ducit, limine prope stipites duo utrimque rotunda foramina extent, totidemque in transverso lapide superiore respondeant; quo apparet, in ipsis fuisse conversos bipatentium forium cardines, hoc est duo vel ligna, vel metalli frusta rotunda, quæ tam in superiore, quam in inferiore parte subibant ea foramina, ac torquebantur in orbem postes ipsos agentia. Hinc modum antiquorum *postium*, ut a Latinis vocabantur, intelligimus, simulque germanam significationem harum vocum *cardo* & *polus*, græce στροφεύς, quasi *versatilis*, ac *rutulus* in Glossis antiquis: quare Vitruvius cardines appellavit illos, circa quos Mundi machinam converti imaginamur, quos Græci *polos* dicunt; propterea que cardinem Isidorus dixit *cuneum*.

l. 9. c. 7. l. 14. c. 8.

Redeamus ad num. 5. Ex eo diazomate si recta procedas, per scamillos sex ad ovalem porticum ascendes, dexteramque partem tenens, videbis in primis, in interiore sponda inter pilas, quæ duobus paulo ante commemoratis cubiculis respondent, vestigium extare parietis, sive lapideas laminas ad altitudinem dimidii hominis, quæ claudebant, spondæ locum obtinentes, lucique ex parte superiore liberum aditum relinquentes. Ad numerum 2. deinde occurrit scala in duos gra-

A B C D E F

numero 5. di questa seconda pianta un ripiano, nel quale vien' a metter capo il ramo sinistro della scala doppia: tal ripiano trova un' apertura su la sua dritta, quale rappresenta una porta tonda, alta piedi 10. once 6. larga piedi 7. questa può osservarsi come sta per l' appunto nella Tavola decima, che bisogna anche qui avere innanzi. Per essa si passa in un andito occupante lo spazio del num. 4. il pavimento del quale è mostrato nella detta tavola col chiaro. In fondo all' andito è l' interna porta d' uno de' Vomitorii del terzo giro con sei gradini, quali abbiamo qui conservati in più luoghi, e che si mostran nel disegno: nell' istesso modo si va a tutti gli sbocchi della terza linea. Vuol sapersi, come le porte de gli sbocchi son conservate anche in alto quasi tutte, e sono uniformi in tutti quattro i giri, alte p. 7. 9. larghe p. 6. 6. tutte di pietra: i pavimenti son di gran lastre: li sei scalini (quasi tutti di marmo rosso) che da esse montano per riuscir ne' gradi, son larghi un piede, alti once dieci.

Il medesimo andito, dirimpetto a quella per cui siamo entrati, ha un' altra porta quadrata, tutta di gran pietre, grosse quattro piedi: è alta piedi 7. once 9. e detratta la soglia resta in piedi 7. di luce, con larghezza di piedi 4. 4. Per essa passasi nello spazio terzo, ov'è una stanza simile all' anterior andito per la figura, ma serrata ne i capi, e dalla quale per una porta tonda più piccola, e senza pilastrate di pietra, si va in camera tronca, quale avea forse lume da fenestra, che potea esser nel muro, da cui si serra per davanti; ma questi muri son tutti disfatti. Queste due stanze con le porte loro non si son potute mostrare nella Tavola, ma l'importanza era di far vedere le scale co' passaggi, e ricapiti loro.

Qui è da avvertire, come di queste tre porte, la prima, che dal ripiano va in luogo di transito, non ha indizio alcuno d' aver avuto imposte, nè altro serraglio; ma l' altra, che conduce in camere destinate solamente, o a riporvi qualche cosa, o ad altr' usi particolari, ha nella pietra della soglia presso gli stipiti due buchi rotondi un per parte, e due altri corrispondenti nel suo traverso di sopra, che mostrano, come in essi si rivolsero i cardini di due partite d' uscio, cioè due legni, o pezzi di metallo rotondi, ch'entravano sopra e sotto ne' buchi, e giravano, facendo giocar le imposte. Scopriamo da questo il modo delle imposte antiche, dette postes *da i Latini, e il vero significato delle voci* cardo, *e* polus, *in Greco* στροφεύς *che viene a dir* girevole, rutulus *nelle antiche Glose: però Vitruvio chiamò cardini quelli, intorno a' quali immaginiamo aggirarsi il Mondo, da' Greci detti* poli, *e però Isidoro chiamò il cardine un* cuneo.

Torniamo al num. cinque. Da quel ripiano proseguendo dirittamente, per gradini 6. si sale sul portico ovale, e voltando a dritta si osserva prima, come nella sponda interiore tra i pilastri, che corrispondono alle due sopranominate stanze, segno vedesi di muro, o lastre all'altezza di mez' uomo, che serravano, servendo di parapetto, e lasciando per di sopra libero adito al lume. Si trova poi al num. 2. una scala in due rami, il primo di gradini sei,

dationum ordines divisa, quorum primus constat scamillis sex, alter scamillis octo: ordo uterque in ejusdem spatii latitudine excavatus est. Scala hæc ducit ad parvum cubiculum supra majorem aditum, ubi sublimior est arcus. Ceterum non fornex altior est, sed arcus tantum; qui contra atque in reliquis accidit, murum subit, adeoque lumen tribus pedibus amplius reddit. In ejus cubiculi interiore cuspide adest janua cum scamillis, per quos ad illud Vomitorium itur lineæ quartæ, quod est in vertice ellipsis. Ex ejusdem cubiculi externa parte apparet initium cujusdam fornicis, qui attollebatur in altum, cum scalæ supra eundem positæ, ac januæ vestigiis, cujus quidem januæ altitudo erat satis magna, quippe cum arcus ibi, quemadmodum diximus, altius attollatur, quam cæteri. Quo scala illa perduceret, dicemus postea.

Nunc illud modo observemus, quemadmodum unus e quatuor secundi hujus ordinis exterioribus arcubus felici fato ab interitu sartis tectisque, evidentissime ostendat, in hisce octo locis marmoreos hinc atque inde parietes extitisse, qui in transversum ducti scalam mediam complectebantur, atque a pilis primi ambitus protendebantur ad pilas secundi; cum ex interiore parte capitulum incisum, triti lapides, & complanati, signisque conjunctionis præditi appareant. Extant indicia quoque, parietibus istis fornicem suum fuisse, sive ostium, qua pateret aditus. Sed præterea videre licet, pariete quodam ex lapidibus iisdem in fronte fuisse clausum externi arcus lumen, parietem eundem pede uno crassiorem non fuisse, fuisse ad mediam pilam situm: id ostendit capitulum fissum, & complanatum pilæ ejusdem. Quare illustrata est Tabula appictis transversis hisce parietibus, indigitatisque etiam scalis hisce, cum harum rerum indicia certa, ac manifesta vestigia cernantur.

Jam vero quinque primis secundi ordinis spatiis descriptis, gradum faciamus ad septimum, in quo extat diazoma, quo desinebat dexter scalæ bipartitæ ramus, & in quo ad lævam adest ostium. Qui ad tertium vomitoriorum ordinem processuri erant, per ostium hoc ingrediebantur, ac progredientibus eadem occurrebant, quæ ad numerum 4. observata sunt. Qui vero ad postremum ordinem quartæ lineæ vomitoriorum debebant ascendere, porticum adibant, proximoque in spatio ad dexteram offendebant scalam, in cujus extremo ostium est, atque exitus in vomitorium: scala hæc mediæ inter scalas in duplicem gradationem divisas superposita est. Numero 9. nihil est, cum ingens ordinis infimi cubiculum altitudine ad fornicem usque attollatur, cui gradus innituntur. In lateralibus ejus muris apparent duo in pariete cava ad perpendiculum ducta, quibus tanquam ductibus efferebantur sordes, & aqua in tectum decidens ambulationis supremæ: in iis enim ampli ex metallo tubi sunt reperti. Vestigia muri, qui deambulantibus in porticu erat, spondæ loco extant ubique. Post scamillos num. 7. commemoratos qui dexteram tenebat, prætergressus duo in porticu spatia, in decimo scalam offendebat in duos divisam ramos, illi consimilem, de qua num. 7. nisi quod illa quidem ad dexteram, hæc vero ad sinistram inflectitur. Reliqua spatii hujus pars caret pavimento, uti & proximum num. 9. Per eam scalam aditur parvum quoddam cubiculum num. 11. cubiculo num. 1. simile, cui ex una quidem parte Vomitorii ostium adest, ex altera autem scala, quæ media pariter inter duos parietes ad ambitum primum attollebatur. Separationes hæ exteriorem porticum in partes

A *l'altro di otto, cavati ambedue nella larghezza dello stesso spazio. Questa scala mette nella piccola stanza, ch'è sopra la porta maggiore dove l'arco è più alto. Non è per altro più alta la volta, ma l'arco solamente; quale al contrario degli altri si concentra nella muraglia, e fa con questo tre piedi più di luce. Nella punta interiore di tal camera è la porta co' gradini che mettono a quel Vomitorio della quarta linea, il quale è situato su la punta dell'ovato. Dalla parte di fuori dell'istessa camera si vede il principio d'una volta, che montava in alto co' vestigi della scala, che vi era sopra, e*
B *di porta in essa, quale è di sufficiente altezza per ragion dell'arco, che quivi come abbiam detto si alza più degli altri. Dove tale scala conducesse diremo poi.*

Osserviam' ora solamente, come una delle quattro arcate esteriori di questo secondo piano per buona sorte conservate, ci fa manifestamente conoscere, che in questi otto siti pareti di marmo erano di qua e di là, che attraversando toglieano la scala in mezo, e correano da i pilastri del primo recinto a quei del secondo,
C *vedendosi tagliato il capitello per di dentro, e le pietre battute, e compianate, e co' segni della congiunzione. Indizj si hanno ancora, che queste pareti avessero arcata, o porta nel mezo per dar passaggio. Ma vedesi di più, come da parete dell'istesse pietre era ancora serrato in fronte il vacuo dell'arco esterno, e come tal parete non era più grossa d'un piede, ed era situata a mezo il pilastro: tanto insegna il capitello fesso, e spianato del pilastro stesso. Si è però ajutata la pianta con segnarvi questi traversi, e con additarvi anche queste scale, stante il vedersene sicuri indizj, e manifesti vestigi.*
D

Ora dopo descritti i primi cinque spazii del secondo piano, passiamo al settimo, nel quale appare un ripiano, su cui metteva il ramo destro della scala doppia, e che ha una porta su la sinistra. Chi dovea riuscire all'ordine terzo de gli sbocchi, entrava per essa, e trovava l'istesso che si ha al num. 4. Chi dovea montare all'ordine ultimo de' quarti sbocchi, saliva sul portico, e nel prossimo spazio a dritta trovava
E *una scala, che ha per termine la porta, e l'uscita del Vomitorio: cade questa scala sopra quella di mezo delle doppie. Al num. 9. non si ha nulla, essendo lo stanzone del pian terreno a tutta altezza fino alla volta, che sostiene i gradi. Nelle muraglie di questo laterali si veggon due incavi nel muro a perpendicolo, che serviron di condotti per immondizie, e per l'acqua che cadea sul tetto dell'alta loggia, essendovi già stati trovati grossi tubi di metallo. I cenni, e vestigi del muro di riparo a chi camminava sul portico son da per tutto. Dopo i nominati gradini del num. 7. chi piegava a*
F *sinistra, trapassati sul portico due spazii, nel decimo trovava una scala in due rami, simile a quella del num. 2. se non che quella piega a dritta, e questa a sinistra. Il rimanente di questo spazio è senza pavimento, come il prossimo del num. 9. Per la detta scala entrasi in piccola stanza n. 11. simile a quella del num. 1. con la porta d'un Vomitorio da una parte, e scala dall'altra, che s'alzava verso il recinto primo, tra due pareti parimente. Queste*

octo dividebant, singulas hactenus descriptæ plane similes.

Num. 12. adest ramus alter scalæ simplicis, e cujus diazomate ad lævam deflexo itinere per ostium quoddam arcuatum proditur in cubiculum contra unum ex Vomitoriis tertiis, conscensaque porticu transibatur ad scalam num. 10. prætergrediendo transversa ostia, tum ad scalam num. 15 scalæ num 6. similem, quarum utraque ad exitus ordinis postremi ducit. Spatium 14. altitudine par est spatio 9. Num. 16. tum ad lineæ tertiæ exitum ducit, qui est ad dexteram, tum ad exitum quartæ, qui est ad sinistram. Num. 18. spatium est totius altitudinis: num. 19. rursus adest fornix, parvumque cubiculum, quod utrimque scalas habet. Ac per hæc absoluta quarta secundi ordinis pars est, indicataque itinera omnia ad postremas duas Vomitoriorum lineas, pariterque ad eas editas partes, quæ gradibus erant superiores.

CAP. XI.

Mesaulæ internæ, ac zona inter has media.

VIæ maximæ sciographia Tabula IX. exhibita ostendit, post tres fornices pilis insulatis insistentes, alium sequi altiorem pede uno, ac duobus ampliorem. Per hunc fornicem itur in ambulationem medianam, cujus fornex altitudinis habet pedes 28. Pavimentum stratum erat laminis ex marmore consueto crassis unc. 10. superant adhuc fragmenta multa quadrata supra ductum subterraneum. In hac mesaula, qua partem exteriorem respicit, primum quidem adsunt exitus epistyliis muniti, sine ostia viarum, de quibus dictum jam est. Latus pilæ pedes quatuor habet amplitudinis: sequitur lumen amplum pedes 4. 10. tantummodo ob eam rationem, quam capite sexto attigimus; quod in causa est, ut viarum lateralium, & maximæ contiguarum aditus sit tam angustus. Lumen alterum est pedum 7. quod & ipsum nonnihil contrahitur. Tum occurrit alta quædam janua lata pedes 9. per quam centrum versus procedit via. Sequitur deinde murus tribus scalæ geminatæ spatiis respondens; postea alia janua, per quam alia via producitur; hinc murus pro quatuor arcubus; subinde alia janua, atque ita porro, usque ad ostium medianum constitutum in transversum, latum pedes 10. 4. hoc est ped. 1. 10. minus sibi respondente exteriore ostio, idque ob mutuum linearum, quo magis ad centrum appropinquant, accessum. Latus externum hujus secundæ mesaulæ observare licet accurate delineatum Tabula nona, partim in media area, partim vero citra ultraque cuneos.

Ostia hæc omnia a veteri pavimento ad fornicem transversum, cujus exigua est curvatura, alta sunt pedes 20. 8. adeo ut stipites ex magnis lapidibus constructi attollantur altius quam pes fornicis: quæ quidem insolens altitudo efficiebat, ut maxima porticus majore luce gauderet. Non sunt silentio prætermittendæ fenestræ, quæ sunt in duplici linea; aliæ scilicet in parte superiore ad fornicis flexuram, atque hæ quidem quadratæ sunt cum ingenti lapide inclinato in parte summa: de his meminimus, ubi de secundis scalarum ramis diximus: lucem accipiunt ab arcu secundi ordinis, ejusque inclinati lapidis beneficio & directione percommode exceptam lucem transmittunt in cubicula, seu carceres, qui, ut dicemus, sunt ultra porticum. Aliæ vero sunt paulo depressiores, arcuatæ in summa parte, ac multo majores; earum singulæ singulis scalis primis externis respondent, ac sunt contra scalas singulas alterius

A *separazioni divideano il portico esteriore in otto prese, tutte simili alla finor descritta.*

Il num. 12. ha il secondo ramo d'una scala scempia, dal ripiano del quale, voltando a sinistra per porta archeggiata, si va nella stanza diretta ad un de' terzi Vomitorj; e salendo sul portico si potea passare e alla scala n. 10. trapassando le porte di traverso, e alla scala num. 15. simile a quella del num. 6. l'una e l'altra delle quali mette a sbocchi dell' ultim' ordine. Lo spazio 14. è di tutta altezza, come il 9. Il num. 16. e mette allo sbocco della terza linea, che ha su la dritta, e a quello della quarta che ha su la sinistra. Il 18. è B *un vacuo di tutta altezza: nel 19. torna l'arco più alto, e lo stanzino, che ha scale di qua, e di là. Ed ecco consumato un quarto del secondo piano, e additate le strade tutte alle due mani ultime de' Vomitorii, e parimente a quelle parti alte, che sormontavano i gradi.*

CAPO UNDECIMO.

Corridori interni, e Cinta fra essi.

LO *spaccato della via più grande, dato nella Tavola IX. fa vedere come dopo le* C *tre arcate su i pilastri isolati, altra ne segue un piè più alta, e più larga due. Per essa s'entra nell' ambulatorio mezano, la volta del quale è alta piedi 28. Il pavimento era composto di lastre del solito marmo rosso grosse once 10. se ne hanno ancora molti pezzi riquadrati sopra il sotterraneo condotto. In questo corridore dalla parte verso il di fuori son prima gli esiti architravati, o sia le porte delle vie, di cui s'è già parlato. Il pilastro ha 4. piè di fianco: segue il vano di soli piè 4. 10. per la ragion già accennata nel Capo sesto, che fa uscire* D *con sì poca bocca le due vie laterali, e contigue alla grande. Il secondo vano è di piedi 7. partecipando esso ancora del ristringimento. Appresso un' alta porta larga piedi 9. per cui passa la via verso il centro. Segue muro corrispondente alli tre spazii della scala doppia; poi altra porta, per cui passa altra strada; muro per quattro arcate; indi altra porta, e così va seguendo fino alla porta di mezo per traverso, larga piedi 10. 4. che vien' a essere piedi 1. once 10. meno della corrispondente esteriore, per l'accostarsi, che fanno le linee procedendo al* E *centro. Osservisi disegnato esattamente il lato esterno di questo corridor secondo nella Tavola nona, parte nel mezo dell' area, e parte di qua e di là da i Cunei.*

Tutte queste porte dall' antico pavimento all' arco di traverso, ch' è di pochissima curvatura, son' alte piedi 20. 8. talchè gli stipiti formati di gran pietre vanno più su, che il piè della volta; la quale straordinaria altezza serviva per dare al portico maggior lume. Non sono da tralasciar le finestre, che sono in due mani; alcune in alto nel piegar del volto, e F *riquadrate, con la gran pietra di sopra inclinata: di queste abbiam fatta menzione ove de' secondi rami delle scale: prendono il lume da un arco del secondo piano, e con la direzione di quella pietra inclinata lo mandano mirabilmente nelle stanze, o prigioni, che son di là dal portico, come diremo. Altre alquanto più basse archeggiate in cima, e assai più grandi; ne corrisponde una ad ogni prima scala esterna, e si trovano di rincontro ad ogni scala dell' altra cinta interiore. Que-*

interioris balthei. Hæ prope omnes obturatæ a noſtris ſunt, clauſis etiam adſtructo muro itineribus, ut in uſum aliquem ea loca cederent.

Regredientibus, ut latus alterum porticus, cujus deformationem in eadem Tabula ad partem Cuneis oppoſitam conſpicimus, contemplemur, occurrit ſtatim murus cujuſdam cubiculi, cujus aditus eſt in parte ulteriore, in citeriore vero parte ſolum alta quædam, anguſtaque feneſtra, ſive ſpiraculum, ſi ita appellare placet. Tum occurrit janua epiſtylio munita, per quam itur in tertiam porticum, altaque ea eſt æque, ac quæ ſibi reſpondet e regione. Sequitur parvum cubiculum, quod carcer videtur fuiſſe, non tamen beſtiarum: habet enim oſtium nimis anguſtum, idque ex quatuor lapidibus conſtructum, quorum qui in vertice tranſverſus eſt, altitudinem habet pedum duorum, murumque ſubit ſpatii multo plus complectens, quam janua. In ſummo ſequitur hic epiſtylium, infra ipſum adeſt feneſtra hujus carceris lata pedem unum, alta tres; in hanc autem irrumpit lux ex illa alia feneſtra, quæ cum lapide declivi in vertice adeſt e regione. In harum januarum limine foramen viſitur, atque aliud in parte ſuperiore, quæ foramina ſubibant poſtium poli. Deinde occurrit alia conſuetæ altitudinis janua cum ſcala ſcamillorum decem, ſupra quos adeſt internum oſtium Vomitorii ſecundæ lineæ, ultraque ſcalam illam octo alii ſcamilli conſpiciuntur, per quos ad præcinctionem itur. Lumen ſcalæ huic ſuppeditat feneſtra quædam, quæ ulterius eſt nonnihilo depreſſior, atque arcuata. Reliqua omnia eundem ſervant ordinem: diſtincta ſunt enim eodem modo in carceres, itinera, ſcalaſque, eandemque habent diſtributionem luminum; ut omnia proinde ex forma atque icnographia interiorum occultarumque meſaularum ſatis intelligi poſſint. Duodecim ergo carceres ſuas habent ſinguli januas in ambulatione ſecunda, nullumque habent exitum, qua parte campum ſpectant. Accipiunt etiam nonnihil luminis a ſpiraculo quodam, quod ſuperius gradus perforabat: cujus quidem ſpiraculi modus obſervari poteſt in quibuſdam antiquis fragmentis ejuſmodi foramina oſtendentibus; quos paucos detritos, ac borealis aeris injuria labefactos gradus, multis ab hinc annis memini me forte Arenam ingreſſum opportune accurriſſe ita, ut quaſi adhibita vi ab interitu vindicarem, cum diruere illos jam cæpiſſent ſtructores in illorum locum novos alios ſuffecturi: quemadmodum etiam alias conſtanter obſtiti, quominus diruerentur exigua quædam ſaxa, quæ ex ſupremo fornice ſupererant, & quominus in ſexdecim locis fornices inferiores perforarentur; quod Architecti neſcio qui parum ingenioſi facere cujuſdam operis ergo conſtituerant. Illud monendum eſt, tam vias, quam aditus januarum, atque cubicula, dum ad medium proceditur, nonnihilo majorem nanciſci amplitudinem, quam quæ eorum eſt ad ellipſis extrema. Oſtiola tamen cubiculorum, ſive ſpecuum ejuſdem ſemper ſunt modi, ac formæ: quod confirmat, fuiſſe carceres damnatorum, qui objiciendi beſtiis erant.

Haud equidem ſciverim, an alio in loco tot ac tantæ murorum ſuperſint reliquiæ & fragmenta, eorum inquam, qui Romanis temporibus conſtructi fuere: ut proinde multo melius hinc, quam aliunde, qua ratione confici conſueverint, poſſit intelligi. Muri hi compoſiti ſunt e ſaxis, quæ a pluribus ſcriptoribus cæmenta dicuntur, quæque omnia infracta ſunt: intritum ſcatet vi magna lapillorum, quibus commixtum eſt: quare in eo, quem cap. 2. adduxi, Thucydidis textu

A *ſte ſono ſtate quaſi tutte otturate modernamente, eſſendoſi ancora ſerrate con muri le vie, per far' uſo di que' luoghi.*

Tornando addietro per oſſervare l' altro lato del portico, il diſegno del quale vedeſi nell' iſteſſa Tavola dalla parte oppoſta a Cunei; nel principio di eſſo è il muro d' una ſtanza, che ha l' ingreſſo dalla parte di là, e di qua ſolamente un' alta, e anguſta feneſtra, o ſpiraglio, che vogliam dire. Poi una porta architravata per cui ſi paſſa al terzo portico, ed è alta quanto la corriſpondente, che ha in
B *facciata. Segue una piccola ſtanza, che moſtra eſſere ſtata prigione, ma non di Fiere, perchè ha la porta tropp' anguſta, e queſta formata da quattro pezzi di pietre, delle quali quella che forma il traverſo di ſopra, è alta piedi 2. ed entra nel muro, abbracciando aſſai più ſpazio che la porta. In alto ſeguita qui l' architrave; ſotto eſſo è una feneſtra di queſta prigione larga piedi uno, alta tre, e in queſta viene il lume dalla feneſtra, ch' è dirimpetto con la laſtra di ſopra in pendenza. Queſte porte hanno un buco tondo nella ſoglia, ed al-*
C *tro ſopra, dove entravano i poli delle impoſte. Appreſſo viene altra porta della ſolita altezza, con una ſcala di gradini 10. ſopra i quali è la porta interna d' uno sbocco della ſeconda mano, e oltra eſſa altri 8. ſcalini, che portano ſu la Precinzione. Getta lume per di dentro ſu queſta ſcala la feneſtra, ch' è di là alquanto più baſſa, e archeggiata. Il rimanente procede tutto all' iſteſſa maniera, diſtinto in prigioni, ſtrade, e ſcale, e con l' iſteſſo compartimento di lumi, onde la pianta, e il proſpetto de gl' interni ed occulti corridori fan-*
D *no intendere a baſtanza ogni coſa. Le dodici prigioni hanno dunque tutte la porta nel ſecondo ambulatorio, ſenza aver' eſito alcuno dalla parte verſo il campo. Hanno ancora un alito di lume di più da ſpiraglio, che ſopra forava i gradi, il modo di che ſi può oſſervare in alcuni pezzi antichi con queſti fori: de' quali pochi ſmuſſati, e dalla tramontana deformati gradi, ſovviemmi, che molt' anni ſono, entrando nell' Arena caſualmente, arrivai appunto a tempo d' impedir quaſi a forza la diſtruzione, che i muratori avean principiato a farne per rimettervene di nuovi: come altra volta oppo-*
E *ſimi ſenza riſerva alla demolizione de i piccoli pezzi, che ſopravanzano della ſuprema volta, ed al forare in ſedici luoghi crudelmente le inferiori, che alcuni poco ingegnoſi Ingegnieri per certa funzione aveano ſtabilito di fare. E' da avvertire, che tanto le vie, come le porte, e le ſtanze non poco creſcono di larghezza, venendo verſo il mezo, ſopra quella che hanno verſo le punte dell' ovato. Le porticelle però delle ſtanze, o ſia grotte, reſtano ſempre dell' iſteſſa miſura, e forma, onde ſi conferma foſſer prigioni per li condannati, che doveano eſporſi alle Fiere.*
F

Non ſo in qual altro luogo tanti, e sì gran pezzi di muraglie de' tempi Romani ſi conſervino; onde qui meglio che altrove può impararſene la ſtruttura. Queſte ſon compoſte di ſaſſi, detti cementi da più Scrittori, ma tutti ſpezzati: la malta è frammiſchiata, e piena di ſaſſetti: però nel paſſo di Tucidide, addotto nel Capo ſecondo,

χάλιξ. A *glaream* interpretatus sum, quod alii *frusta lapidum* vertunt. Intritum hoc adeo obduratum est, ut duritiem ipsius marmoris vincat: cujus rei certam fidem facit mira duratio eorum quatuor exterioris fornicis fragmentorum, quæ etsi superiorum partium lapsu detecta sint, ac per tot sæcula pluviis obnoxia, geluque vexata fuerint, adhuc tamen consistunt. Saxa tamen a summa ad imam partem non continuantur; sed per ternos quosque pedes lateritium quoddam corium interjectum conspicitur ex triplici laterum satis amplæ molis corio contexta: qui quidem ordo observatur ubique; quo fit ut stratis hisce conjunctior, B ac rectior existat murus universus. Rudis est, quam contuentibus in præsentia objiciunt muri tam deformati, ac veluti decorticati, species: sed antiquitus tam muri, quam fornices polite confecti erant, imo etiam picturis exornati, quemadmodum ex quibusdam colorum vestigiis, quæ alicubi extant in fornicibus internis, apparet. Romæ in via intermedia observatæ quoque sunt reliquiæ non picturarum modo, sed etiam elegantium ornamentorum e marmorato. Non est prætermittendum illud in januis singulis observari in summitate pilarum ex lapidibus unum reliquis majorem, qui per duos pedes murum subit: quo C fiebat, ut partes melius conjungerentur, arctiusque cohærerent. In januis vero ad interiorem partem ejusmodi subscudes non sunt in vertice, sed paulo supra medium. Imo vero in fenestris quoque, quæ declivem lapidem habent in summa parte, lumenque transmittunt in carceres, visuntur in modum alarum duo ejusmodi lapides, sed in morem dimidiatæ caudæ hirundinis conformati.

Reliqua est porticus tertia, quæ quidem non est tam humilis, quemadmodum in multis deformationibus apparet, sed congruentem habet al- D titudinem pedum decem. In hac porticu, qua parte campum spectat, nihil est aliud præter jam commemoratos aditus, quorum quatuor ducebant in aream per quandam lapideam laminam declivem, duodecim vero per quinque scamillos ducebant in Podium. Ex altera autem parte est aliud nihil præter ostia sexdecim commemoratis itineribus respondentia, ac præter hæc, alia duo, viis medium ad minorem ellipsis axem tenentibus respondentia, quæ quidem viæ ad postremam zonam non habent, ut reliquæ, exitum ullum, per quem ascendatur ad Podium; sed in summo quidem muro offendunt fenestellam quandam oblongam, E qua in gradus exeunte obscuritati consultum est: ejus forma qualis accurate fuerit, sciri certo, constituique non potest, quippe quæ utrimque instaurationibus immutata fuit. Januæ in ambulationem hanc prodeuntes altæ sunt pedes sex, ac in media quidem parte ob subscudem sive cuneum sublatum paulo altius pedes sex cum sex unciis: latæ autem sunt medianæ quidem pedes 9. 3. proximæ vero pedes 9. reliquæ his paulo angustiores. Constant ex lapidibus quinque; horum duo, crassi pedes duos, aliqui pedes tres constituunt pilas; tres vero epistylium. Recepta apud Architectos opinio est, res epistyliis præditas annorum F decursu collabi; sed profecto collabi nunquam possunt, si eadem ratione fiant, ac ostia hæc: media enim subscus cuneata est, atque ut ajunt nostri, in morem caudæ hirundinis conformata, duo lapides ex utraque parte positi longitudinis habent pedes 9. 7. adeo ut pedes quatuor cum dimidio utrimque extent extra pilas muro insertas. Quæ octo ellipsis extremitatibus proxima sunt transversum lapidem habent ex uno tantum saxo confectum; qui quidem transversus lapis in

ho spiegato ghiaia, *dov' altri ha poco ben tradotto* pezzi di sasso. *Questa malta è così indurata, che supera il marmo stesso; se ne faccia argomento dalla maravigliosa durazione delli quattro pezzi della volta esteriore, scoperti per la ruina delle parti superiori, e bersagliati per tanti secoli dalle dirotte pioggie, e tormentati dal gelo. I sassi non camminano però d'alto in basso, ma ogni tre piedi si vede un corso di cotto, con tre mani di larghi, e grossi quadroni: quest' ordine si osserva da per tutto, tenendosi da i detti strati incassata, e meglio diretta la muraglia tutta. Roza spezie fa ora il veder le muraglie così brutte, e scorticate; ma anticamente esse, e le volte erano stabilite pulitamente, anzi pitturate ancora, come da vestigi di colore, che rimangono in qualche parte delle volte interne, si riconosce. A Roma nella via di mezo sono ancora state osservate reliquie non sol di pittura, ma di gentili ornamenti di stucco. Non si dee tralasciar d'osservare, come ad ogni porta si vede nella sommità delle pilastrate una delle pietre maggior dell' altre, ch' entra due piedi nel muro, il che serviva molto a legare, e concatenar più. Nelle porte verso l'interno queste chiavi non sono in cima, ma poco più su del mezo. Anzi nelle finestre ancora, ch' hanno la lastra in pendenza, e mandano nelle prigioni il lume, due simili pietre, ma a meza coda di rondine, si veggono quasi ali.*

Rimane il terzo portico, quale non già sì basso, come apparisce in molti disegni, ma è della sufficiente altezza di piedi dieci. In questo dalla parte verso il Campo non vi è se non le aperture già mentovate, quattro che mettean nell' area per una lastra in pendenza, e dodci che mettean sul Podio per cinque gradini. Dall' altra parte non vi si ha che le porte corrispondenti alle sedici strade, e due di più per le vie mezane nel largo, le quali non trovano all' ultima cinta, come l'altre, apertura, che porti sul Podio, ma bensì nel muro in alto una finestrella bislunga, che riesce ne' gradi, per supplire all' oscurità; di questa non si può assicurar la precisa forma, perchè d'ambe le parti i risarcimenti l'hanno alterata. Le porte, che riescono in questo ambulatorio interiore, sono alte piedi 6. e nel mezo, per la chiave o cuneo più sollevato, sei once più: son larghe, quelle di mezo piedi 9. 3. le due prossime piedi 9. l'altre alquanto meno. Si compongono di cinque pezzi di marmo; due formano le pilastrate, grossi in quadro due piedi, alcuni tre, e tre l'architrave. Corre un principio tra gli architetti, che le cose architravate col tempo vadano a terra; ma non possono andarvi mai, ove si facciano come queste uscite; perchè la chiave in mezo è cuneata, e come da noi si chiama, a coda di rondine; le due pietre di qua, e di là sono della lunghezza di piedi nove once sette; talchè ne restano piedi quattro e mezo per parte fuor delle pilastrate incassati nel muro. Le otto vicine alle due punte dell' ovato hanno il traverso d'un pezzo solo; e questo nelle quattro per cui passan le vie, e quali pur si veggono

quatuor illis ostiis, per quæ feruntur viæ, in Tabula nona delineatæ, pedes duodecim longitudinis excedit, crassus autem est pedes duos cum semisse. Si tamen lapides tantæ molis devehi attollique ad eum locum nostris hisce temporibus deberent, res, credo, nostros fabrum præfectos haud mediocriter sollicitos haberet, eorumque torqueret ingenia. Nullum ex his epistyliis fractum est in medio, quemadmodum lapidea omnia fracta inveniri antiqua ac recentia inquit Vasarius; qui tamen simul docuit, quo pacto effici queant ne rumpantur; cujus rei præclarum ipse præbuit exemplum in præclara æde vulgo *degli Uffizj* Florentiæ constructa. Qui de illa vel forte loquuti sunt, vel eam delineaverunt, non animadverterunt, quod est admirabilius, hoc est universam ædis faciem circum undique inniti falso; ac nihilo tamen minus neque id oculus detegit, neque ædis firmitati allatum detrimenti quidquam est; adeo ut etiamsi posterioribus temporibus adjectus ordo alter fuerit, in eoque centena plura marmoreorum simulacrorum signorumque posita, ipsa tamen moles minime commota esse inveniatur.

Introd. c. 5.

De interiore solidoque baltheo dictum jam est satis. Ostia, per quæ scamillis quinque ascendebant ad Podium nobilioris notæ spectatores, neque superioribus majora erant, quemadmodum facile crederet, qui in præsentia plures ab illorum, quam ab aliorum vomitoriis gradus intercipi observaret; neque erant minora, quemadmodum scripsere nonnulli, temere rati, bestiis ea deservisse; vel ob eam quoque causam, quia ante ipsa Instauratorum errore gradus hoc tempore contrahuntur; sed erant ostiis vomitoriorum cæterorum cum æqualia, tum uniformia. Alia foramina baltheus hic non habebat, neque proximum habebat cubiculum ullum, sive spatium ullum vacuum, quemadmodum creditum est hactenus: adeo prodire ex eo bestiæ non potuerunt in campum. Scamilli quinque interiores modo detecti, per quos ascendebatur ad ostia interna, plane ob oculos ponunt veterem conformationem, rationemque in spectaculis servari solitam.

Repetamus nunc, in summam revocantes ea, quæ jam diximus, interioris Amphitheatri aditus fuisse sex supra sexaginta, comprehensis hoc numero duobus majoribus ostiis. Ex his sex aditus infimi ad ellipsis extrema tum Actoribus ingredientibus, tum ducendis in campum bestiis erant destinati: reliqui vero sexaginta inserviebant spectatoribus, singulisque respondebant viæ singulæ hoc ordine dispositæ. Ad duodecim exitus in Podium ducebant itinera totidem recta, quæ ex arcubus exterioribus penetrantia porticus ac baltheos scalis quinorum scamillorum occurrebant: eodem etiam ducebant viæ duæ ad minorem ellipsis diametrum constitutæ. Qui per vomitoria lineæ secundæ prodituri in gradus erant, ingressi sexdecim vias æqualibus a se distitas intervallis, imo vero vias octodecim, ut eas quoque complectamur, quæ mediæ erant in minore diametro, secundam porticum non prætergrediebantur: sed nacti in ea sexdecim balthei secundi scalas recta ad exitus suos sese conferebant. Ii autem omnes, quibus cunei vomitoriis duarum superiorum linearum respondentes destinati erant, inveniebant in porticu exteriore octo sua simplici scamillorum ordine, & quatuor ordine duplici præditas scalas. Qui vero per vomitoria tertia debebant egredi, postquam duos scalæ ramos conscenderant, consistebant in secundi ordinis pavimento, atque in spatio proximo exitum suum, suosque scamillos inveniebant. Sed qui progressuri ad sexdecim

A *espresse nel nono Rame, è pietra, che cresce di dodici piè di lunghezza, grossa in quadro piedi due, e mezo. Se però pezzi tali condursi in tal luogo dovessero in oggi, e inalzarsi, farebbero alquanto fantasticare i nostri Capimastri. Niuno di tali Architravi è rotto nel mezo, come trovarsi tutti quei di pietra antichi e moderni, disse il Vasari; il qual però bel modo insegnò nell' istesso tempo di far che non si rompano; e per verità buon esempio ne diede egli nella bella fabrica degli Uffizj in Firenze. Di essa chi ha avuto occasion di parlare, o di*
B *porla in disegno, non ha osservato il più mirabile; cioè che la facciata intorno posa tutta in falso; e con tutto ciò nè l'occhio se n'avvede, nè punto è pregiudicata nella fermezza; talchè aggiuntovi posteriormente un altro piano di sopra, e collocate in esso centinaia di busti di marmo, e di statue, non ha fatto in verun sito minima mossa.*

Dell' interiore, e solida cinta si è già favellato a bastanza. Le porte, che mettean sul
C *Podio col mezo de' cinque gradini gli Spettatori di maggior conto, nè eran più grandi delle superiori, come si crederebbe osservando tagliarsi al presente da i loro sbocchi più gradi, che dagli altri; nè eran più piccole, come alcuni hanno scritto per l'immaginarsi vanamente, che servissero per le Fiere, e ancora perchè dinanzi ad esse i gradi per error de' ristauratori vengono al presente a ristringersi; ma erano uguali a quelle degli altri Vomitorii, e dell' istessa forma. Altri fori questa cinta non avea, nè avea in se prossima stanza o vacuità alcuna, come si*
D *è finora creduto, tanto è lontano che da essa potessero uscir le bestie nel campo. Li 5. gradini interiori ora scoperti, per li quali si montava alle interne porte, mettono affatto in chiaro l'antica conformazione, e il modo tenuto negli spettacoli.*

Ramentiam' ora ricapitolando, come l'interno dell' Anfiteatro avea 66. ingressi, comprese le due porte grandi. Di questi li sei da basso alle punte dell' ovato servivano per gli attori, e per condur le Fiere nel Cam-
E *po: gli altri 60. servivano per gli spettatori, ed avean tutti diverse vie in questa forma disposte. Alli dodici sbocchi sul Podio conduceano altrettante diritte strade, che dagli archi esteriori attraversano i portici, e le cinte, e trovano le scale di cinque gradini: vi conduceano altresì le due vie diametrali per traverso. Coloro, che dovean riuscire per gli sbocchi della seconda mano, entrando per le sedici vie compartite in uguali distanze, anzi diciotto con le due di mezo per largo, non oltrepassavano il secondo portico; ma tro-*
F *vando in esso le sedici scale della seconda cinta dirittamente salivano a gli esiti loro. Tutti quelli, cui erano assegnati i Cunei corrispondenti a gli sbocchi delle due linee superiori, trovavano nel portico esteriore le loro scale otto scempie, e quattro doppie. Chiunque dovea sortir da i terzi, saliti due rami di scala, rimanea nel più basso pavimento del secondo piano, e nello spazio prossimo la sua porta trovava, ed i suoi gradini. Ma coloro, che dovean passare a i sedici sboc-*

A quarti ambitus vomitoria erant, ad mesaulam conscendebant, ac duplici modo in gradus prodibant; alii quidem per octo proximas scalas rectasque; alii vero progressi ad alias octo scalas in duos breves ramos bipartitas ingrediebantur summa cubicula parva, in quorum extrema parte erant vomitoria. Ad extremum illi, quibus destinatus locus erat in parte magis adhuc edita, quam gradus illi omnes, quos in præsentia conspicimus, in eadem parva cubicula concedebant, sed hinc pergebant ulterius; conscendebantque octo illas scalas, quæ per exteriorem ambulationem ferebantur transversæ, quasque Tabula undecima exhibuimus. Non est sinendum, ut illud memoria e- B labatur, sexdecim longa cubicula, quorum quædam attollebantur ad totam altitudinem, fuisse in prima zona præter minores octo vacuos sub scalis situs; in zona vero secunda viginti octo carceres angusto aditu præditos, & cubicula quatuor januas justæ amplitudinis habentia extitisse.

Discemus etiam nonnulla pertinentia ad differentias illas præcipuas, quæ facta comparatione inter deformationes descriptionesque a nobis, atque ab aliis hactenus editas observantur intercedere. Puto supervacaneum esse, Auctores, qui in Architecturæ studio versati non sint, comme- C morare: Lipsius, ac Montfauconius e difficili scalarum investigatione sese feliciter expedivere duobus verbis, ajendo scilicet alter quidem scalas *decussari*; quod nunquam vere contingit; alter vero ad vomitoria iri per *occultos meatus*, cum tamen scalæ omnes spatiosæ sint ac nobiles. Sed Desgodetius, qui multo melius quam Architecti reliqui hac etiam in re sese gessit, ostendit & ipse in sua Colisei Sciographia tam in primo, quam in secundo ordine scalarum decussationes, quæ non solum universam ædificii œconomiam perturbant, sed etiam, quod in eo præstantius est, corrumpunt: neque vero persuadere mihi possum, Ser- D lium hac ratione scalas delineavisse; cum in ejus verbis rei hujus ne vestigium quidem appareat; sed in ejus libro credo propterea scalarum decussationes extare, quod cælatorum errore fuerint inductæ: etenim nusquam esse scalæ debent, quæ sibi mutuo occurrant, nec quæ pedem humi habentes in mediana mesaula externam partem versus procedant; sic enim homines primum quidem necesse fuisset progredi, dein vero regredi: quare falsum est, quod ait Desgodetius idem, in scalas primi balthei non solum ex mesaula secunda iri, sed etiam ex tertia, quæ secunda est in Arena nostra. Nihil, quod admodum præstaret, di- E scendum ex Amphitheatri Architecto esset, si quemadmodum creditum hactenus est, duæ scalæ altera contra alteram in locis tam multis ad idem punctum inutiliter processissent inverso ordine, qui sane modus secundis ramis quidem conceditur; sed in nullo ædificio videre licet, scalarum initium in parte interiore esse, ordine autem inverso ad partem externam scalas procedere.

Desgodetius in sua deformatione distinguit scalas, quæ ascendunt, & quæ descendunt, quasi non fuerint omnes inprimis constitutæ, ut per F eas ascenderetur; aitque ad ambulationem medianam lumen devenire *e spiraculis*: sed fenestræ illæ, quas ille Serlium imitatus in eadem ambulatione signat, non in eum finem sunt factæ, ut lumen trajicerent in eam mesaulam, quippe quæ earum beneficio ob ipsarum altitudinem, paucitatemque nihil illuminatur; factæ sunt autem, ut lumen traducerent ad carceres scalasque ulteriores: ipsa siquidem ambulatio ex multis altissimisque aditibus eodem prodeuntibus seu januis lu-

[Margin notes: a 21. — to. 3. p. 256. — p. 246.]

chi del quarto giro, montavano sul corridore, e in due maniere uscivan ne i gradi; altri per le otto scale prossime e diritte, ed altri passando alle otto in due piccoli rami divise, ed entrando ne gli alti stanzini, che aveano in capo i Vomitorii. Le persone finalmente, alle quali era destinato il luogo in parte più alta di tutti que' gradi, ch' al presente veggiamo, entravano negli stanzini stessi, ma proseguian lor viaggio, ascendendo per quelle otto scale, che attraversavano l' esteriore ambulacro, e delle quali abbiamo fatto mostra nella undecima Tavola. Non si vuol dimenticare, come sedici lunghe stanze, alcune delle quali a tutta altezza, erano nella prima cinta, oltre ad otto minori sottoscale; e come 28. prigioni con angusto ingresso, e quattro stanze con giusta porta si avean nella seconda.

Faremo qualche riflessione ancora sul riscontro delle principali differenze, che hanno i disegni, e le descrizioni nostre dalle finor divulgate. Credo soverchio il ricordare Autori, che non abbiano avuto studio d' Architettura: Lipsio, e il P. Montfaucon si sbrigarono felicemente dalla difficile investigazion delle scale con due parole; cioè l' uno con dir che s' incrociano, *il che veramente non fanno mai: l' altro con dire, che si va a* Vomitorii per vie nascoste, *quando son tutte spaziose, e nobili. Ma il Desgodetz, che molto meglio anche degli altri Architetti si è in ciò diportato, mostra egli pure nel suo spaccato del Coliseo tanto nel primo, quanto nel secondo piano, incrociamenti di scale, che non solamente confondono tutta l'economia della fabrica, ma ne guastano il meglio: nè io son persuaso, che il Serlio così le disegnasse, niun cenno dandone nelle sue parole, ma che appaian più tosto nel suo libro per error degl' incisori: essendo che non ci hanno da essere scale mai, che s' incontrino, nè che col piede in terra nel corridor di mezo procedano verso il di fuori; con che sarebbero le persone state costrette di venire innanzi, poi tornare addietro: falsa però essendo l' asserzione del detto Desgodetz, che nelle scale della prima cinta si entri non solamente dal secondo corridore, ma anche dal terzo, che nell' Arena nostra vien' a dir secondo. Non ci sarebbe molto che imparare dall' Architetto dell' Anfiteatro, se come si è fatto creder finora, due scale una contro l' altra fossero in tanti luoghi venute inutilmente a procedere all' istesso punto a ritroso per dir così, il qual modo ben si permette a i secondi rami, ma in niun edifizio si vede, che il principio delle scale sia nel di dentro e venga al contrario verso il di fuori.*

Il Desgodetz distingue nella sua pianta le scale che ascendono, e quelle che discendono, quasi non fossero tutte primamente ordinate al salire; e dice, al corridor di mezo venire il lume da spiragli: *ma quelle fenestre, ch' egli segna a imitazion del Serlio nel mezo del corridore istesso, non son fatte per dargli lume, quasi niente rimanendo da esse illuminato per l' altezza loro, e pel poco numero; bensì son fatte per tramandarlo alle prigioni, e alle scale ulteriori; avendo lume il corridore dalle molte e altissime venute in esso, o porte. Allo sbocco di tutte queste*

men accipit. Ad exitum adituum horum omnium in mesaulam ipse in Arenæ icnographia scamillos constituit, qui quidem nec adsunt, nec vero adesse poterant; quemadmodum & in zona prima scalas omnes geminatas facit, cum tamen una modo sit ejusmodi.

Secundum ordinem vero, quem Veronæ poterat accurate expendere, neque delineat, nec de illo verbum ullum facit: describit autem secundum Colisei ordinem; sed in eo nimium profecto aberrat a vero: atqui tamen hæc ea pars erat, in quam, sicubi studiose, incumbere opus erat studiosissime: tota enim difficultas, quod ad hoc ædificium pertinet, sita est in eo, ut animo concipiamus, quo pacto ad sublimiora loca conscenderetur, & quemadmodum non decussarentur itinera. Is scalam etiam in transversum delineat supra tertium medianæ zonæ spatium, quæ sane cum symmetria minime convenit, quæque eo situ, posituque esse nequaquam poterat. Prætermittit in primo baltheo cubicula omnia oblonga, quæ repostoria quædam esse debuerunt admodum necessaria: ubinam enim recondi potuissent tanta lignorum copia, tot instrumenta, & machinæ, quarum usus erat in spectaculis? Imo Vitruvius loquens de Theatris, in ejusmodi locis inquit a civitatibus constitui rerum necessariarum promptuaria consuevisse. In zona secunda pro carceribus multos ostendit in porticum interiorem exitus, qui inutiles extitissent, cum nunquam duo conspiciantur uniformes alter prope alterum. In Romano Amphitheatro diametrales vias per transversum producit in aream; quod sane pluribus de causis pugnat, ut est ostensum: pariterque in Romano æque ac in Veronensi justo depressiora facit Vomitoria, omissis ubique scamillis per quos illa deducebant in Podium; animo secum non reputans, aliqua certe ex parte conscendendum illuc, sive ingrediendum fuisse; assignatisque Areæ Vomitoriis iis omnibus, Podium, qui locus cæteris nobilitate antestabat, ingressionibus destitui. Neque vero par erat, ut in Podium e secundis Vomitoriis, atque a gradibus descenderetur; cum neque infimæ notæ spectatores opus unquam fuerit prius ascendere, tum descendere.

l. 5. c. 9.

Hæc in Desgodetium animadverti; quippe quem duxi cæteris digniorem, quem expenderem, cum libri plerique de hac materia agentes casu & fortuito videantur confecti. Ex quibus animadversionibus colligi, nisi fallor, potest, quantopere Antiquitatis studium absit ab ea absoluta perfectione, ad quam vulgo creditur esse provectum, quemadmodum venditant splendide edita volumina, quibus magis in dies urbes omnes mercatura replet.

CAP. XII.

Ordines superiores in parte interna.

Difficile non fuit hactenus investigare, atque exhibere eas etiam Amphitheatri partes, quæ etsi integræ non existant, certa sui tamen vestigia, certamque formam reliquere. Sed deinceps quid fiet, cum opus fuerit ad sublimes illos ambitus curam cogitationemque convertere, quorum nulla pars superest, nulla forma, quorum veterem situm solus tenet aer, qui rerum nullam speciem oculis exhibere, vestigium nullum suppeditare potest? de his verba facturi necesse est, ut in primis conjiciamus oculos in Amphitheatrum Romanum, in quo licet vestigia quæ-

venute nel corridore egli nella pianta dell' Arena fa gradini, che nè vi sono, nè potean' esservi, siccome nella prima cinta fa le scale tutte doppie, quando una sola per quarto è tale.

Del secondo piano poi, che potea in Verona accortamente indagando rilevar tutto, nè dà pianta, nè fa parola: ben la dà nel Coliseo, ma troppo lontana dal vero; e pure questa era la parte, ove dovea cader l'attenzion maggiore, perchè la difficoltà in quest' edifizio consiste nell' intendere, come si salisse alle parti alte, e come non s'incrocicassero fra se le strade. Egli ancora segna una scala di traverso sopra il terzo spazio della cinta di mezo, che non accorda con la simmetria, e in quel sito e modo non potea stare. Ommette nella prima cinta tutte le stanze bislunghe, quali avran servito di repositorii necessarissimi; poichè dove mettere, e dove tenere in pronto tanti legnami, e tanti strumenti, ed attrezzi, che faceano bisogno negli spettacoli? Anzi Vitruvio parlando de' Teatri, dice che in così fatti luoghi teneansi ancora dalle Città magazini di cose necessarie. Nella seconda cinta in vece delle prigioni molti esiti mostra nell' interior portico, che sarebbero stati inutili, non vedendosene veramente mai due uniformi l'un presso all' altro. Fa nel Romano venir le vie diametrali per traverso nell' area, il che ripugna per più ragioni, come si è dimostrato: e così nel Romano, come nel Veronese vi fa venire egli pure anche i Vomitorii più bassi, tralasciando da per tutto i gradini, co' quali essi mettean sul Podio; senza aver considerato, che bisognava pure salirvi, o entrarvi da qualche parte, e che assegnando tutti quelli sbocchi alla piazza, rimane il Podio, ch' era il più nobil luogo, senza ingressi; nè era conveniente si discendesse in esso da i secondi Vomitorii, e da i gradi, non essendo nè pur gl' infimi spettatori stati mai costretti ad ascendere, e poi discendere.

Queste considerazioni ho fatte sopra il Desgodetz, perchè l' ho trovato più degno degli altri d'esser considerato, i più de' libri in tal proposito parendo lavorati a caso. Può da queste andarsi raccogliendo, s' io non m' inganno, quanto lontano sia lo studio dell' Antichità da quell' apice di perfezione, cui si crede volgarmente giunto, ed in cui lo mostrano i franchi, e risplendenti volumi, co' quali la mercatura va in ogni parte tutto dì ingombrando la terra.

CAPO DUODECIMO.

Piani superiori nel di dentro.

Bell' investigare è stato finora, e bel rappresentare quelle parti ancora dell' Anfiteatro, che se bene non sussistenti, hanno però lasciato di se sicura mostra, e manifesti vestigj. Ma che sarà al presente, quando avventurarsi è forza in quegli alti giri, de' quali nulla più apparisce, e nel sito de' quali altro che aria incapace d' orma non resta? nel trattar di essi ragion vuole, che s' indirizzi prima la specolazione all' Anfiteatro Romano, nel quale abbiam pur modo di rinvenirne qualche traccia,

dam invenire, atque hinc de Veronensi quoque conjecturam facere.

Extitisse in Coliseo etiam in parte interiore ordines alios, qui proportione quadam attollerentur supra gradus, de quibus diximus, indicat manifeste pars externa; qui vero ii essent, & quo modo essent, certo sciri, constituique non potest. Tabulas sane nihil est quod plures optare possimus: tam multæ enim vulgatæ sunt, quæ partem etiam internam integram, omnibusque suis partibus absolutam ostendunt: præ ceteris Tabulæ Lipsii, ac Fontanæ inspiciantur: sed hæc quidem pura putaque commenta fortasse sunt; cum dubitare nemini liceat, ab horum scriptorum cogitatis differre plurimum superiorem internam structuram debuisse. Mittamus argumenta alia: illud certum est, summam operis in hoc ædificio eam fuisse, ut etiam in parte interna omnia faciem constituerent, ab imo ad summum spatio spectatoribus distributo. At juxta editas ab iis Auctoribus deformationes, partem dimidio Amphitheatro non minorem occupasset murus cæcus, similisque vulgaribus domorum, aliorumque ædificiorum icnographiis. Præterea nequaquam animo complexi sunt spectatorum multitudinem, quæ confluebat in Amphitheatrum, nec viderunt, quam alienum a vero esset, hanc tantam spectatorum vim potuisse gradibus a se delineatis contineri.

Legimus apud Publium Victorem, in Coliseo *octoginta & septem millia subselliorum* fuisse; non desunt qui legant *septuaginta & septem millia*. Putavit Lipsius intelligendum hoc esse de cognitis gradibus tantummodo: sed jam capite secundo observavimus, gradus Arenæ nostræ non plura, quam viginti duo hominum millia cæpisse, ut commode sederent; neque sane majorem spectatorum numerum capere antiquis temporibus potuerunt. Jam vero si calculos accurate inire voluerimus pro graduum amplitudine in Coliseo, ac si aliquid etiam amplius concesserimus, quam initi calculi demonstrant, inveniemus in Romani Amphitheatri cuneis sedere nunquam potuisse plura quam triginta duo, vel triginta quatuor fere hominum millia: quare si plus æquo numerum Victor non exaggeravit, dicamus opus est, hominum ferme quinquaginta millia in partibus editioribus, supraque gradus, quos in præsentia conspicimus, consedisse. Maximam multitudinem, ac majorem, quam gradus ipsi, superiora illa loca profecto capiebant, ut videbimus: quod sane fieri non potuisset, si duo superiores ordines in parte interna constructi fuissent, quemadmodum Antiquarii nostri constituerunt: hoc enim modo locati homines paucissimi fuissent, perdita majore situs parte, ac tres quintas partes tantæ molis altitudine in usum nullum cedente.

Qui formam, proprietatesque horum duorum internæ partis ordinum accurate explicandam aggrederetur, is profecto oleum operamque nequidquam perderet. Quod autem ad eorum conformationem, atque structuram, generatim acceptam pertinet, habemus quæ illam nobis certo indicent hoc est Numismata; ad quæ propterea, non ad ingenii commenta debuissent confugere, qui de Amphitheatro scripserunt. Ab extremis gradibus ad exteriorem ambitum in Coliseo spatium intercedebat duplicis peramplæ porticus: videatur itaque in Tabulæ primæ numis, atque observetur in primis, quemadmodum unius porticus spatium occupabant in summa parte alii graduum orbes: globuli enim in iis signati spectatores referunt. Contra vero deformationes editæ indicant, supra tertium murum assurrexisse pa-

cia, raccogliendo poi congetture anche pel Veronese.

Che il Coliseo avesse anche per di dentro altri piani, quali si alzassero proporzionalmente sopra i gradi, de' quali abbiam ragionato, lo indica patentemente il di fuori; ma quali, e come si fossero, non è possibile d'interamente accertare. In carta per verità non abbiam che desiderare, più disegni essendo stati publicati, che ci mostrano anche il di dentro senza mancanza alcuna: veggansi fra gli altri quei di Lipsio, e quei del Fontana: ma il fatto sta, che coteste posson dirsi chimere, indubitato essendo, che diversissima da i lor pensieri convien fosse l'interna superior costruzione. Lasciamo altri argomenti; ma egli è certo, che il mirabile di quest' edifizio consisteva nell'essere anche per di dentro tutto faccia, distribuito dal fondo alla cima lo spazio agli spettatori. Ma secondo le fabriche fatte da quei valentuomini con la penna, ne sarebbe rimaso niente meno che la metà occupata da muro cieco, e simile a i comuni prospetti delle case, e d'altri edifizj. Non fecero essi in oltre considerazione alla quantità degli spettatori, che confluiva nell' Anfiteatro, nè quanto lontano fosse, che potessero questi capire ne' gradi da lor delineati.

Leggesi in Publio Vittore, che il Coliseo avea ottantasette mila luoghi; *qualche testo ha* settantasette mila. *Lipsio stimò doversi questo intendere de i noti gradi solamente: ma osservammo già nel secondo capo, come i gradi dell' Arena nostra non ammettono a sedere più di ventiduemila persone; nè maggior quantità potean capirne anticamente. Ora calcolando con esattezza secondo le misure ne' gradi del Coliseo, e volendo ancora donar non poco sopra il calcolo, non potea ne' Cunei del Romano capir mai più che intorno a trentadue, o trentaquattro mila persone: onde se Vittore non ingradì alquanto il numero, intorno a cinquantamila forza è dire avesser luogo nelle parti alte, e sopra i gradi, ch'or veggiamo. Grandissimo numero, e maggior che ne i gradi, ne capiva certamente là sopra come vedremo; ma non vi sarebbe già capito, se i due piani superiori fossero stati per di dentro fabricati, come da i nostri Antiquarii s'è ideato; perchè in tal modo pochissime persone vi si porrebbono, perduta la più parte del sito, e resa per tre quinti inutile l'estrema altezza di tanta mole.*

Il pretendere di spiegar precisamente la forma, e le particolarità di questi due piani nell' interno, è vana immaginazione. Ma per la conformazion di essi, e per la struttura in generale, abbiamo ove impararla sicuramente, cioè nelle Medaglie, alle quali però dovea ricorrere chi dell' Anfiteatro ha scritto, e non all' invenzione. Dalla sommità de i gradi all' esterior recinto era nel Coliseo lo spazio di due ampj portici: veggasi però nelle Medaglie della prima Tavola, e si osservi prima, come l'importar dell' uno era occupato in alto da nuovi giri di gradini, poichè i globetti segnati in esse figurano spettatori. Le stampe all' incontro ci voglion far credere, che sul terzo muro parete si alzasse ancora con finestre e porte.

rietem adhuc cum fenestris ac januis. Fenestras, & columnas, & signa in parte interna in summo l. 3. nominat Apulejus: sed eo loco is de Theatro loquitur; ac præterea plura in fictis suis narrationibus habet, quibus fidendum nequaquam est: l. 10. suo enim illi Theatro lacunaria quoque tectumque tribuit; & alibi venationes in Theatris editas scribit. In Amphitheatro ejusmodi parietum cum fenestris ac januis in numis ullis ullum indicium nunquam inveniemus: ex tribus quidem primis, qui & probæ ætatis sunt, & distincte elaborati, & orthographice, licet colligere, in iis gradibus, etsi numero multo paucioribus magnam tamen hominum vim sedisse, fortasse haud multo minorem, quam quæ in omnibus hactenus descriptis collocata est; idque non eo solum quod tanto magis amplificarentur orbes, sed etiam quod gradus illi nusquam appareant interrupti; cum contra in gradibus inferioribus bonam loci partem perdi necesse esset ob aditus, scalas, præcinctiones, ac bina majora ostia. Credibile est etiam, supremos illos gradus fuisse minus commodos, adeoque & angustiores & confertiores, utpote qui minuto popello destinati essent. In externa Colisei parte inter stylobatas ordinis quarti conspiciuntur alternis aditus quidam, a quibus fortasse trajiciebatur lumen in parvam aliquam mesaulam, qua transituræ erant operæ, quæ plurimæ ibant ad summitatem Velario operam navaturæ.

Spatium alterum, quod supra primam porticum erat, occupabat orbis amplarum obrectarum ambulationum, quibus pariter maximus hominum continebatur numerus, ut ostendit tanto major ambitus dilatatio, itemque altitudo, qua ordo quartus, saltem in Coliseo, multis partibus singulos trium reliquorum superabat, quemadmodum vidimus. Supremam partem, ubi erant in Amphitheatro spectatores, obtectam fuisse docet præ reliquis quidam Calpurnii locus, de quo dicam capite proximo. In hoc Amphitheatrum conveniebat cum Theatro, cujus Vitruvius commemoravit tectum ejus porticus, quæ supra gradationem supremam esse debet. De ejusmodi porticu, & ambulationibus loquitur Dion apud

lib. 61. ἐλέφας ἀ-ν[illegible] ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ Θεάτρου ἀψῖδα, & [illegible] κατέδραμε ἀναβάτην φέρων. Elephas introductus in Theatrum in summum ejus fornicem conscen-[illegible] inde vehens hominem in fune ambulavit l. 3. c. 2. & 3. per funes incessisse, adversi funibus.

Xiphilinum, ubi in ludis a Nerone editis specie in Matris a se peremptæ honorem inquit, Elephantum quendam *in summum Theatri fornicem evectum fuisse, atque inde hominem dorso impositum vehentem per funes demissum*. Utrum mira res hæc in Theatro contigerit, an in Amphitheatro, qui mos est Xiphilino, ut interdum pro utroque nomen hoc adhibeat, relinquit nos in incerto: sed ubi demum contigerit, eam profecto miram nimis facit Latina Dionis versio, juxta quam elephas ad tantam illam altitudinem non evectus fuit, sed *conscendit*, neque per funes, sed *in fune ambulavit*. Hinc autem credidere nonnulli *Elephantos funambulos*, ut refert Suetonius, ostensos primum a Galba, in fune saltasse. Græcus textus utitur numero multitudinis, eodemque modo loquitur Plinius, ubi scribit, Elephantos edoctos fuisse *per funes incedere*: credibile est hos plures fuisse funes simul conjunctos, planumque tam vastarum belluarum incessui conveniens efformantes: verum utut res sit, quod narrat Historicus de Neronis spectaculo, id certe maxime mirum fuit in altitudine tanta. Verosimile est, ejusmodi ambulationum tectum infra fenestras, quas ad quartum ordinem in Coliseo conspicimus, quæque ad mutulos usque, quibus in externa parte Velarii trabes innitebantur, pertinebant, extitisse: quippe cum per eas fenestras, cum spectatores protecti Velario erant, aer lumenque transire in Amphitheatrum deberet.

A *Fenestre, e colonne, e statue per di dentro in alto nomina Apuleio, ma ei parla quivi d'un Teatro, e più cose ha ne' suoi finti racconti su le quali non si può fare stato; perchè dà a quel suo Teatro anche lacunari, e tetto, ed altrove spettacoli di Fiere attribuisce a' Teatri. Nell' Anfiteatro di tali pareti con fenestre, e porte in Medaglia veruna non abbiamo indizio; ma ben dalle prime tre, quali fur lavorate in buoni tempi, e con distinzione, e con prospettiva, si può raccogliere, che in que' gradi, benchè in numero molto minori, quantità di gente avesse luogo, forse* B *inferior di poco alla collocata in tutti i finor descritti; e ciò non solamente per l'allargarsi tanto più de' giri, ma perchè non vediamo essi gradi punto interrotti, dove negl' inferiori gran parte del luogo si veniva necessariamente a perdere per le aperture, per le scalette, per le Precinzioni, e per le due gran porte. E' credibile ancora, fossero que' gradi in alto meno agiati, e però più piccoli, e più folti, dovendo servire alla gente minuta. Nel di fuori del Coliseo veggonsi tra i piedestalli del quarto piano alternamente alcune aperture, che avran dato lume ad alcun piccolo corrido-* C *re destinato al passaggio degli Operarj, che in copia andavano alla sommità per la Tenda.*

L'altro spazio, che veniva a cadere sopra il primo portico, era occupato da un cerchio d'ampie logge coperte, nelle quali altresì grandissimo numero di persone si conteneva, come fa comprendere il tanto maggiore allargamento del giro, e altresì l'altezza, nella quale il quarto piano, almeno nel Coliseo, superava d'assai ciascuno degli altri tre, come abbiam veduto. Che la parte più alta, ove stavano nell' Anfi- D *teatro gli spettatori, fosse coperta, un passo di Calpurnio fra gli altri, del quale parlerò nel prossimo Capo, l'insegna. Simile in questa parte era l'Anfiteatro al Teatro, di cui nominò Vitruvio il* tetto di quel portico, che ha da esser sopra la più alta gradazione. *Di tal portico, e di tali logge intende Dione presso Sifilino, ove dice, che ne' Giuochi fatti da Nerone in simulato onor della madre da lui stesso uccisa, un' Elefante* fu tratto alla suprema volta del Teatro, e da essa discese sopra funi portando uno a cavallo. *Se questo mirabil fatto seguisse nel Teatro, o nell' Anfiteatro, l'uso di Sifili-* E *no, che per l'uno, e per l'altro usa alcune volte tal nome, ci lascia in ambiguo: ma ovunque fosse, troppo mirabile vien a renderlo la versíon Latina di Dione, secondo cui l'Elefante a così terribile altezza non fu tratto, ma ascese, e non su funi,* ma camminando sopra una fune. *Quinci poi hanno inteso alcuni, che gli Elefanti funamboli, secondo Svetonio fatti veder la prima volta da Galba, ballassero su la corda. Usasi nel Greco il numero del più, e così fa Plinio, ove scrive, che gli Elefanti furono ammaestrati a camminar* sopra funi: *saranno state più corde congiunte insieme, e formanti un* F *piano sufficiente per sì grand' animali: ma comunque fosse, ciò che racconta lo Storico dello spettacolo di Nerone maraviglia fu grande in tanta altezza. E' credibile, che il tetto di queste logge rimanesse sotto i fenestroni, che veggiam nel Coliseo al quarto piano, e che arrivavano fino a i modioni, ove posavan nel di fuori le travi del Velario; dovendo per detti fenestroni, quando gli Spettatori eran dal Velario coperti, venir nell' Anfiteatro aria, e lume.*

Jam vero dicam id, quod multis novum erit, qui summitatem arbitrantur ordinibus pretiosarum columnarum constitisse: interna duorum a nobis descriptorum ordinum pars, hoc est gradus, & ambulationes erat lignea. Structuræ ejusmodi exemplum dedit olim Tarquinius in Circo; in quo referente Dionysio inferiora quidem subsellia posuit ex lapide, e ligno vero superiora. Hinc facile erit eas Dionis, Lampridii, D. Hieronymi, aliorumque Scriptorum loca libro primo adducta intelligere, in quibus dicitur sæpe in Amphitheatro incendium contigisse: etenim si universæ ejus partes ea materia constitissent, ex qua illas constare conspicimus, quæ in præsentia supersunt, nunquam profecto ignem corripere Amphitheatrum potuisset. Hinc Dion in vasto illo incendio, quod alibi commemoravimus, non ipsum Amphitheatrum inquit, sed *universum ejus ambitum superiorem* conflagrasse, aliaq; simul, quæ partem solidam ædificii non constituebant. Ignem illum scribit Historicus vehementem adeo fuisse, ut neque accendi ullo profecto modo, neque accensus tandiu, tamque obstinate perdurare potuisse videatur, nisi in maxima vi ligneæ materiæ. Liquet etiam ex eodem loco, spectatorum numerum a Victore constitutum in lapideis gradibus locum non habuisse, ut putavit Lipsius; sed ejus tantam partem spectavisse in duobus ordinibus superioribus, ut iis sublatis, edi spectaculum in Amphitheatro non potuerit. Talis erat etiam Septentrionalis Circi structura Constantinopoli: legimus enim in Marcellini Chronico, Imperante Anastasio *gradus* (scilicet superiores) *cum eorum fornice*, idest cum ambulatione obtecta, conflagrasse.

l. 3. αἱ δ' ὑπερῷοι ξύλιναι.

Dio p. 889 Τήν τε [illegible] πᾶσαν.

Ligneam fuisse supremam Amphitheatri partem ex numis etiam licet discere: in iis enim apparet ambulationes illas non arcuatas, sed epistyliis munitas fuisse, inter ampla spatia recto stipite interjecto: atque hoc satis est, ut omnia fuisse e lignea materia intelligamus. Multum id conferre debebat, ut spatium apertum, liberque circumspectus spectatoribus esset, qui in numo primo vel in postrema summitate conspiciuntur: lapideæ enim pilæ, arcusque magnam situs partem occupavissent. Verum est sane, apud Xiphilinum in ea de Elephanto narratione, de qua diximus paulo ante, supremam illam partem vocari *Apsidem*, quæ vox arcum fere, seu fornicem significat; hoc tamen loco non pro arcuatis spatiis accipi potest, sed de interiore laqueari in morem fornicis conformato: quapropter a Tertulliano quodam in loco, de quo dicemus alibi, eadem pars indicata fuit vocabulo *camerarum*, quod apud Latinos sonabat fornices. Vitruvius loco superius adducto porticum appellavit; ac sane talis erat, licet e materia diversa constaret, atque apertior esset, quam aliæ. Eadem illam voce designavit etiam Calpurnius in iis versibus, quos jam retulimus: de hac enim accipiendum est quod in iis dicitur: *illita porticus auro*. Imo in eadem ecloga id expresse dicitur, si tamen probe legatur, ac probe intelligatur Poetæ locus:

Vidimus in cælum trabibus spectacula textis
Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
Immensosque gradus.

Vox *spectacula* significat hoc loco quædam quasi parva cubicula, in quæ apparet porticus fuisse divisas. Sic intelligendus est Plautus, ubi inquit, ventum subvertisse *spectacula*; ac Cicero, ubi ait plausum *in omnibus spectaculis* fuisse

Curc. A. 5. S. 1. Cic. in Sest. Liv. l. 1.

A *Or cosa dirò, che riuscirà nuova a molti; i quali si pensano, che la sommità di preziosi colonnati fosse composta: l'interno di questi due piani da noi descritti, che vuol dir gradi, e logge, eran di legno. Di tale struttura diede già esempio Tarquinio nel Circo, avendovi per testimonio di Dionigi fatti i sedili inferiori di pietra, e i superiori di legno. Da questo verranno a intendersi i passi di Dione, di Lampridio, di S. Gerolamo, e d'altri Scrittori addotti nel primo libro, ne' quali si legge esser più volte seguito incendio nell' Anfiteatro; perchè* B *s'esso fosse stato in ogni parte della materia, di cui veggiamo essere ciò che rimane, non vi si sarebbe per certo appreso il fuoco mai. Quindi è, che Dione nel grand' incendio altrove mentovato espresse, che si abbruggiò non l' Anfiteatro, ma* tutto il suo cerchio superiore, *e altre cose insieme, che non erano parte solida dell' edifizio. Quel fuoco vien descritto dall' Istorico per così veemente, che non avrebbe al certo potuto suscitarsi, e così ostinatamente continuare, se non dove fosse stata grandissima quantità di legname. Appare da quel luogo ancora, come il numero de gli spettatori, asserito da Vittore, non* C *avea luogo ne' gradi di pietra, come pensò Lipsio; ma tanta parte ne stava ne' due piani di sopra, che mancando essi, non potea farsi nell' Anfiteatro spettacolo. Anche il Circo Settentrionale in Costantinopoli era di somigliante struttura, leggendosi nel Cronico di Marcellino, che in tempo dell' Imperadore Anastagio vi s'abbruggiarono* i gradi *(cioè i più alti)* con la lor volta, *cioè con la loggia coperta.*

Essere stata la più alta parte di legno, si può imparare ancora dalle Medaglie, mentre si scorge in esse, come quelle logge non erano D *archeggiate, ma architravate, frammesso tra i larghi spazii un diritto stipite: tanto basta per far conoscere, che tutto era di legno. Dovea ciò contribuir grandemente a lasciare aperto lo spazio, e libera la veduta a gli spettatori, quali nella Medaglia prima veggonsi fino all' ultima sommità: pilastri di pietra, ed archi avrebbero occupata una gran parte del sito. Vero è, che presso Sifilino nel racconto dell' Elefante poco fa accennato, chiamasi quella suprema parte* apside, *che d'ordinario viene a dir arco, o volta; ma può quivi intendersi non di vani archeggiati, ma dell' interno soffitto* E *fatto a volta: però da Tertulliano in un passo, di cui parleremo altrove, quella parte fu indicata col nome di* camere, *che in Latino viene a dir volte. Vitruvio nel sopraddotto passo la chiamò portico, tale in sostanza essendo, benchè d'altra materia, e più aperto degli altri. Così chiamolla anche Calpurnio ne' versi già riferiti, di questa in essi dovendosi intendere, ove nomina* il Portico impiastrato d' oro. *Anzi nell' Egloga istessa dicesi ciò espressamente, ove il passo sia ben letto, e ben' inteso:*

F Vidimus in Cœlum trabibus spectacula textis
Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
Immensosque gradus.

Spectacula *significa qui quasi stanzini, ne' quali appare, che le logge fossero compartite. Così è da intender Plauto, ove ha che il vento buttò giù* gli spettacoli, *e Cicerone, ove dice, che si eccitò applauso* negli spettacoli tutti, *e*

ſubortum; Liviuſque, ubi narrat, in Circo ſua quemque ſibi *ſpectacula* ſtruxiſſe. Cubicula hæc confecta *trabibus textis* erant, uti legendum eſt: qui quidem loquendi modus ex Virgilio deſumptus eſt, ubi refert Trojanum equum *roboribus textis* ædificatum fuiſſe. Vidit itaque in Amphitheatro Calpurnius immenſos gradus, porticuſque Tarpeii collis vertice ſublimiores, quæ trabibus contextæ erant. Hinc eſt, ut auro etiam illinirentur: atque hic Theatri *ambitus interior* eſt, quem totum inaurari juſſit Nero ludos celebraturus Tyridati; quod perperam interpretatus eſt Xiphilinus, inquiens in parte interiore *Theatrum univerſum* a Nerone fuiſſe inauratum.

l.63. ἡ περιφέρεια αὐτὰ πᾶσα ἔνδοθεν.

Omnia hæc loca commode capere poterant ſpectatorum numerum a Victore traditum. Multo majorem complectebatur Circus; capiebat enim centum & quinquaginta hominum millia vel ipſe circus Tarquinii, ſi fides Dionyſio habenda eſt; Circus autem Maximus Cæſaris, referente Plinio, ducenta millia cæpit: neque id mirum erat: tria enim ſtadia longitudinis complectebatur: illud vero mirum fuit locata fuiſſe ſpectatorum plura quam octoginta millia in tam anguſto ſpatio, quantulum erat comparatum cum Circo Amphitheatrum. Imo Circus in majorem adhuc amplitudinem redactus a Trajano fuit.

l.3. l.36.c.15.

Romani Amphitheatri conformatio indicare nobis poteſt, qualis ea fuerit in ſuperiore parte Veronenſis: ubi tamen animadvertendum illud eſt, ex duobus ſupremis ſpatiis, quæ duabus inferioribus externis porticibus reſpondebant, in Veronenſi unum tantum extitiſſe: neque enim in hoc, ut in illo, geminatus ambitus eſt. Multo ergo pauciores lignei gradus eſſe debebant: porticus enim in ſumma parte neceſſario requirebantur, tanquam operis totius abſoluta perfectio & ornatus. Quales autem hæ reapſe fuerint, haud equidem auſim affirmate pronunciare. In aliquibus vetuſtis reliquiis obſervare licet in gradibus ſublimioribus ſpatia quædam uniformia notiſque diſtincta, ac ſemper tres pedes cum dimidio complectentia: procedunt uſque ad gradus medietatem, tantumque ſpatii adhuc relinquunt, ut commode ſedere liceat: in quibuſdam extant etiam duo foramina tanquam axiculis recipiendis facta. Nemo ſuſpicetur, fortaſſe indicari lapideas pilas: negat enim has fuiſſe ratio ipſa pavimenti, quod non ex lapidibus fuiſſe, aut ullo muri fornici incubuiſſe, ſed ex ligno conſtitiſſe manifeſtum eſt: mutuli enim in parte interna prominentes, atque efformati ab iiſdem lapidibus, qui in parte externa ordinis tertii zophorum componunt, in tranſverſum excavati ſunt, atque ad trabes excipiendas accommodati: apparent etiam in baltheo, qui ſuperior ipſis eſt, plura foramina, quæ ſubiiſſe videntur tranſverſæ tabulati trabes, vel alia id genus tigna, vel ferramenta huic uſui deſtinata. Tabulatum tertium in Arena noſtra fuiſſe ligneum, ex eo etiam conjectare licet, quod externus paries in quem deſinit ordo tertius, non habet tantum craſſitudinis, quod contrahi etiam in quarto ſic poſſit, ut illi inniti alius ex muro fornex queat, quemadmodum in duobus inferioribus factum eſt. Supremus ordo, in quo erant feneſtræ, fortaſſe non fuit reliquis altior, ut in Arena Romana, sed depreſſior, ut in Polana, ac Nemauſenſi, ac fortaſſis eo gaudebant libero, qui operam ſuam Velario navabant. Utut res fuerit, dubitare non licet, tantundem ſpectatorum ſaltem, quantum in lapideis gradibus conſidebat, habere locum in ſuperiore illa parte debuiſſe.

Livio, ove che nel Circo ognun ſi fece i ſuoi ſpettacoli. *Queſte ſtanze erano lavorate* trabibus textis, *come dee leggerſi; il qual modo di parlare è preſo da Virgilio, ove dice, che il cavallo di Troia fu fabricato* Roboribus textis. *Vide Calpurnio adunque nell' Anfiteatro gradi immenſi, e logge più alte della cima del colle Tarpeo, quali eran compoſte di travature. Perciò è, che s' indoravano; e queſta è la* circonferenza interiore *del Teatro, cui fece dorar tutta Nerone per occaſion di Tiridate, men bene eſſendo tradotto in Sifilino, che faceſſe dorar nel dì dentro il Teatro tutto all' intorno.*

In tutti queſti ſiti capiva molto bene il numero di ſpettatori da Vittore enunziato. Troppo più ne conteneva il Circo, mentre baſtava a cencinquanta mila fin quel di Tarquinio, ſe dobbiam credere a Dioniſio, e il Maſſimo di Ceſare ne contenea dugenquaranta mila per detto di Plinio; ma non era ciò di maraviglia alcuna, eſſendo lungo tre ſtadii: ben maraviglia fu il farne ſtare ſopra ottanta mila in sì poco ſpazio, qual era in paragone quello dell' Anfiteatro. Anzi il Circo fu ingrandito ancora più da Traiano.

La conformazione del Romano può farci arguire, qual foſſe nella ſuperior parte anche quella dell' Anfiteatro Veroneſe: ma con avvertire, che delli due ſpazj in alto, quali corriſpondevano alli due portici eſterni inferiori, il Veroneſe non ne avea che uno, non eſſendo qui raddoppiato il recinto, come in quello. Doveaci però eſſer di meno gran parte de' gradi di legno, poichè le logge nell' alto erano un neceſſario compimento, ed ornato. Quali queſte per l' appunto ſi foſſero, non ardirei d' affermare. Si oſſervano in alquanti de' pezzi antichi ne' più alti gradi ſpazj uniformi contraſegnati, e ſempre di tre piedi e mezo; vengono fino alla metà del grado, e laſciano tanto ſito da potervi ancora comodamente ſedere: in alcuni ſon' anche due buchi quaſi per imperniature. Non ſi ſoſpetti, che ne reſtino indicati pilaſtri di pietra, ſtando in contrario, che il pavimento non di laſtre, nè ſoſtenuto da volta di muro, ma ſi conoſce era di legno; perchè i modiglioni prominenti per di dentro, e formati dalle ſteſſe pietre, che per di fuori formano il fregio del terzo piano, ſono incavati per traverſo, e adattati per dar ricetto a travature: vegonſi ancora nella faſcia, ch' è ad eſſi ſuperiore, più buchi, ne' quali pare entraſſero i traverſi del palco, o altri legni, e ferri, che a ciò ſerviſſero. Che il terzo palco foſſe qui di legno, può arguirſi ancora per non avere l' eſterna parete, in cui ſi riduce il terzo piano, groſſezza capace di minorarſi ancor tanto nel quarto, che baſtaſſe a impoſtarvi di nuovo altra volta di muro, come ne' due di ſotto. Il ſupremo ordine, ov' eran le feneſtre, forſe non più alto degli altri, come nell' Arena di Roma, ma era più baſſo, come a Pola, e a Nimes, e forſe rimanea libero per coloro, che lavoravano alla tenda. Comunque foſſe dubitar non ſi può, che almeno per altrettanta gente di quella, che ſedea ne i gradi di pietra, non doveſſe eſſer luogo nella parte ad eſſi ſuperiore.

CAP. XIII.

Ordo, ac distributio spectatorum in subsellia.

QUoniam actum jam est de locis omnibus, in quibus spectatores sedebant, dicendum est aliquid de eorundem dispositione, atque ordine, quem hac in re ritus erat observare: hoc enim multum habet affinitatis cum interna ædificii ipsius conformatione; atque notitia hæc lumen afferet ad ea melius intelligenda, quæ sunt hactenus dicta, assequendaque multa veterum scriptorum loca. Non texam Historiam ejusmodi distributionum jam tum ab Regum ætate fieri cæptarum, neque mutationum, quæ contigerunt, ut ab instituta via ne longius recedam.

Fuere itaque generales quædam spectatorum distinctiones in Amphitheatro. Prima ex his ad Senatorium ordinem, principesque magistratus pertinebat. Huic præstantiori spectatorum classi designatus locus erat in universo Podio circum. In medio Podio erat parvum quoddam pulpitum clausum, quod dicebatur suggestum, vel cubiculum, ex eoque spectabat Imperator. In Theatris Romæ sua etiam aliorum magistratuum suggesta
l. 1. c. 7. erant, quæ a Voitruvio appellantur *Tribunalia*;
Aug. c. 44. ac Tribunal pariter a Suetonio dicitur suggestum
l. 36. Prætoris: in Amphitheatro commemorata non invenio. Distinctio alia equestrem ordinem complectebatur. Ex Dione discimus, Lucium Roscium, cognomento Othonem, Tribunum Plebis anno 687. ab Urbe Condita tulisse legem de subselliis equitum in Theatris diligenter distin-
l. 7. c. 30. guendis ab aliis aliorum ordinum. Scribit Plinius, suadente Cicerone, Roscio hujus legis Theatralis auctori ignovisse, in ejusque gratiam notatas se discrimine sedis æquo animo Tribus tulisse: indignatus est tamen Juvenalis, etsi tam longo post tempore, ubi ait:

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Epitome Livii docet nos, equitibus quatuordecim inferiores gradus fuisse assignatos. Et quoniam ex censu pendebat conditio, iccirco Augusti tempore equites multi a rerum opulentia delapsi in gradibus quatuordecim sedere non audebant. Sed numerus hic observari in Theatris potuit, in quibus Senatores, ac viri dignitate inter cæteros conspicui Romæ sedebant in area. Sed in Amphitheatro, in quo primæ spectatorum classi sufficere nequibat Podium, credibile est spectatores classis secundæ, quorum numerus mirum in modum auctus erat, adhuc altiora loca tenuisse: certe in Amphitheatro nostro non invenitur quatuordecim graduum numerus usque ad primam præcinctionem, ut credere possimus, infra hanc fuisse contentos. Dicam illud etiam, non videri in Amphitheatro spectatam fuisse tantum divisionem per gradus, sed in primis divisionem alteram per cuneos, quorum alii ordini Senatorio, alii assignati erant equestri: narrat enim Suetonius, cum magnam partem intra Popularia sedilia decidissent tesseræ illæ, quæ Domitiani jussu projectæ sparsæque fuerant, & propter quas quibus forte contigissent, iis dabantur dono res variæ in ejusmodi tesseris descriptæ, eum
Dom. c. 4. quinquagenas distribui non in singulos gradus, sed *in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronunciasse*. Neque vero comprehendi Podio tot Senatores, ac tot dignitate præditi viri primæ classis poterant, quot cum suis insignibus ad spe-

A

CAPO DECIMOTERZO.

Ordine, e distribuzion de gli spettatori nel sedere.

ORa che si è trattato di tutti i luoghi, ne' quali sedeano gli spettatori, alcuna cosa è da dire della disposizion loro, e dell' ordine che in ciò si tenea; poichè questo ha molta relazione con la conformazion materiale dell' edifizio stesso internamente, e servirà tal notizia per comprender meglio quanto
B *si è detto, e per intender molti passi d' Autori antichi. Non tesserò l' istoria di tali ordinamenti cominciati fino al tempo de i Re nel Circo, nè delle mutazioni avvenute, per non deviarmi.*

Alcune distinzion generali furon dunque nell' Anfiteatro tra gli spettatori. Prima fu quella dell' ordine Senatorio, e delle primarie dignità. Questa più nobil classe ebbe luogo sul Podio tutto all' intorno. Nel mezo di questo stava un palchetto chiuso, detto Suggesto, e ancora Cubiculo, per l' Imperadore. Ne' Teatri di
C *Roma erano palchetti per altre dignità ancora, nominandosi da Vitruvio con nome di Tribunali, e nominando Svetonio quello del Pretore: nell' Anfiteatro non ne trovo menzione. Altra distinzione fu per l' Ordine Equestre. Impariamo da Dione, come Lucio Roscio (per cognome Otone) Tribuno della plebe l' anno di Roma 687. portò legge del separar con diligenza ne' Teatri i sedili de' Cavalieri, com' ora usiam dire, da quei de gli altri. Scrive Plinio, che a persuasion di Cicerone perdonarono a costui le Tribù sì fatta legge Teatrale, soffrendo in grazia sua di buon cuore il venir con*
D *tal differenza fatta spiccare la loro inferiorità: ma sdegno ne mostrò Giuvenale, benchè dopo sì gran tempo, ove disse,*

Sì piacque al vano Otton, che ci distinse.

Impariamo dall' Epitome di Livio, come restarono a' Cavalieri assegnati i quattordici più bassi gradi. E perchè la condizione dipendea dal censo, però in tempo d' Augusto molti Equiti scaduti di facoltà non ardivano seder ne i quattordici. Ma questo numero potè servarsi ne' Teatri, dove i Senatori, e le persone più
E *qualificate stavano a Roma nella platea; ma nell' Anfiteatro, in cui alla prima classe non potea certamente bastare il Podio, è credibile, che quelli della seconda condizione cresciuti in grandissimo numero, si estendessero ancora in alto: infatti non riscontra nel nostro Anfiteatro il numero di quattordici gradi fino alla Precinzion prima, onde possa credersi fossero confinati sotto questa. Dirò ancora, che nell' Anfiteatro non pare si attendesse solamente la divisìon per gradi, ma principalmente quella per Cunei, assegnati altri di questi interamente all' Ordine Senatorio, altri all' Equestre; perchè narra Sveto-*
F *nio, come essendo cadute la maggior parte ne' luoghi, o sedili Popolari quelle tessere, che Domiziano avea fatto gettare, e spargere, e in virtù delle quali a coloro, cui toccavano, eran poi date in dono cose varie in ogni tessera notate; egli comandò, che cinquanta ne fossero distribuite non per gradi, ma* a ciascun Cuneo de gli Ordini Senatorio, ed Equestre. *Nè potean certamente capir sul Podio tanti Senatori, e tanti graduati di prima classe, quanti*

ctacula se conferebant: nam quod ad sacras solum dignitates attinet, recenset Arnobius Pontifices, Curiones Maximos, Quindecemviros, Flamines, Augures, ac Vestales. In Circo locum proprium, & a reliquis distinctum assignavit Senatoribus Claudius, equitibus Nero, ut ex Plinio, Suetonio, Tacito discimus. Novimus etiam ex lapideo quodam monumento, quod mox afferemus, cum dicebantur *tot numero assignati gradus*, intelligendos fuisse gradus in aliquo tantum cuneo, non autem in universo ambitu.

lib. 4.

Una cum equitibus sedebant in Amphitheatro Tribuni, quorum pariter satis ingens erat numerus: erant enim & militares, & civiles Tribuni, ac satis erat, semel tantum eum magistratum quospiam gessisse, ut eo nomine censerentur. Imo vero tradit Porphirio vetus Horatii Interpres, Tribunis duos primos gradus vacasse. Ab ejusmodi locis prohibiti erant severe Liberti: quare vetuit Augustus in Theatro sedere in Senatoriis subselliis gentium liberarum Legatos, quippe quia quosdam etiam libertini generis interdum mitti deprehendisset; ac Dion animadvertit hoc tanquam singulare, crimini non fuisse versum Tribuno plebis, quod jusserit penes se patrem suum sedere, etsi libertus esset. In superioribus porticibus coopertis erant mulieres: credibile est ibi gradus alios fuisse, quibus *fœmineæ sedes* superponerentur a Calpurnio commemoratæ. Ex Plutarcho apparet, Syllæ tempore mulieres viris confusas ad spectacula sedisse. Eodem modo ætate Ovidii ludos spectabant in Circo: docet enim in Amoribus rationem placendi cavendo, ne qui retro sederet, molestiam afferret. Sed Octavianus a maribus fœminas discrevit, neque iis, nisi e superiore loco spectare concessit, etsi gladiatoriæ tantum pugnæ fieri deberent. Excepit solas Vestales, quibus in Theatris unum ex principibus locis dedit; in Amphitheatro vero has sedisse in Podio refert Prudentius. Inter Vestales consedere non raro mulieres Augustæ. Sed in summo post fœminarum sedes consistebant minuta plebecula, illique omnes, quibus certus locus destinatus non erat. Atque hæc distributio spectatorum generalis est: rem enim peculiarius determinare omnino non licet. Si quendam sæpius memoratæ eclogæ locum respicimus, illud videretur in more positum fuisse, ut interdum viri dignitate conspicui gradus omnes usque ad ipsas porticus tenerent: inquit enim Poeta sibi necesse fuisse illuc ire, ubi vilis *inter fœmineas spectabat turba cathedras*, cum invenisset loca omnia detecta ob magnam frequentiam ab equitibus Tribunisq; fuisse occupata. In locis popularibus credibile est spectatores per Tribus fuisse discretos, assignato Tribubus singulis situ suo: id videbatur necessarium ad turbas confusionemq; vitandam. Hujus rei extat vestigium aliquod in Glossario antiquo, ubi vox *cuneus Theatri* φυλὴ θεάτρȣ redditur.

Ad lib. Epod.

Suet. c. 44. l. 53.

Suet. Aug. c. 44.

Nunc facile erit intelligere commemoratam a Scriptoribus divisionem Caveæ in *primam*, *mediam*, ac *supremam*. Vis harum vocum probe intellecta non fuit. Lipsius primam, seu infimam putavit esse universum locum equestris ordinis; mediam vero, ac supremam reliquos marmoreos gradus. Bulengerus indicari per eas existimavit divisionem Præcinctionum: sed revera nomine Primæ a Cicerone commemoratæ Podium designabatur, ac fortasse etiam gradus inferiores spectatoribus nobilioris notæ assignati: nomine Mediæ, de qua Suetonius, gradus omnes reliqui marmorei: nomine demum supremæ, cujus meminit Seneca, & quam appellat Ultimam Cicero, gradus, ac porticus duorum ordinum supe-

cap. 24.

De Senect. [illegible] ma cavea spectia. Aug. c. 44. ne quis [illegible] media cavea.

A intervenivano con le lor divise ne gli spettacoli: perchè delle sacre dignità solamente annovera Arnobio Pontefici, Curioni Massimi, Quindecemviri, Flamini, Auguri, e Vestali. Nel Circo sede propria, e separata assegnò a' Senatori Claudio, a gli Equiti Nerone, come da Plinio, Svetonio, e Tacito. S' impara da una lapida, che riferiremo fra poco, come quando diceasi, assegnati gradi tanti, s' intendea in un tal Cuneo solamente, e non tutto all' intorno.

Insieme co' Cavalieri sedean nell' Anfiteatro i Tribuni, de' quali pure molto grande era il
B *numero, perchè vi erano i militari, e i civili, e bastava essere stato una volta in tal grado. Anzi Porfirione, antico interprete d' Orazio, dice che de' Tribuni erano i due gradi primi. Erano gelosamente esclusi da sì fatti luoghi i Liberti, onde Augusto vietò il sedere in Teatro ne' Senatorii a' Legati delle genti libere, perchè seppe, mandarsene tal volta alcuni di condizion libertina; e nota Dione, come cosa singolare, che non fosse imputato a delitto a un Tribuno della plebe l' aver fatto sedere presso di se suo padre, benchè fosse Liberto. Sopra*
C *nelle logge coperte stavan le donne: è credibile saranno quivi stati altri gradi, sopra quali si ponessero le* cadreghe feminili *mentovate da Calpurnio. Appar da Plutarco, che in tempo di Silla donne ed uomini confusamente sedeano ne gli spettacoli. A tempo d' Ovidio così stavano ancora nel Circo, insegnando lui ne gli Amori, di farsi grato con badare, che chi sedea dietro non desse noia. Ma Ottaviano le separò, e non volle che stessero, se non nel più alto luogo, e ciò benchè pugne solamente di gladiatori dovesser farsi. Eccettuò unicamente le Vestali, alle quali assegnò ne' Teatri un de'*
D *migliori siti; e che nell' Anfiteatro sedessero sul Podio, si ha da Prudenzio. Fra le Vestali stettero non di rado le donne Auguste. Ma in alto dietro le sedie delle donne andava l' infima plebe, e coloro, a' quali non era destinato preciso luogo. Questa era la general distribuzione, non essendo possibile di determinar più precisamente. Se riguardiamo un passo dell' Egloga più volte mentovata, parrebbe, che da persone qualificate tutti i gradi fino alle logge fossero talora occupati; dicendo il Poeta, come a lui fu forza andare, ove* tra le sedie delle femmine stava la turba vile, *avendo trova-*
E *to per lo gran concorso, che tutti i luoghi scoperti da Equiti, o da Tribuni erano presi. Ne' luoghi popolari è assai credibile, si dividessero per Tribù, assegnato a ciascheduna il suo sito: tanto par fosse necessario per ischivar folla, confusione, e disordine. Se n' ha anche un cenno nel Glossario antico, che rende la voce* Cuneus Theatri *per* φυλὴ θεάτρου.

Ora potremo intendere la divisione rammentata da gli Scrittori della Cavea in prima, mezana, e suprema. *Il significato di queste voci non è stato ben compreso. Lipsio intese per*
F *prima, o bassa tutto il sito dell' ordine Equestre; per mezana, ed alta gli altri marmorei gradi. Bulengero pensò indicarsi per esse la division delle Precinzioni: ma veramente per Prima, nominata da Cicerone, intendeasi il Podio, e forse i più bassi gradi, deputati alle persone di maggior conto: per Mezana, nominata da Svetonio, tutti gli altri gradi di pietra: per Suprema, nominata da Seneca, e detta Ultima da Cicerone, s' intesero gradi, e logge de' due piani superiori; se pure anche i*

riorum; nisi forte etiam superiores gradus lignei in media cavea erant comprehensi, pertinentibus ad supremam solis porticibus. Seneca verba *ad summam caveam spectantia* intellexit humilia ac plebeja. In media cavea constituit Augustus nequis eorum, qui pullam vestem haberent, idest nequis ex minuto popello sederet: quare inquit Calpurnius, rusticum indumentum, *pullamque paupertatem* fuisse sibi impedimento, quominus accederet ad nobiliora loca, ubi sedebat Imperator. Ut servaretur ordo, cura erat non medio- *Suet. Aug. c. 14.* cris. Augustus Gregarium militem, quem viderat in quatuordecim ordinibus sedentem, per apparitorem loco removit. Domitianus peculiare decretum a Martiale commemoratum sanxit, quo *l. 5. ep. 8.* *puros eques ordines reciperet.* Aderant semper Locarii, hoc est locorum distributores, qui removebant omnes loco, si qui ibi sedissent, ubi par non esset. Ex his quidam, nomine Oceanus, & Lætius, celebres evasere apud Martialem. Meminit Quintilianus, ex *Theatrali* lege posse eum injuriæ actionem intentare, qui injuria excitatus fuisset; id enim ad conditionem, rationemque sui generis attinebat.

c. 8. & 11. & 14. Docuit Lipsius Senatorum locum in Amphitheatro appellatum fuisse Orchestram; quod quidem ait tritum esse, componique quatuor vel *De circ. c. 37. Aug. c. 44.* quinque gradibus putavit. Bulengerus ad orchestram retulit, quod inquit Suetonius loquens de Arena. Sic Spanhemius ad Numum Gordiani Pii cum Amphitheatro, inquit in eo Imperatorem cum Senatoribus conspici in orchestra: Sic Harduinus in Plinium, sic reliqui omnes: non tamen profecto sine errore magno: appellatam enim orchestram esse partem ullam Amphitheatri, nullo unquam probabitur exemplo antiqui scriptoris: pugnat etiam ipsa vocis hujus vis & significatio, *Xiph. in Nerone Hom. 15. ad Pop. Ant. τῶν ὀρχιστρῶν ἐφρεξων. cap. 25.* quæ tam proprie ad Theatrum pertinebat, ut Dion Amphitheatrum, Theatrum, ac Circum nominaturus, *Theatrum venatorium*, *Ippodromum*, & *orchestram* dixerit, ac D. Joannes Chrysostomus *Ippodromi*, & *Orchestræ* nomine Circum & Theatrum designavit. Scribit Suetonius, Claudium dedisse hanc veniam Germanorum Legatis, ut in orchestra sederent ac simplicitatem eorum fiduciamque æqui bonique fecisse, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos & Armenios sedentes in orchestra, ad eadem loca transierant: sed eo loco sermo est de Theatro. Contra vero non loquitur de Theatro, ubi scri- *cap. 43.* ptor idem refert, Augustum *quodam muneris die* Parthorum obsides per *Arenam mediam* ad spectaculum induxisse, superque se *subsellio secundo* collocasse: quare nihil erat causæ, quamobrem eo loco intelligeret Casaubonus secundum subselliorum ordinem in orchestra. Sed neque cuneum secundum interpretor cum Torrentio, sed *l. 5. ep. 28.* *gradum secundum*, in quo super se Parthos collocavit Augustus: *bis septena subsellia* dixit Martialis equestres gradus indicaturus.

Cum hoc, de quo dictum est, errore conjungi solet alius, eorum nempe, qui Theatrorum orchestram putant gradibus fuisse compositam. Orchestræ gradus quatuor tribuit Bulengerus aut quinque. Harduinus ad Plinii locum, ubi retia *l. 37. c. 7.* meminit, quibus adversus Feras Podium protegebatur, accingit se ad explicandam Theatrorum orchestram, ac verba Lipsii & Bulengeri usurpans inquit, eam quatuor vel quinque gradibus constitisse, ex his postremum Podioque viciniorem nobilitate cæteros præcessisse; atque in hujus rei confirmationem affert Juvenalis carmina a Lipsio adducta, ex quibus constat Familias principes in Podio consedisse. Sed Theatrorum orchestra ni-

A *gradi superiori di legno non si comprendeano nella Mezana, rimanendo alla Suprema le logge sole. Seneca per* parole proprie della Cavea più alta *intese basse, e plebee. Nella mezana ordinò Augusto, che niuno potesse stare di coloro, ch' avean bruna veste, cioè a dire della gente minuta; però disse Calpurnio, che l' abito rustico, e la* fosca povertà *gli avea impedito d' accostarsi a i luoghi nobili, ove sedea l' Imperatore. Perchè l' ordine si servasse, non poca era l' attenzione. Augusto mandò a cacciar via un soldato gregario, che vide seder* B *ne' quattordici gradi. Domiziano fece espresso editto rammentato da Marziale, per tener depurati i gradi Equestri. Assistean sempre Locarii, cioè assegnatori de i luoghi, quali facean levare chi si fosse posto, dove non gli convenisse. Alcuni di costoro, per nome Oceano, e Lezio, son rimasi famosi in Marziale. Fa menzion Quintiliano del potere per la* Teatral legge *intentar l' azione come ingiuriato colui, che si fosse fatto levare a torto, perchè trattavasi in ciò del suo stato, e dell' esser suo.*

Insegnò Lipsio, che il luogo del Senato nell' C *Anfiteatro si chiamava Orchestra, il che disse esser cosa trita, e giudicò si componesse di quattro o cinque gradi. Bulengero interpretò per relazione all' Orchestra ciò che scrive Svetonio parlando dell' Arena. Così Spanemio alla Medaglia di Gordian Pio con l' Anfiteatro dice, vedervisi l' Imperadore co' Senatori nell' Orchestra; così Harduino sopra Plinio, e così gli altri tutti: ma non per verità senza grand' errore; perchè di chiamare Orchestra una parte dell' Anfiteatro, non si troverà esempio mai presso verun Antico; e ripugna da se col significato suo la stessa voce, quale era sì individuale al Teatro, che Dione per dire* D *Anfiteatro, Teatro, e Circo, disse* Teatro venatorio, Ippodromo, *e* Orchestra; *e S. Gioan Crisostomo parimente disse* Ippodromo, *e* Orchestra *per dir Circo, e Teatro. Scrive Svetonio, che permise Claudio a gli Ambasciatori de' Germani di seder nell' Orchestra, avendo preso in buona parte la semplicità, e la franchezza loro dell' esservi andati da se, levandosi da i luoghi popolari, ov'erano stati condotti, per aver veduto, che nell' Orchestra stavano quei de gli Armeni, e de' Parti; ma quivi si parla di Teatro. All' incontro non di Teatro si parla, ove narra l' istesso Storico, che* E *Augusto un giorno di spettacolo, condusse per mezzo l'* Arena *gli ostaggi de' Parti, e gli collocò sopra di se nel* subsellio secondo: *però non avea luogo il Casaubono d' intender quivi la seconda fila de' sedili nell' Orchestra. Ma nè pure intendo secondo Cuneo, come vuole il Torrenzio, bensì il* secondo grado, *nel quale sopra di se fece Augusto sedere i Parti:* li quattordici subsellii *disse Marziale per significare i gradi Equestri.*

Col sudetto errore altro accoppiarsi suole, di creder, che l' Orchestra de' Teatri si componesse di gradi. Bulengero afferma, che n' ebbe quat- F *tro, o cinque. Harduino al luogo di Plinio, ove tocca delle reti, che difendeano il Podio dalle Fiere, si mette a spiegar l' Orchestra de' Teatri, e dice con le parole di Lipsio, e del Bulengero, che constava di quattro, o cinque gradi, e che l' ultimo vicino al Podio era il più nobile, e n' adduce in pruova i versi di Giuvenale, citati da Lipsio, ne' quali si vede, che le prime Famiglie stavan sul Podio. Ma l' Orchestra de' Teatri non altro fu, che quell' area in mezzo, or da noi detta platea, qual*

hil aliud fuit, quam area illa media, quam nos in præsentia plateam dicimus, & in qua apud Græcos quidem choreæ agebantur, unde & nomen sumpsit, apud Romanos vero, qui choreas in scenam traduxerunt, scamnis, quæ inferebantur, considebant senatores, ac viri illustriores. Quare nihil facit ad rem locus ille Juvenalis, qui de Podio, non de gradibus loquitur, de Amphitheatro, non de Theatro; aitque nobiliores viros in Podio, non in Orchestra consedisse. Idem Auctor alio in loco *Theatrum* interpretatur, ubi Plinius de Leonibus loquens *Arenam* dicit; atque ubi narrat Plinius populum ferreis cancellis adversus bestiarum injurias fuisse protectum, docet caveam vocatam fuisse aream illam, quæ in mediis Theatris est, ex qua populus spectabat ludos, tum appellatam fuisse Arenam Amphitheatri caveam, utpote quæ sparsa arena seu sabulo cooperiebatur: sed revera neque in Theatro opus erat Populum a bestiarum injuriis defendere, neque Caveæ nomine campus indicabatur, neque e campo ludos populus spectabat, neque tegebatur sabulo locus ex quo spectabatur, sed platea in Amphitheatris. Invitus hæc attingo, atque unice in eum finem, ut materiam hanc bono aliquo in lumine collocem, atque ut omnes intelligant, ad litterarum perfectionem voluminum vim propeimmensam, eorumq; recentem magnificentiam parum prodesse.

ad l. 8. c. 16.

Præter jam commemoratas generales distinctiones aliæ rursus erant peculiares. Augustus, cujus ætate, sublato ordine, spectandi mos confusissimus ac solutissimus erat, non solum veteres leges revocavit, sed etiam a reliquo populo milites secrevit. Maritis proprios ordines, hoc est proprios gradus assignavit, idque ex veteri instituto distinguendi multiplici privilegiorum ratione Matrimonium. Hinc Martialis irridet Didymum Eunuchum, qui jactabat licere sibi in Equitum scamnis sedere, cui tamen in scamnis maritorum non licebat. Ex Plinio Juniore accepimus hoc in reliquis honore gavisos illos fuisse, qui tres filios habebant, ut in spectaculis distincto sedendi loco fruerentur. Suum pariter cuneum assignavit Augustus Prætextatis, hoc est adolescentulis, qui eo nomine nuncupabantur, quod ad decimum octavum usque ætatis annum togam prætextam, seu purpureo limbo ornatam gerebant. Usitatissimus fuit apud veteres nationes mos distribuendi in discretas classes pro ætatis ratione. Collegium Fabrum a Servio Tullo in duas divisum fuit centurias seniorum, ac juniorum. Etiam in Athenarum Theatro adolescentulis suus erat assignatus locus a cæteris distinctus, quemadmodum ex Aristophanis Scholiaste novimus, atque ex Polluce. Judæos supplices, qui Romam venere, distinctos fuisse in turmas senum, juvenum, ac puerorum tradit Philo. Loco proprio gaudebant & Magistratuum ministri: hinc refert Tacitus, accusatori cuidam mercedis instar fuisse concessum, ut in Theatro inter Viatores Tribunorum sederet. Alia multa nossemus, si superfuisset Lex Roscia, de qua meminimus paulo ante. In ea novi ex Cicerone in locum ab cæteris discretum fuisse conjectos decoctores, eosque, qui patrimonium absumpsissent; objicit enim Cicero M. Antonio, quod is nihilominus in ordinibus seu gradibus quatuordecim sedisset. Tot distinctiones factu faciles reddebantur ex ipsa cuneorum distributione, qui quidem cunei & a nobis demonstrati superius sunt, & a brevibus scalis constituebantur. Quare inquit Suetonius, ab Augusto *Prætextatis cuneum suum, & proximum Pædagogis*, qui propterea adolescentulos suæ fidei creditos observare cominus poterant, fuisse assignatum.

l. 5. ep. 42.

Pollux l. 4. c. 19. ἰουδαϊκῶν. Legat. ad C.

Ann. l. 1.

Phil. 2.

c. 44.

presso i Greci serviva per le danze, onde prese il nome, e presso i Romani, che portarono i balli su la Scena, per sedervi sopra scanni portatili i Senatori, e le persone più graduate. Nulla serve però il passo di Giuvenale, che parla del Podio, e non de' gradi; dell' Anfiteatro, non del Teatro; e che tratta dello stare i più nobili sul Podio, non nell' Orchestra. L'istesso Autore in altro luogo interpreta Teatro, *dove Plinio, parlando di Leoni, dice* Arena; *e dove Plinio parla del popolo difeso dalle Fiere con inferriate, si fa ad insegnare, che* si chiamava Cavea l'area, ch'è in mezzo a' Teatri, dalla quale il popolo mirava i Giuochi; *indi che* chiamavano Arena la Cavea dell' Anfiteatro, perchè si spargea di sabbia: *ma veramente nè in Teatro v'era bisogno d'assicurare il popolo dalle Fiere, nè per Cavea s'intese il Campo, nè dal Campo mirava il popolo i Giuochi, nè si spargea d'Arena negli Anfiteatri lo spettatorio, ma la piazza. Tocco queste cose mal volontieri, e solo per la necessità di mettere in qualche miglior lume questa materia, e perchè si conosca, non giovar molto la prodigiosa inondazione, e moderna sontuosità de' volumi per condurre a perfezione le lettere.*

Oltre alle sopradette distinzioni generali altre particolari ve n'erano. Augusto, in tempo del quale ogni buon ordine era in ciò confuso, e trasandata ogni regola, oltre al rimettere le prime leggi, separò i soldati dal rimanente del popolo. Assegnò i lor' ordini, cioè a dire i lor gradi, agli ammogliati, secondo l'antica idea di privilegiare il matrimonio in più modi. Però Marziale burla Didimo Eunuco, che vantava poter sedere co' Cavalieri, dicendo, che non però potea co' mariti. Abbiam da Plinio giuniore, come tra gli onori di coloro, che avean tre figliuoli, uno era di seder distintamente negli spettacoli. Volle parimente Augusto, che stessero da se i Pretestati, cioè i giovinetti, così chiamati perchè infino all' anno diciottesimo portavano la toga orlata. Molto costumavano le antiche nazioni di separar per età. Il Collegio de' Fabri fu da Servio Tullo distinto in due centurie de' più vecchi, e de' più giovani. Anche nel Teatro d'Atene i giovinetti stavan da se, come si trae dallo Scoliaste d'Aristofane, e da Polluce. I Giudei supplichevoli che vennero a Roma, erano distinti in truppe di vecchi, giovani, e fanciulli, come si ha da Filone. Avean luogo destinato anche i ministri de' Magistrati, onde riferisce Tacito, che a un accusatore fu dato per mercede luogo in Teatro tra Viatori de' Tribuni. Molt' altre particolarità sapremmo, se si fosse conservata la legge Roscia, di cui abbiam fatto poc' anzi menzione. In essa imparo da Cicerone, come in luogo a parte venivan confinati i falliti, e coloro che le proprie facoltà avean disperse; rimproverando lui a Marc' Antonio, perchè si fosse con tutto ciò posto ne' quattordici ordini, o sia gradi. A tante distinzioni facilità prestavano i Cunei sopra dimostrati, e formati dalle scalette. Però dice Svetonio, che Augusto assegnò il suo Cuneo a' giovanetti, e il prossimo a' Pedagoghi, *che potean così da vicino osservargli.*

Aliis quoque usibus præterquam spectaculis publica isthæc ædificia deservierunt. In Græcia ut plurimum in Theatris celebrabantur Civitatum conventus. Romæ opinatur Salmasius fieri largitiones omnes in Amphitheatro consuevisse; atque in illa quidem largitione nummaria, quæ Martialis ætate facta fuit, videtur id ex eo confirmari, quod Poeta risu traducit equitem illum, qui postquam partem suam accepit, *æra* l. 1. ep. 27. *a cuneis ulterioribus petiit*. Sed jure negavit Jacobus Gothofredus, in Amphitheatro, Theatrisve fieri populo solitam fuisse largitionem panis, qui dicebatur Gradilis, quia in gradibus distribuebatur. (ad C. Th. de ann. civ.) Inscriptio Gruteriana de largitione populo facta a Claudio Cresimo *per gradus*, quæ utroque viro clarissimo modo laudato in hanc rem adducitur, falsa est; de quo agendum in præsentia non est. (Grut. 175. 8.)

Alíam tamen habemus Inscriptionem notæ genuinæ, quæ multum afferre lucis potest, ut vel præteritas notitias confirmemus, vel novas hac in re acquiramus. Exeunte superiore sæculo eruta sunt ad quartum ab Urbe Roma lapidem aliqua fragmenta marmoris, in quibus extabant memoriæ ad Collegium duodecim Fratrum pertinentes. Quod quidem sacerdotium erat institutum, ut pro agrorum ubertate sacrificia faceret. Inscriptiones editæ in publicum statim fuere ab Episcopo Turrio *in Monumentis Antii*, ubi propterea videri possunt. Res enimvero admodum singularis in ipsis est descriptio loci in Amphitheatro Sacerdotibus istis assignati. Assignatio illa videtur instituta postremo Titi anno, hoc est cum primum cæpit Amphitheatri usus esse: idem credibile est factum fuisse de aliis hominum classibus. Ex hujus Inscriptionis sententia colligitur, Arvali Collegio pluribus in locis assignata fuisse subsellia, hoc est in primis *ad Mœnianum primum, in cuneo duodecimo, in octo gradibus marmoreis*. Deinde *ad Mœnianum altum secundum, in cuneo sexto, in gradibus marmoreis quatuor*. Tum *ad Mœnianum altum in tabulis ligneis*. Spatium in locis his omnibus assignatum indicatur ad calcem, quod quidem complectebatur pedes centum viginti novem cum dimidio: pedum numerus in singulos gradus atque in indicatas ipsorum summas distributus nonnihil intricatus est. Sed nunc quidem, quam exacte distributa loca fuerint, observemus, ac quemadmodum ritus fuerit collocandi corpora non in rectam lineam in uno tantum gradu, sed potius turmatim, ac deorsum sursum versus. Tantum vero loci assignatum fuit, propterea quia magistratus in Amphitheatrum veniebant magna famulorum ministrorumque stipati corona: quare superius vidimus, suum fuisse in Amphitheatro locum Viatoribus Tribunitiis. Mœnianum significabat pergulam, coronam, mesaulam, locum in sublimi, in quo deambulabant. Mœniani primi nomine credibile est intelligendum esse Podium; etsi ab Arnobio non video Arvales Fratres commemorari principibus Sacerdotiis, quæ cum pompa, ac majestate interesse spectaculis consueverant: fortasse Arnobii ætate Collegium illud de medio sublatum erat. (lib. 4.) Mœniana reliqua Præcinctionum plana sunt; ac mihi quidem videtur colligi ex hoc nomine posse, etiam Mœniana isthæc spondam habuisse, septisque fuisse munita. Videntur etiam hoc loco Mœniani nomine veteres interdum intellexisse spatium illud, quod inter duas Præcinctiones medium interjiciebatur. Apparet quoque cuneos fuisse multos, atque per Præcinctiones alios fuisse ab aliis discretos; ex iis series ac numerationes diversas fuisse

A *Ad altri usi ancora fuor di spettacoli servian talvolta questi publici edifizj. In Grecia ragunavasi per lo più ne' Teatri il Consiglio delle Città. A Roma fu opinion del Salmasio, che nell' Anfiteatro tutte le publiche distribuzioni si facessero; e in quella di danaro, fatta a tempo di Marziale, par si comprovi ciò dalla burla, ch' egli dà a quel Cavaliero, il quale dopo ricevuto ciò che gli toccava andò a carpire altre monete* ne' Cunei ulteriori. *Ma negò con ragione Giacopo Gotofredo, che si facesse nell' Anfiteatro, o in Teatri, la distribuzione al popolo del pane, chiamato Gradile, perchè si dava su gradi.* B *L' Iscrizion Gruteriana del donativo dato al popolo da Claudio Cresimo* per gradus, *che vien addotta in tal proposito da ambedue i sopranominati grand' uomini, è falsa; in che non è da entrar' ora.*

Ma ben' altra Iscrizione legitima, e vera abbiamo, che può esser di molto lume, o per confermar le passate, o per acquistare in questo punto notizie nuove. Sul finire del passato secolo si scavarono a quattro miglia da Roma alcuni pezzi di marmo con memorie spettanti al Collegio de' dodici Fratelli Arvali. C *Questo era un sacerdozio ordinato a far sagrifizj per l' ubertà delle campagne. Le Iscrizioni furon subito publicate da Monsignor Torre ne'* Monumenti d' Anzio, *dove però posson vedersi. Particolarità molto curiosa in esse è la descrizion del luogo destinato a questi Sacerdoti nell' Anfiteatro. L' assegnazione par fatta nell' ultim' anno di Tito, che vuol dire nel primo porre in uso l' Anfiteatro: l' istesso si sarà praticato con l' altre condizion di persone. Dal contenuto di questa Iscrizione si trae, che al Collegio Arvale fu dato luogo in varie prese, cioè prima al* D Meniano primo, nel Cuneo duodecimo, in otto gradi marmorei. *Poi al* Meniano alto secondo, nel Cuneo sesto, in gradi marmorei quattro. *Indi al* Meniano alto nelle tavole di legno, *al numero* cinquanta tre in undici gradi. *Lo spazio in tutti questi siti assegnato notasi nel fine, che summava piedi cento ventinove e mezo: nel numero de' piedi distribuito in ciascun de' gradi, e nelle notate somme di essi, è un poco d' imbroglio. Ma osserviam per ora con quanta esattezza si distribuissero i siti; e come non si collocavano i corpi in linea su* E *un grado solo, ma più tosto a truppe, e di basso in alto. Fu assegnato tanto sito, perchè le dignità venivano all' Anfiteatro col corteggio de' lor serventi, e ministri, onde abbiam veduto sopra, che vi avean luogo i Viatori Tribunizii. Meniano significava poggiuolo, ballatoio, ringhiera, luogo da camminare in alto. Meniano primo è credibile si debba intendere il Podio, se ben non veggo nominati i Fratelli Arvali da Arnobio co' principali Sacerdozii, che con decoro ne'* F *publici spettacoli intervenivano: forse a quel tempo tal Collegio non v' era più. Gli altri Meniani sono i piani delle Precinzioni, e parmi potersi da questo nome arguire, che avessero anch' essi sponda, e fossero balaustrati. Sembra in oltre qui, che con nome di Meniano intendessero talvolta lo spazio tra una Precinzione, e l' altra. Appare altresì, come i Cunei eran molti, e come dalle Precinzioni venian separati gli uni da gli altri, e se ne costituivano serie, e numerazioni diverse, e non poteano però es-*

constitutas; propthereaque alia ratione non potuisse cuneos esse dispositos, atque a nobis Tabula nona deformati fuerunt. Ad hæc illud etiam colligitur in eorum, quæ dicta sunt, confirmationem, alium cuneorum ordinem supra marmoreos gradus quoque extitisse, locorumque magnum item numerum in tabulatis ligneis fuisse, fuisse pariter gradus ligneos, quorum undecim vacabant Arvalis Collegii ministris: neque enim credendum cum Lipsio est, etiam Magistratuum familiam cum ipsis in Podio sedisse. Quare, quod attinet ad Amphitheatrum, pretiosum monumentum istud est.

Lips. c. 11.

Mirari quosdam solere audivi sæpe, qui viri nobili genere nati potuerint sine gravi valetudinis incommodo, totum diem in scamnis e gelido saxo sedere. Profecto, si res hoc se pacto habuisset, multo deterior fuisset nobilium virorum conditio, quam plebejorum, qui e suprema parte in tabulatis positi spectabant: tantoque magis, quod etiam hyemali tempore edebantur spectacula. Sed scire oportet, gradibus lapideis asses ligneos fuisse superpositos, atque his spectatores sedisse. Narrat Dion Imperante Caligula subjectos Senatoribus fuisse pulvinos, *ne in nudis tabulis sederent*. P. Montfauconius accepit locum hunc de pulvinis, qui suppositi essent pedibus: sed parum prudenter fuisset factum, si talis pulvinorum usus extitisset. Pavimenta graduum lignea ostendit idem Historicus, ubi de Fulmine alibi commemorato loquitur; quamquam res hæc ignorata in causa fuerit, ut latina interpretatio cederet parum feliciter. Eo igne inquit ille *totum superiorem ambitum* conflagrasse, simulq; τὰ ἐντὸς τοῦ κύκλου ἔδαφη πάντα: Leunclavius, quem hoc loco sequitur novæ ad Dionem Appendicis Auctor, vertit: *quidquid esset in solo interioris circuli*; quod reddi sic poterat: *& pavimenta interiora omnia*, hoc est *pavimenta omnia graduum*, sive tabulas, quibus strati gradus erant: eodem quoque loco non vertissem ego *Arenarium*; ac dixissem *accensum est*, non *deflagravit*: neque enim consumptum est Amphitheatrum, sed est in Amphitheatro ignis accensus.

Lips. c. 18. lib. 59. ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωνται. To. 3. p. 256. l. 78.

Pulvini a Senatoribus traducti ad equites sunt, ut indicat quidam Juvenalis locus. Non latuit Græcos eorum usus in Theatro: eos enim memorat Theophrastus, ubi de Adulatore. In Arena Veronensi mos hic ad Patrum usq; nostrorum memoriam duravit, ut Comœdiæ interessent Matronæ etiam in gradibus, sed quadrigarum pulvinis, quos famuli in gradus deportabant, insidentes. In Podio tamen sedebant majore cum dignitate, cathedris videlicet eo delatis. In sella curuli, ut refert Suetonius, sedebat Augustus: Tiberio, ac Sejano parabantur sellæ auratæ, ut novimus ex Dione. Harum sellarum formam exhibent plures numi; materiam vero indicat Horatius qui eas vocat *curule ebur*: ad plures magistratus pertinebant. Sed fortasse omnes ex ordine Senatorio omissis pulvinis postea sellas adhibuerunt in Amphitheatro; earumque plures fuisse videntur series, cum Mannejus ille a Martiale irrisus, qui in primo gradu sederat, ut solebat semper ante Domitiani edictum, excitatus, in tertio sellarum ordine consedit, uti ego lego versum illum, respondentem, quoad loquendi formam, loco superius adducto Suetonii, ubi *subsellium secundum* nominat. Etiam Vitruvius nominat in Theatro gradus, in quibus ponebantur sellæ: Martialis nominat equitum *scamna*; ac multa loca sunt, ex quibus licet suspicari, equites quoque sellis postea fuisse usos. Sellas minuto tantum popello interdixit Imperator Arcadius; neque ego legem

τὰ προσκεφάλαια. c. 43. Dio l. 58. l. 1. ep. 6. l. 5. ep. 14 ... inter ... s pæne tertius sellas. l. 5. 42.

A Sere in altro modo, che come nella Tavola nona abbiam figurato. Si ricava non meno in conferma di quanto si è detto, che un ordine ve ne fosse ancora sopra i marmorei gradi, e come molti luoghi fossero in tavolati di legno, e come di legno v'eran gradi, in undici de' quali furon posti i serventi del Collegio Arvale, non dovendosi creder con Lipsio, che il seguito ancora de' Magistrati stesse sul Podio con essi. Prezioso monumento è però questo per l'Anfiteatro.

B *Alcuni ho udito talvolta maravigliarsi, come potessero gli uomini civili, e nobili ancora, senza molto danno della sanità star tutto un giorno sedendo su gradi di gelida pietra. Per verità sarebbe in tal modo stata peggiore la condizion loro di quella de' plebei, che stavano in cima ne' tavolati: e tanto più, che si facean d'inverno ancora spettacoli. Ma è da sapere, che sopra i gradi di pietra assi di legno erano stese, e su queste sedeasi. Narra Dione, che in tempo di Caligola furon posti guanciali sotto a' Senatori*, perchè non sedessero sopra le nude tavole. *Il P. Montfaucon intese questo passo di cuscini posti sotto piedi, ma sarebbe stata poca economia il farne un tal uso. Pavimentati di legno i gradi mostra lo stesso Storico, ove parla del fulmine altre volte mentovato, benchè la mancanza di tal notizia n'abbia fatto riuscire la version Latina poco felice. Dic'egli, che da quel fuoco si abbruggiò* tutta la circonferenza superiore, *e insieme* τὰ ἐντὸς τοῦ κύκλου ἔδαφη πάντα: *Leunclavio, seguitato in questo luogo dall'editor della nuova giunta a Dione, rende*, quidquid esset in solo interioris circuli; *che potea rendersi*, & pavimenta interiora omnia; *cioè a dire* tutti i pavimenti de' gradi, *o sia le assi, che sopra i gradi teneansi: nell'istesso passo ancora non avrei tradotto* Arenarium, *e avrei detto* si accese, *più tosto che* deflagravit, *non essendosi consumato l'Anfiteatro, ma acceso fuoco in esso*.

C

D

I guanciali da' Senatori passarono a Cavalieri, come un passo di Giuvenale accenna. Non n'era ignoto l'uso a' Greci nel Teatro, perchè gli mentova Teofrasto, ove dell' Adulatore. Nell' Arena di Verona durò fino a tempo de' padri nostri l'uso di sedere alla Comedia le Dame ancora ne' gradi, ma sopra i cuscini delle Carrozze, che i lor servidori vi portavano. Sul Podio però stavasi ancora con maggior dignità, cioè sopra sedie, che vi eran recate. Sopra sella curule stava Augusto, come da Svetonio: per Tiberio, e per Seiano si portaron dorate, come da Dione. La forma di queste si vede in molte Medaglie; la materia s'impara da Orazio, che le chiama curule avorio: *competeano a varie dignità. Ma forse tutti quelli d'ordine Senatorio passaron poi da' guanciali alle sedie nell' Anfiteatro; e pare ve ne fossero più file, mentre quel Manneio deriso da Marziale, che si era messo nel primo grado, com'avea in uso avanti l'editto di Domiziano, fatto levare, si cacciò nel terz' ordine delle sedie, com' io leggo quel verso, corrispondente nel modo di parlare al sopraccennato di Svetonio, ove nomina il* sedil secondo. *Nomina anche Vitruvio nel Teatro gradi, sopra quali si ponean sedie: nomina Marziale* Scanni *de' Cavalieri; è altri passi vi sono, per cui sospetto nasce, ch' anch' essi usassero poi sedie. L' Imperadore Arcadio ne vietò l' uso solamente alla gente*

E

F

illam accipio de sellis gestatoriis, in quibus iter fieret, ut alii acceperunt. Ovidius in Arte nominat etiam suppedanea. Illud etiam credibile est in more positum aliquando fuisse, quod in Theatris factitari consueverat, ut semel atque iterum testatur Dion, ut honoris causa suo loco nonnullis ponerentur sedes, etiamsi ipsi abessent, & quandoque etiam post ipsorum mortem. Germanico facto jam functo novimus ex Tacito positas fuisse curules sellas, supraque sellas coronas querceas (quod in pluribus numis expressum cernimus) locatasque fuisse inter sellas sacerdotum Augustalium: ex quo licet colligere, etiam Sacerdotes hosce in Theatris, atque Amphitheatris loco inter præstantiora gavisos fuisse.

Ann. l. 2.

Erit hoc loco instar cujusdam anacephaleosis, quod attinet ad interioris Amphitheatri icnographiam, Tabula XII. quæ sese offert. Observetur quam diversa hæc ab illa sit, quam Lipsius, Fontana, aliique hactenus dederunt. En in primis imus internus ambitus sine foraminibus hinc atque hinc, ac sine multis illis ostiis sub Podio, quæ antehac expressa fuerunt. En Vomitoria in quatuor lineas digesta cum linea infima, cujus Vomitoria deducebant in Podium, quæque perperam prætermittebatur. En gradus per cuneos divisi, ut numi scriptoresque docent, non autem deformatæ pro ingenio breves scalæ, neque Præcinctionibus transversæ. En supra gradus marmoreos non muri, nec januæ, nec fenestræ, neque arcus, sed gradus alii e ligno non Vomitoriis, neque brevibus scalis interrupti, quemadmodum ex Auctoribus colligitur, atque conspicitur in numis. En supra ligneos gradus non arcuata porticus lapidea, sed ambulacra ligneis epistyliis munita, ut pariter veteres libri, numique docent. En denique non amissus magnus spatii tractus in summa parte ob cæcum murum, neque redditum inutile ac vacuum effectum spatium illud, quod duabus externis porticibus respondebat in summa parte, uti ostendunt antehac vulgatæ deformationes, sed ambulacrorum muro incumbentium tectum ita comparatum, ut infra fenestras illas ingentes existat; adeoque locus universus ita digestus, ut nulla ejus pars vacaret usu; atque hunc in modum restituta vera ejus facies operi longe nobilissimo ingeniosissimoque artificio elaborato.

A *più vile; nè intendo io quella legge di cadreghe portatorie per cammino, com' altri ha fatto. Ovidio nell' Arte nomina anche i suppedanei. Si farà in oltre talvolta praticato senza dubbio nell' Anfiteatro ancora, quel che ne' Teatri si usava per replicato testimonio di Dione, cioè che per onorare alcuni si ponessero sedie ne' luoghi loro, benchè fossero assenti, e talvolta anche dopo morte. A Germanico già trapassato abbiam da Tacito, che fur poste selle curuli, e sopra esse corone di quercia (il che vediamo in più Medaglie rappresentato) e che fur poste fra quelle de' Sacerdoti Augustali, donde*
B *può raccogliersi, come costoro ancora ebbero un de' siti più nobili ne' Teatri, e nell' Anfiteatro.*

Servirà qui d'una spezie di ricapitolazione per quanto appartiene al prospetto interiore dell' Anfiteatro la Tavola XII. che si presenta. Osservisi quanto diversa da quella che Lipsio, il Fontana, e gli altri hanno dato finora. Ecco in primo luogo il basso recinto interno senza fori di qua e di là, e senza quelle molte porte sotto il Podio, che vi si son figurate per lo passato. Ecco i Vomitorj in quattro linee con la più bassa, che riusciva sul Podio,
C *e che malamente si tralasciava. Ecco i gradi compartiti in Cunei, come le Medaglie, e gli Scrittori vogliono, e non disegnate le scalette a caso, nè a traverso delle Precinzioni. Ecco sopra i gradi di pietra non muri, nè porte, nè fenestre, nè archi, ma gradini di legno non interrotti da Vomitorj, nè da scalette, come dagli Autori si raccoglie, e nelle Medaglie si vede. Ecco sopra i gradini di legno non portico arcuato di pietra, ma logge architravate di legno, come concordemente i libri antichi, e le Medaglie insegnano. Ed ecco finalmente non perduto in alto gran tratto di spazio per muro*
D *cieco, nè reso inutile e fatto vacuo nella sommità tutto l'importare de' due corridori esterni, come si rappresenta ne' passati disegni, ma il tetto delle logge appoggiate al muro riuscire sotto i fenestroni, e fatto però uso di tutto il sito, e resa in questo modo la sua vera faccia al più nobile, ed al meglio architettato edifizio del Mondo.*

Tab. XII



A

CAP. XIV.

Velarium.

INter ea, quæ admirabilia fuerunt in hujus ædificii usu, ultimum locum non obtinuit, facilitas illa, qua in tanta altitudine, spatioque tam vasto protegebantur spectatores *Velis*, seu *Velariis*, ut vocabantur a Latinis, quæ prout libuisset, apponebantur, removebanturque. Spectacula durabant diem totum, totumque diem intererant spectatores; quamquam non deerant, qui de media nocte sese conferrent in Circum loca occupaturi, turmatimque ibat populus, antequam diei lux appeteret, sicubi magnum aliquod spectaculum edendum esset. Fuisse in more positum spectaculo præludere primo mane propositis quibusdam ludis minoribus, minusque magnificis colligo ex ea, quam adhibet Ovidius, similitudine Cervi morti destinati in *matutina Arena*; atque ex mentione, quam facit Seneca de risu, quem mane excitabat in Amphitheatro taurus & ursus simul colligati, tum ab apro ambo perempti. Illud verum est, quosdam ex Amphitheatro domum concedere consuevisse, ut pranderent, tum postea ad ludos reverti, ut colligere licet ex Scriptoribus, ubi narrant, non fuisse in his Imperatorem Claudium, qui mirum in modum delectabatur ludis Meridianis, quorum sævitiam etsi rebus ludicris, risumque moventibus interjectam detestatur Seneca, ac Tertullianus. De spectaculis Pomeridianis meminit D. Augustinus in suis Confessionibus: sæculo quarto vetitum lege fuit, ne qui in Magistratu judiciario essent, post prandium ad ludos redirent, ut mos erat aliorum facere.

In Calig. c. 6. Lampr. in Elag. — *De Ira l. 1.* — *Dio, Suet.* — *C. Th. de Spect. l. 2.*

Quapropter solis fervor in causa fuit, ut tegimen aliquod necessarium evaderet. In Theatris per plura sæcula spectati sub dio ludi sunt, imo vero in aliis locis mos hic fortasse perpetuo viguit: legimus enim apud Apulejum, pluviæ causa Comœdiam interrumpi; ac D. Joannes Chrysostomus objicit populo incommodum, quod perferebat in Theatro soli obnoxius detecto capite. In Italia tamen visuntur Theatra Velariis protecta etiam extra Romam in quodam lapideo monumento Gruteriano. Refert Plinius, ac Valerius Maximus, qui omnium primus Theatra protegeret, fuisse Q. Catulum, atque hujus rei exemplum

Florid. c. 16. Hom. 4. in Jo. — *p. 1099. 2.*

CAPO DECIMOQUARTO.

Velario.

NOn fu l'ultima delle cose ammirabili nell' uso di quest' edifizio la facilità di coprire in tanta altezza, e in così vasto spazio gli spettatori, con tende, dette da i Latini Vela, *e* Velaria, *che si mettevano ad arbitrio, e levavano. Gli spettacoli duravano tutto il giorno, e tutto il giorno vi si persisteva, benchè non mancasse chi andava nel Circo di mezza notte per occupare i luoghi, e andasse avanti dì il popolo in folla ovunque insigne spettacolo si aspettasse. Che nella mattina si preludesse con mostre di minor pompa, e fierezza, ricavo dalla similitudine, che dà Ovidio del Cervo destinato a perire* nella mattinevole Arena, *e dalla menzion che fa Seneca del riso, che destava la mattina nell' Anfiteatro il toro, e l' orso legati assieme, ammazzati poi l' uno e l' altro dal cignale. Vera cosa è, che alcuni andavano a desinare, e tornavano, come si ricava da gli Storici, ove narrano, che non era fra questi l' Imperador Claudio, compiacendosi lui singolarmente de' Giuochi Meridiani, la crudeltà de' quali, benchè mista di ridevoli apparenze, vien detestata da Seneca, e da Tertulliano. Degli spettacoli Pomeridiani fa menzione S. Agostino nelle Confessioni: nel quarto secolo fu vietato con legge a chi era in Magistrato di giudicatura il ritornare dopo pranso a i Giuochi, come gli altri faceano.*

B — C — D

L' ardor del Sole rese però necessario qualche riparo. Ne' Teatri si stette più secoli allo scoperto, anzi in altre parti continuò forse in ogni tempo tal' uso, perchè vedesi in Apuleja, che per pioggia Comedia s' interrompe a mezzo, e rimprovera S. Gio: Crisostomo al popolo il patimento, ch' ei facea in Teatro soffrendovi il sole a capo nudo. In Italia però si veggono le tende ne' Teatri anche fuor di Roma da una Lapida Gruteriana. Abbiam da Plinio, e da Valerio Massimo, che primo a far' ombra ne' Teatri fu quinto Catulo, e che di ciò prese esempio dal lusso, e dalla mollizie de'

ex luxu ac mollitie Campanorum illum traxisse. A
l.36.c.15. De Theatro protecto mentionem facit Plinius alibi in loco quodam acephalo, qui proinde cum antecedentibus parum apte cohæret; sed locus ille de ligneo Theatro, quod stabile tectum haberet, intelligendus est; operis Architectum nominat Plinius Valerium Ostiensem, quia admirabile opus esse debuit ob ingentem amplitudinem: sic apud Philostratum lego, Theatrum ab Herode Attico extructum, cedroque tectum. In Veronensi Arena extendi velarium consuevisse, demonstrare licet ex fragmento quodam sæpe commemorati rubri marmoris, ultra pedes quatuor lato, formæque prope quadratæ, quod dum excavaretur humus, inventum est, quodque in B præsentia asservatur: in eo extant in uno angulorum, partibusque angulo contiguis plures canaliculi ex frequenti funium lapidem deterentium ductu excavati. Vestigia sunt funium non crassiorum unciæ quarta parte: crassiores enim, qui pondus sustinebant, immoti manebant, neque discurrebant, ut tenuiores, quibus, prout res postularet, vel attrahebantur, vel retrahebantur Velarii laciniæ. Ego quidem ita sentio.

Carbasinis velis spectatores in ludis protexit
Plin.l.19. c.1.&l.43. primus Lentulus Spinter. Sed refert Dion, ut C immodicos sumptus a Cæsare factos in ludis probet, famam fuisse, ab eo, ne quis solis molestia afficeretur, sericis velis spectatores fuisse protectos; ex certaminum genere ab Historico prius commemoratorum probabile fit, locum hac ratione a Cæsare protectum Amphitheatrum ejus ligneum fuisse: quod quidem immodici luxus argumentum ea ætate fuit; qua neque nascebatur, neque conficiebatur sericum nisi in remotissimis regionibus: observo enim apud Vopiscum, ad Aureliani usque tempora libram panni ex puro serico auri libra fuisse æstimatam. In Theatro exten-
Xiph. in Ner. di olim Nero jussit vela ex purpura, cælum aureis D stellis distinctum referentia cum sui imagine in medio acu picta solis currum ducentis exhibente figuram. Velarium tamen fere ex lana fuit. Id ego colligo ex quodam Tertulliani loco, ubi significaturus, Deum etiam extra Theatrum prospi-
cap. 33. cere, eum inquit *extra cameras, & gradus, &*
Bul. de Th. in Proœm. *apulias* videre. Scripsit hoc loco Lipsius, se de apuliis hisce non posse hiscere: Bulengerus vocem hanc ex græca origine deduxit, aitque hoc nomine a Tertulliano superiores porticus fuisse vocatas. Sed eo loco internam Amphitheatri partem circumscribit, eaque nominat Tertullianus, quæ Amphitheatrum claudebant, hoc est gradus, E porticus, ac velaria, atque hæc, non illas vocat *Apulas* (sic enim legendum est, non autem *Apulias*) hoc est *ex Apulia*, videlicet lanas; quæ
l.8.c.48. Apophor. Velleribus primis. apte convenienterque ex Apulia cognominabantur: erant enim Apulæ, teste Plinio, omnium laudatissimæ: quare inquit Martialis, regionem illam velleribus primis fuisse celebratam, ut Parma erat secundis, & Altinum tertiis. Apulæ ita-
Apulia.v. l.2.ep.37. que dicebantur res lana confectæ ex ipsa regione nomen nactæ, quemadmodum sericæ ob eandem rationem, quæ ex serico erant textæ. Principatum tamen hunc tribuit Poeta lanæ Apulæ inter lanas albas; cum Velaria contra ex lana tin- F cta, colorumque varietate distincta ferme conficerentur: quod ego colligo ex eo Lucretii loco, ubi ait, in Theatro Velaria rubra, ferruginea, ac flava consessum omnem spectatorum, scenam-
l.8. que inficere consuevisse, & cogere omnia *suo fluitare colore*; in hunc modum poetice pingens speciem a motu velorum vento fluitantium productam.

Non æque tamen facile, ac ea, quæ sunt ha-

popoli Campani. Di Teatro coperto fa menzion Plinio altrove in passo acefalo, che perciò poco ben lega con quanto precede; ma quivi dee intendersi d'un Teatro ligneo stabilmente coperto; ne nomina Plinio l'Architetto Valerio d'Ostia, poichè sarà stata cosa mirabile per la gran larghezza: così leggo in Filostrato, ch'uno ne fece Erode Attico coperto di cedro. Che nell'Arena Veronese si stendesse il Velario, dimostrasi da un pezzo del consueto marmo rosso, largo oltre a due piedi, e quasi quadrato, che si è trovato nello scavare, e conservasi: in esso veggonsi sopra un degli angoli, e nelle parti all'angolo contigue, molti canaletti incavati dalle funi nel frequente rader la pietra. Vestigj son di corde non più grosse che un quarto d'oncia, poichè le grandi, che sosteneano il peso, stavan ferme, nè scorreano, come le piccole, con le quali si tiravano secondo occorrenza, o si ritiravan le falde. Così almeno io penso.

A coprir con tele di lino fu primo Lentulo Spintero. Ma riferisce Dione in pruova delle eccessive spese fatte da Cesare ne' Giuochi, come era voce, aver lui, perchè niuno fosse molestato dal Sole, coperti una volta gli spettatori con cortine di seta: da' certami raccontati prima per lo Storico, si rende probabile, che il luogo così coperto da Cesare fosse il suo Anfiteatro di legno: eccesso di lusso fu questo allora, non nascendo, nè lavorandosi la seta se non in remotissimi paesi: osservo in Vopisco, come fino a tempi d'Aureliano una libra di drappo di pura seta si valutava una libra d'oro. In Teatro fece una volta Nerone stender vele di porpora, figuranti un Cielo a stelle d'oro, con la sua immagine ricamata nel mezo in figura del Sole, che guidasse il cocchio. Ordinariamente però il tendone era di lana. L'argomento da un passo di Tertulliano, ove per esprimere, che Dio vede anche fuori dell'Anfiteatro, dice ch'ei vede extra cameras, & gradus, & apulias. *Lipsio scrisse qui non saper pensare, che si potessero esser queste* apulie: *Bulengero dedusse tal voce dal Greco, e disse aver Tertulliano così chiamati i portici superiori. Ma Tertulliano circoscrive in quel luogo l'interno dell'Anfiteatro, e nomina le parti, che il serravano, cioè gradi, logge, e tende; ed a queste non a quelle dà il nome d'* Apulae *(così dovendosi leggere, e non* apuliae*) cioè* Puglieli, *ch'è quanto dir lane; quali convenevolmente dalla Puglia si denominavano, mentre di Puglia erano le lodate sopra tutte l'altre, come dice Plinio; però affermò Marziale, che quella regione era nobilitata per le prime lane, come Parma per le seconde, e come Altino per quelle del terzo grado. Apule si dicean dunque le drapperie di lana dal paese, come Seriche per la ragione istessa quella di seta. Tal primato però conferisce il Poeta alla Pugliese tra le lane bianche; dove i Velarii componeansi d'ordinario di lane tinte, e variamente colorate; il che raccolgo dal passo di Lucrezio, ove dice, che nel Teatro le tende rosse, e ferrigne, e gialle, rifrangeano sopra tutto il consesso degli spettatori, e sopra la Scena, e faceano ondeggiar tutto co' lor colori; così poeticamente dipingendo l'apparenza prodotta dal motto de' panni per vento fluttuanti.*


Ma non sì facile, come tutto ciò che del Ve-

ctenus de Valerio dicta, est intelligere, animoque concipere, qui posset in tanta altitudine, atque spatio tam vasto extensum, elevatumque detineri velarium, tractarique, prout maxime libuisset. Novimus ex Lampridio, Velario præesse jussos *milites classiarios* utpote in tractandis velis peritos expertosque; sed modum ipsum, quo hoc in negotio uterentur, ignoramus. In Coliseo, ubi exterior ambitus demonstratus est, observavimus 240. lapideas mensas, in quas subibant totidem antennæ, quæ coronam penetrantes extabant, ac Velarium suspendebant: sed difficultas in eo est, ut videamus, qui possent tanta vi in ea suprema parte distendi crassi funes, distentique in tam vasta latitudine contineri, quanta erat diameter totius Amphitheatri. Id pervestigaverunt unice Romani Architecti, reique totius, qua ratione disponeretur, formam recte delineavit Fontana, etsi modum rei perficiendæ verbis non explicuerit. Appono hoc loco descriptam ab eo figuram; sed in ea aliquid amplius concipiendum animo est: si enim nihil aliud præterea imaginaremur, potuisset quidem ea ratione Velarium stabile constitui; non appareret tamen, qua ratione tolli pro re nata, rursusque poni quiverit: atqui tamen novimus exempli causa, Caligulam interdum in gladiatoriis ludis flagrantissimo sole, repente reduci vela jussisse, atque emitti quemquam vetasse.

In Com. — *Suet. c. 26.*

A *lario finor si è detto, è l'intendere, e l'immaginarsi, come si potesse in tanta altezza, e in così ampio giro, tenerlo disteso, e sollevato, e maneggiarlo a piacere. Sappiam da Lampridio, che vi si faceano assistere soldati di marina, per l'uso, e pratica che aveano di regolar le vele; ma nulla sappiam del modo. Nel Coliseo osservammo, ove si mostrò l'esterior recinto, 240. mensoloni di pietra, ne' quali entravano altrettante antenne, che forando la cornice sopravanzavano per tener su il Velario: ma la difficoltà consiste in vedere, come fosse possibile di stirar là su sì forte le grosse funi,* B *e di farle star tese in tanta larghezza, quant' era il diametro di tutto l'Anfiteatro. In questo sono unicamente entrati gli Architetti di Roma, e bene ha rappresentato in disegno, come tal faccenda si disponesse, il Fontana, benchè non abbia con parole spiegato il modo dell'esecuzione. Pongo qui la sua figura; ma bisogna immaginarvi qualche particolarità di più; perchè non divisando altro, si sarebbe bensì potuto mettere in quel modo un tendone stabile, ma non appare, come si potesse ritirarlo ad arbitrio, e rimetterlo; e pure sappiamo a cagion d'esempio, che Caligola si* C *prendea spasso talvolta ne gli spettacoli gladiatorii, quando il Sole era più intenso, di far levare la tenda improvisamente, vietando a chiunque fosse l'uscire.*

Tav. XIII.



Non poterat itaque alia ratione hoc opus disponi, nisi efformato in medio ingenti quodam ovali anulo ex crasso fune, quo major campi pars retecta maneret; quod sane ob eam quoque causam necessarium erat, ut qui erant in Amphitheatro, fruerentur immisso aere, ac lumine: atque hic quidem modus non raro usitatus erat apud antiquos in ædificiis, ut videre licet in Agrippæ Pantheo: Velarium apponebatur, ut solem, subitamque pluviam spectatoribus defenderet, non autem ut hæc a vacua platea averteret: quare hinc fortasse Arenam Calpurnius apertam dixit & *patulam*. Funis hic habuit fortasse circum anulos

Quæ patula juvenis Deus edit Arena.

Non potea dunque tal lavorio altramente disporsi, che col formar nel mezo un grand' anello ovale di grossa fune, pel quale D *venisse a lasciarsi scoperta la maggior parte del Campo; il che era necessario ancora per aver aria, e lume, ed era modo usato non di rado dagli Antichi anche negli edifizj, come nel Panteon d'Agrippa si vede: la tenda era per difender dal Sole, e da improvisa pioggia gli Spettatori, non il vacuo della piazza; perciò forse chiamò aperta, e patente l'Arena Calpurnio. Questa fune avrà avuto più anelli di me-*

plures ex metallo, quibus innexi funes principes esse potuerunt, ut ita brevior fieret ipsorum tractus, funesque totidem columnarum, vel solidi alterius id genus retinaculi, quod ibi extitisset, instar essent. Cum opus esset ludos præparare, ingens hic anulus, ut hoc illum nomine appellemus, afferendus in medium erat, eique harpagonum beneficio plures adnectendi funes, qui deinde traducti singuli recta in sublimem illum orbem, troclearum, vectiumque ope omnes simul, æqualiterque attolli debuerunt, attracto in sublime crasso fune, eum firmissime annecti. Atque hoc erat veluti solum, supra quod superpositum Velarium explicabatur. Ipsum vero utpote in plures lacinias divisum fortasse fuit funiculis minoribus trajectum, quos quidem credibile est traductos fuisse per totidem annulos proportione respondentes, atque opportune circum rudentem medium distributos, atque ejusmodi anulis injectos fuisse paratos moveri, prout maluissent illi, qui in supremo ordine morabantur, deambulantesque supra coronam, tectasque porticus provinciam hanc administrabant. Textura princeps innexa esse debuit exteriorum antennarum capitibus, ac fortasse etiam ipsarum pedi, innixa vero secundum planum horizontis supra ambitus secundi orbem ligneis columnis, quæ proinde in antica porticuum parte extare debebant. Minores funes in eodem ambitu credibile est trochleis fuisse innexos; quo paratiores ad motum forent; ibi solummodo incipiente tela. Fortasse in Amphitheatro nostro funes ejus ita compositi erant, ut super lapides quosdam in summa corona positos reptarent, quo essent elevatiores: hanc suspicionem injicit illud marmoris fragmentum canaliculatum, de quo dicebam paulo antea. Fortasse etiam trajiciebantur ad partem externam, deferebanturque ad ordinis postremi fenestras: sed velle rem accurate definire, ubi puræ putæque conjecturæ, vel potius ingenii figmenta locum habent, puto supervacaneam curam esse.

Quanta vi, quantaque firmitudine extensi funes manerent, colligi fortasse potest ex iis raptibus in sublime, qui interdum ostentabantur. Pueros ad Velarium usque raptos nominat Juvenalis. *Sat. 4.* De Tauro de media Arena rapto, qui speciem retulit gestantis Herculem in cælum, loquitur Martialis. *lib. 5. 15.* De machina, quæ ad res in sublime trahendas adhibebatur supra scenas, quæque ut est in vetere etymologico, Grus appellabatur, extat sane mentio; *Γέρανος.* sed fortasse in Arenis, si res postularet, adhibebantur etiam funes principes sustinendo Velario destinati, atque orbis, ejusque vinctura. Non est illud tacendum, videri interdum, si scriptores legamus, utut Velarium esset, spectatores injuriis temporum patuisse: scribit enim Dion, imperante Caligula in Theatris pileos fuisse permissos more Thessalorum, quo spectatores a solis ardore protegerentur; *l. 59.* cum alioquin mos esset antiquorum, caput nusquam tegere. Nive autem subito delapsa lacernam nescio cujus in Amphitheatro canuisse, qui secus atque alii, pro more patrio indumento albo vestiti, illam habebat coloris nigri, narrat Martialis. Ex eodem illud etiam discimus, lacernas (quæ quasi quædam breves penulæ erant) in Amphitheatro præsertim adhiberi consuevisse. *l. 4. ep. 25.* Sed id quidem intelligendum est, cum vis venti impediret, quominus explicari Velarium posset: quod sane, ut in pluribus Poetarum locis videre est, non raro contingebat.

A *tallo intorno, che avran servito per attaccarvi le corde maestre, rendendo tanto più corto il tratto di esse, ed equivalendo a colonne, o altro sodo ritegno che fosse stato in quel sito. Quando occorreva preparar Giuochi, dovea questo grand' anello, per così chiamarlo, portarsi nel mezo, e attaccarvisi con rampini più funi, quali ricapitate poi ciascuna dirittamente nell' alto della circonferenza, per via di girelle, e d' argani saranno tutte a un tratto, e ugualmente state inalzate, tirando insieme in alto la grossa fune, indi raccomandate con sicurezza. Questo era come il suolo, sopra cui si*
B *facea posar la tenda. Ma essa divisa in molte falde, sarà stata infilata da corde minori, e queste è credibile passassero per altrettanti anelli proporzionati, e distribuiti opportunamente intorno alla gomona di mezo; giuocando dentro essi a piacer di coloro, i quali stavano su l' ultimo piano, e camminando sopra il cornicione, e sopra le coperte logge, aveano tal' incombenza. L' ordimento principale dovea esser raccomandato alle teste delle antenne di fuori, e fors' anco nel piè di esse, e fatto posare orizontalmente sul giro del secondo recinto sopra*
C *colonne di legno, che dovean perciò sopravanzare nel dinanzi delle logge. Le minori corde nell' istesso circuito avran posato sopra girelle; per esser più pronte al moto; quivi solamente principiando la tela. Forse nel nostro Anfiteatro le funi di essa si faceano strisciare sopra pezzi di pietra posti in cima del cornicione per tenerle più sollevate: desta tal sospetto il pezzo di marmo incavato, di cui parlai poc' anzi. Fors' anco si facean passar per di fuori, e avean ricapito per le finestre dell' ultim' ordine; ma il voler' individuare il preciso, dove si lavora di pura idea, stimo soverchia*
D *cura.*

Quanto fortemente restassero tese, e con quanta fermezza le maggiori corde, può forse argomentarsi da que' rapimenti in alto, che si faceano veder talvolta. Fanciulli rapiti fino *al* Velario *nomina Giuvenale.* D' un toro *rapito* dal mezo dell' Arena, *che mostrò di portar' Ercole in Cielo, parla Marziale. Di machina per tirare in alto qual si usava sopra le Scene, e che insegna l' Etimologico antico, era chiamata Gru, si ha veramente notizia; ma forse nell' Arene si facea uso in quest' occasioni*
E *anche delle funi maestre, destinate a sostenere il Velario, e del cerchio, e della sua concatenatura. Non è da tralasciare, che par talvolta in leggendo gli scrittori, rimanesse la gente con tutto il Velario esposta all' ingiurie de' tempi: poichè scrive Dione essere stati sotto Caligola permessi ne' Teatri cappelli all' uso di Tessaglia, per difendersi dall' ardor del Sole; solendo per altro andar gli Antichi a capo scoperto. E che per neve d' improviso caduta si facesse nell' Anfiteatro bianca la lacerna d' un tale, che all' incontrario di tutti gli altri, vestiti secondo l' uso di bianco, l' avea negra, rac-*
F *conta Marziale. Da lui pure impariamo come le lacerne (ch' erano quasi corti mantelli) servivano principalmente per l' Anfiteatro. Ma questo vuol' intendersi, quando il vento impediva di stendere il Velario, il che, come in più passi di Poeti si vede, non di rado avveniva.*

CAP. XV.

Subterraneum.


EX aere infra telluris superficiem descendamus. Observatum jam a multis fuit, Amphitheatrum etiam infra terram muros habere, ac spatia; sed cum nemo effodiendam humum late, & perlustranda loca curaverit, multa pronunciata sunt a veritate longe abhorrentia. Andreas Fulvius, Marlianus, aliique scripsere, cloacis magna ex parte tantam molem innixam stare; cum tamen ductus nihil sustineant, neque infra altos parietes transeant. Lipsius aliique multi, spatia illa subterranea fuisse totidem cellaria, carceresque crediderunt; quo sane ostendunt manifeste, illa se nequaquam vidisse. Cum itaque Veronæ late ex omni parte effossa humus sit, facile licuit accuratam locorum subterraneorum orthographiam componere, cujusmodi ea est, quæ Tabula XIV. describitur.

A

CAPO DECIMOQUINTO.

Sotterraneo.

Dall' alto dell' aria passiamo al profondo della terra. Fu già osservato da molti, sotterra ancora aver l' Anfiteatro muri, e vacuità, ma niuno essendosi mai preso cura di far cavare ampiamente, e di veder chiaro, strane cose sono state dette. Andrea Fulvio, Marliano, ed altri scrissero dalle cloache esser sostentata in gran parte sì vasta mole; B *quando i condotti niente sostentano, e non passano sotto gli alti muri. Lipsio, e altri molti hanno creduto, i vani sotterranei essere stati ripostigli, e prigioni, con ciò ben mostrando di non avergli veduti. Essendosi però qui scavato in ogni parte, si è potuto formare una pianta sotterranea perfetta, qual nella tavola XIV. descrivesi.*



Tav. XIIII

Orbis ille, qui in medio visitur, puteum exhibet in medio existentem satis altum, cujus diameter est sex pedum. Alium ejusmodi credibile est in eodem singulorum Amphitheatrorum loco extitisse. Balutius in Historia Urbis Tutelæ, se ibi Amphitheatri reliquias conspexisse testatur, in eoque medio puteum existere inquit, cujus fundus nunquam potuerit explorari. Fundum quidem spes est fore ut inveniant, si explorabunt diligentius; puteus vero in eo situ, Theatri, vel alterius ædificii quoque poterit indicium esse. Sed prætermissis iis, quæ conficta & pronunciata sunt de nostro hoc puteo, cujus os opertum olim erat, atque occultatum, manifestus illius usus est: cum enim summæ esset profunditatis, centrum campi teneret hoc est locum maxime imum, Arenæ exsiccandæ brevissimo tem-

C *Il rotondo, che appar nel mezo, figura un pozzo, qual vi si trova assai profondo, e in diametro di piedi sei. Altro simile è credibile si scoprisse nell' istesso sito d' ogni Anfiteatro. Il Baluzio nell' Istoria della Città di Tulle professa vedersi quivi reliquie d' Anfiteatro; e nel mezo afferma esservi un pozzo, del quale non sia stato possibil mai ritrovare il fondo. Il fondo può sperarsi lo troveranno, se cercheran meglio, e il pozzo in quel sito potrebbe ancora essere indizio di Teatro, o d' altro edifizio. Ma lasciando le bizarre speculazioni, uditesi intorno al nostro pozzo, la* D *bocca del quale anticamente stava coperta, e occultata, l' uso suo è manifesto, perchè con la sua profondità nel centro della piazza, ch' era il sito più basso, potea contribuir molto ad a-*

sciu-

poris spatio opportunissimus erat; idque tanto magis quod campus semper cælo patebat, in eumque confluebat etiam illa aqua pluvia, quæ circum undique decidebat in Velarium, quod naturali declivitate nonnihil inclinari in partem internam debuit. Hoc igitur erat in Arena antiquorum Compluvium ab Isidoro sic explicatum, ut locum fuisse dicat, in quem undequaque confluunt aquæ; atque ego quidem autumo principem ejus usum hunc fuisse, ut aquam reciperet defluentem e campi superficie, utpote quæ supra parietes tectumque ductuum altior extabat, quamque plurimum intererat ab aqua liberare.

l.15.c.5.

Reliquæ partes omnes orthographiæ nigrore insignes indicant ductus, qui sunt in mediis tribus ambulacris, producunturque tam in longum, quam in transversum ab uno extremo in alterum, quin uspiam in murum ullum incurrant excepto Podii pariete, cujus fundamentum duobus in locis perforatum est in medio. Nullus minus profundus est tribus pedibus; latitudinis autem habent qui ab uno ellipsis vertice ad alterum protenditur, pedes quatuor cum dimidio; qui in transversum fertur, pedes tres cum decem unciis; qui respondet ambulacro medio, uncias sex & viginti, ac reliqui duo fere tantundem. Fundus est pavimentum signinum durissimum, sed fundus maximi ductus constat ingentibus lapideis laminis. Elliptici cum ductu per longum protracto nequaquam conjunguntur; conjunguntur vero cum illo, qui it in transversum. Qui decussantur prope centrum, puteum pariete circumseptum declinant, & invicem conjunguntur. Parietes ejusmodi ductuum eodem, ac reliqui, opere extructi sunt cum iisdem per ternos quosque pedes stratis, quorum singula terno constant laterum corio, præsertim autem in parte suprema. Supra lateres existunt laminæ ex consueto marmore, quæ omnia late protegunt, ac pavimentum efformant, crassitudine non minore quam pedali, latitudine vero interdum pedum decem. Hic quoque apparet mos idem, quem animadvertimus capite secundo, hoc est poliendi quidem oras, non autem partem intermediam in lateribus lapidum, qui committendi simul sunt. Effossa humo etiam ante alterum ex majoribus ostiis, quod & tunc minori frequentia terebatur, observatum fuit non laminis lapideis, sed fornice crassissimo ibi tectum esse ductum, in illumque duos utrimque minores ductus desinere.

Usus horum ductuum is erat procul dubio, ut per ipsos urina, sordesque, & aqua pluvia, quæ in Amphitheatrum decidebat, efferrentur. Hæc non minori prudentia, quam studio in suis ædificiis curabant, atque in his etiam illustria suæ magnificentiæ documenta dabant Veteres. Pluribus in locis in superioribus laminis apparent rotunda foramina, per quæ sublato lapide, qui ea obstruit, homo poterat descendere. Observavi etiam in ima transversi ductus parte, ubi is infra interiorem baltheum transit, ostiolum quoddam cum brevi scala, quæ ferebatur ad gradum tertium, ubi lapis aliquis mobilis esse debuit. In ductuum parietibus circum visuntur passim ostia quædam: per ea in hæc receptacula influebant canales plures, qui intra muros ac secundum scalas dispositi erant, eoque e partibus superioribus urinam, & aquam pluviam deferebant. Ductus principes eandem habent latitudinem, ubi exeunt ex Amphitheatro, ferebanturque alter quidem flumen versus, alter vero versus parvum ejusdem fluminis ramum, qui a nostris Atesiculus (*Adigetto*) appellatur, quo procul dubio exonerabantur. Decem millibus passuum ab Urbe reper-

A *sciugarla meglio, e più prontamente; e tanto più, che la piazza era sempre scoperta, e che ad essa concorreva nelle pioggie anche l'acqua, che d'ogn'intorno cadeva sopra la tenda, quale per natural pendenza sarà stata alquanto inclinata verso l'interno. Questo era dunque nell'Arena il Compluvio degli Antichi, spiegato da Isidoro per quel luogo* dove l'acque d'intorno convengono: *e mi penso, che il principal benefizio suo sarà stato di raccoglier lo scolo della superficie del campo, che restava più alta delle muraglie, e del coperto de' condotti, e che più importava d'aver ben'asciutta.*

B *Tutto il nero mostra condotti, quali trovansi nel mezo de' i tre corridori, e ancora per lungo e per traverso da un capo all'altro, senza incontrar mai muraglia fuorchè quella del Podio, il fondamento della quale resta forato sotterraneamente in due luoghi nel mezo. Niuno ha minor profondità di piedi sette, e son larghi, quel che va da una punta all'altra piedi quattro, e mezo, quel che attraversa piedi tre, once dieci; quello del corridor mezano once vensei, e poco più poco meno gli altri due.* C *I fondi sono d'un battuto durissimo, ma quello del condotto più grande è di gran lastre di pietra. Gli eliptici non comunicano con quello per lungo, ma ben con quel di traverso. Gl'incrocciati presso al centro sfuggono il pozzo circondato da muro, e si uniscono. I muri di questi condotti sono del solito lavoro con gli usati strati ogni tre piedi, di quadroni a tre mani, particolarmente nella cima. Sopra quadroni sono lastre del consueto marmo che copron tutto largamente, e formano pavimento, grosse non meno d'un piede, e large talvolta fino a* D *dieci. In questo ancora scorgesi lo stesso uso, che avvertimmo nel Capo secondo, di far liscio l'orlo, ma non il mezo ne' lati delle pietre, che debbono congiungersi insieme. Essendosi scavato innanzi l'altra maggior porta, ch'era anche allora la meno usata, si è trovato non esser quivi il condotto coperto di lastre, ma d'una grossissima volta, e due condotti minori da ciascun lato venirvi a mettere.*

E *L'uso di questi condotti era senz'altro per ricevere, e portar fuori le orine, e le immondizie, e non meno l'acqua piovana, che cadea su l'Anfiteatro. A queste cose avean saggiamente molta cura nelle lor fabriche, e gran magnificenza usavano anche in questo gli Antichi. In più luoghi rotondi fori son nelle lastre di sopra, per li quali alzando la pietra, che gli tura, potea scendere un uomo. Ho anche osservato nel basso del condotto trasversale, dove passa sotto la cinta interiore, una porticella con scaletta, che riusciva al terzo grado, dove pietra sarà stata amovibile. Ne' mu-*F *ri de' condotti d'intorno bocche si veggono di tanto in tanto: per esse metteano in questi recipienti molti canali, che dentro le muraglie, e lungo le scale erano disposti, e portavano dalle parti superiori l'orine, e gli scoli dell'acqua. I condotti maestri escono con l'istessa larghezza dall'Anfiteatro, e proseguivano l'uno verso il fiume, l'altro verso quel piccol ramo di esso, che si chiama dal nostro popolo l'Adigetto, dove senza dubbio doveano scaricarsi. A dieci passi fuor della porta si è però trovato un mi-*

tus tamen est minor quidam ductus, qui in majorem desinebat, per quem multarum etiam viarum aquæ in Atesim devolvi debuerunt. Cum sciamus, in Romanum Amphitheatrum, prout libuisset, induci potuisse tantam aquæ copiam, ut edendis navalibus pugnis sufficeret, credunt multi, in Veronensi quoque idipsum fieri consuevisse, adeoque in hunc finem amplos illos ductus fuisse extructos: equidem ego hac de re nihil ausim affirmate pronunciare; Atesis enim depressior est Arenæ campo, & aquæductuum neque mentio extat, neque vestigium ullum.

Cum in Tabula proposita sumpta sint quatuor centra, lineisque per puncta descriptis exarati bini circuli, binique circulorum arcus, ut indicarent, quænam sit ellipseos plateæ, adeoque totius Amphitheatri conformatio, cujus orbes ejusmodi internæ lineæ respondent, de hac re necesse est aliquid dicere. Nemo ergo non videt, postquam in opere appellata fuit ellipsis forma campi in nostro Amphitheatro, eam, quæ in Tabula est expressa, nequaquam posse mathematicam illius repræsentationem esse; cum contra pugnet mathematice, circuli arcum simul esse arcum ellipsis, imo arcum circuli atque arcum ellipsis uno plura communia continuata puncta habere posse, nisi forte esset arcus *infinitesimalis*. Quod in Tabula propositum est, purum putumque vestigium est conformationis pinguiori minerva descriptæ. Idque satis est Architecto, in quo ad unguem exacta perfectio abstractæque calculi Geometrici dimensiones non requiruntur: tantula enim est in angusto spatio inter vulgares, & mathematicos calculos differentia, ut quod ad praxin pertinet, negligi tuto possit. Sic exempli causa ad erigendam, locandamque columnam jacentem si ejus pondus ad calculos exigi deberet, cum accurata circuli quadratura non habeatur, sed solum per *approximationem*, res perfici accurate non posset; sed adhibita etiam mechanica quadratura error tam parvus erit, ut quantumvis minimum addatur vi motrici, id ad ipsum opus nihil omnino referat.

Ut tamen plateam Arenæ nostræ meliori in lumine collocemus, accuratiusque exponamus, addemus, per eam revera perfectam describi ellipsim, quæ nobis, ex ipsa duorum axium magnitudine suo loco indicata, satis nota redditur: nam quemadmodum dato solum majore axe infinitæ esse possunt ellipses, sic minore etiam determinato una plures esse nequaquam possunt. Eam vero ellipsim perfectam esse, novi hac ratione, duce Apollonio, qui demonstravit, duas quascumque lineas a focis ad idem ellipticæ circumferentiæ punctum ductas semper majori diametro æquales esse. Duos ergo funes secundum longitudinem, ac latitudinem extendendos curavi, qui duos axes referebant; tum alium majori parem ita duplicavi, ut dimidiam majoris longitudinem æquaret. Deinde altero ejus capite uni minoris axis extremitati innexo caput alterum ad axem majorem producendum curavi; in puncto contactus, focum notavi, qui remotus fuit a vertice pedes ferme viginti & unum; eodem modo alterum ex altera parte focum inveni. Postea explicato fune, innexisque ejus capitibus focorum designatis punctis, beneficio stili funem extensum detinentis jussi sic illum circumagi, atque animadverti, optime ambitui respondere, gradumque infimum lambere, excepto aliquo brevi tractu, ubi instaurationes curvaturam nonnihil vitiavere. Vera ad eundem modum ellipsis fuerit cujuslibet alterius Amphitheatri campus, & ab hac solum diversa pro varia axium magnitudine: etenim eadem

A *nor condotto, che veniva a metter nel grande, da cui si doveano portare all' Adige anche gli scoli di più strade. Il sapersi, che nell' Anfiteatro di Roma s' introducea volendo acqua in copia, talchè bastava a rappresentarvi combattimenti navali, fa credere a molti, che altrettanto si facesse nel Veronese, ed anche a questo servissero gli ampj condotti: ma intorno a ciò non ardirei veramente d' affermar nulla; perchè l' Adige è più basso che il campo dell' Arena, e d' acquedotti notizia non abbiamo, ne orma veruna.*

B *Essendosi in questo disegno, che di ciò ha dato il comodo, presi quattro centri, e con le linee punteggiate notati due cerchi, e due archi di cerchio; per accennar qual sia la conformazion dell' ovato come lo chiamano, della piazza, e per conseguenza anche di tutto l' Anfiteatro, i recinti del quale corrispondono a tal linea interna, è necessario alcuna cosa dirne. Ben vede ognuno, come dopo aver nell' opera chiamata elissi quella del nostro Campo, l' espressa nella Carta non può di essa esser matematica rappresentazione, ripugnando all' incontro matematicamente, che un pezzo*
C *d' arco di circolo possa essere anche d' elissi, anzi che un arco di circolo, e un d' elissi possano aver più d' un punto comune continuato, quando non fosse un arco infinitesimale. Quel che si mostra nel disegno, è solamente un cenno della conformazion sensibile, e mecanicamente rilevata. Tanto basta per l' Architetto, al quale la perfetta esattezza, e le astratte misure del calcolo Geometrico non si richieggono; così piccolo essendo in breve spazio lo svario da i volgari computi al matematico, che non si rende per le pratiche inspezioni osservabile. Così quando si dovesse a cagion d' esempio per dirizzare, e collocare una colonna*
D *giacente, fare il calcolo del suo peso, per non aversi la perfetta quadratura del cerchio, ma solamente per approssimazione, non potremmo farlo perfettamente; ma anche con una mecanica quadratura lo svario monterà sì poco, che per poco si si aggiunga alla forza motrice, all' operazione nulla rileva.*

Per dar però della nostra piazza contezza più precisa, aggiungerò, come si descrive veramente per essa una perfetta elissi, la quale ci si rende a bastanza nota dall' importar degli assi indicato a suo luogo; poichè siccome dato il maggiore solamente, le elissi possono essere infinite; così determinato anche il minore non potrà esser che una.
E *Che sia perfetta elissi, ho rilevato in questo modo, con la scorta d' Apollonio, che dimostrò, due linee procedenti da i fuochi, e condotte a unirsi in qualunque punto della circonferenza elittica, esser sempre uguali al maggior' asse. Ho fatto stendere per lungo, e per largo due corde, che rappresentassero i due assi; poi presane un' altra uguale al maggiore, l' ho addoppiata, e fatta diventar la metà di esso. Fermatone allora un capo in una delle estremità dell' asse minore, ho fatto tirar l' altro capo fino al maggiore: nel punto del toccamento ho segnato il fuoco, ch' è riuscito*
F *piedi ventuno in circa lontano dal vertice; indi all' istesso modo l' altro fuoco dall' altra parte. Sdoppiata poi la corda, e fermati i suoi capi ne' siti de' fuochi stessi, con uno stilo che in due linee la tenesse tesa, ho fatto girare attorno, e ho trovato, che ottimamente seconda il giro, e vien' a radere il più basso grado, fuorchè in qualche breve tratto, dove i risarcimenti hanno guasta la curvatura. Vera elissi sarà stata non meno quella d' ogni Anfiteatro, e variata solamente dalla*

procul dubio ac nostrorum temporum, etiam Veteres Architecti ratione uti debuerunt in ovali delineanda figura: quo pacto illam perfectam atque Apollonianam describebant, etsi ignorarent, polis ejus seu focis ita secari axem, ut segmentorum rectangulum quartæ figuræ parti, hoc est quadrato minoris semidiametri æquetur; quadratumque semiordinatæ, hoc est applicatæ, esse ad segmentorum axis quadratum, ut parameter, seu latus rectum est ad eundem axem; ac segmentorum majoris axis rectangulum ad idem applicatæ suæ quadratum esse in eadem ratione, quam habet majoris axis quadratum ad quadratum axis minoris; ac licet pariter ignorarent præclaras alias proprietates ellipsis, demonstrationesque post Apollonium a multis excellentibus ingenio viris, nuperrimeque a Patre Grandio excogitatas; neque nossent admirabiles, qui ab ea figura nascuntur, effectus sive in collectione, sive in reflexione luminis sonique; vel dignitatem, quam videtur adepta, postquam invecta in cælum est ellipsis, cum juxta peritiorum Astronomorum placita atque observata Planetæ non in orbitis circularibus, ut putabant veteres, sed in ellipticis suas periodos obeant. Opportunum est hoc loco monere, me in Amphitheatro nuper curavisse scalpris delineandum pluribus in locis Meridianum Urbis nostræ, ut in gradibus inferioribus ad lævam ingressionis partem, modicaque ab ostio distantia cernere licet. In eo conspicuo loco factum bene putavi originem lineæ figere, quam produci cuperem ex utraque parte per Territorium universum, imo ex una quidem parte ad Padum usque, ex alia vero propeusque Tridentum. Non omittemus illud monere, neminem debere credere, satis esse cognitionem, quæ manat a scientiis, ut probe ea, quæ pertinent ad Amphitheatrum, intelligantur, deque iis apte congruenterque sermo instituatur. Testis hujus rei exempli causa esse potest Volfius, ubi in Lexico suo Mathematico vocem hanc exponit.

Nihil dicendum superest, quod ad descriptionem pertinet Amphitheatri, per partes singulas ea, qua per me licuit, ratione demonstrata ejusdem structura. Aliqua solum observata possunt addi pertinentia ad fragmenta, & reliquias lapidum detectas, cum variis temporibus humus effoderetur. Diversum fragmentorum genus etiam modo, dum Tractatus hic typis imprimitur, detexit fulmen, quod incidens in interiorem angulum unius ex quatuor altiorum arcuum ordinibus perrupit, avulsitque duo ingentia inferiorum lapidum fragmenta. Non percussit tamen fornicem infra positum, neque ulli partium depressiorum alia damna importavit; imo ex ictus ratione, levique vulnere cuidam superiori lapidi inflicto apparet, vim atque impetum sursum versus propagatum fuisse; amplaque flamma ab iis, qui forte erant in via, momento temporis ante ipsum fulminis ictum supra inferiorem fornicem conspecta ostendit, eo nimirum loco fulmen genitum hoc est accensum fuisse; inde vero attenuatum ad partes superiores celerrime ascendisse: quod meam illam de fulminum genesi sententiam confirmat, quæ risu excepta primum, latius jam in dies propagatur, probaturque: vidi enim nuper libellum quendam latine scriptum, duobus ab hinc annis de hoc argumento in Germania editum a D. Richtero Philosopho Saxone, in quo Auctor non solum hanc opinionem amplectitur, sed etiam contendit, quidquid videatur insolentiæ præseferre, eam tanquam evidentem demonstrare. Quid vero si plures alias non minus graves ratio-

diversa grandezza degli assi; poichè doveano senza dubbio, anche gli antichi artefici valersi, come i nostri, dell'accennato modo per descriverne la oval figura: con che venivano a descriverla perfetta, e Apolloniana, benchè senza saper punto, che i suoi poli, o fuochi dividono talmente l'asse, che il rettangolo de' segmenti si uguaglia alla quarta parte della figura, cioè al quadrato del minor semiasse; nè che il quadrato della semiordinata, cioè dell' applicata, sta al rettangolo de i segmenti dell' asse, come il parametro, o lato retto all' asse medesimo, e il rettangolo de i segmenti dell' asse maggiore sta all' istesso quadrato della sua applicata, come il quadrato dell' asse maggiore a quel dell' asse minore; e senza saper parimente l'altre belle proprietà, e dimostrazioni, specolate dopo Apollonio da molti eccellenti ingegni, e ultimamente illustrate dal P. Grandi, senza avere udito i mirabili effetti che nascono da questa figura nell' adunamento o sia nella riflessione del lume, e del suono; o la dignità, che pare abbia conseguita dall' essere stata introdotta in Cielo, secondo l'opinione de i più valenti Astronomi, che trovano non esser circolari, come pensaron gli Antichi, ma elittiche l'orbite de' Pianeti. Cade qui in acconcio di avvertire, come nell Anfiteatro ho novamente fatto segnare con gli scarpelli in più luoghi il Meridiano della Città nostra, come si può vedere ne' gradi più bassi a sinistra entrando, e poco lontan dall' ingresso. In tal cospicuo luogo ho creduto bene di fissar l'origine della linea, che vorrei si prolungasse di qua e di là per tutto il Territorio, anzi da una parte fino al Po, e dall' altra fin presso a Trento. Non lasceremo di ricordare, ch' altri non creda bastar le cognizioni scientifiche per intendere, e per parlare aggiustatamente dell' Anfiteatro. Testimonio per cagion d'esempio ne può essere il Volfio, ove registra tal voce nel suo Lessico Matematico.

Nulla più resta a dire per la descrizion dell' Anfiteatro, dimostrata a parte a parte, per quanto da me si è saputo, la sua struttura. Alcuna osservazione si può solamente aggiungere sopra i rottami, e sopra i pezzi di marmo scoperti nello scavare, che in varj tempi s'è fatto. Diversa spezie di frammenti pur' ora, mentre questo Trattato si va imprimendo, ci ha fatto veder la Saetta, che cogliendo nell' angolo interiore d'una delle quattro arcate più alte, n'ha rotti, e staccati due gran pezzi delle pietre inferiori. Non però ha dato poi nella volta, ch'è sotto; nè ha fatto altro danno in parte più bassa, anzi dal modo della percossa, e da piccola ferita rimasa in pietra superiore, apparisce, come l'impeto, e il colpo fu di basso in alto; e l'ampia fiamma da chi era nella strada veduta un momento prima sopra l'inferior volta, mostra, ch'ivi appunto il fulmine si generasse, cioè a dir si accendesse, indi spiccasse assottigliato verso le parti alte il suo volo: confermandosene però quella mia sentenza della generazione de i fulmini, che dileggiata da prima, or va tutto giorno prendendo piede, essendomi poco fa stato mostrato un libretto Latino, stampato due anni sono sopra tale argomento in Germania dal Signor Richter Filosofo Sassone, in cui non solamente abbraccia questa nova opinione, ma pretende farla conoscere con tutta l'apparente sua stravaganza quasi evidente. Che sarebbe poi, se più

nes a me post epistolam a D. Ricterio versam atque relatam excogitatas, pluresque alias observationes per me ex eo tempore huc usque habitas adderem? Etiam vastum illud incendium in Amphiteatro excitatum ab eo fulmine, quod incidit Macrini tempore, credendi ansam præbere potest, ibi, non autem in sublimi aere, nubibusque genitum fulmen illud fuisse; sed hac de re alio tempore: agendum enim nunc est non de lapidum fragmentis vi fulminum avulsis, atque disjectis, sed de iis plurimis transmarini marmoris, quæ effossa humo prodierunt omnia fere vel ex puteo, vel ex principum ductuum fundo, maxime vero ad ostium majus, majorique frequentia tritum. Hinc sumi ansa posset effodiendæ telluris etiam Romæ ea spe fore, ut inveniantur, quæ sumptus abunde compensent. Fragmenta nobiliora postremum reperta fuere frusta quædam columnarum ex Africano, quarum in ima parte diameter pedem unum cum dimidio excedit: earum stylobatæ erant ex lapide nostrate: pars superior columnæ e Græco, cujus diameter pedes prope tres complectebatur; frustum crassæ semicolumnæ cum Doricis canaliculis: alia frusta columnarum minorum, cum strigibus admodum profundis, & capitulorum, operumque anaglypticorum: portio ingentis cujusdam coronæ cum mutulis, ac denticulis: fragmenta multa coronarum, aliarumque partium, ex quibus aliqua ex pulcro ophite. Præterea columella quædam trunca altitudine duorum pedum, crassitudine unciarum octo & aliquid amplius, ex quodam Ægyptio a me nunquam alias, quod sciam, inter antiqua marmora observato; quod ad macularum rationem attinet, proxime accedit ad Numidicum, punctis tamen adeo minutis non distinguitur; colorem præsefert prope subrufum, tam speciosum vero, ut tam facile pulcrior lapis ullus inveniri nequeat, distinguitur lucidis particulis pulcherrimis minuta Achatis fragmenta, vel argenti fasciolas specie referentibus: quæ res ad memoriam revocavit marmor illud a P. Mabillonio Ravennæ observatum, cui putavit ille uniones fuisse insertas. Repertum est etiam caput ex marmore Pario satis artificiose elaboratum, quod caput erat statuæ hominem referentis justa magnitudine duplo majorem; oris conformatio nulla erat ex iis, quæ agnoscuntur: denique dimidium crus equinum ex ære, & pars rictus, cujus erat justa magnitudo, & modus satis elegans.

Ubinam ea, quorum istæ partes sunt, sita essent, non est tam facile conjectare. Fortasse non omnia pertinent ad Amphitheatrum, cum in eo seponi olim solita fuerint fragmenta, ac reliquiæ aliarum quoque partium. Sunt adeo exiguarum columellarum ex Africano & Græco frusta, ut certo conjici posse videatur, eas in Podii septis extitisse: in eo etiam credibile est positas certis in locis columellas alias paulo majores, pariterq; ophites, ac marmora lectiora fuisse. Aliqua etiam modicæ magnitudinis statua potuit esse in Podio, quemadmodum nonnullas in Podio Circi extitisse novimus. Semicolumnas canaliculatas credibile est fuisse ad duos campi interiores aditus. Africanæ columnæ fortasse adhibitæ in majori externo ostio fuerunt: in eo enim loco inventæ erutæque sunt. Equi ænei quibus in locis fuerint, docent numi: supra majus enim Colisei ostium quadrigam ostendunt, qua, cum posita primum fuit, ad Tiberii triumphum adlusum fortasse fuit: ac videlicet eodem in situ duo illa nostra fragmenta in medio ductu reperta nuper sunt. Ex quo apparet hoc etiam Amphitheatrum ejusmodi ornatu insigne ex-

altre, e non men forti ragioni da me pensate, dopo la Lettera tradotta, e riferita dal Sig. Richter, e se più altre osservazioni aggiungessi, che da quel tempo in qua son' andato facendo? Anche il vasto incendio, cui destò nell' Anfiteatro quel fulmine, che vi diede in tempo di Macrino, può far arguire, ch' ivi, e non nell' alto dell' aria, e delle nuvole si generasse; ma di ciò in altra occasione, dovendosi parlar' ora, non de' pezzi di pietra staccati e sparsi dalla Saetta, ma de' moltissimi rottami di marmo oltramarino usciti nello scavare, quasi tutti o dal pozzo, o dal fondo de' condotti maestri, massimamente nel sito della porta più nobile, e frequentata. Da questo potrebbesi prender' animo a scavare in Roma, per la fiducia di ritrovare, onde abbondevolmente compensar la spesa. I frammenti più singolari dell' ultimo cavamento sono stati, alquanti pezzi di colonne d' Africano, il fondo delle quali cresce d' un piè e mezzo di diametro; aveano i piedestalli di pietra nostrana: la parte superiore d' una colonna di Greco, diametro quasi di tre piedi: un pezzo di grossa semicolonna con canalatura Dorica: altri pezzi di colonne minori accanalate molto profondamente, e di capitelli, e di bassi rilievi: parte di gran cornice con modiglioni, e dentelli: frantumi molti di corniciamenti, e d' altre parti, alcuni de' quali di bel Serpentino. Appresso una colonnetta tronca alta due piedi, grossa once otto crescenti, d' un Egizio, che non mi sovviene aver più osservato tra' marmi antichi: nel modo della macchia s' accosta al Granito, ma non è punteechiato sì minutamente; nel colore pende al rossiccio, ma così gentile, che non di leggeri si rinverrà il più bello, ed è seminato di lucidi vaghissimi, quasi pezzetti d' agata, o striscette d' argento; il che mi ha fatto sovvenire del marmo osservato dal P. Mabillon in Ravenna, nel quale ei si credette fossero state incastrate delle gemme. Si è ritrovata altresì una testa di marmo Pario di buona maniera, ch' era di statua d' uomo al doppio del naturale; la faccia non è delle conosciute: finalmente una mezza gamba di cavallo di bronzo, e parte del muso, grandezza al naturale, e molto buona maniera.

Dove fosse situato l' intero di questi pezzi non è agevol cosa d' immaginare. Forse non appartengon tutti all' Anfiteatro, essendo esso in alcun tempo stato ricetto de' rottami, e de' rifiuti d' altre parti ancora. Pezzi ci sono di colonnette sì piccole d' Africano, e di Greco, che può sicuramente arguirsi servissero a i balaustri del Podio: in esso ancora saranno state impiegate a certi siti le alquanto più grandi, e così i Serpentini, e altri marmi scelti. Qualche statua di poca grandezza potea esservi ancora, come sappiamo, che alcune ve n' erano su quel del Circo. Semicolonne canalate è credibil fossero alle due porte interiori del Campo. Le colonne Africane saranno state impiegate nella maggior porta esteriore, quivi essendosi disotterrate. I cavalli di getto insegnano le medaglie ove fossero, perchè ci mostrano sopra la maggior porta del Coliseo una quadriga, con cui quando vi fu posta, si alluse forse al trionfo di Tito: nell' istesso sito appunto si son trovati ultimamente in mezzo al condotto i nostri due pezzi. Ecco però come quest' Anfiteatro ancora era ricco di tale ornamento;

titiſſe; ut proinde tum ex hoc, tum ex aliis, quæ indicata hic ſunt, conſtare poſſit, quam recte judicaverint exteri illi ſcriptores, qui ædificium hoc inter opera rudia, ac ruſtica referendum eſſe cenſuerunt. Ex his inſignibus reliquiis, maxime vero ex fragmentis columnarum videtur illud confirmari, quod ad numos declarandos libro primo indicavi; hoc eſt pro principe oſtio Veſtibulum pluribus columnis inſigne, & ab ædificio reliquo tum materia tum opere diſtinctum extitiſſe: ſupraque ipſum fortaſſe locatus æneus equus fuit. In alterius oſtii priori illi reſpondentis ſitu nihil eſt repertum memoratu dignum. Ut de Coloſſeo quoque invento capite aliquid conjectando dicamus, obſervare licebit, in Alexandri & Gordiani numis, expreſſum prope Amphitheatrum Coloſſum eſſe: fortaſſe idem fuit & in Veronenſi Amphitheatro. Sed in maximo Alexandri numo alia apparet ſtatua præterea ſub Veſtibulo diverſa ratio ie refecto, ac in numis Titi conſpicitur. Cum in eodem repertum ſitu caput fuerit, credere licet, hic quoque prope aditum aliam ejuſmodi ſtatuam conſtitiſſe. Non eſt tacendum, fragmenta ipſa ad rerum multarum notitiam iis facem interdum præferre, qui eadem norint prudenter expendere. Obſervatum cauſa exempli eſt in ima columnarum ſingularum parte, aſtragalum, qui zonam conſtituit, conſueviſſe ab antiquis aliquanto altius ab ipſo columnæ trunco, ſeu corpore ſtatui, adeo ut onus non inferret: quod cum noſtrorum Artificum multi, qui contra depreſſius faciunt centrum, ac medium, non advertant, nec exequantur, ſæpe videmus fractum ipſum aſtragalum, labefactamque extremam columnam. Sed neque illud prætermittendum eſt, quod ego magna cum voluptate in paulo ante memoratis equi reliquiis obſervavi: metallum enim pulcherrimum eſt, flavum, pretioſaque mixtura conſtans. Præterea vero fragmentum capitis totum contextum, atque ut ita dicam vermiculatum eſt eleganter in longitudinem tenuibus faſciolis, ac diſcriminibus, inter quæ intercedit multiplex notata punctis foliorum varietas. Folia hæc ſunt ex ære ſubruſo, ut proinde in diverſo colore fundi, tanquam tela quædam acu eleganter picta, venuſtiſſimam ſpeciem referre debuerint. Ad hæc ſub aure pars quædam eſt quadratæ figuræ, in qua pro emblemate vermiculato in longitudinem producto folia procedunt in tranſverſum, ſoloque argento inducto efformata ſunt, ita tamen, ut per dies plures opus ex argento ſolido creditum fuerit. Quam vivaces fuerint & quam diuturno tempore inductam ſpeciem ſervarent res ab antiquis inauratæ nemo ignorabat; ac Senator de Bonarottis in ſuo opere de Maximis Numis Muſei Carpegnæ, initis calculis ex quodam Plinii loco collegit, quanto aurea folia apud Veteres uſitata noſtris fuerint craſſiora, modumque notavit, quo in hiſce operibus antiqui utebantur. Jam ex hoc ſtatuæ fragmento innoteſcit etiam, quanta eſſet rerum ab ipſis inducto argento oblitarum perfectio, ac duratio, a quo ratio Artificum noſtrorum magis etiam diſtat: diſcitur quoque indicatus ille modus ſane operoſus atque ingenioſus ornandorum operum ex metallo, commiſſuris nempe, atque emblemate vermiculato, quem modum puto nunquam antehac fuiſſe obſervatum: ſolum enim ſtatuas inaurandi morem frequentiſſimum fuiſſe novimus, quem tamen credo hunc extitiſſe, ut non totæ omnino inducto auro tegerentur, ſed earum tantummodo partes quædam: quæ res videbatur eſſe congruentior, majoremque ſtatuis ipſis elegantiæ formam inducebat, quemadmodum ex quibuſdam inſigni-

A *onde sì da queſto, come dal rimanente qui accennato, ſi può ravviſare, quanto l' abbiano ben' inteſa quegli ſtranieri, ch' banno creduto queſt' edifizio coſa roza e villana. Sembra confermarſi da queſte inſigni reliquie, e ſingolarmente di colonne, ciò che nel primo libro per dichiarar le Medaglie accennai, cioè che innanzi alla principal porta foſſe Veſtibolo nobilitato con più colonne, e diſtinto dal rimanente della fabrica sì nella materia, sì nel lavoro: Forſe era ſopra di eſſo collocato il cavallo di bronzo. Nel ſito dell' altra porta corriſpon-*
B *dente non ſi è trovato pezzo conſiderabile. Per congetturar qualche coſa della teſta di marmo coloſſeſca, oſſerviſi nelle Medaglie d' Aleſſandro, e di Gordiano, figurato a canto dell' Anfiteatro un coloſſo; forſe però era qui altrettanto. Ma il Medaglion d' Aleſſandro un' alta ſtatua moſtra in oltre ſotto il Veſtibolo, in diverſa forma rifatto da quella che appariſce nelle Medaglie di Tito. L' eſſerſi ritrovata nell' iſteſſo ſito la teſta può far credere, che altra ſimile foſſe qui a canto dell' ingreſſo. Non è da tacere,*
C *come i rottami ſteſſi molto inſegnan tal volta a chi ſa conſiderargli. Si è oſſervato a cagion d' eſempio in ogni fondo di colonna, come il tondino che fa orlo, ſi tenea dagli Antichi alquanto più alto del vivo, o ſia del corpo di eſſa, talchè non portaſſe peſo: per mancar della quale avvertenza molti de' noſtri arteſici, che fanno all' incontro più incavato il centro, e il mezo, veggiam ſovente rotto il tondino ſteſſo, e guaſto il finimento della colonna. Ma non è da traſandare altresì ciò, che con molto piacere ho oſſervato negli avanzi del cavallo ſopra-*
D *detti: perchè il metallo n' è belliſſimo, giallo, e di ricca compoſitura. Ma in oltre il pezzo della teſta è tutto rimeſſo, e per così dire intarſiato vagamente per lungo di ſottili ſtriſce, e ripartimenti, tra i quali ricorrono varj fogliami puntecchiati. Queſti riporti ſono di rame roſſiccio, che nel diverſo colore del fondo doveano campeggiare mirabilmente, quaſi ricamo. In oltre ſotto all' orecchio è un quadro, dove in vece di rimeſſo per lungo il fogliame vien per traverſo, ed è formato da ſemplice inargentatura, ma tale, che per più*
E *giorni è ſtata da tutti creduta riporto di ſolido argento. La vivacità, e perpetuità delle dorature antiche era nota a tutti; e il Senator Bonarroti, nella ſua Opera ſopra i Medaglioni del Muſeo Carpegna, ha già calcolato per un paſſo di Plinio di quanto le foglie d' oro uſate da gli Antichi foſſero più groſſe delle noſtre, e avvertito il modo da eſſi tenuto. Ora per queſto pezzo di ſtatua ſi rende nota anche la perfezione, e durevolezza delle loro inargentature, dal che il lavorar moderno è ancor più lontano: e*
F *s' impara altresì l' accennata operoſa, e ingegnoſa maniera d' adornamento nell' opere di metallo, cioè con incaſtrature, e riporti, quale io non credo eſſerſi più ſcoperta, notizia eſſendoſi ſolamente avuta dell' uſo frequentiſſimo d' indorar le ſtatue, il che io credo però, ſi faceſſe d' ordinario, non già coprendole d' oro interamente, ma ſpezzatamente fregiandone alcune parti, il che avea maggior proprietà, e rendea maggior vaghezza, come da alcune inſigni ſtatuet-*

bus parvisque statuis antiquis ex metallo, quæ penes me sunt, videor mihi posse certo colligere.

Addam ad extremum, eum, cui, quod dicitur, cor sapiat, quique universam ædificii hujus œconomiam expendere accurate velit, non posse non fateri, nihil esse aut perfectius illo, aut admirabilius a magnificentia, & ab arte excogitatum. Satis est considerare, an ipsi possemus unquam, si forte oculis nostris non obversaretur, architectari ejusmodi constructionem, quæ majus spatium non occupans tot millia spectatorum caperet, adeò ut alter ab altero minime impediretur; in qua tam multæ essent adituum distinctiones, atque discrimina; in quam facile liceret ingredi, & inde egredi prope innumerabilem hominum multitudinem brevissimo spatio temporis sine turbis, & confusione; in qua tam conveniens distributio scalarum esset, atque exituum in gradus superiores; in qua demum tot loca præsto essent multiplici usui opportunissima, quin tamen congruentiæ, atque orthographiæ internarum externarumque partium quidquam officeretur. Quid si contueri fas esset partem supremam, vias, & scalas, quæ ad summas porticus, supraque ipsas ad supremam usque ingentem coronam deducebant? quid dicam de luminibus tam multis? quid ea referam, in quibus passim summa industria, ac prudentia elucet Architecti? Quarum rerum quam difficilis inventio fuerit, facile intelligemus, si voluerimus cogitare, quam feliciter res cesserit Antiquariis, & Architectis nostrorum temporum, qui ex iis multis, quæ adhuc superant, supplere solum voluerunt in suis deformationibus partem illam, quæ periit vetustate; prætereaque idipsum patebit, si cogitemus etiam, quam parum ea ipsa, quæ supersunt, recte sint intellecta. Debita ergo tribuatur laus nostris illis civibus, qui providentia curaque sua, opportunisque identidem factis instaurationibus effecerunt, ut ex tot temporum casibus ereptum ad nos usque præclarum hoc veteris magnificentiæ & artis monumentum perveniret. Posteros vero etiam atque etiam hortemur, ut velint eandem in curam incumbere. Maxime autem invigilandum est murorum structoribus, si forte contingat, ut huic operi admovere manum debeant, & cavenda detrimenta ab iis qui in Arena moram agunt, sæpe solita importari. Sapienter factum, quod nostræ Civitatis Moderatores ea loca, quæ cæteroquin inutilia forent, locant, opportunissimeque quidquid emolumenti inde colligitur, quandocumque res postulat, in bonum Arenæ ejusdem impendunt: sed præstaret illa locare iis, qui ligna, fœnum, aliasve merces ibi asservarent, vel qui stabula constituerent, aut ea possiderent ad alios ejusmodi usus, qui familiæ præsentiam ac moram non requirunt, quod si tamen familia aliqua admittenda illuc esset, propositis gravibus pœnis interdicendum foret, nequis parietibus manus injiceret, ne hiatus aperiret, ne intus extrueret novos muros, quibus inique omnia deformarentur, ne quas artes exerceret, quæ opus ulla ratione corrumpant, aut deturpent. Incolæ ejusmodi interdum Vandalos, Gothosque æmulantur, dum ritu barbaro, summoque labore parietes illos perforant atque perrumpunt, quos tot sæculorum duratio sacravit, partesque illas transformant, ac deturpant, quæ sui admiratores contemplatoresque præclara tot rerum notitia exornant.

te antiche di metallo, che io possego, parmi di poter ricavare sicuramente.

Ricorderò finalmente come chiunque abbia fior di senno, e voglia prendersi piacere di esaminar bene l' intendimento di quest' edifizio tutto, sarà costretto a confessare, che niente di più perfetto, e di più ammirabile ideò la magnificenza, o pensò mai l' arte. Basta farsi a considerare, se darebbe a noi l' animo, quando non l' avessimo innanzi a gli occhi, di architettare una costruzione, qual senza occupar maggior sito, desse luogo a tante migliaia di spettatori, talchè dall' uno non venisse punto impedito l'altro; e con tante distinzioni, e separazioni d' ingressi; e con facilità d' entrare, e d' uscire in brevissimo spazio di tempo, senza confusione o disturbo; e con sì aggiustato divisamento di scale, e d' uscite ne' superiori gradi, e con tanta opportunità di luoghi per varj usi senza guastar punto la corrispondenza, e i prospetti, nè per di dentro, nè per di fuori. E che sarebbe, se potessimo vedere la più alta parte, e le vie, e le scale, che alle logge, e sopra di esse fino al cornicion supremo guidavano? Che dirò delle tante avvertenze, che de' ripieghi, e de' lumi? Quanto ne fosse difficile l' invenzione, può raccogliersi dall' osservare, come sien riusciti i moderni Antiquarii, e Architetti nel voler solamente da quel molto che rimane, supplire in disegno la parte, ch' è già distrutta; e si può altresì raccogliere dal ravvisar chiaramente, quanto poco ciò, che pur si vede, finora sia stato inteso. Diasi dunque lode a quei Cittadini nostri, che col lor saggio provedimento, e attenzione, e con l' opportune ristaurazioni di tempo in tempo, ci hanno conservata a dispetto di tante vicende questa superba reliquia dell' antica intelligenza, e grandezza. Calda esortazione indirizziamo a' posteri nell' istesso tempo, per continuar sempre nell' istessa cura. Sopra tutto è da vegliar molto sopra i muratori, quando accada, che vi debbano metter mano, e sopra i danni, che spesso inferisce chi abita dentro. Saggiamente il nostro Publico affitta que' luoghi, che per altro sarebbero inutili, ed ottimamente s' impiega, quando occorre, in benefizio dell' Arena stessa il prodotto delle sue viscere: ma converrebbe concedergli sempre a chi ne facesse magazini di legname, di fieni, o di mercanzie, e ancora stalle, e simili usi, che non richieggano abitazion di famiglie: e quando pure alcuna convenisse ammetterne, proibir sotto gravi pene il metter mano ne' muri, il farvi fori, il fabricar dentro nove muraglie, deformando ogni cosa iniquamente, e l' esercitarvi mestieri, che guastino, o deturpino in verun modo. Costoro son talvolta i veri Vandali, e i veri Goti, forando barbaramente, e con somma fatica rompendo quelle mura consacrate dalla durazione di tanti secoli, e quelle parti in più modi trasformando, e bruttando, che tante cose insegnano a chi le comprende.

CAP. ULTIMUM.

Finis operi imponitur subtexta Tractatione de Polano Theatro, quod hactenus creditum est Amphitheatrum.


Cum ex compendiaria quadam descriptione brevique notitia, quam de Arena nostra institueram primum referre, impelli me, novarumque detectarum rerum voluptate trahi sensi, ut cumulate agerem de Amphitheatro; statim in mentem venit Polam ire Istriæ Urbem, de cujus celebri Amphitheatro varios sermones circumferri acceperam. Sed cum hyemalis tempestas, aliaque negotia plura iter hoc, quod milliaria Gallica centum paulo excedit, si Venetiis digrediaris, per aliquot menses inhibuissent, paulo post ad eam Urbem devectus confecto jam opere necesse habui delere, ac mutare fere omnia, quæ librorum, rerumque relatarum fidem sequutus hac super re scripseram.

CAPO ULTIMO.

Si dà fine con la relazione del Teatro di Pola, creduto Anfiteatro finora.

Alloraché da una sommaria descrizione, e da una breve notizia, ch' ebbi prima in animo di stendere dell' Arena nostra, mi trovai a poco a poco impegnato, e dal piacere de' nuovi scoprimenti condotto, a trattar pienamente dell' Anfiteatro; vennemi tosto in animo di passare a Pola nell' Istria, del famoso Anfiteatro della qual Città mi veniva parlato molto variamente. Ma essendomisi dalla stagione invernale, e da più affari impedito per alcuni mesi il tragitto, che da Venezia a cammin Franzese è poco più che di cento miglia, passatovi poi dopo compito già il mio Trattato, mi è convenuto levare, e mutar tutto ciò, che su la fede de' libri, e delle relazioni in tal proposito da me si era scritto.

Recinto di Pola. Tav. XV.



Pola postrema Italiæ cis Arsiam Urbs, qua Istria in Adriaticum mare porrigitur, sita est tam feliciter, ut mirum minime sit, si olim ampla, ac dives extitit, quemadmodum vetera ejus monumenta indubitate demonstrant. Sedet ea, non secus ac Spedia in Agro Lunensi, in extremo quodam amplo sinu, non uni tantum, sed pluribus etiam classibus recipiendis accommodato. Constituitur sinus ad dexteram quidem continenti, ad sinistram vero quadam terræ lingua, quo fit portus insignis ab omnibus ventorum injuriis tutissimus. Ostium ad occasum est, latitudinis habet paulo plus, quam milliare dimidium, atque ab hostibus facile posset utrimque defendi. A venti injuriis protegitur quadam Insulæ producta cuspide, seu quodam in longum porrecto scopulo, quem dicunt Pullarias, quique protractus etiam infra superficiem maris totum ostium protegit. Fundus continere navigia optime potest, receptaque bellica vastæ licet magnitudinis navi pars adhuc abundat. Triremes, ac alia navigia ingentis molis ad continentem accedunt tam prope, ut ponte pluribus in locis comitti possent, mercesq; tum efferri, tum inferri percommode. Distat ostium ab Urbe tribus fere millibus passuum. Intus tres parvæ insulæ sunt in latitudinem dispositæ, in quarum una, cui nomen insula S. Andreæ, extructa Arce, facile

Pola, ultima Città dell' Italia di qua dall' Arsa, dove l' Istria si spinge più avanti nell' Adriatico, è così felicemente situata, che non è maraviglia, se grande già fosse, e doviziosa, come le sue antichità infallibilmente dimostrano. Siede appunto come la Spezie in Lunigiana, in capo a un ampio seno, capace di dar ricetto, non ad una solamente, ma a più Flotte. Formasi il seno dal continente a destra, e da una lingua di terra a sinistra, venendone a riuscire un incomparabil porto sicurissimo da tutti i venti. La bocca è a Ponente, ha poco più di mezo miglio di larghezza, e potrebbe di qua e di là facilmente anche da nimici guardarsi. Da gl' insulti del vento resta difesa per la punta d'un' Isola, o sia d' un lungo scoglio detto Brioni, che continuando anche sott' acqua, viene a coprirla tutta. Il fondo è ottimo tenitore, e molto n' avanza per ogni gran nave da guerra. Galere, e bastimenti grossi vanno sì presso a terra, che potrebbero in più luoghi buttar ponte, e caricare, e scaricare con tutto comodo. Dalla bocca alla Città è distanza presso che di tre miglia. Ha dentro tre Isolette disposte per largo, in una delle quali detta di S. Andrea piantando un Forte, si

esset prohibere navigia, quominus longius procederent, quæ quidem navigia penetrare ad ulteriora nequeunt nisi per canalem unicum inter ipsam, atque in insulam S. Petri interfluentem. Adest etiam quædam terræ lingua, seu parva peninsula, quæ alterius muniminis loco est ex una parte, atque in parte magis interna prope urbem alia Insula, quæ densa silva circumsepta est, & olivis frequentibus consita. Ad partem utramque dilatatur mare, atque ad urbis dexteram magno intervallo porrigitur. Ibi inter ipsam atque Arenam enascitur fons, salubris aquæ prædives, quem ambit hemicyclus graduum antiquiore ætate confectus. Totus ager circum assurgit in tumulos fertiles, si excolantur, herbisque medicis, atque odoratis refertos. In pluribus Cassiodorii Epistolis videre licet, non oleum modo, vinumque, sed etiam frumenti vim magnam ex Istria deportari Ravennam consuevisse, quoties res postularet. Piscatio est admodum dives, neque ut uno verbo complectar omnia, videtur quidquam desiderari in ea regione præterquam incolarum frequentia, atque industria.

Insignes sumptuosissimorum ædificiorum probaque ætate confectorum reliquiæ, quæ in aliis Istriæ, aliorumque proximorum locorum partibus non inveniuntur, procul dubio demonstrant, Polam fuisse reliquarum Urbium principem in ea provincia; & credibile est hanc ob splendorem, opesq; antiquis temporibus eum locum obtinuisse, quem postea obtinuit Aquileja in Carnis sita, Venetiæ inferiori postea tributa, Istriæ proxima. Numi, qui in Polano agro ex humo effodiuntur, fere omnes ad primos Imperator. pertinent. Portus opportunitas in causa primum fortasse fuit, ut eo advehérentur orientis merces, quæ postea cæperunt Aquilejam importari. Quam antiqua Urbs fuerit, indicat ejus fama, quæ ab ipsis Melæ, ac Strabonis temporibus a Colchis ferebat conditam fuisse. Primis Imperii temporibus hanc Urbem eminuisse, reliquasque regionum illarum splendore antecessisse, ex eo apparet, quod deducta illuc vel per Cæsarem, vel per Augustum Colonia fuerit, ab eorumque alterutro donata præterea, atque honorata nomine *Pietatis Juliæ*, ut ex Plinio novimus. Id fecisse potuit Cæsar, cum Istri ac Dalmatæ simul cum Galliis ad ejus Provinciam pertinuerint; ut proinde Polæ procul dubio is fuerit, cum etiam in Illyricum iverit, utpote Præses ad agendos conventus judiciales. Probabilius est tamen coloniam hanc deductam fuisse ab Augusto, qui per Italiam universam Colonias octo & viginti constituit; tum quia Juliarum nomen Urbibus impositum frequentius ab Augusto, quam a Cæsare manavit; tum quia illustre beneficii, gratique Civium animi monumentum videtur esse Templum illud, quod in ipsa Urbe stat adhuc Deæ Romæ, & Augusto sacrum. Suspicari etiam fortasse liceret, nomen (specie latinum) Polæ sumptum ab ea Urbe fuisse, vetere dimisso, in memoriam ingentis cujuspiam beneficii a Pola Agrippæ sorore vel tributi, vel impetrati, quam ob insignia extructa ædificia Dio commemorat. An probabilius esse judicabimus, nomen hoc Illyrium esse? apud eam gentem enim *polia* planitiem significat, ut *planina* montem: *Polonia* sic appellata fuit, quia aperta regio est; neque refert Polanam regionem in colles passim attolli, cum proficisci *u poliu, in agrum* dicatur ubicumq; montes non sint itineri, circumspectuique adversi.

l. 3. c. 19.

l. 54. Πω- [illegible]

Ut ad antiquitatis reliquias veniamus, nescio an invenire ullam aliam urbem liceat, in qua tam feliciter adeo præstantia, magna atque integra fuerint conservata monumenta. Princeps Au-

A *potrebbe facilmente impedire l'ulterior passaggio a i legni grossi, che per internarsi hanno un sol canale tra essa, e quella di S. Pietro. V' è altresì una lingua di terra, o sia penisoletta, che fa nuovo riparo da un lato, e più addentro presso la Città altr' Isola, ch' è tutta foltamente inselvata, e coperta d'ulivi. Di parte e d'altra il mare s' allarga, e su la dritta della Città assai s' inoltra. Quivi tra essa e l' Arena, a pochi passi dal mare, è una sorgente di buon' acqua molto abbondante, che ha intorno un semicerchio di gradini lavoratovi molto d' antico. Il territorio all' intorno* B *ha collinette, fertili ove sien coltivate, e piene di semplici, e d'erbe odorifere. Vedesi in più Epistole di Cassiodorio, come non solamente olio, e vino, ma quantità di grano si cavava in occasion di bisogno dall' Istria per Ravenna. La pesca è molto ricca, nè altro manca in somma al paese se non popolazione, e operosità.*

Le insigni reliquie di sontuosissimi edifizj, e nella buona età lavorati, che non in altra parte dell' Istria, nè delle prossime parti si trova- C *no, mostran con sicurezza, che questa fosse già la primaria Città di quel tratto, e possono far credere, che tenesse per lo splendore, e per la ricchezza quel luogo nel secol' alto, che nel secol basso tenne Aquileia, situata ne' Carni, e attribuita poi alla Venezia inferiore contigua all' Istria. Le Medaglie, che nel distretto di Pola si disotterrano son quasi tutte de' primi Imperadori. L' opportunità del suo porto invitò forse prima a farvi capo le mercanzie d'Oriente, che poi lo fecero ad Aquileia. Di quanto fosse antica fa indizio il grido, che fino a' tempi di Mela, e di Strabone correa, d'essere stata fondata da'* D *Colchi. Che ne' prim' anni dell' Imperio Città splendida fosse, e superiore all' altre de' suoi contorni, appare dall' esservi stata condotta Colonia o per Cesare, o per Augusto, e distinta in oltre e onorata dall' uno d' essi col nome di* Pietas Julia, *come s' impara da Plinio. Potrebbe averlo fatto Cesare, essendo gl' Istri, e i Dalmati stati insieme con le Gallie di sua Provincia, onde a Pola sarà stato certamente, essendo passato anche nell' Illirico, per tenervi come Preside i Conventi giudiziali. Più probabile è tuttavia il riferirla ad Augusto, il quale vent' otto Colonie sparse per tutta Italia: sì perchè il* E *nome di Giulie dato alle Città venne più spesso da lui, che da Cesare; e sì perchè nobil memoria del benefizio, e della gratitudine de' Cittadini si pare il Tempio, che dentro la Città ancor sussiste, consecrato alla Dea Roma, e ad Augusto. Sarebb' egli lecito di sospettare, che il nome (Latino in apparenza) di Pola fosse stato assunto da questa Città, lasciando l'antico, a motivo d' alcun benefizio importante conceduto, o impetrato da Pola sorella d' Agrippa, per gl' insigni edifizj da lei fatti mentovata da Dione? O crederem più probabile, che tal nome sia Illirico? mentre* polia *in quel linguaggio* F *vuol dir pianura, come* planina *vuol dir montagna:* Polonia *fu così detta per esser regione aperta, nè importa che il paese di Pola abbia colline, dicendosi andare* u poliu, *alla campagna in ogni parte, dove monti non siano, che il cammino, e la veduta interrompano.*

Venendo alle antichità, non so qual altra Città si trovi, che sia stata così felice in conservarne pezzi così nobili, così grandi, e così interi. Il primo Autore, ch' io trovi aver di esse

ctor, quem de ipsis fecisse mentionem invenio, est Petrus Martyr de Angheria Mediolanensis, qui Regum Hispaniæ Fernandi, atque Elisabettæ Legatus fuit apud Venetos, atque apud Regem Babylonis anno 1501. Hic iter suum descripsit, in eoque narrat, se Venetiis Polam, in cujus portu quinqueremes ipsum opperiebantur, advectum, in ea Urbe conspexisse *duo antiqua Theatra*, Arcumque cum Inscriptionibus, ac multa lapidea monumenta, quorum ferme quadraginta transcripsit, ac retulit. Post hunc fuit Architectus eximius Sebastianus Serlius, qui operis sui libro tertio de Theatro, de Amphitheatro, & de Arcu tractavit, eorumque orthographiam, ichnographiam, partesque exhibuit: orthographiam Amphitheatri, ut creditum fuit, ab eo descripsit Justus Lipsius: Palladius duo vetera Polæ Templa deformavit. Sæculo superiore Antonius de Ville Machinator, Arcisque, quæ in præsentia conspicitur, constructor, qui scripsit etiam de Architectura militari, adeo ut inter principes hujus disciplinæ magistros recenseatur, narrationem quandam vulgavit, in qua de Arcu, de uno ex duobus templis egit, ipsamque Arenam leviter attigit, etsi omnia pingui minverva, ac satis prave delineavit. Hodierna die Arcus stat adhuc integer, pariterque commemoratum templum, quemadmodum & alterius contigui, planeque similis, ac respondentis pars posterior; neque scio, an alio in loco extent capitula, & coronæ, & zophora Corinthia adeo referta delicatis scalpturis, ac tam pulcre conservata. Tabulæ in publicum editæ ansam credendi præbent hæc longe esse diversa, ac revera sunt. Ex Inscriptionibus solum quinque inveni superesse; reliquæ enim misere periere infertis lapidibus nuper nescio cui ædificio recens extructo, perinde quasi lapidum penuria illa regio laboraret.

Audivi Venetiis, qui in eam Urbem vellent Polanam Arenam transferri ea ratione, quam ego indicavi, ubi de transferendo Augustam Taurinorum Susano Arcu verba feci. Sed ad opus tam ingens Venetos ego nunquam hortarer ob causas plures: dicam tamen, multo plausibilius fore, Arcum, magisque conservatum ex duobus parvis Templis deportare; quæ monumenta pauci illi, ac fere alienigenæ incolæ parum curant: quæ res ludum Architecturæ utilissimum aperiret, ac omnes doceret, quemadmodum opus Corinthium perfici debeat, & quanto fuerint venustiora, atque elegantiora antiquorum opera, prudenter sciteque digesta, quam quædam nostrorum temporum ineptiis plane referta. Sed quoniam non desunt, qui contra putent ejusmodi transportationes peragi nullo pacto posse, addam nunc, juxta rationem a Romanis in usu positam in nobilioribus ædificis, atque alibi a me descriptam, rem neque ipsis ignotam, aut novam fuisse, ædificia eadem ab uno in alium locum transferre: cujus rei testis est Spartianus, ubi narrat Adrianum præter ædificia multa ab ipso constructa *ædem Bonæ Deæ transtulisse, & Colossum stantem, atque suspensum*. Mirum sane fuit hic Colossum *stantem* transferre: quare Historicus nomen refert Architecti, qui fuit Detrianus: nihil tamen mirum ædem transferre; ejus quippe muri constare debuerunt etiam ipsi non ex lateribus, saxisve, sed ex petris ingentibus sine calce mutuo devinctis, cujusmodi sunt videlicet Polanarum ædium parietes, in quibus lapides lati admodum, paulo autem crassiores pede uno facile removeri possunt, iterumque mutuo committi. Casaubonus, qui videtur antiqua ædificia non observasse, animo concipere nequivit commemoratæ ædis transla-

Supplem. Tom. V.

A *esse favellato; è Pietro Martire d' Anghiera Milanese, mandato da i Re di Spagna Fernando, e Isabella Ambasciadore a' Veneziani, e al Soldano di Babilonia l'anno* 1501. *Scrisse questi il suo viaggio, in cui narra, come da Venezia passato a Pola, nel cui porto era atteso dalle Galeazze, vi osservò* due Teatri antichi, *e un Arco con iscrizioni, e molte Lapide, intorno a quaranta delle quali trascrisse, e riferì. Dopo questo fu l'esimio Architetto Bastian Serlio, il quale nel libro terzo della sua Opera trattò del Teatro, dell' Anfiteatro, e dell' Arco, e ne diede piante, prospetti, e parti: copiò da lui la pianta del creduto Anfiteatro Giusto Lipsio. Il Palladio rappresentò di Pola i due antichi Tempj. Nel passato secolo Antonio de Ville Ingegnere, che fabricò la Fortezza, ch' al presente si vede, e scrisse ancora di Fortificazione, talchè si computa fra i capi di scuola, una relazion publicò, in cui l' Arco, un Tempio, e un cenno dell' Arena, benchè grossamente, e molto mal delineati inserì. In oggi sussiste l' Arco interamente, e il detto Tempio altresì, e così dell' altro contiguo, e affatto simile, e corrispondente la posterior parte: nè saprei dire in qual' altro luogo vegganfi capitelli, e cornici, e fregi Corintii, di delicato intaglio così ripieni, e così conservati. Le stampe, che ne sono state fatte, servono solamente a fargli credere assai diversi da quel che sono. Delle Iscrizioni cinque sole ho trovate in essere, avendo molt' altre patito poco fa miserabil disastro per certa fabrica di nuovo fatta, quasi penuria fosse nel paese di pietra.*

Ho udito in Venezia chi vorrebbe vi si trasportasse l' Arena di Pola nel modo da me suggerito, ove parlai di trasportare a Torino l' Arco di Susa. Ma così vasta impresa io non saprei consigliare per più ragioni: ben' ardirò dire, che molto plausibil sarebbe il trasferirvi l' Arco, e il più conservato de' piccoli Tempj, delle quali cose nulla curano i pochi, e per lo più forastieri abitanti: con ciò una scuola si aprirebbe utilissima d' Architettura, e si farebbe a tutti conoscere, come vada lavorato il Corintio, e quanto più vaghe, e più graziose riuscissero l' opere degli Antichi con sana maniera condotte, d' alcune di quelle de' nostri giorni ripiene di stravaganze, o sia di pazzie. Ma poichè non manca all' incontro chi impossibili crede sì fatti trasportamenti, aggiungerò ora, come attesa la maniera tenuta da' Romani negli edifizj più nobili, ed altrove da me descritta, non fu a loro stessi ignoto, ed impraticato il fargli mutar di luogo: di che fa testimonio Sparziano, ove narra che Adriano, oltre a molte fabriche di nuovo fatte, trasportò la magione o *sia* il Tempio della Dea Bona, e il Colosso in piedi e sospeso. *Maraviglia fu qui il trasportar diritto il Colosso; però dallo Storico il nome si riferisce dell' Architetto, che fu Detriano: ma niuna maraviglia fu nel trasporto del Tempio, poichè i suoi muri saranno stati anch' essi non di cotto, o sassi, ma di gran pietre senza calcina collegate insieme, come appunto son quelle de' Tempj di Pola, dove larghe assai, e poco più grosse d' un piede, agevolmente si posson levare, e ricommettere. Il Casaubono, che non dovea aver' osservato edifizj antichi, non seppe capire il trasporto di detto Tempio, e disse però nelle sue note a Sparzia-*

tionem, proptereaque in suis ad Spartianum notis inquit loci illius hanc vim esse, ut aliam ædem priori similem excitatam fuisse indicetur. Sed
l.35.c.14. multo sane difficilius fuit transferre, quod refert Plinius, ex Urbe Sparta Romam nescio quam præstantem picturam tabulis inclusam, quæ parieti inhærebat, more Græcorum e lateribus constructo, inducta crusta ita decisa, ut non divideretur in partes: quod hac etiam ætate vivit Venetiis, qui feliciter præstiterit non semel.

Inter vetera Polana monumenta maxime a Serlio celebratur Theatrum quoddam, cujus vix ullum extat vestigium. Superius memoratus Antonius de Ville diruit ab ipsis fundamentis partes omnes, quæ superfuerant, lapidibusque usus est in extruendis brevissimis suis illis muris, atque in propugnaculis quatuor exiguæ illius Arcis, quæ non ad latus, sed in media Urbe stat in quodam colliculo, quæque præter hanc materiei magnificentiam vix quidquam habet aliud, quod ab arte laudari admodum possit; adeo ut Architecto non alia res proposita fuisse prope videatur, quam tam magna, ac nobilia marmoris fragmenta in opere aliquo collocare. Ut, diruto tam superbo monumento, rei aliquam honestatis causam prætexat, fabulam narrat nunquam antea auditam de quadam ignea eruptione, cujus vis aliquot ante annis magnam earum reliquiarum partem disjecerit. Parum aberat ædificium hoc a muris Urbis prope collis cujusdam radices, qui ad sinistram est ejusdem urbis contra mare quique vulgo dicitur *del Zaro*, in quam vocem mediis sæculis Theatri nomen degeneravit: Græcum enim *Theta* ratione pronunciationis transit in litteram *Zeta*: quare ex *θηκα* facta est vox *Zecca*; elisisque populari loquendi modo duabus litteris natum est *Zaro*. Latine scriptum fuit *Zadrum*, & *Jadrum*: id didici ex scripto quodam anni 1303. inserto in ingens Volumen, plurima, eademque insignia documenta Veneta complectens, quod ego inter mea Ms. servo. Recensentur in eo scripto Aquilejensis Patriarchæ Jurisdictiones in Istria; atque ubi sermo est de Pola, hæc habentur: *& habet ibi duo antiqua Palatia, scilicet Jadrum, & Harenam, & Palatium unum in platea Civitatis, & quasdam alias domos; & quicumque accipit aliquem lapidem de dictis Palatiis Jadri & Harenæ, pro quolibet lapide quem accipit solvit domino Patriarchæ Bizantios centum*. Præclara enimvero notitia, quæ docet, obscuris etiam temporibus plus curæ in veterum monumentorum conservationem interdum impensum fuisse quam illustrioribus: ea enim ætate temporum pœna non levi numorum centum mulctabatur, quicumque vel unum lapidem e Polano Theatro detraxisset, ut ad alios usus traduceret; qui quidem mos tollendi ex antiquis ædificiis lapides ubique nimium obtinuit, a quo sane multo magis quam vel a barbarorum incursionibus, vel a vetustate veterum monumentorum excidia profecta sunt. Reliquias commemorati Theatri plurimum commendavit Serlius, inquiens, Architectum ad graduum partem constituendam declivi monte, quod in pluribus Theatris aliis factitatum est, ingeniose usum fuisse, orchestra, scena, aliisque eodem pertinentibus ædificiis in planitie positis. Ait etiam Architecturæ Corinthiæ fuisse, cum opere, tum lapidibus excelluisse, columnas magno numero, scalas geminatas, januarum fenestrarumque ornamenta intus forisque extitisse. Multa elaborata fragmenta superfuerunt, ac prope arcem manserunt in novo opere non adhibita; ex quibus animadverti esse e græco marmore quæ pauca re-

no, doversi intendere, che ne fosse fatto un altro di nuovo. Ma ben più difficil fu il trasportare, che per testimonio di Plinio si fece, serrata in tavole da Sparta a Roma un' eccellente pittura, ch' era sopra un muro, all' usanza Greca di mattoni fatto, tagliando però senza romperla l'incrostatura: il che tuttavia trovasi ora in Venezia chi ha felicemente praticato più volte.

Sopra l' altre anticaglie di Pola fu celebrato dal Serlio un Teatro, di cuiper somma sventura appena si ravvisa vestigio. Il sopranominato de Ville disfece crudelmente da fondamenti tutte le parti, che ne rimaneano, e si valse delle pietre per fabricar le cortissime sue cortine, e i quattro bastioni della piccola Fortezza, quale non da un lato, ma resta nel mezo della Città sovra un colle, e fuor di questa magnificenza di materiale non è riuscita secondo l' arte gran cosa: parrebbe a poco altro aver lui pensato, che al piacere di metter' in opera sì grandi, e sì nobili pezzi di marmo. Per coonestare alquanto l' indegnità d' aver distrutta così superba reliquia, favola racconta non mai quivi intesa d' una eruttazion di fuoco, che n' avesse anni avanti buttata in aria gran parte. Era questo edifizio poco lungi dalle mura a piè d' un colle, ch' è su la sinistra della Città verso il mare, e si chiama del Zaro, *nella qual voce si trasformò ne' mezani secoli quella di Teatro; poichè il Theta Greco per ragion della pronunzia passa in zeta, onde da Θίκα si è fatto* Zecca, *frodate però dal popolar linguaggio due lettere si è fatto* Zaro. *In Latino si scrisse* Zadrum, *e* Iadrum: *imparo ciò da una Carta dell' anno 1303. inserta in gran volume, che tengo fra miei Mss. contenente ampia raccolta d' insigni documenti Veneti. Si annoverano in tal Carta le giurisdizioni, che teneva il Patriarca d' Aquileia nell' Istria; e dove si parla di Pola, si hanno queste parole:* & habet ibi duo antiqua Palatia, scilicet Iadrum, & Harenam, & Palatium unum in platea Civitatis, & quasdam alias domos; & quicumque accipit aliquem lapidem de dictis Palatiis Iadri & Harenæ, pro quolibet lapide quem accipit solvit domino Patriarchæ Bizantios centum. *Bella notizia è questa, che insegna, come ne gli oscuri tempi assai più tal volta si pose cura nella conservazion delle antichità, che ne' più illuminati non si è fatto; essendo imposta allora la non leggera pena di cento monete a chi una sola pietra da i Teatri di Pola prendesse, per valersene in altr' usi, come pur troppo fu solito da per tutto, e dalla qual costumanza venne il fatale eccidio delle antichità, assai più che dalle barbare irruzioni, o dal tempo. All' avanzo del sudetto Teatro grand' applauso fece il Serlio, affermando, che l' ingegnoso Architetto si era servito del monte, come in più altri Teatri fu fatto, per una parte de i gradi, e fatta nel piano l' orchestra, e la scena, e gli edifizj appartenenti. Disse altresì, ch' era d' ordine Corintio, e di opera, e di pietre ricchissimo, con gran numero di colonne, e doppie scale, e con ornamenti di porte, e di finestre dentro, e fuori. Molti pezzi lavorati ne avanzarono, e rimasero presso il Castello non posti in opera; de' quali ho osservato esser di marmo Greco i pochi, che ancor vi restano, dove l'*

stant adhuc, cum reliqua loci monumenta ex lapidibus constent ejus regionis.

Ad alteram Urbis partem modico intervallo, a mari autem ducentis fere perticis, nec fortasse amplius dissita Arena est, ut mediis sæculis appellata fuit. Non apparet nisi exterior ambitus (neque sane præter hunc quidquam aliud posset conspici; cum pars interior lignea fuerit) at hic quidem ambitus tam ab omni detrimento immunis est, ut admirationem pariat: in toto enim circuitu ab imo ad summum nihil est quod desideretur, excepto quodam duarum ulnarum intervallo in ordine supremo, ut deformatio ipsa ostendit, quo loco cœperat ab alio imprudente Architecto dirui, ut lapides pariter in aliud opus traduceret, quod statim interdictum fuit: factum tanto profecto atrocius, quod nullis rebus magis, quam lapidum copia regio illa abundat; tamque Reipublicæ voluntati adversum, ut inter cætera, quæ de more Polæ Moderatoribus præcipiuntur, illud etiam a Principe injungi soleat, ut ea Antiquitatis monumenta diligenter curent & tueantur: quem in finem cautum prudentissime nuper fuit, ut removerentur vineta quædam, quæ qua parte mons assurgit, ad pilas usque promota fuerant, sublata via intermedia. Desiderantur etiam fornex in altero ex majoribus ostiis, & lapides aliquot in proxima pilarum serie ordinis secundi imum versus, ubi unicus lapis, qui in medio superfuit, neque latior pedibus duobus cum dimidio, longo ab hinc tempore, sustinet pondus omne super incumbens; supra quem lapidem adest alius parieti non insertus nisi per uncias octo, pedesque tres & amplius extans ac pendens: deest etiam magna pars illius sellulæ, ut hoc eam vocemus nomine, quæ in summo recurrit circum. Ceterum totus orbis integer est, ac sanus, atque hic solum percipi cumulate potest, qua, & quam incredibili voluptate afficiatur oculus, dum intus ac foris circumspicit tam magnificum orbem omnibus suis aditibus, justaque sua altitudine præditum, de qua nihil subtraxit in imo congesta humus, quæ ullam operis partem contegat, quemadmodum Romæ accidit ac Veronæ. Pulchritudo ac species major etiam evadit in parte externa ex lapidum albedine; operisque conservatio tanto etiam admirabilior est, quod totus ambitus est insulatus, neque in parte interna cum ullo pariete conjungitur, quocum devinciatur. Nunc demonstrandum est, quod primum quidem videbitur incredibile, hoc est hujusmodi ædificium, etsi clausum sit undique, eodemque arcuum numero, quo Amphitheatrum Veronense, Amphitheatrum tamen non fuisse.

Cum primum ex mari ingens plenaque majestatis moles, quæ appellentibus eam faciem offert, quam Tabula adjecta exhibet, conspecta est, vix in illam conjeci oculos, statimque ad eum conversus, quem mihi addideram viæ comitem, suspicari me dixi, Theatrum illud esse. Duo mihi suspicandi causam præbuere: alterum quod conspectum eminus ædificium aliam habere videbatur formam ab ovali Amphitheatrorum; simul enim in mentem venit Pausaniæ locus libro primo a me relatus, a Trajano *Theatrum ingens, atque ex omni parte orbiculare* fuisse extructum: alterum, quod videbam duas illas turriculas in parte externa, quarum cum Amphitheatro nulla affinitas est; simulque recordabar, in quibusdam Cretæ Theatris ab Honorio Bellio delineatis alias non absimiles appendices conspici, quas ille vocat Anterides: quamquam, cum integras non invenerit, ac voluerit tamen vulgari Theatrorum formæ suas ipse deformationes ac-

A *altre antichità del luogo son tutte di pietra del paese.*

*Dall' altra parte della Città in poca distanza, e non più di forse dugento pertiche lontan dal mare, è l' Arena, come fu ne' mezzani secoli denominata. Non vedesi, che l'esterior recinto (nè altro potrebbe vedersi, perchè l' interno fu di legno) ma questo è un miracolo di conservazione, mentre di tutto il circuito dal basso all' alto nulla manca, se non per quasi due braccia nel superior piano, come mostra il disegno, dove fu già da un altro balordo Ingegnere cominciato a disfare, per valersi pari-*B *mente delle pietre, il che fu tosto vietato: barbarie tanto più esecrabile, quanto che nel paese niente abbonda più che la pietra; e tanto avversa alla mente publica, che nell' ordinaria Istruzione a' Rettori di Pola attenzion si commette dal Principe per la conservazione di quelle antichità; in effetto di che si son fatte, non ha molto, con ottimo provedimento allontanare alcune vigne, che dalla parte del monte erano state avanzate fino a' pilastri, senza lasciar via intermedia. Manca altresì l' archivolto d' una delle due maggiori porte, e al-*C *quante pietre nella pilastrata prossima del secondo piano verso il fondo, ove da una pietra rimasa sola nel mezzo, e non più larga di piedi due once sei, si sostien da gran tempo tutto il superior peso, avendone altra sopra di se, che non resta incassata, se non per once otto, e pendente in fuori più di tre piedi: manca altresì buona parte di quella panchetta, per così chiamarla, che ricorre intorno nella cima. Per altro il giro tutto è intero, e sano, e quivi unicamente goder si può l' effetto incredibile, e inesplicabile, che fa all' occhio, e per di fuori, e per*D *di dentro un sì fatto sontuoso giro con tutte le sue aperture, ed in tutta la sua altezza, non pregiudicata nel fondo dall' oltraggio di terreno portato, che venga a coprirne una parte, come a Roma è seguito, e a Verona. La bellezza dell' apparenza si accresce anche molto nel di fuori dalla bianchezza della pietra; e la conservazione è tanto più ammirabile, quanto che tutto il recinto è isolato, e non congiunto nel di dentro a muro alcuno, con cui si leghi. Ora è da dimostrare, ciò che parrà prima assai strano, cioè che quest' edifizio, benchè chiuso tutto intorno, e con l' istesso numero appunto d' Ar-*E *chi, che ha l' Anfiteatro Veronese, non fu Anfiteatro.*

*Al primo scoprirsi dal mare la maestosa, e mirabil mole, qual mostra appunto ad esso quella faccia, che nel premesso disegno apparisce, vi ebbi appena avidamente fissato l' occhio, che dissi a chi avea condotto meco, sospettar' io, che fosse Teatro. Due motivi mi svegliaron subito questo dubbio; l' uno il parermi in quella distanza, che l' edifizio fosse diverso di figura dall' ovato de gli Anfiteatri, ricorrendomi nell' istesso tempo alla mente il passo di Pausania riferito da me nel primo libro, che Trajano e-*F *dificò* un Teatro grande, circolare d' ogni parte; *l' altro il veder quelle due torrette nel di fuori, quali non hanno che far con Anfiteatro, e il sovvenirmi nell' istesso tempo, che in alcuni de' Teatri di Candia disegnati da Onorio Belli, alcune non dissimili appendici si veggono, dette da lui Contraforti; benchè per non averle trovate intere, e per aver forse voluto adattare alla comune idea de i Teatri le sue*

commodare, aliter constituit illas, atque considerat. Sed omnis dubitandi locus evanuit, simul atque ambitum ipsum subire licuit: extructum etenim vidi ad latus cujusdam collis, cujus pes intra eundem ambitum comprehensus est, ut pro gradibus esset, quique declivitate sua ostendit optime gradationem, curvaturaque eorum graduum hemicyclum, qui paulo minorem partem quam dimidiam totius orbis in latitudinem complectebatur: in imo servat adhuc, ac manifeste satis commonstrat tantisper assurgens viam, seu planum Podii. Nemo ignorat consuevisse veteres, ubicumque liceret, uti in extruendis Theatris ejusmodi opportunitate situs; quo fiebat, ut porticibus, fornicibusque ædificandis, quibus cæteroquin necesse erat gradus sustinere, magnæque præterea ex eo latere exterioris ambitus parti hac ratione parceretur. Quare in hoc quidem, facies mare prospectans in tres divisa est ordines, imo in nescio quid amplius supposito pilis inferioribus in parte externa abaco trium quatuorve pedum fere, ut solum, quod rursus deficit, suppleretur; pars vero ad montem conversa duos tantum ordines habet, ut in ipsa tabula licet intueri. Incipit ultra duos principes aditus, qui duo media puncta in longitudinem obtinent, collis assurgere, simulque incipiunt pilæ desiderari, quæ in tertio omnino absunt. Communis est ejus gentis opinio, ob eam causam sic apparere Theatrum illud, quod infra humum subsiderit; nec defuit, qui effodiendam humum curaverit, ut de re hac certior fieret: sed reperit, quod collis continuatio docere poterat, hoc est humo sepulta non esse nisi fundamenta. Solum itaque etiam intus ad eam partem procedit in hemicycli formam, & per gradus, cum ex opposita parte tres ordines liberi, ac detecti maneant. Atque id satis, ut Theatrum fuisse hoc certo cognoscamus.

Sed id non minus certo colligitur ex solo contra gradus opposito: ibi enim tres ferme pedes attollitur, quantum nempe ad Proscænium requireretur, media existente Area plana Theatri orchestræ accommodatissima, campo autem Amphitheatri minus idonea. Muri vestigia nonnullis in locis extant, proptereaque humum effodiendam non uno in situ curavi, ut, si fieri id posset, scenæ conformationem detegerem, ac profecto pauci essent, qui delineatam descriptamque hic non adjicerent: sed ego nunquam solitus gaudere commentis, & ea exhibere, quæ ipsismet oculis non perspexerim, fatebor ingenue, me ex paucis iisque incertis extructi muri fundamentis ac vestigiis, quæ licuit detegere, germanam formam non potuisse colligere. Quam dubius tamen hæsi hac in re, tam certo intellexi, Theatrum ibi, non Amphitheatrum extitisse: aliquas enim reperi reliquias muri recta contra spectatores, qui in Amphitheatro esse nullo modo potuisset, pedesque pilarum in eo situ, ut nequaquam potuerint sustinendis gradibus in orbem dispositis, fornicibusque inservire. Cæterum muri, quos observavi, non potuerunt esse nisi pro fundamentis, vel certe parum supra solum attollebantur: manifeste enim patet ex pluribus indiciis, extructionem interiorem ligneam fuisse; ac patet ex utraque parte fuisse diversam: Ex parte enim auditorii, ubi murus decrescit, observantur lapides excavati admodum spisse, quo capita trabium, quæ in transversum positæ superioris porticus pavimentum sustinebant, exciperentur: excavationes illæ, seu receptacula Vitruvii tempore *columbaria* a Latinis, a Græcis *tignorum cubilia* nuncupabantur: idem tamen ex altera parte scenæ non observatur.

l. 4. c. 2.

A *piante, le ponga, e le consideri diversamente. Ma ogni ambiguità cessò, posto ch' ebbi il piede dentro il superbo recinto: poichè lo vidi fabricato in costa al terminar d' un colle, il piè del quale viene ad esser compreso dentro, per servire a i gradi, e col suo declive mostra ancora ottimamente la gradazione, e con la curvatura il semicerchio di essi, che prendeva un poco meno della metà per largo: nel basso ritiene ancora, e mostra molto bene in poco rilevamento la via, o vogliam dire il piano del Podio. E' noto, come gli Antichi si valsero, ovunque puotero, di tal vantaggio di sito nella costruzion* B *de' Teatri, risparmiando per esso li portici, e le volte, con cui per altro era necessario di sostentare i gradi, e risparmiando da quel lato in tal modo anche gran parte dell' esterior recinto. Però in questo, dove la faccia verso il mare è in tre piani, anzi alquanto più per un zoccolo di tre in quatro piedi, ch' è sotto a' pilastri inferiori nel di fuori, per supplire al terreno, che torna a degradare; la parte verso il monte è in due piani soli, come si può osservar nel disegno. Comincia oltre alle due porte maestre, che son ne' due punti di mezzo per lungo, a sorgere il colle, e a perdersi i pilastri inferiori,* C *quali al terzo mancano affatto. Credesi comunemente nel paese, che così apparisca per interramento, e vi è stato chi per accertarsene ha fatto scavare: ma ha trovato ciò, che la continuazion del colle potea insegnarli, cioè che non rimangon sotterra coperti se non i fondamenti. Il terreno adunque proseguisce anche nel di dentro da quella parte semicircolarmente, e gradatamente, dove nella opposta liberi restano li tre piani, e scoperti. Tanto basta per riconoscer con sicurezza, come fu Teatro.*

D *Ma non men certa pruova ne fa il terreno dal lato opposto a i gradi; perchè alzasi quivi tre piedi in circa, quanto era opportuno per un Proscenio, restando nel mezzo un' area piana, per l' orchestra d' un Teatro adattatissima, e per la piazza d' un Anfiteatro non sufficiente. Segno di muro vi si riconosce in alcuni luoghi, ed ho però fatto scavare in più siti, per veder se mi era possibile di ritrarne la conformazion della Scena; e per certo pochi sarebbero, che non la ponesser qui bella, e descritta: ma non sapendo io ridurmi mai a goder d' immaginazioni, e a rappresentare ciò che veramente non veggo, dirò candidamente,* E *che da i pochi, e incerti fondamenti, e vestigj di fabricato, che ho scoperti, non ho saputo raccoglierne la vera forma. Quanto però in ciò son rimaso ambiguo, alrrettanto mi son confermato con sicurezza, come Teatro era quivi, non Anfiteatro; perchè qualche pezzo di muro ho ritrovato in linea retta dirimpetto a gli spettatori, il che non potrebbe darsi in Anfiteatro, e piè di pilastrata in tal sito, che non poteano servir mai a sostener gradi circolari, e volte in giro. I muri per altro da me osservati non doveano servir che di fondamento, o poco almeno dovean sopravanzar da terra; perchè appar manifestamente da molti indizj, come* F *l' alzato, e la construttura interna era di legno, ed appare, come di qua e di là fu diversa; mentre dalla parte dell' uditorio sul degrado del muro veggonsi le pietre incavate molto spessamente, per dar ricetto alle teste delle travature, quali attraversando sosteneano il pavimento della loggia superiore: quelle incavature, o ricetti, a tempo di Vitruvio chiamavansi* colombarii *da Latini, e* letti delle travi *da Greci: ma non si vede altrettanto dalla parte della Scena.*

Ubi certo cognovi, ædificium illud Theatrum fuisse, cogitare cæpi, quemnam usum habere potuerint in eo externæ illæ appendices, quæ profecto nullum in Amphitheatro habere poterant. Anterides vocat Serlius, factasque putat, ut murus solitarius non esset: sed eas ipse non vidit, ut indicabo postea, adeoque illas in Tabula ostendit trium pilarum notis; ex quo nemo concipere animo posset, quantum haberent altitudinis. Non fuisse propugnaculorum loco, constat ex ipsarum forma, tum etiam quia & ipsæ arcubus pilisque insulatis nixæ stant, ut reliqua, tum quia prope nullus esset hic ipsarum usus in tam amplo ambitu. Mihi vero, qui integras, consistentesque observavi, occasio hæc lumen aliquod præbere potuit ad investigandum, quisnam tandem foret illarum usus. Observetur itaque in postrema Tabula ad litteram C ubi interna ipsarum facies exprimitur, quemadmodum earundem interna forma formam refert utrinque domus in duos ordines distinctæ, duoque ostia, & fenestras duas habentis. Hinc igitur pro certo habeo, ejusmodi appendicibus partem scenæ comicæ exprimi: cubicula enim exprimuntur, quorum in agendis fabulis multiplex esse usus potuit. Et sane ad ea cubicula non licebat ascendere ex parte externa, neque ullum apparet vestigium scalarum, sed potius pulpitorum, ac tabulatorum interiorum atque adjacentium. Privata ædificia cum fenestris scenam comicam habuisse docet Vitruvius. Inter partes Theatri *domum duas contignationes habentem* recenset Pollux: quare nihil optari posset in hac re congruentius: inquit etiam idem Pollux ex ea despicere, & explorare vetulam Mulierem ac lenones consuevisse. Poterat etiam postremorum ejusmodi prospectuum usus esse etiam in scena Tragica. Ad ipsos, cum res postularet, fortasse aperiebatur aditus spectatorum oculo per duo illa ostia, seu foramina, quæ inquit Vitruvius *dextra ac sinistra* extitisse, ac per quæ in Proscenium hospites ad Fabulam introducebantur; medium vero occupabant Regiæ portæ, ac Aulæ species. Fortasse duæ istæ laterales viæ fuere *Parascenia* a Polluce commemorata, ac profecto pro Postscenio a Perraultio perperam accepta. Legimus etiam in Polluce, in Tragœdia domum duplicis contignationis interdum ostendisse duo cænacula, sive edita loca turrium instar, ex quibus longius produceretur prospectus: ac legimus dextram januam (quo nomine aditus in fronte significo) habuisse *habitationem ejus, qui secundas ageret; non actus secundi*, ut vertit latinus Interpres. Exprimi solet tam in Latino, quam in Græco Theatro Scena unico pariete, sive facie ædificii cum ostiis tribus, quæ Perraultius quoque occupata ostendit ac prope clausa picturatis ac versatilibus machinis, quæ circa cardines torquebantur: cui sane conformationi parum apte congrueret, quod de domibus distitarum speciem referentibus in Theatro Polano ego conjectavi: sed neque ea ratione, ac sine ullis prospectibus profecto scena potuit esse; neque rerum singularum reddi accurata ratio potest; illudque habere licet pro indubitato, etsi multas ediderint in lucem deformationes nostrorum temporum Architecti, quod tamen ad eas partes attinet, quæ actioni inserviebant, rem adhuc esse satis in obscuro. Addam hic, in Polano ambitu venustissimam speciem exhibere existentibus in auditorii loco domunculas illas: foraminibus enim internis respondent externæ fenestræ clausæ lapidibus eleganter perforatis, florumq; varietatem referentibus, qui aeris translucentis claritate utrimq; contuentium oculos mirifice oblectant.

l.5.c.8. fovestris dispositos imitatione communium ædificiorum.

Pol.l.1.c.19. διστεγία.

l.5.c.7. dextra ac sinistra Hospitalia.

Per.l.5.c.6.

τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον.

Assicurato dell' esser Teatro, mi feci a pensare qual' uso potessero in esso aver' avuto quelle esterne appendici, quali in Anfiteatro non poteano certamente averne veruno. Il Serlio le chiamò Contraforti, e le suppose fatte, per non lasciare il muro così abbandonato; ma egli non le vide, come toccherò appresso, e però non le mostrò se non in pianta col segno de' tre pilastri, dal che niuno si potrebbe immaginar cosa siano nell' elevazione. Che non fossero per fortezza, è manifesto dalla lor forma, e perchè stanno anch' esse su gli archi, e su pilastri isolati, come il rimanente, e perchè poco potrebbero operare in così ampio giro. L' averle vedute intere, e conservate mi ha potuto dar qualche lume per investigarne l' uso. Osservisi adunque nell' ultima Tavola alla lettera C dove si mostra l' interno prospetto di esse, come la lor veduta interiore ne gli ordini di sopra figura di qua e di là una casa in due piani, con due usci, e due finestre per ciascheduno. Ho però per certo, che rappresentassero una parte della Scena Comica, mostrando abitazioni, che potean ne' Drami variamente adoprarsi. In fatti non si potea salire a quelle stanze per di fuori, e non vi si ha vestigio di scale, ma più tosto d' interni e adiacenti palchi, e tavolati. Privati edifizj con finestre *avere la Scena Comica avuti, insegna Vitruvio. Tra le parti del Teatro annovera Polluce* la casa a due palchi; *non si potrebbe però bramarne più bel riscontro: dice appresso, che da essa guardare in giù, e spiar soleano la vecchia, e i mezani amorosi. Potea di tali ultimi prospetti farsi uso anche nella Scena Tragica. Ad essi forse faceasi, quando occorreva, giunger l' occhio de gli spettatori, per le due porte, o aperture, quali dice Vitruvio erano* a destra, e a sinistra, *e servivano all' uscir nel Proscenio de' Personaggi stranieri introdotti nel Drama: là dove il mezo era occupato dalle porte Reali, e dall' apparenza di Corte. Forse queste due strade laterali erano li* Pressoscena, *annoverati da Polluce, e certamente non ben presi da Perrault per l' istesso, che il* Dietroscena. *Leggesi altresì in Polluce, che nella Tragedia la casa a due piani mostrava talvolta due cenacoli, o sia luoghi alti, quasi torri, da cui si potesse veder lontano: e leggesi che la destra Porta (con qual nome intendo le aperture di fronte) avesse* l'abitazione di chi facea le seconde parti; *non* del secondo atto *come si rende nel Latino. Si suol rappresentare e nel Latino Teatro, e nel Greco la Scena per non altro che una parete, o facciata d'edifizio con tre porte, quali ancora Perrault mostra occupate, e quasi chiuse dalle machine pitturate, e versatili, che giravan su perni: con la qual conformazione mal si confarebbe ciò, che delle case figurate in lontananza del Teatro di Pola io son' ito congetturando; ma nè in quel modo, e senza punto di prospettive, potea certamente esser la Scena, nè è possibile render ragion di tutto per l' appunto; potendosi aver per certo, che con tutti i molti disegni che abbiam da' moderni, quanto spetta a quelle parti del Teatro, che servivano a rappresentare, è ancora molto in oscuro. Aggiungerò qui, come nel recinto di Pola graziosa molto riesce tuttora la veduta di que' casini a chi si pon nel sito dell' uditorio; perchè a' fori interni corrispondono le esterne finestre, serrate da pietra vagamente traforata a fiorami, quali per lo chiaro dell' aria che vi traluce, aggradano di parte, e d' altra all' occhio mirabilmente.*

En itaque, nisi fallit me opinio mea, quisnam fuerit ejusmodi appendicum finis atque usus: en unus ex antiquarum fenestrarum modis, en fragmentum scenæ Græcæ hactenus non deformatæ nisi ad Auctorum ingenium: en quo spectent tres illæ pilæ a Serlio quatuor in locis signatæ in Tabula Polana, atque a Bellio in quibusdam Theatrorum Cretensium: ac denique en præclara notitia, quæ rursus nos docet, duplici ratione Theatra fieri consuevisse; idest alia & ea quidem usitatiora in hemicycli formam ex una parte, in formam vero quadratam ex parte altera; alia vero structuræ nunquam antea cognitæ Amphitheatrorum in morem, integro ambitu undique clausa. Cæterum nihil est, quod in Theatro structuræ hujusmodi pugnet: nihil referebat enim, porticus, seu tectus locus, quem mos erat extruere, ut ait Vitruvius, post scenam ad arcendas repentinas pluvias, essetne ad lineam rectam, an potius in curvam flexus: imo vero opinatus est Isidorus omnium Theatrorum fuisse ab initio formam rotundam, ut Amphitheatri; eademque commemorata porticus satis commode intra tresdecim illos arcus, quæ Polæ inter utramque domunculam existunt, poterat esse comprehensa. Nunc itaque facile erit probe intelligere Pausaniæ locum, qui sine hac notitia intelligi nequaquam poterat, ubi dicit Trajanum *Theatrum ingens, atque ex omni parte orbiculare* extruxisse: vox autem *orbiculare* accipienda hoc loco est de forma circuli minus accurate, non mathematice descripta. Apposita deformatio, cujusmodi etiam Theatrum illud fuerit, ostendit, ac licet curvum, atque clausum undique, Amphitheatrum tamen non fuisse docet: quare & a Spartiano Theatrum dictum est. Quod proprietatem hanc rotundæ formæ Pausanias notat, palam facit, ejusmodi conformationem Theatris omnibus non fuisse communem; quod vero ait, fuisse Theatrum ingens, conformata in morem hunc Theatra indicat cæteris amplitudine præstitisse: quod autem Bellius in Creta plura invenerit structuræ ab hac non dissimilis, docet rationem hanc fuisse græcam: quam ob causam dirutum fortasse fuit ab Hadriano, cui minime placuit, ut hac in re a Romano more discederetur, proindeque sic extructum Theatrum est Polæ, quæ urbs non longo intervallo a Græcis regionibus dissita est: ac sane, quæ ratio in reliquis etiam antiquis ejus Urbis monumentis observatur, Græcos Architectos indicat.

Orig. l. 18. cap. 42.

Ea quæ dicta a me sunt, minus credibilia videbuntur multis, cum apud Serlium, ubi is hoc ædificium refert, integram Amphitheatri orthographiam delineatam viderint: sed ea antiquitatis calamitas semper fuit, ut falsa, ac ficta esse non crederentur, siqua Lectoribus pura putaque commenta ac somnia proposita essent, tanquam res veræ ac genuinæ. Contra vero in *Antiquitate explicata* legimus, Polæ non fuisse plures, quam sex gradus, cæteris tamen latiores: quæ quidem insolens opinio, sive ad Theatrum referatur, sive ad Amphitheatrum, equidem non video, undenam profecta esse potuerit. Serlius quidem vir est alioquin cognitæ fidei: sed in rebus Polanis deceptus fuit: neque enim ipse præsens exploravit; sed fortasse eo misit quempiam adolescentem, cujus opera usus est parum bene. Ipsum Serlium Polæ non fuisse, colligo ego in primis ex ejus deformationibus, atque ex eo, quod Arenam esse *in media Urbe*, cum tamen non parvo intervallo ea distet, ejusque coronas Romanis esse ingeniosius *descriptas, pulcriusque elaboratas* pronunciat. Quare ratus ex integro ambitu,

tom. 3. p. 233.

A *Ecco però scoperto, s' io non erro, il fine, e l' uso di così fatte appendici: ecco imparato un modo dell' antiche fenestre, e trovato un pezzo della Scena Greca non disegnato finora che a fantasia: ecco la conseguenza di quei tre pilastri, segnati in quattro luoghi dal Serlio nella pianta di Pola, e dal Belli in alcune di Candia: ed ecco sopra tutto rilevata di nuovo bella notizia, che Teatri si fecero di due maniere; una più comune col contorno semicircolar di qua, e quadrato di là; altra non più conosciuta con recinto chiuso, e circon-* B *ferenza intera a guisa d' Anfiteatro. Niuna ripugnanza per altro incontra un Teatro di tal figura, nulla importando, che il portico, o luogo coperto, che dice Vitruvio faceasi dietro la scena per riparo nelle improvise piogge, fosse di linea retta, o curva; anzi ebbe opinione Isidoro, che de' Teatri tutti fosse* da prima la forma rotonda, come dell' Anfiteatro: *e il sudetto retroportico potea molto bene esser contenuto dallo spazio delli tredici archi, che sono a Pola tra un casino, e l' altro. Ora però ben s'* C *intenderà il passo di Pausania, che senza questo non potea intendersi mai, dell' aver Trajano edificato* un Teatro grande, circolare d' ogni parte; *circolare vuol qui intendersi popolarmente, e non matematicamente. Il presente disegno mostra qual fosse anche quel Teatro, e insegna come se ben curvo, e chiuso d' ogni parte, non fu però Anfiteatro, onde fu pur chiamato Teatro anche da Sparziano. Il notar Pausania tal parcolarità, mostra che tal conformazione non era comune a tutti i Teatri; il dir lui, che fu Teatro grande, indica che* D *più sontuosi de gli altri fossero li così fatti; e l' avere il Belli trovato in Candia più Teatri di struttura non dissimile, insegna, come questa fu maniera Greca: però forse fu fatto disfar da Adriano, cui non piacque si deviasse in ciò dall' uso Romano; e però così fu lavorato quel di Pola da paese Greco non molto lontana: il modo, ch' anche nel' altre sue antichità si vede, per verità indica Architetti Greci.*

E *Farà presso molti grand' ostacolo a quanto ho detto, il veder nel Serlio, dove quest' edifizio riferisce, disegnata l' intera pianta d' un Anfiteatro: ma la misera antichità ebbe sempre questa sventura di non esser creduto inganno, e impostura il presentare a' Lettori, come cose reali e vere, le immaginate, o sognate. All' incontro nell'* Antichità Spiegata *dicesi, che a Pola non eran più di sei gradini, ma più larghi de gli altri; il qual bizarro pensiere, o voglia intendersi di Teatro, o d' Anfiteatro, non saprei* F *da che potesse aver preso motivo. Il Serlio per altro fu assai fedele, ma traviò nelle cose di Pola, perch' egli non vi fu in persona, ma dovette mandarvi alcun suo giovane, che poco bene il servì. Ch' egli non vi fosse, io l' argomento in primo luogo da i suoi disegni, e dal dir lui, che l' Arena* è nel mezzo della Città, *quando n' è buon tratto lontana, e che i suoi corniciamenti sian* meglio intesi, e di miglior maniera *che quei di Roma. Persuaso però dal circonda-*

hoc fuisse Amphitheatrum, in ipso delineavit formam ex Veronensi tanquam exemplari desumptam, etsi earum rerum ne vestigium quidem ullum appareat. Non ita sane gessit se Falconettus noster, de quo diximus Part. 3. Veronæ Illustratæ: is enim, ut ea antiquitatis monumenta inspiceret, ac deformaret, Polam se contulit, ut in ejus Vita narrat Vasarius. Non deerit etiam qui difficulter inducat animum ad credendum, hoc fuisse Theatrum, cum aliud Polæ fuisse Theatrum audiverit. Sed in primis ex Honorii Bellii textu manuscripto intelligimus non paucas fuisse urbes, in quibus plura extiterint Theatra: deinde vero conjecturas haud leves collegi, Polanum alterum, etsi tanquam Theatrum descriptum deformatumque Serlio fuerit ab eo, qui illud inspexit, eoque vocabulo sequioribus sæculis appellatum, cum nomina ejusmodi temere ædificiis tribuebantur, reapse tamen non fuisse Theatrum, sed quoddam Palatium magnificentiæ singularis. Ejus certe quasi cujusdam Palatii memoria mansit in ea regione; ac Palatium credidit Antonius de Ville: nec Theatrum videntur indicare vestigia a me explorata: jacebat illud quidem prope collem quendam; at hujus pes decisus erat, & complanatus duobus in locis, non autem comprehensus, ut in Theatris fieri solebat. Quatuor columnæ maximæ ex Græco marmore, quæ Venetiis conspiciuntur, ad latera Majoris Aræ in Sacra Æde *Salutis*, quæque ex eo ædificio deportatæ fuerunt, quem opportunum locum habere in Theatro potuerint, nondum equidem video. Erit etiam qui fortasse a me quærat, ut talis fuerit usus duarum illarum turricularum, quæ ad scenam constitutæ erant, in quem finem extructæ aliæ duæ fuerint contra descriptas. Sed notum est, congruentiæ causa plura interdum in ædificiis fieri, quæ pulcritudini unice inserviunt: deinde certum est, ejusmodi cubiculorum, quæ cum superioribus porticibus conjungebantur, multiplicem usum esse potuisse in commodum spectatorum. Illud etiam observatu dignum est, turriculas in parte scenæ opposita constitutas integras tamen non esse; quippe quæ ob indicatam causam intermedia contignatione vacant.


Sed ut tandem adeo præclari ædificii accuratior aliqua notitia afferatur in medium, dicemus, maximam ejus longitudinem ab uno ad alterum ostium complecti Venetos pedes 370. latitudinem vero pedes 300. Universus ambitus continet pedes 1110. Pes Venetus paulo major est Veronensi, unciæ quadrante. Altitudo, qua parte respicit mare, est pedum 86. quo numero intelligantur comprehensi pedes sex abaci in imo suppositi, ac pedes fere quinque sellulæ, quæ supra suggrundias superiores est. Arcus in orbem positi sunt duo & septuaginta, quot videlicet in Arena Veronensi; ideo tamen æqualis est magnitudo; minor enim est Polæ pilarum, luminumque latitudo. Eorum dispositio talis est. Ostium majus in ovalis ambitus vertice novem utrimque arcus habet; tum duos hinc atque hinc geminatos in parte externa, turriculis, seu domibus commemoratis suppositos. Tum sequuntur arcus tresdecim in spatiis duobus intermediis; deinde alii duo cum turriculis, alii novem ex utraque parte, atque ostium superiori respondens. Opus rusticum est, lapidesque passim e muro extantes; vacat politura, nec ulla apparet cura æqualitatis aut congruentiæ in lapidum magnitudine, videlicet ut in Amphitheatro Veronensi: etsi claritas lapidum (quorum fodinam accepi tribus ab Urbe passuum milli-

A *rio intero, che cotesto fosse Anfiteatro, figurò dentro di esso una imitazione di quel di Verona, benchè di tutto ciò orma non vi sia. Non così avrà certamente fatto il nostro Falconetto, di cui parlammo nel tomo precedente, perchè egli prima d'ogni altro a fin di vedere, e disegnar quelle antichità, si trasferì a Pola, come il Vasari racconta nella sua vita. Non mancherà ancora che difficilmente s'induca a credere che sia Teatro, per avere udito, ch' altro Teatro era a Pola. Ma in primo luogo ricavasi dal testo a penna d'Onorio Belli, come non poche fur le Città, ch' ebbero più Teatri;* B *e in secondo, non lievi congetture ho raccolte, che l'altro di Pola, benchè per tale descritto, e disegnato al Serlio da chi lo vide, e così detto negli oscuri secoli, quando tai nomi si davano a caso, non fosse altramente Teatro, ma un sontuosissimo Palazzo. Come di Palazzo n'è certamente rimasa nel paese memoria, e tale parve più tosto al de Ville, nè sembrano indicar Teatro i suoi vestigj da me ricercati; era bensì sotto un colle, ma il piè di questo ne rimanea tagliato, e spianato in due luoghi, non già compreso, come per Teatri si facea.* C *Le quattro grandissime colonne di marmo Greco, che si veggono a Venezia, laterali all' Altar grande nella Chiesa della Salute, e che da quell' edifizio fur trasportate, non saprei ancora in qual parte d'un Teatro avessero potuto avere opportuno luogo. Mi sarà parimente chiesto, posto che tal fosse l'uso di quelle due torrette dalla parte della Scena, a qual fine sarebbero state fatte l'altre due dirimpetto alle descritte. Ma è noto da una parte, come per la grazia della corrispondenza più cose si fanno talvolta nelle fabriche, che puramente servono all' apparenza;* D *ed è certo dall' altra, che di quei stanzini, quali venivano ad unirsi con le logge superiori, varj usi poteano esser fatti a comodo de gli spettatori. E' anche notabile, come quelle di là non hanno però il suo intero, mancando per la ragion sopraccennata del pian di mezo.*

Per dare ormai qualche precisa notizia di così nobil recinto, diremo come la sua maggior lunghezza da una porta all' altra è di piedi Veneziani 370. e la larghezza di 300. Il circuito monta a piedi 1110. E *Il piè di Venezia cresce poco più di mezo quarto d'oncia del Veronese. L'altezza dalla parte del mare è di piedi 86. computati li sei del zoccolo, ch' è da piede, e altri cinque in circa per la panchetta, ch' è sopra la gronda superiore. Le arcate intorno sono 72. appunto come quelle di Verona; ma non per questo è ugual la grandezza, essendo minore a Pola la larghezza de' pilastri, e delle aperture. La disposizion loro è tale. La porta grande nella punta dell' ovato ha nove archi per parte;* F *indi due di qua e di là raddoppiati nel di fuori, e reggenti quelle torri, o case. Seguono tredici archi nelle due mezarie per largo, indi altri due con le torrette, altri nove per parte, e la porta corrispondente. Il lavoro è rustico, e a bugne, o bozze, ch' altri chiama sbozzi, senza pulitura, o cura di uguaglianza, e corrispondenza nella misura de i pezzi, appunto come a Verona; benchè la chiarezza della pietra (di cui mi fu detto vedersi tre miglia lontano la cava) faccia Pola molto*

bus distare) in mole Polana speciem oculis intuentium exhibeat multo pulcriorem ac venustiorem. Genus Architecturæ alii Doricum dicerent, alii Thuscanicum; huic affinius est opus rusticum, de quo modo diximus: cæterum in imo partes videntur ad Architecti arbitrium elaboratæ, nullius ordinis certis legibus obnoxiæ; in summo autem tam diversæ sunt ac simplices, ut vestigium omne ordinis evanescat. Architecti in libros suos quodammodo invexere ordinem a communibus diversum, appellantes ordinis Rustici ædificia rudibus extantibusque lapidibus cooperta: quam opinionem corroborat hoc ædificium, quippe quod in partibus ordinem præferat a reliquis classicis ordinibus longe diversum. In constructione non est adhibitum intritum, sed lapides mutuo conjuncti sunt consuetis ferreis subscudibus applumbatis; quæ majori ex parte & in hac mole detractæ sunt; ut proinde consueta foramina passim appareant. In Tabula decima sexta littera A partem faciei ostendit, B exteriorem domunculaturum extructionem, C interiorem, D earundem latus, ac rectam sectionem muri ipsius ambitus cum suis suggrundiis, E partes architectonicas exhibet primi ordinis, F secundi, G tertii, easque omnes, quæ in summo sunt.

A *più bella, e più gentile apparenza. L'Ordine altri il direbbe Dorico, altri Toscano; a questo inclina l'opera rustica di cui pur'ora: per altro nel basso le parti son molto arbitrarie, e nell'alto tanto diverse, e tanto semplici, che traccia d'Ordine si smarrisce. Alcuni Architetti hanno in certa maniera introdotto ne' libri loro un Ordine da i comuni diverso, chiamando d'Ordine Rustico gli edifizj coperti di bozze: questo recinto convalida tale opinione, mostrando veramente un modo nelle parti da gli Ordini classici assai diverso. Nella fabrica non è stata usata malta;* B *ma legate le pietre con le solite chiavi di ferro impiombate, tolte già quivi ancora dentro e fuori la maggior parte, onde si veggon da per tutto gli usati buchi. Nel decimosesto Rame A mostra una parte del prospetto. B l'esterno alzato de' casini. C l'interno. D il fianco de' medesimi, e il profilo del muro del recinto con la sua gronda. E mostra le parti architettoniche del primo piano. F del secondo. G del terzo, e di quanto si ha nella cima.*



Pilæ inferiores quadratæ sunt, & habent crassitudinis pedes prope quatuor: aditus habent luminis pedes 10. vel ut melius dicam latitudinis, a pedibus 9. 6. ad pedes 10. 6. amplitudo enim luminum admodum variatur, ut in omnibus ejusmodi ædificiis contingit. In duobus majoribus ostiis paulo editior est arcus, luminisque amplitudo complectitur pedes 15. eorum etiam fornex lapides complanatos habet; ac tres intermedii lapides in parte interiore extant pedem unum cum

C *I pilastri inferiori son quadrati, ed hanno cinque piedi scarsi di grossezza. Le aperture hanno di luce piedi 10. o per dir meglio dalli 9. 6. alli 10. 6. perchè assai variano, come in tutti gli edifizj di tal natura. Le due maggiori porte hanno l'arco alquanto più alto, ed hanno 15. piè di luce: il loro archivolto ha ancora le pietre spianate, e le tre del mezo nel di dentro sporgono in fuori mezo piede. L'altezza de' pilastri*

dimidio. Pilarum altitudo a pavimento ad ipsarum capitulum, sive postem, est pedum 10. 6. Postis altitudinis haber p. 1. 6. projecturæ vero uncias 10. Arcubus nullus inscriptus est numerus, ut in Amphitheatris necesse erat, atque ut propterea arcubus Veronensis ac Romani inscripti numeri conspiciuntur. Qua parte moles vergit ad mare, stylobata, qui præclaro invento, prudentique artificio ad pedem appositus est, ut soli, quod in declivi deprimitur, defectum suppleret, complectitur altitudinis pedes 5. 6. in cujus vertice ampla basis est, cui imposita est pila; quæ quidem basis extrinsecus coronam habet cum membris, quasi capitulum pilæ suppositæ referat: intrinsecus autem spatium ejusmodi occupat humus, quæ ibi elatior est.

Arcus a pavimento usque ad clavem suam pedes capit 17. uncias 4. ejus fornex pedes 2. unc. 2. Zonæ rudes, quæ epistylium, & Zophorum supplent, singulæ sunt pedum duorum vix: corona vero duos pedes nonnihil excedit, extantiæ autem habet pedem unum cum dimidio. Quod coronas quidem voluerit politas, rustica vero etiam epistylia ac zophora Græcus hic Architectus cum opifice Veronensis Arenæ concordat: quo loco monendum est, perfectam lapidum conjunctionem non parere in ædificiis ipsis spectatorum oculis eandem speciem, quam in deformationibus exhibent eorum lineæ divisionis. In media pila adest plana columna, quæ postem findit, suoque capitulo p. 1. 5. alto, extante vero unc. 6. epistylium sustentat: sed illud animadvertendum, postem ob ejus magnam projecturam findi tam profunde, ut specie offendatur oculus, quod non accidit in Arena Veronensi.

In ordine secundo pilæ crassæ sunt p. 4. 4. altitudo arcus complectitur p. 19. 2. atque hinc ex congruentia cum ordine inferiore colligi possunt symmetriæ ac dimensiones reliquæ. Corona, hoc est incisus postis ibi a plana columna projecturam habet ab eadem unciarum 7. a fornice vero superioris arcus unc. 9.

In tertio ordine dispositæ in orbem sunt circumque pro arcubus totidem fenestræ latæ p. 5. 8. altæ vero p. 7. 8. ab inferiore corona ad fenestram intervallum est p. 4. a fenestra ad summitatem p. 7. Sed pars hæc videtur esse alterius structuræ generis: est etenim primum ordo lapidum, qui supra fenestras transversi etiam lapidis obit vices; deinde parva ac depressa corona, quæ ab omni lege usuque videtur abhorrere; tum zonæ duæ altæ ac rudes; inde suggrundiæ, quæ ingentis coronæ loco sunt. Adeo ut ubi ornatus solet crescere ab inferioribus procedendo ad superiora, hic decrescat: inferioris enim ordinis coronis membra novem habet, in quibus prope in medio zonam cum corona quod utpote tres uncias altum videtur illam partiri bifariam. Corona ordinis secundi habet membra duo tantum, cum ejus prope dimidia pars a cava quadam veluti fascia occupetur. At in summo reapse corona nulla est, sed suggrundiæ, quarum etiam projectura, decrescente in ordine tertio muro, nonnihil occultatur. Suggrundiæ istæ in superiore parte in canalis morem excavatæ infra se habent sane parvam zonam, tum convexitatem unius pedis cum dimidio, deinde fasciolam dimidii pedis, quæ mediocribus intervallis invicem dissita foramina quadrata habet ad efferendam aquam, in quibus esse debuerunt appositi tubi, quo longius projiceretur. Etiam in parte interna extra murum projiciuntur pedem unum venustatis, ac æquipondii gratia. Positura ac modus supremæ hujusce partis ostendit, quam proprie ab Antiquis appellata sit *corona*, cum ea

A *stri dal pavimento al lor capitello, o vogliam dire imposta, è di p. 10. 6. L'imposta ha p. 1. 6. d'altezza, ed once 10. di proiettura. Sopra gli archi non è segnato alcun numero, come negli Anfiteatri era necessario, e come però si veggono in quei di Verona, e di Roma. Dalla parte del mare il piedestallo, o sottopilastro, che con bel ritrovato ed intelligenza è stato posto da piede per supplire all'abbassarsi che fa nel declivio il terreno, rileva in tutto piedi 5. 6. avendo nella sua cima un largo basamento, sopra cui è il pilastro; il qual basamento per* B *di fuori ha cornice con membri, come rappresenti capitello di pilastro che sia sotto: per di dentro tale spazio è occupato dalla terra che vi è più alta.*

L'arco dal pavimento alla sua chiave è di piedi 17. once 4. l'archivolto suo è di p. 2. 2. Le fasce roze, che supplíscono architrave e fregio, son di due piedi scarsi ciascuna: la cornice cresce alquanto di due piedi, e ne ha uno e mezo di sporto. Nell'aver voluto pulite le cornici, e rustici anche gli architravi, e fregi, si uniforma questo Greco Architetto a quello dell'Arena Veronese; dove bisogna avvertire, che la perfetta congiun- C *zion delle pietre non fa negli originali quell'effetto all'occhio, che fanno con le lor linee di spartimento i disegni. In mezo al pilastro è la colonna piana, che fende l'imposta, e va col suo capitello alto p. 1. 5. e in fuori once sei, a sostener l'architrave: ma è da notare, che l'imposta ne resta tagliata tanto profondamente per cagion del suo molto sporto, che l'occhio ne resta con disgusto, il che non avviene a Verona.*

Nel secondo piano i pilastri son grossi p. 4. 4. l'altezza dell'arco è di p. 19. 2. dal che attesa la corrispondenza col piano inferiore, si pos- D *sono arguire l'altre misure. La cornice, cioè l'imposta tagliata quivi dalla colonna piana, vien più in fuori d'essa once 7. e più della volta dell'arco superiore once 9.*

Nel terzo piano girano intorno in vece d'archi altrettante fenestre larghe p. 5. 8. alte p. 7. 8. dalla cornice di sotto alla fenestra son p. 4. dalla fenestra in su presso a 7. Ma questa parte sembra qui di nuovo divisamento, perchè è prima un ordine di pietre, che serve anche di traverso su le fenestre; poi una piccola e bassa cornice, che pare fuor d'ogni regola ed uso; indi due alte e roze fasce, poi gronda, E *che tien luogo di cornicione. Di modo che dove per solito cresce l'ornamento salendo, qui scema, mentre la cornice del piano inferiore, ha nove membri tra quali quasi nel mezo un listello con gocciolatoio, che par la divida in due parti, essendo alto più di tre once. La cornice del pian secondo ha quattro membri soli, essendone occupata da un guscio poco meno della metà. Ma nella cima non vi ha veramente cornice, ma gronda, lo sporto della quale resta ancora alquanto occultato per lo degrado, che ha il muro nel terzo piano. Questa* F *gronda incavata a canale nel di sopra, ha sotto un listello poco sensibile, poi la convessità d'un piede e mezo, indi una lista di mezo piede, che in regolate distanze ha fori quadrati per portar fuori l'acqua, e in essi saranno stati tubi per portarla lontano. Anche nel di dentro viene un piede più in fuori del muro per grazia, e per contrapeso. La positura, e il modo di questa suprema parte fa vedere quanto propriamente fosse chiamata dagli Antichi* corona, *sembrando appunto, che l'e-*

videlicet coronari ædificium videatur; lumenque A affert ad clarius intelligendum Vitruvium, ubi inquit in parietum summitate sub tegulis apponi ad arcendam aquam consuevisse *projecturas coronarum*. Sed quænam aqua isthæc erat? ea nimirum, quæ in tectum porticus in summitate auditorii constitutæ, atque in tectum porticus superioris ad partem alteram illabebatur. Quomodo ejusmodi aqua ab Amphitheatris averteretur, ac per quam viam emitteretur, nemo cogitavit, reique hujus reddi ratio ægre potest, cum neque in Arena Romana suprema pars ad nos usque integra servata fuerit: credibile est, id præstitum fuisse per tubos parietibus insertos, qui cum ducti B bus subterraneis conjungerentur: horum tuborum ex metallo reperta Veronæ fragmenta sunt.

Non observatum in aliis ædificiis pariter complementum est, quod Polæ cernitur in summitate: etenim in suggrundiarum excavatione in linea ad perpendiculum cum inferioribus pilis attolluntur duos fere pedes quædam parva scamna, seu parvi stilobatæ, supra quos recurrit in orbem sellula quædam, sive fasciola pariete angustior, ut indicatur in ipsa deformatione. Lapides fasciolæ hujus duobus in locis apparent excavati in formam quadratam, quasi aquæ ductus C essent; ac per ulnas aliquot apparet ex una parte, supra ipsam recurrisse aliam quandam, quæ inferiorem illam protegebat. Hæc observanti rediit in mentem illa *Theatralis aqua* a Symmacho (*l. 4. ep. 8.*) memorata, cujus vim significationemque nemo assequi potuit. Fortasse aut fontes olim, aut alia id genus fingebantur interdum, ad quæ exhibenda necessaria aqua erat, quæ ex alto deflueret. Excavationes inter duas quasque fenestras trabibus recta consistentibus inserviebant, quæ trabes totidem abacis lapideis, latis in quadratam figuram pedem unum uncias quatuor immittebantur. Abaci innituntur inferiori coronæ, non aliter D ac descripti in Arena Veronensi, retractique sunt introrsum octo uncias plusquam ipsa corona; sed quadratum eorum foramen majus est, ac prope parietem ipsius excavationi respondentem, non autem in medio, atque insulatum, ut Veronensia sunt, quorum alius usus erat. Trabes ergo findebant parvam coronam supra fenestras, inde superiorem, sive suggrundias perforabant, ac Velario inserviebant.

Pars interior interni muri levis est tota ac sine coronis, utpote quæ tabulatis obtegebatur, exceptis tamen postibus arcuum in terreno ordi- E ne, qui etiam in parte interiore procedunt. Postes ordinis secundi elaborati non conspiciuntur nisi in angulis, reliquæ partes rudes sunt. Retractio, quæ manifeste incurrit in oculos, muri ascendentis, est in parte interna versus externam; adeo ut incedatur, qua parte decrementum murus patitur, supraque eum lapidem, qui exterius format epistylium; multoque latius in secundi ordinis retractione, tertio ad parvam crassitudinem redacto. In summo foramina, quæ diximus esse in externa coronæ parte, sunt in parte quoque interna, sine projectura tamen; idque videri posset in eum finem factum, ut immitti tigna qui- F rent. Pars interna certe fuit lignea: neque enim in muri retractionibus apparent ulla fornicum innixorum vestigia, neque alibi vestigia parietum, qui mutuo conjungerentur: erant vero in graduum cornibus, aliisque in locis quibusdam reliquiæ insulati muri, seu pilæ, quibus firmari, imponique tabulata debuerunt. Lignea erat pariter alterius Theatri pars interna, quod detectum est prope Antium itidem ad mare, cognitumque ac relatum a Blanchino pagina ultima

dificio se ne incoroni, e fa meglio intender Vitruvio, ove tocca, che nelle sommità de i muri, sotto le tegole si poneano per tener fuori l'acqua le proietture delle corone. *Ma qual acqua era questa? quella certamente che cadeva sul tetto della loggia, posta nella cima dell'uditorio, e sul tetto del portico superiore dall' altra parte. Come tal'acqua si sgombrasse negli Anfiteatri, e qual via le si facesse prendere, niuno ha considerato, e mal se ne può render conto, per non essersi nè pure a Roma conservata affatto l'ultima sommità: è credibile, che per tubi incassati nelle pareti, quali mettessero ne' sotterranei condotti: di tali tubi di metallo si trovarono già pezzi a Verona.*

Non più osservato in altri edifizj è parimente il finimento, che si vede a Pola nella sommità; perchè su l'incavo della gronda, in linea perpendicolare co' pilastri inferiori si alzano due piedi in circa certi piccoli scanni, o piedestalletti, sopra i quali corre d'intorno una panchetta, come nel disegno si accenna, o sia una striscia più stretta del muro. Le pietre di questa veggonsi in due luoghi incavate in quadro, quasi fossero condotti d'acqua, e per alquante braccia vedesi da una parte, che sopra esse ne correva un'altra, qual copriva quella di sotto. Tornommi a mente nell'osservar ciò, quell' acqua Teatrale *mentovata da Simmaco, di cui niuno ha mai saputo pensare il significato. Forse fontane, o altre bizarrie si fingean talvolta, per le quali era necessario d'aver' acqua, che calasse d'alto. Gl'incavi, che si veggono tra una fenestra e l'altra, servivano per travi in piedi, quali si facean posare dentro altrettanti dadi di pietra, larghi in quadro un piè e quattr'once. Questi posano su la cornice di sotto, appunto come i già descritti di Verona, e rimangono ott' once più dentro di essa, ma il lor buco quadrato è più grande, ed è presso il muro, corrispondente all'incavatura di esso, e non già nel mezo, e isolato, come i nostri del terzo piano, che ad altr'uso servivano. Le travi adunque tagliavano la cornicetta sopra le fenestre, indi foravano la superiore, o sia la gronda, e servivano al Velario.*

Per di dentro tutto il muro interno è liscio, e senza corniciamenti, siccome quello che restava da i tavolati coperto; a riserva delle imposte degli archi nel pian terreno, quali camminano anche nell'interno. Quelle del secondo non si veggon lavorate che su gli angoli, lasciato rozo il rimanente. Il ritirarsi che fa visibilmente il muro ascendendo, è nel di dentro, e verso il di fuori; talchè si cammina sul degrado, e su quella pietra, che forma esteriormente architrave; e più largamente nel degrado del pian secondo, riducendosi il terzo in poca grossezza. Nella cima i fori, che abbiam detto aver la corona nell'esterno, gli ha anche per di dentro, ma senza sporto, e parrebbe a fine d'inserir legni. L'interno certamente era di legno, non avendosi ne i degradi del muro vestigio alcuno di volte, che vi impostassero, nè in altro luogo di muraglie, che si congiungessero: bensì ne' corni de' gradi, e in qualch' altro sito, pezzi di muro isolati, o pilastri v'erano, ne' quali assicurar si doveano, e fondarsi le travature. Di legno era parimente l'interno d'altro Teatro scoperto presso Anzio pur vicino al mare, e riconosciuto, e riferito dal Bianchini all'ultima pa-

suarum *Inscriptionum sepulcralium* Familiæ Augustæ.

Nihil reliquum aliud est præter appendices, de quarum interna specie dictum est satis. Externa vero est, qualis ostenditur ad litteram B, latus autem ipsarum, quale ad litteram D visitur. Earum prominentia est pedum decem: inter has atque illas geminatas pilas interjectum est spatium pedum quinque, quod format exitus, atque in duorum ordinum superiorum latere duæ fenestræ sunt: in ordine intermedio lumina obturata sunt pariete usque ad postes, ad quorum altitudinem parva quædam corona est: duo dimidiati orbes clausi sunt cancellis ex albis lapidibus, quasi tigillis triangularibus, quo aeri ac lumini aditus patet. In ordine superiore fenestræ quatuor sunt: cum transennis pariter lapideis certo artificio perforatis, diversoque opere elaboratis intermediis ab opere duarum reliquarum.

Effodiendam satis alte humum curavi ante majorem januam, quæ urbem prospectat; sed datum non fuit ullum vestibuli invenire vestigium, aut ornamenti alterius, quod in ea parte fuerit, vel columnæ ullius fragmenta, vel marmoris frusta. Neque puteus inventus est, qui medium tenet in Veronensi Amphitheatro: neque vero opus erat puteo, ubi ob loci declivitatem versus mare eo facilior, ac promptior est aquarum exoneratio. Inventus est vero contra auditorium subterraneus quidam ductus secundum rectam lineam, duos pedes longitudine excedens, atque intra quem homo rectus incedit. Fornice nunc tectus est, nunc vero crassa lapidea lamina; sed laterales parietes strata laterum, neque pulcrum ordinem ac magnificentiam habent, quam præseferunt ductus Veronenses, neque intritum sic induratum est, neque lapillis refertum, sed fragile, æque ac illud ætatis nostræ. Ductus hic incurrit postea in duos alios paulo minores, qui via recta ad mare tendunt, quo sordes deferebant, & aquas pluvias in Theatro collectas.

Libenter fecissem verba de reliquiis etiam duorum Amphitheatrorum, quæ fama est in Sicilia esse, si accurata notitia, quam nescio quis humanissime comparavit mihi, ad me pervenisset. Ceterum in *Memoriis Historicis* Abbatis Carusi, quæ liberaliter missæ ab eo mihi sunt, cum primum in lucem illas Auctor edidit, lego, ejus Amphitheatri, quod fertur Syracusis esse, *paucissimas reliquias superesse*, hoc est obscuras atque incertas: ac litteræ plurium Virorum illustrium doctorumque ex eo Regno testantur præterea Theatrorum quidem extare vestigia, Amphitheatrorum vero plane nulla esse.

FINIS.

gina delle sue Inscrizioni Sepolcrali *della famiglia d' Augusto.*

Non resta che le appendici, dell' interna apparenza delle quali si è ragionato a bastanza. L' esterna è qual si mostra alla lettera B. ed il lor fianco è qual si vede alla lettera D. La lor prominenza è di piedi dieci: tra gli uni, e gli altri de i pilastri raddoppiati è vacuo di cinque piedi, che forma uscj, e nel fianco de' piani superiori son due fenestre: nel pian di mezo i vani son serrati con parete fino all' imposte, a ragguaglio delle quali è una piccola cornice: le due meze lune son chiuse da cancelli di bianche pietre, quasi travicelli triangolari, che lasciano aria, e lume. Nel piano superiore son quattro fenestre con ramate, o griglie pur di pietra, forate a disegno, e con opera differente in quelle di mezo dall' altre due.

Ho fatto scavare assai profondamente innanzi la porta grande, ch' è dalla parte della Città, ma non mi è riuscito di trovare indizio di vestibolo, o d' altro ornamento che vi fosse, nè rottame alcuno di colonna, o pezzo di marmo. Così non si è ritrovato il pozzo, che si ha nel mezo a Verona, nè ve n' era bisogno, dove per la pendenza verso la marina il perfetto scolo è tanto più facile, e pronto. Ben si è ritrovato in faccia all' uditorio un sotterraneo condotto in linea retta, lungo oltra due piedi, e dentro il quale cammina un uomo diritto. E' coperto ora con volta, ora con grossa lastra, ma i muri laterali non hanno gli strati di quadroni, nè il bell' ordine, o sontuosità di quei di Verona; nè la malta vi è così indurita, nè mischiata di sassetti, ma fragile come la moderna. Questo condotto ne trova poi due altri alquanto minori, che vanno dirittamente verso il mare, dove le immondizie portavano, e l' acque piovane nel Teatro raccolte.

Avrei parlato volontieri anche delle reliquie di due Anfiteatri, che vien detto trovarsi in Sicilia, se la precisa informazione, ch' altri con molta cortesia me ne ha procurato, mi fosse capitata. Leggo per altro nelle Memorie Istoriche *del Sig. Abate Caruso, che mi furono da lui gentilmente mandate, allorchè le diede in luce, come di quello che si pretende a Siracusa* pochissime reliquie restano, *ch' è quanto dire oscure, ed incerte; e più lettere di cospicui e dotti soggetti di quel Regno mi attestano in oltre, che di Teatri bensì, ma d' Anfiteatri orma non si vede.*

IL FINE.

ADDENDA.

pag. 51. *multa fuisse*. Fuit qui crederet se reliquias Amphitheatri & in pago quodam ad Iseum Lacum videre.

pag. 55. *In Græcia*. Palam etiam fit, orbicularis formæ Theatro, vel alteri ejusmodi ædificio nomen Amphitheatri, cum de Corintho verba faceret, tribuisse Auctorem ejus Orbis Terrarum Descriptionis, quam in publicum edidit Gottofredus.

v. Cellar. Geogr. l. 2. c. 9.

pag. 69. *mentio Amphitheatri*. Diocletianus, ut legimus in libro de Mortibus Persecutorum, *infinita ædificandi cupiditate* abreptus fuit, adeoque alibi *Basilicas*, alibi *Circos*, alibi *Monetas*,

ADDENDA.

pag. 52. ne fosser molti. C' è stato chi ha creduto vedere avanzi d' Anfiteatro fino in un villaggio sul lago d' Iseo.

pag. 56. in Grecia. Si rende chiaro altresì, che a circolar Teatro, o ad altro simile edifizio, nome diede d' Anfiteatro nel parlar di Corinto l' autore di quella Descrizion del mondo publicata dal Gottofredo.

pag. 70. menzione d' Anfiteatro. Dioclezia-no secondo il libro delle Morti de' Persecutori fu rapito da infinità cupidigia di fabbricare, *e però ove* Basiliche, *ove* Circhi, *ove* Zec-

alibi alia ædificia construxit, sed Amphitheatra non condidit.

pag. 155. haud quidem extant, neque mutuo interjectis canalibus distinguuntur, sed nomen hoc solet tribui operi non complanato, quod speciem exhibet rustici ornamenti.

pag. 165. ne verbum quidem fecit. Cum Barbaro facit etiam Perraultius, Vitruvium loqui hic de Corinthia, non autem de Thuscanica. Si quis putet, Etruscos non aliam habuisse Architecturæ, ac magnificentiæ formam, quam quæ a simplicibus, ligneisque epistyliis pendet, is legat l. 36. c. 16. Varronis verba, a Plinio relata de monumento Regis Porsenæ Clusii, quod Ægyptia Mausolea exæquabat.

pag. 175. ut nullum aliud queat cum illo conferri. Sic non decrescunt ordines duo in Theatro Marcelli, nec plures alii. Sic videmus in Arena in ambitu superiore non amplius esse planas columnas, quippe quarum species nascitur in deformatione ex pilarum arcuum sub capitulis retractione quadam introrsum. Polæ quoque columnæ nullæ sunt in ordine supremo. Nostræ evanescentes quadratis ac depressis in Coliseo respondent, ubi inferiores rotundæ sunt, & admodum extantes. Hujus rei rationem redderent Opticæ periti. Sed cum in hoc ordine &c.

ibid. pilis sustineantur. Cum sub epistyliis sint arcus validi, Serlius, Michael Angelus, de Vignola, aliique ejusmodi Architecti in claris ædificiis epistylia frangere non dubitarunt, mirumque in modum rudibus nec complanatis lapidibus delectati sunt: quod tanto laudabilius in Arena fuit, in qua ejusmodi lapides non ita divisi sunt, ut fracturam ullam ostendant. Ordinum etiam degradationes, ac symmetriæ ex Architecti prudentia pendere debent. Aliud est de ordinibus ipsis loqui, aliud vero de ædificiis, ubi necesse est externas partes internis accommodare. Sic regula illa, quæ præcipit, ut trabeatio sit quinta pars juxta Vitruvium, vel pars quarta juxta Scamozium, ac de Vignola, altitudinis columnarum, conferenda est cum iis, quæ eodem ipso loco apud Vitruvium sequuntur: is etenim loquitur ibi de Theatris, additque, non ita tamen faciendum esse non in ædificiis solum omnibus, sed ne in omnibus quidem Theatris; atque Architectum *oportere animadvertere, quibus proportionibus necesse sit sequi symmetriam, & quibus rationibus ad loci naturam aut magnitudinem opus debeat temperari*. En universum artis fundamentum, ex quo prudenter ansam Barbarus accepit reprehendendi illos, qui nacti in antiquis ædificiis quidquam a Vitruvianis præceptis alienum, statim vel Antiquos ejusmodi operum Architectos, vel ipsum Vitruvium damnant. Observat denique Eq. Juvara &c.

p. 287. a Colchis conditam fuisse; imo Colchicum etiam nomen ei fuit, si Callimacho a Geographo relato credimus.

che, ove altri edifizj andò inalzando qua e là, ma Anfiteatri non fece.

pag. 156. non sono già rilevate, nè frammezzate da' canali, ma si suol dar tal nome al lavoro non compianato, che viene a far' effetto d' un ornamento rustico.

pag. 166. non parlò punto. Anche il Perrault sente col Barbaro, che Vitruvio del Corintio quivi parli, non del Toscano. Chi pensasse non avessero gli Etrusci altra idea d' Architettura, e di magnificenza, che con semplici architravi, e di legno, vegga le parole di Varrone, riferite da Plinio, intorno al monumento del Re Porsena in Chiusi, che si uguagliava a' Mausolei d' Egitto.

pag. 176. il più bell' edifizio del mondo. Così non diminuiscono i due ordini del Teatro di Marcello, nè tanti altri. Così veggiamo nell' Arena, che nel giro superiore non ci son più colonne piane, nascendo l' apparenza di esse nel disegno, dal ritirarsi alquanto in dentro le pilastrate degli archi sotto i lor capitelli. A Pola parimente non si hanno colonne nell' ordine più alto. Il perdersi che fanno le nostre corrisponde all' esser quadre, e basse nel Coliseo, dove le inferiori son rotonde, e con molto sporto. L'Ottica ne troverebbe le ragioni. Ma restringendosi in tal piano i nostri vani &c.

ivi. sien sostenuti. Quando sotto gli architravi sono archi robusti, Serlio, Michel' Angelo, Vignola, e altri tali Architetti in famose opere non hanno avuta difficoltà a spezzar gli architravi, e vi si son compiacciuti delle bozze singolarmente: il che tanto più lodevole fu nell' Arena, dove le bozze non son già talmente divise, che vengano a mostrare spezzatura. Anche le degradazioni de' piani, e le misure debbon prender regola dalla prudenza. Altro è parlar degli Ordini in astratto, ed altro è parlar d' edifizj dove sia forza adattar le parti esterne alle interne. Così il precetto del far, che il Sopraornato sia il quinto secondo Vitruvio, overo il quarto secondo Scamozio, e Vignola, dell' altezza delle colonne, bisogna confrontarlo con quanto segue in Vitruvio in quel luogo stesso: perch' egli parla quivi de' Teatri, e aggiunge, che non bisogna però far così, non solamente in ogni edifizio, ma nè pur ne' Teatri tutti; e che dee l' Architetto avvertire con quali proporzioni abbia da stabilire la simmetria, ed in quali maniere si debba l' opera adattare alla natura, o alla grandezza del luogo. *Ecco l' universal fondamento dell' arte, dal quale saggiamente prese motivo il Barbaro di riprender coloro, che trovando negli edifizj antichi diversità dal sistema di Vitruvio, passano tosto a condannare o gli Architetti loro, o Vitruvio stesso. Avverto per fine il Cavalier Juvara &c.*

pag. 288. fondata da' Colchi; anzi Colchico n'era anche il nome se vogliam credere a Callimaco, riferito dal Geografo.

MARCHIONIS SCIPIONIS MAFFEII
DE
AMPHITHEATRIS GALLIÆ
EPISTOLA
AD
MARCHIONEM JOANNEM POLENUM,
IN PATAVINO GYMNASIO
MATHESEOS PROFESSOREM.

Reddita Latine Interprete Petro Facciolo Sac. Th. Doctore Coll. & in Seminario Patavino Rhetoricæ Artis Præceptore.

DE AMPHITHEATRIS GALLIÆ EPISTOLA

AD MARCHIONEM JOANNEM POLENI

In Patavino Athenæo Matheseos Professorem.



Uod mihi ab Italia discedenti curæ esse voluisti, ut de Galliæ Amphitheatris certi aliquid explicatius ad te scriberem, in eo tuæ jam licet obsequi voluntati. Longa enim peregrinatione eas præcipue regiones lustrasse mihi videor, in quibus horum monumentorum nec exiguæ, nec ignobiles reliquiæ supersunt. Quæ tibi nota modo esse volo, iis esse possent additamento quæ de Amphitheatris aliquando scripsi, quæque in quartam ejus voluminis partem contuli, quod inscripsi *Verona Illustrata*. Tres Urbes invisere mihi contigit, quæ hujusmodi monumentorum conspicuas reliquias servant: Nemausum in Occitania, Arelatem, & Forum Julium. A Nemausensi Amphitheatro exordiar: prius enim illud quam alia vidi, estque dignum quod præ cæteris expendatur.
l. 1. c. 1. Utrum vere Amphitheatrum illud esset affirmavi de hisce substructionibus agens me nonnihil ambigere: & si fuissem pronior ad habendam iis fidem qui mihi illud descripserunt, & aliis, qui non ita multo ante ibi scalas deesse, ac pro iis plures esse januas litteris prodiderunt, majore me in dubitatione versari confirmavissem. Vix illud tamen aspexi, cum mihi omnis dubitatio sublata est.

Hujus tam eximiæ molis imagines publici juris fecit primus omnium Poldus Albenas. Eæ licet rudiores aptius tamen expressæ fuere quam quæcumque ab aliis postea propositæ: tum quia Serlium in aliis ædificii delineandis secutus partes architectonicas majoribus figuris adjectisque mensurarum numeris descriptas separatim ostendit; tum quia cum interiorem ab imo ad summum structuram, quippe corruptam ex omni parte delineationibus non adumbravisset, non in eos prolapsus est errores, in quos offendere illi solent, qui res antiquas ita exhibent non uti sunt, & videntibus revera apparent, sed quales eas fuisse sibi fingunt. Ab Albenate Justus Lipsius deinde partem orthographiæ, quam proponit, mutuatus est. Tum Gautier aliquas deformationes libello edidit, quæ in magnum illud volumen congestæ sunt, cujus titulus *L' Antichità spiegata*, itemque exigua mutatione in recentiorem Historiam Occitaniæ. Sua quidem ei debetur laus, sed longe pluribus opus ut hujusmodi ædificii structuram comprehendas; cumque præterea voluerit illud integrum absolutumque ob oculos ponere, interiorem Amphitheatri Romani faciem, ut & alii facere consueverunt, a Lipsio excogitatam desumsit, ostiis sub Podio positis, quæ nec fuisse, nec esse potuisse alias libro edito ostendi. Et longiora veluti ostia in inferioribus gradibus collocavit, cum omnia vomitoria æqualia essent; in-

DEGLI ANFITEATRI DI FRANCIA LETTERA

AL SIGNOR MARCHESE GIOVANNI POLENI

Professor di Matematica nell'Università di Padova.



A *I trovo già in grado di potervi servire della precisa notizia da voi raccomandatami nel mio partir d'Italia intorno a gli Anfiteatri di Francia, mentre in questo mio lungo giro credo d'essermi trasferito ne' principali luoghi, ove considerabili, e insigni reliquie ne restino. La relazione, ch'or di essi vi trasmetto, potrebbe servir di supplemento al Trattato de gli Anfiteatri, che*
B *forma la quarta parte della mia* Verona Illustrata. *Tre Città ho ritrovate, che nobili avanzi conservano d'edifizio di tal genere; Nimes in Linguadocca, Arles, e Frejus in Provenza. Farò principio da quel di Nimes, ch'è stato il primo da me osservato, e che merita più considerazione degli altri. Dissi di questo nel mio Trattato, nascermi* qualche dubbio, *se fosse veramente Anfiteatro; e più avrei detto, se avessi avuta maggior fede alle descrizioni, che me ne venivan fatte, ed a chi di recente ha scritto, come non vi erano scale, ma in quella*
C *vece fosse supplito con maggior numero di porte: ogni dubbio però, al primo rimirarlo che ho fatto, è svanito.*

A publicar disegni di così nobil mole, primo fu Poldo d'Albenas nel 1560. Le sue figure, benchè alquanto roze, furon meglio pensate di tutte le posteriori; sì perchè imitando il modo dal Serlio nel disegnare altri edifizj tenuto, mostrò le parti architettoniche separatamente in grande, e in misura; e sì perchè, non avendo espresso l'alzato interno, come del tutto distrutto, sfuggì quegli errori, ne' quali suol ca-
D *dere chi rappresenta le Antichità, non quali sono, e si veggono, ma come c'immaginiam che fossero. Dopo Albenas fu Giusto Lipsio, che da lui prese una parte del suo prospetto. E' poi venuto il Gautier, i disegni del cui libretto sono stati riportati nella gran raccolta dell'* Antichità spiegata, *e parimente con pochissimo divario nella nova Storia di Linguadocca. Quell' Autore meritò per verità la sua lode; ma troppo più ci vuole a far ben comprendere un così fatto edifizio; ed avendolo egli voluto mettere dinanzi a gli occhi intero e perfetto, prese, com'è pure in uso, l'interior faccia dell' Anfi-*
E *teatro Romano immaginata da Lipsio, figurando uscite, e porte sotto il Podio, quali ho dimostrato nel mio libro, come nè v'erano, nè potean' esservi; e facendo lunghe aperture ne' più bassi gradi, quando gli sbocchi eran tutti uguali; e dentro di essi mostrando scale ben alte, quasi per uscir da essi, e venire al Po-*

tus vero sublimes scalas commentus est, quasi vero egredientibus inde, venientibusque ad Podium, descendendum esset, non ascendendum: quæ si ponas, tota depravatur, atque corrumpitur intima Amphitheatrorum constructio. Paucis figuris in hac brevi descriptione me expediam: Nam neque potest primi, nec alterius ordinis icnographia integra certo recognosci, & typi ex ære, quos de Circo Veronensi cum agerem proposui, plurimum ad interiorem hujus, & aliorum partem intelligendam conferre possunt.

Amphitheatrum hoc, si universum complectaris, & quodam modo pingui minerva Compares, eadem, qua sunt alia, forma erat, eratque pariter figura ovata, quam *ellipticam* dicunt. Quare quoties *Orbicularis* vocem usurpo, populi consuetudinem, non severas mathematicorum regulas sequor. Exterior Amphitheatri Romani paries in arcus octoginta dividitur, qui totidem erant aditus; Veronensis in duos, & septuaginta; Nemausensis in sexaginta. Paries exterior Romani distributus erat in arcuum quatuor ordines, quartus tamen longe cæteris altior erat. In Veronensi quoque quatuor fuisse videntur, quando lapides qui a tertio extolluntur Atticurgem non referant. Nemausensis duos tantum ordines habet, supra quos surgit Atticurges. Decepti sunt enim qui scripserunt, ibi esse initium tertii ordinis. Amphitheatrum Romanum in parte ima quatuor porticus ambiebant, Veronense tres, Nemausense duæ. Janua, quæ libello nuper edito, collocatur in medio sciographiæ tanquam signum alterius porticus, neque est, neque unquam fuit. Non est facile in *Colosseo* certum graduum numerum constituere. Circus Veronensis nunc jam instauratus gradus habet 45. & olim facile fuit numerus prope par. Nemausensis habebat gradus ferme 34. prout ex nonnullis, quos desuper vides, ex dimensionibus, vestigiisque assequi conjectura licet. Veronensis qua longissimus est pedes continet 450. qua latissimus 360. altitudo exterioris parietis quoad eam partem quæ nunc superest, est pedum 88. sed prout ad calculum eum parietem aliquando revocavi, cum integer fuit, altus fortasse fuit pedes 110. Nemausensis Amphitheatri major axis erat pedum ferme 408. minor 284. Altitudo fere fuit, ut opinor, pedum 70. Utor pede Veronensi, qui Veneto minor est duabus lineis, sive duabus partibus duodecimis, Gallico autem major quinq; lineis. Etsi hoc in Amphitheatro columnæ sunt, modulos tamen non exhibui: aptiores sunt enim in hisce substructionibus ad id quod volumus pedes, & unciæ. Ex his generatim intelligas quæ sit partium ædificii distributio, quæ *ellipsis* ratio, quæ magnitudo præ duobus illis Amphitheatris, quorum plura quam aliorum vestigia superfuerunt. Mole quidem, & altitudine inferius illud est Veronensi. Hinc fortasse Lipsio visum est *pulchrum* quod *satis sit*; eos quodammodo irridens qui eximium opus fuisse crediderunt. Verum Lipsius neq; illud vidit, neq; si vidisset, fortasse, licet doctissimus, non satis recte de eo pronunciare sententiam potuisset. Admonui enim aliquando in Amphitheatris, eum Architecturæ non fuisse scientissimum. Hoc quoque Amphitheatrum superbum fuit, & exterioribus ornamentis nostrum superabat. Olim quoque intra muros continebatur. Saxa, quibus totum confectum fuit, optima sunt dura, & solida, quæ neque comminuuntur, neque diffinduntur. Scrobs distat inde una *leuca*.

Extant nunc quoque ex Pariete exteriore ab imo usque ad summum quatuor quintæ partes am-

dio, si avesse dovuto discendere, in vece di ascendere: poste le quali cose l'interna struttura degli Anfiteatri riman trasformata del tutto, e del tutto guasta. Io nella mia breve descrizione me la passerò con poche figure, perchè da una parte l'intera pianta nè del primo, nè del secondo piano non ci sarebbe modo a rilevarla con sicurezza; e dall'altra i Rami, che ho dati trattando dell'Arena Veronese, posson servire in gran parte anche per l'interior di questa e di tutte l'altre.

La forma generale di quest' Anfiteatro era in grosso la medesima che quella degli altri, ed era parimente di figura elittica; però quando uso il termine di circolare, intendo di parlar popolarmente, e non matematicamente. Il primo recinto del Romano è diviso in archi ottanta, ch'erano altrettanti ingressi; il Veronese ne avea settanta due; quel di Nimes sessanta. Il prospetto del Romano era compartito in quattro piani, superando di molto in altezza il quarto; quattro par, che n'avesse anche il Veronese, quando le pietre, che pur rimangono sopra il terzo, ad Attica non appartenesser più tosto: quel di Nimes ha due piani soli, e sopra essi un' Attica, vanamente essendo stato scritto, che ci si vegga il principio d'un terzo ordine. Il Romano avea nel pian terreno quattro corridori, o sia portici, che rigiravano intorno; il Veronese n'avea tre, quel di Nimes due: la porta, che in moderno libro ci si mette a mezo dello spaccato, quasi per indizio d'altro corridore, nè vi è, nè vi fu mai. Il numero de' gradi nel Coliseo difficilmente si può stabilire: l'Arena Veronese al presente dopo le ristaurazioni n'ha 45. e poco diverso potea esserne il numero anticamente: quella di Nimes, per quanto si può raccogliere da i pochi, che in alto rimangono, e dalle misure, e vestigj, ne avea 34. in circa. A Verona la somma lunghezza era piedi 450. la somma larghezza di 360. l'altezza nella parte, che al presente sopravanza del primo recinto è di piedi 88. ma computai già, che quand' era intero, potesse forse arrivare alli 110. A Nimes il maggior asse era di piedi 408. in circa, e il minore di 284. l'altezza poco più poco meno potea esser di 70. Uso il piè di Verona, che scema due linee, o sia due dodicesimi d'oncia di quel di Venezia, e cresce cinque linee di quel di Francia. Benchè in quest' Anfiteatro si abbia colonna, non però ho formato modulo, poichè in tal sorte di fabriche torna meglio il valersi per tutto di piedi, e d'once. Da quanto ho detto ben potete raccogliere la distribuzione generale dell'edifizio, e la natura della sua elissi, e la sua grandezza in comparazione de' due Anfiteatri più conservati, che ci rimangano. Era veramente più piccolo, e men' alto del Veronese, e forse per questo parve a Lipsio, ch'ei fosse poca cosa, ridendosi in certo modo di chi credeva, esser già stata sontuosa mole. Ma nè Lipsio credo il vedesse, nè se l'avesse veduto, era forse atto, benchè dottissimo, a formarne molto giusto giudicio, avend' io già nel mio Trattato avvertito, come nell'arte edificatoria ei fu poco versato. Superbo Anfiteatro fu questo ancora, e nel di fuori era più ornato del nostro. Restava anche anticamente dentro il recinto delle mura. La pietra, con cui fu lavorato tutto, è d'ottima qualità, dura, consistente, e che nè sfalda, nè scheggia: se ne vede la cava in distanza d'una lega.

Sussiste in oggi il primo recinto fino all'ultima sommità per più di quattro quinti del giro, dove

bitus, & amplius. Ex Veronensi vero vix quatuor arcus, & ii quidem neq; superiore parte integri. Ambitus pars, quæ modo desideratur, consecutis temporibus diruta ab iis est, qui domos, ac Turres extollere voluerunt. Domus ab una parte cum aliis exterioribus conjunguntur, ut Circus formam Insulæ non amplius servet, proindeque eum ambire non liceat. Facies ejus, nisi aggesta terra operiretur qua amplius, qua minus decem pedibus, aut etiam duodecim & amplius, si incolis fidem habeas, videretur longe magnificentior. Etsi exterior paries superfuit, non superfuit tamen prima adjuncta porticus, multoque minus quidquid ultra erat in imo arcum ordine. Etenim locis omnibus ad alios usus præsertim domorum conversis, veteribusque muris dirutis, quidquid spatii est aliam quodammodo formam induit, & veteri distributione perturbata contignationibus per Recentiores occlusum est. Integra tamen remanet superior porticus, nempe alterius arcuum ordinis, quæ circumit molem totam. Etsi enim in ea parte, quam diximus destructam esse, inferius, & superius nova quædam constructa vides, illa porticus felici quodam fato integra servata est, atque duæ Turres hic sublatæ eadem innituntur. Superest etiam magna pars angustæ, ejusdemque exiguæ porticus quæ super secundam surgit, & nonnullæ ejus scalæ, & vertex, & quidquid erat prope parietem, & præterea nonnulli excelsiores gradus, quorum qua sex, qua decem, qua etiam exiguo spatio sexdecim conspiciuntur. Videre quoque licet multa vomitoria summi ordinis, & duo proximi. Hoc est quidquid superest, modo aliquos fornices addas modo terra prope obrutos, de quibus opportunus erit alias ad dicendum locus. Pars intima, & infera prorsus desideratur: quippe domibus, & viis sicut Urbs tota, referta est. Cives enim in Platea quæ vacua erat ædificare non contenti, ut ampliorem ad exstruendum locum haberent, tres quartas partes graduum, & ambientem porticum, & quidquid erat conjunctum diruerunt. Quare in Veronensi quidem Amphitheatro interiorem, & ut sic dixerim occultam partium distributionem cognoscere potui, hic non potui, propterea quod certo recognosci non potest quæ & quot viæ fuerint, cum ex priorib. scalis nulla supersit, nec vestigia appareant quæ terra sunt obruta; quæ res in causa est cur earum numerus definiri non possit, uti neque locorum obstructorum neque camerarum. Ita muri ambientis aream, & ejus quidquid conjunctum erat vestigium prorsus nullum deprehendi. Ingredienti tamen quasdam cellas, & alia subterranea quædam loca, multa occurrunt ad cognoscendum utilia; cernuntur ibi pendentes fornices, quorum forma discitur, atque ratio: & uno in loco extat etiam exigua pars secundæ porticus, ut satis dimensionem ejus situmque intelligas.

Mirandum illud est hoc in Amphitheatro exteriorem parietem substitisse, quæ pars quippe pluribus distincta foraminibus, in plerisque corruere ante alias consuevit, & alicubi non multo post tempore, quod in Amphitheatris attigi. Hoc ex eo factum arbitror quod duo tantum sunt Arcuum ordines alius super alium, neque insulati sunt (quales prope in aliis erant, quæ circumeuntem porticum præterea habebant) sed illi parti quæ firmissima est ædificii adhærent. Illud etiam hic animadvertendum est hoc Amphitheatrum totum ex lapidibus constitisse, proptereaque igni minime fuisse obnoxium. Romæ, & Veronæ spatium intimum superius, cui porticus extimæ inferius respondebant, gradibus, & porti-

dove del Veronese quattro arcate ne rimangono appena, e mancanti della parte superiore. Il pezzo del circuito che manca, fu ruinato da chi ci volle ne' bassi tempi fabricar torri, e case: le case si congiungono da una parte con altre di fuori, per lo che l' Arena non resta più isolata, nè ci si può camminare attorno. Farebbe per di fuori molto più superba vista, se per l' alzamento del terreno non ne rimanesser sepolti ben dieci piedi, dove più, dove meno; e anche dodici e più, se si dee credere alle persone del paese. Ma benchè sia conservato l' esterior recinto, non per questo è conservato l' annesso primo portico, e molto meno quanto era di là da esso nel pian terreno; perchè essendo stati occupati i luoghi tutti, e ridotti a varj usi, per lo più d' abitazione, rotti gli antichi muri, ogni spazio resta da' moderni trasformato, e da' palchi confuso. Ben si mantiene interamente il corridor superiore, cioè quello del secondo piano, su questo si gira tutto attorno: poichè nel tratto, che ho detto essere stato guasto, se bene si è fabricato sotto, e sopra, quel portico per buona sorte non fu mai violato, e due torri, che furon quivi inalzate, posano sopra di esso. Conservasi ancora gran parte d un angusto corridoretto, ch' è al di sopra del secondo, con alcune delle sue scale, e la sommità parimente, con quanto era quivi più prossimo al recinto, e con alquanti de' più alti gradi, vedendosene ove sei, ove dieci, e in piccol tratto fino a sedici. Veggonsi parimente molti sbocchi dell' ultimo, cioè del più alto rango, e due anche del penultimo. Questo è quanto sopravanza, aggiunte solamente alcune volte, ora quasi sotterrate, delle quali parlerò a suo luogo. La parte interiore e bassa è disfatta del tutto, essendo piena di case, e di strade, come il rimanente della Città; e non essendosi la gente contentata di fabricar nella piazza, ch' era vacua, ma per farsi più luogo, avendo disfatti più di tre quarti de' gradi, col portico intorno, e con quanto gli era contiguo. Quindi è, che non si potrebbe da questo raccoglier l' interiore, e per così dir nascosta economia degli Anfiteatri, come nel Veronese ho potuto fare, non essendoci modo di riconoscer con certezza tutte le varie strade, e nè pur' una conservandosi delle prime scale, o de' lor vestigj, che restan' or sotterrati, e non potendosi però accertare del lor numero, nè rilevar quello de' luoghi chiusi, o stanze. Così del muro, che circondava l' area, e di quanto gli era annesso, non ho potuto rinvenir traccia alcuna. Molto si può bensì scoprire entrando in varie cantine, e in altri luoghi ora sotterranei; perchè vi si trovano volte in pendenza, dalle quali se ne impara la forma, ed il modo, e in certo luogo anche un piccol tratto del secondo portico, che basta per impararne la misura, ed il sito.

Notabil cosa è, come in quest' Anfiteatro si sia così ben mantenuto l' esterior recinto, ch' è la parte, la quale ne' più degli altri, perchè in essa la maggior parte era vano, pericolava appunto la prima, e talvolta in non lungo corso di tempo, come nel mio libro accennai. Penso doversene attribuir la cagione all' esser qui due soli ordini d' archi, uno sopra l' altro, ed al non esser questi isolati, (come quasi rimanean negli altri per ragion del portico, ch' era all' intorno di più) ma congiunti col più fermo della fabrica. Un' altra riflessione è da fare ancora. In quest' Anfiteatro tutto era pietra, e non potè però aver danno dal fuoco. A Roma, e a Verona lo spazio del di dentro in alto, al quale corrispondean nel basso i portici esteriori,

cibus ligneis, quod alias ostendi, occupatum erat. Hinc apud Historicos legimus sæpe in *Colosseo* ignem magno cum detrimento excitatum fuisse. Nemausi vero postremo lapideo gradu totum opus absolvebatur. Quare non solum non poterat incendi casu, sed frustra etiam ad illud incendendum ignem nonnulli subjecerunt, cujus rei manifesta extant alicubi indicia. Quando id acciderit ex quibusdam Episcopi Magalonensis nomine Verdala antiquis versibus intelligas, quos Petrus Gariellius in *Serie Episcoporum* ejus Urbis affert. Ibi de Carolo Martello dicitur:

Cum Nemausenas exuri jussit Arenas,
Aptas præsidio perfidiæ populi.

Crediderim ego populum se defendendi causa in Amphitheatrum confugisse, quod sæpe postremis, & mediis, aliquando vero primis etiam temporibus fieri consuevit, ubi crassi & alti essent substructionum muri. Ita Cæsar, ut me legisse memini, Alexandriæ obsessus in exiguam Regiæ partem se recepit, quia *Theatrum*, inquit, *conjunctum domui arcis tenebat locum*.

A *era occupato da gradi, e da logge di legno, come ho dimostrato: quinci è, che abbiam ne gli Storici, come nel Coliseo si apprese più volte il fuoco, e grandissimo danno vi fece: ma a Nimes con l'ultimo grado di pietra ogni cosa si terminava: non solamente però non potea casualmente incendiarsi, ma si adoperò anche in vano, chi con legne accese intorno si sforzò di abbruggiar quest' Arena, di che si riconoscono in più luoghi manifesti segni. Quando ciò avvenisse, s'impara da certi antichi versi d'un Vescovo di Magalona per nome Verdala, addotti da Pietro Gariel nella sua* Serie de' Vescovi *di quella Città, ne' quali si dice di Carlo Martello:*

B Cum Nemausenas exuri jussit Arenas,
Aptas præsidio perfidiæ populi.

Dovea il popolo essersi fatto forte nell' Anfiteatro, come per la grossezza, ed altezza de' lor muri avvenne molte volte di tutti gli antichi edifizj; e non solamente ne' bassi, e ne' mezani tempi, ma qualche volta anche negli antichi; mentre sovviemmi, che Cesare assediato in Alessandria si pose in certa parte men conspicua del Palazzo reale, perchè, dic' egli, un Teatro, ch'era congiunto alla casa, serviva di rocca.


ANFITEATRO DI NIMES

Jam dicere aggredior de Facie, quæ est pars omnium integerrima. Specimen exhibeo: ad id enim quod agimus satis est, cum æquales sint partes reliquæ, ac prorsus similes duobus arcuum a latere ordinibus, qui hic tibi objiciuntur. Opus non est quod dicitur Rusticum, neque in eo, ut in Veronensi, lapides certis intervallis extantes vides. Hic ante omnia te monitum volo quoad partes architectonicas attinet, non esse absolutum nisi aliqua ex parte, sed majore ex parte imperfectum, ita ut partes, & membra stylobatum, basium, capitulorum, epistyliorum, & coronarum non expressa, & plane formata sint, sed tantum materia suppetat informata, & absolvenda. Opus in medio ad Septentrionem, & in Janua ad meridiem, atque ejus dexteram partem omnino propemodum perfectum est; cujusmodi si totum esset longe pulcherrimum prospicientibus videretur. Confirmatur hinc quod animadvertit Palladius & arcu Veronensi probavit, Veteres ad extruendum saxis non elaboratis uti fuisse solitos, quos deinde ad normam secabant, & cælabant:

C *Ora è da cominciare a parlar del Prospetto, ch'è la parte più intera, e più sana. Ve ne presento un saggio, che può servire a bastanza, essendo tutto il rimanente uniforme, e affatto simile alle due arcate laterali, che qui appariscono. Il lavoro non è rustico, nè con bozze, come nel Veronese; ma debbo prima d'altro avvertire, come nelle parti architettoniche non è compiuto, se non in pochi luoghi, e in molti e molti restò imperfetto, talchè le parti, e i membri de' piedestalli, delle imposte, de' capitelli, de gli architravi, e delle cornici non sono stati eseguiti, nè espressi, ma vi è la pietra solamente sgrossata, e preparata a ricevergli.* D *Assai terminata si vede l'opera dalla parte, che riguarda a Settentrione nel mezo, e così nella porta di mezo dì, e a dritta di essa: se fosse così da per tutto, molto più bella, e più nobil vista l'edifizio farebbe. Si compruova da ciò l'osservazion del Palladio, confermata da lui con l'Arco di Verona; che gli Antichi metteano in opera le pietre schiette, poi le squadravano interamente, e le intagliavano, dal*

hinc fit ut sæpe compages non conspiciantur, ac totum opus uno saxo constructum videatur. Hac tamen de causa columnarum capitula rudia esse, uti hoc in Amphitheatro sunt, non debuerant. Mirandum tamen illud est ab antiquis usque temporibus eam ad hæc nostra fluxisse consuetudinem, ut in Galliis lapides, etiam quoad capitula, & striges attinet, tum modo elaborentur, cum suo quippe aptati sunt loco. Magnifica D. Sulpitii ædes quæ modo construitur, me hujusce rei certiorem fecit. Immo his quoque temporibus sæpe accidit, ut partes architectonicæ ea forma perpetuo relinquantur. Quod in Amphitheatro Nemausensi; id in aliqua etiam facie Aquis Sextiis, Arelate, & alibi observavi; quin etiam Parisiis in Regia quæ Lupara dicitur pleraque Capitula, aliæque partes nobiliores intra, & extra informatæ sunt, minimeque cælatæ; & in columnis intimis majoris januæ non sunt excavatæ striges, nisi in ea parte, in qua columnis suo loco positis, striges fieri amplius non potuissent. In Amphitheatro Nemausensi eas partes non elaboratas cum vidissent nonnulli, credidere nunquam illud fuisse absolutum, neque in eo data spectacula quæ in usu fuerant. Ad id tamen credendum non satis est intelligere exteriora quædam ornamenta defuisse: illud ejus rei firmum argumentum esset, si Podii murus, & infimi gradus vere nunquam extitissent, ut ex iis incolis quidam affirmant. Verticem absolutum cum videam adducor ut contra sentiam. Verumtamen qui contrariam partem tuentur valida afferunt rationum momenta.

In Veronensi Amphitheatro epistylium fulcit columna plana quæ prominet non amplius uncia, cujus loco in Nemausensi columna est quadrata, cujus frons est pedum fere duorum, ac fere totidem crassitudo. Notandum illud duobus pedibus infra epistylium has quadratas columnas resectas esse duabus unciis, quod ab ejus proposita forma cognoscitur. Ibi tribus in locis anaglypta occurrunt: nempe Lupa cum Infantibus, & ludentes Priapi, cujusmodi figuras Gautierius libello edidit. Hæc tamen arbitrio Artificum potius videntur facta, quam Architecti consilio, cum ea tribus tantum in locis nec iis quidem nobilioribus appareant. Trabeatio aptatur quadratæ columnæ ambitui, & cum eodem una projicitur. Arcus, sive portæ quæ majore ex parte subsiderunt, luminis habuerant pedes decem & semis; quod ex tribus, quatuorve constat jam nunc extantibus. Ubi ingressus nunc est per parietem ad Septentrionem porta est cum fornice, basi, & truncis apertis, & quanta est hominis statura altis. Arcus vertex ab epistylio distat quatuor pedibus. In formis autem per typos impressis videtur cum eodem pæne conjunctus. Murus interpositus ex magnis lapidibus sine macerata calce, ut opus totum, constat. Supra portas in epistylio non est numerus, ut est Veronæ, Romæque. Tota columna quadrata continet a fronte qua pedes sex cum dimidio, qua septem. Sed janua quæ hic proponitur, una ex iis quæ ad diametrum minorem pertinebant, pulchrior, & ornatior, duobus pedibus major erat; ut facile est cognoscere. Cum enim in aliis fornicibus ab una quadrata columna ad aliam intersint pedes sexdecim, hic intersunt decem & octo, atque adeo amplius, ex ea tamen janua nihil superest præter duo corrosa, & informia saxi fragmenta, quæ sub epistylio mutulorum quodammodo vicem gerunt, ut desuper elaborati mutuli apparent. Janua quæ ad occidentem vergit ad unam extremitatum *ellipsis* majori diametro respondentium, est

A *che nasce il non vedercisi molte volte le commissure, e il rassembrar tutto una pietra sola. Parrebbe però, che non fosse stato necessario per questo fine il lasciar rozi, come hanno fatto in quest' Anfiteatro, anche i capitelli delle colonne. Ma egli è notabil di molto, come da gli antichi secoli si sia mantenuto tal uso in Francia fino al giorno d'oggi; cioè di lavorar le pietre solamente dopo esser poste in opera, anche ne' capitelli, e nelle canalature. Me ne sono accertato qui nella nuova fabrica, che si fa della nobilissima Chiesa di S. Sulpizio. Anzi avvien molte volte anche a giorni nostri, che sien poi lasciate le parti archi-* B *tettoniche a quel modo per sempre. Come però nell' Anfiteatro di Nimes, così le ho osservate in qualche facciata a Aix, ad Arles, e in altri luoghi; e così parimente a Parigi, dove non intagliati ed informi si veggono dentro e fuori la maggior parte de' capitelli, e dell' altre parti nobili nel gran Palazzo del Louvre; e nelle colonne interne della gran porta i canali non sono incavati se non in quella parte, dove dopo esser poste a luogo, non si sarebbero più potuti fare. Dell' Arena di Nimes per tale imperfezion di lavoro è nata opinione in molti, che non fosse mai terminata, nè messa in uso: ma bastar non dee per ciò cre-* C *dere il veder difetto nell' esteriore ornamento: ben sarebbe ragion valida, se fosse vero, che il muro del Podio, e i più bassi gradi non ci fosser mai, come alcun del paese afferma: il veder la sommità del tutto terminata fa indizio del contrario; tuttavia forti ragioni adduce chi sta per l'altra sentenza.*

Nell' Arena di Verona va a sostener l'architrave una colonna piana, che non risalta più d'un' oncia: a Nimes in quella vece è una colonna quadra, che ha poco men di due piè di fronte, e quasi altrettanto di fondo. E' osservabi- D *le, come a due piedi dall' architrave questi contrapilastri sono stati tagliati, e abbassati due once, il che si è accennato nel disegno. In quel sito veggonsi in tre luoghi figure a basso rilevo; cioè la Lupa co' bambini, e scherzi di Priapi nel libretto del Gautier figurati; ma pare, che questi fosser più tosto capricci casuali degli artefici, che intenzione dell' architetto; non vedendosi se non in tre luoghi, e questi non de' più conspicui. Il Sopraornato segue il contorno del contrapilastro, e vien in fuori con esso. Gli archi, o sian le porte, sepolte ora per la maggior parte nella terra, avean di luce dieci piedi e* E *mezo, il che apparisce da tre o quattro, che pur si veggono. Dove si entra al presente dentro il recinto dalla parte di tramontana, una se ne ha col suo archivolto, e imposta, e stipiti all' altezza d'un uomo scoperti. Il sommo dell' arco resta lontano dall' architrave 4. piedi, dove ne' disegni stampati si fa che quasi lo tocchi: il muro che framezza, è di gran pietre senza calcina, come nell' edifizio tutto. Sopra le porte non vi è nell' architrave il numero, come a Verona, ed a Roma. Tutto il pilastro occupa di fronte ove sei piedi e mezo, ove sette. Ma la porta, ch' è qui in disegno, ed era una delle diametrali per largo, la più nobile, e la più orna-* F *ta, crescea due piedi, come ben si raccoglie, poichè dove nell' altre arcate misurando da un contrapilastro all' altro, si trova spazio di piedi sedici, qui se ne hanno diciotto e più: ma di essa altro non apparisce, che due corrosi, e informi pezzi di pietra, quali a guisa di modiglioni stanno sotto l'architrave all' istesso modo de i superiori, che son lavorati. Alla porta verso occidente situata in una delle punte dell' ovato, è parimente*

item lata pedes decem & octo inter utramque quadratam columnam, proximæ vero latæ ſunt pedes ſexdecim. Per eam inducebantur incluſæ in caveis feræ in campum & Actores ingrediebantur. Sicut per eamdem oblique nobiliſſimi quique ſpectatores. Obſervandum, aliam quoque januam ad tranſverſam diametrum pertinentem aliis communibus neque ornatu, neque latitudine præſtitiſſe. Apparet igitur duas modo januas, quarum major uſus erat, quæque ad frequentioram Urbis partem ſpectabant, nobiliores fuiſſe. De altera janua poſita ad alteram extremitatem *ellipſis* majori diametro reſpondentem nihil habeo dicere: ea enim pars omnino deſideratur.


In altero ordine ad perpendiculum columnarum quadratarum inferiorum ſtylobatæ ſunt, inter quos cancelli erant in ſuperiore porticu ambulantium commodo, magnis, craſſisque ubique confecti lapidibus, quorum tres aut quatuor hic vides, unum tamen prorſus integrum, in cujus medio expreſſæ ſunt opere anaglyptico duæ gladiatorum pugnantium exiguæ figuræ. Innituntur ſtylobatis columnæ rotundæ, quarum baſes non deſunt, neque capitula, neque *Trabeatio*. Columnæ extant duabus tertiis partibus. Omnes aperti ſunt arcus, quorum ſingulis alius intus arcus adjectus videtur, ut cernere eſt in forma propoſita. Is a ſummo deprimitur amplius pede uno cum dimidio, atque etiam duobus, cujus muri ab utraque parte ad ſolum deſcendunt, arctiores tamen pede, & ſemis utrimque ſunt, quam primi Arcus trunci. Arcus januæ quæ in medio conſtituitur aliis aliquanto magis porrigitur, & ſuperiorem ornatum protendit. Pulchrum faſtigium habet (cujuſmodi alii non habent) cujus ſupremus angulus ſummum muri pertingit. Cum epiſtylium hic ex tribus partibus conſtet, ſub duabus ejus juncturis mutuli ſunt taurorum dimidiatorum valde e muro prominentium figura, quod tamen inſolitum ornamentum eſt. An ea re ſignificare voluerunt id ſibi gloriæ eam Urbem duxiſſe quod Colonia Romana fuerit, quæ res boum imagine in nummis ſæpe indicatur?

A corona ſurgit Atticurges, quam in duas prope partes zona dividit, cum ſtylobatis utramque complectentibus. At in quolibet ſecundæ partis ſpatio extant magni quoque lapides cavi foraminibus rotundis, inter ſe æquis intervallis disjuncti, de quibus ad calcem dicendum erit. Hos lapides a muro minime extantes, illum tamen circumeuntes, Amphiteatri coronam non inepte dixeris. Totum hoc tamen additamentum non multum habet elegantiæ; ſed in hiſce extructionibus tot ſunt res intus neceſſariæ, ut aliquid præter artis leges extra faciendum neceſſario fuerit. Multo magis abhorrere videtur ab arte ſumma pars Circi, qui exiſtit Polæ, ut in Amphiteatris ad calcem notandum duxi.

A *largbezza di 18. piedi tra un contrapilaſtro e l'altro, dove nelle proſſime è di 16. Per queſta porta entravano gli Attori nel campo, ed erano condotte nelle lor gabbie le Fiere, ſiccome per la ſudetta di traverſo entravano i più degni de' ſpettatori. E' però oſſervabile, come l'altra porta pur diametrale per traverſo, non era differente dalle comuni, nè per ornamento, nè per ampiezza: appare adunque, che ſolamente le due di maggior' uſo, e rivolte verſo il più frequentato delle città, furon diſtinte: dell'altra, ch'era ſu l'altra punta dell'ovato, non ſi può render conto, perchè quella parte è tutta* B *perduta.*

Nel ſecondo piano a perpendicolo delle colonne quadre inferiori ſon prima piedeſtalli, tra l'uno e l'altro de' quali era il parapetto, cioè il riparo per chi camminava nel portico ſuperiore, formato in ogni ſpazio da grande e ben groſſa pietra: tre, o quattro ne rimangono, e una ſola del tutto intera, nel mezo della quale ſono effigiate a baſſo rilevo due piccole figure di gladiatori combattenti. Sopra i piedeſtalli ſono colonne ritonde con lor baſi, e capitelli; indi il Sopraornato. Le colonne vengon fuori per due terzi. Gli archi ſon tutti aperti, e ſi dee notare, come a ciaſcun di eſſi ſem- C *bra eſſere attaccato nel di dentro un ſecondo arco accennato nel diſegno, il qual nella cima vien più baſſo d'un piede e mezo, e anche di due, e diſcende di parte e d'altra co' ſuoi muri fino al ſuolo, reſtringendo lo ſpazio di mezo piede per parte più del primo ſtipite. L'arco, ch'è ſopra la porta di mezo, viene alquanto più in fuori degli altri, e ſpinge innanzi il ſuperiore ornamento. Ha ſopra di ſe nobil frontone, (il che non ſi vede in altri) la cui punta arriva fino alla ſommità del muro. Eſſendo qui l'architrave in tre pezzi, ſotto le due commiſſure ſon modiglioni, in figura di* D *mezi tori, prominenti aſſai fuor del muro, i quali però vengono a formare ſtrano ornamento. Avrebbero voluto indicar con queſto il pregio, che avea la Città, d'eſſer Colonia Romana, il che nelle Medaglie con la figura de' buoi ſpeſſo dinotaſi?*

Sopra la cornice è un' Attica, quaſi in due parti da un orlo diviſa, con piedeſtalli nella prima continuati nella ſeconda: ma in ogni ſpazio della ſeconda ſi ſpingono anche in fuori a diſtanze uguali due gran pietre incavate, e forate in tondo, delle quali parlerò nel fine. Queſte pietre, che ſenza ſopravanzar dal muro girano all'intorno, può intenderſi, che vengano a E *formare quaſi una corona all' Anfiteatro. Tutto inſieme però queſto accreſcimento non rieſce per verità molto grazioſo; ma in così fatti edifizj conveniva ſupplire a tante neceſſità interne, che qualche irregolarità era forza ammettere nel di fuori: aſſai più ſtrana è la ſommità del gran recinto di Pola, come feci nel fin del mio Trattato avvertire.*



Nunc de partibus architectonicis dicam aliquid A
peculiariter. Ecce tibi utriusque arcuum ordinis
descripta capitula, & *Trabeationes*; inde desu-
muntur, ubi desinunt, & hæc omnibus forma
esse debuit. Eadem charta profecto debuit basim
quoque superioris ordinis, & principium forni-
cis exhibere, ut apud Albenatem habes ad litte-
ram S. at pars ea desideratur. Quia inter ordinem
Thuscanicum ornatiorem, & Doricum affinitas
quædam est ac similitudo, quæstio est, ut ea in re
sæpe accidit, uter hic ut ordo. Olim monui ædi
ficium, quod est Polæ, Serlio visum esse Doricum,
Palladio Thuscanicum. Ac Nemausense Thus-
canicum putat Davilerius, alii Doricum: Atlas B
Urbium Gallicarum Thuscanicum inferiore in
parte, Doricum in superiore. Libenter senten
tiæ quam tu proferas subscribam. Equidem us-
quequaque Thuscanicum putarim, ornatius qui-
dem a prudente Artifice superiore exculta parte,
ordine tamen non mutato. Non desunt qui ub
columnas cælatas, & ornatas vident, ab eo sta-
tim ordine Thuscanicum exclusum arbitrantur;
quasi vero rudia tantum, & inculta ad eum opera
pertineant; quod a veritate alienum esse aliquan-
do probavi. Columna nimirum quæ est in supe-
riore arcuum ordine me judice ostendit genus
non esse Thuscanicum. Structa est pluribus saxis, C
& sæpe hic & illic partem columnæ, partemque
muri idem saxum efficit. Deest hic *entasis* elegan-
tia, quodque magis refert, eam vel si diligentis-
sime metiaris, complexus etiam capitulum, &
basim, deprehendas altam esse decem & octo,
atque amplius pedes (neque vero partium colu-
mnarum magnitudines sunt in singulis æquales)
crassam vero fere duos semis; quocirca ea ferme
continet altitudine sua septem diametros basis,
quæ est Thuscanicarum columnarum ratio, teste
Vitruvio, & Plinio. Doricæ hodie diametros ha-
bent octo: & nullus dubito quin eadem in usu D
fuerit ratio, cum hæc moles ædificaretur. Nam
ut habemus a Vitruvio, primum sex diametros
in altitudinem Doricæ columnæ, sua vero ætate
l. 4. c. 1. septem, at Jonicæ octo semis constituerunt. Post
Vitruvium in Dorica columna profecto diametri
fuerunt octo, in Jonica novem: VIII. partem le-
gendum in Plinio censeo non VI. hoc est *Sextam*,
ut omnium typi per errorem ediderunt, dum ibi-
dem ait, quæ sextam partem altitudinis in crassi-
tudine ima habent dici Thuscanicas, quæ no-
nam Jonicas. Nihil erat quod facilius corrigi in
Plinio posset, ita postulante ipsa ordinum serie.
Thuscanica est igitur hujus de qua loquimur, E
columnæ proportio, cui capitulum quoque con-
gruit, quod simplex ita est, ut non possit esse nisi

*Or dirò qualche cosa in particolare delle parti
architettoniche. Eccovi i capitelli, e i sopraor-
nati dell'uno e dell'altro piano in disegno, presi
dove son terminati, e in quel modo che dovean'
esser tutti. Dovea vedersi nell'istessa carta an-
che l'imposta del pian di sopra, e il principio dell'
archivolto, come si ha nell'Albenas alla lettera
S. ma quel pezzo si è perduto. L'ordine anderà
qui in contesa, come spesso avviene per la prossi-
mità, e similitudine, che hanno tra se il Tosca-
no più ornato, ed il Dorico. Notai già, come l'
edifizio di Pola fu detto Dorico dal Serlio, e Tos-
cano dal Palladio. Questo di Nimes si ha per
Toscano dal Daviler; altri lo vuol Dorico: l'
Atlante delle Città di Francia lo dice Toscano
sotto, e Dorico sopra. Io me ne riporterò volon-
tieri al giudizio, e alla decision vostra: quanto a
me veramente, lo terrei per Toscano e sotto, e
sopra, avendo bensì l'architetto abbellito saggia-
mente, e nobilitato più il superior piano, ma non
per questo cambiato l'ordine. Molti sono, che o-
ve veggan colonne, e intaglio, e ornamenti, cre-
don subito non poter l'ordine esser Toscano, quasi
ad esso roze opere solamente si convenissero, e ru-
stiche; il che mostrai già quanto sia lontano dal
vero. La colonna appunto, ch'è qui nel pian di
sopra, fa vedere secondo me, che l'ordine è To-
scano. Essa è di più pezzi, formandosi in molti
luoghi dall'istessa pietra una parte della colonna,
ed una parte del muro: non ha grazia di fusella-
tura, e quel che più importa, misurata con tut-
ta diligenza, si è trovata, compreso il capitello,
e la base, crescere di diciotto piedi d'altezza
(variando però dall'una all'altra) e accostarsi
nel fondo a due e mezo di grossezza; vuol dire,
che si è trovata, poco più poco meno, di sette dia-
metri, ch'è appunto la proporzione delle colonne
Toscane, come insegnano Vitruvio, e Plinio. Le
Doriche si fanno in oggi di otto, e non ho dubbio,
che così non si facessero anche a tempi di questa fa-
brica, poichè abbiamo in Vitruvio, come si fecer
prima di sei, e come a suo tempo eran già venute
a i sette, siccome le Ioniche a gli otto e mezo. Do-
po Vitruvio passarono senza dubbio le Doriche a
gli otto, come le Ioniche a i nove:* VIII. partem
penso doversi leggere in Plinio non VI. o sextam,
*come portano erroneamente le stampe tutte, men-
tre egli dice nell'istesso luogo, che si facean di
sette le Toscane, e le Ioniche di nove; non vi
era emendazione più facile da fare in Plinio,
poichè la gradazione de gli Ordini la rendea pa-
tente. Toscana adunque è la proporzione della
nostra colonna; e con essa accorda il capitello,
quale è così semplice, ch'altro che Toscano es-*

Thuſcanicum. Hypotrachelium omni caret ornatu, roſas Dorici capituli non habet: ſub zophori triglyphis nullæ ſunt guttæ, præcipuum Dorici ab aliis diſcrimen; nulla eſt in zophoro cælatura, in corona nulli denticuli; omnino Thuſcanici ſoliditas ubique conſpicitur. Qua parte quidem perfectum opus eſt enitet quidquid ornatus recipere ille ordo poteſt. Illud etiam notandum eſt, quod abacus, ſive plinthus non ornatur in parte ſuperiore annulis ullis, neque in inferiore echinum habet; quod nullius antiqui exempli auctoritatem ſecuti Vignola aliique in Thuſcanico capitulo excogitarunt. Illud præterea te monitum volo abacum extra valde porrigi, quod ut graphide oſtendi poſſet, neceſſe fuit eam ſcenographiæ regulis deformari. Ab angulis ita extat, ut diſtinctum quid a capitulo videatur, quod pariter Thuſcanicæ rationi peculiare eſt. Veronenſem circum mihi expendenti rem obſervatione dignam videor detexiſſe, cum in ſuperiore parte perpulchram *Trabeationem* Thuſcanicam deprehendi, quam Architecti noſtri, & Vignola præcipue ſibi fingendam dixerunt, quærentes in nullo vetere ædificio eam reperiri. Conatus ſum oſtendere hos artis magiſtros excuſandos eſſe, ſin minus eam Veronæ repererunt, impedientibus viæ anguſtiis quominus ea conſpiciatur. Quid vero dicam de peritiſſimis Architectis Gallicis? Daviler, Eccard, Chambray quoque Thuſcanicum ordinem deeſſe nobis queruntur, adduntque Amphitheatrum Veronenſe, Polanum, Nemauſenſe non eſſe ejuſmodi, unde regulæ, & præcepta duci debeant. Crediderim ego (nec vero credere poſſum aliud) hos intelligentis judicii viros cum Amphitheatrum Nemauſenſe viderent, eo primum videndo incidiſſe ubi nobiliores partes informes ſuperfuerunt, ac tantummodo deformatæ, ideoque moleſtia quadam affectos non circuiſſe, itaque qua parte abſolutæ ſunt minime vidiſſe. Utrum enim impolitum, &, ut ſic dixerim, ruſticum ſit iſtud opus, & utrum perfecto, diſtinctoque ordini quidquam deſit, cujuſvis judicium eſto, cui libeat in formam hic exacte, fideliterque, ne minima quidem re addita, deſcriptam oculos conjicere. Hinc artis regulas deſumi poſſe ſine ulla dubitatione evincit illa affinitas, ac ſimilitudo, quæ inter hunc ſecundum ac tertium Veronenſem arcuum ordinem intercedit. Utrique deſunt omnia illa, quæ ſupra nominavimus Doricæ rationis ſigna: in utroque capitula amplum ac nullis diſtinctum ornamentis hypotrachelium habent: in utroque epiſtylium in quatuor diviſum eſt partes; & coronæ atque arcuum poſtes, ſive baſes zonis, & ſimis ornantur. Nemauſi in primo arcuum ordine, Veronæ in tertio echinus in ſuperiore coronarum parte conſpicitur, quod ad peculiarem Thuſcanici ordinis rationem nonnulli retulerunt.

Ab exteriore ad interiorem faciem tranſeo, qua, ut a me fieri poterit, deſcripta, facilius de utriuſque magnitudine diſſeram. Gradus lapidei profecto a Podio per ambitum alii ſuper alium ſcandebant ad ſummum. Eorum altitudo (ut Veronæ quoque) eſt pedis unius, unciarum quinque, latitudo, ſive craſſitudo pedum duorum, unciarum quatuor. Nuſquam tot gradus veteres ſuo loco poſiti occurrunt, quot in hujus Amphitheatri ſuperiore parte. Veronæ enim cum inſtauraretur amphitheatrum, refecti ſunt gradus, & in loco quique ſuo collocati. Nemauſi nulla in parte ſectos gradus vides, ut gradus alii Scalarum minores, ex quibus fiebant cunei, ad aſcenſum efficerentur; atque adeo ne ullum quidem præcinctionum veſti-

ſer non potrebbe. Il collarino è nudo, e non ha le roſe del Dorico; ſotto i triglifi del fregio non ſono gocce, o vogliam dire anelli, o gradetti, che ſono un principal diſtintivo del Dorico: nel fregio non è ſcoltura, nella cornice non ſon dentelli, in ſomma la ſodezza del Toſcano in ogni parte ravviſaſi. Vera coſa è, che dove il lavoro ſia perfezionato, tutto lo ſfoggio vi appariſce, di cui tal ordine ſia capace. E' notabile ancora, che l' abaco, o ſia tavoletta, non ha ſopra di ſe liſtello alcuno, e non ha ſotto un ovolo, come Vignola, ed altri moſtrano nel capitello Toſcano, perchè lo fecero d' invenzione, e ſenza autorità d' antico eſempio. Avvertaſi parimente, che l' abaco ſporge grandemente in fuori, il che non ſi potea dinotar nel diſegno ſenza farlo in proſpettiva: ſu gli angoli eſce tanto, che par coſa ſeparata dal capitello; il che è da attribuir parimente a particolarità del modo Toſcano. Eſaminando l' Arena di Verona, parvemi d' aver fatta un' importante ſcoperta, quando trovai nella parte alta un nobil Sopraornato Toſcano; eſſendo che gli architetti noſtri finora, e Vignola in particolare, ſi querelarono d' eſſer coſtretti a farlo di lor capriccio, per non eſſerſi conſervato in verun edifizio antico. Cercai di ſcuſare que' maeſtri dell' arte del non averlo oſſervato in Verona, perchè l' anguſtia della ſtrada in quel ſito ne toglie la veduta. Ma che dovrò dir' ora de' dotti Architetti Franceſi? Daviler, Eccard, Chambray fanno l' isteſſo lamento del non eſſerci rimaſo l' ordine Toſcano, e aggiungono, che gli Anfiteatri di Verona, e di Pola, e di Nimes ſon troppo ruſtici, e rozi per trarne regola, e inſegnamento. Io non ſaprei penſar altro, ſe non che queſti valentuomini nel veder l' Anfiteatro di Nimes, ſi abbatteſſero da prima, ove le parti nobili ſon rimaſe informi, e ſolamente adombrate, e tanto ſe ne diſguſtaſſero, che non giraſſero attorno, e non le vedeſſero ove ſon compiute: imperciochè io rimetto a chiunque ſia per gettar gli occhi ſu queſto diſegno fedeliſſimamente ritratto, e ſenza aggiungervi un apice, il giudicare, ſe queſte ſian' opere ruſtiche, e roze, e ſe alcuna coſa qui manchi per averne l' ordine perfetto, e molto ben diviſato. A confermar ſenza replica, che quinci ſi poſſa formar veramente regola, ſi aggiunge l' accordo, e la ſimilitudine tra queſto ſecondo piano, e il terzo del Veroneſe: nell' uno, e nell' altro mancano tutti i ſopranominati diſtintivi del Dorico; nell' uno e nell' altro i capitelli hanno ampio e nudo collarino; nell' uno e nell' altro l' architrave è diviſo in quattro parti, e la cornice, e le impoſte ſon ricche di liſtelli e di gole. Nell' alto della cornice del primo piano a Nimes, e del terzo a Verona ſi ha un ovolo, il che è ſtato creduto modo particolare dell' ordine Toſcano.

Ora dal proſpetto eſterno paſſerò all' interiore, poichè deſcritto per quanto è poſſibile queſto ancora, con più facilità potrò poi parlare di quanto era l' uno e l' altro. I gradi di pietra s' inalzavano ſenza dubbio in giro l' un ſopra l' altro dal Podio alla ſommità. L' altezza de' gradi è di un piede, e once cinque, come appunto quei di Verona, e la larghezza, o ſia il fondo di piedi due, once quattro. Non ſene vedranno altrove tanti d' antichi rimaſi a ſuo luogo, come nell' alto di queſt' Anfiteatro; poichè a Verona ſon quaſi tutti rimeſſi, e collocati di nuovo nelle riſtaurazioni. Non ſi veggono in alcun luogo a Nimes tagliati i gradi, e formati gli ſcalini, che ſervivano per ſalire, e da quali ſi formavano i cunei: orma nè pur ci ſi vede di Precinzioni. Il grado più alto ſi

gium videas. Summus gradus muro ambitus hæret, cujus summitas illum superat tribus pedibus, unciis duabus: duo alii gradus accedunt, qui ex saxis alicubi pedum septem componuntur: tum altior Vomitoriorum ordo, quorum singula ita sunt alta, ut duo simul gradus. Octo gradus alii sequebantur, inde alius Vomitoriorum ordo, quorum adhuc existunt duo. Veronæ quatuor sunt Vomitoriorum ordines; quorum singuli sexdecim continent. Nemausi in superiore ordine magna indicia sunt, cur triginta fuisse conjicias. Ita Fori Julii quatuor, & viginti arcuum tractu duodecim Vomitoria cernuntur. Nemausi tamen Vomitoriorum ne una quidem interior janua remanet; Veronæ autem fere omnes, & quidem cum interioribus gradibus non paucæ. Idem in tribus aliis ordinibus videtur numerus statuendus, quorum inferior ad Podium tendebat, & ad nobiliores gradus Podio proximos. Hic tamen Vomitoria alia erant super alia posita, non ut Veronæ alternis disposita; ita ut qui se in campi medio sistebat, omnia secundum lineas ad perpendiculum disposita videret.

Per sexaginta hos arcus quos supra diximus aditus erat in primam porticum latam pedes decem, & valde altam, non ita tamen ut typi nonnulli exhibent. Detexi exiguum fornicis spatium, in cujus distantia pedum quatuor vidi exiguam extare coronam. Observandum ad secundas januas altero Columnarum quadratarum ambitu formatas, arcus esse duplices proindeque duplicem quoque esse murum. Longe dissimilis super hunc est porticus alterius ordinis, quæ in tot velut vestibula dividitur, quot sunt arcus, muris crassissimis, qui ex magnis saxis structi sunt, interjectis. Pavimentum consecutis temporibus valde elatum est. Superiores fornices plerique ex tribus magnorum, & oblongorum lapidum ordinibus componuntur. Transitus ab una porticu in aliam (circum licet illac ire) præditi sunt figura ostiorum epistyliis ornatorum, magnis & duplicibus mutulis a lateribus ad epistylium pariter duplex sustinendum additis; nihilo tamen secius hæc epistylia fere omnia alia in parte disrupta, ac fissa sunt. Nescio utrum cujusdam Rochefortii opinioni subscripturus sis, qui de suo itinere ubi agit, memoriæ prodidit tum eas rimas factas esse, cum Servator Noster ex hac vita decederet. Superiora epistylia pluribus in locis ejusdem saxi tractu utrumque murum pertingunt, & eorum aliquod pedibus octo protenditur. Horum ostiorum altitudo erat pedum octo semis; trunci habent in utraque facie capitula, & interjecta est in muri crassitudine, sive columnæ quadratæ medio postis sive basis disjuncta, & longe latior infra capitula ipsa posita, quæ ibi incipit, unde illa desinunt. Hæ bases arcum sustinent, qui in medio ambit; sed spectantium quidem oculos minime oblectant, tum quia sunt nimis imæ, tum quia ea ratione disjunctæ. Bases, mutuli, capitula alicubi elaborata sunt, inque multa membra distincta, majore tamen ex parte relicta sunt, ut extra, rudia, & impolita. Aliquod etiam epistylium est in fascias divisum: qua parte absolutum opus est, non est ubique sui simile; ex quo plures fuisse Artifices conjicio. Ad latera Columnarum quadratarum exteriorum saxa ab utraque parte subsellia sedentium commodo efficiebant.

Jam ad interiorem partium distributionem transeo: Ibi in subterraneis cellis nonnullos pulchros integrosque fornices reperii, murosque ad latera triginta ferme pedibus longos. Fornices existunt ex crassis lateribus, quorum imus clausus aditus est. Hi sunt aliquanto angustiores, & bre-

A *appoggia al muro del recinto, la cima del quale resta più alta di esso piedi tre once due: ne vengono appresso due altri con pezzi di pietra fin di sette piedi: poi viene il più alto rango degli sbocchi, ognun de' quali occupa l'altezza di due gradi. Otto altri gradi seguivano, indi veniva un altr' ordine di sbocchi, delli quali pur si ravvisan due. Nell' Arena Veronese quattro mani si hanno di vomitorj, e ciascheduna ne ha sedici. A Nimes nell' ordine più alto forti indizj si hanno di trenta: così a Frejus nel tratto di 24. archi dodici vomitorj appariscono: ma a*
B *Nimes di niuno è conservata l'interna porta, dove son conservate quasi tutte a Verona, e non poche co' loro interni gradini. L'istesso numero pare dovesse correre negli altri tre ranghi, il più basso de' quali mettea sul Podio, e sui gradi più nobili al Podio prossimi. E' osservabile, come i vomitorj eran quivi uno sopra l'altro, e non disposti a scacco, come a Verona; talchè quando un si mettea nel mezo del campo, gli vedea tutti in linee perpendicolari.*

Per li sessanta archi già detti si entrava nel primo portico largo dieci piedi, e molto alto, benchè non tanto, quanto alcune stampe dimo-
C *strano. Ne ho scoperta in piccolo spazio la volta, a quattro piedi dalla quale correa una piccola cornice. E' da notare, che alle seconde porte, formate dal secondo giro de' Pilastri, gli archi loro son raddoppiati, onde doppio vien' ad essere anche il muro. Affatto differente è sopra questo il corridor del secondo piano, il quale resta diviso in altrettanti anditi, quanti son gli archi, framezando muri grossissimi di gran pietre. Il pavimento è stato alzato di molto posteriormente: le volte sopra son per lo più composte con tre mani di pietre grandi bislunghe. I*
D *passaggi da un' andito all' altro, per li quali si gira intorno, sono in figura di porte architravate, con grandi, e doppi modiglioni da i lati per ajutar l'architrave, il quale è pur doppio; e con tutto ciò quasi da per tutto questi architravi si veggono, o in un luogo, o in altro crepati, e fessi. Non so, se sarete dell' opinione d un certo Rochefort, il quale ha scritto nel suo viaggio, che si aprirono nella Passion del Signore. Gli Architravi superiori vanno in più luoghi da un muro all' altro coll' istessa pietra, e talun di essi tira fin' otto piedi. Queste porte restavano in altezza d' otto piedi, e mezo: hanno capitelli sopra gli stipiti nell' una e nell' altra faccia-*
E *ta, e tra mezo ad essi nella grossezza del muro, o sia nel mezo del pilastrone, vi è un' imposta separata, ed assai più larga, che resta più bassa de' capitelli stessi, cominciando ov' essi finiscono. Queste imposte sostengono un arco, che gira sopra nel mezo; ma fanno per verità brutta vista, non meno per riuscir sì basse, che per essere in quel modo disgiunte. E i capitelli, e le imposte, ed i modiglioni ancora in qualche luogo si veggon lavorati, e distinti in molti membri, ma per lo più furon lasciati rozi, ed informi, come nel di fuori: qualche architrave altresì è partito in fasce: dove il*
F *lavoro è terminato, non si vede in ogni luogo uniforme, il che deesi attribuire a' diversi artefici. Ne' fianchi de' pilastri esteriori le pietre formavano di parte e d' altra panche, e comodo per sedere.*

Passando all' interna distribuzione dirò, come ho ritrovate qua e là nelle cantine diverse volte in pendenza belle, e intere, co' muri laterali in lunghezza di 30. piedi in circa. Ve n' ha, dove le volte son di grossi mattoni, e chiuso l'adito nel fondo: coteste sono alquanto più strette, e più corte;

A viores. Erant cameræ ubi custodiebantur instrumenta, & supellex ad Amphitheatri usus. Illorum arcuum alii constructi sunt ex parvis lapidibus oblongis: alii fornicati sunt in modum Pontis lapidibus longis pedes quatuor uncias octo, latis uncias quindecim, & crassis totidem. Spatium est triginta pedum, & ad metam amplam januam habet: Hæ viæ ad interiorem porticum ducebant. Nonnulli fornices sunt, qui altiore in parte ubi incipiunt exiguum spatium horizonti parallelum continent; desuper hic erat latior scalæ gradus. Duos etiam reperii fornices, qui, contraria structura, ab interna parte externam
B versus invertuntur. Receptacula hæc erant ad varios ludorum usus, quo ab externa porticu ingressus erat. Deprehendi hanc porticum in quodam exiguo spatio jam nunc subterraneo, ubi januam etiam ex iis vidi, quæ illuc ducebant: ulterius autem internam partem versus duos breviores fornices vidi, quorum duo valde declives erant, quippe qui nihil aliud nisi gradus sustinebant. Ex hac parte inter hoc Amphitheatrum & nostrum dissimilitudo est: murus enim interior ambiens campum totus solidus erat, aut saltem obstructus. Hic spatium a porticu ad aream cum
C majus esset, pars interna in porticus, & cameras dividebatur. Cujusdam horum spatii extremam partem effodiendam curavi, nullum tamen exitum deprehendi, & campum versus olim spatium illud obturatum. Spatium proximum quo nisi per exiguum foramen penetrare licuit, est aliquanto latius, & arcum habet rectiorem, non ita proclivem: apparet igitur viam fuisse Vomitoriorum inferiorum alicui respondentem, ad Podium adeundum. Si hic fodere licuisset, pauci gradus reperti essent, per quos eo ascensus erat, quemadmodum eos Veronæ detexi, quorum ope præcipue veram Amphitheatri (quoad partem imam
D pertinet) formam didici. Quod Nemausi videre non possumus, Fori Julii videbimus. Sed longe clarius id animadvertisti in iis quæ de Veronensi Circo publici juris feci. Fragmentum quoddam privata cujusdam in domo vidi pulcherrimæ coronæ marmoreæ: crediderim ego ab ea corona illud avulsum quæ olim interioris muri aream ambientis zonam sequebatur, aut quæ ipsius Podii verticem ornabat.

erano stanze, e repositorii per gli attrezzi dell' Anfiteatro. Ve n'ha di lavorate con piccole pietre bislunghe: ve n'ha, dove la volta è in figura d'arco di ponte, tutta di pietre lunghe piedi 4. once 8. larghe once 15. e grosse altrettanto: lo spazio è di 30. piedi, ed ha nel fine una gran porta: queste erano strade, che metteano nel portico interiore. Alcune volte vi sono, che nel lor principio in alto hanno un piccolo spazio orizontale: quivi era al di sopra un ripiano di scala. Due volte ho ritrovate ancora, che vanno al contrario, cioè dal di dentro verso il di fuori: eran ricetti, che servivano a' varj usi per li Giuochi, e vi si entrava dal portico interiore. Questo portico l'ho riconosciuto in certo piccolo spazio ora sotterraneo, dove ho veduta anche una delle porte, che metteano in esso; e più oltra verso l'interno ho ritrovate tre corte volte, due delle quali molto inclinate, siccome quelle, che non avean sopra di se che i gradi. In questa parte diverso era quest' Anfiteatro dal nostro, dove il muro interiore, che circondava il campo, era tutto solido, o almeno chiuso. Qui maggiore essendo lo spazio, che corre dal portico alla piazza, la cinta interna era compartita in anditi, e stanze. Ho fatto scavare nel fin dell'uno di questi spazii, ma l'ho trovato senza esito, e dalla parte del campo chiusa d'antico. Lo spazio prossimo, in cui non si è potuto entrare, se non per piccol foro, è alquanto più largo, ed ha la volta più dritta e non pendente: appare adunque, ch'era una strada corrispondente ad uno de' Vomitorj più bassi per condurre al Podio. Se fosse stato possibile di scavar quivi, si sarebbero trovati li pochi gradini, che montar faceano sopra di esso, avendogli io scoperti a Verona, e da essi principalmente avendo imparata la vera forma degli Anfiteatri nella parte bassa. Mancando questa a Nimes, la vedremo a Frejus; ma molto meglio l'avete già osservata nelle stampe da me publicate dell' Arena Veronese. Mi è stato mostrato in una casa piccol pezzo di bellissima cornicetta di marmo; da quella staccato forse, che anticamente doveva correre nell'orlo dell'interior muro, qual rigirava la piazza, o nella cima del Podio medesimo.



Resta

A Reliquum eſt ut de viis, ſcaliſque verba faciamus, per quas ſpectatores in ſuperiores gradus aſcendere conſueverant. Earum ſchemata viſuntur in appoſita figura eam modo partem quæ ſupereſt, repræſentante, quæ pars propterea certo dignoſci poteſt, præter primam ſcalarum partem quam terra contegit, punctis tamen diſtinctam, quæ profecto aliquando extiterat: & omnes a ſecundis arcubus imi ordinis initium ducebant. Ad ſecunda Vomitoria eunti, primam ſcalæ partem ubi inſcenderat, e regione exitus objiciebatur. Quibus tamen altiores gradus ſtatuti erant, ubi primum ſcalæ ramum conſcenderant, ii flectentes ad dexteram in alium incidebant,
B per quem ad ſuperiorem porticum ibant. Unius ex his ſecundis ſcalis conſpicitur locus, ejus extat arcus, cujus in ima parte corona eſt, & muri a lateribus, ex parvis lapidibus quadratis. Cernuntur hic pariter minores aliqui gradus, conſecutis tamen temporibus refecti. Porticus cum ſuperiore conjunctæ etſi nunc omnes recentibus muris obturatæ interiorem partem verſus, omnes tamen olim apertæ erant, præter eam partem quæ ſurgit ſupra duas januas in medio poſitas ad extremitates *ellipſis* majori diametro reſpondentes; hic enim totus interior arcus ab imo ad ſummum ex
C muro antiquo magnis, craſſiſque ſaxis obſtructus eſt. Ratio ea eſt, quia ibi erant viæ duæ majores, per quas iter erat operariis in campum: quocirca, quantum fieri potuit, altæ erant, proindeque primo arcu carebant, ut Veronæ cernere eſt. A ſuperiore porticu ad interiorem Amphitheatri partem per omnes alterius ordinis arcus tranſitus erat.

Quibus præfinitus erat in tertiis Vomitoriis locus ſexdecim continuorum graduum ſcalæ occurrebant, qui ab intima baſis columnæ parte incipientes ad Vomitorium, quod deſuper e regione poſitum eſt, deducebant. Uno in loco graduum
D cava in columna quadrata cernuntur, immo nonnulli etiam altiores gradus prope exitum. Has ſcalas appoſita figura obſcure deformatas præ ſe fert, ut intelligas in alia eas eſſe porticu, non in illa unde ſurgere incipiunt aliæ, de quibus mox verba faciemus. Ad alia ejuſdem ordinis Vomitoria etiam alia via iter erat, cujus tamen nulla ſuperfuit nota.

Ad altiora denique euntibus occurrebant in eadem porticu quinque gradus, tum gradus latior, ut in Sciographia demonſtratur, & utrimq; a dextera, lævaque ſcalæ duæ ad ambientem parietem perti-
E nentes; quarum tamen unam modo licet typis imprimere. Gradus latior ſupra illum alterum murum ſternitur, quem in ſecundo muri ambitu duplicem eſſe diximus. Scalæ conſtant ex octo & decem gradibus, & latæ ſunt quatuor pedibus: innituntur illæ tranſverſis porticus alterius ordinis partibus, & arcu quem ibi in medio poſitum diximus. Una quæq; duo habet foramina oblonga e regione in muro exterioris parietis ad hauriendum lumen. Horum foraminum quatuor cernuntur in forma orthographiæ propoſita, quia ex adverſo ſibi reſpondent prope duas columnas
F in medio poſitas. Per has duplices ſcalas ad latiorem tametſi illum quidem exiguum gradum perduceris, inde quinque alios gradus ſcandis, tum dimidiam porticum hic quoque deformatam ingrederis circum undique euntem, latam pedes quatuor, uncias octo, altam pedes ſeptem, uncias ſex. Eam tegit dimidius arcus, qui ambienti parieti incumbit, ac licet maximum graduum onus ferat, nihil tamen detrimenti paſſus eſt. Dimidii quidem fornicis ſummitas alicubi dimidio palmo depreſſa eſt, & ejus quædam fragmenta

Reſta a parlar delle vie, e delle ſcale, per cui ſi portavano gli ſpettatori a i ſuperior gradi. Queſte compariſcono nel Taglio, rappreſentante quella parte ſolamente, che ſuſſiſte, e che però ſi può figurar con certezza; eccettuando il primo ramo di ſcala ſepolto per l'interramento, il qual però ſi è contradiſtinto con punti, ma indubitatamente vi era, ed avean tutti principio a i ſecondi archi del pian terreno. Chi dovea portarſi a' ſecondi vomitorj, ſalito un de' primi rami di ſcala, trovava l'uſcita in faccia. Ma coloro, a' quali erano deſtinati i più alti gradi, montato il primo ramo di ſcala, giravano a dritta, e ne trovavano un ſecondo, che conducea nel corridor ſuperiore. Di una di queſte ſeconde ſcale ſi ravviſa il luogo, e ne rimane la volta con cornice al piè di eſſa, e i muri laterali compoſti di piccole pietre quadre; vi ſi veggono gradini ancora, ma poſteriormente rimeſſi. Gli anditi anneſſi al corridor ſuperiore, benchè chiuſi ora tutti con moderne muraglie dalla parte, che riſguarda l'interno, erano anticamente aperti tutti, fuorchè ſopra le due porte di mezo alle punte dell'ovato, poichè quivi l'arco interiore è tutto chiuſo dal baſſo all'alto con antico muro di grandi e groſſe pietre: e la ragione ſi è, perchè quello è il luogo delle due ſtrade maggiori, che portavan gli operatori nel campo, ond'erano a tutta altezza, e per conſeguenza ſenza la prima volta, come pur ſi veggono a Verona. Tutti gli altri ſecondi archi davan paſſaggio dagli anditi del ſuperior portico all'interno dell'Anfiteatro.

Coloro adunque, cui erano aſſegnati i terzi sbocchi, trovavano ſcale di ſedici continuati gradini, quali principiando all'interno piè del pilaſtro, metteano al Vomitorio, ch'ivi è per contro in alto: veggonſi in un luogo gl'incavi de' gradini nel pilaſtro, e alcuni de' gradini ſteſſi più alti preſſo l'uſcita. Queſte ſcale ſi fanno veder nel diſegno adombrate oſcuramente, per dinotare, che ſono in andito diverſo da quello, ove hanno principio l'altre, delle quali parleremo appreſſo. Ad altri vomitorj dell'iſteſſa mano ſi paſſava anche in altra forma, ma della quale non ſi è conſervato alcun ſaggio.

Quelli finalmente, che dovean paſſare a' ſiti più alti, trovavano nel corridore iſteſſo cinque gradini, poi un piccol ripiano, come nello ſpaccato ſi moſtra, e quinci a dritta, e a ſiniſtra due ſcale tendenti verſo il recinto; ma di queſte non era poſſibile farne veder nella carta più d'una. Il ripiano viene ad eſſere ſopra quel ſecondo muro, che abbiam detto eſſer doppio nel ſecondo recinto. Le ſcale hanno 18. gradini, e ſon larghe piedi quattro: poſano ſopra i traverſi del corridor del ſecondo piano, e ſopra quell'arco, che abbiam detto eſſer nel mezo di eſſi. Ognuna trova in faccia due lunghi fori, o tagli nel muro dell'eſterior recinto, per li quali ha lume. Quattro di queſti ſpiragli ſi veggon ſegnati nel premeſſo diſegno del Proſpetto, poichè riferiſcono di parte e d'altra preſſo le due colonne di mezo. Queſte doppie ſcale conducono ſopra un piccol ripiano, dal quale ſi ſalgono altri cinque gradini, che mettono in un mezo corridore eſpreſſo nel diſegno, il quale rigira tutto attorno, largo piedi 4. once 8. alto piedi 7. once 6. E' coperto con una meza volta, cioè da una muraglia in mez' arco, la qual s'appoggia al muro del recinto; e benchè abbia ſopra di ſe il grandiſſimo peſo de i gradi, non però ha patito danno: ben la ſommità della meza volta è inclinata in più ſiti fin mezo palmo, e

corruerunt. Ab hac minore porticu exiguis lapidibus quadratis, iisdemque oblongis ad modum tectorii ornata, ad postremi ordinis Vomitoria iter erat, quibus intus adversi sunt quinque gradus. Quælibet duplex scala in medio continet Vomitorium; alia Vomitoria alia ratione disposita sunt, unde lumen in parvam porticum atque adeo ab iis etiam quæ supra nominavimus, foraminibus, infunditur. Internæ tamen Vomitoriorum portæ cum magna adjecti muri parte jamdiu corruerunt.

Ascendendum adhuc est. Ubi quis unam ex illis scalis superasset, a dextera per quinque, ut diximus, gradus in exiguum quidem at latiorem gradum incidebat, hinc scandebat in Vomitorium, & a læva alios quinque cum alio latiore gradu reperiebat. Illic fac iterum a læva flectat; en quindecim graduum exigua scala objicitur ita lata, ut per eam possit commode pertransire. Miror equidem Gautierium, qui ibi fuerat, eam non animadvertisse, non typis indicasse. Excavata illa est in muri crassitudine, & ad ejus fastigium ducit; quo pervenire necesse eos erat, ad quos pertinebat Veli cura, quo spectantium consessus, cum ludi ederentur, tegebatur. Muri crassitudo in superiore parte est pedum quatuor, qua unum lapidem continens, qua duos; plerumque lapis idem efficit duos gradus minores, unaque extimam, aut intimam partem, ex superiore autem gradus, & murus uterque componitur. Per hanc igitur scalam gradiebantur, qui Velarium regebant. Ambulabant commode in muri fastigio satis lato, nullaque re impedito. Circum dirigebantur in altum antennæ per lapides, quos prominere diximus trajectæ, quæ secantes regulam inter Atticurgis fascias interjectam, perveniebant ad coronam, ibique infigebantur per foramina quædam, quæ adhuc in singulis hujus generis lapidibus (sunt enim perforati) conspiciuntur. Ab interiore quoque parietis parte ponebatur alius malorum ordo, quorum pariter foramina in ultimo gradu cernuntur; & videre adhuc est qua ratione regula muro adjecta secabatur: hæc erant altera tanti oneris fulcimenta.

Non est prætermittenda res observatione dignissima. Janua in medio minoris diametri, & quidquid intus contiguum est recta procedit: proximi arcus curvari incipiunt, & sequentes magis, ita ut semitas superioris porticus, cum ipsarum arcubus dirigi ad campi centrum aperte videas. Id quidem in imo arcuum ordine non ita detegas, quemadmodum in superiore, cujus omnes partes flectuntur, atque adeo columnarum capitula, ut nonnulli earum abaci insolitum artificium præ se ferant, quippe omnino regulis scenographiæ deformati, quasi Amphitheatrum extra aspiciendum fuerit e quatuor modo locis inter portas ex diametro oppositas selectis. Hic tamen flexus non est ubique æqualis, neque æquali proportione major, aut minor est; quippe plures fuere ejus operis artifices: ad meridiem a læva priores partes non curvantur, curvantur tamen a parte dextera. Veronæ viæ a lateribus progressu paullatim quidem arctantur, non tamen spectant ad Plateæ medium, quippe non erat earum terminus. Quapropter nulla ratione vitiata facies est, neque illæ exteriores partes, quæ ad punctum medium minime referuntur. Hæc tibi de Amphitheatro Nemausensi dicta sufficiant: dicam modo de Arelatensi. Hæc nobilis Urbs est, & a Nemauso distat quatuor non amplius leucis.

ne son caduti più pezzi. Da questo corridoretto foderato di piccole pietre quadrilunghe, si passava a Vomitorj dell' ultimo rango, dinanzi a i quali sono interiormente cinque gradini. Ogni scala doppia tiene un Vomitorio in mezo: altri ve n' ha situati altramente, e da quali vien lume al piccol corridore, ch' anche ne riceve da i sopradetti spiragli; ma le porte interne de' Vomitorj, e gran parte dell' annesso muro ruinarono da gran tempo.

Ci conviene andar più in alto ancora. Una delle scale pur ora mentovate trovava a dritta, come abbiam detto, per cinque gradini il piccol ripiano d' una salita al Vomitorio, e ne trovava a sinistra altri cinque con altro piccol ripiano, dopo il quale voltando pure a sinistra, si presenta una scaletta di quindici gradini, tanto larga, ch' uomo vi transita comodamente. Mi stupisco veramente, come non fosse avvertita, nè additata dal Gautier, ch' era sul luogo. Questa è incavata nella grossezza del muro, e porta su la sommità di esso, dov' era forza, che salissero tutti quelli, che avean cura della gran tenda, con cui si coprivano in tempo de' Giuochi gli spettatori. La grossezza del muro in quella più alta parte è di piedi 4. a luoghi formata da una pietra sola, altre volte da due: per lo più la pietra stessa forma due gradini, e insieme l' esteriore, o l' interior parte: la più alta forma il grado, e l' un muro e l' altro. Per questa scala adunque salivan coloro, che regolavano il Velario. Si camminava su la cima del muro commodamente per la larghezza da niuna cosa occupata. Metteansi travi in piedi attorno, facendole entrare in quelle pietre forate, che ho detto sporgere in fuori: le travi tagliando l' orlo, che frameza tra le fasce dell' Attica, andavano a posare su la cornice, piantandosi in essa per buchi, che pur si veggono ancora sotto ognuna delle pietre forate. Di qua dal muro del recinto interiormente si piantava un altr' ordine di travi, per le quali si veggono parimente i buchi nell' ultimo grado, e si vede ancora, come ne restava tagliato l' orlo adjacente del muro: questi erano i secondi sostegni di tanto peso.

Una curiosa particolarità non è da tralasciare. La porta di mezo per largo, che vi ho mostrata in disegno, e quanto segue dentro di essa, procede dirittamente: le prossime arcate cominciano a obliquarsi, e a piegare, e quelle che succedono, piegano ancor più; di modo che gli anditi del corridor superiore con le lor volte si veggon rivolti molto sensibilmente di qua e di là verso il mezo, facendosi centro del punto, che restava nel mezo del campo. Nel pian terreno questa tendenza comparisce poco, perchè poco se ne vede, ma nel pian di sopra dà assai nell' occhio, perchè si torcono le parti tutte, e fino i capitelli delle colonne, talchè alcuni de' lor' abachi fanno una strana veduta, essendo tagliati del tutto in prospettiva, come se per di fuori non si avesse dovuto rimirar l' Anfiteatro, che da quattro punti, situati tra mezo alle porte diametrali. Questa obliquazione non è però del tutto uguale, nè sempre cresce, o scema secondo giusta proporzione per ragion de' diversi artefici, ed operarj: dalla parte di mezo dì a sinistra le prime non piegano, e piegano però quelle a dritta. A Verona si ristringono bensì insensibilmente le strade laterali nell' avanzarsi, ma non per questo son rivolte al mezo della piazza, che non era il lor termine, e molto meno è perciò stato reso difettoso il prospetto, o quelle parti esterne, che non hanno col punto di mezo relazione alcuna. Eccovi detto quanto basta dell' Anfiteatro di Nimes; or passerò a quello d' Arles, famosa Città non più distante dall' altra di quattro leghe.

Amphitheatrum Arelatense.



A Quæcumque in Galliis Amphitheatra superant videre mihi statuenti, secundum Nemausum Urbs nulla magis cordi fuit quam Arelate: postquam Guisii libellus quidam mihi venit in manus, ex ejus edita forma, iterum a Joanne Seguino proposita, quæ interruptum arcuum dimidiatorum ambitum repræsentat, qui jam nunc quidem extat, conjectura mihi sum visus assequi magnam profecto Amphitheatri partem superesse. Inciderам forte in aliquem qui lectis iis quæ de Circo Polano scripseram, illud Theatrum arbitraretur, eoque magis quia neque lapideos gradus esse affirmabat, neque ullum vestigium existere, quamobrem aliquando fuisse putaret. B Arelatem ubi perveni summo studio ad illud contemplandum perrexi, deprehendique vere Amphitheatrum esse, imperfectum tamen, nunquamque absolutum, neq; dandis ludis accommodatum. Hinc est quod Ammianus Marcellinus, de Tricennalibus locutus in honorem Imperatoris Constantii Arelate celebratis, de Theatralibus ludis, atque Circensibus verba fecit, nihil vero de Amphitheatralibus, de quibus primo loco agendum putasset. Illi quidem duo nostrorum temporum Scriptores, quos supra appellavimus, Ammiano teste utuntur, ut probent Constantii jussu mira in Amphitheatro Arelatensi facta esse; C verumtamen hoc in genere homines decipi sæpe solent. Sive id contigerit ut opus illud Arelatensis Respublica aggressa, aliquo interposito impedimento, perficere non potuerit, sive proconsul aliquis, ubi opus inchoarat, a Provincia revocatus, sive aliquis Imperator, ubi jusserat, fato functus imperfectum reliquerit, certum est perfectum non fuisse, ut dimidia tantum ejus pars fuerit extructa. Negant id quidem ii; res tamen ita plana est & aperta, ut nihil magis. Ut illi tres arcus hic appositi *Trabeatione* prorsus carent, & mutilatæ columnæ sunt, ita totum esse circuitum judicato. D An vero credibile est tempore, aut casu aliquo accidisse ut æqualis pars circum undique corruerit, & columnæ per totum ambitum diminutæ eamdem altitudinem retinuerint? Superioris porticus fornices aperti sunt, ut nihil fuisse impositum plane cognoscas. In interno murorum latere, quibus ipsa porticus in tot partitur introitus, quot sunt arcus, extant imperfecta cava & dentes ad inchoatum opus persequendum crassis

l.14.c.15.

Nel disegno di veder quanto resta in Francia in materia d' Anfiteatri, dopo Nimes niuna Città m' era più a cuore di Arles; da che capitatomi certo libretto del Padre Guis, in quella sua Carta replicata poi da Giovanni Seguino, nella quale si rappresenta l' interrotto giro d' archi smezati, che in oggi si vede, parvemi di comprendere, che gran resto d' Anfiteatro sicuramente vi fosse. Erami per altro avvenuto in chi lo giudicava Teatro, dopo aver letto ciò ch' io del recinto di Pola ho scritto; e tanto più, che asseriva non esservi gradi di pietra, nè apparir vestigio che mai vi fossero: giunto in Arles, e portatomi con avidità a contemplarlo, ho trovato esser veramente Anfiteatro, ma che restò imperfetto, e non fu mai terminato, nè ridotto a segno di poterne far uso. Questa è la ragione, per cui Ammian Marcellino parlando de' sontuosi Giuochi celebrati in Arles per la solennità Tricennale dall' Imperador Costanzo, fece menzione de' Teatrali, e de' Circensi, ma non degli Anfiteatrali, che avrebbe nominati i primi. Vera cosa è, che i due sudetti moderni Scrittori Ammiano appunto citano in pruova d' aver Costanzo fatte gran cose nell' Anfiteatro d' Arles, ma simili travedimenti in così fatte materie son frequentissimi. O fosse adunque così gran mole dalla Republica Arelatese intrapresa, cui sopravenuti accidenti ne impedissero il proseguimento; o fosse da alcun Proconsole promossa, che rimosso dal governo, o da alcun Imperatore ordinata, che passato da questa vita, ne lasciasse imperfetto il lavoro, certo è, che imperfetto pur rimase, onde la fabrica non fu eseguita se non per metà. I due sopranominati Scrittori, che hanno parlato di quest' Anfiteatro, non vogliono veramente concederlo, ma la cosa è così manifesta, ed evidente, che niente più. Come vedete i tre archi, che vi ho premessi, mancanti affatto del Sopraornato, e con le colonne tronche, così è ugualmente il circuito tutto d'intorno. Or potrebb' egli mai credersi, che il tempo, o qualunque caso, ne avesse fatta cadere a terra per l' appunto l' istessa porzione in ogni parte, talchè le colonne in tutto il giro si vedessero mozze all' istessa altezza? Le volte del superior portico son rimase scoperte, e si conosce chiaramente, come nulla vi fu mai sopra. Nel fianco interno de' muri, che dividono il medesimo portico in altret-

lapidibus alterne prominentibus nihilo minus pede semis, & eo inter cæteros semper porrecto, qui epistylii partem intus efficit. Præterea observandum illud est nullam graduum partem existere, neque unquam extitisse. Verbo nihil est cur ea res in dubium vocetur.

Hujus igitur substructionis imperfectus est alter arcuum ordo, proindeque deest omnino Atticurges, quæ pars super illum erat erigenda. Ultra primam exteriorem porticum prope nihil est ad secundum ordinem pertinens, & primi ordinis ima tantum pars extructa est, non magni fornices pendentes, quos secundo parieti oportuit incumbere; excipio tamen viam majorem, & majus vestibulum, de quo differam distinctius. Multo vero minus gradus circum positos esse credendum est, quod fieri non solet nisi reliqua cum fornicibus omnibus perfecta sint. Cæterum quæ pars effecta est, & hæc parietem complectitur, & utramque porticum superiorem,& inferiorem, si ipsum opus non ornamenta spectes, fere tota superstes est; parum tamen ejus adspectu fruaris. Nam primum quidem multæ circum domus ædificatæ sunt, quæ ejus faciem majore ex parte tegunt, & cum ea conjunguntur; deinde vero omni fere loco & inferiore, & superiore ædibus occupato, non solum arcus imi recentibus muris obturati sunt, ut Nemausi, sed summi pariter nullo excepto; ut propterea porticus quoque alterius ordinis abdita sit, & corrupta. Interior vero pars tota domibus occupata est, ut quid antiqui lateat difficile sit intelligere. Verumtamen nihil intentatum reliqui, ut investigarem quidquid ad rei intelligentiam prodesset.

Hujus Amphitheatri idem videtur Architectus, atque Nemausi. Utriusque simillima ratio est. Hoc quoque sexaginta complectitur arcus, & duas tantum interiores porticus, exteriore vero, quæ in Veronensi est, caret. In ejus quoque altero arcuum ordine porticus est circum totum ambiens, & eadem plane forma est: hic enim quoque illum secundum depressiorem arcum, duplicemque murum videas, & similes fuisse fornices, & ab una in aliam porticum per januas epistyliis ornatas transitum pariter fuisse intelligas. Per medium tamen transeunti non occurrit ille arcus, neque illud fulcimentum, quod Nemausi humilius est quam capitula hinc, & illinc in columnis quadratis posita. Faciei pariter eadem forma est, ordo Thuscanus, columna quadrata frontis pedes continens duos, uncias octo, crassitudinis pedem unum, uncias decem, pariter *Trabeatione* desuper extante, tresque facies exhibente. In secundo ordine columnæ rotundæ sunt, quæ intus quasi dimidia ex parte occultantur: etsi diminutæ sunt ex novem fere omnes partibus constant, earumque lapides unius, aut utriusque quadratæ columnæ arcus a lateribus sustinentis partem efficiunt. Innituntur illæ basi, & stylobatæ; illis deest superior trunci pars, & capitulum. Una tantum in toto ambitu integra est, & capitulum habet, ita tamen tritum, & corruptum, ut secerni vix queat. Quædam ibi esse folia videntur; & hinc factum est ut Guilius ejus Amphitheatri ordinem compositum esse affirmaret; quem tamen errorem Architecto non ita facile tribuam. Cum enim gradatim ordines procedere debeant, cumque inferior ordo Jonicus non sit, neque Compositus, neque Corinthius locum habere potuit.

Itaque in inferiore tantum ordine partes archi-

tanti passaggi, o ricetti, quanti son gli archi, si veggon le morse lasciatevi per continuar la fabrica, venendo le grosse pietre alternamente in fuori non meno d'un piede e mezo, e venendovi tra l'altre sempre quella, che nel di dentro forma parte dell' architrave. E' anche notabile, come nissuna parte de' gradi si vede, o si è veduta mai: in somma non si può questa verità rivocare in dubbio.

In quest' edifizio adunque rimase imperfetto il secondo piano, e per conseguenza nulla si fece dell' Attica, che dovea sopra di esso inalzarsi. Di là dal primo esterior portico quasi nulla si fece di spettante al pian secondo; e del primo piano ancora si fece solamente la parte bassa, ma non le gran volte in pendenza, che doveano appoggiarsi al secondo recinto, a riserva della via principale, e del maggior' ingresso, di cui parlerò distintamente. Molto meno però si sarà posto mano a collocare i gradi intorno, il che suppone terminato il rimanente, e stabilite le volte tutte. Quella parte per altro che fu eseguita, la qual consiste principalmente nel recinto, e negli annessi corridori alto e basso, sussiste nell' essenziale quasi interamente, ma poco si può godere; perchè in primo luogo molte case sono all intorno, che cuoprono una gran parte del prospetto, e con esso si congiungono; in secondo, ridotto quasi ogni spazio, e sopra e sotto, ad uso d' abitazioni, non solamente son chiusi con moderni muri gli archi di sotto, come a Nimes, ma quei di sopra ugualmente, niuno eccettuato, restando per conseguenza occultato, e guasto anche il corridor del secondo piano. Nel di dentro poi dalle case è occupato tutto, talchè difficilmente si può comprendere ciò che sotto si celi d'antico. Non ho lasciato con tutto ciò di far' in esse molte ricerche, procurando d' indagare quanto mi potea somministrar qualche lume.

L' Architetto di quest' Anfiteatro parrebbe fosse stato il medesimo di quel di Nimes. Similissimo è il modo nell' uno e nell' altro. Anche questo fu composto di sessanta archi, e di due soli portici interni, non avendo quel primo esteriore, ch' era a Verona. Anche questo nel secondo piano ha un corridore, che girava all' intorno, ed è in tutto dell' istessa forma, vedendovisi parimente quel secondo arco più basso col muro raddoppiato, e scorgendosi, che si passava parimente d' uno in altro andito per porte architravate, e che simili eran le volte: non vi è però nel mezo de' passaggi quell' arco, nè quell' imposta, che riesce a Nimes più bassa de' capitelli posti di qua e di là su le pilastrate. Nel prospetto altresì apparisce l' istessa idea: ordine Toscano, e colonna quadra con piedi due once otto di fronte, e piedi uno once dieci di fondo, sporgendo sopra di essa ugualmente in fuori il Sopraornato, e facendo anch' esso tre facce. Nel secondo piano son colonne rotonde, che restan dentro quasi per metà: tronche come sono, constano quasi per tutto di nove pezzi, e le pietre che le formano, formano altresì parte di una, o di ambedue le pilastrate de gli archi, che son da i lati. Hanno sotto la lor base, ed il piedestallo: per compirle manca il più alto pezzo, ed il capitello. Una unicamente in tutto il circuito se ne vede intera, e col capitello; ma così logoro e guasto, che mal si distingue. Fa ora una certa apparenza di foglie, e forse per questo affermò il P. Guis, quest' Anfiteatro esser d'ordine Composito, ma non può credersi tanto errore nell' Architetto: mentre dovendo gli ordini proceder gradatamente, e non essendo certamente Ionico quel di sotto, non vi potea aver luogo nè il Composito, nè il Corintio.

Parti architettoniche non si hanno adunq; se non

tectonicas, & in superiore parvam modo stylobatæ coronam, & arcuum fulcimentum deprehendas. Ejus membra Nemausensis, & Veronensis Amphitheatri similia sunt: apparent hic echini, regulæ, zonæ, & simæ. Elaborata sunt etiam epistylia super portas, quæ sunt in transversum superiore in porticu. Tres latas fascias, & regulas in summo vides. Nemausi epistylia omnia licet munita mutulis discissa sunt; hic vero nullum ejusmodi mihi videre contigit, ex iis paucis quæ detegere potui. Ea ratio est quia Arelatense Amphitheatrum cum absolutum non fuerit, ejus epistyliis nunquam grave onus impositum fuit. Harum porticuum fornices unius sunt, ejusdemque formæ, & longe pulcherrimi: compositi sunt enim ex duobus modo lapidum ordinibus longorum pedes quatuor, uncias sex, iisdemque lapidum ordinibus, quibus arcus, terminantur. Super unum fornicem interiori zonæ lapis maximus adjacet, quem ad gradus attinuisse, nonnulli putarunt. Sed altitudo, ac latitudo major est quam quanta gradibus congruat: ac si Atticurgem ponas (addere enim oportebat) altiores eo loci quam ratio postulat, fuissent. Intus inter unum fornicem & alium post quartum quemque arcum scala erat: incumbebant illæ transversæ porticus partibus, & inde in minorem porticum hic quoque extruendam ascensus fuisset. Nulli gradus superfuerunt, sed in lapidibus a lateribus cava hic & illic extant, in quæ aut immissi fuerant, aut erant immittendi. Quamdam domum inscendenti ab ea parte ubi integra columna est, intus in earum scalarum imo ostia duo ex tribus modo formata lapidibus occurrunt. Illud non est prætermittendum hic quoque januas oblique verti, & medium punctum spectare; quamquam non eadem plane ratione, qua Nemausi. Illud quoque notandum, etsi exterior paries est ovatus, alterum si a summo intus suspicias, videri octangulum, cum duos arcus amplius habeat intra quatuor latera, quorum longitudo primi ambitus ellipsi respondet. Apposita figura lapidum numerum & situm ostendit; non ideo tamen credendum est lapidibus certo intervallo prominentibus opus esse distinctum. Nemausensis plane simile est, ideoque una tantum linea compages notatæ sunt.

Imi ordinis januæ pedes 11. 4. luminis continent, & truncorum frons est pedum 2. 2 ut inter quadratam columnam unam & aliam spatium pedum 16. 6. intercedat. Quatuor portæ sibi invicem per diametrum respondentes, supra quas temporibus consecutis totidem Turres sublatæ sunt, alias pede semis fere superant, idem dictum intelligas de superioribus illarum arcubus. Sunt etiam illæ latiores, tametsi eas, quippe modo abditas, metiri non liceat. Non est tamen abdita janua omnium maxima, per quam erat frequentior aditus. Hæc in extremitate respondente ellipsis majori diametro constituta est ad septentrionem, & luminis pedes habet plane 16. 6. altitudinis 22. & amplius: cæterum ornamentis caret. Per hanc Gladiatores introibant, & inclusæ in caveis feræ inducebantur, & omnis ludicra supellex, & apparatus ostentabatur. Hinc ab ea in viam amplissimam, atque altissimam iter est, quæ recta, re nulla interposita, in campum ducebat: qua de via, quippe jam modo existit, explicatius differam. Sciographiam exhibeo, ut ea quæ dixero clariora evadant.

nel pian terreno, e nel superiore solamente la cornicetta del piedestallo, e l'imposta degli archi. La qualità de' membri è simile a quei di Verona, e di Nimes; ovoli, filetti, listelli, e gole. Lavorati sono ancora gli architravi di sopra delle porte, ch' attraversano il corridor superiore: tre larghe fasce, e filetti nella cima. Di que' pochi, che ho potuto scoprire, niuno m' è avvenuto di osservarne fesso, e rotto, come son quei di Nimes tutti, benchè assai più ajutati da modiglioni: la ragion si è, perchè non essendo la fabrica d' Arles proceduta più oltre, gli architravi non hanno avuto mai gran peso addosso. Le volte di questi anditi son tutte uniformi, e formate molto nobilmente, perchè composte di due sole mani di pietre, lunghe piedi quattro once sei, e terminate di qua e di là dalle medesime degli archi. Sopra una delle volte giace all' orlo interiore grandissima pietra, ch'è stato giudicato appartenesse a i gradi; ma eccede in altezza, e in larghezza, e supposta l' Attica, qual senza dubbio manca, i gradi sarebbero in quel sito riusciti assai più alti. Interiormente tra una volta, e l' altra ogni quattro archi era una scala: queste posavano sopra i traversi del portico, e avrebbero condotto in quel corridoretto superiore, che anche qui si sarebbe fatto. Non ne son rimasi i gradini, ma si veggono in più luoghi gl' incavi nelle pietre laterali, dove o furono, o dovean mettersi. Salendo in certa casa presso il sito, ove si ha la colonna intera, si veggono internamente due porte al cominciar di queste scale, formate da tre sole pietre. Non è da tralasciare, come anche qui le porte si obliquano, e piegano, tendendo verso il punto del mezo, benchè non tanto quanto a Nimes: nè parimente un' altra notabil particolarità; cioè, che se bene il recinto esterno è ovale, il secondo riguardato d' alto per di dentro comparisce ottangolo, avendo due archi di più ne i quattro lati, che formano la lunghezza, per corrispondere all' elissi del primo giro. Il premesso disegno mostra, e distingue il numero, e la positura delle pietre: non per questo è da credere, che nell' edifizio sien bozze: l' opera è affatto simile a quella di Nimes, e perciò si son segnate le commissure con una linea sola.

Le porte del pian terreno hanno piedi 11. 4. di luce, e gli stipiti p. 2. 2. di fronte, con che tra un contrapilastro e l' altro corrono p. 16. 6. Le quattro porte diametrali, sopra le quali ne' tempi bassi furono alzate altrettante torri, avanzano un piede e mezo in circa più dell' altre, e così gli archi di sopra: sono anche più larghe, benchè non si possan' ora misurare, per restar coperte. Ma non resta già coperta quella, ch' è assai più grande di tutte, e per la quale era il maggior' ingresso. Questa è su la punta dell' ovato, dalla parte che riguarda il Settentrione, ed ha niente meno di piedi 16. 6. di luce, e di 22. e più d' altezza: non ha per altro ornamento alcuno. Per questa doveano entrare i gladiatori, ed esser condotte nelle lor gabbie le Fiere, e far comparsa gli apparati, e le pompe: quindi è che si entra per essa in una strada molto ampia, e molto alta, la quale senza incontrar niente, dirittamente conducea nel campo. Di questa strada vi parlerò più distintamente, perchè si vede in essere: ve ne presento anche lo Spaccato per poterne parlare con più chiarezza.

Pars majoris vestibuli.



A Januæ amplitudini via respondet, & majore Veronensi vestibulo, præsertim si lacunar spectes, longe nobilior est ac magnificentior. Januæ latus, & primi muri crassitudo est pedum 6. unciarum 4. murus alter minor est pede uno: porticus quæ interjacet, quæque circum olim ibat, lata est pedes decem. Altissimus, elegantissimusque fornix, qui supereminet, constat ex mediocribus lapidibus quadratis at oblongis, & alterne positis, & magno arcu incipit inter primum & alterum ambitum. Hinc in aliam incidis januam, cujus lumen est pedum 6.11.cujus præterea singuli trunci pedes continent ferme duos. Tum de B quadratarum genere columnam unam invenis crassam medium pedem, tres vero cum dimidio latam. Deinde ad parietis partem pervenis sex pedes semis continentis, & ex magnis lapidibus compositi; tandem ad columnam priori illi alteri similem accedis. In laqueari hæc duo spatia januæ scilicet, & muri duos fornices modice altos, ex duobus longorum lapidum coriis compositos sustinent: arcus fulcimentis columnarum quadratarum utrinque innixus illos fornices sejungit. Ad imum fornicum corona est, quæ illorum sequitur declivitatem. Ulterius progredienti janua objicitur C lata pedes 6. 2. cum truncis pedis 1.8. tum columna de quadratarum genere primis par; deinde alia janua lata pedes 5. 10. ac columna ex illarum genere, iis tamen duabus unciis minor. Laquear spatii ultimo proximi est horizonti parallelum ex lapidibus longissimis ab uno ad alium arcum pertinentibus: earum porro columnarum superiorem partem perpetui arcus ambiunt, corona infra certum, æquumque spatium posita. Ultimi spatii laquear delumbatum, & duobus oblongorum lapidum ordinibus elaboratum, per longum extenditur, ut vere arcuatum non sit, rectaque pariter corona innitatur.

D Tota hujus magnæ viæ longitudo est pedum nunc 68. non tamen olim; paullo enim ulterius aperte patet, fuisse aliquanto longiorem. Satis eo luminis infundebatur per vestibuli januam, perque eam quæ in campum ducebat, Veronæ super vestibuli januam ampla præterea fenestra erat: hic vero extraordinaria januæ altitudo satis luminis dabat. Ne putes tribus portis, quæ in apposita figura offeruntur,totidem porticus contiguas fuisse. De Circo Veronensi cum agerem ostendi ad latus majoris viæ ad aream tendentis, alias minores fuisse quæ referebantur eodem: transitus itaq; Amphitheatri Arelatensis arcuatarum januarum for-E mam præ se ferebant. Continua vero, & orbiculata porticus eo tantum in loco erat, qui postremæ respondet. Ejus duos longiores tractus detexi, in quorum alterum nunc descensus est per aliquot cujusdam cameræ proximæ gradus, ut

Corrisponde la strada all' ampiezza della porta, ed è molto più nobile e più magnifica del maggior' ingresso di Verona, e specialmente nel soffitto. Il pilastrone della porta, o sia il fianco, e la grossezza del primo muro, importa piedi 6. once 4. Il secondo ha un piè di meno: il portico che framezza, e che circolava all' intorno, è largo dieci piedi: l' altissima, e pulita volta, che ha sopra, è fatta di mezane pietre quadrilunghe poste a scacco, e comincia con un grand' arco tra il primo recinto, e il secondo. Siegue una porta, che ha di luce p. 6. 11. importando in oltre quasi due piedi ognun de' suoi stipiti. Dopo di essa si ha una colonna piana, che ha mezo piè di fondo, e tre e mezo di larghezza. Vien' appresso un tratto di parete di sei piedi e mezo, composto di gran pietre; indi colonna piana simile alla precedente. Nel soffitto questi due spazj, cioè della porta, e del muro, hanno due volte in poca pendenza, formate di due soli corsi di lunghe pietre: restan separate da un arco, sostenuto di qua e di là dalle imposte, che sono su le colonne piane. Al fondo delle volte è cornice, che seconda l' inclinar loro. Procedendo avanti, è una porta larga piedi 6. 2. co' suoi stipiti di p. 1. 8. poi colonna piana uguale alle prime: indi altra porta in larghezza di p. 5. 10. e finalmente colonna piana due once minor dell' altre. Il soffitto del penultimo spazio è orizontale, composto di lunghissime pietre, che arrivano da un arco all' altro, archi girando sempre sopra le colonne piane: sotto in competente distanza è la sua cornice. Il soffitto dell' ultimo spazio è in volta, lavorata con due mani di bislunghe pietre; va per lungo, ma non è però inclinata, e posa su cornice parimente diritta.

La lunghezza di questo stradone rileva in tutto piedi 68. ma non terminava qui, e poco innanzi chiaro indizio si vede, che proseguiva pur' alquanto ancora. Lume avea a sufficienza dalla porta, che mettea nel campo, e da quella dell' ingresso. A Verona sopra di questa era in oltre una gran fenestra; ma qui era supplito a ciò, con aver tenuta la porta di straordinaria altezza. Non bisogna credere, che alle tre porte, quali si figuran nel Taglio, corrispondessero altrettanti corridori. Ho mostrato trattando dell' Arena Veronese, come a canto della maggior via, che procedeva alla piazza altre minori ve n' erano, le quali communicavan con essa: i passaggi adunque erano nell' Arena d' Arles in forma di porte arcuate. Continuato, e circolar portico era solamente in quel sito, che corrisponde all' ultima. Di questo due lunghi tratti ho scoperti, in un de' quali si discende

proinde ſubterraneus videatur; ſed id ex eo fit, quia ſolum aggeſta terra altius eſt, aliaque ibi ſuperſtructa ſunt. Hic iter præterea reperii per portam ultimæ proximam in quoddam receptaculum, quod adhuc extat integrum, & in eam porticum ducebat, & recta in quemdam exitum deſinebat. Porticus lata eſt pedes 8. alta 12. & amplius: muros, & fornicem exigui lapides æquales in quadratum ſecti componunt: imum fornicis ad latus externam partem verſus ambit non corona, ſed zona minime elaborata. In interiore latere nihil eſt. Ultra murum ad partem exteriorem nonnullæ cameræ ſunt; ab interna parte cernuntur oſtia aggeſta terra modo clauſa, quæ profecto ad inferiora Vomitoria deſcendebant. Præter recentem murum qui in tranſverſum porticus extenditur, anguſto in ſpatio oſtium cernitur cum ſex gradibus, quos ſine dubitatione eos judico, qui ad Podium ducebant; ex quo intelligas interiorem murum, & inferiorem partem eo loci abſolutam fuiſſe.

Nihil reliquum eſſe ad dicendum de hoc Amphitheatro fortaſſe credas, & quivis crederet; & tamen reliquum eſt quod eſt obſervatione dignius. De Veronenſi cum diſſererem ichnographiam ſubterraneæ partis non vulgarem exhibui: cum enim ubique fodiendum curaverim rem plane, certoque deprehendi. Tota illa ſubterranea pars magnos continet aquæductus ad pluviales aquas, ſordeſque deducendas, & campum exſiccandum. Arelate vero tot ſubterraneæ ſtructuræ ſunt, ut Scriptores ii quos antea nominavimus nova plane & incredibilia dixerint. Hæc duo ſunt primum hoc; illud Amphitheatrum ædificatum fuiſſe ſuper magnæ alicujus antiquæ molis ruinas: alterum hoc; fuiſſe illud in tres olim ordines diviſum, non vero in duos, ut nunc cernere eſt, quaſi primus aggeſta terra prorſus obrutus fuerit. Venia, fateor, dignus eſt, qui in hujuſmodi operibus tam peregrinis decipitur. Cum enim Amphitheatrum elato in loco poſitum ſit, gradienti per viam, qua ad amplam januam de qua dixi, rectus aſcenſus eſt, in ejus viæ medio occurrit oſtium, quod in ſubterraneam porticum ex muro fornicato deducit. Fac te ulterius progredi trium ferme perticarum ſpatio, & ad parietis fundamentum pervenire, ſub illa prædicta janua aliam arcuatam, & ex magnis lapidibus formatam vides, non tamen vides ibi baſes, neque elaboratas partes; neque ita lata eſt ut ſuperior, cum ejus pedes non ſint amplius decem ſemis. Hac in viam ingrederis ſuperiori valde ſimilem, ſed media ex parte minus latam. Longitudo aliquot pedibus major eſt, & in naturale collis ſaxum deſinit. Parietes utrinque poſiti, & murus parietes ſuperiore in parte comprehendens totus eſt ex magnis lapidibus. Arcus ibi frequentes ſunt, quæque media ſunt ſpatia non ſunt fornicata, ſed omnia plana, & horizonti parallela. Simulatque introieris in utroque hujus viæ latere anguſtiorem porticum fornicibus, & coronis exornatam offendis. Ubi ſuper prima eſt exterior porticus, ibi ſubter alia erat dimidia ex parte arctior. Quia hæc obruta, & obſtructa eſt, iccirco utrum circum undique ierit non intelligas. Prope terminum viæ mediæ ad latus intras porticum internæ ſuperiori, de qua paullo ante diximus, reſpondentem. Ejus extat magna pars ea plane ratione elaborata, qua ſuperior, reliqua ſubter latet. Paullo ulterius hinc, & illinc alterius loci vacui & anguſtioris initium cernitur, ut dubitandum ſit utrum porticus, an emiſſarium fuerit, ut ex eo videtur poſſe conjici, quia aliquanto deprimitur, & a dextera parte al-

Guiſ. p. 24. Seg.

ora per alquanti gradini d'una caſa proſſima, talchè viene a parer ſotterraneo, ma naſce dall' alzamento del terreno, e dall' eſſerciſi fabricato ſopra. Quivi ho trovato ancora, come per la penultima porta ſi entrava in un ricetto, che ſi vede intero, e mettea nel corridor ſudetto, dove trovava un' uſcita in faccia. Il corridore è largo piedi 8. ed alto più di 12. i muri, e la volta ſon di piccole pietre uguali, tagliate in quadro: a piè della volta nel lato, ch' è verſo l'eſteriore, gira non cornice, ma ſchietto cordone; nel lato interiore non vi è nulla. Di là dal muro verſo il di fuori ſi hanno alcune ſtanze in volta; dalla parte interna ſi veggono uſcite, chiuſe ora dalla terra, le quali doveano capitare a più baſſi sbocchi. Oltra un muro non antico, dal quale vien ora attraverſato il corridore, ſi vede in anguſto ſpazio un' apertura con ſei gradini, quali certamente eran quelli, che conducevano al Podio; dal che ſi può conoſcere, come l'interno muro, e la parte baſſa fu già in quel ſito compiuta.

Voi crederete, e crederebbe ognuno, che nulla più rimaneſſe a dire di queſt' Anfiteatro; e pure la più curioſa parte ne rimane ancora. Trattando dell' Arena di Verona, ne diedi una curioſa pianta, cioè la ſotterranea, ricavata interamente, e con ſicurezza dall' aver fatto ſcavare in ogni luogo; ma quel ſotterraneo conſiſte tutto in gran condotti, che ſervivano a portar fuori l' acqua piovana, e le immondizie, e parimente a tenere aſciutto il campo: ma ad Arles tanto fabricato è ſotto terra, che due grandiſſime ſtravaganze fece dire a gli Autori ſopranominati, che ne parlarono; l' una, che l' Anfiteatro foſſe edificato ſopra le ruine di qualche grand'edifizio più antico; *l' altra, che anticamente foſſe in tre piani, e non in due, come ora appariſce, ma che il primo reſti interrato tutto, e ſepolto. Per verità è compatibile chi al veder' opere tanto inſolite ſi confonde, imperciocchè eſſendo l' Anfiteatro ſituato in parte alta, nel ſalir la via, che direttamente conduce alla gran porta, di cui ho parlato, incontraſi nel mezo di eſſa un' uſcio, per cui s' entra ſotterraneamente in andito murato, e voltato. Paſſando innanzi forſe tre pertiche, e arrivati al fondamento del recinto, e ſotto alla ſudetta porta, altra ſe ne vede arcuata, e formata parimente di gran pietre, ſe non che non ha impoſte, nè parti lavorate, e non è sì larga come quella, che ha ſopra, non eccedendo dieci piedi e mezo. Entrati dentro, ſi trova una ſtrada aſſai ſomigliante a quella che ha ſopra di ſe, ma con la metà meno di larghezza. In lunghezza avanza d' alcuni piedi, e nel ſuo termine vien ſerrata dal natural macigno del colle, ch' ivi s' incontra. Le pareti di qua e di là, e così il ſoffito tutto è di gran pietre. Archi vi ſono molto ſpeſſi, e gli ſpazj, che in alto framezano, non ſono a volta, ma tutti piani, ed orizontali. Nel principio dell' ingreſſo, di qua e di là dalla ſtrada deſcritta, è un andito più anguſto con volte, e cornice. Corriſpondente al primo portico eſteriore altro ve n' era ſotto, metà più ſtretto: non ſi può ſapere, ſe circolaſſe interamente, perchè ora è interrato, e chiuſo. Verſo il termine della via di mezo ſi entra lateralmente in un corridore corriſpondente all' interno di ſopra, di cui ho parlato poco innanzi. Se ne vede un gran tratto, lavorato in tutto come il ſuperiore; reſtando poi affogato dalla terra. Poco più avanti, ſi vede di qua e di là il principio d' altro vacuo aſſai più ſtretto; reſtando in dubbio, ſe indichi corridore, o condotto, come pare poterſi arguire dall' eſſer più*

tius etiam immergi, ac Rhodanum versus pendere videtur. Alia hujusmodi subterranea loca quasdam cellas hac & illac ingredientibus occurrunt; ac præsertim a parte opposita est alia recta via, & interioris porticus pars, & arcus januæ impositus. In his subterraneis locis proximæ viis sunt nonnullæ cameræ cum portis, immo & aliquibus fenestris terra obturatis; in interna quoque porticu aliquam portam, ac fenestram reperias. Crediderim ego per eas portas in aliquod receptaculum iter fuisse, & fenestras ab ostiis procul in colle factis aliquod luminis accepisse.

Veruntamen quorsum tantus labor, & impensa tam magna? Viam majorem jam admonui ad rupis pedes clausam fuisse. Neque scalam, neque exitum, neque foramen ullum invenias, quibus ad superiores Amphitheatri partes ascensus fuerit. Certum ergo est hanc subterraneam substructionem nihil ad spectacula, cum darentur, pertinuisse. Fieri etiam potuit ut Architectus, quoniam in colle Amphitheatrum positum est, ideoque loco facili ad subeundum tametsi non descenderes, etiam ampla ejus fundamenta ornare voluerit, & extracta terra ea cava ad varios usus efficere: exempli gratia, ut spectatores ferventioribus diei horis ad temperandum æstum eo penetrarent, ut pararentur ea, quæ in Circis ad speciem erant magnifice ostentanda, sed ita ut nemo ea, antequam in publicum proferrentur, cerneret; ut alia præterea servarentur dies integros a mane usque ad vesperam in Amphitheatro versantibus necessaria. Ad reponendum præcipue vinum locus erat opportunus, & vina quidem reponi consuevisse ex eo conjicio, quod tres testas longe capaces stantes, & dimidia ex parte in terram immissas inveni. Notum est hujusmodi testis Veteres servare solitos vina. Ut ut sit certum est tum singulari ejus subterranei loci magnificentia, tum ædificii pulchritudine, quæ in vestibulo jam descripto præsertim enitet, dignum est hoc Amphitheatrum, quod magis innotescat, magisque expendatur. Nam plerique eorum qui res antiquas collegerunt ejus adhuc ne meminerunt quidem. Illud non est prætereundum sub via quæ media est, & subterraneis porticibus alia esse loca vacua, aliosque fornices, unde crediderim deduci aquas consuevisse; quibus rebus necesse est non modice expensas auctas esse. Hinc fortasse factum est, ut tam magnis sub terra impensis factis, absolvi opus non potuerit. Satis mihi de Arelatensi Amphitheatro dixisse videor, de Fori Julii jam modo dicam.

A *basso, e dal sembrar, che a dritta si profondasse ancor più, e pendesse verso il Rodano. Altri simili sotterranei s'incontrano, entrando qua e là nelle cantine, e spezialmente dalla parte opposta altra via diritta si trova, e un tratto del portico interiore con un arco di porta. Prossime alle vie, stanze si hanno anche in questi sotterranei diverse, con porte, e qualche fenestra acciecata dalla terra: qualche porta, e qualche fenestra si trova nel corridore interno ancora. Le porte davan forse passaggio in qualche ricetto, e le fenestre da bocche fatte di lontano nel colle prendean forse qualche spiraglio di lume.*


B

Ma a qual fine mai tanta opera, e tanta spesa? la strada principale ho già avvertito, com' era chiusa in fondo dal rocco: scala, esito, o foro non si trova in veruna parte nè de' corridori, nè delle stanze, per cui si potesse salire nelle parti superiori dell' Anfiteatro: è dunque certo, che tal sotterranea fabrica niuna relazione avea con quanto si operava ne' Giuochi, e ne gli spettacoli. Forse l' Architetto, essendo l' Anfiteatro in collina, e però in situazione da potervi andar sotto senza discendere, volle adornare così anche gli ampi fondamenti suoi, e traendone la terra formarvi tutti que' vani per varj usi: come sarebbe a dire, di potervi passare gli spettatori a rinfrescarsi nell' ore più ardenti del giorno; di potervisi allestire, e mettere in ordine le sontuose comparse, che si facean nelle Arene, senza che niuno le potesse vedere prima dell' ingresso; di potervi tenere, e conservar varie cose, quali eran forse necessarie per ristoro di chi passava la giornata tutta dalla mattina alla sera nell' Anfiteatro. Opportuno era singolarmente il luogo per conserve da vino, e che vini vi si tenessero, parvemi di poter congetturare, per aver ritrovate nelle stanze tre grandissime urne di terra cotta con ampio ventre, in piedi, e meze sotterrate: sappiamo, che gli antichi in così fatti vasi tenean volontieri il vino. Ma comunque sia, certa cosa è, che tra per la novità di questi magnifici sotterranei, e tra per la sontuosità dell' edifizio, la quale spicca singolarmente nel grand' ingresso da me descritto, merita quest' Anfiteatro d' essere assai più noto, e più considerato ch' egli non è, non essendo stato d' ordinario nè pur mentovato da chi finora antichità ha raccolte. Non debbo omettere, come sotto la via di mezo, e sotto i corridori sotterranei altri vani, e altre volte pur sono ancora, quali dovean servire per condotti; con che la spesa si accrebbe di nuovo non poco, e forse l' averne tanta profusa sotto terra, e l' essersi profondati tanto, impedì poi il potersi inalzare quanto bisognava, per condur l' opera a termine. Or parendomi d' avervi omai anche dell' Anfiteatro d' Arles ragionato a bastanza, passerò finalmente a Frejus, e di quello ancora vi darò contezza.

C D E

Io non

Ichnographia Amphitheatri Fori Julii.



A Utrum extiterit quispiam, qui nulla impellente necessitate Forum Julii tanquam itineris metam sibi proposuerit me quidem præterit. Sed *trahit sua quemque voluptas*. Cum a Viro fide digno audierim esse hic non exiguas profecto Amphitheatri reliquias, cum præterea ejus Serlius quoque meminerit, nihil dubitavi quin ab Arelate huc iter susciperem, præsertim cum adhuc non modo typis, aut figuris, sed nec ulla alia ratione peculiare quidquam de eo publicatum fuerit. Subrisere humanissimi quidam Equites, meque interrogarunt, cur hoc iter aggrederer. Sed novum non est & in hoc & in alio quolibet rerum genere ab antiquis usque temporibus rem unam, B eamdemque aliis admirandi, aliis ridendi materiam suppeditasse. Ὃ σὺ θαυμάζεις, τῷδ' ἑτέροισι γέλως; Lucianus ait epigr. 1.

Nihil mirum est, ea in urbe Amphitheatrum extructum esse. Alia enim quoque argumenta sunt cur eam floruisse maxime credas, & amplam fuisse, quæ non modo militaris colonia Romana fuit ex Legione octava, & duobus nominibus insignita, ut habemus ex Plinio, & *illustris* a Tacito appellata, sed etiam diutius classi statio fuit, ab Augusto cum portu posita, nihilo minus quam Ravenna, ac Misenum, quam rem Strabo innuit. C In recentioribus libris, in quibus ejus Amphitheatri mentio fit, id unum dicitur, illud esse plane integrum: quod quidem a veritate aberrat quam quod maxime: exiguum enim est quod superest, si cum eo quod dirutum est, compares. Id ipsum tamen quod superest ejusmodi est, ut harum rerum studiosis hominibus non minime prodesse possit. Hic enim, contra atque alibi, contigit; superat nempe interior pars, cujus Arelate, aut Nemausi nihil habes. Eam itaque ego describam, quam descriptionem ubi cum duabus prioribus aliis conjunxeris prope totam Amphitheatrorum formam inde percipies. D

Iis duobus hoc ædificium omni ex parte longe cedit. Primum enim ea ratio habita est, ut dimidiam ferme ejus partem per longum ductam pes Collis efficeret; atque ita ab uno latere ad majorem molis partem construendam nihil opus impensis fuit: quæ quidem parsimonia in Theatris quidem sæpe, in Amphitheatris vero, quod equidem noverim, alibi nunquam adhibita est. Deinde autem non ea quæ alibi hic materiæ magnificentia enitet; neque enim ex magnis, durisque lapidibus totum opus confectum est, sed muro iis E temporibus communi, cujus tegumentum est ex lapidibus parvis ad normam sectis, plerumque colore subviridi, aut subrufo, at fragilibus, ut

Io non so, s' altri si trovasse mai, che a motivo di semplice curiosità si prefigesse Frejus per termine d' un viaggio; ma in somma trahit sua quemque voluptas. *L' aver' io da persona degna in ciò di fede, che quivi certamente considerabile avanzo d' Anfiteatro si ritrovasse; l' essere stato nominato fin dal Serlio, e il non esser di esso publicata ancora notizia particolare alcuna, non che stampa, o disegno, mi fece senza esitanza prender da Arles verso quella Città il cammino. Feci ridere con tal risoluzione alcuni gentili Cavalieri, che con curiosità mi richiesero il motivo di questa gita; ma e in questa, e in ogni altra materia, e non meno in questo, che in tutti i tempi egli avvenne sempre, che le cose dall' uno ammirate fosser soggetto all' altro di riso;* Ὃ σὺ θαυμάζεις, τῷδ' ἑτέροισι γέλως, *disse Luciano nel suo primo epigramma.*

In tal Città, detta Forojulium *da' Latini, non è meraviglia, che Anfiteatro si ergesse; poichè si riconosce anche da più altri segni, come fu già florida, e grande, e non solamente fu militar Colonia Romana, formata della Legione ottava, e onorata di due titoli, come abbiam da Plinio, e detta* Illustre *da Tacito; ma fu stabil soggiorno per assai tempo d' un' armata navale, constituita nel suo porto da Augusto, non meno che a Ravenna, e al Miseno, di che diede un cenno Strabone. I moderni libri, ne' quali vien nominato il suo Anfiteatro, altro non ne dicono, se non che si conservi del tutto intero; il che per verità è falsissimo, mentre molto poco è ciò che ne rimane, in paragone di ciò ch' è distrutto: tuttavia non senza profitto si può esaminare quanto ne sopravanza, perchè all' incontro degli altri qui si è conservata apppunto l' interior parte, della quale nulla abbiamo ad Arles, e nulla a Nimes: facendovene io però descrizione, ove con le due passate congiungasi, verrà a risultarne quasi l' intero degli Anfiteatri.*

Molto inferiore a gli altri due fu quest' edifizio per ogni conto; poichè primieramente si usò in esso l' economia di situarne quasi la metà per lungo sul piè d' un colle, e di risparmiar così la maggior parte della fabrica da un lato; la qual industria fu spesso adoprata nel costruir Teatri, ma in vero Anfiteatro non so che si osservi altrove. In secondo luogo, non si vede qui la magnificenza del materiale, ch' è negli altri; mentre non di grandi e dure pietre, ma è tutto lavorato di muraglia secondo que' tempi ordinaria, incamiciata solamente di pietre piccole riquadrate, per lo più verdastre, o rossiccie, ma di qualità fragile, e da non poterne aver pezzi gran-

eorum fragmenta magna esse non possint; immo neque prorsus æquales sunt, neque prorsus eleganter dispositi. Ita extructi & muri sunt, & gradus, & cætera omnia. Arcus dimidii Amphitheatri in planitie positi, sunt numero 26. æqualis Amphitheatri pars est in colle; quare ex duobus, & quinquaginta tantum arcubus ellipsis ejus constaret, si ex utraque parte arcus fuissent. Inter quatuor portas ex diametro oppositas ab omni latere arcus duodecim erant. Olim (ut hodie quoque) a mœnibus parum aberat. De ea parte quæ in planitie est verba faciam; de altera enim pauca suppetent quæ dicam.

Non hic exteriorem faciem ostendam: primus enim & alter paries prorsus periit; id est primæ, & secundæ januæ cum interjecta porticu, proindeque cum iis omnibus quæ super erant imposita. Initio statim murorum, qui cum interiore porticu conjungebantur, ut ex proposita ichnographia potes animadvertere, magna rudera objiciuntur. In primo interioris porticus, quæ subsistit, muro januarum signa sunt in ipsam ducentium, nunc tamen recenti opere obstructarum. Ipsa porticus lata est pedes 10. alta 13. ejus fornix, ut alii quoque, ea plane ratione qua Veronenses, confectus est, nempe ex saxorum, ac lapidum temere conglobatorum frustis, tectorio tamen inducto cum aliquo ut facile crederes ornatu. Imum fornicis ornat lateritia corona, additique sunt abaci duo prægrandes lateritii Romani gradatim positi. Eadem ratio in superioribus fornicibus habita est: etenim in impensarum paucitate, artis quoque elegantiæ consultum voluerunt. In uno ex hisce abacis scriptum est *Castoris*. Quare extra Romam quoque in more positum erat, ut officinæ Magistri, aut Domini nomine notarentur. Præter porticum, internum ambitum vides, ibique vias ad inferiora vomitoria; tum murum continuum fulcientem Podium. En tibi Sciographiam, unde quid supersit intelliges; ego vero distinctius de singulis partibus disseram.

A *di; nè sono affatto uguali, nè disposte con piena pulitezza. Di tal costruzione si veggono i muri, i gradi stessi, e ogni cosa. Gli archi nella metà collocata in piano, sono in numero di 26. ed altrettanto è lo spazio sul colle, onde la sua elissi da 52. arcate solamente si sarebbe composta, se fossero queste state da ambedue le parti. Tra le quattro porte diametrali erano da ogni lato archi dodici. Restava anticamente fuor delle mura, ma in poca distanza, come pur anco in oggi. Parlerò della parte piana, perchè dell'altra poco ci sarà che dire.*

B *Non vi farò qui mostra dell'esterior prospetto, perchè il recinto primo è svanito tutto, e così il secondo, vale a dire le prime e le seconde porte, col portico ch'era fra esse, e per conseguenza con quanto era sopra. La prima cosa, che nel di fuori ora si presenti, sono gli alti rottami di quelle muraglie, che da i secondi archi andavano ad unirsi col portico interiore, come nella premessa pianta potete osservare. Nel primo muro dell'interior portico, che sussiste, son segnate le porte, quali metteano in esso, chiuse ora con moderno lavoro. Il portico stesso è largo piedi 10. e alto 13. La sua volta, come pur l'altre, è lavorata al* C *modo di quelle di Verona, con pezzi di sasso, e di pietra alla rinfusa, ma stabilite poi con malta, e pare ancora con qualche divisamento. A piè della volta ricorre cornice, formata di cotto con due quadroni Romani posti gradatamente: l'istesso si osserva nelle volte superiori, poichè vollero anche nel minor dispendio conservar le grazie dell'arte. In uno di questi quadri si legge* CASTORIS: *onde uso era anche fuor di Roma di consegnar le officine col nome del maestro, o del padrone. Oltra il portico è la cinta interna, dove apparison le vie, che metteano a' Vomitorj bassi; indi il muro continuato, che sostentava il Podio.* D *Eccovi lo Spaccato, che vi farà conoscere quanto resta, e dopo il quale potrò meglio d'ogni cosa a parte a parte dar conto.*



Janua in extremitate respondente ellipsis majori diametro constituta, quæ ad Urbem vergit, nunc obstructa est, exædificato ibi κοινοβίῳ, quo quinque pariter arcuum spatium occupatum est. Incipiam tamen ab ea, quæ e regione est, ad quam inter duos solitos a lateribus muros pervenitur, quorum vestigia extant in summo fornicis, cui impositi gradus erant. Ea lata est pedes quindecim semis, aliæ vero tredecim. A parte dextera arcuata janua est, quæ in porticum ducit; Veronæ quidem nulla janua, sed porticus arcus totus patet. A læva pariter porta est sed ficta, & jam olim clausa; ibi enim colle opposito porticus esse non potuit. Fac iterum exeas, reliquias, & vestigia percurrens omnia in duobus proximis spatiis corrupta videas, scalas tamen majori portæ

La porta su la punta dell'ovato, che riguarda la Città, è ora chiusa, e coperta per un Convento, con la fabrica del quale lo spazio d'altre cinque arcate dell'Anfiteatro fu parimente occupa- E *to. Faremo però principio da quella, ch'è dirimpetto, alla qual si viene tra i soliti due muri laterali, che serbano vestigio in alto della volta, sopra cui erano i gradi. La larghezza è di piedi quindici e mezo, dove nell'altre di tredici. A dritta si trova una porta arcuata, che mette nel corridore: a Verona non vi è porta, ma tutto l'arco del portico è aperto. A sinistra è parimente porta, ma finta e chiusa d'antico, non potendo da quella parte esser corridore, mentre s'urta nel colle. Tornando fuori, e seguitando gli avanzi, o i vestigj, ne' due prossimi spazj tutto è guasto,*

contiguas fuisse intelligas. Quarti spatii altitudo integra erat, & fornix progressu fiebat altior: sub his duobus fornicibus primæ scalæ erant. Ad numerum 5. viam cernis, & e regione januam, desuper autem duorum fornicum signa, quorum uterque descendebat; a primo enim incipiebat altera scalæ pars, quæ parietem versus flectebat, & altero fornice tegebatur. Ad 6. altum fornicem ascendentem aspicis: ad 7. duos fornices, & e regione januam, itaque semper alternis. In medio tamen non eadem est latitudinis ratio, cum ibi tres portæ sint, alia alii proxima. Muri omnes, quibus fornices erant impositi, a medio sursum ad altiorem porticum perveniunt, ut in apposita figura videre licet, & a medio deorsum ad alteram porticum imi ordinis; at qua parte tangunt, totum alterius inferum spatium perpetuo fornicibus in directum extructis tegitur, sex pedes longis, ac totidem exiguas dixerim cameras efficientibus. Hic inter rudera Acanthi magnis, pulcherrimisque foliis surgentis non minimam copiam aspexi, quo mihi haudquaquam incredibile visum est quod Vitruvius refert ad id exemplar capitula apud Corinthios a Callimacho facta. Ea namque plane elegantia, dum adhuc illa herba tenella est, flectitur, atque crispatur.

Ad porticum in medio positam, quæ lata pedes sex cum dimidio, alta pedes octo, hanc mediam Amphitheatri partem ab uno ad alium terminum circumibat, priores scalæ deducebant: definire autem certo non licet ubi aliæ scalarum partes desinerent, cum exterior pars tota prorsus corruerit. Sed nihil dubitandum est quin Atticurgem attingerent; hic enim quoque Atticurges profecto fuit eoque perveniebant qui ab altioribus Vomitoriis exibant. Ad numerum 14. ichnographiæ (& id quidem Amphitheatri medium est) nihil aliud præter altiorem fornicem vides: ad numerum vero 16. partem tantum scalæ primæ, & reliquæ certa signa, ut eam nihil dubitans describendam curaverim: gradus erant 16. continui: alterius quoque partis vestigia superant. In sciographia illud observandum est, cum duæ illæ scalæ in duobus sint distinctis spatiis constitutæ, vias, quæ ad interioris porticus januas pertinent, illas esse, quæ superpositas secundas scalas habent.

Ad interiorem partem veniamus, ubi graduum, Vomitoriorum, & præcinctionum ima pars exiguum passa est detrimentum. In campo stantibus ex superiore parte superioris porticus exterior paries, & ejus dimidius fornix objicitur, ex altera enim parte murus corruit, omnesque gradus prorsus desiderantur. In medio pars quoque cernitur ejus fornicis, quem solum superesse diximus; nam eo loci alter etiam murus eversus est. Si ad terram descendas in magnam partem quinque graduum incidis, tum in alium aliquanto altiorem, latioremque; ea erat Præcinctio. Ante illam dimidius minor gradus esse videtur. Igitur hac in parte decepti fortasse non sunt, ut ego olim putavi, qui Veronenses gradus instaurarunt. In gradibus inferioribus Vomitoria sunt; erant numero duodecim eo ordine, quem ichnographia exhibet; quamquam dextera χοιροβίου pars eorum duobus prætenditur, & duo in medio sibi proxima magna ex parte dejecta sunt, ut janua quæ ad porticum refertur, & ex aliqua parte duæ proximæ inopertæ sint. Ex ipsa ichnographia patet contra has januas exitus non fuisse, sed eam muri partem quæ inter utrumque superest, & eam quæ est in medio. Hæc Vomitoria lata sunt pedibus 4.4. internæ eorum portæ erant altæ pedibus octo, quarum extat una prope χοιρόβιον

A *ma il contiguo alla porta grande avea scale. Il quarto era a tutta altezza, e la volta andava all' in su: sotto queste volte erano le prime scale. Al numero 5. è strada, che trova in faccia una porta, ed ha sopra i segni di due volte, l' una e l' altra che discendeva, perchè sopra la prima era un secondo ramo di scala, il qual tornava verso il recinto, ed era coperto dalla seconda. Al 6. torna la volta alta che monta; al 7. tornano le due volte, e la porta in faccia, e così sempre a vicenda. Solamente nel mezo per larghezza si muta, perchè vi son tre porte una presso l' altra. Tutti i muri, sopra quali eran le volte, dal mezo in su*
B *vanno fino al corridor più alto, come nel Taglio si può vedere, e dal mezo in giù vanno fino al corridor secondo del pian terreno; ma dove lo toccano, tutto lo spazio che resta sotto l' altro, è coperto sempre da volte diritte, lunghe sei piedi, formando però quasi tante camerette. Quivi tra i rovinazzi trovai sorgere Acanto in quantità, con foglie grandi e bellissime, e riconobbi la verità di ciò che Vitruvio scrisse, dell' esser queste le imitate da Callimaco nel capitello Corintio: finchè l'erba è giovane, si torce, e si raggrinza appunto con quell' istessa vaghezza.*

C

Le prime scale portavano sul corridor di mezo, che in questa metà dell' Anfiteatro girava da un capo all' altro, largo piedi sei e mezo, alto piedi otto: i secondi rami non veggiamo precisamente ove capitassero, per esser tutta l' esterior parte distrutta, ma senza dubbio su l' Attica, che quivi ancora forza è che fosse, e dove capitava chi dovea uscire da' più alti sbocchi. Al numero 14. della pianta, ch' è appunto il mezo, unicamente si conserva la volta più alta, e al numero 16. unicamente si vede parte d' una prima scala, e vestigi certi del rimanente, onde l' ho potuta far mettere sicuramente in
D *disegno: erano gradini 16. tutti continuati; del secondo ramo parimente restan le traccie. Avvertasi nell' osservar lo Spaccato, come essendo le due scale in due spazj differenti, le strade, che vanno alle porte dell' interno corridore, son quelle, che hanno sopra di se i secondi rami.*

Or passiamo all' interno, dove la parte bassa de' gradi, de' Vomitori, e delle precinzioni è assai conservata. In alto, stando nel campo, si vede l' esterior parete del corridor di sopra, e meza la
E *sua volta, essendo che il muro di qua è ruinato, e mancano quivi del tutto i gradi. Nel mezo apparisce ancora parte di quella volta, che ho detto unicamente conservata, poichè in quel sito è rotto anche l' altro muro. Ma venendo a terra, si vede gran parte di cinque gradi; indi uno alquanto più alto, e più largo, ch' era una Precinzione. E' osservabile, che innanzi di essa si par' essere un mezo gradetto. Forse adunque in questa parte non si errò nella ristorazione de' gradi di Verona, come io una volta supposi. Ne' più bassi gradi si veggono i Vomitorj: erano in numero di dodici,*
F *situati come mostra la pianta, benchè su la dritta il Convento ne tolga due, e li due di mezo, che si eran vicini, siano in gran parte ruinati, talchè resta scoperta la porta, che veniva nel corridore, e parte delle due vicine. Appar nella pianta, come queste porte non aveano gli sbocchi in faccia, ma bensì vi aveano quella parte di muro, che resta tra l' uno, e l' altro, e così quella di mezo ancora. Questi sbocchi son larghi piedi 4.4 le loro interne porte erano alte otto piedi, avendosene una presso al Convento affatto scoperta. E' da no-*

prorsus detecta. Notandum est hujus interioris ambitus eam partem, quæ inter Vomitoriorum portas interjecta est & sub inferioribus gradibus, non totam esse solidam, sed ne inutiles impensæ fierent, relictam esse magna ex parte vacuam, arcuato nempe fornice superimposito, ut in proposita forma vides, cui innitebantur imi gradus, & Podii pavimentum. In quolibet spatio inter Vomitoria eadem ratio servatur, quod ruptis alicubi muris cognoscitur, iis vacuis locis ab utraque parte antiquo muro obturatis, ut nullus sit dubitandi locus, quin ea de causa quam diximus ea parva inania spatia relicta fuerint. Quia vero fornices altius eriguntur quam Vomitoriorum limen, ut non minimam horum partem illi tegant, si ab area inspicias, liquido patet sine internorum graduum ope non licuisse in apertum, neque ad Podium, neque ad inferiores gradus venire. Ex ascensus spatio quinque saltem fuisse judices, tametsi ne unus quidem supersit. Ad primi gradus pedem in area terram effodi jussi, & magnam partem muri Podii detexi, cujus tegumentum, ut in plerisque aliis, confectum est ex parvis lapidibus ad normam sectis.

Primam Præcinctionem alii quinque gradus ex ejusmodi parvis lapidibus, & pari altitudine scilicet unius pedis, & semis, & latitudine pedum ferme duorum desuper ambiunt. Ibi est alter Vomitoriorum ordo, quæ sunt decem, & tria, quorum est ea distributio, ut super majorum vestibulorum januas utrinque unum & in medio Vomitoriorum, quæ inferius sunt, singula duorum collocentur. Horum limina in eodem sunt plano pavimento superioris porticus, ita ut ad gradus venias, tametsi minores gradus non ascendas. Sequitur alia præcinctio, quæ manifeste patet; tum alicubi pars alterius gradus, quo nimirum dimidium deesse intelligas. Non alternis disposita Vomitoria sunt, at in medio campo stantibus omnia videntur rectis lineis alia super alia scandere. Per ea ingredientibus, a proximis porticibus videntur omnia (præter opposita per diametrum) oblique tendere & ad punctum quod est in Plateæ medio, quodque est illis pro centro, verti; quod quidem ab eo puncto aspicientem summopere oblectat, videturque ad operis absolutam formam necessarium fuisse. Hinc intelligas cur in Arelatensi, & Nemausensi Amphitheatro, quod notandum censui, oblique quædam ducta fuerint, in quibus tamen illud consilium non omnino probo, ut ea ratione exterior quoque facies distorta, & obliqua fieret.

De altera quoque media parte in monte posita dicendum aliquid est. In eam saltem ex tertia parte minor sumptus factus est. Ubi enim mons altior surgit, Atticurgem tantum extollere necesse fuit; ubi vero declivis est aliquid amplius; ut intus stantibus omnia circum æqualia viderentur. Gradus in collis declivitate constituti, exigua addita structura, cum aliis conjuncti sunt. In partis quoque planæ initio naturalis rupes, quæ ab uno latere objicitur, ad fundamenta multum contulit. Sed ædificii minimum quid acclivi in parte superfuit: neque enim magnificentiæ sed parsimoniæ habita ratio est. Sublimem partem circuibat murus non paucis in eo factis portis, unde descensus erat, & ad earum Vomitoria cuilibet via. Nonnullæ reliquæ sunt, deformes tamen. Cum aliqua fornicis parte janua vestibulo jam descripto ad diametrum pertinenti proxima extollebatur, cum ne hic quidem terra sufficeret. Ab opposita parte ingredienti ad dexteram tractus porticus occurrit, unde e duobus locis exitus est, sed statim collis saxo in transversum impeditur.

tare, come la parte di questa interior cinta, ch'è tra le porte de' Vomitorj, e sotto i più bassi gradi, non è tutta solida, ma per risparmio di spesa inutile fu lasciata in gran parte vacua, e sopra il vacuo fu tratta una volta in arco, come nel disegno si accenna, sopra cui posavano i bassi gradi, e il pavimento del Podio: così è in ogni spazio tra un Vomitorio, e l'altro, il che per alcune rotture si scuopre, restando chiusi di parte e d'altra i vacui con muro antico, onde indubitato resti, a null'altro aver servito que' piccoli vani, che al sudetto fine. Ora siccome le volte alzano assai più, che la soglia degli sbocchi, talchè ne cuoprono buona parte a chi dalla piazza riguarda, così si rende patente, che senza interni gradini non si potea uscire all'aperto, nè portarsi sul Podio, e a' più bassi gradi: lo spazio della salita indica, che fossero cinque almeno, benchè nè pur uno ne sia rimaso. Ho fatto scavare a piè del primo grado nell area, ed ho scoperta buona parte del muro del Podio, rivestito come li più degli altri di piccole pietre riquadrate.

Sopra la prima precinzione girano altri cinque gradi, lavorati degli stessi piccoli pezzi, e con le misure medesime d'un piede e mezo d'altezza, e due di larghezza, poco più poco meno. In questi è la seconda mano de gli sbocchi, i quali son tredici; uno di essi resta nel bel mezo tra l'uno e l'altro di quei di sotto, ed uno per parte sopra le porte de' maggiori ingressi. La soglia di questi corrisponde al pavimento del corridor di sopra; talchè da esso si vien ne' gradi senza montar gradini. Siegue un'altra precinzione, che chiaramente si distingue; indi in qualche sito parte d'un altro grado, con che la metà appunto si può contar che ne manchi. I Vomitorj non sono disposti a scacco, ma quando altri si pone nel mezo del campo gli vede tutti in linee rette uno sopra l'altro. Entrando per essi da i contigui portici, si osservano tutti (eccettuando i diametrali) procedere obliquamente, e piegarsi verso il punto del mezo della piazza, di cui si fanno centro: il che per verità a chi dal sudetto punto rimira, fa molto bene, e molto gradisce all'occhio, e pare, che la perfezione della figura così richiedesse. Quivi però si rileva l'intenzione, e il motivo delle obliquazioni, che ho notate negli Anfiteatri d'Arles, e di Nimes, dove per altro non si può con tutto questo applaudire alla bizzarria dell'aver distorto in quel modo anche l'esterno prospetto.

Convien dire alcuna cosa anche dell'altra metà, ch'era sul monte. Un terzo per lo meno della spesa si farà risparmiata quivi, perchè dove il terreno è più alto, l'Attica sola si ebbe da costruire, e dove inclina, poco più, affinchè a chi era dentro tutto il d'intorno corrispondesse. I gradi sul declive del colle con poco murato sotto si fecero unir con gli altri. Anche nel principio della parte piana molto avrà agevolato il rocco naturale, che da un lato vi s'incontra, e che supplì al fondamento in gran parte. Ma nel montuoso pochissimo del fabricato è rimaso, perchè quivi non si lavorò per magnificenza, ma per economia. Girava una muraglia su l'alto, che avea più porte, per le quali si discendeva, e veniva ciascheduno a suoi sbocchi. Ne restano alquante benchè sfigurate, con qualche pezzo di volta quella, ch'è prossima al diametrale ingresso già descritto, montava, perchè il terreno quivi non supplisce ancora. Entrando dalla parte opposta, si ha su la dritta un tratto di portico con due uscite al di fuori, ma vien tosto attraversato dal macigno del colle.

Hæc ſunt quæ mihi de hoc Amphitheatro dicenda ſuppetunt, cujus & aliorum duorum inveſtigatio, ut verum fatear, perfecit ut nonnihil mihi ſæpe gauderem, cum quædam a me de Amphitheatris tradita certius confirmari, eaque Amphitheatris omnibus eſſe communia inde intelligerem; videlicet januas, quæ in medio erant, minori diametro reſpondentes, non in aream duxiſſe, ſed earum vias in murum e regione luminibus plane carentem deſiiſſe; januas vero diametro majori reſpondentes ampliores cæteris fuiſſe; non eam fuiſſe ſcalarum diſtributionem, quæ in omnibus editis ſchematis Flavii Amphitheatri proponitur; Vomitoria inferiora non in plateam aditum dediſſe, ſed per internos gradus in nobiliora loca ſpectatores duxiſſe; non fuiſſe carceres in ambitu interiore; in muro autem Podium ſuſtinente portas non fuiſſe. Summam vero ex eo cepi voluptatem, quod *Trabeationem* Tuſcanicam, quæ nuper inventa eſt, certo confirmari cognovi, tradique, & oſtendi ſine ullo erroris metu poſſe partes architectonicas, & ornamenta, quæ in nullo ædificio antiquo ſervari ad hæc uſque tempora artis magiſtri credidere.

His traditis adhuc mihi tamen longe plurima ad dicendum de Galliæ Amphitheatris ſupereſſe fortaſſe judices; cum in tot ejus Regni urbibus exiſtere editis in libris dicantur. Sed quod in Italia hac in re, id in Gallia quoque contigit, ut ubi nullum prorſus veſtigium apparet, & ubi nunquam fuerunt, ibi exiſtere Amphitheatra ſæpe nonnulli comminiſcerentur. Ubi ovatæ figuræ ſpeciem, ubi fornicum principium, ubi murum antiquum, qui ſemicirculi formam imitari videatur, inſpexerunt, ibi Amphitheatrum fuiſſe pronuntiarunt. In decem quidem Urbibus aliis magnis, aliis parvis Amphitheatra, quæ extare dicuntur, fruſtra inveſtigavi. Lugduni certe, Viennæ, Maſſiliæ, Biliterris, Narbonæ indicium nullum deprehendas; immo neque Pariſiis, ubi inter cæteros doctiſſimus Adrianus Valeſius eſſe contendit. In primis, tametſi contraria jam mihi nuntiata fuerint, volui Auguſtodunum in Burgundia proficiſci, cujus Urbis Amphitheatrum, ut ſemel, atque iterum oſtenditur typis, in tres magnificos ordines diviſum eſt, afferunt præterea prout extat, videturque, cognoſci ordines fuiſſe quatuor, & ea ferme ratione qua Flavii Amphitheatri ſcalas fuiſſe diſpoſitas. Crederes? Ubi illud eſſe dicitur, ſaxum nullum eſt, quod vel prope ſpectanti e terra prominens appareat. Extra Urbem novam, ſed intra mœnium antiquorum ambitum, ubi collis deſinit, circinatur ejus imum quaſi ad ſemicirculi modum. Jugum verſus octo fragmenta antiquorum fornicum remanent in colle compacta, æquis intervallis diſtantia, ſed herba ſuperinducta, prope occultata. Per hos fornices iter erat ad gradus. Hæc Theatri credi poſſunt ſigna, quia in una extremitatum curvaturæ, muri pars eſt, quæ linea recta claudebatur, quod in Amphitheatrum minime competit. Ab oppoſita parte nullum veſtigium cernitur, & illæ exiguæ reliquiæ, quas diximus, non ſunt ejuſmodi quas e ſuperiore loco videre poſſis, ſed ut detegas, prope accedas neceſſe eſt. Eæ vulgi ſermone *Caves Juliot* dicuntur. In Auguſtoduni Hiſtoria ab Edm. Thomaſio conſcripta, ſuppreſſo tamen Auctoris nomine edita *in fol.* anno 1660. legimus *Theatro naſcoſto nelle ſpine, e nella Terra*, attamen ſimile eſſe *al Teatro di Verona* (ita perturbatis nominibus) niſi quod *non era di pietra*. Cum igitur ille Scriptor ſibi finxerit Amphitheatro Veronenſi illud eſſe ſimile, in ſua Hiſtoria ejus formam exhibuit, non veram illam quidem,

Ed eccovi detto quanto per me ſi può di queſt' Anfiteatro; nell' eſaminare il quale, e gli altri due parimente, non poſſo negarvi di non aver provato alquanto di compiacenza più volte, vedendo comprovate con ſicurezza alquante delle oſſervazioni da me eſpoſte nel mio Trattato, e che ugualmente vagliono per gli Anfiteatri tutti; come a dire, che le porte di mezo per largo non conducean nell' area, ma le vie loro trovavan per contra nel fine un cieco muro; che le porte diametrali per lungo erano più ampie dell' altre; che le ſcale non eran punto diſpoſte, come ſi rappreſentano in tutte le ſtampe del Coliſeo; che i Vomitorj baſſi non davano adito nella piazza, ma per gradini interni mettean nel luogo più nobile gli ſpettatori; che nella cinta interiore non vi eran prigioni; e che nel muro che ſoſtentava il Podio, non vi eran porte. Con molto piacere ho altresì veduta la piena e indubitabil conferma della nuova ſcoperta del Sopraornato Toſcano, e del poterſi ora con tutta ſicurezza additarne le parti architettoniche, e gli ornamenti, quali non eſſerſi conſervati in verun edifizio antico, hanno finora creduto i Maeſtri.

Ma voi crederete forſe, che dopo tutto queſto troppo io ſia lontano ancora dall' avervi reſo conto degli Anfiteatri di Francia, mentre vederſene in tante Città di eſſa aſſeriſcono i libri, e le ſtampe: ma nella Francia ancora lo ſteſſo appunto che nell' Italia in tal propoſito avviene; cioè, ch' altri ne ſogni ſovente, ov' ombra non ne appariſce, e non di rado, ove non furon già mai. Ogni ſembianza di oval figura, ogni principio di arcate, ogni antico muro, che ſembri in figura di ſemicerchio, fa penſare, che Anfiteatro ivi foſſe. Ben' in dieci Città, altre grandi, altre piccole, gli aſſerti Anfiteatri ho ricercati in vano. In Lione, in Vienna, in Marſiglia, in Beziers, in Narbona orma certamente non ne rimane, e così in Parigi, dove tra gli altri anche il dotto Adrian Valeſio lo vuole. Sopra tutto, benchè informato del contrario già foſſi, ho voluto portarmi ad Autun in Borgogna, l' Anfiteatro della qual Città è ſtampato replicatamente in tre ſuperbi piani, e affermando in oltre, che ſi conoſce nell' originale, com' eran quattro, e come le ſcale eran a preſſo poco diſpoſte al modo di quelle del Coliſeo. Credereſte? nel luogo, di cui ciò ſi afferma, ſaſſo non v' è, che ſtando a pochi paſſi, ſi vegga ſopravanzar da terra. Fuor di Città al preſente, ma dentro il giro dell' antiche mura, dove finiſce il colle, curvaſi il piè di eſſo quaſi in mezo tondo. Verſo la cima otto pezzi d' antiche volte rimangono, concentrati nella collina, e diſtribuiti in diſtanze uguali, ma coperti dall' erba, e quaſi naſcoſti. Per queſte volte ſi veniva ne' gradi. Tai veſtigi ben poſſon crederſi di Teatro, perchè in una delle eſtremità della curvatura, ſi ha una reliquia di muro, qual ſerravala in linea retta, il che non compete ad Anfiteatro. Dalla parte oppoſta orma alcuna non appariſce, e i pochi rimaſugli ſudetti non arrivano a farſi ſcoprire da chi ſta nel pian ſuperiore, o da chi ricercandogli non vi ſi appreſſa: dal popolo ſon volgarmente chiamati Caves Juliot. *L' iſtoria d' Autun d' Edme Thomas publicata in foglio ſenza nome d' autore nel 1660. gli chiama* Teatro naſcoſto nelle ſpine, e nella Terra, *e afferma con tutto ciò, eſſer uguale* al Teatro di Verona *(così confondendo i nomi) ſe non che* non era di pietra. *Per queſta immaginazione, che foſſe già uguale all' Arena di Verona, quell' Autore poſe nella ſua Storia il diſegno di eſſa, non già veridico, ma quale era ſtato publicato da Enea Vico, e dal Ligorio; onde nacque poi, che il diſegno inſe-*

sed qualem Æneas Vicus, & Ligorius proposuerat. Quo factum est ut ea credita sit Amphitheatri Augustodunensis forma, & iterum atque tertio in aliis doctorum hominum libris descripta. De aliis oppidis, quo me conferre non potui, curavi per litteras ut certi aliquid intelligerem, quibus certior factus sum nihil existere nisi reliquias, nec illas quidem ejusmodi, ut certi quidquam pronuntiari possit, ac proinde nec quidquam addisci. Id etiam de Burdigala audivi, de cujus Amphitheatro Vinetus quoque mentionem fecit, qui suis in Ausonium notis scriptum reliquit illud *Palatium* dici consuevisse, sed jam tum exiguas tantum ejus reliquias extitisse. Eas tamen magnopere cupidus eram videndi: cum enim nonnihil abessent ab urbe, credibile est integras esse, neque posterioribus substructionibus deformatas, & facile posse excavationes fieri, & quæ latent erui. Sed incommoda tempestas me iter facere prohibuit. Hac in re illud in primis monere opus est reliquias ambientium parietum alicubi fortasse inventum iri ad eosdem dandos ludos factorum, quos quia circum undique olim adspexisses Amphitheatra fortasse dixerint. Ego vero & alias, & nunc de iis superbis molibus loquor, quæ cum ingenti & admirando Titi Amphitheatro magnificentia & arte non inepte conferri poterant, unde Architecturæ præcepta hauriri possunt, & in quibus plures erant arcuum ordines alius super alium, plures porticus & mira viarum, camerarum, scalarum, & Vomitoriorum distributio, ut non modo singulare Architecti ingenium conjicias, sed etiam interiorem eorum structuram nisi magna cum difficultate percipias. Valde, exempli gratia, celebre est Daveonense Amphitheatrum in Pictaviensi Provincia, & ejus imaginem etiam Lipsius attulit. Verum legi ego in eo recentiore libro, cujus titulus *Voyages Liturgiques de France*, hanc esse Plateam 35. passuum, muro cinctam, quæ cum montibus circumdata in imo jaceat, circum eam viginti gradus incisi sunt, in quos descenderent ex decem portis in fastigio collocatis. Inter res antiquas hæc quoque admirabilis est observationeque digna, & erat Amphitheatri loco, non ex iis tamen molibus de quibus disputo. Id de aliis quoque dictum putes. Eximiam quidem Amphitheatri partem se in Africa nactum esse peritissimus Artis Medicæ Professor Hebenstreitius mihi modo affirmat, qui una cum aliis anno superiore in varias longinquas oras Augusti Poloniæ Regis jussu ad res physicas, & eruditas investigandas profectus est. Is locus tribus diebus abest a Tuneto ad Meridiem, quem hodie appellant *Dschem* prope *Kiroanum*. An ibi Zamam illam esse putem, cujus qui terras descripserunt, & res veteres historicas persecuti sunt sæpe meminerunt? In quadam Inscriptione ea dicitur *Colonia Augusta Hadriana, Regia*. Tres, ut ajunt, ejus Amphitheatri erant ordines, quorum singuli habebant arcus 64. desuper autem erat Atticurges. Amphitheatri quoque cujusdam Siculi partem non negligendam brevi descriptam accipiam

Tandem finem faciam: illud te monitum volo ut cures valetudinem tuam Litterariæ Reipublicæ longe utilissimam, neque committas, ut Vitruvium tuum diutius desideremus: intelligo enim in dies magis quantopere tuis in Vitruvium scriptis indigeamus.


rito in quel libro sia stato creduto dell' Anfiteatro d' Autun, e come tale replicato in altri famosi volumi. D' altre Città, dove non ho potuto portarmi, ho procurate buone notizie per lettere, e vengo assicurato non vedervisi che rimasugli affatto incerti, e da' quali nulla imparar si possa. Tanto mi viene asserito anche di Bordò, l' Anfiteatro della qual Città fu nominato fin dal Vineto, da cui si ha nel suo comento d' Ausonio, come veniva chiamato Palazzo, *e come fin d' allora sol* tenui reliquie *ne rimanevano: di queste con tutto ciò io era singolarmente curioso, perchè essendo alquanto discoste dalla Città, dovrebbero essere intatte, nè confuse per fabriche posteriori; e facilità dovrebb' esservi di scavare, e di scoprire. Ma la stagione, e la stravaganza de' tempi non mi permisero il viaggio. Ora una cosa in questa materia si vuol sopra tutto avvertire. Saranno forse in alcun luogo avanzi di recinto, che possono aver servito al medesimo uso di Giuochi, e che per potervisi rimirar d'ogni intorno, avranno ancora potuto chiamarsi Anfiteatri; ma io e nel mio Trattato, e in questa ricerca di que' superbi edifizj intendo, ch' emulando il grand Anfiteatro di Tito, erano stupendi e per magnificenza, e per arte, e possono prestar documenti all' Architettura, ed avean più ordini d' archi uno sopra l' altro, e più corridori, e mirabil compartimento di strade, e di stanze, e di scale, e di sbocchi, talchè non solamente il grand ingegno dimostrano dell' Architetto, ma non poco difficile a rilevarsi rendono in oggi la lor interna struttura. Molto per cagion d' esempio decantasi l' Anfiteatro di Doué verso il Poitou, e ne diede la figura fin Lipsio; ma io leggo nel nuovo libro intitolato* Voyages Liturgiques de France, *come questa è una piazza di 35 passi cinta di muraglia, quale giacendo in un fondo circondata da monti, le furono intagliati intorno venti gradi, e fatto un contorno in cima con dieci porte per venire in essi. Curiosa Antichità per certo, e che ben merita d' essere osservata, e suppliva per Anfiteatro, ma non è l' edifizio di cui ragiono: così dicasi d' alcuni altri. Ben insigne resto d' Anfiteatro mi dice ora aver ritrovato in Africa il Signor Hebenstreit, dotto Professore di Medicina, mandato un anno fa con più compagni in varie lontane parti dal Re Augusto di Polonia per osservazioni naturali, e per ricerche erudite. Trovasi questo a tre giornate da Tunesi, tirando verso mezo giorno: il luogo si chiama Dschem presso di Kiroan: sarebbe forse stata quivi l' antica Zama, assai ricordata da' Geografi, e dagli Storici antichi? un' Iscrizione la chiama* Colonia Augusta, Adriana, *e Città* Regia. *Questo Anfiteatro mi dicono era in tre piani, ognun de' quali con archi 64. e sopra un' Attica. Disegno avrò fra poco ancora d' un curioso avanzo d' Anfiteatro, ch' è in Sicilia.*

Ma finalmente porrò termine con questo alla mia relazione, ricordandovi, d' aver cura della vostra salute, che tanto importa alle buone lettere, e di non perder di vista la vostra edizion di Vitruvio, della quale parmi scoprire ogni giorno più, quanto abbiam bisogno.


F I N I S.

MARCHIONIS SCIPIONIS MAFFEII
D E
ANTIQUIS GALLIÆ THEATRIS
E P I S T O L A
A D
BERNARDINUM ZENDRINUM,
SERENISSIMÆ VENETÆ REIP.
M A T H E M A T I C U M.

Reddita Latine Interprete Petro Facciolo Sac. Th. Doctore Coll. & in Seminario Patavino Rhetoricæ Artis Præceptore.









N·S·T·V· Pag. 370 Tab. I.

DE ANTIQUIS GALLIÆ THEATRIS

EPISTOLA

AD

BERNARDINUM ZENDRINUM,

Sereniſſimæ Venetæ Reip. Mathematicum.



Quandoquidem aliquot ante diebus quam Verona diſcederem, de difficultate aliquas Theatrorum Veterum partes explicandi inter nos collocuti ſumus, ſtatui de Theatro, quod eſt in Gallia, omnium quotquot viderim integerrimo ad te ſcribere. Jamdudum illud Circus Arauſienſis appellatur. In ejus Urbis Hiſtoria a Joſepho de la Piſe conſcripta, & apud Batavos anno 1639. edita promiſcue de more Amphitheatrum, Theatrum, Circus uſurpantur: murus ingens, qui adhuc extat, & de quo jam modo verba faciam, dicitur *Facies meridionalis* & *Circus Septentrionalis*. Internæ orthographiæ delineatio inepta, & inutilis eſt deſideraturque ichnographia, quod quidem hoc in ædificio potiſſimum erat, neque hic Theatrum fuiſſe ullo modo oſtenditur.

v. la Fig. VIII. Ut verum fatear, in plateam ubi perveni, totumque uno intuitu conſpexi iſtud opus, præ admiratione obſtupui. Vidi enim murum altum pedes prope CX. quæ eſt Turris altitudo, longus nihilo minus quam CCCXXVIII. rectus, continuus, & in faſtigio quoque abſolutus, totus ex lapidibus æqualibus (quorum altitudo eſt unciarum XXI.) optime, ut olim conſueverant, coagmentatis. Non habeo ubi molis alicujus orthographiam tam amplam, tam nobilem, tam integram indicem. En tibi ejus Figuram.

Imus ordo altiſſimus eſt: Columnæ de quadratarum genere inter portas poſitæ parum admodum extant: epiſtylium in quatuor eſt diviſum partes. Zophorus nullis eſt ornamentis elaboratus, corona eſt apte poſita. Admiranda ſunt omnia, quæ ſunt huic muro peculiaria, cum primo adſpectu non facile ſit rationem comprehendere. Magna porta, quæ in medio conſtituitur, epiſtyliis ornata, ac deſuper arcuata vides qua ratione extollatur, ſpatio tamen, quod eſt ſub arcu, jam olim obturato. Duæ columnæ de quadratarum genere, quæ ſunt a lateribus, *Trabeationi* interjiciuntur: earum capitula abraſa crederes, ſed ita facta, aut, ut melius dicam, ficta ſunt. Duæ portæ altiores ſunt, diſſimilique ratione: clauſa ſunt ſpatia ultimo proxima, & porta proxima prope medium antiquo muro pariter obſtructa eſt. Ad calcem de iis lapidibus loquar, qui aliquanto ſuperius extant quidem, ſed ejus rei ratio non conſtat. Multo vero minus arcuum XXI. in medio effictorum; ob id ipſum quia efficti ſunt & obſtructi, quippe jam tum cum primum murus ædificaretur, eodem modo quo in reliquis partibus inter ipſos ductus eſt. Rotunda foramina, ceu feneſtræ, quæ ſunt in medio, craſſitiem totam muri pertuſam habent. Quis præterea rationem redderet cur arcus ſuper alium in medio poſitus, qua parte incipit, epiſtylium, & Zophorum ſecet, & ad coronam ſcin-

DE' TEATRI ANTICHI DI FRANCIA

LETTERA

AL SIGNOR

BERNARDINO ZENDRINI

Matematico in Venezia.



A *Il ragionamento, che paſsò fra noi poche ſettimane prima della mia partenza da Verona, intorno alla difficoltà di mettere in chiaro alcune parti de' Teatri antichi, mi ha fatto venire in animo di darvi notizia, e ragguaglio d'un Teatro, che ho trovato in Francia, il più intero di quanti ſiano ſtati da me veduti. Queſto porta da gran tempo il nome di Circo d'Oranges.* B *Nell' Iſtoria di quella Città, ſcritta da Giuſeppe de la Piſe, e ſtampata in Olanda nel 1639. ſe ne parla confuſamente, miſchiando inſieme, come è ſolito, Anfiteatro, Teatro, e Circo: il gran muro, che ancor ſuſſiſte, e di cui parlerovvi or ora, vi ſi chiama* Faccia meridionale, e ſettentrionale del Circo; *il diſegno, che vi ſi dà dell' interno proſpetto, non è ben preſo, e non ſerve; vi manca altresì la pianta, che in queſt' edifizio era il più eſſenziale, e non ſi fa intendere, come fu in quel luogo un Teatro.*

Io debbo confeſſarvi, che arrivando nella piazza, e preſentandomiſi tutto a un tratto queſt' edifizio dinanzi a gli occhi, rimaſi attonito di maraviglia; C *perchè vidi un muro alto preſſo a 110. piedi, ch' è l'altezza d'una torre, e lungo niente meno di 328. diritto, continuato, e perfetto, anche nella ſommità; tutto compoſto di pietre uguali, alte once ventuna, ottimamente, come uſo era, commeſſe. Non ſaprei dire, ove antico proſpetto ſi vegga di tale ampiezza, di tal nobiltà, e di tal conſervazione: eccovene la figura.*

Il pian terreno è altiſſimo: le colonne piane, che ſon tra le porte, eſcon pochiſſimo: architrave in quattro membri, fregio ſchietto, e ben' inteſa cornice. D *Tutte le particolarità, che in queſto muro ſi veggono, preſtan motivo di maraviglia, non comprendendoſene a primo tratto la ragione. La gran porta di mezo, architravata, e inſieme con arco ſopra, s'inalza come vedete, chiuſo però d'antico lo ſpazio, ch' è ſotto l'arco. Le due colonne piane, che ſon dalle parti, interrompono il Sopraornato; i lor capitelli parrebbe foſſero ſtati raſi, ma così furon poſti, o finti per meglio dire. Due porte ſon più alte, e di maniera diverſa: gli antepenultimi ſpazj ſon chiuſi, e la porta proſſima verſo il mezo è parimente ſerrata d antico muro.* E *Parlerò nel fine di quelle pietre, che più ſopra ſporgono in fuori, ſenza vederſi il perchè: vedeſi ancor meno la ragione degli archi ventuno figurati a mezo; poichè ſon tutti finti, e chiuſi, eſſendoſi nella prima coſtruzione continuato tra eſſi il muro all' iſteſſo modo che nel rimanente: gli occhi rotondi, che ſono nel mezo, forano da parte a parte. Chi ſaprebbe parimente render ragione del principio d'arco, che ſopra quel di mezo fende l'architrave, e il fregio, e alla cornice ſi tronca?*

datur. Sed quod ad Architecturam pertinet, observa quæso illa capitula ad perpendiculum columnarum quadratarum, quæ suspensa sunt re nulla subjecta; nihilo tamen secius eo loci elegantiæ quid præ se ferunt. Rem similem in tertio Amphitheatri Veronensis ordine videas. Non erit igitur in posterum cur peculiarem unius loci eam rationem esse dicamus, & magnopere miremur. Quid desit præ altitudine non dignoscis, non ea tamen prohiberis quominus quidquid est eo aspiciendo fruaris. Suprema pars cælata prominente zona dividitur. Lapides qui prope summum ædificii insignem habent projectionem quadratis foraminibus sunt pertusi; qui ad perpendiculum subsunt, exiguum modo foramen ad educendam pluvialem aquam habent. Summitatem ornat corona.

Quodnam ædificii genus istud esset, intelligentia consequi haudquaquam poteram. Etenim mecum ipse reputabam Circi altitudinem non esse tantam, in eo esse gradus, porticus, & arcus, quibus incumberet: ulteriore ejus parte terminari Theatrum, cujus longe alia nobis ratio tradita est, res est ejusmodi quam ne suspicari quidem potui. Vix vero ad alterum latus perveni, vixque in proximo colle pedem posui, cum statim Theatri partes, & rationes esse plane cognovi. En tibi Ichnographiæ partem, quæ longe imperfecta videatur, cum in libris omnibus integra, & absoluta Theatra videre semper consueverimus. Scito tamen hic id tibi tantum proponi, quod aliqua ratione suppetit, cerniturque: Typis vero quodlibet Theatrum ita describitur, ut illud fuisse fingitur, & cum reliquum est aliquid exterioris partis, & internorum graduum, præcinctionumque, (quod est quantum quantum integri reperiri solet) exempla, & figuras ducentis ab hinc annis in Italia editas secuti etiam scenæ locum integre exhibere consueverunt, cujus plerumque nullum vestigium extat, ac tantum opinor, nusquam quantum Arausione videri potest. Verumtamen mihi facile persuadeo, nunquam alias typis tantum, quantum hic, certo fuisse expositum.

V. la Fig. IX. Ad extruendum hoc Theatrum ipse locus multum contulit, quæ fuit eorum temporum consuetudo, si locus patiebatur; nimirum ut graduum semicirculus Collis imo perficeretur: quocirca triplices porticus, & arcus non requirebantur, e regione autem in planitie scena ponebatur. In summo collis conspicitur muri extructio non prorsus ad circinum circumducta, sed ita cogente loci positione nonnihil *elliptica*, qui murus erat ambitus ultimus, & ultimus vocum terminus; ejus superest major pars, & est altitudine magno muro paullo ante descripto par. Ad extremitates scenam versus erat aliquanto latior, majusque spatium complectebatur, ita ferente figura rupis. Ab una parte murum rupes superabat; non ita olim fortasse. In eo duæ portæ sunt, per quas si a monte descendas in porticum latam IX. pedibus devenis, cujus parietes tecti sunt parvis lapidibus ad normam sectis. Hic fornicum signa non extant, sed foraminum multæ lineæ, ut super eam porticum ligneam ambulationem fuisse conjicias. E media regione prominet semirotunda extructio, super cujus summum loca nobiliora fuisse credibile est.

Interior ejusdem porticus murus, juxta collis declivitatem ab altero latere magis descendit, efficitque alterius porticus inferioris unum parietem, latæ pedes VIII. & fornicatæ, quæ conjungitur cum duobus arcubus aditum ad interiora præbentibus; proindeque vergens ad scenæ cornua,

A *Ma per quanto spetta all' Architettura, osservate in grazia que' capitelli a perpendicolo de' pilastri, che niente han sotto, e pare stiano in aria: con tutto ciò fanno molto bene in quel sito. Abbiam di questo altro esempio nel terzo piano dell' Arena di Verona, il cui modo però non sarà più da dir unico, e non dovrà più recar maraviglia: l' altezza non lascia distinguere ciò che manca, e non impedisce di godere ciò che vi è. L' ultimo tratto è partito da un cordone lavorato. Le pietre, che sporgono presso alla cima, son traforate in quadro: quelle che perpendicolarmente sottostanno, hanno solamente piccol foro per dar esito all' acqua piovana. La sommità è ornata di sua cornice.* B

Qual sorte d' edifizio potesse esser questo, io non sapea pensarmi; perchè il Circo (dicea fra me) non andava a così grand altezza, ed avea gradi, e logge, e posava su gli archi: che potesse con la parte di là servir di termine, e di fondo a un Teatro, di cui abbiamo così diversa idea, non mi passò per la mente: ma appena girando mi trovai dall' altro lato, ed appena ebbi posto il piede sul vicin colle, che parti, e conformazion di Teatro mi apparvero chiaramente. Eccone rilevata in gran parte la pianta, che vi parrà molto imperfetta, mentre usi siamo di veder ne' libri, e ne' fogli i Teatri antichi sempre perfetti, ed interi: ma sappiate, che in questo disegno non è, se non puramente ciò che in qualche modo sussiste, e si vede; là dove nelle stampe si delinea ogni Teatro, come c' immaginiam che fosse; e da ogni piccola reliquia dell' esteriore, e dell' uditorio intorno, ch' è tutto ciò che si suol trovar conservato, seguendo l' esempio, e le figure publicate in Italia dugent' anni sono, si rappresenta compiutamente, anche la parte della Scena, di cui non si ha d' ordinario vestigio alcuno, e della qual parte non credo si possa in verun altro luogo veder tanto, quanto ad Oranges si vede. Penso però di potervi dire, che con verità, e sicurezza non si è forse mostrato più tanto nelle stampe, quanto in questo disegno si mostra. C D

Questo Teatro fu fabricato col vantaggio della situazione, di cui si fece sempre uso in que' tempi, quando il paese ne prestava il comodo; cioè conformare il semicerchio de' gradi sul piè d' una collina, risparmiando in questo modo i triplicati Portici, e gli archi, e dirimpetto collocando nel piano la Scena. Vedesi adunque sul monte, prima nell' alto una muraglia, non affatto tondeggiante, ma per la necessità del sito alquanto elittica, la qual formava l' ultimo recinto, e l' ultimo termine alle voci: ne rimane la maggior parte, e viene a ragguagliarsi con l' altezza del gran muro, che vi ho poco fa descritto. Ne' suoi termini verso la Scena restava alquanto più larga, ed abbracciava più spazio, così costringendo il masso. In un luogo ancora sopravanza da essa il rocco, che forse allora restava coperto. In essa sono due porte, per le quali discendendo dal colle, si entrava in un corridore largo 9. piedi, le cui pareti son foderate di piccole pietre riquadrate. Non appar quivi vestigio, che vi fosse mai volta, ma ben vi si veggono più linee di buchi, dal che pare indicarsi, che sopra questo corridore fossero logge di legno. Nel punto del mezo viene in fuori un semitondo, sopra il quale doveano essere luoghi distinti. E F

La muraglia interiore del corridor istesso, seguendo il degradar del terreno, discende dall' altro lato assai più, e forma anche l' una delle pareti d' altro corridor più basso, largo 8. piedi, e coperto da volta, il quale va a congiungersi co' due archi d' ingresso, e però nel piegare verso i

recedit ab exteriore muro, qui, uti diximus, a læva præsertim parte magis dilatatur. Graduum superpositorum vestigium aliquod extat, licetque intelligere interno hujus porticus muro Præcinctionis zonam formatam fuisse, cerniturque etiam ejus pars *horizontalis*, id est graduum semita aliquanto latior. Descendenti præterea trium, aut quatuor graduum in rupe cælatorum signa objiciuntur; propterea ab alio latere alia porticus videtur fuisse; tum alii gradus usque ad imum collis: sed cum omnia domibus, ac ruderibus referta sint, fere nihil antiqui operis licet detegere; de internis vero gradibus nihil habeo quod dicam amplius. Verumtamen non est hæc Theatrorum pars minime omnium explicata, & maxime ad cognoscendum difficilis, cum magnam habuerit cum Amphitheatrorum gradibus affinitatem. A sinistra internorum graduum parte magnus murus ad excipiendam, opinor, sustinendamque montis terram erectus est, qui cum & ipse semicirculi formam efficiat, alterius Theatri principium videtur. An hic odeum fuisse credam, quod ad lævam Theatrorum partem Vitruvius constituit? Sub terra magnus aquæductus est in medio; ut illis temporibus mos erat.

Ad magnum murum paullo ante propositum, ejusque januas redeamus. Ex ichnographia patet januam in medio, duasque utrinque in extremitatibus collocatas aditum ad interiora, alias vero in quasdam cameras præbuisse. Si alteri illi muro, qui tribus, & decem pedibus a muro distat, januæ, ac transitus deerant, illæ cameræ non Theatralibus usibus inserviebant, sed spectaculis aliis, quæ extra, ut equidem arbitror, edebantur, de quibus ad calcem loquar. Utrum tamen vere fuerint certo dignosci non potest, cum murus ille interior & intus, & extra terra alte obrutus sit, totumque spatium ad carcerum, aliorumque cubiculorum usum conversum. Quare adducor facile ut affirmem portas ibi fuisse. Per portam mediam profecto Actores Scenici ingrediebantur; & credibile est eas quoque quatuor portas, de quibus jam modo diximus, quæque sunt in duabus quadratis partibus a lateribus constitutæ, Actorum tantum commodo fuisse factas; inde enim, ut patet, ad interiorem scenam transitus erat. Hæ quadratæ partes ejusdem operis in omni latere, nunc duarum Turrium speciem habent. In imo ordine sex portæ sunt, præter internam epistylio ornatam, latam quatuordecim pedibus, & longe altissimam, cujus epistylium ex quatuor utrinque lapidibus constat, unoque cuneato in medio. In his Turribus crediderim morari operarios consuevisse, scenicam supellectilem custodiri, res necessarias ad Theatrales ludos parari, fuisseque in iis cameras, ubi saltatores, antequam in publicum prodirent, exercerentur. Desuper, ubi erat secundus ordo, duo magna sunt in externo latere fornicata foramina, postea obstructa. In exteriore ejusdem lateris parte tres coronæ sunt, quarum una obtruncatur. At in opposito latere scenam versus, super illam epistylio ornatam portam, propius externum murum, amplum quadratum cavum conspicias, quod duobus pedibus murum penetrat. Ibi columna est cum capitulo, quæ fulcire superiorem transversam partem videtur; quia vero non in medio, sed in spatii duabus tertiis partibus collocata est, neque in simili e regione opposito quadrato cavo ulla alia columna est, aut illa nescio qua de causa postea est addita, aut aliæ desiderantur. Super coronam, & altius præterea aliud, & in muro longe majus cavum cernitur. Ab altera parte in muro opposito eadem ratio servatur.

corni della Scena si allontana dalla muraglia esteriore, che, come abbiam detto, massimamente a sinistra, si allarga più. De' gradi, che vi eran sopra, qualche piccolo vestigio resta, e si riconosce, come il muro interno di questo corridore formava la fascia d'una Precinzione, apparendovi anche la parte orizontal di essa, cioè la strada alquanto più larga de' gradi. Calando ancora, si veggono in un luogo i segni di tre o quattro gradi, ch' erano intagliati nel macigno: indi pare, che da una parte altro corridor si avesse, poi altri gradi fino al piè del colle; ma essendo tutto coperto di case, e di rovine, poco si può scoprir dell' antico, e niente più vi posso dire per quanto spetta all' uditorio, ma questa non è la parte de' Teatri più oscura, e più ardua a rilevarsi, assai conforme essendo stata alla gradazione degli Anfiteatri. A sinistra dell' uditorio stesso, forse per sostentar la terra del monte, fu alzata una gran muraglia, che riuscendo in semicerchio anch' essa, sembra principio d'un altro Teatro. Potrebb' egli esser quivi stato l'Odeo, che dice Vitruvio trovavasi a sinistra de' Teatri? Sotto terra è un gran condotto nel mezo, com' era l'uso antico.

Ritorniam' ora al gran muro poco avanti rappresentato, ed alle porte, che in esso. Voi vedete nella pianta, come quella di mezo, e le due per parte, che son nell' ultime estremità, davano adito all' interiore, e come l'altre metteano solamente in ricetti, o stanze. Se il secondo muro, ch' è distante tredici piedi dal primo, non avea porte, nè passaggi, quelle stanze non avranno servito a uso del Teatro, ma d'altri spettacoli, che, per quanto io giudico, si facean fuori, di che vi parlerò sul fine. Ma se veramente le avesse, non si può accertare, perchè quel muro interiore e per di dentro, e per di fuori resta altamente interrato, e coperto, ridotto essendo lo spazio tutto a uso di prigioni, e d'abitazioni; è però molto probabil che sì. La porta di mezo serviva indubitatamente d'ingresso agli Attori scenici, e probabilmente per loro soli servivano anche le quattro sudette, che son ne' due quadrati laterali, poichè da essi si passava, come apparisce, all' interior della Scena. Questi quadrati sono ora come due torri dell' istessa costruzione in ogni lato: nel pian terreno hanno sei porte oltre all' interna, ch' è architravata, larga piedi 14. e altissima, formato l'architrave con quattro pietre per parte, ed una cuneata nel mezo. Doveano queste torri servire per trattenervisi gli operatori, e per vestirsi, e per tenervi gli utensili, e prepararvi le comparse, e le pompe Teatrali, e ci doveano essere ancora stanze per provare i balli. In alto, dov' era un secondo piano, si hanno nel fianco esterno due gran fori arcuati, chiusi posteriormente: nel fianco medesimo per di fuori son tre cornici, una delle quali si tronca. Ma nel lato opposto, che resta verso la Scena, sopra il sudetto passaggio architravato, più vicino al muro esteriore, si vede un' ampia nicchia, o vogliam dire incavo quadrato, ch' entra nel muro due piedi. In esso è una colonna con suo capitello, che par sostenere il traverso di sopra, ma essendo a due terzi dello spazio, e non in mezo, e non vedendosi colonna alcuna nella simil nicchia, ch' è nel muro dirimpetto a questo, o per qualche motivo tal colonna fu aggiunta dopo, o mancano l'altre. Ricorre sopra una cornice, e più in alto ancora altro, e molto ampio incavamento si vede nel muro: altrettanto si osserva dall' altra parte nel muro opposto.

Ad interiorem secundi muri faciem veniamus. A Hanc ego scenam judico, cujus partem aliquam in Theatrorum Veterum reliquiis detegere eruditi homines adhuc frustra concupierunt: sed cavendum est ne, ut assolet, vocum inter Veteres, ac nostros discrimine decipiamur. Quod apud Veteres proscenium dicebatur, nos contabulationem, sive scenam dicimus; scenam vero dicebant Veteres principem prospectum. Si Græcorum, Romanorumque Theatrorum conformationem liceret plane cognoscere, id non modo quoad Architecturam, verum etiam quoad Poesim attinet, percommode caderet; ita enim quidam nodi facilius solvi, B & aliquot Tragœdiarum Veterum loci certius explicari possent. Ducentis ab hinc annis Alberti, Balthassar Senensis, Daniel Barbarus, Serlius, aliique ichnographias, & formas ediderunt, duo hæc sibi cum proposuissent, ut Theatrorum reliquias expenderent, & in Vitruvio diu, multumque versarentur. Inter eorum figuras, & aliorum qui hanc rem tractarunt, parum discriminis intercedit, quas etiam apud Desgodetium, & Perraultium, Recentesque alios hujus rei maxime intelligentes invenias. Quamquam hujusmodi delineationibus sua debetur laus, certum tamen est aliquibus in partibus C non ita, ut repræsentatur, rem se habere potuisse. Primum enim Postscenio spatium amplissimum tribueretur, quod & fuisset, & esset inutile; deinde aut Postscenium cum Orchestra confunditur, ejusque magnam partem occupat, aut a scenæ cornibus disiti constituuntur auditores, & gradus. Præterea ad apparatum spectatoribus ostentandum, quod aliquando in Theatris fiebat, non satis spatii Proscenio assignatur: habemus ex Cicerone sexcentos mulos in Clytemnestra productos esse, & in aliqua pugna equitatus armaturam. Choreæ quoque multum spatii postulabant, quas eo Romani transtulerunt, cum in Orchestra D apud Græcos Chorus saltaret. Adde quod in eo loco erat etiam Pulpitum, si verum quod ajunt, illud fuisse locum editum in Proscenii medio, in quo scenici agerent. Quod si spatium aliud non erat, interrogo, Chorus stabilis Tragœdiarum ubinam erat? ac si proscenium ita disjunctum erat a scena, & apertum, qui poterant ibi tot, tamque varia instrumenta adhiberi?

V. Fig. 4.

Fam. lib. 7. 1.

Sed hæc missa faciamus; Theatrum hic propositum contemplemur, unde multo certius, quam ex obscuris, & ambiguis Vitruvii locis licet aliquid E pronuntiare. Per eam portam, quæ in medio, mimi tantum, & histriones occulte introibant, ut scenica indumenta sumerent, seque ad ludos instruerent. Aliqua inferioris muri pars existit, qui in Ichnographia duabus punctorum lineis ostenditur, quique contignationem videtur sustinuisse substratis sub ea viis. Altius scenam vides, in cujus medio elegans est scenographia; ut rem melius assequaris, ichnographiam proposui, qua ratio intelligitur, cur secundus paries curvetur, quæ imo ex ordine cognosci non poterat. Itaque in medio est perpulcher, & amplus F suggestus in semicirculi modum, qui plures homines poterat continere, quo a proximis receptaculis per duos exitus a lateribus pervenitur. An pulpitum fuisse credam? conjecturæ non desunt quæ id persuadere videantur. Arcuatio fornicis, qui supereminet, duodecim & amplius pedibus a primo muro recedit. Loricula extat ante; subter vero nonnihil est coronæ ex marmore græco; a lateribus utrinque est arctum ambulacrum. Hic alter murus suggestus fastigium non

Or verrò all'interior facciata del secondo muro. Io tengo, che questa fosse la Scena, di cui gli eruditi si son finora augurati in vano di scoprir qualche parte nelle reliquie de' Teatri antichi: ma non bisogna equivocar, come è solito, per la differenza de gli antichi termini, e de' moderni. Scena si chiamò anticamente il principal prospetto. Quello spazio, che da noi si dice palco, o Scena, da gli antichi si chiamò Proscenio. Il rilevar perfettamente la conformazione de' Greci Teatri, e de' Romani, non solamente gioverebbe all' Architettura, ma alla Poesia, perchè ci condurrebbe a sciogliere alcune difficoltà, e ad intendere assai meglio alquanti passi delle Tragedie antiche. Dugent' anni sono l' Alberti, Baldassar da Siena, Daniel Barbaro, il Serlio, ed altri ne composer piante, e ne divulgaron disegni, a due scorte ottimamente attendendosi, d' investigar le reliquie, e di scrutinar Vitruvio. Le lor figure son pur le medesime, che con pochissimo divario ci si presentano ancora da chi tratta di questa materia, e che si veggono anche in Desgodetz, in Perrault, e in altri bravi moderni. Ma benchè tai disegni meritino molta lode, egli è indubitato però, che in alcune parti la cosa non potea star così; perchè in primo luogo grandissimo spazio si viene con essi a dare al Dietroscena, che sarebbe stato inutile, come pur' in oggi sarebbe: in secondo luogo, o che il Proscenio ci si viene a confondere con la platea, e ne viene a occupar gran parte, o che troppo si allontanano da i corni della Scena gli uditori, e i gradi. Appresso, non ci si dà al Proscenio bastante spazio per le pompose comparse, che si facean ne' Teatri talvolta: abbiam da Cicerone, come nella Clitennestra centinaia di animali da soma comparir si fecero, e come in altri combattimenti si videro anche a cavallo. Molto sito parimente ci volea per le danze, portate sul Teatro da' Romani, dove da' Greci si facean nella platea, perciò detta Orchestra. Aggiungasi, che quel luogo era anche impedito dal Pulpito, s' è vero, ch' esso fosse un palco alzato nel mezo del Proscenio medesimo, sopra cui venissero i recitanti. E se altro spazio non v' era, il Coro stabile delle Tragedie, dove teneasi egli? e se il Proscenio era così separato dalla Scena, e scoperto, come poteano operare in esso le machine di tante diverse maniere?

Ma lasciando di tutto ciò, consideriamo il Teatro, che abbiamo al presente dinanzi a gli occhi, e che notizie ci reca assai più certe de gli oscuri, ed ambigui passi di Vitruvio. La porta, che si vede nel mezo, non serviva se non per uso de' personaggi, ed operatori Scenici, quali senza esser veduti, venivan per essa a vestirsi, ed a prepararsi. Qualche principio rimane di basso muro, additato nella pianta con due linee di punti, qual parrebbe avesse servito a sostener un palco di legno, sotto del quale fosser le strade. Più in alto, ciò che vedete, è la Scena, nel mezo della quale si ha una graziosa prospettiva: acciochè possiate meglio comprenderla, ve ne ho figurata la pianta, nella quale si riconosce il motivo di quelle curvature del secondo muro, che non si comprendeva nel pian terreno. E' adunque nel mezo una nobile ed ampia nicchia, o sia tribuna in mezo tondo, dentro la quale più persone poteano stare, capitandovi da i ricetti prossimi per due usci laterali. Potrebb' egli sospettarsi, che questo fosse stato il Pulpito? non mancano congetture, che sembrino persuaderlo. L' arco che cuopre in volta, si distacca del primo muro più di dodici piedi: dinanzi vi è parapetto, o sia riparo: sotto è nel muro un tratto di cornice di marmo Greco. Dalle parti di qua e di là si hanno due anguste gallerie. Questo secondo muro non va

superat; ille vero quem supra descripsimus, superiore e parte nudatus apparet. Super inferiores cameras multum spatii reliquum est, in muro vero per totam longitudinem multa sunt quadrata loculamenta, alta & arcta, quæ figuris, aliisque ornamentis insignita fuisse crediderim.

Hæc Theatri pars quam modo descripsimus, ita elegans, ac solida, quantopere apta fuerit ad ornamenta Scenica recipienda, facile hinc est intelligere. Illud quoque ex his omnibus percipias, quanto magis quam figuris exprimantur, Veterum Theatra nostris, quoad scenam attinet, responderent. Et quidem quid aliud esse scena potuit, nisi prospectus quidam cum tribus portis, & qua alia ratione poterat mutari nisi circumactis triangulis, quibusdam pictis, & ad ipsas januas positis? Qui primus scenam pingeret, & eam in rem scriberet, fuit Agatharchus Athenis ab Æschylo edoctus, si iis, qui Vitruvium ediderunt, & alia lingua rediderunt, fidem habemus. Verum nequaquam Æschylus pictor fuit, malaque verborum interpunctione locum illum, ut sibi videntur, emendant: *Primum Agatharchus Athenis, Æschylo docente, Tragœdiam Scenam fecit*. Etiam Perraultius gallica sua eleganti interpretatione *Agatharcus*, inquit, *ayant eté instruit par Eschile de la maniere dont il faut faire les decorations des Théatres pour la Tragedie*: in notis autem addit: *il est certain qu' il y a faute dans le texte, & qu' au lieu de Tragœdiam scenam, il faut Tragicam*. Sed nihil sane necesse est verborum quidquam mutare; satis est ita scribere: *primum Agatharchus, Æschylo docente Tragœdiam, scenam fecit*. Ita Suetonius in Claudio, *Comœdiam Græcam docuit*: ita Cicero in Thusc. *cum Orestem fabulam doceret Euripides* h.e. Actores recitantes exerceret. Est hæc Græca dicendi ratio; legimus enim apud Plutarchum, ut & apud alios, φρύνιχος ἐδίδασκεν, *Phrynichus docuit*; h.e. in publicam lucem dedit sive Tragœdiam, sive Comœdiam. Id in quibusdam etiam Græcis inscriptionibus reperias, licet quoad hoc non omnes intelligant. Hic dicendi modus ex eo profectus est, quod Poetæ Histriones agendi fabulas rationem docebant. Sed ut id quod in manibus est persequamur, post Agatharcum fuere, ut habemus ex Plinio, qui tanto successu pingerent, ut aves in scenam advolarent. Hesychius, & Pollux super scenam diversoria fuisse testantur, τὸ ἐπὶ σκηνῆς καταγώγιον; fuisse domicilia duas contignationes habentia, & loca juxta scenam fuisse aditus, & ingressus ducentes in Scenam. Δυστεγία. παρασκήνια. εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι· Scena præterea, teste Cassiodorio, tecta erat, & circa cardines tota uno impetu versata mutabatur; immo etiam, ut apud nos ductis telis, si Servium audias, fiebat isthæc scenæ mutatio. Hinc intelligis, etsi priscis temporibus scenæ nomine umbrosum quoddam tabernaculum significabant, ac postea superbo illi prospectui, perpetuum fuit idem nomen, tamen spatium quoque illud, ubi fabulas agebant, significasse. Insuper fictæ quædam species, picturæque addebantur; & Actores per vias quasdam a lateribus, ut hodie, ingrediebantur; & valde credibile est in media Orthographia fuisse quidem januam, alias vero, quas Vitruvius commemorat, fuisse a lateribus, qua ratione videmus ibi esse hodie factos exitus. Profecto dubitandum non est, quin in Theatro Arausiensi spatium illud a lateribus ab una in aliam partem, locus fuerit juxta scenam capacior, nempe παρασκήνιον, & quin sub columbari, quod est in medio, inferius contignatio

A *più alto che la cima della tribuna, restando nella superior parte nudo e semplice il prima descritto. Assai spazio però rimane sopra le stanze inferiori; e nel muro da un capo all' altro molte nicchie sono, alte e strette, che doveano ornarsi con figure, e con altri abbellimenti.*

La parte sinor descritta, e sì vagamente nel solido conformata, ben può di leggeri comprendersi, quanto atta fosse ad esser nobilitata con gli ornamenti, e co' Scenici addobbi illuminata. Può comprendersi parimente dalla premessa pianta, e dal tutto insieme, quanto più conformi a' nostri, di quel che ci vengono rappresentati, fossero nella B *parte della Scena i Teatri antichi. E in fatti come potea mai non consister la Scena, che in un prospetto con tre porte, e come le mutazioni di essa non in altro, che nel girar di piccoli triangoli dipinti, e situati alle porte stesse? Primo a dipinger la Scena, e a scrivere in tal proposito, fu Agatarco in Atene, ammaestrato da Eschilo, se crediamo a gli editori, e a' traduttori di Vitruvio; ma Eschilo non fu mai pittore, e falsa emendazione con interpunzione erronea fanno essi in quel luogo scrivendo:* Primum Agatharchus Athenis, Æschylo docente, Tragœdiam scenam fecit.
C *Anche Perrault rende nella sua bella versione:* Agatharcus ayant eté instruit par Eschile de la maniere dont il faut faire les decorations des Théatres pour la Tragedie; *e nota sotto:* il est certain, qu' il y a faute dans le texte, & qu' au lieu de Tragœdiam scenam, il faut Tragicam. *Ma veramente senza cambiar lettera dee scriversi:* primum Agatharchus, Æschylo docente Tragœdiam, scenam fecit: *vuol dire:* Agatarco fece il primo la Scena per una Tragedia d' Eschilo. *Così Svetonio di Claudio:* Comœdiam Græcam docuit: *così Cicerone nelle Tusculane:* cum Orestem fabulam doceret Euripides; *cioè*, insegnando Euripide il suo Drama dell' Oreste, *che veniva a dire*, facendolo recitare. D *E' modo Greco, avendosi in Plutarcho, e in altri*, φρύνιχος ἐδίδασκεν, Frinico insegnò, *per dir che mise in publico una sua Tragedia, o Comedia che si fosse; e l' istesso vedesi in più Iscrizioni Greche, benchè in questa parte non da tutti intese. Venne tal formola dall' insegnar che faceano i Poeti il modo di rappresentare i lor Drammi a gli Attori. Ma insistendo nel soggetto nostro, dopo Agatarco, noi sappiam da Plinio, che Pittori ci furono, i quali nel dipinger le Scene si segnalarono, e che i tetti delle case finte nella Scena ingannaron talvolta gli uccelli.* E *Abbiam da Esichio, e da Polluce*, che sopra la Scena erano abitazioni, τὸ ἐπὶ σκηνῆς Καταγώγιον. *che vi erano* case a due palchi, *e che li* Pressoscena erano anditi, *o strade*, che conducean nella Scena. Δυστεγία· Παρασκήνια· εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι. *Insegna in oltre Cassiodorio, che la Scena era coperta, e che si cambiava alle volte girando a un tratto su perni tutta; e insegna Servio, che si cambiava ancora al nostro modo, tirando i telaj. Ecco però qualmente, benchè col nome di Scena intendessero da prima quel solo muro, o altro che si fosse, che facea ombra, e benchè tal nome a quel superbo prospetto principalmente conti-* F *nuasse poi sempre; non pertanto intendeano altresì per esso lo spazio, in cui si operava, e lo guarnivano con finte apparenze, e con pitture, e vi venivano i recitanti, e gli Attori per vie laterali ancora, come pur' ora si fa: e pare assai probabile, che nel mezo del prospetto fosse bensì una porta, ma che l' altre nominate da Vitruvio fossero poi per fianco, e com' or si fanno le uscite. Non è da dubitar per certo, che nel Teatro d'Oranges lo spazio laterale di parte, e d'altra non fosse il Pres-*

fuerit, ubi Histriones agerent. Et quidem animadverti aliquando apud Scriptores Veteres Proscenium & Pulpitum, ut Proscenium & Scenam promiscue usurpari.

Expende modo ichnographiam, & solum ubi nobiliores homines subselliis quæ moveri loco poterant, insidere consueverant. In hoc Theatrum per eas modo vias, quæ duo ædificia quadrata, sive Turres radebant, iter erat. A parte dextera, si in colle consistas, duæ superiores porticus cum Turri conjunguntur per lapideos arcus, ut assolet, & Amphitheatri Veronensis arcubus paullo inferiores. Tres ordines alius super alium scandunt, sed tres modo sunt arcus, propterea quod ad cætera mons ipse sufficit. Nobiliores igitur spectatores per arcum primum, sive malis dicere majorem portam, introibant; tum prætergrediebantur alterum, & inter utrumque murum ulterius euntes ad portam deveniebant, quæ ducebat in aream. In ea parte, de qua loquimur, duæ erant viæ, altera alteri proxima; quæ ratio in alia quoque parte servata esset, nisi rupes impedimento fuisset. Hæc duplex viarum series necessaria erat ad ingrediendum, & egrediendum; & hæ viæ fornicibus altissimis, iisq; valde pronis tectæ erant, quorum in Turrium muro signa extant. Ab ea parte credendum est per quasdam vias, & scalas ad porticus ascensum fuisse, inde transitum ad gradus, tametsi ad eos tumuli quoque pars viam daret. Quicumque de Theatro scripsere, aut eorum figuras deformarunt, affirmant, ostenduntque in Orchestram, hoc est solum, per quædam Vomitoria descensum fuisse (ab Amphitheatris enim terminum mutuabor) quæ circum sub gradibus collocarentur. Sed in hoc adhuc gravissime errarunt, præcipue quod rati sunt hinc in Amphitheatrorum Orchestram aditum fuisse; quocirca illa, ut typis exhibentur, multos exitus sub Podio, & sub gradibus habent; sed ego cum de Amphitheatris agerem, hunc errorem convelli. Illud enim ante oculos posui sub inferiore gradu nullam portam, aut exitum fuisse, & ab interiore parte quatuor & quinque internos minores gradus ad gradus primos ascensum præbuisse. Neque dubitandum est, quin eadem fuerit in Theatris ratio; alioquin enim res quædam monstrosa videretur. Adde quod in Amphitheatris saltem sub gradibus altus murus erat, area vero longe depressa jacebat; in Theatris autem murus hic quoque deerat, sed gradus ad planitiem ipsius areæ perveniebant. Neque enim ibi a feris periculum ullum spectantibus imminebat, quamobrem necesse esset muro opposito eos defendi.

A sinistra parte (neque enim res hæc est prætermittenda) gradus semicirculum plane non perficiebant, neque recta linea desinebant; quæ res ex ipsa collis rupe patet, ubi vides gradus retrorsum nonnihil verti, & ipsam rupem ad sternendas aditus vias, qua parte opus erat, oblique, non secundum lineam parallelam ad postremum Theatri murum sectam esse. Hinc locus videtur posse dignosci eorum, qui in gradibus postremi sedebant, eaque linea, quam oculi videndo ducebant, in ichnographia punctis demonstrata; qua totam scenam plane conspiciebant. Contra vero Theatra quædam in Italia extructa sæculo decimo quinto juxta veterum normam, & communem intelligentiam hoc vitio laborant, quod qui in duabus graduum extremitatibus sedent, scenam minime vident; cujus rei in pulcherrimo Theatro ad Palladii Vicetini formam, in ejus Patria extructo, exemplum habes. Superiores porticus, quæ a tergo graduum erant, cum superioribus arcubus conjungebantur ad duas pertinen-

foscena, e che sotto la nicchia di mezzo non fosse più basso un palco, sopra cui si operasse. Ho osservato in fatti talvolta, confondersi in alcuni passi di Scrittori antichi Proscenio, e Pulpito, e parimente Proscenio, e Scena.

Osservate ora nella pianta, come nel perterra, dove sopra sedie portatili stavano le persone più degne, non si entrava in questo Teatro se non per quelle strade, che radono i due quadrati, o sia le due torri. Dalla parte, mettendosi alla collina, destra, i due alti corridori vengono a congiungersi alla torre per archi di pietra del solito modo, e di poco inferiori a quelli dell' Arena Veronese, con tre ordini un sopra l'altro, ma per tre arcate solamente, poichè più oltre supplisce il monte. Entravano adunque i più nobili spettatori per l' arco primo, o per la gran porta che vogliam dirla: trapassavano il secondo, e tra un muro, e l' altro proseguendo, trovavan la porta, che mettea nell' area. Dalla parte, di cui parliamo, le vie eran due l' una presso l' altra, e così sarebbe anche di là, se il macigno non l' avesse impedito: era necessario tal raddoppiamento di strade per maggior comodo e dell' entrare, e dell uscire: eran coperte da volte altissime in pendenza, di cui nel muro delle torri si veggono i segni. Da esse si dovea senza dubbio salire per anditi e scale anche a i corridori, da' quali si passava poi ne' gradi, benchè in essi si venisse anche dalla parte del colle. Tutti quelli, che hanno scritto del Teatro, o che ne hanno figurati disegni, affermano, e mostrano, che nell' orchestra, cioè nel perterra si venisse per più vomitorj (così potendosi chiamare con trasportar dall' Anfiteatro la voce) i quali fosser disposti d' intorno sotto i gradi. Ma per verità grandissimo sbaglio è stato questo finora, nato principalmente dal credere, che in tal maniera si venisse nella piazza degli Anfiteatri, rappresentati però nelle stampe con molte uscite sotto il Podio, e sotto i gradi; il qual' errore si è da me sgombrato nel trattar degli Anfiteatri, avendo fatto ocularmente conoscere, come sotto il più basso grado non vi era porta, nè uscita alcuna, e come a' primi gradi venivasi per di dentro con salir quattro o cinque interni gradini: nè punto dubitar si può, che così non fosse anche ne' Teatri, e deformità sarebbe stata grandissima, facendo altrimenti. Aggiungasi, che negli Anfiteatri eravi pur' almeno sotto i gradi un alto muro, restando l'area molto più bassa; dove ne i Teatri nè pur questo v' era, ma venivano i gradi quasi fino al piano dell' area stessa, non avendosi in essi la necessità d assicurare dal pericolo delle bestie gli spettatori.

Avvertite, vi prego, dalla sinistra parte, come i gradi nè arrivavano a compiere un semicerchio, nè terminavano in linea retta, il che si dimostra dal rocco del colle, che fa vedere, come i gradi restavano alquanto più addietro, e il quale dove è stato tagliato per far luogo alle vie d' ingresso, non è tagliato in linea parallela all' ultimo muro del Teatro, ma obliquamente. Sembra potersi da ciò raccogliere il sito degli ultimi, ch' eran su i gradi, e la lor linea visuale additata nella pianta con punti; quale in questo modo veniva a dominare tutta la Scena, là dove alcuni Teatri fatti in Italia nel secolo del 1500. secondo la maniera antica, e secondo la comune idea, hanno questo difetto, che chi siede alle due estremità de' gradi, non vede la Scena, di che si può prender saggio dal bellissimo eretto con disegno del Palladio nella sua patria Vicenza. I corridori alti, ch' eran dietro i gradi, si congiungeano con gli archi superiori prossimi alle due torri, nelle quali vestigio di scale, e di volte, accennate nel

A tibus Turres, in quibus ſcalarum, & fornicum, ut appoſita figura indicatur, veſtigia cernuntur. Neque illud prætermittendum hoc in Theatro adhibitum profecto velarium eſſe, ad ſolis æſtum arcendum, quoties auditoribus opus eſſet. Dixi jam antea, cum de exteriore primi muri facie loquerer, duplicem lapidum a ſuperiore muri parte prominentium ſeriem ita eſſe diſpoſitam, ut in primam per foramina trabes immitti, & ad alteram poſſent applicari. In interiore Orthographia ad duas extremitates in vertice conſpiciuntur ſemitæ duæ, per quas muri faſtigium conſcendebant ii, quibus Velarii commiſſa cura erat. In B ſpatio, quod intra duo quadrata ædificia continetur, domus ſunt, quarum in una duo reperii columnæ fragmenta Dorica ratione ſtriatæ, quæ tres ferme diametri pedes continebat. Quiſnam fuerit harum columnarum locus, indicare non poſſum; neque enim in Scena ſignum ullum extat, quo, ubi aptatæ fuerint, percipiam. Duæ illæ columnæ poſitæ fortaſſe fuere utrinque in ingreſſu, & ad duos angulos Proſcenii. Fateor nondum explicare poſſe me, qua ratione in Scauri ſcena marmoreæ columnæ CCCLX duo de quadragenum pedum collocatæ fuerint, cujus rei mentionem Plinius facit. Immo ſine ulla dubitatione C fatear, tametſi ex magna Theatri Arauſienſis parte quæ ſupereſt, multa didicerim, multa tamen eſſe, quæ minime intelligam, multoſque nodos cogitanti mihi occurrere, nulla ratione mihi quidem ſolvendos. Quare nonnullis, qui hac de re ſuperioribus temporibus ſcripſerunt, res explicandi facilitatem invideo, qui omnia nihil hæſitantes ob oculos ponunt, ut prorſus integrum, perfectumque Theatrum aliquod detexiſſe, rationemque agendi in eo ſuiſmet oculis vidiſſe videantur.

De Theatro nihil habeo præterea quod dicam, multa tamen de hac ſuperba mole quæ dicam ha- D beo. Etenim mihi perſuadeo ibi quoque Circum fuiſſe, neque injuria hoc nomen vulgo eſſe uſurpatum, ita tamen ut ex duobus muris primus ille, quem ante deſcripſi, Theatri eſſet ſimul, & Circi. Nova quidem videtur iſthæc conjunctio, ſed erat peropportuna; nec videretur nova, ſi ad illud Virgilii toties repetitum *mediaque in Valle Theatri Circus erat*, quorumdam interpretationi ſubſcribendum eſſet. Sed revera hoc ſibi vult, in ſpatio collibus, & nemoribus in Theatri formam circumdato Circum fuiſſe. Arauſione igitur arbitror in externa magni parietis facie, uſque ad E obſtructos arcus, xyſta fuiſſe, & gradus ligneos, unde currentes quadrigæ conſpicerentur; & extat quidem adhuc vacua ad id ſtrata longa platea. Hinc facile intelligas, cur inferioris lapides ordinis e muro prominerent, & cur arcus eſſent obturati, cum illi pro mutulis eſſent, hi vero augerent eurythmiam, ornamentoque eſſent Podio anteriori. Intelligis etiam cur Arcus in medio ſcindatur; reliquas enim partes tegunt aſſeres, quis xyſto, ſive majori ſuggeſtui erant pro laqueari. In altera quoque plateæ parte, quam occupant modo domus, credibile eſt gradus, & xyſtos fuiſſe. Crediderim ad arcendum ſolem, ad tantam alti- F tudinem ſublatum murum eſſe; tum ſummam, & imam plateam utrinque porticibus, & arcubus lapideis fuiſſe clauſam; tres enim adhuc ab una parte ſuppetunt, cum Orthographiæ extremitate conjuncti, quorum principium in ichnographia proponitur. Sed anteriore in parte revera fuiſſe aliud ædificium ligneum, ex eo cognoſci poteſt, quod ſub obſtructis arcubus, qui ſunt in muri medio, cavum continuum eſt, quod ad arcum ultimum ab una in aliam partem perve-

diſegno, ſi vede. Non è da tralaſciare, che ſi fece in queſto Teatro ſicuramente uſo del Velario, coprendo, e difendendo dal Sole gli uditori, quando occorreva. Ho già detto, parlando della facciata eſteriore del primo muro, come le due mani di pietre prominenti da eſſo in alto, ſono adattate in modo, da potere infilar travi nelle prime, e farle poſare nelle ſeconde. Nell' interior proſpetto veggonſi alle due eſtremità nella cima li due ſentieri, per li quali montava alla ſommità del muro chi della tenda avea cura. In una delle caſe, che ſon nello ſpazio tra i due quadrati compreſo, ho ritrovati due pezzi di colonna canalata Doricamente, che avea quaſi tre piè di diametro. In qual ſito così fatte colonne ſi ſteſſero, non ſaprei dire, mentre il muro della Scena non ha ſegno alcuno, onde ſi poſſa credere che foſſero ad eſſo attaccate: ſtettero forſe una per parte all' imboccatura, e alle due eſtremità del Proſcenio. Io per verità mal ſaprei render conto ancora, in qual modo nella Scena di Scauro collocate foſſero 360. colonne di marmo alte 38. piedi, di che ci fa Plinio teſtimonianza: anzi non avrò difficoltà a confeſſare, che con tutti i lumi dal grand' avanzo del Teatro d' Oranges preſtati, più coſe mi reſtano tuttavia oſcure, e più difficoltà, quali conſiderando mi ſi preſentano, mal ſaprei riſolvere: per lo che grandemente invidio la felicità dei molti, i quali avanti me di queſta materia trattato hanno, mentre tutto francamente ſpiegano, e ſenza eſitanza mettono tutto dinanzi a gli occhi: talchè ognuno ſi crederebbe, che qualche intero, e perfetto Teatro foſſe lor venuto fatto di ſcoprire, e il modo di oſſervare ancora, con cui anticamente ſi operava in eſſo.

Non mi reſta che dire intorno al Teatro, ma molto debbo ancor dirvi di queſto ſuperbo edifizio, perchè io tengo, che Circo foſſe quivi ancora, e che non a torto popolarmente tal nome ſia ſempre corſo, ma de' due muri il primo avanti deſcritto ſerviſſe inſieme al Teatro, ed al Circo. Congiunzion veramente aſſai ſtravagante par queſta, ma in tal modo tornava beniſſimo; non ſarebbe nuova, ſe il replicato paſſo di Virgilio, mediaque in valle Theatri Circus erat, *doveſſe intenderſi, come alcuni l' hanno inteſo; ma veramente non vuol dir' altro, ſe non che nello ſpazio, cinto intorno a guiſa di Teatro da colline, e da boſchi, era un Circo. A Oranges dunque io mi penſo, che appoggiate alla facciata eſterna del gran muro, fino all' altezza degli archi chiuſi, logge foſſero, e gradi di legno, e che quinci ſi rimiraſſero le corſe delle quadrighe, la lunga piazza delle quali ſuſſiſte, ed è pur vacua ancora. Con queſto verrà a comprenderſi la ragione dell' ordine più baſſo di pietre, ch' eſcon dal muro, e degli archi chiuſi, mentre ſervivan quelle di modiglioni, e facean queſti accordo, e ornamento alla ringhiera, che vi era dinanzi. Con queſto la ragione ſi comprende ancora del troncarſi quel principio d' arco nel mezo; poichè il rimanente reſtava coperto dalle tavole, che formavan ſoffitto alla loggia, o al più nobil ſuggeſto. Dall' altra parte della piazza, ove ora ſon caſe, ſaranno altresì ſtati gradi, e logge. L' altezza del gran muro avrà ſervito mirabilmente per riparar dal ſole. Li due capi della piazza di qua e di là erano probabilmente ſerrati con portici, ed archi di pietra, poichè tre ne rimangono ancora da una parte, che ſi congiungono con l' eſtremità del proſpetto, e ſe n' è ſegnato nella pianta il principio. Ma che veramente altro edifizio di legno nel dinanzi foſſe, da ciò ben ſi*

nit; at inferius sunt lapides ad ferendum onus positi, sub quorum singulis aliud exiguum cavum vides, in quo asser aut trabs poterat collocari. In duobus muri angulis certum scalarum vestigium deprehenditur, ad quas arcus illi, quos in summa, & ima plateæ parte constituros fuisse diximus, viam dabant, & per eas ad sublimiorem xystum, nisi malis Podium dicere, fiebat ascensio; & illius xysti causa in arcuum medio rotunda foramina facta sunt. In imo arcuum ordine, ut opinor, porticus erat, diebus Theatralibus opportuna, pro iis tectis locis, quæ post Theatra Vitruvius postulabat. Illa præterea fulciebat Circi gradus, qui per eam exitum dabant: hinc enim variæ semitæ & exitus initium ducebant. His omnibus explicatis unusquisque intelligit, quantopere sint omnia circumspicienda Architectos Veteres reprehendenti, tametsi aliquid præter artem in eorum operibus sibi deprehendere videatur. Neque enim semper ejus rei in promptu est ratio, aut, quæ sæpe accidit, necessitas.

Mirum cuipiam fortasse videatur, magnam portam, quæ ab externa parte in medio est, tam esse ornamentis destitutam. Sed id alias notandum duxi, id in magnis Veterum ædificiis fieri consuevisse. Id in Amphitheatro Arelatensi, id in Nemausensi perspicias, ubi fastigio quidem, & duobus magnis mutulis figuratis ornatus est superior arcus, sed omni ornatu porta caret, eosque mutulos habet eadem loci positione minime elaboratos. Ex hoc profecto illud confirmari judico, quod in Amphitheatrorum explicatione animadverti, nimirum in hujusmodi ædificiis fuisse quoddam atrium ante positum; ejus vero januam ornatam fuisse crediderim, nunc vero eam partem cerni, quæ oculis tunc objecta non erat. Hinc portæ huic, de qua loquimur, desunt nobiliores, & prominentes e muro partes, cujusmodi sunt capitula, & coronæ. Hinc etiam fieri judico cur Inscriptiones non videamus, quas in magnificarum molium fronte fuisse dubitandum non est. Portæ majoris ingressus in Amphitheatro Arelatensi, & Nemausensi non desunt, Inscriptiones tamen desunt, quia cum Atrii, quod cum ipso ædificio conjunctum, & solidatum non erat, portis affigerentur, perierunt. Holsthenius quidem suis in Cluverium animadversionibus cujusdam Amphitheatri integram, & satis longam Inscriptionem edidit. Sed & Inscriptionem, & Amphitheatrum ipse sibi commentus est.

Nolo Theatri partem, quam Arelate vidi, silentio præterire. Murus, quo clauditur pars urbis in colle posita, tres arcus habet, & alius partem arcus, omnes simul conjunctos, qui suo flexu ambitus curvaturam indicant, ita ut ad exteriorem auditorii partem pertinerent. Super unum eorum arcum alii duo conspiciuntur, ex quo apparet fuisse tres arcuum ordines. Imus terra aggesta magna ex parte coopertus est: In ejus fornice ad alteram tertiam partem latitudinis est species quædam exiguæ coronæ. Pars altior scinditur, antequam ad basim perveniat; Vertex recens est, ut muri quoque, intra quos nunc omnia continentur. Non procul Zophori Dorici longum fragmentum cernitur; procul autem cernitur alius arcus, quem ad ipsum ædificium spectasse ipsa peculiaris ejusdem ratio evincit; contrario, atque prædicti arcus, modo ille conversus est, ut ad porticum a tergo Scenæ pertinuisse videatur. Inter hunc, & prædictos arcus, in *κοινοβίῳ Monialium* duæ altæ columnæ sunt, eæq; stantes nunquamq; loco motæ, basibus cum imis trunci partibus terra obrutis: earum una est e pulcher-

A *può raccogliere ancora, che sotto gli archi chiusi, quai sono a mezo del muro, è un incavo continuato, il quale arriva fino all' arco ultimo di qua e di là: sotto di esso son quelle pietre, che sostenevano, e sotto ciascheduna è di nuovo una piccola incavatura, che potea servir di letto a una tavola, o ad una trave. Nelle due estremità del muro si vede manifesto vestigio di scale, alle quali si veniva da gli archi sopranominati, ch' eran ne' due capi della piazza, e per le quali si saliva alla più alta loggia, o ringhiera, che si fosse: in uso di questa erano que' rotondi fori in mezo degli archi. Al pian terreno dovea essere un portico, il quale avrà*
B *supplito ne' giorni Teatrali per que' luoghi coperti, che volea Vitruvio dietro i Teatri, e insieme per sostentare i gradi del Circo, e per dar esito in essi, prendendo quivi principio gli anditi varj, e le uscite. Da tutto questo ragionamento ben si può comprendere, quanto si convenga andar sempre cauti nel condannar gli Architetti antichi, tuttochè strane cose ci paresse di veder tal volta nell' opere loro, perchè non sempre è in pronto d' intenderne la ragione, e il motivo, e molte volte la necessità.*

Parrà assai strano di veder così povera e nuda d' ornamenti la gran porta di mezo nell' esterior
C *prospetto. Ma riflessione si è già da me fatta altre volte, che così osservansi d' ordinario quelle de' più grandi edifizj antichi. Tale è la porta del maggior ingresso nell' Anfiteatro d' Arles, e tale è quella di Nimes, dove ornato di frontispizio, e di due gran modiglioni figurati è l' arco di sopra, ma la porta è semplice, ed ha que' modiglioni nell' istesso sito informi, e rozi. Credo confermarsi da questo sicuramente ciò che trattando degli Anfiteatri notai, cioè che così fatti edifizj ebbero dinanzi una spezie di vestibolo, o un' Antiporta, dove però l' ornamento è da creder che fosse, non ve-*
D *dendosi ora da noi se non ciò, che restava allora coperto. Quindi è, che in questa nostra porta mancano le parti più nobili e prominenti dal muro, come capitelli, e cornici. A questo ancora attribuisco io il non solersi veder le Inscrizioni, che senza dubbio furono in fronte delle superbe fabriche. Negli Anfiteatri di Nimes, e d' Arles abbiam le porte del più nobile ingresso, e con tutto ciò non ci veggiam le Inscrizioni, perchè stando queste su le Antiporte, non connesse col forte degli edifizj, perirono. Ampia, e intera Inscrizione d' un Anfiteatro publicò veramente l' Holstenio nelle sue note al Cluverio, ma falsa è l' Inscrizione, e imma-*
E *ginario l' Anfiteatro.*

Non passerò affatto in silenzio un avanzo di Teatro, che ho veduto in Arles. Nel muro che ricinge la Città sul colle, osservansi tre archi, e parte d' un altro, congiunti insieme, quali piegando accennano la curvatura del giro, onde appartenevano alla parte esteriore dell' uditorio. Sopra uno di essi ne son due altri, onde apparе, ch' era in tre ordini. Il più basso resta sotterrato in gran parte; nel suo archivolto alli due terzi della larghezza è una spezie di cornicetta: il più alto si tronca prima d' arrivare all' imposta, moderna essendo la cima, come anco i muri, ne' quali or
F *tutto è compreso. In poca distanza si vede un lungo pezzo di fregio Dorico. Assai lontano si trova un' altra arcata, quale che appartenesse all' edifizio medesimo, l' istessa particolar maniera dimostra: è rivolta al contrario delle sudette, onde pare appartenesse al portico dietro la Scena. Nello spazio, ch' è tra quest' arco, e i prenominati, dentro un Convento di Monache veggonsi due alte colonne in piedi, non mosse mai dal lor sito, sepolte nella terra le basi, e alquanto del vi-*

vo:

rimo marmore Africano, non tamen altera. Earum diametros est unciarum duarum, & triginta; capitulum est Compositum, & affabre elaboratum. Tribus pedibus semis, non amplius, inter se distant, & magnum epistylium e rubro marmore, alio simili fragmento superposito, sustinent. Scenæ positionem spectanti videntur eæ non apte disponi in fronte potuisse, sed una post aliam a lateribus. Duos libellos alterum typis, alterum manu exaratum nactus sum, quibus integra, hujus Theatri ichnographia proponitur tam feliciter, quam per eos fieri solet, qui huic se studio dediderunt.

Antequam finem facio, quæ ad architecturam pertinentia non inelegantia illa quidem, sed nova, iis in locis animadverti, tibi arbitror significanda. Integrior Theatri Arelatensis arcus, de quo jam modo diximus, pro uno Zophoro duos habet, alterum Doricum, alterum Corinthium, aut, ut melius dicam, ejus epistylium in *Trabeatione* totum ad Zophori Dorici formam cælatum est: surgit ab ipso Zophorus Corinthius totus ornatus floribus, tum corona pariter Corinthia, totaque elaborata. Hæc insolita ratio mihi primum aspicienti admirationem attulit, & oblectationem. Verumtamen hac ratione partes conjunctæ ita inter se dissentaneæ sunt, ut non secus offendant oculos, quam voces dissonæ offendant aures. Nulla fortasse ars est, a qua recedere periculosius sit, quam ab hac reliquarum omnium magistra. Ab ulteriore parte, ubi tres alius super alium arcus sunt, in inferiore epistylium Zophorum pariter Doricum offert; verus autem Zophorus nihil est elaboratus; at alter arcus, quemadmodum ille, de quo supra, duos Zophoros exornatos habet, & coronam. Est aliud ibi præterea quod singulare videatur. Doricus suis ornatur triglyphis, & pateris, sed in parte conveniente metopæ, aut cranio bovis forma est dimidii bovis salientis, & caput ab uno latere, quasi adversus aspicientes, vertentis.

Pulcherrimi Nemausensis Templi superiorem partem pulcherrima ambit Corinthia corona, in qua cælati mutuli omnes inversa positi ratione videntur, ita ut quæ pars murum deberet respicere extra appareat, & quæ deberet extra apparere, murum respiciat. Hoc ab aliis discrimen Palladius non improbavit. In magnifico quoq; Arausiensi arcu hac inversa ratione elaborati mutuli sunt. Admiratione dignissima est illa architecturæ similitudo, quæ in multis earum provinciarum antiquis monumentis cernitur. Tria Amphitheatra, quorum eximiæ reliquiæ supersunt, pluribus in rebus unius formæ esse videntur; Romanum vero, ac Veronense alterius. Alia etiam videas in prædicto arcu maximo, & magnifico, quæ alibi non videas. Habet enim frontem cujusmodi in arcubus, qui superant, esse non solet. Perperam enim cum fronte simili Veronensem arcum Serlius exhibuit, aliique typi; id est enim non pro re, sed pro animi opinione excogitatum. Arausiensis tamen arcus frontem illam habet: etenim super medium fornicem maxima, & epistylio ornata porta eminet. Atticurges abaco, sive magna tabula, in qua poni consueverat inscriptio, caret, sed illius loco suprema pars augetur nonnullis lapidum coriis, quasi ad modum graduum dispositis. Hæc singularia inventa in causa sunt, cur integer complexus additamentorum eurythmia carere videatur; quidquid tamen vitii est molis magnificentia videtur obrui. Super arcus truncum duæ sunt Personarum species, non tamen e regione, quæ nihil ad rem, quemadmodum in Amphitheatro Nemausensi Priapi. Duo capita

vo: l' una è di bellissimo Africano; non così l' altra. Il lor diametro è d' once 32. il capitello è Composito, e operosamente lavorato: non sono in maggior distanza fra se, che di tre piedi e mezo, ed hanno sopra un grand' architrave di marmo rosso, con altro simil pezzo soprapposto. Considerando il sito della Scena parrebbe, non le riuscissero disposte in fronte, ma l' una dopo l' altra laterali. In due libretti uno stampato, uno manuscritto, ho veduto riportarsi perfettamente l' intera pianta di questo Teatro secondo la consueta felicità di chi s' applica a questi studj.

Per fine d' alcune bizarrie vi darò notizia, che ho trovate negli edifizj antichi di quelle parti in fatto d' architettura. L' arco più conservato del Teatro d' Arles, di cui pur ora ho parlato, in vece d' un fregio ne ha due, l' un Dorico, Corintio l' altro: o per meglio dire, nel Sopraornato di esso l' architrave è tutto intagliato in figura di fregio Dorico: sopra di esso è il fregio Corintio pien di fiorami, indi la cornice Corintia parimente, e ricca di lavoro. Stupore, e diletto mi recò tanta novità a prima vista, ma per altro poi tale accoppiamento porta seco una certa discordanza, che fa assai male, e dà quel disgusto all' occhio, che le dissonanze all' orecchio. In niun' arte forse men fortunate riescono le novità, e le stravaganze, che in questa maestra di tutte l' altre. Dalla parte di là, ove sono i tre archi uno sopra l' altro, nel più basso l' architrave rappresenta parimente un fregio Dorico, e il vero fregio è nudo; ma nel secondo si hanno i due fregi lavorati, come nel sopradetto, e la cornice parimente. Un' altra singolarità è quivi: il Dorico ha i suoi triglifi, e patere, ma nel luogo della metopa, o sia del cranio di bue, vi è figurato un mezo bue che salta, e che rivolge verso chi da un lato lo riguarda, la testa.

Il bellissimo Tempio di Nimes è rigirato in alto da nobilissima cornice Corintia, nella quale i modiglioni tutti intagliati pare sien posti a rovescio; e che la parte, qual dovrebb' essere verso il muro, sia in fuori, e quella che dovrebb' essere in fuori, sia verso il muro: questa diversità da tutti gli altri non dispiacque al Palladio. Così a rovescio si veggon parimente lavorati nel sontuoso Arco d' Oranges. E' molto notabile l' uniformità, che in architettura si osserva nelle varie antichità di quelle provincie: li tre Anfiteatri, de' quali insigni reliquie rimangono, in più cose sembrano d' un' idea, e quei di Roma, e di Verona d' un' altra. Il sudetto grandissimo, e sontuoso Arco altre cose insolite tiene ancora; perchè ha il frontone, quale negli Archi, che ci rimangono, non si suol vedere, falsamente essendo stato rappresentato con esso l' Arco di Verona dal Serlio, e in altre stampe, per voler supplire di fantasia: ma quel d' Oranges lo ha, perchè sopra l' archivolto di mezo, una grandissima porta architravata si forma. Non ha nell' Attica la gran tabella per l' Iscrizione, ma in quella vece ha sopra il frontispizio alquanti suoli di pietre a scala. Queste singolarità fanno riuscire il tutto insieme dell' accrescimento poco grazioso; ma la sontuosità dell' edifizio sembra coprire ogni difetto. Sopra uno stipite, ch' è sotto l' arco, si veggon figurate due maschere, le quali non sono nel dirimpetto, e tanto vi hanno che fare, come i Priapi su l' Anfiteatro di Nimes: furon credute due teste dal Pise secondo il consueto errore. Nella facciata opposta alla Cit-

Josephus de la Pise juxta communem errorem A credidit. In facie Urbi opposita capitula videntur quodammodo aliquid rationis compositæ cum Corinthia conjungere, cum inter concavum abacum, duasque medias exiguas volutas parva elaborata, & convexa zona sit interjecta.

Sed ut omnia simul complectar, mira plane sunt Veterum monumenta quæ in Gallia deprehendi. Velim tibi non injucunda accidant, quæ tibi nota esse volui, quibus, relaxandi animi gratia, te graviora studia non gravate aliquando intermissurum confido.

tà i capitelli pajono in certo modo unire al Corintio, qualche cosa che si accosti al Composto, vedendosi tra l'abaco concavo, e le due volutine di mezo non piccola fascia lavorata, e convessa.

Ma in somma mettendo tutto insieme, antichità per ogni conto maravigliose posso dire d'aver trovate in Francia. Gradite il ragguaglio, che di alcune ho voluto farvi, sperando non vi sarà discaro d'interromper con esse alquanto le vostre più gravi e più importanti applicazioni.

F I N I S.



EMMANUELIS MARTINI
ECCLESIÆ ALONENSIS DECANI

DE

THEATRO SAGUNTINO


EPISTOLA

AD

Illustrissimum Amplissimumque Virum

ANTONIUM FELICEM ZONDADARIUM

Archiepiscopum Damascenum, & Pontificium Legatum
apud Regem Catholicum.



A. *Orcheſtra.*
B. *Suggeſtus Principis. sive Prætoris*
C. *Equeſtra.*
D. *Scalæ subsidiale.*
E. *Præcinctio sive* διαζωμα.
F. *Popularia.*
G. *Januæ summæ porticus.*
H. *Scalaria.*
I. *Porticus.*
K. *Gradus Lictorum.*
L. *Feneſtræ fornicatæ*
M. *Gradus servorum.*
N. *Scalulæ* κλιμακιδες
O. *Oſtiolum arcuatum.*
P. *Vomitoria.*
Q. *Vestigia in utroque. cornu.*
R. *Proscenium.*
S. *Pulpitum.*
T. *S. ena.*
V. *Valvæ regiæ*
X *Hoſpitalia*
Y. *Choragia.*
Z. *Cloaca*

EMMANUELIS MARTINI
DE
THEATRO SAGUNTINO
EPISTOLA.

EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo Amplissimoque Viro

ANTONIO FELICI ZONDADARIO,
Archiepiscopo Damasceno & Pontificio Legato apud Regem Catholicum

S. D.



Um proximis diebus sermones inter nos conferremus, ut sunt fere colloquia, & varia, & aliud ex alio elicientia, casu Theatri Saguntini incidit mentio. Quod cum a me delineatum, omnibusque numeris expressum dixissem; tuum pervasit animum illud videndi cupido, una cum notulis, sive descriptiuncula quadam a nobis adjecta, non tam eruditionis ostentandæ gratia, quam obscurissimæ rei explorandæ. En igitur illud, Vir Amplissime, ex oblivionis tenebris redux ac redivivum, etsi lacera veste atque obsoleta. Cujus ego veram priscamque structuram, omnibus indagatam vestigiis, quam brevissime potero, seræ posteritati consecrabo.

Theatrum Saguntinum peropportuno loco & saluberrimo situm est. Septentriones enim versus & solem ori[illegible] orientem sese pandit, amœnissimæ valli, quam fluvius etiam præterfluit, imminens, & pelagus Eoum prospectans. Ab Austro & flatibus occiduis objectu montis defenditur, a quo in amplexum sinuato cohibetur ac cingitur. Quare Boream tantum Eurumque, vitales illas animas, ad perflatum admittit; cæteris humanæ saluti infensis interclusо aditu. Quod in primis cavendum monet Vitruvius in theatris construendis. Nam cum ibi spectantium animi voluptate maxima perfundantur, immota corpora delectatione illa capta ac delinita, hiantes habent meatus, venasque patentes, in quas facile insidunt circumfusi spiritus. Qui si nocentes fuerint atque insalubres, vel vitio aliquo infecti, afflatu suo corporibus exitium afferent. Idcirco vitandi a meridie impetus. Sol enim æstu suo torrente quum theatri curvaturam implet, aer inclusus hemicyclo, nec vagandi habens potestatem, perpete illa versatione, & circumactu, ac vorticosa rotatione effervescit. Quo fit ut corpora naturali humore exsucta adurantur, nimisque excandefacta in morbos incidant. Habet porro theatrum nostrum in genio & natura loci comparatum τὸ συνηχοῦν. Quod

A in eo apprime necessarium. Vox enim curvamine amplexuque illo montis collecta, ad summum usque cum incremento scandens, robustior aures pulsat, discreta verborum terminatione. Quod ego profecto expertus sum; quippe Plauti versus ex Amphitruone, quos vir ornatissimus mihique omnibus officiis conjunctissimus Emmanuel Mignana ex scena recitavit, de summa cavea perbelle hausi. Quod me, ita vivam, incredibili perfudit voluptate. Sunt enim illæ rupes vocales. Nec id solummodo, sed πεντάφωναι. Et hæc de theatri

B positione. Nunc ad structuram: ejus igitur hemicycli ambitus, quem Græci vocant περίμετρον, habet palmos nostrates sive spithamas vel dodrantes pedis Romani DLXIV. Dimetiens vero, quam illi διάμετρον, ducta ab utroque cornu linea, palmos CCCXXX. Altitudo Theatri ab orchestra ad summam caveam palmorum CXXXIII. cum semisse. Ad summæ vero parietinæ superstitis fastigium palmorum CXLIV. & semis. Orchestræ diameter habet item palmos XCVI. A qua certum est totius theatri descriptionem ordiri, velut a cen-

C tro. Igitur Orchestra nomen sortita est ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι, propterea quod in græco Theatro locus is esset saltationibus gesticulationibusque destinatus; tametsi apud Romanos longe alium habuit usum, saltem ex quo C. Atilius Saranus & L. Scribonius Libo Ædiles Curules, superioris Africani sententiam sequuti, senatorum subselliis orchestram assignarunt. In ea igitur honestissimo loco sedebat princeps sive prætor, in suggestu: cujus extant vestigia in medio orchestræ ad podium. Deinde Vestales, Sacerdotes, Legati, Senatores.

D Neve autem anteriorum objectu pulpiti prospectus posterioribus adimeretur; solerter admodum excogitatum est, ut orchestræ pavimentum a principis suggestu leniter ac sensim in acclivitatem exsurgeret usque ad imum gradum equestrium: depresso identidem & scalpto in orbem pavimento, in modum balthei, sedilibus locandis ac defigendis: relicto inter sedilium ordines spatio aliquantulum elatiore, quod ingressum exitumque præberet. Quod adhuc nemini homini observatum credo. Et me

ſane fugiſſet, niſi terram, qua tota Orcheſtra obruta erat, removere juſſiſſem, adſcitis foſſoribus. Ab Orcheſtræ ſolo equeſtria erumpunt, ſive gradus quatuordecim equeſtri ordini attributi, legibus Roſcia & Julia theatrali. Ad quorum ſeptimum duo Vomitoria aditum præbent. Qui idcirco cæteris latior, ne anguſtia loci equeſtris multitudo comprimeretur; ſed libero greſſu in ſubſellia ſeſe diffunderet. Quoniam vero Theatrum hocce in duriſſimo ſaxo fundatum eſt, cujus pervicacia artis conatus & ſolertiam deluſit; eo duas habent tantum januas equeſtria. Quæ cum equitum numero admittendo non ſufficerent, additæ ſunt hinc inde ſcalæ geminæ in aperto & propatulo loco, quarum imi gradus fornicem ſubeunt in ipſo proſcenio.

Summum gradum ordinis equeſtris excipit præcinctio. Quo nomine appellarunt Veteres gradum cæteris duplo altiorem latioremque, qui reliquos minores veluti præcingeret & complecteretur: *διαζώματα* vocant Græci. Sunt enim quaſi tranſverſa quædam cingula, unde ab aliquibus dicti ſunt *balthei*, graduum nimirum refractiones & areolæ in orbem procurrentes. Quæ ideo inſerebantur, ut ordinum diſcrimina, ſenatorii nempe, equeſtris & plebeii, manifeſta ipſa diviſione in oculos incurrerent, nec quicquam eſſet inter eos commercii. Sequuntur deinde duodecim gradus popularium altiore loco remotioreque: in quibus videlicet e plebe homines ſedentes ſpectabant, quos vocant ſummam caveam. In hæc ſedilia per plures aditus diffundebantur, ad quos ducebant interiores fornices & concamerationes. Superior item porticus, cujus duplex erat uſus; ut haberet nempe populus quo ſe reciperet, ſi ſubitus aliquis turbo vel imber ludos intercepiſſet; & ut ſubjectum theatrum ab aquarum injuria & ſordibus vindicarent. Habet ea porticus januas octo anticas, totidemque e regione poſticas; obliquas tamen, & quæ ſe mutuo reſpiciant: ut ſpiritu per eas admiſſo Theatrum refrigeraretur, nec aer immotus & ſtagnans obtorpeſceret. In haſce januas ſcalaria ſeptem aſcenſum præbent, erumpentia ab imo equeſtrium gradu, qui ad orcheſtram: non quidem perinde interſecta & variantia, ut in plerisque amphitheatris, ſed recto ductu & continentia: quo fit, ut cuneos efficiant quam longiſſimos, & aſpicientium oculis oppido quam jucundos; ab imis nempe ſubſelliis ad ſumma. Erant autem hæc ſcalaria viæ inter cuneos ad aſcenſum: nam cum gradus illi ſedentarii elatiores eſſent quam pro modulo humani greſſus, nec niſi ſumma cum difficultate ſcandi poſſent; ſolerter admodum excogitata ſunt hæc ſcalaria, binis ſingulis gradibus interjecto tertio, niſi ubi præcinctiones interveniunt; ibi enim quaterni inſeruntur. Horum *κλιμακίων* latitudo palmorum trium cum dimidio; graduum vero altitudo palmi & ſeſquidigiti. Quam quidem dimenſionem duplam exhibent ſubſelliorum gradus. Hæc eo ſcalaria adhibita, ut cuneata illa multitudo expeditum haberet exitum, ac veluti ad manum, quo ſe cumque vertiſſent; ne illo intercluſo, ad corporis neceſſitudines ſubeundas adigerentur. Porro qui excuneati erant, ut theatrali verbo utar, in iis ſpectabant ſtantes. Inter januas internas externaſque illud intereſt diſcriminis, quod internæ quidem ſunt quadratæ, & latius patent: externæ vero arcuatæ & minores. Eſt præterea ſuperior illa porticus lata palmos XV. cum quadrante: alta vero XII. cum dodrante: ergo latitudo altitudine major. Quam ob cauſam? in proximo ratio. Ut ne videlicet dum glomeratim ingrediuntur vel egrediuntur, porticus anguſtia laborarent. Quæ quidem porticus ad theatri angulos minime

A pertingit; ſed multo ante ſubſiſtit utrimque exſecaturque, XXXV. palmorum intervallo, quod implebant quaterni gradus: a ſuppoſita cavea eo tantum diſcreti, quod ſummus popularium latitudine cœteros anteibat, atque erat veluti præcinctiuncula quædam, ſive areola, ſuperiorem ordinem ab inferiore diſpeſcens: unde ſuſpicari ſubit ſediſſe eo loci lictores, accenſos, viatores, apparitores, alioſque magiſtratuum ſatellites; cum ut eorum obſequio præſto eſſent, tum ut ſubjectam caveam a contentionibus & rixis deterrerent, triconumque inſolentiam frangerent. Quod Athenis etiam in uſu fuiſſe comperio ex Ariſtophanis B Scholiaſte in *Irenem*, in quam ego ſententiam eo libentius adducor, quod ab illis ipſis gradibus ſcalæ quædam ſecretæ per occultos mæandros in carceres ducunt; quorum alter ſuperſtes adhuc, in eoque bojæ muro affixæ, ſive annuli ferrei deligandis maleficis. Adde, hanc ipſam porticum in medio frangi, relicta intercapedine palmorum viginti duum: in qua utrimque gradus quaterni, porrecti palmos ſeptem cum ſemiſſe. Quos ea fini ſtructos arbitror, ut ſatellites undique ſedilibus imminerent, pacificandæ caveæ. In eorum medio ſpatio ſtatuam aliquam ſtatutam fuiſſe, veſtigia quæ-C dam nos monent, tametſi fugientia ac pene obliterata, ipſius nempe baſeos indicia: quod vel ipſa ſtructuræ ratio, & operis concinna modulatio poſtulabat, ad totius hemicycli medium deſignandum. Hujuſce baſeos latera palmorum ſenum cum dodrante. In ſummo caveæ gradu, ad utrumque Theatri angulum, ſex patent fornicatæ feneſtræ, ternæ utrinque. Num aeri admittendo? equidem nullus aſſequor. Si quis earum uſum me docuerit a me profecto inibit gratiam. Supra porticum quatuor item gradus adjecti ſunt. At cui ordini? Sane ſenatorius in orcheſtra, equeſtris in quattuordecim, plebs in cavea. Quid præterea reliquum? D Cum hos gradus animo volverem, pene de gradu dejectus ſum. Si tamen in re adeo obſcura conjecturis uti licet, crediderim in remotiſſimis illis gradibus ſpectaſſe ſervos, libertos, meretriculas, & alia id genus e pullata plebecula propudia: ne videlicet ejuſmodi ſordes cum honeſtiore plebis ordine conjungerentur. Juvat opinionem noſtram ſupremi gradus ſtructura, qui omnium latiſſimus, etiam ſi vel ipſas præcinctiones annumeres. Quod eo conſilio factum exiſtimo, ut eſſet locus in plano ſediculis locandis, fœminarum ſeſſioni. Nam illis, ex Auguſti decreto, nonniſi ex ſuperiore loco ſpectare licebat: ubi etiam deſpectiſſimi ſtabant E parieti innixi, &

pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras:

ut ait Calpurnius. A lictorum ſedilibus in ſummam hanc gradationem aſcenſum præbent quædam *κλιμακίδες*; tam ad utrumque theatri cornu, quam in medio; ut per eas ſatellites temperius accurrerent, ſi forte opus eſſet eorum opera. At in pullatorum ſedilia quinam aſcenſus? quinam introitus? Optimi mehercule, & concinna quadam ratione diſpoſiti. Sunt enim ſcalæ quædam pone ſummam porticum rejectæ & projectæ, montique F inſiſtentes, quæ ducunt ad arcuata quædam oſtiola in extremo muro, quorum unum tantum ſuperſtes. In averſa parte hujus muri mutuli quidam identidem prominent, ſpatio palmorum decem cum ſemiſſe inter ſe diſſidentes, forma quadrata, palmorum binum in ſingula latera: ad quorum explanationem ſcire te oportet, tam Theatris, quam Amphitheatris Velorum umbracula olim ſuperduci ſolita, arcendo æſtui & ſoli: quæ malis ſubrectis alligabantur, funibus inferne tranſverſim extenſis,

ne videlicet pendula laxitate ſua fluitarent. Igitur mali illi per excavatos in ſummis lapidibus orbes trajecti, vel funibus alligati (utrumque enim fieri ſolitum) hiſce mutulis excipiebantur; in quorum medio firmitatis cauſa foſſulæ quædam excavatæ ſunt: ne per lapidis lubricum antennæ labſantes, parum firmæ nutarent. Paries ſupra hos gradus aſſurgens ævi contumelia dirutus eſt, minimaque ſui parte ſuperſtes, & ea quidem abſque faſtigio ſive coronide. Subſelliorum gradus altiores ſunt quam pro modulo architectonices: habent enim palmos duos cum quadrante, longe aliter quam Vitruvius præſcripſit: latitudo ad amuſſim reſpondet regulæ Vitruvianæ: eſt enim palmorum trium cum quadrante. Miraris tam effuſam latitudinem? Nihil magis profecto ex uſu ſedentium: ne videlicet qui in ſuperiore gradu ſpectabant, diuturna compreſſione retractioneque crurum laborarent, vel inferiores impactu pedum læderent: fortaſſe etiam ut pone tranſitus pateret, ſi qui ſurgerent, vel ſerius intrarent. Præcinctionis altitudo, ad præſcriptum artis, dupla: eſt enim palmorum quaternum cum dodrante; itemque latitudo, palmorum nempe ſenum cum quadrante. In hæc ſedilia per complura oſtia aditus patebat, quæ vulgus appellabat *Vomitoria*: unde homines glomeratim ingredientes, in ſubſellia ſe ſe fundebant, ac veluti vomebantur. In hos aditus binæ porticus ducunt: altera ſuperior illa & ſubdialis, qua de nos abunde: altera inferior, per abdita montis viſcera in cuniculi morem ſerpens, & ab illis ipſis oſtiis lumen recipiens, niſi hanc fornicem appellare malis quam porticum: quæ lata palmos novem cum quadrante, alta vero duodecim. Structura præpoſtera; quandoquidem oportebat ut latitudo altitudinem vinceret, ob eam rationem quam attulimus, cum de alterius porticus dimenſione ageremus: ſed quid faceret architectus obſiſtente monte? loci quadam neceſſitate in eam anguſtiam adactus eſt: nam, ne ſis neſciens, ductum eſt hoc opus fornicato ſaxo; unde nec æqua latitudine excurrit, ſed lunata forma, utrinque ſenſim arctatur & gracileſcit. In utroque theatri cornu multa extant veſtigia, vexata quidem tot ſæculorum injuria & afflicta; ſed quæ operis majeſtatem abunde teſtentur, in quis varii fornices conſpiciuntur, partim ſemiruti, partim adhuc ſuperſtites, qui ſcenæ cooperturam (ut Vitruviano verbo loquar) ſuſtinebant; maligno quodam fato peſſundatam, nec uſquam loci comparentem. Univerſa hujus theatri gradatio (ſingulis hominibus ſpithamis ſingulis cum dimidia tributis, & ſcalariis rejectis, quæ aſcenſui & deſcenſui vacabant) capiebat hominum millia ſepties cum quadringentis viginti & ſex, quibus adjici debent, qui in ſummo gradu ſupra porticum, vel illatis cathedris ſedebant, vel ſtantes & parieti innixi ſpectabant, quos mille circiter eſſe arbitror: itemque ampliſſimus ordo in orcheſtra, cujus hemicycli ambitus ſexcenta mihi ſedilia complexu ſuo videtur admittere; quibus in unum collectis, redit ſumma hominum novies mille & vicenum ſenum.

Et hæc quidem ſunt quæ pro explananda hodierna theatri facie quam breviſſime & ſtrictim mihi dicenda videntur, iis prætermiſſis, quæ ad exornationem potius & ambitioſæ eruditionis pompam, quam ad inſtitutum noſtrum pertinere videbantur. Nunc igitur ad theatri frontem convertatur oratio: in ea proſcenium, pulpitum, ſcena. Proſcenium appellarunt ſpatium illud ante ſcenam porrectum, in quo pulpitum excitatum erat, quo actores fabularum prodirent. Pulpiti in theatro noſtro nihil ſupereſt, præter muri fun- A damentum, ab orcheſtra diſſitum palmos circiter duodecim; cujus muri altitudo, ſecundum architecti præſcriptum, fuiſſe videtur pedum quinum tantum, ſive palmorum noſtratium ſenum cum beſſe: uti qui in orcheſtra ſedebant ſpectare poſſent agentium geſtus. Igitur pulpitum depreſſius erat ſcena: quod in theatro noſtro etiam deprehenditur. Scenæ nomine id totum appellarunt, quod e theatri regione inter duo ejus cornua protendebatur; cujus longitudinem ad orcheſtræ diametrum duplicem fuiſſe, veterum ſcriptis proditum eſt: ea in theatro noſtro fere tota intercidit, excepto procurrente pariete, qui inter ſcenam B & pulpitum limes erat, & ad theatri angulos pertingit. Ab orcheſtra ad ſcenam palmi ſunt viceni octoni & ſemis, quorum duodecim proſcenio vacabant, reliqui pulpito aſſignati; ergo latitudo pulpiti palmorum erat ſexdecim cum ſemiſſe. Quod quidem ſpatium opportunum viſum eſt ſcenicis actionibus. In hujus parietis medio, quod orcheſtræ centrum reſpicit, planus exſtat hemicyclus, ex cujus circinatione teſtudineatus, ſive convexus murus aſſurgebat, qui in modum conchæ fornicabatur: id appellabant *valvas regias*, ab ornatu & amplitudine. Græci *βασίλειον* & *οἶ-* C *κον ἔνδοξον*, teſtante Polluce. Singulæ utrinque portæ eadem erant forma, ſed minores, quas vocabant *hoſpitalia*, propterea quod hoſpitibus & peregre advenientibus in ſcenam deſtinatæ. Quædam exſtant earum veſtigia in ſcena noſtra, ejus præſertim quæ ad ſiniſtram, cujus rotundationem licet deprehendere: dextra periit funditus, niſi quod reliqua ſunt muri utriuſque lateralis indicia quædam, ad apertionis angulos. In earum ſingulis areolis machinæ collocatæ erant triangulares, axibus verſatiles, quarum frontes depictæ erant pro fabularum, quas agebant, opportunitate; comica nempe ſcena pro comœdiis, tragica pro tragœ- D diis, ſatyrica pro ſatyris. Quæ quidem ſcenarum genera diſſimili admodum diſparique ratione ornabantur: tragica nimirum columnis, ſignis, faſtigiis, cæteriſque regali magnificentia inſtructis: comica autem ædificiis privatis, mœnianiſque, ac feneſtris communium domorum ſpeciem referentibus: ſatyrica vero, arboribus, ſpeluncis, montibus, aliiſque id genus rebus agreſtibus, topiario opere deformatis; ergo pro fabulæ argumento machinæ illæ ſubito vertebantur, & aliam proinde picturæ faciem oſtendebant: idcirco dictæ a Græcis *περίακτοι*; a verſatione nempe & vertigine. Ex illis machinis dii loquebantur. Poſt E ſcenam multiplices extant muri ſemiruti, ex quibus ille, qui areolas ſubſtinet, ſtrias quaſdam exhibet, ſive ſulcos, quibus trabes ductiles inſertas arbitror ad pegmata ſurſum trahenda, quæ Græci vocant *ἐγκυκλήματα*. Reliquis parietibus ſuperſtructa fuiſſe autumo loca illa, quæ græce *θεολογεῖον*, *κεραυνοσκοπεῖον*, *βροντεῖον*. *Θεολογεῖον* locus erat, unde dii loquuturi e ſublimi ſuper ſcenam apparebant. *Κεραυνοσκοπεῖον*, alta verſatilis machina inſtar ſpeculæ, ex qua Jupiter fulmina ejaculabatur. *βροντεῖον*, locus poſt ſcenam, in quo utribus vel lebetibus calculis conferF tis, & per aera verſatis, tonitruum fragorem imitabantur. Adde choragia, quibus maxime opus erat amplitudine & laxamento, cum ad choros parandos, tum ad ſcenicas veſtes, reliquamque ſcenæ ſupellectilem & inſtrumenta aſſervanda; inde enim promebantur omnia ad ludos neceſſaria. Horum choragiorum etiam hodie parte fruimur ſuperſtite, ad ſiniſtrum ſcenæ latus. Quoniam vero hoc theatrum, in declivi montis ſitum, pronas in ſe habebat aquarum corrivationes, quarum lapſu & impetu torrente brevi conſenuiſ-

ſet, objecti ſuperius ſunt muri quidam, in modum alarum utrimque porrecti, qui ædificio huic πολυπλεϛατω inſtar aggerum eſſent, ipſumque ab aquarum, ut ita dicam, incurſionibus conſepirent communirentque, quorum illac repulſu fractæ & diſgreges, per præcipites montis anfractus irrito lapſu divertebantur. Illæ vero quæ gradibus impluebant, in orcheſtræ conflugem undique collabentes, per proſcenium pulpitum ſubibant; ſubter quod erat cloaca, quæ univerſam illam proluviem excipiebat. Superſtes adhuc, quamque ego inveſtigandi cupidine libentiſſime ſubivi, una cum Vincentio Turreſio, ornatiſſimo juvene, mihique arctiſſima neceſſitudine conjunctiſſimo, qui mihi etiam adjumento fuit in hoc opere dimetiendo, ex ejuſque ruderibus, & pene abolitis veſtigiis veritate eruenda. Hæc ſunt quæ ad Saguntini Theatri illuſtranda veſtigia ex paupertina noſtra penu depromere licuit, Vir ampliſſime; in quibus non dubito fore pleraque, quæ defæcatiſſimo tuo judicio parum arrideant, quæ uti caſtigatoria reddas, per fortunas oro atque obſecro. Scio enim quam ſint Veſtrates antiquitatum ejuſmodi ſagaces: nec neſcio quam tu in ea ſtudia devexus, ex quo urbem tenui, & rerum dominam Italiam; Italiam, literarum ſtudiorumque altricem, eruditionis faſtigium & columen, ingeniorumque proventu regionum omnium feraciſſimam. Vale. Ex Muſeo noſtro, VIII. Eid. Januarias MDCCV.

Cum hic ſæpiſſime palmi memorentur, qui in Hiſpania vulgo adhibentur; non abs re erit admonere, palmum dodrantem ſeu tres quartas partes pedis Romani efficere, id eſt, pollices novem: pollicemque Italum hodiernum noſtro eſſe minorem, ita ut pes qui duodecim pollices Italos habet, undecim tantum noſtros habeat. Neſcio utrum in Hiſpania aliquid interſit in hac menſura diſcriminis.

F I N I S.



F. JOS. EMMAN. MINIANÆ

Valentini, Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum

DE

THEATRO SAGUNTINO

DIALOGUS.

AUXENTIUS THEOPHYLACTUS

J. BASILIO PYRGOPALÆO

S. P. D.



Um vehementer expectarem literas tuas, redditæ ſunt aliquando poſt annum, quam ad te curaveram: quo tempore earum deſperatione plane animum deſponderam. Quibus lectis, mihi crede, exſilivi gaudio. Reddidiſti mihi animum tam luculento tuæ erga me voluntatis teſtimonio. Quod quidem eo fuit gratius, quo magis in expectatione. Non quod te alium unquam fore in me crediderim, qui ſemper fuiſti: ſed communi quo mortales laboramus vitio, ne tibi obreperet oblivio noſtri, haud omnino temere ſuſpicabar. Erat in cauſſa diuturnum ſilentium, quo ſignificare mihi videbaris Theophylacti tui memoriam faſtidire. Verum cum ſcribas, a me per literas te conventum vehementiſſime gaudere fateor verum, non mihi modo ſolicitudinem omnem abſterſiſti; ſed etiam cœlo me quam mirifice beaſti. Cujus humanitatis ergo a te mihi præſtitæ, quam maximas tibi gratias ago. Quod autem ſcribis Theatrum noſtrum a te adeo probari, ut etiam in ejus admirationem rapiare, facit profecto virtus tua, ut & Circus ad te currere geſtiat, & merito id quidem. Nam cum me totum tibi addixiſſem, eſt ut dicam ingenium quoque, & ejus partus qualeſcumque in pignus amoris, qui in te eſt noſtri, ſummæque obſervantiæ monumentum. Iccirco quem ſatis feſtinanter percurri, Circum Saguntinum ad te mitto, ut tuum in eo interponas judicium. Sic enim in lucem protrudi poterit tuis auſpiciis: imo tuo periculo, qui bonam ejus partem tibi exponendam ſumſiſti. At ineptum, inquis, commentationem mihi dictam meam. Recte id quidem & ſapienter dicis. Repudio conſilium. Dicabo igitur primariæ fœminæ Franciſcæ, uxori tuæ. Et quidem jure bono illi dicabo te ipſum, quæ propriam ſe tibi dicatam tam amanter voluit. Quam mihi veniam des, majorem in modum a te peto. Ego vero quam non æquo animo te caream, alias te docui. Tu reſcribis nihil, quam iniquus in me ſis tute vide. Ignoſce amori noſtro, Pyrgopalæe mi, ſi paullo acerbius. Ferre equidem non queo. Itaque ſi nos apud te aliquid valemus, aut ſumus tibi curæ, ad quæ tempora te expectare debeamus fac ſcientes. Adde μυστικώτερα *quæ iſthic celebrantur. Non neſcis tu profecto quo in ſtatu res noſtra publica. Denique* περὶ τὰ τοῦ ἱερῶν ἀρχῶντος

aliquid , per mihi , per , inquam , gratum feceris . Narratur hinc abfore non diutius . Et quidem quando inter Pelopidas depugnatum est , spero fore ut etiam in tranquillum reliqua omnia . Filiola auctum esse te , salva Francisca tua , nunc demum audio , quum hæc scribebam . Gratulor tibi , gratulor illi , quod ut mihi sæpius facere liceat , & multa & sæpe D. O. M. veneratus sum . Vale etiam atque etiam mi Rex , vale atque salve .

Sagunti ipsis Kalendis Nov. an. MDCCXV.



F. JOS. EMMAN. MINIANÆ DE THEATRO SAGUNTINO DIALOGUS.

Causa Dialogi.



CUM essem Sagunti, ubi per aliquot annos suavissime vixi, Valentiam veni aliquando visum Emmanuelem Martinum, virum eruditissimum, mihique omnibus officiis conjunctissimum. Casu venit, ut, sermone inter cœnam nato de ludis veterum, ex aliis ad alia, ut fieri amat, gradum denique ad Theatrum facientes, in memoriam revocaverimus quæ Romæ fuerunt olim frequentata: quorum, præter auctorum consensum, extant adhuc vestigia, quæ sæpe ad eam urbem commorantes, oculis tetigimus non omnino obscura. Cum hæc inter nos deblateravimus, subit mihi subito Theatri Saguntini reputatio, & ad Martinum renidens: atqui Saguntum meum hujus honoris non expers: habet enim Theatrum monti accubans, antiquæ majestatis documentum. Martinus ad hæc risit. At ego paullulum commotus: Si oculis habenda est fides, vera me dicere, non nugas, certo scio. Et licet rem nostratibus pene ignotam tibi narrem, oculata tamen fide certam. Ille vero me intuens: Itane? quod homini obesæ naris vix fieri pote, mihi vis persuasum? Aufer te hinc. Barbarum fortasse isthuc erit ædificium, quod mihi pro Theatro obtrudis. Tum ego oculos meos tangens, conceptissimis verbis me dejeratum ire affirmabam, si ita parva fides mihi esset apud eum: probe enim me scire quid æra, quid lupini interessent, ne pergeret in solem loqui. Martinus autem, ut vidit me id serio ac vero vultu asseverare, rei novitate perculsus, hæsit paulisper, nescio quid secum solus, medius inter credendi temeritatem, & pudorem rejiciendi. Et parce, inquit, mi Emmanuel, quianam errare te, seu verius ridiculi causa jocari credebam, tibi credebam minus. At quoniam serio agimus, dic sodes, amabo te, quanta hæc moles, & quo opere exstructa? Nam licet non sim nesciens Romanorum ibi nonnulla superesse monumenta, seu potius rudera, eo certe nomine ullum exstare, juxta sciebam cum illis qui omnino nesciunt. Tum ego multa garrire institui: & quamvis pingui Minerva, non sine audientis voluptate, atque oblectamento. Ubi desii: rogo te, inquit, quænam in illa vetustissima urbe alia monumenta sunt reliqua? Plura subjeci, & quæ Romanis mirificissima. Nam exstat etiamnum Circi pars non exigua omnium oculis pervia, e regione Theatri. Tum etiam in editiore arcis colle, vetustissimus Zacynthi tumulus: de quo, ut bene nosti, ita lib. I. Silius:

Haud procul Herculei tollunt se litore muri
Clementer crescente jugo, queis nobile nomen
A *Conditus excelso sacravit colle Zacinthus*

Quem (ut paullo inferius ait) Serpens lethali morsu sauciavit.

Inachiumque virum terris prostravit Iberis.

Et quidem incolæ, *serpentis semitam*, locum in agro Saguntino facti de nomine vocant: ubi etiam serpentem lapideum terra pene obrutum jacere affirmant. Extant præterea alia minorum gentium ædificia & sacra & profana urbis dignitatem testantia. Hinc homini immanis ea visendi
B cupido. Incendebam ego. Ad alia mox sermo deflexit: quamquam subinde ad priora illa recurrebat Martinus: quam inde vix revelli, affirmans, oculos advocatos me velle suos, quorum fidei potius, quam meis dictis assentaretur. Sed, ut sunt humana omnia variis rerum casibus obnoxia, & non sæpe homini, quæ lubent, licent, tot domesticæ tricæ ingruere cœperunt, ut ipsum suopte ingenio lustrandis antiquitatibus bene propensum, etiam literis mei invitantis rabiosulis, vix loco potuerim commovere. Venit ad nos tandem uno comite, Vincentio Turresio, communi ami-
C co: cujus opera usus est in metiendo Theatrum ac perscrutando. Et dum opus Martinus describebat, delineabam ego: ut aliquando moles illa ex umbra, quod ajunt, in solem. Reliqua ædificia & inscriptiones, & arcem subcissivis horis percurrebamus, levique pede. Circum enim tenuit aliquantum, miris licet deformatus modis, & altera pene illius parte fluminis impetu dejecta: Cavea denique hortis & fruticetis occupata, cassisque passim interrupta. In summa post aliquot dies, cum nihil esset super, ubi animum & oculos pasceret, abiit a me dictitans, nunquam se melius, postquam in Hispaniam remigraverat, suam
D locasse operam, meaque officia perpetuo sibi fore grata. Haud multis post tempestatibus clarissimi Magistratus Valentini dignatione, nihil non adnitente suavissimo Martino, ego ad eloquentiæ θρόνον evectus, & ille literis ab E celestæ Principe ad se ultro arcessente acceptis, Mantuam propere concessit Carpetanorum, ubi opusculum hocce de Theatro Saguntino ad Illustris. Zondadarium concinnavit. Quod cum icone in membrana perpulchre adumbrata ad Joannem Castelvinium, Bugnolii Comitem, misit. Aderam ego forte fortuna in bibliotheca, quum redditæ sunt literæ, una cum viro integerrimo, ac de re literaria
E optime merito Isidoro Costa, ubi otiosi ab animo, vacuas dabamus aures Baptistæ Coracciano, Mathematices professori doctissimo, qui nos lepidissimis quæstiunculis de Nili origine & incrementis, & de insulis fluitantibus, aspergebat. Ubi resignavit Castelvinius legere cœpit cum incredibili omnium voluptate. Protinus hinc amor, ea venerandæ antiquitatis visere monumenta, & coram perspicere, quæ animo percurrerant. Queis ego quoque ingerebam multa de natura loci, de-

que opportunitate, de majestate, ac firmitudine operis. Querebar subinde, admirandam illam molem, bonarum artium & antiquitatis amatoribus, qui ex nostratibus floruerunt, adhuc intactam. Cum igitur plura inibi super hac re, convenit inter nos, ubi primum per otium liceret, Saguntum profecturos. Tum ad me renidens Castelvinius: Scin quid mihi modo in mentem? quicquid ibi in solum, esse operæ, quum aliquid otii, te literis tradere accuratissime, remque totam latius exornare. Equidem velim bibliophylacium nostrum aliquo tuo munusculo auctum. Hoc certe gratius facere nihil poteris. Cui ego: nihil quicquam boni a me profecto; sed ut ut est nostra dicendi copia, bene est, ut tibi morem geram, cujus caussa omnia facere debeo. Probavit sententiam Isidorus, propriam mihi esse hanc provinciam confirmans. Huic porro ut succineret, Coraccianus adjecit: Hoc unum tibi recipio, mi Emmanuel, quicquid mea studia poterunt huic rei esse adjumento præsto te habiturum. Utere mea opera, imo abutere. Egi homini gratias: ejusque animum in rem literariam laudavi. Quibus dictis, & vale, deficiens abiit dies, & quisque domum.

Iter in quo de Sagunti cunabulis, & interitu.

Aderat jam opportune lux, votisque exspectata, cum bene mane curru vehentes viam corripimus. Cumque bonam partem varius sermo absumsisset, obvius fit oculis summus arcis collis. Et, en, inquit Castelvinius, apparet arx Saguntina, cujus prospectus aurem vellit & admonet, ut ad scopum nostra profectionis collimet nunc demum oratio. Bene mones, ait Coraccianus, & manum prehendens, narra, obsecro, primum omnium quod veterum monumentis de hac urbe proditum est, licet id exiguum, ac rem nobis ordine expedi. Jamdudum enim factum est, quum legi nonnulla; & quamvis memoriæ mandavi, retinere illa tamen noluit. Facere me jubes, quod gestiebam maxime. Sed vereor ne tu, Castelvini, illud mihi occentes:

Humano capiti —— ——

Subrisit Castelvinius, & inquit: imo antequam ad urbis monumenta accedimus, paullo altius primordia repetere, non erit ab re profecto. Quin & viæ molestia narratiunculæ lepida jucunditas nos levabit. Date igitur, inquam, benigne mihi operam, &, quoniam longæ sunt ambages,

—— *summa sequar fastigia rerum.*

Saguntum Hispaniæ nostræ, viris armisque nobilis, urbs vetustissima a Zacynthiis condita fertur, ut ait Livius lib. XXI. Cujus antiquitati cardinem faciunt Strabo lib. III. & Plinius, qui lib. XVI. cap. XL. sic habet ex Bocchi auctoritate: *Et in Hispania Sagunti ajunt templum Dianæ a Zacintho advectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojæ.* Troja autem iterum excissa est, ut ex Glareano, & Genebrardo mire consentientibus deprehendimus annis DCXXXII. ante exortum Romæ. Quam summam etiam Vessius ad Vellejum statuit. Eandemque Solinus cap. II. videtur tenuisse, ut est in codice pervetusto (mitto Servium super hac re in 2. Æneid. cæcutientem.) Unde evincitur plane & probe Saguntum ante Romam extitisse annis DCXXXII. multo ante-

A quam Arcades in Italiam transmigrassent, ut videre est apud Dionysium Halicarnassæum. Quibusdam vero ex nostratibus audiendum magisquam auscultandum, qui faciunt antiquiorem. Silius vero Italicus initio operis Herculem facit Sagunti conditorem. Et in eadem sententia Statius Papinius, qui Herculis nomine hæc in Annibalem, Sylv. IV.

Præcipue quum sacrilegus face miscuit arces
Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti
Polluit —— —— ——

B Sed nihil hæc me movent, qui sublestam esse sciam poetarum fidem, eorumque figmenta in historia locum non habere. Hercules enim multo post Sagunti ortum editus est in lucem. Quod fit propalam ex ejus interitu. Nam cum annorum esset LII. in Monte Æta pyram ascendit, LX. ante annos quam Troja caperetur, ut testatum facit Eusebius ad num. DCCCXXV. & Josephus Scaliger tenet: quod cum ita sit, necessario evincitur Herculem LXI. natum esse annos ante excidium Trojæ, & CXXXIX. post Saguntum conditam. Non sum tamen nesciens Vellejum lib. I. cap. II. aliter sentisse; sed ne in ejus eam sententiam morantur

C me Eusebius, Scaliger, & Boeclerus. Neque negaverim Saguntum ideo poetis Herculeam dictam, quod cum reversus Heros a cæde Gerionæa, ad hanc urbem divertisset, amissumque Zacynthum tumulasset, eam ædificiis ac turri illa præsertim auxerit, sociis nonnullis relictis, tam longa expeditione infractis. Haud absimili ratione Tarentum Virgilio dicitur Herculeum: Silio, Bauli item Herculei, & alia talia poetis solennia. Hic Castelvinius: audivi a viro nobilissimo juxtaque eruditissimo, τῶν Ἡρακλῶν adventum in Hispaniam merum esse veterum somnium.

D Porro hujus nominis primum, quem Tyrium dixerunt, Melicarthum fuisse, sive Archeleum, qui victricibus Josuæ armis patria regnoque Tyrio expulsus, una cum ingenti Phœnicum multitudine, post longæ navigationis ambages erroresque, superato freto, in oceani insulam appulit, in qua urbem condidit, cui sermone patrio nomen indidit Gaddir, Tartessum antea, ut scripsit Sallustius: ac post maxima edita & gnavitatis & fortitudinis exempla rebus humanis functus, ibidemque sepultus, divinos honores adeptus est. Cui ego: rem sane narras ex penitissima antiquitate erutam, & quam nemo adhuc, quod sciam,

E odoratus est. Sed hæc alias præsentiori animo ruminanda. Nunc rursus in viam. Hujus urbis situs sic a Polybio lib. III. describitur. *E montanis quæ Iberiæ ac Celtiberiæ fines contingunt, pes in mare procurrit, in quo sita Saguntinorum urbs est, passus mille ferme a mari.* Fere eadem Livius, qui a Polybio multa. Strabo multo signatius lib. III. *Rursus altero Sucronis ex latere ad Iberi exitum pergenti Saguntus occurrit a Zacinthiis condita: quam Annibal contra Romani populi fœdera diruens, belli Punici Secundi suscitavit incendium.* Nunc autem a mari distat tribus passuum millibus, nihilo quam Plinii ævo id ipsum asserentis. Cujus

F spatii bonam olim partem mœnia occupasse, præter auctores, testantur etiam ædificiorum fundamenta opus in agris facientibus subinde exarata. Primos ejus incolas Zacinthios (a quibus certe nomen urbi inditum) & Ardeates memorant Livius lib. XXI. & Silius. Ego vero, si per vos licet, addam quoque Trojanos ex Dionysio conjectura non absurda petitos, qui ab Hercule patriæ excidio primo captos, ac secum navibus in Hispaniam advectos memorat. Cæterum Saguntini, ut au-

ctor est Livius, *in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ, qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt*, ut facto prælio ad Tagum, quo Carpetanorum Olcadumque opes vehementer afflixerat Annibal, *nemo amplius* (ait Polybius in III.) *ultra Iberum amnem fuerit, Saguntinis exceptis, qui temere contra Carthaginienses attollere oculos auderet*. Eo siquidem pervenerant opulentiæ, ut cæteris Hispaniæ civitatibus, & terrestrium frugum copia, & numero Civium, & fortitudine, peritiaque rei militaris antecelleret. Hæc item ex Polybio. Unde icto Romanis fœdere cum Asdrubale, seu verius renovato, cautum fuit, *ut finis utriusque imperii esset amnis Iberus, Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur*. Ita Livius. Cum autem hi postea (ut ait Plutarchus) se totos Romanis addixissent, initaque Societate, Romani Imperii fidissimi cultores haberentur, nihil opportunius fieri posse constituit Annibal ad eliciendam Romanorum iram, ac incendium, quod sibi optatissimum erat, concitandum, quam Saguntinos armis, belloque lacessere. Tum etiam subit existimare, veritum fuisse, non satis esse tutum, belli inferendi causa Italiam petere, relictis a tergo Saguntinis omnium potentissimis, qui absdubio, se absente, imperium Carthaginiense male firmum in Hispania funditus everterent. Pœnus igitur omnibus Pœnis pœnior ne palam fœdifragus videretur, *in Olcadum fines* (sic Livius) *induxit exercitum, ut non petiisse Saguntinos, sed rerum serie finitimis domitis gentibus, jungendoque, tractus ad id bellum videri posset*. His itaque bellis confectis, Saguntum pervenit, ac, pervastatis passim agris, ad Urbis mœnia militem admovit, magnaque vi oppugnatio cœpta est. At post varios belli casus, & ipse quoque Annibal, dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit, oppidani cum per octo menses obstinatis animis obsidionem ferrent adeo, ut, pro nudata mœnibus patria, corpora ictibus opponerent. Ingravescente igitur in dies periculo, ac nihil auxilii a Romanis apparente, in rabiem versi, postquam suorum visceribus sua viscera non tam sustentarunt, quam misere torserunt, fessi tandem rerum, ingenti rogo publice extructo, alii in eum se suaque omnia superjecerunt: alii inclusi cum conjugibus ac liberis domos super ipsos concremaverunt: alii armati nullum ante finem pugnæ quam morientes fecerunt. Tunc Annibal nihil expectandum ratus, totis viribus aggressus urbem, momento cœpit, signo dato, ut omnes puberes interficerentur. Sed in cædibus vix ullum discrimen ætatis ira fecit. Præda, præter captivos & vestem, non ita ingens fuit, cum omne aurum & argentum tum publicum tum privatum de industria obsessi corrupissent. Sic illa Urbs fide atque ærumnis inclyta concidit, socialis fœderis in omne ævum relinquens maximum documentum. Cujus cladem ac devastationem vel ipsi hostes indigne per quam tulerunt. Polybius enim ex Fabio, *neminem* (ait) *Carthagine, qui quidem aliquo loco esset in Republica, ea probasse, quæ erga Saguntinorum Civitatem fecit Annibal*. Quo anno expugnata urbs fuerit, nihil certum habeo, nam dividiæ sunt inter auctores. Polybius tempora constituit. Livius turbat. Mitte, inquit sub hæc Castelvinius, rem per se nebulosam oppido platonicis numeris obscuriorem, in qua profecto, nisi Deo, quod ajunt, ἀπὸ μηχανῆς tibi opitulante, nihil ego quicquam spero fore, ut invenias bonæ frugis. An nescis inter Chronologos haud facilius unquam, quam inter horologia convenire? Unde recte dixit Petavius impune cuivis in hac re, quod libitum erit, opinari licere, id memini legisse apud Plutarchum, Annibalem nempe exacto XXVI. ætatis suæ anno bellum Saguntinum suscepisse. Teneo quid velis, inquam, ut, diverticulis scilicet relictis, in viam me sistere approperem. Reliquum igitur accipite. Reciperarunt Urbem Romani, ut inquit Livius lib. XXIV. verecundia tacti post annum octavum, Punico præsidio pulso. Et hic, addidit Castelvinius, exorbitat plane Livius, vel locus est egregie corruptus. Itaque mitte mercatoribus omnem supputandi rationem. Mox ego: receptam Urbem Romani cultoribus priscis, quos reliquerat belli vis, & exilio, detritis ingenti clade opibus, præsidium vitæ quærebant, restituerunt. Turdetanos vero, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos, sub corona vendiderunt, Urbemque eorum delevere, vectigalemq; insuper agrum Saguntinis fecerunt, ultione jucundiorem quam fructu, ut tradit Livius lib. XXVIII. Quam igitur exinde rationem hujus Urbis habuerint Romani, liquido docemur legatorum oratione ad Senatum in Capitolio habita, quæ extat apud Livium lib. XXIIX. Narrat tum Cicero pro L. Cornelio, fabros etiam Saguntinos Civitate Romana donatos, quum non temere id fieri solitum. Quod factum vehementer extollit. Et Plinius lib. III. Civium Romanorum oppidum, fide nobile, appellat. Romanos præterea grati animi ergo urbem ædificiis exornasse nobilissimis, docent nos quam plura partim stantia, partim jacentia. Et ne longius quæramus, in hac via, quæ nobis ad usque Saguntum restat conficienda, Romanam videris manum, quibus maximæ fuit curæ vias munire. Qua de re, ut refert Plutarchus in Gracchis, lata fuit lex Sempronia a CajoSempronio Graccho, Trib. pleb. Q. Cæcilio Metello. T. Quintio Flaminio, Coss. Porro hæc provincia a Senatu fuit Censoribus tradita, qui eas sternendas farciendasque locabant. Extat lex apud Tullium III. de legibus. *Censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento: Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor*. In provinciis quoque viæ sternebantur: & sunt in Hispania nonnullæ. Hæc lapidibus passim obtritis, vetustati resistit ac durat. Hujusmodi igitur sermones dum cædimus, ad oppidum accessum est. Et mox e curru desilientes, ad Theatrum pedestri itinere ire pergimus. Quod ubi conspicatus est Coraccianus, ni me fallit opinio, licet nunquam antea a me visam, molem illam, Theatrum esse existimo. Quidnam tibi videtur, Castelvini? Te, inquit, rem ipsam tetigisse. Et ad me conversus, numnam lapides nos loquimur? Nihil sane minus, inquam, imo solidas Veneris Veneres, ac meras delicias. Sed opportunum locum capiamus, ut singula commode persequi possimus.

De Theatri Antiquitate.

COmmodum in ipsis Scenæ ruinis sic temere consederamus, quum Coraccianus tantæ molis aspectu defixus, in hæc verba prorupit: æternæ profecto opus firmitudinis, ac seculis duraturum innumerabilibus! quod equidem a tot annis nec hominum incuria, nec temporum injuria potuit deterere, tametsi deformaverit. Nondum hæc fuerat pene proloquutus, quum nobis fit obviam ex alterius versuræ ruinis egressus juvenis quidam sordida amictus tunica, ac detrita penula male subornatus, pedore olidus, cætera plane Scholasticus, &, ut postea comperire fuit, solidus ineptiarum thesaurus. Qui ubi sat comiter nos jus-

ſit ſalvere, vix reſalutatus, rogare cœpit curioſius adventus noſtri cauſſam. Subriſi ego Urbanitate tam ſtulta delectatus. Et quia, inquam, ſi dixerim, hic animi cauſſa conſediſſe nos? Hæſit ille tam aliena pronunciatione fulminatus. Et mox: obſervatum hæc vos antiquitatis monumenta credebam huc petere: qua in re haud inepta mea opera, qui vetuſtatis rebus eruendis, hiſtoriiſque perdiſcendis a nonnullis menſibus totum me addixi. Et cum hac mihi eſſet iter, committendum non duxi, quin inviſerem hoc amphitheatrum, & multa mihi notarem ad meum inſtitutum facientia. Non tenuit riſum Caſtelvinius. Et apparet, inquit, ſatis, recte callere te antiquariam vel illo uno verbo. Non enim cuique in proclivi eſt ſcire quidnam ſit amphitheatrum. Hoc quidem nihil eſt, inquit ille, præ aliis mox quæ dabo. Igitur ſi tibi otium eſt, inquit Coraccianus, ab re tua, ne graveris, amabo, molem hanc nobiſcum una luſtrare. Sed primum qui tu homo ſis, averem abs te ſcire. Philoſophus, inquit, ſum ego, Cynicum alii, alii Cimicum, verum ob diſputandi acumen morologum me omnes vocant. Ædepol, inquit Caſtelvinius ad me converſus, nugatorem lepidum lepide nacti ſumus. Et ad illum intuens, quam putas vetuſtatem habere ædificium hocce? Ille autem, quaſi nil extra eſſet in nuce duri, id hercle ego tam compertum habeo quam me eſſe marem. Nam apud auctorem legi, qui ab hinc annos ſcripſit ſeptem ſupra nonaginta, jam tum a MDCCC. annis fuiſſe extructum. Unde liquido patet ejus antiquitatem eſſe MCMVII. annorum. Comploſit ad hæc manus cum riſu Caſtelvinius, & o hominem, inquit, Venere ipſa venuſtiorem! Rogo te, jocone id dixti, an ſerio? Ergo ad ſuperiora illa tempora, reſpondit, & florentiſſimam Saguntinorum Urbem referendum? Hui, mox ego, quanto longius ab ſcopo abiiſti mi homo! Itane? adjecit ille rubore ſuffuſus: atqui ego Scolanum Scholaſticus ſequutus ſum noſtratem. Scin quem? Date mihi paullulum, ac faciam actutum ut ſis ſciens. Ludos ſcenicos ex Icario Atticæ pago ortum traxiſſe memoriæ prodidit Athenæus, Lib. III. Quos Theſeus poſtea una cum cultoribus Athenas contulit, ibique actitari ſoliti: paullo poſt excultiores in Theatro primum ſublicibus ſubſtructo exhibiti, *antequam* (ut ait Joſephus Scaliger) *θεάτρον τὸ ἐν Διονύσῳ conſtructum fuiſſet*. Cujus ſtructuræ neceſſitas videtur iniiſſe rationem. Principio enim cum in locis patentibus ſpectarent veteres, ne alii aliis (ut inquit Julius Scaliger in Poetica) eſſent impedimento, aggeſtis ceſpitibus editiorem locum a tergo ſibi parabant, ut conjicere eſt ex divino Vate, lib. V.

Proximus ut viridante toro conſederat herbæ.

Et Ovidius apertius docet:

In gradibus ſedit populus de ceſpite factis.

Porro ante uſum Theatrorum Theſpis primus tanquam ambulatorium Theatrum commentus eſt. Tectis enim vehiculis in ædicularum modum, in iis fabulas egit, atque agendas circumvexit. Quod expreſſit Horatius in arte:

Dicitur & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Ex quibus plauſtris actores ſcommata & dicteria in obvios quoſque jaciebant, ut riſum cierent. Unde natum eſt proverbiolum; *e plauſtro loqui*. Apud Romanos vero, accitis ex Hetruria ludionibus, Religionis ergo, acti ſunt primum anno ab U. C. trecenteſimo nonageſimo primo, T. Sulpicio Petico, C. Lucinio Stolone Coſſ. Poſtea edi cœperunt publicitus accurantibus ædilibus curulibus. Theatrum autem & proſcenium (temporarium puta) Æmilius Lepidus ex pecunia attributa ad Apollinis ædem fecit. Deinde invaleſcente cum opibus luxuria; cum Theatrum a cenſoribus locatum extrueretur P. Cornelio Naſica auctore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus ex S. C. deſtructum eſt. Tum etiam (ut tradit Valerius Maximus) omnem apparatum operis eorum ſubjectum haſtæ venire placuit. Atque etiam S. C. cautum eſt, ne quis in Urbe, propiuſve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedenſve ludos ſpectare vellet: ut ſcilicet remiſſioni animorum juncta ſtandi virilitas propria Romanæ gentis nota eſſet. Quod factum poſt ſecundum bellum punicum. Theatrales vero artes apparatu Græcanico in Urbem primum invexiſſe L. Mummium poſt triumphum, docet nos lib. XIV. An. Tacitus. Hujuſmodi autem Theatra temporaria fieri, a Senatu vetita Tiberii ævo. Cujus rei cauſa fuit Theatrum, quod apud Fidenas memorabili caſu quinquaginta hominum millibus debilitatis vel obtritis, corruit. Hæc Tacitus IV. Annalium. Sed miſſa iſthæc facio, ut ad Pompejanas ædes temperius veniam. Qui quidem Pompejus primus dicitur manſuram Theatri ſedem poſuiſſe; anno DCXCIX. ab U. C. Cui Veneris templum adjecit, veritus (ut ſcribit Tertullianus in de ſpectaculis) *quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem... & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, ſed Veneris Templum nuncupavit: cui ſubjecimus*, inquit, gradus ſpectaculorum. Cujus Theatri ea fuit amplitudo, ut hic Magnus, eo nomine major audiret. Siquidem, ut ait Scaliger P. XL. hominum millia capiebat. Scaliger autem F. in Auſonianis lectionibus aliter cenſet: ait enim: *Gallius, cujus meminit, eſt is Q. Gallius, qui præturæ candidatus cum eſſet, quia in ædilitate ſua, quam ante annum geſſerat, beſtias non habuiſſet, gladiatorium munus dedit, cum hoc titulo, ſe patr. hoc dare. Non dubium igitur in ea ædilitate Theatrum ſaxeum extruxiſſe*. Quo certe loco Scaliger non fuit Scaliger. Quippe ex ipſa verſuum interpunctione (quam ego, ut veram liberali aſſero cauſa manu) contrarium evincitur plane & probe. Sic Auſonius in ludo Sept. Sapient.

Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat
Subito excitatam, nulla mole ſaxea.
Murena ſic, & Gallius. nota eloquar.
Poſtquam potentes —— —— ——

Et qui infra verſus de Pompejo, Ballo, & Octaviano aperte loquuntur. C. item Tacitum a noſtris partibus ſtare quis negabit, lib. An. XIX. cum dicat: Pompejum accuſatum a ſenioribus, quod manſuram Theatri ſedem poſuiſſet. Nam antea ſubitariis gradibus, & ſcena ad tempus ſtructa ludos edi ſolitos. Tantum eſt quod auſim appingere in eum virum, qui nihil plane videbatur neſcire. Sed

—— quandoque bonus dormitat Homerus.

Id porro operis quibus avibus a Pompejo ſit poſitum in promtu eſt. Nam ſub Tiberio incenſum fuiſſe auctor eſt Euſebius Chr. ejuſque reſtitutionem imperfectam reliquiſſe eundem Tiberium, memorat Suetonius, Caligulam abſolviſſe, mox Claudium, quod ambuſtum reſtituerat, dedicaſſe. Ejus ſcenam dirutam tradit A. Gellius. Curam denique ejuſdem

jusdem reficiendi a Theodorico, Gotthorum Rege, Symmacho fuisse demandatam, docet Cassiodorius. Nunc ad alia theatra accedamus grandiori gradu, qui Pompejanum, diu mansurum, myrmice percurrimus. Suetonius in Augusto duo item alia commemorat: alterum ab ipso Cæsare exstructum, quod ex nomine Marcelli, Octavia ipsius sorore geniti appellatum voluit. Alterum a Cornelio Balbo. Et hæc quidem sunt tria illa Theatra effusissimo studio a Romanis frequentata, & Scriptorum monumentis posteritati prodita. An, inquit Corracianus, Theatra hæc tria sunt illa, quæ haud procul campum Martium statuit Strabo lib. v.? Equidem ego, inquam, crediderim. Claruit enim Strabo Augusti & Tiberii ævo. Quo tempore alia fuisse Romæ Theatra non video, præter Statilii Tauri amphitheatrum. Quod fortasse, quod eodem loco memorat Strabo. Subit tamen legisse, Marcelli Theatrum Regione urbis nona fuisse triginta millium locorum capax. Ut ut tamen se res habet, hinc voluptates illæ Theatrales per totum Imperium effluxere:& quod Roma eximium habebat positis hujusmodi molibus,exteræ nationes Romanorum beneficio obtinuerunt.Hoc tempore Herodes Hierosolymis Cæsari Augusto Theatrum pulcherrime exornatum extruxisse, narrat Josephus XV. antiquitatum. In Gallia Theatrum in saxo excavatum, quod est, publici juris fecit Lipsius. Apud Brissonium inscriptionem videre est cujusdam Theatri in Betica. Amphitheatrum etiamnum extare dicitur Tarracone, & alibi alia. De hoc autem Saguntino in uno Mario Aretio, Dialogo qui inscribitur Calipho, in extremo hæc legisse memini: *A Valentia autem Saguntum haud procul a mari civium Romanorum oppidum, nunc Murriedro, ubi Theatrum cum scena, cui nihil deest,ac plura etiam antiquitatis vestigia,quæ imaginem quandam vetustatis ostendunt*. In scena auctoris nomen olim inscribi solitum, ut apud Dionem in Claudio, & A. Gellium, lib. X. c. I. observavi. Cum autem ex hoc nostro scena perierit, & temporis, & auctoris præter inanissimum desiderium restat nihil. Hoc unum affirmare ausim, ante Pompeii ætatem, si Græciam excipimus, Theatra hæc saxea in usu non fuisse, tam est clarum, quam tempestas esse solet, quum sudum est. Nunc vero ad alia. Et quoniam periculum est, ne veluti casus parietem palpans, aliquo graviter impingam, quando inter hosce ruderum acervos pedem intuli, attollesis, Coracciane, Martini nostri facem, ac prælucentis officio fungere. Continget sane ejus præsidio ne cespitare quidem. Habesne quod addas, Morologe? Habeo hercle, inquit. Et vix usque adeo id potui continere. Ecquis locus hic ludis scenicis? Bestiariorum potius, ut voluit meus auctor.Et de his quidem multa in Agiobiographis. Martyres enim ad bestias olim damnatos, quis non legit? Quis non illud? *Christianus ad Leonem*. Amamus te multum de ista eruditione, Morologe, inquam, quiesce, & sodalem meum audi legentem.

De situ, & opportunitate Theatri Saguntini.

Theatrum Saguntinum &c. p. 393.

ETsi nihil aliud de situ & opportunitate hujus Theatri in medium afferrem præter similitudinem quam refert Theatrum Atheniense, haud equidem me publici saporis narrare crediderim, & quæ huic nostro non sit maximo ornamento. Primum omnium inter oppidum & arcem locum medium occupat, ut videtis, Theatrum ad Septentriones vergens. Quem similem locum obtinet Atheniense, & eandem cœli plagam spectat. Unde ad illius exemplar vetustissimi a Lycurgo, Lycophronis filio absoluti, hoc nostrum fuisse conformatum, parum abest ut mihi persuadeam. *In vertice* (inquit Pausanias in Atticis) *Theatri antrum est in rupibus sub arce*. Antrum autem illud est, in quo Græusæ, Erechthei filiæ, Apollo vim intulit, cujus rupes aquilonem spectant, ut deprehendi ex Euripide in Jone.

—— —— οἶδα Κεκροπίας πέτρας
Πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν;

—— —— nosti Cecropias rupes
Septentrionale antrum, quas Macras vocamus?

Urbs autem Athenarum deorsum vorsum est ad æquiora loca, inter quam & arcem situm est Theatrum. Quod equidem cum in summitate rupes habeat aquiloni oppositas, ipsum quoque ad septentriones vergat oportet.Quæ omnia aperte perquam in hoc Theatro, una cum Rupibus in ejus vertice arcis murum sustinentibus, æque mecum videtis. Quin & antrum est quoque sub ipsis saxis, quod, quia virgultis rubisque obseptum est, nisi cominus & ex propinquo prospectu satis non patet. Denique inter Atheniense Theatrum & arcem Calum memorat Pausanias sepultum; quem Dædalus sororis filium occidit. Sub hisce item arcis rupibus fuit quidam sepultus magni, ut apparet, nominis Hebræus. Quod testatum faciunt lapis sepulcralis unus superstes, literis Hebræis scalptus plane abiturientibus, & alter præruptus ac dejectus in fornice illo superiore Theatri, in quo etiam visuntur ejusmodi characteres quinque numero elegantissimi. Quos ab hinc annis CCXVII. legit Moses Ben-Schem Tob. Et ne vobis imponant scriptores qui id figmentum putum putant, faciam ut vestris vos oculis tangatis ambos. Adde, inquit, ad hæc, Morologus, ex meo auctore Salomonis servi fuisse Hebræi bustum. Sit per me licet, ego nihil moror hominis affanias. Examussim hercle respondent hæc omnia, inquit Coraccianus, iis quæ de Theatro Atheniensi prodita sunt, adeo ut lac lacti similius non sit. Quo igitur consilio, subjeci, Græcos illos sapientissimos reputas eum locum Theatro excitando delegisse? mox ille: ut fuere olim alia eorum facta, optime quidem. Qua de causa hujus nostri situs & opportunitas mihi vehementer probatur, quod illius adinstar factum est. Atque adeo, quod maximum est, quia illius urbis cœlum ad eandem mundi inclinationem est collocatum, ad quam Saguntinum constitutum est.Nam in una quaque regione, ubi excitantur ædificia, animadverti primum debet (ut Vitruvii verbis loquar) mundi inclinationes, cœlique varietates. Athenæ porro a terra impetus habent aquilonares, meridionales a mari, quos Saguntum habet ipsissimos. Accipe igitur nunc sis, inquam, hujusmodi consilii caussas. Saluberrimo loco situm est Theatrum, quod in primis necessarium. Et præter salubritatem, oculorum etiam oblectamento consultum est. Siquidem ex hoc superiore loco prospectus patet subjectæ vallis jucundissimus. Hujus vallis meminit Livius lib. XXI. ait enim: *Angulus muri erat in planiorem patentioremque quam cætera, circa vallem vergens*. Quem locum primum oppugnare aggressus est Annibal. Et ea est vallis felicitas, ut suo omnis amœnitatis ornamento nunquam spoliata æternum viridarium videatur. Adde quod, *ager horum* (ut testimonio, Polybius in III.) *omnibus abundat fructibus, iisque longe melioribus*

quam in ulla alia parte Hiſpaniæ reperiantur. Irriguus porro totus fluvii præterlabentis beneficio, qui antea paullo remotior a ſuburbiis fluebat. Quod ex ruinis colligitur pontis Romanæ ſtructuræ in ulteriore ripa ſuperſtitibus. De fluvii nomine ὐδὲν in præſentia ὁριζειν eſt animus. Satis rixati ſunt Scriptores

——— ——— ——— *& adhuc ſub judice lis eſt*.

Maris inſuper aſpectus gratiſſimus, in cujus litore, quod nempe e regione eſt, ſub undis latent adhuc ruinæ molis vetuſtiſſimæ, quæ objectu ſuo tutam reddebat male fidam ſtationem. Sed in viam rediens, cur Septentriones ſpectet Theatrum, vellem abs te ſcire, Coracciane. Mox ille: caviſſe, inquit, veteres maxime, ne in eas partes ædificia proſpectarent, ex quibus ventus gravior afflare ſoleret, ex Varrone & aliis deprehendimus. Nam cum ſalubritas præcipue ab aeris conſtitutione proveniat, neceſſario ad eam cœli regionem patere debent, ex qua flat aura innocentior. Itaque duobus hiſce ventis perflatur Theatrum, aquilone, ventorum quantum eſt ſalubertimo, teſte Plinio, & flatibus eois a Varrone illaudatis. Quos merito vocat Martinus *Vitales auras*. In Theatrum autem cum convenirent Cives, animi voluptatiſque cauſſa, ſalubritatis præſertim ineunda erat ratio. Salubritas enim ubi non eſt, incommoda voluptas & noxia eſt, & ad orcum hercle tranſigenda, cum ſit mera vitæ ſpectantium alea. Rationem affert Martinus ex Vitruvio, quam audiſtis; eandem ego colligo ex Tertulliano In De Spectaculis, ubi ait: *Omne enim ſpectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt: nemo ad voluptatem venit ſine adfectu, nemo adfectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt adfectus: cæterum ſi ceſſat adfectus nulla eſt voluptas.* Unde ſi in hujuſmodi animorum commotione inciderit gravior ſpiritus, non animam, ſed peſtem haurirent corpora in ſui perniciem. Quod autem in edito loco ſit poſitum, eodem pertinet. Nam ut ſcripſit Varro: *quæ ad planiciem loca, quod graviora, magis inſalubria, montana contra, quod leviora, & ideo ſalubriora.* Tum ut ſi quicquam gravius inferebatur, facilius diſcuteretur. Tum etiam quia locus ſubſtructionibus faciundis apprime erat idoneus, & minori emolumento opus excitabatur. Docet hoc Vitruvius, dicens: *fundamentorum autem, ſi in montibus fuerit, facilior erit ratio*. Unde nonnulla Theatra in montibus fuiſſe conſtructa, liberis proditum eſt, illud inprimis a D. Julio Tarpejo monti accubans, ut cum Tranquillo loquar. Præterea *Auſtro & flatibus occiduis objectu montis defenditur*. Quod egregie obſervavit Martinus. Auſter enim & humidus eſt, & nebuloſus. Unde Græcis νότος dictus: & ſalubritati infeſtus & noxius. Ideo a Vitruvio Urbis Mytilenes ſitus improbatur. Ait enim: *Auſter cum flat, homines ægrotant, cum Corus, tuſſiunt, cum Septentrio, reſtituuntur in ſanitatem.* Qui etiam tanta pollet malignitate, ut vel plantis afferat perniciem, quod nos docent Maro, & Papinius. Nec mari parcit, ſiquidem eo flante, ut tradit Ariſtoteles in natural. quæſt. majores concitantur fluctus. Qui vero ab occaſu perflat, quod in hiſce regionibus perurenti ſuo flatu nos maxime infeſtat, montis oppoſitu merito arcetur, eademque opera ſolis impetus vitatur, quod præcipue cavendum docet Martinus ex Vitruvio. Sol enim flammea vertigine illa ac rotatione officit vehementer locis circumclauſis. Idcirco monet Vitruvius lib. I. cap. 4. ut mœnia ſint ſalubria, ſi ſecundum mare erunt, ne ſpectent ad meridiem aut ad occidentem. Et affert cauſam: *Quia per æſtatem*, inquit,

A *Cœlum meridianum ſole exoriente caleſcit, meridie ardet. Item, quod ſpectat ad occidentem, ſole exorto, tepeſcit, meridie calet, veſpere fervet*, qua de cauſa ſole torrente cuncta, ac ſorbente, fervidiſque vaporibus exſugente, etiam in locis ſalubribus, ut ait Vitruvius, omnia corpora fiunt imbecilla. Favet multum montis natura. Nam Theatri formam quodammodo referens a nocentibus non modo flatibus molem reddit tutam, eam curvatura ſua complexus, verum etiam a ſole meridiano, & occidente, unde gravius proveniret incommodum. Et ne, ſi in ima valle eſſet poſita, ad ſalubres perflatus minus pateret, & aquarum B decurſibus magis eſſet obnoxia, ſi propius animum advertitis, in altera hujus valliculæ ripa editiore incubare deprehenderis. Quam autem curioſe locus Theatro ſit electus, breviter expoſui, digitum intendiſſe, ſatis eſſe putans, in re adeo perſpicua. Sed multo tamen de loci conſonantia (quod nonnulli ſunt loci naturaliter impedientes vocis motus, ut ait Vitruvius) reſtat ut dicam. Itaque arrectis auribus veſtram operam meo ſermoni datam volo, dum ego tanquam canis e Nilo, quam citiſſime rem per ſe ſatis obſcuram percurro. Diſertiſſimus Martinus uno verbo expreſſit omnia τὸ συνηχουῦ. ſuopte ingenio, ac natura loci compara- C tum habere Theatrum hoc ſcilicet, quod præſcripſit Vitruvius lib. V. c. VIII. his verbis: *Diligentius eſt animadvertendum, ut ſit electus locus, in quo leniter applicet ſe vox, neque repulſa reſiliens incertas auribus referat ſignificationes*, quem locum vocat ibidem *conſonantem*. Latius autem & philoſophice iſtud quidem perſequitur idem author cap. III. cujus verba uti ſunt concepta ſubjicere, commodum viſum eſt. Ait enim: *Etiam diligenter eſt animadvertendum, ne ſit locus ſurdus, ſed ut in eo vox quam clariſſime vagari poſſit: hoc vero fieri ita poterit, ſi locus electus fuerit, ubi non impediatur re-* D *ſonantia, vox autem eſt ſpiritus fluens, & aeris ictu ſenſibilis auditui. Ea movetur circulorum rotundationibus infinitis: ut ſi inſtantem aquam lapide immiſſo* naſcantur *innumerabiles undarum circuli creſcentes a centro, & quam latiſſime poſſunt vagantes*. Et paullo inferius: *Igitur ut in aqua undarum deſignationibus, ita in voce, cum offenſio nulla priorem interpellaverit, non diſturbat ſecundam, nec inſequentes, ſed omnes ſine reſonantia perveniunt ad imorum & ſummorum aures.* Quod licet beneficio graduum ad architectonices menſuram ſurgentium comparatur, ipſa tamen opportunitas loci eligenda multum ſuapte natura ju- E vabit, ut vox intenta ingrediatur ad aures ſpectaculorum diſcreta verborum claritate, hac etiam de cauſa, inquit Coraccianus, ad Septemtriones ſpectans videtur extructum. Nam Hippocrates III. Aphoriſmorum, impetus ab ea parte non ut ſalubriores modo laudat, verum etiam quod bene audientia faciunt corpora: e contrario Auſtrales docet auditum obtundere atque hebetare. Unde Vitruvius haud immerito commendat in locorum electione diligentem animadverſionem ad vocis utilitatem. Quæ vero Theatra vel vitio loci, vel artificii, minus diſertam reddebant vocem, ſurda dicebantur, ut colligo ex Varrone in VIII. de LL. memorat item F Galenus in methodo κωφὸν θέατρον. Theatri porro cum bonam partem ſibi vendicaret muſica, ut ait Julius Pollux lib. IV. cap. XIX. ἐπὶ δὲ καὶ τὸ θέατρον ὐμικρὸν μέρος ἐςὶ τῆς μυσικῶν, accuratiſſime providendum erat, ne locus ipſe vocem devoraret, ſed eam redderet vegetiorem ſuavioremque. Quod ſane fiebat adjumento vaſorum æneorum ad muſicam modulationem conflatorum, certiſque Theatri locis locatorum, ut docet Vitruvius per totum caput V. Quo exeunte ſic habet: *Auctorem*

habemus L. Mummium, qui diruto Theatro Corinthiorum, ejus ænea Romam deportavit, & de manubiis ad ædem Lunæ dedicavit. Tum etiam solertes architectos, qui in oppidis non magnis Theatra constituerunt, propter inopiam, fictilibus doliis perfecisse utilissimos effectus, idem asserit. De his doliis, inquit Salmasius, intelligendus Seneca: *Quomodo in Dolio cantantis vox per totum cum quadam discutione percurrit, ac resonat, & tam leviter mota, tamen circuit non sine tactu ejus tumultus, quo inclusa est.* De quibus videndus item Plinius ad lib. XI. cap. LI. Parce, inquam ego, Coracciane, nihil hæc, ut ajunt, ad Bacchum. In hoc enim nostro nec vestigium doliorum nec vota: nec locus ullus apparet vacuus in cornibus Theatri, in media præcinctione, nec alibi: omnia sunt solidata ac solida, cellæ illæ Vitruvianæ nusquam. Supervacaneum plane esset in adjumentum ac nihil profuturum, cum rupes ipsæ sint vocales haud secus ac Phæbi chordæ: imo πεντάφωνα, unde Plinio cap. XV. lib. XXXVI. mihi fides, & Lucretio dicenti.

Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces.
Unam cum jaceres &c.

Verum ut per occasionem dicam verius, in extrema arce, quæ e regione est, ad orientem spectans locus est τρίφωνος, vocemque veluti lingua volubiliore pronunciatam reddit. Quod longe clarius deprehenditur, si tuba militaris insonuerit. Redditur enim sonus robustior quam sit emissus: secundo demissior paullo, tertio quasi per gradus audies imbecilliorem. Hui me pene præterierat id fieri, si adstans tubicen canat ad saxa quædam post molem Romanam quadrato saxo templi formam referentem, in media arcis area constitutam, cujus exstant adhuc pulcherrimæ structuræ non obscura indicia. Qua de re qui addubitaverit, eum porro ego jubeo tubicinem conducere, & experimento comprobare. Tu interim, quoniam tibi meam locavi operam, dato mihi vicissim tuam, Age, quæso, translege.


De Structura Theatri ab orchestra.

Ejus igitur hemicycli ambitus &c. p. 394.

EO loci ventum est, mi Coracciane, ubi tua rursus opera opus est maxime; fac sis promissa appareant, ut & communi omnium opinioni satisfacias, & meas partes tantisper sublevcs. En tibi provinciam trado & copias omnes. Vide ne quid detrimenti capiat respublica. Equum, inquit Castelvinius, provocas in planiciem, & ad Coraccianum conversus, tuarum porro est partium architectonicen exponere, qui Mathematices Professor in nostra Academia cluis: cui Coraccianus: faciam id quidem ac lubens. Sed quoniam hæc mihi provincia decreta est, ut ejus rationes facilius possim explicare, legatum etiam vellem in eam mecum proficisci, qui mihi det operas vicarias Imperatori. Etsi mei arbitrii fuat, quam te mallem neminem, quem hujus disciplinæ habemus studiosissimum. Bene, inquam, optas Coracciane, move ergo te ocyus, & cum tuo legato pergesis in provinciam ire. Vix hæc dixeram, quum sublatis anchoris in media orchestra nos sistimus, & infit Coraccianus: Ambitum primum omnium in theatri structura appinxit Martinus, juxta illud Architectonis: *ipsius autem theatri conformatio sic est facienda, ut quam magna futura est perimetros imi, &c.* Qua in re hoc mihi velim uti verissimum vos credere, quod ait Lipsius cap. IIX. de Amphitheatro: *Theatrum non justi hemicycli forma, sed amplius diametri quarta parte fuit: uti etiam nunc ostendit figura reliqua theatri Marcellæi, ex integro enim circuli ambitu quartam partem si abscindis, quod majus ejus reliquum est, scito theatrum id fuisse.* Quod innuit Calpurnius dicens:

Et geminis medium se molibus
Alligat ovum.

Et est id egregie consonum Vitruvianæ regulæ: ait enim cap. VI. lib. I. per trigona paribus lateribus conformandum esse theatrum. Quod trigonum, non quidem semicirculi speciem, sed ovatam potius, seu quasi ovatam parit. Non tamen possum non admirari Lipsii lapsum in altera parte ejus sententiæ. Siquidem cum theatrum amplius habeat quarta diametri parte ultra hemicyclum, quod de ambitu debet abscindi, non est profecto pars quarta, sed tertia, ita ut cum conformetur theatrum hemicyclo, quarta diametri parte majus, nequaquam ambitus pars quarta potest abscindi, sed tertia, quæ diametri quartæ parti respondet. Aliud enim est mensuræ genus, diametri pars quarta, aliud sane diversum ambitus.



Et quidem ut fiat oculis satis in ipso orchestræ pulvere rem vobis demonstratam exhibeo, ne ullus sit reliquus ambigendi locus. Fortasse, inquit Castelvinius, agit eo loco Lipsius de Theatro Græcanico, quod conformabatur per inscriptionem tetragoni, & sic de toto ambitu demebatur pars quarta. Abi hinc sis, Castelvini, cum hisce nugis, inquit Coraccianus, quasi nescias de Marcellæo illum egisse, & mox: Ovatam fuisse formam theatri etiam ex hoc nostro deprehenditur: cum enim habeat ambitus DLXIV. spithamas, diametri vero CCCXXX. necessario evincitur, non esse justi hemicycli formam, sed ovatam. Nam si esset semicirculus perfectus, dimetiens esset profecto, juxta Archimedis doctrinam, paullo amplius CCCLVIII. spithamarum, quod mensuræ genus respondet DLXIV. spithamis ejus ambitus. Martinum autem, nullus dubito, ædificium adeo deformatum haud facile potuisse exactius metiri, ita ut responderent ejus mensuræ genera regulis mathematicis. Sed hæc quidem levis armaturæ: præsertim cum tota illa versura funditus corruerit; sinistræ vero alterius, vix aliqua pars superstes. Hæc nos breviter quæ in nostra penu habuimus. Si cui erunt meliora, proferat, & gratiam inibit. Reliquum vero a me relinquitur, Emmanuel, ut tibi sit integrum, veluti in tuo Regno, manum applicare. Nondum pene desierat, quum ego pro re, inquam, bene gesta, triumphum tibi tuoque Theseo decernendum curabitur, ubi aderit frequens senatus in orchestra. Interea tamen vestram aurium operam mihi loca-

A tam volo, dum reliqua illustrare pergo. Sed antequam singula attingo, bene est, meminisse vos theatrumGræcum & Latinum in multis circa structuram, atque usum inter se differre, in multis convenire. Docent id nos Vitruvius, & Pollux. Tum hoc Saguntinum nec Vitruvianis præceptis, neque aliorum theatrorum conformationibus respondere, fiet palam in sermonis decursu. Neque mirum id quidem. Philander enim summus ille architectus id ipsum sibi notavit in Marcelli theatro, quod paullo aliter exstructum est, ac illud quod est Polæ in Dalmatia. Quam exstruendi differentiam idem Vitruvius innuit lib. v. cap. VII. B Hisce breviter præjactis ab orchestra ordiamur expositionem, unde Martinus, uti ab imo solo, ac totius operis centro opus suum instituit architectorum ritu. Græcis orchestra saltationibus erat comparata, gesticulationibusque, ut scripsit Pollux lib. IV. cap. XIX. ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ. Quapropter in Græco theatro pulpitum contractius, latior patebat orchestra, quod in ea scenici suas perficiebant actiones, præter tragicos, & comicos, quibus destinata erat scena, ut idem autor refert: καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον. Apud Romanos vero longe alius fuit usus, ut docet inprimis Vitruvius lib. v. cap. VI. *In orchestra autem* (ait) C *senatorum sunt sedibus loca distantia*. Honestissimus enim ordo subselliis positis in orchestra spectabat, quod item docet Juvenalis Satyra VII.

Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Per initium, ut narrat Valerius Maximus lib. II. cap. IV in promiscuo spectatum est. En ejus verba: *Per quingentos autem, & quinquaginta octo annos senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Atilius Sarranus & L. Scribonius Ædiles ludos matri deum facientes, superioris* D *Africani sententiam sequuti, discretis senatus & populi locis solverunt, eaque res avertit vulgi animum & favorem Scipionis magnopere quassavit*. Quam legem Pædianus memorat latam post septimum annum quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax, cum iterum esset Consul Africanus. Sed ea fuit per totum illud tempus retroactum populi Romani moderatio, ut cum a condita urbe (ait idem Maximus lib. IV. cap II.) *usque ad Africanum & Tib. Longum Consules, promiscuus senatui & populo spectandorum ludorum locus esset: nunquam tamen quisquam ex plebe ante P.C. in Theatro spectare sustinuit. Adeo circumspecta* E *nostræ Civitatis verecundia fuit*. Locum autem senatoribus tum datum, orchestram fuisse narrat Alexander Neapolit. lib. V. dierum genialium c. XVI. *Quo tempore* (ait) *præcipue loca in orchestra senatoribus data sunt*. Haud absimilis honos senatoribus Græcis habitus est. Nam licet orchestra saltationibus esset destinata, tamen alius locus secretus a populo datus est. Docet id Poll. lib. IV. c. XIX. his verbis: ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου: quem locum (ait Aristophanis Scholiastes in avibus) in Theatro senatoribus attributum. Sedebat in ipsa orchestra loco supra alios honestiore, Prætor, F qui ut plurimum edebat ludos; posterioribus vero temporibus, in quibus Roma desiit esse libera, princeps, sic apparet ex Augusti epistola ad Liviam: *in prima fronte spectaculorum*. Sic ex Tranquillo, qui inter alios honores Cæsari delatos meminit: *Suggestum in orchestra*. Hunc locum Cicero in Antonium vocavit *fastigium*, Græcis ὀρανίσκον: de cujus structura videndus Athenæus lib. XII. Absentibus quoque, & vita functis ponebantur sellæ curules honoris ergo, ut prodit Tacit. lib. II. Ann. Dio. lib. LIII. & alibi. Uti positæ Tiberio & Sejano, ut idem auctor lib. LXIII. docet, & si paullo altius rem repetimus, non is honos tantum hominibus magnis habitus, sed etiam eorum posteris. Livius lib. II. de Valerio Dictatore: *Dictator in urbem invehitur, super solitos honores, locus in circo ipsi posterisque ad spectaculum datur, sella in eo curulis posita*. (ea namque tempestate ludicra scenæ nondum Romana urbe denata) cæterum illud succurrit, quod vos velim admonitos: apud Scriptores Theatri nomine quemcunque spectaculis locum destinatum venire, etymologia abutentes. Idcirco si aliquando diversa spectacula confuderim, mihi ignoscendum, æquum existimo. Hoc denique loci locum habuisse majorem potestatem asserit Martinus, vestigiis hisce, quæ hic videtis, paullulum a solo prominentibus prosequutus fabricæ rationem. Medium id erat podium, cujus en adhuc ruinæ. Addubitavit olim Martinus, quod fuit in causa, ut id monumenti silentio pene præteriret. Ego vero nonnullis post diebus, avulsis ruderibus, repurgatoque loco, hæc quæ videtis podii vestigia erui, haud ferens nobiliorem orchestræ partem in oblivionis acervo jacere. Quadrat structura cum Philandri verbis, qui podium *in fronte scenæ* ponit. Verum, ut per occasionem dicam, torsit me diu hujusce podii conformatio: missisque ultro citroque literis cum Martino multum digladiatus sum: in causa fuit locus Suetonii in Augusto, qui Vestales sedisse directe scripsit *contra prætoris tribunal*. Nam si Podium in fronte scenæ fuit recto ductu, qui, quæso, si prætor in fronte scenæ, Virgines contra prætoris tribunal? Podium enim orchestra claudebat: ergo *juxta prætoris tribunal* rescribendum, non *contra*. Sic Martinus. Sed an id ferendum, viderint sapientiores. In amphitheatro id sane locum habere sciunt pueri, & tonsores. Siquidem in orbem excurrebat Podium. Qua ratione ductus Martinus sic fecit medicinam Suetonio: *Virginibus Vestalibus locum in Amphitheatro separatim, & contra prætoris tribunal dedit*. Ego vero non minus audacter factum existimo, scribi a Martino *in amphitheatro* pro *Theatro* Suetonii, quam *juxta* pro *contra*. Cæterum cum hic nihil luceat Martini fax, in tam labido loco haud possum consistere absque periculo impingendi. Quod sane haud contingeret, si perannasset, olim quæ periit, *Istoria Theatralis*, quam Græce scripsit sapientissimus Juba, Mauritaniæ Rex, & citat Athenæus lib. IV. pag. CLXXV. Hic demum spectasse Vestales docet præterea Prudentius, qui scribit:

—— —— —— podii meliore in parte sedentes
Spectant —— —— ——

Quod decrevit Augustus, ut narrat Tranquillus ad cap. XLIV. Auxit Tiberius harum Virginum dignitatem, qui decrevit (verba sunt Taciti in IV. Annal.) *quoties Augusta Theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret*. Unde apparet quam sit verum, in parte meliore podii sedentes spectasse. Vestalium denique sacerdotium, & dignitas duravit ad Theodosii senioris ævum: quo regnante, una cum aliis sacerdotiis, necquicquam reclamante senatu, sublatum est, quod ἐν τῷ παρέργῳ sit dictum. Sacerdotes etiam in senatu locum sortiti sunt, ut expiscamur ex Tacito Annal. II. Nam inter alios honores Germanico decretos, *Sedes curules sacerdotum Augustalium locis* meminit. Cui loco addit Lipsius: *Germanico igitur decretæ ejusmodi curules sedes per trina, ut opinor, Theatra inter sacerdotum Augustalium sedes*. Alexander item Neapolitanus lib. v. cap. XVI. etiam memo-

rat principem præſidere in ſella Imperatoria una cum ſacerdotibus. Sed diſpiciamus nunc jam qui ſint iſti legati in orcheſtra ſedentes. Et hercle Germani ſunt, qui primi omnium mihi in oculos incurrunt apud Tacitum lib. XIII. *qui advertere* (narrat hiſtoriographus) *quoſdam cultu externo in ſedibus ſenatorum: & quinam forent rogitantes, poſtquam audiverunt, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute, & amicitia Romana præcellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe, exclamant, digrediunturque, & inter patres conſidunt*, qui autem in ſenatu ſedentes ſpectabant, Parthos & Armenios fuiſſe docet Tranquillus in Claudio, cap. XXVI. Tacitus id Neronis tempore narrat eveniſſe; Tranquillus Claudii; igitur dicendum, alterum mendacium effutiiſſe purum putum, & quidem, ſi id licet, dictum volo. Dio quoque prodit, Trajanum legatos a regibus miſſos in orcheſtra ſpectare juſſiſſe, quod antea vetuerat Auguſtus. Suetonius, cap. XLIV. *Romæ legatos liberarum, ſociarumque gentium vetuit, in orcheſtra conſidere: cum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet*. Præterea etiam hunc honorem benemeritis ſociis jam olim habitum didici ex Juſtino lib. XXXIII. C. V. exeunte, ubi de Maſſilienſibus ſic verba facit: *ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorum in ſenatu datus*. C. denique Cæſar, ut Joſephus teſtatum reliquit lib. XIV. cap. XVII. conceſſit decreto ſuo & Senatus Hircano, ejuſque filiis, legatiſque, qui ab eo miſſi eſſent, gladiatorum, & ferarum pugnas ſpectare in ſedibus ſenatorum. Licetne, inquit, ſub hæc Morologus hiſcere? ut tu ludos facis, reſpondi. Loquere quid vis, audio, ſuſcipit ille: ubinam gentium ſimus primum omnium abs te ſcire velim. Cui ego: quorſum hæc? Dicam, ait: hæc omnia quæ tu hic ingeris nihil plane ad noſtram orcheſtram, tametſi nullus dubito id Romæ fuiſſe obſervatum, in provinciis vero iſthuc ut credam ita actitatum, mihi dictum velim: nondum enim id quidem inaudivi & meus auctor nec γρῦ quidem. O hominem, inquam lepidum, ac facetum, imo omnium facetiarum plenum! nunquam ne tu illud legiſti vel puer adhuc ſub ferula: *ludis quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, hiſtrionem, ſummo ludorum die annulo aureo donatum in quartum decimum ſeſſum deduxit?* Sed quid opus eſt ab alio ordine mutuum ſumere? En tibi de ſenatorio ipſiſſimo, ne mutire audeas, Suetonii verba in Auguſto, cap. XLIV. *Spectandi confuſiſſimum ac ſolutiſſimum morem correxit, ordinavitque, motus injuria ſenatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos conſeſſu frequenti nemo receperat, facto igitur decreto patrum, ut quoties quid ſpectandum uſquam publice daretur, primus ſubſelliorum ordo vacaret ſenatoribus*. Quem ad locum Caſaubonus. *Spectacula olim edebantur, in Urbe, in Italia, & in Provinciis. Et in urbe quidem, alia in Theatro, alia in Circo, alia in Amphitheatro, quædam in foro, aliiſque locis publicis. Quod ergo ait*, uſquam, *quomodo accipiemus? puto de Urbe, Italia, & provinciis intelligendum: id enim arguere manifeſto videtur, quod modo dictum eſt de occaſione facti decreti bujus, quæ Puteolis data fuit: & quod dicit*, quoties quid ſpectandum publice ederetur, *de Theatro & Scenicis, gymniciſque ludis aut rebus admirandis, quæ ſpectandæ proponebantur, maxime interpretor. Nam ea ætate extra Romam raræ venationes, rari circenſes*. Et hæc quidem dicta ſunto, ut in Theatris provincialibus Romanam Majeſtatem æmulantibus, eundem morem, conſuetudinemque eandem viguiſſe, & eaſdem leges fuiſſe ſervatas tibi perſuadeas. Veſtales vero & legatos in hac orcheſtra conſediſſe nihil eſt quod negem, id enim eſſet nugari profecto. Subit tamen ſuſpicari cum ſenatu ſimul ſpectaſſe hic honorificentiſſimos homines, & maxime hoſpites, eo honore Saguntini illos, uti Romani Maſſilienſes aliquando dignati: ac ipſos ſenatores Romanos, initio imperii Auguſti, Polemo rex Ponti, ut eſt apud Dionem Caſſium lib. LIII. Venio jam ad ſagaciſſimam illam Martini noſtri indaginem, qua orcheſtræ pavimentum odoratus eſt in orbem ſcalptum ſedilibus locandis. Nonne effoſſum illum in cornu orcheſtræ videtis locum? in eo Martinus id animadvertit quod memorat. Orcheſtra ſane ingreſſum, exitumque præbebat. Ingreſſum Laberio: de quo Suetonius in Julio cap. XXXIX. *Ludis Decimus Laberius, eques Romanus, mimum ſuum egit: donatuſque quingentis ſeſtertiis, & annulo aureo, ſeſſum in quatuordecim e Scena per orcheſtram tranſiit*. Exitum Claudio. Idem Suetonius, cap. XXI. *Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambuſtum reſtituerat, e tribunali poſito in orcheſtra commiſit, cum prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet, perque mediam caveam ſedentibus, ac ſilentibus cunctis deſcendiſſet*. Faciunt ad hunc locum Vitruvii verba ex cap. VII. lib. V. ubi de orcheſtra ſic verba facit: *Quæ* (vel melius qua) *præciſſio fuerit, ibi conſtituantur itinerum ſupercilia*. Perotus apertius rem differit, Col. LXXIX. *orcheſtra in cuneos diviſa, ut mediæ viæ relinquerentur*: hæc noſtra aliter conformata: nec mirum, cum non una ſit, uti diximus ex Vitruvio, operis temperandi ratio: hæc de orcheſtra, in qua multum tenuimus ſenatum, quem jam miſſum facio, cum ſit amplius nihil quod referam. NIHIL VOS MORAMUR PATRES CONSCRIPTI. Nos autem quando ex orcheſtra gradum ad equeſtria ſumus facturi, ad hunc ordinem orationem convertentes, bene eſt, ut caſtra mutemus, & in quatuordecim conſideamus. Et quid, ad hæc Caſtelvinius, te movet Lectii deſignatoris ſolertia? ubi aderit, quod tibi perfugium invenies? cui ego: domi certe habeo, quo me tegam cucullum, nihil eſt quod foris rogem utendum. Quid, ſubjecit ille, ſi te, cum bene norit, e loco excitaverit? Nanneji inquam aſtu mihi ſubveniam, ac ejus exemplo equitem me venditabo qui bis excitatur terque.

—— in viam tranſit
Subſellioque ſemifultus extremo
Et male receptus altero genu jactat:
Equiti ſedere, Lectioque ſe ſtare.

Hinc moti omnes in riſum, adeo inſonuit theatrum, ut ipſus Soſia in ſcenam prodiſſe videretur; ſed jam ad ſeria, miſſis ridiculariis animum revolvamus, inquam ego. Ante tamen quam ſuperiora petere incipio, æquum vos admonere exiſtimo, murum iſtum, qui orcheſtram ambiebat ad primum equeſtrium gradum, non exſurrexiſſe ad præſcriptum Vitruvianum; ſed ad modulum juſtæ præcinctionis excreviſſe. Quod in theatris non magnis fieri, video ab auctoribus obſervatum: & nihil ſane id mirum, cum nullum inde impedimentum iis, qui a tergo objectu in orcheſtra ſedentium, ut probiſſume ſimul ac planiſſime docet Martinus. Probatiſne meam ſententiam? quidni, inquit Coraccianus, quum id facere oculi vos cogunt. Nunc demum, inquam, in deſtinatum conferamus nos locum, & tu quidem Coracciane, ſupra me ſedeto, unde, tanquam e Pharo navigiis ad curſus dirigendos ignes nocturni, illuceat Martini noſtri fax mihi in tanta rerum caligine. Perge igitur protinus, ſequor.

De equestris Ordinis Gradibus.

Ab orchestræ solo &c. p. 395.

QUatuordecim primi gradus theatri equestri ordini attributi, ad baltheum, seu διάζωμα pertinentes, nobis exponendi sunt. Ipsosmet gradus videtis: imo in ipsis sedetis, & XIV. esse numero non negatis: cætera ergo arrectis auribus sunt haurienda. Primus omnium hac jucunditate, in hisce nempe gradibus spectandi, equestrem ordinem affecit L. Roscius, ut prodidit memoriæ Florus, Livii Epitomiastes, lib XCIX. Ubi hæc habet. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur:* quam legem Antonius Augustinus, quem honoris causa appello, ann. DCXXCVI. U. C. latam fuisse observavit. Plinius item Roscium præfatæ legis autorem facit lib. VII. cap. XXX. Cicero pro Muræna *restitutum* hunc fructum honestissimo ordini memorat voluptatemque. Quo etiam verbo utitur Paterculus lib. II. cap. XXXII. *Et Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit*. Ubi τὸ *restituit* aliud significare videtur: alium scilicet ante hunc Roscium eadem hac lege sanxisse. Et quidem in Circo *loca divisa patribus, equitibusque* a Tarquinio Prisco scripsit Livius lib. I. quæ, si propius inspicimus, loca illis ordinibus discreta, non tamen assignata, sed vaga, & nulla lege statuta, ex auctoribus deprehendemus: tum etiam morem illum antiquatum, non tam animi augurio, quam auctoribus Tranquillo, & Maximo, affirmare ausim, quandoquidem in promiscuo perdiu spectarunt: & Augustus confusissimum hunc morem correxit, quem Roscius primus retraxit, & lege lata, certa loca ordini equestri attribuenda curavit. Iccirco haud puto Paterculi τὸ *restituit* sollicitandum Criticis, qui restituunt, *instituit*; sed restituendum *restituit*, velint nolint, quando Roscius lege sua antiquum morem restituit; quin & eodem verbo utitur pro Muræna Cicero. Sed ut in viam reveniam, illud sane prudenter conjicere est, ideo equites Romanos inter patres ac plebem spectaculis interfuisse, quod inter utrumque ordinem mediam obtinebant dignitatem. Habuit quoque lex Roscia census rationem, nam ea cautum fuit ne locus esset in quatuordecim iis equitibus, quibus quadringentorum sestertium (millium subintelligendum) summa non esset, quæ quidem 12500. coronatorum constituit numerum ex Berneggeri calculo. Unde epigrammatarius lib. V. epigram. XXV. sic lusit:

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge;
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late.

Ex quatuordecim arcebat hæc lex decoctores, quamvis fortunæ vitio, non suo decoxissent. Testatum id facit Tullius Philip. II. *illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus*. Neque iis equitibus hic locus erat, qui ad theatrales artes degenerantes, scena se se polluerent, dicente Quintiliano: *Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus non sedeat*, hæc autem loca variis plebis alluvionibus sæpe obruta, sæpe etiam a Magistratibus, & Principibus repurgata sunt. Nam & sub Tarquinio Prisco patribus, equitibusque divisa. Publio item Cornelio Scipione Ti. Sempronio Longo

A Coss. ludis Romanis. Tum Sex. Ælio Peto & L. Cornelio Cethego Censoribus renovatum est decretum, sed obstinatione plebis, conniventibus magistratibus, rursus abolitum, & spectantium ordo confusus est. Atilius autem Sarranus, & L. Scribonius Libo Ædiles Curules obtinuerunt ludis scenicis, & Romanis, ut divisa plebs a patribus, equitibusque spectaret. Sed mox fecit plebes more suo solens: unde Augustus, ut ait Suetonius, *spectandi confusissimum, ac solutissimum morem correxit ordinavitque*. Mitto C. Gracchi factum, qui indigne ferens loca hæc a plebe usurpari, adscitis fabris, sedilia demolitus est. Sullæ vero B temporibus, uti omnia alia in republica erant perturbata, ita spectantium ordo solutus fuit: donec restituta tribunicia potestate, & census & dignitatis habita est ratio. Utrumque Jul. Cæsar susque deque habuit, & eos cœteris in spectaculis præposuit, quorum egregia opera usus fuerat bello civili. Claudius porro priscum ordinatumque antea morem retrahere frustra conatus est. Nam ejus successor Nero loca equiti secreta a cæteris tribuit: quo successu? apparet satis ex Domitiani edicto. Quod tametsi plane divinum, multitudinis pervicaciam non deterruit. C Cari denique & Carini temporibus e contrario, ab equitibus loca plebis usurpata legimus apud Calpurnium, qui sic queritur Ecl. V.

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.
Nam quæcumque patent sub aperto libera cœlo
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.

Sed de his satis multa. Magnus Alexander militibus emeritis Jus spectandi in primis ordinibus concessit. Sic Curtius lib. X. c. IV. *complures bello inutiles exauctoravit, magnificentissimeque* D *donatos dimisit*. Scribens quoque *ad Antipatrum Macedoniæ præfectum, eis ad spectanda certamina priores in theatro sedes assignari, coronatosque sedere jussit*. Unde abunde apparet, quanto in honore haberentur olim hi gradus. Hujus igitur spectandi discriminis severissimus fuit vindex Augustus, adeo ut equites, quibus census publica belli civilis clade fuerat imminutus, in quatuordecim spectare non auderent. Quapropter legis severitatem mitigavit, ut in XL. docet Tranquillus: *cum autem plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent metu pœnæ theatralis, pronunciavit, non* E *teneri ea quibus ipsis parentibusve equester census unquam fuisset*. Quin & aliquando adiit capitis periculum. Sic Tranquillus XIV. *nam cum spectaculo ludorum, gregarium militem in XIV. ordinibus sedentem excitari per apparitorem jussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox & discruciatum necasset, minimum abfuit quin periret, concursu, & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quod qui desiderabatur, repente comparuit incolumis ac sine injuria*. Et hæc quidem de jure spectandi, nunc ad alia. Ostia illa utrinque posita non longe a theatri cornibus, ad septimum gradum cæteris latiorem præscissa, Martino F sunt *vomitoria*. Et quidem eo nomine indigitari, patet ex Macrobio, qui Saturnalium cap. IV. lib. VI. ad illud Virgilianum Georgicon II.

—— totis vomit ædibus undam.

hæc appinxit: *Vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundunt*. Transtulit hoc verbum Plautus ad privatas ædes, in Pseud. Act. IV.

—— ædepol ipsum lenonem evomunt,

& ad urbem Prudentius in περὶ στεφ,

Urbs augusta suos vomit, effunditque quirites.

Et hæc quidem vomitoria communi *aditus* nomine veniunt apud Vitruvium lib. v. c. III. *Aditus*, inquit, *complures & spatiosos oportet disponere, nec conjunctos superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetuos & directos sine versuris faciendos: uti cum populus dimittitur de Spectaculis, ne comprimatur, sed habeat ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione*. Nec vos illud moveat, *aditus complures*, cum in hac præcipue theatri parte duo omnino conspiciantur. Exposuit causam luculenter Martinus, utrinque aditus patere in theatro non latuit D. Barbarum dextrorsum quidem alium, alium vero sinistrorsum, reliquos in media cavea, qui quidem reliqui in nostro theatro eo sunt prætermissi, quod obsistente montis dorso, ima loca occupante sub gradibus, nihil erat vacui reliquum fornicibus substruendis, ubi fieri possent adituum præcisiones & scalæ, ac proinde, cum nullus esset locus scalis sub theatro erigendis ad prædictos aditus seu ostia hæ geminæ, quas hic videtis, in aperto ac propatulo ad theatri cornua sunt positæ in ipso proscenio, tanquam vicariam operam illis, quæ interius erant erigendæ, impendentes, siquidem ad ipsum gradum septimum exsurgunt cæteris, ut supra diximus, latiorem, ubi duo illa vomitoria, quæ modo memoravimus, utrinque pariter erumpunt. In quibus sane admiranda est architecti solertia, nam præterquam quod commodo consuluit spectaculorum, operis quoque concinnam effecit modulationem. Cujus rei præcipuam hominem curam tetigisse fit propalam ex horunce adituum positione: quorum alter quidem sinistrorsum ad equitum usum aditum præbet in caveam per interiorem fornicem, alter vero dextrorsum, quod nullum habet ascensum interius a montis solo ad ipsum ostium in caveam patens, imo ea inter intercedit pedum x. altitudo, ad speciem omnino factus videtur, & ut sibi mutuo theatri membra responderent: Unde non inepte appellaverim pseudovomitorium. Interjacent autem inter inferiora hæc vomitoria, & tria illa superiora septem alii gradus cum sua præcinctione (quæ quidem vox præcinctio Vitruviana est). & hi quidem sunt quatuordecim, ubi sedebant equites, hinc metaphoricôs, inquit Castelvinius, illud Petronianum: *Sedere in equestribus* date veniam: in scena hæc habent locum. Hui! mox Coraccianus, tam cito illud Quinctiliani excidit e memoria? quidnam id est? Subjecit ille. Surge, inquit Coraccianus, surge inquam, in quatuordecim sedere te, piaculare est, quando scena pollutus es; excepit cum risu Castelvinius, & castra movens, ait, ad populum me recipiam, Pompejum imitans, qui suis commodis inserviens, id turpe non duxit. Risimus suaviter talibus faceriis delectati, & protinus in ejus sententiam pedibus ire cœpimus.

De populi gradibus.

Sequuntur deinde &c. p. 395.

QUantum ex Vitruvio exsculpere licuit, locus hic supra præcinctionem indigitatur illis verbis vi. cap. *Superiores cunei*, quos populus occupabat scilicet. Unde popularia vulgo dicebantur. Sic in XXV. Claudii Suetonius. A Sic passim veteres scriptores. Itaque cum nullus adversus solem, ut ajunt, loquatur, frustra erit in hac re stabilienda tempus sumere. Igitur in his gradibus x. superioribus sedebat populus, qui gradus, quod latius excurrunt ad ambitum extimum, majorem hominum multitudinem admittebant, quam inferiores XIV. Nec tamen in his plebeculæ locus, sed honestis tantum hominibus, ut deprehenditur ex gravissimo Augusti decreto. *Militem secrevit a populo. Maritis e plebe proprios ordines assignavit, prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis, sanxitque ne quis pullatorum media cavea sederet*. Hæc Suetonius. B Mediæ autem nomine caveæ non venit locus equitum, ut quidam olim putabat, sed honestis e plebe hominibus locus erat assignatus. Gruterus enim & Lipsius imam caveam senatui & equiti tributam affirmant, Bulengerus disertissimis verbis: *Prima seu ima senatui, & equitibus, media plebi, summa & ultima fœminis attributa*: quod patet ex Propertio;

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum.

C (quod ex equite faciebant cultores suas Dominas suspicientes) Tum etiam ex Calpurnio, qui e media cavea ejectus ad ultimam confugit, ubi sordida

Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Qua de Seneca dixit: *Verba ad summam caveam spectantia*. Unde recte conjecit Martinus ex ea spectasse illa e pullata plebe propudia. Ad hos autem, quos antea paullo memoravimus aditus tres, supra præcinctionem præcisos, duos nempe ad sinistram, ad dexteram unum, ducunt ipsi fornices absque scalarum adjumento: quod, D ut videtis, ipsæ rupes in cryptas excavatæ, sensim se attollentes scalarum vices implent; verum tamen est, aliis in locis scalarum exstare adhuc ruinas, per quas conscensus in nonnullas præsectiones, per subtestudinata gradationum spectacula confluebant, quod etiam notavit Albertus in aliis theatris. Vomitoria hæc tria diversam exhibent inter se formam. Sed hujus deformitatis causa montis iniquitas, qui fit ut & fornix in medio arctetur, & gracilescat, & aditus ad justam magnitudinem non potuerint præcidi. Post gradus hos x. illa est, quam Martinus luculentissime descripsit, porticus. E Cujus facies mihi pol videtur in pulvillorum formam fuisse distincta. Unde non dubitaverim, id operis *pulvinatum* appellare. Accedamus propius: nonne id apparet, Coraccianе, vel avulsis lapidibus? maxime, inquit, nam eminet, & protuberat concinnitate quadam ac veluti ad numeros. Quod autem hoc loci, rursus ego, porticus locum habeat, docet Vitruvius in VII. c. lib. v. dicens: *Tectum porticus, quod futurum est in summa gradatione, cum scenæ altitudine libratum perficiatur*: cujus vero post scenam exstrui jubet Vitruvius cap. IX. in nostro theatro ne vestigium quidem, qua de postea pluribus. F Sed antequam porticum subeamus, non erit ab re reliqua vomitoria notare: quæ quidem numero sunt quinque, quorum tres in medio patent, ad tertium popularium graduum exitum præbentes, duo reliqui superiores utrinque ad quintum. Itaque aditus omnes caveæ, seu vomitoria sunt decem, quorum quatuor, & geminæ, quas diximus, scalæ in proscenio positæ, equiti patebant: sex reliquæ plebi. Scalaria autem, quæ ab ipsis porticus januis præcipitari incipiebant, sunt septem, jux-

A ta Vitruvianum canonem, qui ait: *Cunei ſpectaculorum in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant aſcenſus ſcalaſque inter cuneos ad primam præcinctionem...... Hi autem qui ſunt in imo, & dirigunt ſcalaria erunt numero ſeptem.* Hoc uno differunt hujus theatri ſcalaria a Vitruvianis, quod ſunt nempe recto ductu, & continentia, non variantia & interſecta. Ait porro Architecton: *alternis itineribus ſuperiores cunei medii dirigantur*: ita ut e mediis cuneis inferioribus exſurgant ſcalaria ſuperioribus cuneis diſpertiendis. Minutis gradibus diſtinguebantur in ſpe-B ctaculorum commodum: gradus enim ſedentarii cum altiores latioreſque ſint quam pro modulo humani inceſſus, grallatorio certe gradu ingrediendum erat, niſi talium ſcalarum adjumento fuiſſet multitudini proviſum. Quorum beneficio haud cogebatur corporis ſubire neceſſitudines. Quod deprehenditur ex Suetonii loco in Nerone cap. XXIII. Unde recte id quidem Martinus. Sed admonitos vos velim ad humani potus excrementa facienda excavatas fuiſſe in viis canaliculas, qua ejuſmodi effluerent ſordes, cum eo in loco homines aquam peterent. Cujus rei teſtem habemus oculatum, eruditum Lipſium, & quidem conſen-C tit cum ſententia Barbari, qui ait, nobiles inferiores ſedes occcupare, populum altiores, tum ob alia, tum quod fœtor, & turpis odor in altum evehitur. Ne igitur nobiles offendantur, inferius ſedent. Quin etiam tetro odori arcendo inductum fuit crocum poetis adeo decantatum, & tota antiquitate theatris ſolenne. Eam impudentiam deteſtatur Tertullianus cap. XXI. *Sic ergo evenit, ut qui in publico vix neceſſitate veſicæ tunicam levet, idem in circo aliter non exultet, niſi totum pudorem in faciem omnium intentet*, cujus rei in theatro eadem ratio, quod ab eodem Ter-D tulliano appellatur *conſiſtorium impudicitiæ*, & ob hanc cauſam, aliiſque. Dic clare, inquit Caſtelvinius, quod meretriculæ obſidebant, & quod, ut ſcripſit Hieronymus, in Iſaiam cap. II. *Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum, pueri ſteterunt publicæ libidini expoſiti*. Et de his multa auctores. Mox ego, in viam rurſus. Illud magis certe mirum, ad æſtivum ſedandum fervorem in theatrum aquam inductam. Quod Maximus: *Gnejus Pompejus ante omnes, aquæ per ſemitas decurſu, æſtivum minuit fervorem*. Nihil moror, inquit Morologus, iſtius boni viri placendi populo ſtudium: e re mea equidem cum panario, & obſonii affatim. Mane, inquam, dabo vel ad fa-E ſtidium. Suetonius in Domitiano: *Atque inter ſpectacula muneris (dedit) largiſſimum epulum. Septimontiali ſacro quidem ſenatui equitique panariis, plebi ſportellis cum obſonio diſtributis, initium veſcendi primus fecit*. Epulum item abundantiſſimum ſenatui & equeſtri ordini dedit Caligula. Et panaria cum obſonio viritim diviſit. Tetigit hunc morem Martialis, tetigit Papinius I. Sylvarum:

F

Hi panaria candidaſque mappas
Subvectant, epulaſque lautiores.

Miſſilia porro variarum rerum ſpargebantur. De quibus idem Papinius ibidem:

Dives ſparſio quos agit tumultus.

Qua in re nemo mea ſententia Nerone benignior. Unde nihil mirum quod in Philippo narrat Vopiſcus, Scenicos nempe ludos per tres dies noctéſque totas fuiſſe continuatos. At memini, inquit Caſtelvinius, legiſſe, quibus etiam modis excruciarent multitudinem in ſpectaculis. Caligula, reductis flagrantiſſimo Sole velis, emitti quemquam vetabat, rabidis feris nonnullos ſubjiciebat. Turbam loca occupantem fuſtibus aliquando abigi juſſit: quo in tumultu eliſi viginti amplius equites Romani, totidem Matronæ, ſuper innumeram turbam cæteram. Nerone item cantante ne neceſſaria quidem cauſa excedere Theatro licebat, itaque enixæ quædam in ſpectaculis dicuntur: & multi tædio audiendi laudandique, clauſis oppidorum portis, aut furtim deſiluiſſe de muro, aut morte ſimulata funere elati. Porro ipſam caveam factam legimus ſuſcitabulum rixarum. Cui rei ſignifer ſimul & ſpectator aderat: multa & ipſe jecit in populum, atque etiam prætoris caput conſauciavit. Multo plura de hoc Principe XIV. Annal. Interque alios male habitos, vitæ diſcrimen adiiqui poſt ea imperavit Veſpaſianus, quod ferebant ipſum inter agendum dormitaſſe. Sed de his ſatis multa. In viam igitur reveniamus. Bene, inquam, mones, nam exſpectant nos miſeri illi ſpectatores excuneati in via ſtantes ſtatuarum ritu, id innuit Tertullianus III. de Spectaculis, dum ait: *in via ſtatur*. Martialis item & alii. Apud Senecam vero aliud hominum genus adeſſe vidi. Equidem ſic habet in Epiſtola: *Omnes vias ordo canentium implevit, & cavea æneatoribus cincta eſt*. Sed his omnibus valere juſſis, ipſam porticum adeamus, cujus januæ eſt frons opere, ut dixi, pulvinato, olim eximie ornabatur, uti & balthei, quod docet Calpurnius dicens:

Baltheus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant.

Nec in Theatris tantum, in priva Neronis domo hæc Tranquillus agnovit: ait enim: *In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis unionumque conchis erant*. At quas hic videtis januas Lipſius in amphiteatro vult eſſe feneſtras, & ſimiliter quadratas, ſint per me licet. Ageſis, Coracciane, lege tu, dum animam ego recipio.

De porticu & Statuis.

Eſt præterea ſuperior illa porticus &c. p.395.

NUllus dubito ea fini porticum in Theatris exſtrui ſolitam, ut ab imbribus ſeſe populus vindicaret, dicente Vitruvio: *uti cum imbres ludos interpellaverint, habeat populus quo ſe recipiat ex Theatro. Hujuſmodi autem porticus, inquit Philander, additæ ſunt publicis ædificiis, neceſſitati, aut ornamenti animive cauſa*. Verum tamen eſt, eo loci Vitruvium agere de porticibus poſt ſcenam, non de ea quæ erat in ſumma gradatione excitanda, in noſtro enim, uti diximus, poſt ſcenam porticus nulla, hæc tantum arcuato opere facta & aſſeribus ducta, ut patet ex commiſſuris earum. *Cameras vocat*. Tertullianus. Poſticas januas, ut ſpiritu per eas admiſſo Theatrum refrigeraretur, patere putat Martinus; non repugno; ſed ſi ſerius advertitis ad multitudinem intra porticum admittendam deprehendetis. Cui rei tribus hiſce gradibus proviſum eſt, quos ſingulæ exhibent ad deſcenſum, quod montis dorſum paullo ſit altius porticus ſolo. In hunc uſum poſticas agnovit in Amphitheatro Ammianus lib. XXIIX. & etiam poſterulas appellari docet Caſſianus lib. V. cap. XI. in illis vero quaternis gradibus, qui ad utrumque Theatri angulum, ſediſſe Martinus ſuſpicatur lictores, accenſos, viatores, apparito-

paritores, alioſque magiſtratuum ſatellites, ut eorum obſequio præſto eſſent. Quod mihi ſane duriuſculum. Nam ſi magiſtratus in orcheſtra ſedebant, ut patet ex Dione lib. XLIX. qui, quæſo, in loco adeo remoto ac diſſito ad ipſam uſque porticum ſcilicet ſatellites, ut eorum obſequio præſto eſſent? ludis id hominum genus interfuiſſe docet me Tacitus lib. XVI. Annal. dicens: *Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in Theatro inter viatores tribunicios datur.* Ad quem locum Lipſius: *Qui ſpectaſſe videntur non abjuncto a tribunis loco uti ad obſequia apparere poſſent.* Porro falſam eſſe, qua adducitur ratione, paratus ſum pignus dare vel talentum, teruncium contra. Sequimini me, veſtris potius oculis velim, quam meis verbis dari fidem. Carceres in theatro? novum ſane & fando hactenus nemini auditum. Fateor tamen, apud imperitum vulgus, id loci, *carceris Judæorum* nomine venire. En tibi, Coracciane, attolleſis oculos. Quid poſtea? mox ille, illud oſtiolum, ego. Cui ipſe: abſque ſcalæ adjumento non poſſum. Nunquam enim τειχόδρομον feci, allata eſt demum ſcala, inquam, aſcendam primus. Ubi locum tenuimus, inquit Caſtelvinius, ubinam ſunt bojæ muro affixæ? ubi annuli ferrei deligandis maleficis? ne veſtigium quidem. Quid tu, Coracciane? Ni me, ſubjecit, ratio fallit ſtructuræ, locus hic adjectitio hoc muro concluſus eſt, ne fornix adeo latus vitium faceret: itaque hic, tanquam fulcrum, additus eſt paries, ut eum ſuſtineret. Qui quidem, ut conjicio ex materia, multo poſt, quam Theatrum, erectus eſt. Deinde arbitror curioſum aliquem parietem hunc perfodiſſe, qua patet aditus, quandoquidem oſtium nullum eſt, quod in hunc locum ducat, ſcalæ ad aſcenſum nullæ. Cæterum hæc magis eſſe omnia quam carceres certo ſcio. In ſententiam eandem Caſtelvinius, adjiciens immodicos hiſtrionum fautores in vincula conjectos juſſu Vibulii prætoris, apud Tacitum XIII. Annalium legiſſe: ſed in quæ vincula ductos, non dicit auctor. In publica certe, nam theatralia nuſquam. Dum autem rurſus in porticum, hæc ad me converſus: ſi per Martinum liceret, eo locorum ſtationarios milites locarem, quos ad tuendam popularium quietem theatris exploratum habeo conſediſſe. Quod Tacitus haud tacuit XIII. Annal. ait enim: *Fine anni ſtatio cohortis, aſſidere ludis ſolita, demovetur, quo major ſpecies libertatis eſſet, utque miles theatrali licentiæ non permixtus, incorruptior ageret, & plebs daret experimentum, an amotis cuſtodibus, modeſtiam retineret.* Hæc de Nerone. Cujus etiam rei mentio eſt apud Tranquillum, cap. XXI. Tum I. Ulpiani lege, *de officio prætoris*, ut intelligit Lipſius in epiſt. quæſt. & quidem adhibebantur, *ad tuendam popularium quietem*. Nec tamen ſufficere ad coercendos theatrales tumultus magiſtratuum ſatellites, ſatis intelliget, qui ſciat Byzantinam illam ſpectaculorum ſtragem. Suetonius in Tiberio, alio etiam cædem in theatro patratam memorat. Quo in tumultu, ait Cornel. Tac. occiſis non modo e plebe, ſed militibus & centurione, vulnerato tribuno prætoriæ Cohortis, dum probra in Magiſtratus, & diſſentionem vulgi prohibent. Valerius quoque Maximus queritur lib. II. cap. IV. animoſas ſæpe acies inſtructas voluptatem & religionem civili ſanguine ſcenicorum portentorum gratia maculaſſe. Cæterum lictores, & id genus hominum in proſcenio haud procul magiſtratus ſtantes ſpectaſſe videntur ſatis commode. Milites vero quibus dixi locis, & quidem armis egregie inſtructi, quando ipſe Martinus paullo inferius innuit, *ſi forte opus eſſet eorum opera*. Ab hujusmodi hominum genere rixæ excitabantur, plebejo nempe & ſervili, non vero ab equite & patribus: iccirco inter utrumque ordinem illum, locus militi deſtinatus, *ut ſi quid turbarum aut majoris tumultus ingrueret, præſto forent*, ut inquit Alexander Neapolitanus. In quam rem etiam virgæ erant paratæ, ut eſt in Plautino Pœnuli prologo. Et hæc quidem quæ mihi modo in mentem. Ergo tribus in locis, inquit Corraccianus, Milites ſtationarii pacificandis tumultibus in utroque theatri cornu & in medio: & quidem bono conſilio, ut non facile poſſent circumveniri, cum ad manus ventum eſſet, quin alii aliis ſuppetias ferrent. Statuam autem quam Martinus in medio ſtatutam ex indiciis colligit, facile convincam ex veterum monumentis, imo theatra pluribus ſtatuis ornari. Comicorum, poetarum, & tragicorum ſcripſit Pauſanias ornatum fuiſſe Athenienſe. Εισὶ, ait, δ᾽ Ἀθηναίοις εἰκόνες ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τραγῳδίας, καὶ κωμῳδίας ποιητῶν &c. Pompejanum item, Plinio adſtipulante lib. XXXVI. c. V. clarius Tranquillus in Nerone cap. XLVI. *A ſimulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progreſſu.* Rurſus Pauſanias in Eliac. I. in Athenienſis theatri faſtigio ægidem auream narrat, addita gorgone, inter cætera ornamenta, Antiochi donum. De Hieroſolymitano denique ab Herode excitato hæc Joſephus XV. antiquitat. *Theatrum ipſum per circuitum titulis erat ornatum Cæſaris, & trophæis devictarum ab illo gentium, auro atque argento collucentibus.* Nec tantum ad ſpeciem, ſed ad luxum etiam ſtatuas ſtetiſſe, memini legiſſe jam diu, in theatro Marcelli, in media & ſumma præcinctione, per quas emiſſi, quaſi per poros, odores diffluebant ad populi delicias. Cujus rei gratia, memoria etiam proditum eſt, Hadrianum balſama, & crocum per gradus theatri ſtraviſſe. Sed hæc ſatis obvia. Quod vero ſex pateant feneſtræ in ſummo popularium gradu, verum non eſt: duas tantum ego video, niſi forte lippiunt mihi oculi, quæ ſunt ſub extremis cornibus porticus, reliquæ quatuor ſunt vomitoria, quæ antea memoravimus, quæ ſi non eſſent, laborarent populares adituum inopia contra Vitruvianum canonem, & ipſam Martini deſcriptionem, plures aditus eo loci ſtatuentes ad commodiorem multitudinis uſum. Sed quid plura in his rebus, quas ipſiſmet oculis tangimus? Mirum tamen non eſt, hominem ſolertem alias & induſtrium minus exacte minuta hæc fuiſſe perſequutum quam oportebat: paucis diebus haud potuiſſet vel ipſa Dea Salus ſalutem afferre tam lancinatis hujus ædificii membris. Sed de his hactenus. Pergeſis, Coracciane, legere reliqua.

De Summa Cavea & Theatri Velis

Supra porticum &c. p. 396.

VIX ad ultimam Theatri partem perventum erat, quum ſtatim Morologus: Ecqui in editiſſimis hiſce gradibus, ubi conſiſtere vix poſſum? caligant enim mihi oculi deſpicienti. Itaque dum contemplor altitudinem vertigine correptus ne decidam, ſedere hoc loci mihi optimum viſum eſt; cui ego: qui non, quando in eo tibi jus eſt, uti & pullatis omnibus inter fœminas deſtinato, quod ſanxit Auguſtus, uti diximus ſuperius paullo. Admonere tamen viſum eſt, mulieribus olim, non niſi eo permittente, ſub cujus erant poteſtate, ſcenicis ludis intereſſe vetitum. Docet Martinus lib. VI. c. III. dicens: *P. Sempronius So-*

A *phus conjugem repudii nota affecit, nihil aliud, quam, se ignorante, ludos ausam spectare*: Augusti tempore, athletarum spectaculis exceptis, reliqua mulieribus concessa. Tamen Casaubonus solas contendit spectasse Augusti decreto. Calpurnii vero tempore promiscue cum pullatis, ut ex ejus versibus constat. Porro sediculis in plano positis insedisse adeo tritum est, ut necesse non sit in hac re tempus terere. Pulvillorum etiam & scamillorum fulciendis pedibus facit copiam. Ovidius In De arte;

—— —— fuit utile multis
B *Pulvinum facili composuisse manu.*
Profuit & tenues ventos movisse flabello:
Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.

Utebantur & pulvinis quirites. Sic Juvenalis Satyra III.

—— —— exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvillo surgat equestri
Cujus res legi non sufficit —— ——

Nihilo secius senatores, ut est apud Dionem lib. LIX. *Tum etiam primum Senatoribus, ne nudis asse-* C *ribus insiderent, pulvinaria subdita*. Quorum fecit gratiam Caligula initio imperii, fatigationi sedentariæ consulens. Mulieribus autem, ut ad rem redeam, qua ambitione in Theatrum itum fuerit, colligitur ex Juvenal. VI.

Ut spectet ludos conducit Ogulnia vestem
Conducit Comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam cui det mandata puellam.

Introitus unus superstes in hæc pullatorum sedilia hic secundum porticum, qua ascendimus nos, ad summam vel ultimam caveam, qui tantum differt a D posticis seu posterulis, quas antea memoravimus, quod per illas intra, per hunc supra porticum itur. Quem præter restant aliorum duum ruinæ ad dexteram partem, qua pars porticus subsedit, ad lævam unus semirutus. Unde sex fuisse hujusmodi aditus seu ostiola conjicio, tria hinc, tria inde ascensum præbentia. Sed εὕρηκα, εὕρηκα. Quidnam est, inquit Castelvinius, quod invenisti? Cui ego: non quod pueri clamitant in faba se reperisse. Et hercle diu me torsit, exsussitque hæc cura. Vide sis, Coracciane, per crepidinem apparent etiamnum podii vestigia, quo & E ornabatur Theatrum eximie, & spectacula continebantur, ruitura alioquin levi lapsu, & sese, ac in supposita cavea spectantes collisura. Absque eo esset, sine vitæ discrimine nec circumiri posset, nec in tali loco quisquam stare. Ergo id cavens homus hic, ex quo ascendimus, in tuto sedit. Mihi vero ut succineret Coraccianus, mirabar, inquit, vel murulum, vel pygnostylon hinc abesse, quod & ornamento esset, & spectantibus securitati. Hem tibi, extant adhuc ejus ruinæ indicia. Video, inquit Castelvinius, & quidem ambiens ante primum gradum claudebat coopertuF ram porticus. Mallem tamen vocares loricam, qua certe spectatores tuebantur a lapsu, θριγκὸν vocant Græci, vel, si placet, possumus appellare peribolum. Quovis nomine appelles, inquam ego, & incolumitati spectantium, & Theatri ornamento hoc sepimento ibant provisum veteres. Hoc hactenus. Restat ut dicam de velis, quæ Theatris inducebantur, de quis hæc Lucretius.

—— —— magnis intenta Theatris
Per malos vulgata trabesque trementia pendent.

Ovidius hujusmodi velorum passim infert mentionem, aliique Poetæ, quorum versus relinquo, quod cum nullus nesciat, nihil est cur pergam esse odiosus. Plinius ubi de lino multa verba fecit lib. XIX. nat. hist. c. I. hæc habet: *Postea in Theatris tantum umbram fecere: quod primus omnium invenit Q. Catulus cum Capitolium dicaret; Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse (forte Theatrum) traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis*. Auctis deinde opibus, crevit & luxus. Cæsar nempe Dictator, ut auctor est Dio lib. XLIII. *Ne quis spectantium sole molestaretur, sericas cortinas... super eos extendit*. Qua in re Nero mihi videtur omnes superasse. Idem auctor: *Peripetasmata, quæ in aere extensa erant ad defendendos solis ardores, purpurea fuerunt, stellis aureis circum undique relucentibus. In medio horum Nero currum agitans, acu pictus erat*. Hæc aliquando vento impediente non extendebantur, ut est apud Martialem;

Populo ventus vela negare solet.

In aliquibus exemplaribus legitur (*Dacus*) constat id ex auctoribus, qui etiam docent tum ad pileos thessalicos vel umbellas solitos recurrere spectatores. Ab editoribus birros aliquando datos, legimus apud Vopiscum in Carino. Porro vela tendere classiariorum militum munus esse deprehendimus ex Commodo Lampridii. Et hujusmodi velorum usus in his Theatris hypætris: Nam erant Theatra etiam tecta, ut ex Philostrato apparet, qui docet, Herodem Athenis Theatrum dedicasse in Regillo, & e cedro fastigium tectumque fecisse. Et Corinthi Theatrum tectum literis proditum est. Et hæc quidem abunde. Restat, ut dicam, treis etiamnum restare mutulos ad dexteram partem pone Theatrum quos videtis, ne de suo Martinum confinxisse arbitremini, qui parieti sunt affixi, quem sine fastigio seu coronide videmus, qui quidem paries porticum pone circumdat, quod fieri animadvertit etiam D. Barbarus. De Amphitheatri velis est mentio in Caligula Suetonii c. XXVI. De mutulis autem Varro de R.R. sæpe mentionem facit. Vitruvius item lib. IV. cap. II. quæ a verbo *mutilare* facta. Unde mutila dici, est qui asserat. Nunc ad alia, Coracciane.

De Subselliorum gradibus, & reliquis ad caveam spectantibus.

Subselliorum gradus altiores &c. p. 397.

GRaduum ratio conformandorum a Vitruvio petita omnino non est. Patet ex ejus verbis lib. V. c. VI. exeunte. At in graduum hujusmodi latitudine haud longe certe abest, & in symmetria apprime Architecti regulis quadrat. Jubet enim latiores fieri quam altiores, causam docet Martinus a Nasone mutuatam, qui sic habet:

Tu quoque qui spectas post nos tua contrahe crura
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.

Et alibi:

Nec premat opposito mollia terga genu.

Eorum etiam altitudinem idem innuit, dicens:

Sed pendent tibi crura &c.

Quam ob rem in Theatrum inductos scamillos superius allatum a nobis est, ejusdem Nasonis auctoritate, & hi quidem gradus, ut inquit Baldus, sedilium loco spectatoribus erant. Idem sensit Lipsius in Amphitheatro: apud Pollucem lib. IV. c. XIX. variis nominibus indigitantur, Præcinctionem unam posuit Martinus, tametsi animadvertit septimum in equestribus latiorem gradum, ego vero duas constituendas puto. Non enim ad discrimina tantum ordinum fieri videntur, ut suspicatur Lipsius, *sed ad vomitoria & ipsos aditus*. Latiores tamen quam altiores bono quidem consilio. B Quod si e contrario, *vocem*, ut inquit Vitruvius, *repellerent & ejicerent in superiorem partem*. Itaque prima præcinctio post septimum ad duo vomitoria & subdiales utrinque scalas pertinet: & altera superior equestrem & popularem ordinem discriminat. Hanc uti magis conspicuam illam esse existimo a Calpurnio memoratam *Balthei* nomine & Tertulliano. De vomitoriis nihil muto, si fides oculis est habenda. Altera vero porticus, quam fornicem dici mallem, lumen recipit ab aditibus in caveam patentibus. Cujus altitudo latitudine major sustinendis popularium gradibus, qua de C causa ad eam altitudinem, quam videtis, exurgit. Latior fieri haud potuit, ob rationem illam, quam attulit Martinus. Sed fornicatò saxo ductum, quod ait, opus, respexisse videtur ad verba Cassiodorii de simili mole loquentis lib. IV. *Moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut præter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur. Hæc potuissemus forte negligere, si nos contigisset talia non videre, Caveas illas saxis pendentibus absidatas, ita juncturis absconditis in formas pulcherrimas convenisse, ut cryptas magis excelsi montis crederes, quam aliquid fabricatum esse judicares.* Quod æqua latitudine non excurrat, vos ipsi videtis. Caussa illud poe D tæ.

—— —— *Saxa negantia ferro.*

Et quoniam semel attuli descriptionem illam Cassiodorii, nihil est quod ego pluribus de hisce fornicibus, & cryptis in cornibus Theatri. Verum fornix, qua scenæ coopertura committitur Theatrum, resistit adhuc ad sinistram partem, ad dexteram omnino corruit. Fornices autem utrimque ad prima duo vomitoria, & septimum gradum equestrium ducentes, etiamnum nobilia illa sustinent subsellia, alii fornices partim pessundati, partim stan E tes. Spectantium denique numero addendos puto & satellites, quos de gradibus illis ejecimus, & aliam multitudinem in ipso proscenio extra ambitum orchestræ, ut conjicio ex Plauti Prologo in Pœnulo, & excuneatorum turbam in viis stantium. Itaque omnem multitudinem ad x. millia excrevisse puto. Hæc habui de Theatro dicere, reliqua si audire cupitis, ne pigeat, quæso, aurium patientiam mihi accommodare. Translege, Coracciane.

De Proscenio, Pulpito & Scena.

F *Nunc igitur ad Theatri frontem &c.* p. 397.

TRansferamus igitur oculos, mentemque ad scenam. Cujus, cum ætatem ferre haud quaquam potuerit ac perennare, vix extant ruinæ, unde ex instrumento antiquitatis sunt ejus partes ornatusque depromendi. Primum autem

A quod oculos incurrit proscenium dicitur, teste Polluce & Diomede. Et ut Budæus ait, locus erat *ante scenam porrectus*, & alia quæ transcripsit Martinus, hoc etiam nomine indigitat. Suidas aulæum scenæ prætensum. Est itaque proscenium locus iste inter scenam & orchestram omnium spectatorum oculis expositus, quo fabulam histriones acturi prodibant divino vate adstipulante:

—— —— *Et veteres ineunt proscenia ludi.*

Locus proprie in quo scenici suas perficiebant actiones, pulpitum dictum. Inter quod, & orche B stram, lineam parallelon duci jubet Vitruvius, in qua nunc stamus, latitudinem inter utrumque, pulpiti fundamenta scilicet, & orchestram XII. circiter palmorum. Altitudinem muri hujus ad præscriptum Architecti non excrevisse est ut credam. Et de hac re amplius pronunciandum censeo, si per te (ad Castelvinium conversus) mihi sit potestas, Prætor Illustrissime. Ubi innuit, quædam in me cum omnium risu cavillatus, adjeci ego: monent me hæc procurrentis parietis vestigia, qui inter scenam & pulpitum limes erat, ad quorum vestigiorum altitudinem cum pulpitum ex C surgeret, ut apparet, & inde versus orchestram jaceret, evincitur, plane & probe, ad quatuor vix palmos fuisse altum. *Et ita scena altior erat pulpito, pulpitum altius orchestra*, ut inquit Philander, & testantur adhuc, quas intuemini ruinæ; ratio vero in promtu, quod cum non magnum sit Theatrum hocce, necesse erat, ut discederet Curator operis a symmetria communi, & ad magnitudinem opus temperaret. Porro Architecton assignavit pulpiti altitudinem nullam; sed eam excedere non debere pedes v. ait enim: *Et ejus pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque, ut qui in orchestra sederint spectare possint omnium agentium D gestus.* Quod etiam in præcinctionibus faciendis adnotavit Philander. Pulpiti longitudinem ad orchestræ Diametron duplicem fuisse docet Vitruvius illis verbis: *Scenæ longitudo ad orchestræ diametron duplex fieri debet*, quæ sane utrisque & pulpito & scenæ æqua. Paries vero procurrens inter utrumque ad Theatri angulos pertingit, & cum illis conjungitur. Hunc locum olim odoribus, & floribus sparsum, docent Veteres passim. Propertius in IV. Ovid. lib. I. de arte, Plin. aliique, utrumque Horatius lib. II. Ser. I.

E *Recte nunc crocum, floresque perambulat Attæ*
Fabula

Cæterum lustrandis scenæ ruderibus propius accedamus, in quis certe plus negotii. Hic fuisse scenam adstipulantur Cassiodorii verba ad Symmach. lib. V. epist. LI. *Frons autem Theatri scena dicitur ab umbra luci densissima, ubi a pastoribus incboante verno, diversis sonis, carmina cantabantur.* Expressit Ovidius de arte.

F *Illic quas tulerant nemorosa palatia frondes*
Simpliciter positæ, Scena sine arte fuit.

In hac Theatri fronte valvæ regiæ in medio, hospitalia, hæc utrinque juxta Vitruvii regulam, ait enim: *Ipsæ scenæ suas habent rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra, ac sinistra hospitalia.* Sub hæc Coraccianus. Id factum imitatione privatorum ædificiorum, in quibus Græci similia constituebant habitacula, ut ex ipso Architecto lib. VI. c. X. didici, sic dicente: *Dextra ac sinistra domunculæ consti-*

tuuntur, habentes proprias januas, triclinia, & Cubicula commoda, ut hospites advenientes non in peristylia, sed in ea hospitalia recipiantur. Morologus ad hæc: laudo certe hominum institutum, & mores optime moratos, quibus erat curæ hospitum commoditas. Adde, inquit mox Coraccianus ex eodem auctore: *hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas.* Hic ille: o factum bene! mane, restant alia, subdit Coraccianus, *primoque die ad Cœnam invitabant, postremo mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes.* Nihil dici pote (extemplo bonus ille) liberalius, nihil benignius. I nunc, & tibi reperi hominem ingenii hujus modi, o tempora! o mores! dixisset plura, nisi nostris fuisset cachinnis interpellatus, sed in rem rursus. Testudinatum duci id operis docet nos Barbarus dicens: *Valvæ mediæ, quæ medio cuneo e quinque scenæ attributis respondent, ab ornamentis & amplitudine, quam habebant, regiæ dicebantur, utrimque aliæ portæ erant concharum modo... Ita pro fronte scenæ tres erant apertiones.* Haud omittendum puto quod tradit Suidas: *Scena est media Theatri janua. Parascenia vero mediæ januæ hinc & inde.* In his machinæ, de quibus hæc Vitruvius, *quæ loca Græci περιάκτους dicunt, ab eo quod machinæ sint in iis locis, versatiles trigonos habentes.* Porro scenæ ornatum triplicem appingit Martinus ex Vitruvii libro quinto capite octavo, verbis tantum paullo immutatis, machinas esse axibus versatiles, inquit Philander, quod innuit Virgilius:

Vel scena inversis discedat frontibus &c.

Ad quem locum Servius: versilis erat aut ductilis, versilis tunc erat quum subito tota machinis quibusdam vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat, ductilis tunc quum tractis tabulis hac atque illac species picturæ nudabatur interior. Et has versatiles machinas in palatium induxit Nero, teste Suetonio: *Cœnationes Laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ita coagmentatæ, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta quoties fercula mutentur,* nec tantum illis περιάκτοις in scena usi sunt veteres, sed & aliis quoque machinis, quæ a Polluce memorantur, Scaligero patre, & Salmasio: quibus Dii in scenam aliquid acturi transferebantur. Supra scenam, & altera, & tertia episcenos exstrui solita, quæ erant columnationis seu contignationum ordines, ut fert Scriptorum consensus. Et quidem supra scenam episcenos exsurgebat, quousque cum coopertura coronidem Theatri æquaret. Et hoc facit, ut credam, Theatrum hocce ad illius instar, quod inquit Philander esse Polæ in Dalmatia, structum fuisse, in quo a superiore scenæ parte plano pede in Theatrum ingredi licebat. Nam exstat adhuc proscenii murus, ut videtis, ipsi Theatri cornu sinistro conjunctus, in quo etiam fornices apparent pervii. Qua de re paullo ante nonnulla appinximus. Scenæ frontem peripetasmatis, aulæis, sipariisve obtegebant, unde in proscenium prodibant histriones acturi, quæ, peracta fabula, tollebantur, deponebantur, & una cum reliquo ornatu scenico in choragio adservabantur. Ornabatur præterea statuis scena, ut ex Dionis lib. L. didici, qui de ingenti ventorum incussu turbineque agens, sic ait: *ut & victoriæ sumulacrum a scena Theatri caderet.* Adstipulatur Pollux: ὑποσκήνιον κίοσι, καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο. Denique pro additamento addam nonnihil veterum insaniæ, ut Plinii verbo utar. Ait enim lib. XXXVI. cap. XV. de Theatro M. Scauri: *Scena ei triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum... ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito postea genere luxuriæ... summæ tabulis inauratis columnæ... duo de quadragenum pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum* LXXX. *millia*, memorat etiam scenas argenteas Murænæ & C. Antonii: pictam quoque Appii Pulchri ad miraculum celebrem. Nero non scenam modo sed totum etiam Theatrum auro obtexit, & præterea instrumentum omne scenicum aureum induxit. Testantur Plinius & Dio. Reliqua vero consulto omitto, satis esse putans locum indicare, quo pluribus agit auctor. Ara in scena cui ignota? erigebatur enim, ut ædium privatarum referret similitudinem, quarum in vestibulis stare solitas docent veterum monumenta: tum sacræ literæ I. Machab. *Per universas civitates Judæ in circuitu ædificaverunt aras, & ante januas domorum.* Sed de ara, mensa, & aliis minutis alias, ne extra oleas ire videamur; qui ea volet, Pollucem interim adeat, qui lib. IV. c. XIX. nihil pene facit reliquum. Nos vero brevitati consulentes ad alia animum advertimus. Pergesis, Coracciane, tuum facere officium.

De Poscenio & Choragiis.

Post scenam multiplices extant muri semiruti, &c. p. 398.

HOc loci, ut antea innuimus, locum factum machinis docent, & quæ cernitis vestigia inter duos hos celatos parietes, quibus scena sustinetur, & passim monumenta scriptorum. Attollebantur inprimis pegmata, quæ meminit Martinus, machinæ e ligno, quibus usus in Theatris. In queis varia inventa, & stupendi lusus ingeniorum crescebant in sublime, subsidebantque. Interdum chasmate & ruina subita dehiscebant, sive tota pegmata, sive homines, qui impositi. Qua de re multa possunt erui ab scriptis Petronii, Martialis, Strabonis, Claudiani, aliisque. Adjiciam tamen quod de pegmate videtur D. Augustino: *Ad quam stupenda opera industria humana pervenit, quæ in Theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita est.* Nec non ex Apulejo juvat aliquid excerpere, qui lib. X. metamorph. pegma describit: *Erat*, inquit, *mons ligneus ad instar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis, & vivis arboribus*, & hunc *montem peracta Paridis fabula, terræ vorago absorpsit.* Inducebantur etiam pegmata in amphitheatris; sed ad sævitiam potius, & carnificinam, quam ad voluptatem, & oblectamentum. De aliis machinis, quas Martinus appinxit, succurrit vix quicquam quod dicam. Nam ea quæ habemus ex Polluce Martinus eleganter expressit, Philandrum sequutus. Id unum adjiciam, locum de Bronteo (quod latine haud incondite verti potest *tonitruarium*) non videri recte latinum factum. Non enim per aera versari utres calculis plenos inquit Pollux; *sed utres calculis plenos ferri agitatos contra vasa ærea.* Hæc ejus verba: ἀσκοὶ ψήφων ἔμπλεοι διωκόμενοι φέρονται κατὰ χαλκωμάτων. Porro de hujusmodi re adeundi Scholiastes Aristophanis, Eustathius. Nec omittendum duco, Appium illum Pulchrum, qui scenam exhibuit pictam primus, hujusmodi tonitruum fuisse inventorem, unde dicta Festo, *tonitrua Claudiana.* Reliqua vero ad machinas spectantia apud Pollucem inveniet affatim qui volet. Nec choragiorum oblitus est Martinus, locumque esse ad apparatum choragii inquit. Vitruvius vero in Theatris exstrui docet lib.

V. c. IV. & quidem ampla, ut *laxamentum habeant ad chorum parandum &c.* In hoc noſtro pone ſcenam in angulis hinc inde ſunt ædificia, illa nempe ſibi invicem ſtructuræ forma reſpondentia: differunt hoc uno tantum, quod ad dexteram Theatri partem extant adhuc parietes ad primam uſque contignationem: ad lævam e regione ejuſmodi parietum fundamenta tantummodo apparent, ea puto de cauſa id a Martino præteritum ac minus animadverſum. Cæterum quoad ſtructuram paria fuiſſe, omnino vos ipſi videtis, & ſane inquit ſub hæc Coraccianus: ſed ni me fallit opinio, utrimque poſt ſcenam ſunt ſtructa, ut ſuſtinerent cornua Theatri, quæ uti in declivitate montis ſita Theatri cornua, & ipſi ſcenæ parieti procurrenti innitentia, facile ſcenam omnem reſupinarent, ac everterent, niſi illorum choragiorum fulcimento hinc inde a tergo ſuſtinerentur. Ob eandem hanc cauſam mihi quoque notavi porticus utrimque extimas fuiſſe additas ad Theatri latera, cujus operis ductum, uti imitans ingenium ſtructuræ interioris, flexile atque incurvum. Nam cum reliqua Theatri pars monte pone ſuſtineatur, hæc vero latera ad imam vallem vergentia illo naturali fulcimento ſint deſtituta, hiſce adſcititiis viſum fuit porticibus illis providere, tanquam (ut tralatitio verbo utar) pedamentis, quibus alta utrimque theatri cornua fulcirentur. Et eo libentius in hanc ſententiam adducor, quod hujuſmodi porticus excreſcunt ſolummodo ad tertiam vix cornuum altitudinem, quæ ſane Martinus haud debuit negligere. Quas autem alas meminit recte id quidem facit; ſtructoris enim ſolertia ſua laude in hac parte fraudanda non eſt. Porriguntur utrimque muri, tanquam qui a Strabone lib. XVII. pag. DCCLXIII. in deſcriptione templi apud Thebas Ægyptias conditi appellantur; *πτερά*, & hæc quidem, *τοῦ δὲ προνάου πτερὰ ἑκάτερον πρόκειται*: *ad utramque templi partem præjacent*. Unde haud abſurde theatrum hocce appellari poterit *biſalatum*, quando Vitruvius hujuſmodi ædificia vocat *cliptera* lib. III. c. I. ubi deſiit Coraccianus, me ſequimini, inquam, nam reſtat, ut extremum, quod in theatri eſt deſcriptione indagemus, oculiſque tangamus. Structilem eſſe hanc cloacam dubitat veſtrum nemo, & quidem probe fornicatam. Quod vallecula hæc facit, ut potius exſtrui, quam ſubſtrui fuerit neceſſum. Mirari certe ſubit, Lipſium cloacas non vidiſſe in amphitheatro, quamvis odoratus fuiſſe ſagaciter videatur. Per hanc igitur confluges aquarum & cœleſtis & humanæ abſorbebantur; pulpitumque & ſcenam ſubeuntes per poſcenium effluebant, & dilabebantur, qua fornix ſuſtinet hemicyclum medium, quod valvas regias appellamus: idque ſua ſponte, uti per locum natura devexum. Hæc ſunt quæ habui de theatri hujus cadavere dicenda, cujus ſpecies veluti anima demigravit in communem antiquitatum acervum, & quidem qua potui brevitate, ne narrationis laciniis immodicis aliena involverem, dum arceſſere ſtudeo opportuna; & his dictis, inde diſcedimus, reliqua antiquitatis veſtigia veſtigaturi.

F I N I S.



F. JOS. EMMAN. MINIANÆ

Valentini, Ordinis Sanctiſs. Trinitatis Redemptionis Captivorum

DE

CIRCI ANTIQUITATE

ET

EJUS STRUCTURA

DIALOGUS.

F. JOS. EMMAN. MINIANÆ
DE
CIRCI ANTIQUITATE
ET
EJUS STRUCTURA
DIALOGUS.



T nunc a theatro ad Circum, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrit. Verum ea est hujus ædificii facies, ut in nonnullis e culmo spicam per sit necesse conjicere. Sed operis longitudo, & flexus sive curvatura in extrema ejus parte, quam fundam veteres dixere, ubi primos gyros per ultimas metas glomerabant currus: tum latitudo, & planicies plane equitabilis non sinunt præsenti animo singula circumspicientem perperam & absurde ariolari. Ut autem nostra non sit speculatio omnino cæca, diligenter inspiciamus ædificii quidquid hujus superest, & ejus vestigia pervestigemus, quibus operi metiendo veluti manu ducamur. Bene est, inquit Castelvinius, id ut facias, qui artem tenes, Coracciane, dato nobis opus demensum examusim; & fac ut appareat, ut in ceteris rebus omnibus, diligentia tua. Faciam, inquit Coraccianus, & quidem animo libentissimo, quoniam id gratum video tibi futurum. Dum operi Coraccianus manum admovet, prosequitur Castelvinius: Ludos Circenses, ab ipsis Romæ cunabulis scimus edi solitos. Nomen a Lydis traxisse, volunt aliqui; Varro a lusu interpretatur: theatralibus certe antiquiores multo. Romulus Conso, Deo consilii (Neptuno scilicet) primus instituit, ob injectam sibi mentem ab eo de rapiendis suo militi Sabinis Virginibus. Rem omnem Livius lib. I. Et tunc quidem, circo nondum structo, dicti Circenses, quod exhibebantur in circuitu ensibus positis. Olim enim inter enses, & fluvium decurrebant præsentissimo utrinque periculo. Sic veteres Scriptores, ego nihil affirmo. Tertullianus a Circe, solis filia derivat: non assentior. Ab Etrusca gente lib. I. Livius narrat petitos; Annal. XIV. Tacitus a Thuriis, nimis longe. Hoc certe vero verius, ab ipsomet Urbis Conditore ludos celebratos: Circum a Tarquinio Prisco designatum, & ut spectacula sibi quisque faceret concessum. Hinc ergo ducenda est hujus ædificii antiquitas. Verum per provincias id genus ludicri quando administrari cœptum sit, non arbitror cuique exploratum. Mæcenatem scio inter arcana regnandi illud Cæs. Aug. dedisse consilii: Ludos equestres nulli alii Urbi quam Romæ dari debere. Unde conjicere possumus, ante Cæsarem extructum non fuisse hic Circum: & quia structus postea, quo loco apud Romanos esset populus Saguntinus. Ceterum Mæcenatem vel in hac parte Cæsari minus persuasisse; vel post factam ab Imperatoribus gratiam aliquibus civitatibus de Romana optime meritis. Quod probatur Tertulliani verbis: Ea, *si minore cura* (inquit) *per provincias pro minoribus viribus administrantur; tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde & petuntur, inde inquinantur unde sumuntur*. Rem Græcam multo vetustiorem, unde a Romanis multa petita, qui brevitatis studio hæc leviter perstringo, in præsentiarum nihil extrico. Haud male certe mecum actum, si de Saguntino Circo quicquam potero. Et me intuitus: averem scire, si quod forte vestigium in literis impressum. Ego vero, inquam, mi Castelvini, juxta tecum scio, quod a me requiris, & quamvis diligenter investigavi, ne volam quidem. Bonus hic Morologus fortasse, ut olitor valde opportuna. Non equidem, mox ille, continuissem ego usque adeo: immo e vestigio edissertassem, ubi vos hærere vidi, si laudatus alias meus auctor quicquam appinxisset. Verum, ut video, communes hic tenebræ. Inter hæc Coraccianus pensum absolverat. Ubi rediit, sub vite consedimus, quæ sua nobis opacitate æstum una cum perflante Zephyro defendebat. Et mox ille: non omnino operam lusisse me puto, qui exculpere tandem potui integram circi latitudinem, in qua plus negotii profecto. Nam fluvius, avulsis muri fundamentis, ejus bonam partem dejecit. Verum stant adhuc ac perdurant particulæ aliquot aliis atque aliis circi regionibus, unde licuit deprehendere, ejus esse latitudinem CCCXXVI. Spithamarum. Nec secus longitudinem. Exstat enim murus integer per extentum circi latus, quod oppidum spectat MXXVI. Spith. porrectus. Unde eruimus justam, & eo amplius circi longitudinem. In quam conjecturam facile adducor, quod ex veteri instrumento didici stadia tria collegisse circi maximi longitudinem. Latitudinem Dionysius lib. III. prodidit passuum CXXV. Plinius, quod tantum est, Stadii. Ergo cum unam longitudinis tertiam constet tributam latitudini, negabit nemo de longitudine Saguntini periisse nihil, & quod ultra triplicem latitudinem patet in porrectum, nempe Spith. XLVIII. carceribus assignandum. Murus autem in infima ejus parte, quæ substructa est quadrato saxo, habet latitudinis Spith. VI. mediæ & summæ partis formacei sunt parietes, farctura cementicia ferrumine suo egregie durata. Et mediæ quidem crassitudo Spith. est trium cum besse: summæ duarum cum besse itidem. Rursus quadratum saxum Spith. IIX. cum besse exsurgit. Pars media VI. adjecto quadrante. Hinc ad summæ usque parietinæ fastigium cum dextante V. Ergo omnis muri altitudo Spith. XX. addito dodrante. Nec id a me absque scrupulo pronunciatum.

Nam coronis, sive fastigium muri nusquam apparet, unde eruenda ejus erat justa altitudo. Hanc autem operis diversitatem mihi notavi in exteriore circi parte ad flumen vergente. Interiorem enim, scilicet caveam, alba obrutam humo totam, perlustrare non fuit, quod vix prominet a solo murus in hac parte Spith. XIII. Sed quid sibi velit series illa ingentium tabularum e saxo, in muro inter mediam & summam partem prominentium, per totum circi interiorem ambitum mihi certe non lucet, quamquam ut obtinerem, id saxum satis volvi. Ausim negare Apollinem id callere. Nam neque per gradus eum locum adibant, quod nullum eorum vestigium toto circo: nec per scalas fit verisimile, quarum ne indicium quidem nusquam: & ab ipsa arena distasse videtur Spith. fere XV. Ingentes fuisse, etiam num apparet. Nam paries tota illis trajicitur, ubi crassitudinis habet Spith. cum besse treis. Et porro provolant (tametsi fractæ) paulo grandiores Spith. treis demto quadrante, & quia integra nulla remanet, latius projectas olim fuisse, est, ut afferam confidentius. Nec non & dextantis crassitudinem ostentare, quia didici experimento, quidnam demum hoc fuerit, non perinde puto nos facile inventuros, qui exponat, quam in litore algam. Hic prope ultimas metas ostiolum visitur, ubi exterior circi facies, quæ vergit ad oppidum tota conspicitur prægrandibus ornata quadratis saxis per XXX. Spith. in porrectum, quo loco stat superimposita basis quadrata, & juxta eam non obscura basis alterius indicia. Quis, si divinare licet, institisse haud perperam pronuntiarem, considerata earum magnitudine, equestres Pollucis & Castoris statuas, iis tamquam loci præsidibus Diis positas: quorum honori ova quoque cursibus denotandis inducta, teste Tertulliano, adscribebantur. Ostiolum vero in hujus pulcherrimi operis medio affabre quam factum habet altitudinis Spith. X. paullo amplius latitudinis VI. Animadversum etiam a me est, theatrum e regione positum edito loco, ad mediam circi longitudinem respondere, toto oppido interjecto, quasi mutuo se se ædificia hæc respicientia. Et in altera fluminis ripa semiruti pontis vestigia exstant positi ex adverso theatri: & inter utrumque circus porrigitur flumini adjacens. Hic meus conatus in hac parte pro virili mea juvandis antiquitatis studiis: quem sane meliorem puto, quam meam operam. Voluntas enim libenter nititur ad præclara quæque, quæ præstare non potest industria; Vos meliora. Ad hæc collaudata Coraccianí diligentia, & humanitate, inquam ego, non magnum fuisse circum Saguntinis ædificatum colligitur vel ex magnitudine theatri, qua de antea pluribus: ad quam hoc opus temperatum, perinde est mihi clarum, quam, quum sudum est: & utrumque ad oppidi non multum numerosam multitudinem. Igitur hujus descriptionem a carceribus exordiens primum affero, teste Coracciano, funditus adeo intercidisse, ut ne vestigium ad eorum formam describendam exstet. Cæterum ligneis cancellis coercebantur equi. De quis Sidonius:

——— *ac per obseratas*
Transfumant tabulas ———

Portæ in carceribus XII. Cassiodorus: *Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuere*. Verum portam decumanam in medio patuisse, ex auctoribus mihi compertum, utrinque sex minores, quas inter hermuli collocati memorantur, carceres porro pinnis & turribus ornati quandam oppidi speciem præseferebant, quo loco magistratus

A spectabat. Adde ex Dionysio, & Cassiodorio, ostia omnia una simul machinatione aperiri. An vero cum circo olim pariter exstructi nec ne, non liquet ex auctoribus. Livius lib. IIX. Lucio Papyrio Crasso, Lucio Plauto Venone Coss. id factum docet. Dionysius antiquiores, qui lib. III. a Tarquinio Prisco arcuato opere positos scribit. Ad carceres denique, quod aliqui voluere, circum fuisse latiorem, & sensim angustari ultimas versus metas, uti obelisci, sive pyramidis jacentis redderet effigiem, ex hoc Saguntino refellitur; nam experimento modo comprobavit Coraccianus undique æque distare. A carceribus ad lineam, ubi

B in ordine collocati equi, inde omnes pariter cursum arripiebant. Lineam autem apud Raphaelem Fabrettum legisse memini rectam non fuisse, sed obliquam a primis metis ad dextrum podium, uti currus effusuri ab ultimis æque distarent metis: alioquin qui locum sortiretur interiorem metæ scilicet proximiorem, uti minore circuitione usurus, non habebat plane cur de victoria desperaret. Placet opinio, verum nihil hic ego meo periculo, fides sit penes auctorem. Siquidem Grævius ait, lineam esse sulcum solo impressum, cui calx vel creta insperfa erat, qui a sinistro podio ad dextrum extendebatur inter primas metas & carce-

C res, ad quem consistebant equi ex carceribus emissi, antequam effunderentur in arenam, ut frontibus æquatis certamen inirent. Et qui equos sustinebant hoc loci moratores vocari: hunc autem locum, est operæ scire, ab aurigis sorte capi, ut cui bona eveniret, interiorem, cui mala, exteriorem obtineret, quod deprehenditur ex Homero, & Virgilio. Verum a Poetis expiscamur, ex ipsis carceribus effusos equos. Cassiodorius ad lineam constitisse, clare docet, & causam affert, nisi forte lineæ nomine carceres intelligi voluerint. Ad metas hinc excurrendum. Metas, a-

D lias primas ad carceres, alias ad extremum Circi, hemicycli formam referens collocatas. Earum figuram expressit Tacitus de simulacro Veneris Paphiæ scribens, Histor. II. sic ille: *Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgens*. Tum Ovidius X. Metam. de Cyparisso agens:

—— *metas imitata cupressus*.

Ligneas prisca vidit ætas, auratas serior. Inter metas spina protendebatur, seu vallum, murus nempe VI. pedes altus. In medio ejus spatio obeliscus soli dicatus eminebat; lunæ minorem posuere. Super

E terminos spinæ treis fuerunt columellæ, trianguli specie, pari utrinque intervallo dispositæ. Et ova singula super trabeculam columellis innixam per singulas circuitiones, & delphini pariter a ministris signandi gratia erigebantur, vel deponebantur, utrumque enim legitur. Verum ova adhibita, prope finem lib. XLI. narrat Livius dicens, & ova ad notas curriculi numerandas. Quod Octaviani ævo ab Agrippa institutum scribit Dio. Mysteria vero a Tertulliano petenda. A divinaculis, qui hoc loci spatiabantur, *fallacem circum* appellavit Horatius. Plura Juvenalis Satyr. VI. Memorantur ædiculæ, aræ, mercatorum tabernæ, &

F alia, quæ alias, ubi plus otii. De gradibus autem, quid dicam nescio, nisi me ad incitas redactum. Et qui possum, si apparent ipsi nusquam in hoc circo? lapideis certe excepta olim spectacula; tametsi tabulata eorum loco fixa aliquando legamus. At quidnam dicatur linea in sensu Ovidiano:

—— *cogit nos linea jungi*.

non convenit inter Scriptores. Placet Salmasii

sententia afferentis, esse longum & rectum subselliorum ordinem per Circi extentum latus, in quo spectatores sedebant, ubi propter angustias non facile potuerit ille locus deseri, quem quis cœpisset, sine incommodo & molestia. Ego vero tabulas illas e saxo, de quis antea: sed digitum tollo, non equidem ausim quicquam, ne conjectare quidem. Loca autem divisa in circo, ex iis quæ de Theatro diximus, apparet satis, hic ego non recoquam, addam tamen a Lipsio, Taciti commentariis, quæ mutuo accepi: Ad Augusti nempe ævum spectaculum id senatum, equitem, plebem inisse indiscretos. Nam Roscia lex & Julia Theatralis, de scena tantum caverant, non de curulibus ludis. Qui, quoniam antiquissimi, religione quadam, censeo, & simul non alienandæ plebi, servatus in iis mos priscus. Cornelio Cinna demum & Valerio Messala Coss. anno Urbis DCCLIIX. mutavit Augustus. Dio lib. LV. id docuit. Sed ita, ut saltem juberet seorsim spectare senatum, seorsim equitem: non tamen loca illis certa adsignata stataque. Itaque in alia atque alia regione circi spectabant (sedilibus videlicet his aut illis a plebe occupatis) donec tollendæ confusioni, Claudius Imperator Senatui attribuit certam, mansuramque sedem. Suetonius cap. XXI. *Circo maximo marmoreis carceribus, auratisque metis exculto, propria Senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis.* Sed Claudius Senatui tantum, Nero equiti. Suetonius c. XI. *Circensibus loca equiti secreta a cæteris tribuit.* Aliter paullo Tacitus Ann. XV. *Equitum Romanorum locos sedilibus plebis antepofuit apud Circum.* Plinius lib. IIX. cap. VII. satis ostendit nova exædificata ea loca fuisse: *Cæsar dictator*, inquit, *euripis arenam circumdedit, quos Nero Princeps sustulit, equiti loca addens*, In veste tamen privata, etiam post divisa loca, licuisse Senatoribus promiscue spectare, indulgente Claudio, in Dionis LX. videre est. Exemplum apud Plinium lib. IX. ubi de Cornelio Tacito senatore agit, alieno loco spectante. Mulieres temere sedisse cum viris, quam clare scriptum est a Nasone, & Juvenale. Verum in hac re, ut in cæteris ad ludos spectantibus, sæpe variatum: & quædam spectacula mulieribus concessa, quædam prohibita. Sed de his alibi satis. Ad mediam portam sedebat ipse munerator in cultu & curru triumphali, & munera post ludos amicis mittebat. Et hæc de ratione sedendi. Scamillos, pulvillos, flabella in Circum, non secus ac Theatrum illata colligimus ex auctoribus. Per crepidinem autem cancellos excurrisse Poetæ simul & Historici meminere. Ubi vero legerim ab usque Ægypto arenam sternendo circo advectam non succurrit, & nonnunquam minio & chrysocolla a Caligula sparsum docet Tranquil. hæc operæ duxi adjicienda, ne mera circi rudera percurrisse videremur. Ubi desii, Morologus continuo: hic ludos spectatum convenisse olim populos intelligo, non vero qui fuerint scio. Iccirco amabo te, ne gravare paucula, ne veluti exciratus spectaculis, ejectusque ad municipium nihil referam quod narrem. Hic Castelvinius: non prorsus inhonesta hujus oratio est, & molli quando in herba consedimus, frigoris captandi gratia, bene est ut de Circensibus quæ legimus paucis perstringamus. Annuimus nos, & cum voluptate differentem audituros significavimus.

De Ludis Circensibus.

CIrcum Soli Sacrum (infit ille) docet Tertullianus; vel (ut ejus verbis utar) *principaliter consecratum*, unde ut plurimum quadrigis certabatur: quas mox ruituras significabat qui præcurrebat iis albus equus tanquam lucifer solis prænuncius. Innuit Ovidius XV. Metamorph. & Trist. III. Nec ab hac religione immunes Solymorum Reges fuisse videntur, IV. Reg. cap XXIII. ubi de Josia Rege sic legitur: *Abstulit quoque equos quos dederant Reges Judæ ... currus autem solis combussit igni.* Quem locum exponens Abulensis antistes perstrenue nugatur. Diis inferis trigas dicabant, lunæ bigas, altero equo candido adjungentes nigrum. Rationem mysticam a rebus petitam, si memini, Plinius lib. IIX. cap. XLII. tradidit. In circum pompa inducebatur, thensisque Deorum imagines, verum non vacat hæc pluribus persequi. Tertullianus veluti in transcursu nonnulla exposuit. Uberius lib. VII. Dionysius, aliique. Peractis sacrificiis, ludis dabatur opera. Qui in Deorum honorem, seu pro victoria, vel in mortuorum memoriam, & in sacrarum ædium dedicatione, & pro aliis talibus edebantur. In publicis calamitatibus, & pro valetudine principis, aliisque de causis vovebantur. Ædiles facere cogebantur, quorum profusionibus ad consulatum via sternebatur. Sæpe ob ingentes sumtus, quibus ab ædilibus certatum fuit, leges iis coercendis latæ: sæpius eorum magnitudine deterriti Senatorum nemo ædilitatem gerere volebat. Et sub Tiberio, quod inopes homines in ludis edendis facultates absumebant, Senatus Consulto id vetitum iis, quibus minus quadringentis millibus census esset. Equidem expendi solita, narrat Asconius in III. Ciceronis Verrinam, ducenta millia nummum. Cæterum XXV. fuisse missus per factiones quatuor, more Romano, innuit Maro III. Georgicῶν, dicens:

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Hoc est C. quadrigarum veteri instituto. Et vigesimus quintus, ærarius dicebatur, quod de collatione populi exhiberetur. Sed & in numero variatum est. C. missus sub Domitiano exhibitos narrat Tranquillus. *Circensium die* (inquit) *quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit.* Hinc est quod sub Caligula, eodem adstipulante Tranquillo, ludi hujusmodi ab usque mane ad vesperam leguntur protracti. Factiones insuper quatuor, pro anni temporibus: videlicet Veneta quæ cærulea, prasina, quæ viridis dicta est, alba, & russea. Duo primi colores hyemi & veri dicati, æstati & autumno postremi. Et Diis quoque & Elementis tributi. Per initium duo modo colores, albus, & russeus ex Tertulliano. Post frequentati quatuor, & aliquando sex, additis a Domitiano duobus, uno aureo, altero argenteo. Unde Dio in Severo tradit, sex currus una missos. Sed duo novissime adjecti haud ita diu post interciderunt. Signum currendi tuba datum. Mappa a Nerone, & sequentibus, quam Martialis *cretatam* vocat. Sed si credimus Polemei Silvii, vel P. Annei Silvii laterculo, vetustissimus multo est mappæ usus. Ait enim ad diem VII. Januarii. *Prima consulis mappa, quæ ideo sic vocatur, quia Rex Tarquinius Romæ dum die Circensium pranderet in Circo, de mensa sua mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abjecerat.* Re prolapsa publica Imperatorum vitio, & equites & senatores, & principes aurigasse legimus, atque adeo impense Romani ludis dediti erant, ut inter alia effusissimi studii documenta scripserit lib. X. cap. XXIV. Plinius Cæcinam quendam Volaterranum equestris ordinis, quadrigarum dominum, solitum quas secum domo efferebat hirundines illito victoriæ colore misisse nuncios amicis, ut in nidum eundem remeantes victores evulgarent. Unde nihil mirum si aliquando triginta & amplius dies relictis rebus omni-

bus, ludis impenderet populus ille, qui a magistratu duo omnino petebat, ut inquit Satyrographus,

—— *Panem, & circenses.*

Factionis item colore induebantur, agitator, ministri, dominus & currus, & Byzantium avecta imperii sede, Constantinopolitæ illius coloris gestavere vestem, cujus factioni studebant maxime, qui nonnunquam favendi ardore perinde incaluere, ut Belisarium seditioni Circensi interfuisse, proditum sit, in qua XXXV. hominum millia ceciderunt. Sed de his in Theatro satis multa. Cæterum spectacula, effusis curribus, factionum studio accensi, ut suos quisque adjuvaret, manus agitabant, e sedibus exsiliebant, vestem attollebant, clamabant, hortabanturque incitare, atque efficere se putabant, ut velocius equi pervolarent, modo huc, modo illuc, una cum equis sese flectentes, & manum quasi flagellum in ipsos extendentes, atque incutientes. Si missus non esset legitimus, revocabatur, togis, ut ait Ovidius, jactatis. Rursusque ad lineam reducti, emittebantur. Inter laxandum repagula rixæ frequentissimæ, probra in Magistratus, convitia in Deos: pignoribus positis concertationes, & alia talia. Erat & ingens administrorum familia, suo quisque muneri intentus. Qui gregibus aurigarum præerant, Magistri, Domini, & Conditores vocabantur, Medici, Veterinarii, mulomedici, ut aurigas, & jumenta casu luxata curarent. Tentores tenendis repagulis, ut censet Turnebus, vel equis, & curribus, antequam vices, sortesque eorum cursus venissent. Viatores, succenditores, procuratores, factionarii, & aliæ fortasse nomenclaturæ in hocce ministerio, quæ ætatem ferre non potuerunt. Multa Cassiodorius, qui & mysteria recludit. Cæterum aurigæ summo studio contendebant, quam proxime metam interiore rota subire, quod eum locum occupare ad victoriam multum conferebat. Qui vero spatioso eam orbe circuibat, longius quoq; aberat a spe vincendi. Sed quandoque ars arte vincebatur. Nam alii alios sese evertere contendebant, & id præcipue intendebant ad eum locum ubi princeps sedebat, ut eum oblectarent, ut inquit Serm. de humanit. Chrysostomus: *Aurigæ prætercurso totius populi Theatro, contendunt eo loci adversariorum currus subvertere, ubi Regem viderint sedentem, & unum oculum tot vultibus digniorem putant.* Cujus rei exstat exemplum apud Xiphilinum, qui tradit Hieroclem Eliogabali maritum ante ejus sellam curru excussum. Ad magicas item artes confugiebant, præstigiisque impediebant adversariorum equos. Est apud Hieronymum in vita Hilarionis hujus rei luculenta historia. Aurigas porro stantes decurrisse, non uno loco innuit Divinus Vates. Desultores ex equo in equum insilire, apud quem auctorem legerim non succurit, e proprio cerebro depromtum sane non est. Denique ubi ad finem prope cursus ventum erat, cum vix suppeteret septem circi spatiis equorum spiritus ab eleganti poeta ilia trahentes describuntur:

—— *nec jam integer illis*
Spiritus, & longi suspendunt ilia flatus.

Mox sedato eorum anhelitu aqua abluebantur, oleoque inungebantur. Inter celebratissimos olim equos fuit ille Incitatus, Caligulæ usque eo amatus, ut ad cœnam vocaret, & ei ordeum aureum objiceret, & vinum aureis pateris propinaret, sancteque adjuraret per salutem ejus, & fortunam, se eum consulem facturum: facturus si diutius vixisset. Hæc Dio. Nec minus stolidum, excerebratumque illud Neronis factum, ab eodem auctore lib. LXI. narratum. *Insignes* (ait) *equos victores, & jam senio confectos, stola forensi non secus quam homines ornaret, eosque honestaret pecunia, stipendii loco.* Equi probatissimi Hispani, Cappadoces: Italos quoque commendat Plinius. Fuere publici & privati: & provinciæ quædam vectigales equos ac quadrigas populo Romano pendebant. Et quidem famosissimi in saxis nominati, & Poetarum carminibus celebrati. Interdum aliis jumentorum generibus aurigatum est, ut camelis, ferisque belluis. Canes item pro equis in circum inductos sub Nerone tradit Dio. Proditumque memoriæ est, Romæ quadrigas ex asinis immenso constitisse, adeo ut unæ quadrigæ quadringentis millibus venirent. Nero demum fertur in Olympiis aurigasse, & victor fuisse curru decemjuge. Victoribus sua erant præmia constituta.

Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio.

Et quidem diversis temporibus diversa, palmæ præcipua, & coronæ. Sequioribus sæculis aurei, quos a præfectis certaminum exegisse pro aurigatione Caracallam, & Heliogabalum, Xiphilinus scripsit. Hæc curabant qui postea fuerunt tribuni voluptatum vocati, queis erat curæ quadrigas committere, præmia constituere, victoribus distribuere, controversias ortas dirimere, & hujusmodi alia. Quæstores erant quoque qui expensas procurabant. In summa qui plura volet, adeat Virgilium, Martialem, Silium, Statium, Livium lib. X. exeunte, Suetonium, Flavium, Vopiscum in Aurelio, & tota ferme veterum scriptorum agmina; adjiciam tantum Circenses ludos pene cum ipso imperio Constantinopolitano interiisse. Post equorum certamina subintrabant cursores, pugiles, luctatores, inquit Dionysius lib. VII. Cursores exhibuit nobis Virgilius, & qui eum imitatus est Silius. Virgines quoque cursu certasse narrat Dio LXVII. & Tranquillus in Domitiano cap. IV. Pugiles eleganter descripsit Virgilius. Tertullianus præter pugnos adjecit & calces & colaphos & omnem petulantiam manus &c. Athletæ item vires exerebant, & valido nexu implicitum adversarium, pedibusque subductis, qui plus corporis robore & arte pollebat, in terram arietabat. Primos spectavit Roma, quos in ædilitate dedit Æmilius Scaurus. Troja etiam ludicri genus, de quo passim in vetere scriptura, turmæ erant duplices, una minorum puerorum, altera majorum, Suetonius in Tiberio: *Ductor turmæ puerorum majorum.* Hi erant primo ætatis flore pueri nobiles, & juvenes generosi spiritus, qui hinc inde dispositis turmis, tanquam acie instructa in modum justæ pugnæ equis cursitarent, speciemque prælii, modo in occursum eundo, modo a tergo, & in gyrum occursando præberent, & hæc quidem sublatis metis, non secus ac in ferarum venationibus, ac gladiatoria strage fiebat, ut latius dimicari posset: legite si vultis Tranquillum in Cæsare, & in Caligula. Et ut feras non omittam agitatas olim, confectasque (unde certe fluxit taurorum agitatio apud nostrates solennis) *quinque millia* uno die exhibuisse Titum *omne genus ferarum*, idem auctor memorat. Elephantos decertasse quis nescit? quis grues, & avium diversa genera inter se commissa? De Elephanto & viro Martialis eleganter lusit. Leones confectos ad fastidium legimus, Pantheras, Ursos, Pardos, Tauros, Apros, Tigres: de quis post alia Petronius:

—— *premit advena classes*

Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.

Vetitum tamen quandoque SCto Africanas in Italiam transportare, docet vetus historia. Afri quoque venatores, Æthiopes, noxii. Bestiarii vulgato nomine, confectoresque ferarum. Conficiebant & fœminæ, sic Martialis de Spectaculis ep. VII. & a fœmina leonem confectum, ibid. VIII. Feræ autem in vivariis publica impensa, & noxiorum corporibus alebantur. Addam & rem per sane miram, quam in Nerone Dio narrat, ludis Matris Agrippinæ Elephantum in theatrum introductum, in summum ejus fornicem conscendisse, atque inde vehentem hominem ambulasse in fune. Ad hominum autem feritatem belluina longe immaniorem deveniens, videte quæ fecit summus ille Imperator C. Julius Cæsar: Equites Equitibus, pedites peditibus commisit in circo, & LX viros in Elephantis, qui justa pugna manus consererent. Hæc Dio XLIII. Qui primus gladiatores dedit, Junius Brutus in honorem defuncti Patris fuisse traditur. Et digladiati fuerunt postea, non qui venalem modo sanguinem haberent, sed & Equites Romanos, sed & Senatores. Horum enim Nero Cæsar CD. illorum DC. ad ferrum exhibuit. Domitianus & fœminas. Suetonius cap. IV. *venationes, gladiatoresque & noctibus ad Lychnuchos dedit: nec virorum modo pugnas, sed & fœminarum*: quod sub Severo SCto vetitum ait Xiphilinus. Quid plura? Intra mensem constat XXX. hominum millia fuisse Romæ in spectaculis contrucidata. Unde gladiatorum munus a Constantino Magno vetitum L. unica de glad. lib. III. Cod. & *Theodoricus Gothorum Rex, ita gladiatores odio prosecutus fuit, ut optantibus Romanis non modo illos denegarit, sed nunquam postea edi permiserit*. Sic Alexander Neapolitanus. Hinc potest conjici quanta essent feritate Romani, ut a gente feritate nobili ea fuerit cohibita, coercitaque. Reliqua veteris insaniæ documenta petat, qui volet a Lipsio alias laudato. Hic ego: quando primaria in circo edi solita attigimus, Naumachias non est cur omittamus, etsi piget, mox faxo, ut Suetonii Claudius hortator adsit. Tenesne? recte (inquit ille) tu id quidem, & ex instituto. Verum ego non pugno. Tu vero qui tam pulchre dixti, perge, quod inceptasti, tute facere commune. Sub hæc ego: non erit in me mora, ut morem tibi geram. Sic meritum est tuum. Itaque Naumachiam a C. Cæsare editam narrat Dio, effosso ad id loco in campo Martio, eoque aqua repleto, inductisque navibus. Augustum etiam structo cis Tiberim stagno dedisse, ex Tranquillo compertum, id posteri imitati. Et Claudius magnificentia operis omnes superavit, qui in Fucino lacu exsiccando, deprimendoque, & monte perrumpendo undecim annos, triginta hominum millibus sine intermissione operantibus, insumsit. In eoque naumachiam dedit C. triremibus, utrinque L. partium alteri nomen Rhodiorum, alteri Siculorum inditum: & ut inquit Ta-

A citus, *undeviginti hominum millia armavit*, & post, *pugnatum, quamquam fontes fortium virorum animo*. In circo quoque naumachiæ editæ, quod passim veteres Scriptores, & innuit Bilbilitanus de Spect. epig. XXXI. In amphitheatro item suo Titus dedit pugnam navalem in Corcyrenses, & Corinthios divisis pugnatoribus. Et iisdem ludis, qui per C. fuere dies, Atheniensium nominibus, & Syracusanorum, pugnatum in eo loco quem Augustus ob eandem causam perfodi jusserat. In Circo ideo euripos exstructos nullus dubito, priscis temporibus, ut essent septorum loco, & quidem profunditate decempedali, de quis vi-
B dendi Plinius lib. VIII. cap. VII. & Dionysius lib. III. ejusque operis auctorem agnosco ex ejusdem Dionysii lib. III. Tarquinum Priscum. Sed tunc naumachiæ non datæ, quod sciam, Hippopotamos, & Crocodillos in aqua scio interfectos. Et si bene memini, M. Scaurus primus spectacula dedit hujusmodi. Apud auctorem legi, inferioribus temporibus, Euripum spinæ loco fuisse. Non pugno nec cum Lampridio, qui de Heliogabalo sic scribit: *fertur in euripis vino plenis navales Circenses dedisse*. Et ne multus sim, quidquid Romæ spectandum erat, in circum inducebatur: ut Came-
C lopardalis apud Dionem, Alces in Aureliani triumpho, & alia. Interpellavit hic Morologus dicens: Et in circo ubinam mutuli velis sustinendis? Soli exposita, inquam, & imbri spectacula. Testis oculatus adest Chrysostomus. Homil. de Eccles. *Et in circo, ubi tectum non est, etsi ruit imber, stant furentes, ac perdurant*: & totos ibi dies insumtos, quod aliquando ab editore populo datum epulum, non nescimus. Iccirco umbellis, pileis, Thessalicis, aliisque sibi prospiciebant spectatores. Et de birris datis fit quoque mentio, non quod nesciam aliud ex Livio colligi posse, qui lib. XXXIX. hæc habet: *malus in circo in-*
D *stabilis in signum pollentiæ procidit, atque id dejecit*. In quem ergo usum mali in circo surrecti, nisi velis sustinendis? fortasse in Constantinopolitano aliter. Sedilia vero tecto operta, narrat in circo maximo fuisse Dionysius lib. III. Sciendum postremo, multa theatro, & circo, & amphitheatro communia fuisse, milites stationarios seditionibus coercendis, factiones, leges, quibus dignitati nobilium ibant consultum, & ad quarum perscriptum temperabatur hominum immodestia: honores civibus optime meritis de republica habitos: missilia, quæ tesseris jactis ad populum Princeps spargebat: quas tesseras in globulos reforma-
E tas video Titi ævo apud Dionem. Et alia permulta, quæ passim inter legendum vetera occurrunt. Hæc hactenus: nam singula minutatim persequi, fastidii vitandi ergo consulto negleximus, nisi aliter Morologus noster statuendum censet. Qui se affatim antiquitatis rebus doctum prædicans, & gratias agens, a nobis, ut videbatur, non indelectatus discessit. Inde nos curru revecti Valentiam properavimus, ubi cœna & fabulis saturi somno fatigata membra reficienda curavimus.

FINIS.

NICOLAI CALLIACHII

IN GYMNASIO PATAVINO

Græcæ Latinæque Humanitatis olim Professoris

DISSERTATIO

DE

LUDIS SCENICIS.

NICOLAI CALLIACHII
DISSERTATIO
DE
LUDIS SCENICIS.



Scenicis Ludis in Urbe Roma, quæ prima fuerit causa & origo, scribit Livius lib. VII. anno ab Urbe condita 389. his verbis: *Et hoc & insequenti anno C. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone Consulibus pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deum exposcendæ causa, tertio tum post conditam Urbem Lectisternium fuit. Et cum vis morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti sunt.* Quamvis autem non semel hujusmodi ludi in Circo editi sint, communiter tamen edebantur in Theatro, quod ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod est *spectare*, nuncupatum est: quippe in illo sedendo cum conjugibus & liberis, ludos hujusmodi spectare mos erat Romanis. Diu vero apud eosdem nullum Theatrum fuit. Nam initio quidem, ut Julius Cæsar Scaliger docet, siqui erant certaturi (aut gymnicis intellige certaminibus, aut aliis) in medio datis nominibus profitebantur. Circumfusa autem multitudo, una cum Judicibus ad spectandum confluebat. Et primo quidem stantes spectabant, postea vero subsellia sibi quisque afferre cœperunt. Primi Theatrum faciendum locarunt M. Valerius Messala, atque C. Cassius Longinus. Sed authore P. Scipione Nasica, omnem apparatum operis eorum subjectum hastæ venire placuit. Quinimo S. C. cautum est, nequis in urbe, propiusque passus mille subsellia ponere, sedensque ludos spectare vellet. Scilicet, ut advertit Val. Maximus lib. 2. cap. 4. ut *remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ Gentis nota esset*. Deleta Corintho primus L. Mummius Theatrum, sed temporarium erexit. Celeberrima vero post istud fuerunt, quod M. Scaurus fecit in Ædilitate sua, & quod fecit Curio tantæ magnificentiæ, ut demirari non desinat Plinius lib. 36. cap. 15. Primus autem mansurum Theatrum fecit Romæ Pompejus Magnus ad illius exemplum, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico, ut refert Tacitus lib. 14. Sed veritus censoriam notationem, non Theatrum, sed Veneris Templum nuncupavit. De quo proinde Tertullianus lib. de Spectaculis: *Pompejus*, inquit, *Magnus solo theatro minor, cum illam arcem omnium turpitudinum erexisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris Ædem superimposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, sed Veneris Templum nuncupavit, cui subjecimus*, inquit, *gradus spectaculorum: ita damnatum, & damnandum opus templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione illusit*. Post Pompejanum istud, alia, deinde extructa sunt Theatra, & Amphitheatra, quæ referre non est opus.

Erant autem Theatri partes, *Scena*, *Orchestra*, *Proscenium*, & *Pulpitum*. Scena frons erat Theatri, atque ab uno ejus cornu ad alterum protendebatur. Erat vero scena antiquis umbraculum ex arborum frondibus umbræ causa a rusticis institutum: id enim σκηνὴ significat, ubi festis diebus convenientes diversa ludorum, & jocorum genera exercebant. Ita testatur Cassiodorius lib. Variarum 4. Tria tamen postea facta sunt scenarum genera, ut author est Vitruvius: *Tragicum*, *Comicum*, atque *Satyricum*; quorum ornatus inter se dispares erant, atque dissimiles. *Proscenium* locus erat ante scenam porrectus, in quo erat *Pulpitum*, agentium, & loquentium locus. *Orchestra* autem apud Græcos quidem erat locus, in quo saltationes peragebantur: apud Romanos vero locus, in quo considebant spectaturi Senatores.

Ab hujusmodi scenis nomen desumserunt Ludi Scenici, quorum species fuerunt *Tragœdia*, *Comœdia*, *Satyrica*, & *Mimus*. De tribus prioribus actum est a nobis alias fusius. In præsentia de Mimis agere, & opportunum & fortasse non injucundum fuerit. Qua in re illud primo animadvertendum est, Mimi nomine tum Poema quoddam, seu Dramma, tum Actorem ipsum significari. Ut enim πλάνος tum *errorem*, tum *erronem*; ut μῶμος & *irrisionem*, & *irrisorem*; ita Mimus & Fabulam significat, & Histrionem. Nos in præsentia non de Fabula, sed de Histrione agemus. Hujusmodi autem Histriones appellati sunt *Mimi ab imitando*. Etsi enim Poetæ in universum omnes imitentur, Mimi tamen quodam quasi privilegio nomen illud sibi vindicarunt. Audiamus Diomedem. *Mimus*, inquit, *dictus* ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, quod est *imitari*; non quasi solus imitetur, cum & alia Poemata idem faciant; sed solus quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit. Atque hinc idem Diomedes lib. III. Mimum definit, quod sit, *Sermonis cujuslibet, motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio*. Imitabantur autem ridicula, atque etiam non raro lasciva etiam Comici: sed nempe Mimi lascivia, & petulantia vincebant: atque veluti materiam sibi propriam vindicabant res personasque viles, dicta vel ridicula, vel etiam obscæna, atque falsa etiam non raro, & mordacia. Atque hinc *urbani scurræ* audiebant; & Ovid. lib. III. Tristium, *Imitantes turpia*, *Mimos* appellat.

Inter hos autem alii quidem appellabantur *Pantomimi*, quoniam effingerent, atque imitarentur omnes alias personas: alii vero, quos Lesbonax Mitylenæus Χειροσόφους, hoc est *manu sapientes* appellat. Atque hi taciti, veluti præscriptis motibus, & nutibus, cum manuum gesticulatione saltabant: idque tanta cum arte, ut non

actus ſingulos, ſed integras etiam fabulas ad vivum ſpectatoribus repræſentarent. Atque ex horum familia, auctor eſt Lucianus Dial. de Saltat. antiquum illum Proteum fuiſſe, qui ſciret ſe in omnia formare, omniaque imitari ita, ut aquæ humorem, & ignis acumen per motionum celeritatem imitaretur; Leonis quoque & Pardalis feritatem, arboris ſuſſurrum, & quidquid collibuiſſet referret.

Advertere autem oportet, *Pantomimos* iſtos, & *Chironomos* aliquando quidem ita res repræſentaſſe, ut cum Choro canente certarent. Quippe chorus ingrediens rem illam, ſeu fabulam canebat: quam deinde *Pantomimus* geſtibus, atque nutibus ſaltaret, atque ita ſaltando exprimeret, ut quæ auribus Chorus, oculis ipſe referret. Rem hanc nobis exponit Incerti auctoris Epigramma lib. Epig. 4. cui Lemma eſt, *Pantomimus*. Ait enim:

Egreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
Solerti ſpondens prodere verba manu.
Nam cum grata Chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ reſonat Cantor, motibus ipſe probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, aſtat:
Illuſtrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro, mirabilis eſt res,
Quæ facit articulos, voce ſilente, loqui.

His autem concinit Caſſiodorius lib. IV. Variarum, epiſt. ult. dum inquit: *Pantomimo igitur, cui a multifaria imitatione nomen eſt, cum primum in ſcenam plauſibus invitatus advenerit, aſſiſtunt conſoni Chori, diverſis organis eruditi. Tunc illa ſenſuum manus, oculis canorum carmen exponit, & per ſigna compoſita, quaſi quibuſdam literis edocet intuentis aſpectum. In illaque leguntur apices rerum, & non ſcribendo facit, quod ſcriptura declaravit. Idem corpus Herculem deſignat, & Venerem: fœminam repræſentat, & marem: Regem facit, & militem: ſenem reddit, & juvenem, ut in uno credas eſſe multos tam varia imitatione diſcretos.* Et ſane in uno multos credidit barbarus ille, cujus meminit Lucianus Dial. citato; qui cum perſonas quidem quinque paratas videret (quinque enim actibus conſtat Fabula) & non niſi unum ſaltatorem, *Quinam quæſo*, inquit, *quatuor reliquas perſonas aget?* & cum, *Unum illum*, reſponſum fuiſſet, tunc barbarus: *ἐλελήθει ὦ βέλτιστε, σῶμα μὲν τοῦτο ἓν, πολλὰς δὲ τὰς ψυχὰς ἔχων.* Scilicet: *O optime fefelliſti: corpus quidem iſtud unum, multas vero habet animas.* Sed ex his tamen colligitur, quæ reſonabant Cantores, & Chorum, motibus Pantomimos, & nutibus expoſuiſſe, quam in rem aſſiſtentes Choros refert etiam Caſſiodorius.

Sed qui præſtantiores erant, magiſque celebrati Pantomimi, & Chironomi, ipſi fabulas ita ſaltabant, ut muti licet, & non loquentes, intelligerentur tamen, & audirentur. Atque ex his unus fuit, qui Demetrium Cynicum redarguit, qui ſaltationem, veluti *πάρεργον* quoddam, atque fabularum, tibiarumque, & Chori additamentum flocci faciebat. Nam ut narrat idem Lucianus, Neronis ille ſaltator Demetrium precatus eſt, ut ſe ſaltantem, nullo tibiarum aut canticorum auxilio, ſpectaret. Silentio proinde ſonis, & tibiis Chori indicto, ipſe per ſe ſaltitare cœpit Veneris, & Martis adulterium: Solem id manifeſtantem, & Vulcanum dolum cogitantem; & ambos, Venerem ſcilicet & Martem vinculis irretitos, Deoſque ſpectaculo aſſiſtentes, Venerem pudore ſuffuſam, Martem ſubverentem, & ſupplicantem, omnia denique, quæ hac fabula continentur, adeo ut vel ipſe Demetrius exhilaratus exclamaverit: *ἀκούω ὦ ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς, ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν.* Atque hinc Poetæ operoſos hujuſmodi Hiſtriones, qui geſtibus loquuntur, nutu manibuſque loquentes ſæpius jactant, & Caſſiodorius lib. 4. epiſt. ult. *Hic ſunt*, inquit, *borciſtarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, clamoſum ſilentium, expoſitio tacita*. Et lib. primo ep. XX. *Hanc partem*, inquit, *Muſicæ diſciplinæ mutam nominavere majores noſtri, ſcilicet, quæ ore clauſo, manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut ſcripturæ textu poſſit agnoſci.* Et Manilius de his loquens lib. V. Aſtronom.

Omnes fortunæ vultus per membra reducet,
Æquabitque Choros geſtu, cogetque videre
Præſentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem
Quodque agit, id credas, ſtupefactus imagine veri.

Mirum autem eſt, quanto ſtudio, imo furore, in hujuſmodi ſpectacula veteres illi Romanorum ruerent, quamque non Circo minus, quam ſcenæ vacarent. Roſcium Comœdum annua mercede, eaque publica dumtaxat, non minus ſex & triginta millibus aureorum meruiſſe auctor eſt Budæus lib. 2. de Aſſe. Roſcio vero hoc, & Æſopo Tragœdo adeo familiariter uſus eſt M. Tullius, ut res rationeſque eorum ſua ſolertia, & eloquentia tueretur. In oratione vero quadam etiam populum objurgavit, quod Roſcio geſtum agente tumultuaverit. Ipſe vero, ſi credimus Macrobio lib. Saturnal. 2. cap. X. cum Roſcio contendere ſolitus erat, utrum hic ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efferret, an ipſe per eloquentiæ copiam, ſermone diverſo pronunciaret. Sed hi tamen Comœdi, & Tragœdi. Sed Pylades, atque Bathillus nil aliud, quam Pantomimi. Quibus tamen non indulſit modo Auguſtus, dum Mæcenati obtemperat effuſo in amorem Bathilli, ut refert Tacitus Annal. lib. 1. cap. 24. verum etiam primus illos Romam invexit, ſi Suidæ fides, qui *ὄρχησις*, inquit, *παντόμιμος. Ταύτην Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου, καὶ Βαθύλλου αὐτὴν μετελθόντων.* Atque Zoſimus lib. 1. inter cauſas labefactati Imperii non vane refert, quod Octaviani temporibus, Pantomimorum ſaltatio prius incognita, in uſu eſſe cæperit, Pylade, atque Bathillo, qui ignis, & delicium Mæcenatis erat, primis ejus auctoribus. Cujus vero Cæſar tanta cum voluptate Pantomimos ſpectabat, ut referente Seneca lib. 1. de ira, Cælo etiam iraſceretur, cum obſtreperet Pantomimis. Jam vero quam ſtultum reliquæ multitudinis ſtudium. Veſtibula eorum, quaſi Principum frequentabantur: adhærebant egreſſibus, non vulgus modo, ſed equites, Senatoreſque, quos idcirco epiſt. 47. *mancipia Pantomimorum* appellat Seneca. Sed gravius & fuſius hanc pravam conſuetudinem traducit lib. 7. Nat. quæſt. quæſt. ultima, ubi hæc habet: *Ad ſapientiam quis accedit? quis dignam judicat, niſi quam in tranſitu noverit? Quis Philoſophiam, aut ullum liberale ſtudium reſpicit, niſi cum ludi intercalantur, aut aliquis pluvius interceſſerit dies, quem perdere liceat? Itaque tot familiæ Philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres, & novi nullum Antiſtitem reliquerunt...... At quanta cura laboratur, ne cujus Pantomimi nomen inter-*

cidat? Stat per successores Pyladis, & Bathilli A *domus: harum artium multi discipuli sunt, multi magistri, privatim, urbe tota sonat pulpitum. In hoc viri, in hoc fœminæ tripudiant; mares inter se, uxoresque contendunt, uter det latus illis*. Repetit has Senecæ querelas Columella lib. 1. de Re Rustica in præfat. Ubi *omnes*, inquit, *(sicut M. Varro jam temporibus Avorum conquestus est) Patres familias falce, & aratro relictis, intra murum correpsimus, & in Circis potius, & Theatris, quam in segetibus, & vinetis manus movemus, attonitique miramur gestus effæminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiuntur, decipiuntque oculos spectantium*. B

Quid plura? tam late hæc θεατρομανία homines dementaverat, ut non solum Ethnici nulli rei libentius vacarent, quam Circo, & Scenæ, nec aliud intemperantius concupiscerent, quam *panem, & Circenses*, ut queritur Juvenalis; sed illi quoque prisci Christiani, qui ceteris cupiditatibus temperare consueverant, ægre tamen ab hisce spectaculis divellerentur. Cujus rei indices sunt SS. Patrum invectivæ, quibus in illius temporis Christianos detonarunt. Acriter in hos invehitur D. Chrysost. Homil. 1. in Natal. quod non tanto studio divinis Mysteriis, atque eorundem auscultationi vacarent, quantum impenderent spectandis impudicis mulieribus in Satanicis Theatris; ubi totos dies perseverarent, cum in Ecclesiis, ubi tamen Deus loquitur, ne minimum quidem temporis commorari sustinerent. Sed audiri quoque meretur Salvianus, dum lib. 6. de Gubern. Dei cap. 7. hanc perversitatem sic increpat. *Nos Ecclesiis Dei ludicra anteponimus, nos altaria spernimus, & Theatra honoramus; omnia denique amamus, omnia colimus: solus nobis in comparatione omnium, Deus vilis est: spernitur Dei templum, ut curratur ad Theatrum: Ecclesia vacuatur, Circus impletur: Christum in Altari dimittimus, ut adulterantes visu impurissimo oculos ludicrorum turpium fornicatione pascamus*. Sed parum tamen profectum est his cohortationibus. Viget etiamnum publicum istud malum; atque genus istud hominum, licet caret non modo reliquorum civium honore, sed & nota censoria dignum judicatum sit, atque per leges cum Pontificias, tum Civiles damnatum, nihilo tamen minus sustinetur.

F I N I S.



NICOLAI CALLIACHII
IN GYMNASIO PATAVINO
Græcæ Latinæque Humanitatis olim Professoris
DISSERTATIO
DE
CIRCENSIBUS LUDIS.

NICOLAI CALLIACHII

DISSERTATIO

DE

CIRCENSIBUS LUDIS.



Ircensibus Scenicisque ludis summopere delectatos veteres Romanos, ex historiis perspicuum est. Hanc insaniam eorum Satyra octava vers. centesimo decimo octavo sugillat Juvenalis, dum Urbem appellat *Circo scenæque* vacantem; & Sat. 10. ubi ait, duas tantum res Populum Romanum anxie optare, *Panem, & Circenses*. Hæc me monent, ut de re apud peritiores quidem & antiquis mysteriis initiatos satis nota, non tamen fortasse satis apud tyrones, atque idcirco jucundissima futura, breviter agam, paucis exponendo & originem primam horum ludorum, & eorundem formam.

Igitur Circenses ludos, *Consuales* antiquitus appellatos, apud Elidem Arcadum oppidum, Eleorum Regem Oenomaum, & Pelopem Tantali Phrygum Regis, & Taygetæ filium, occasione Nuptiarum Hippodamiæ, primos omnium edidisse legimus. Quamvis non desint, qui horum originem ad Herculem referant: exinde autem, ut alia quam multa mutuatum Romulum transtulisse Romam, atque in raptu Sabinarum edidisse. *Hos ludos* (inquit Cassiodorius post Fabium Pictorem, Varronem, Pedianum, Tertullianum, Isidorum) *Hos ludos postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificiis, ruraliter ostentavit Italiæ*. Totidemque fere verbis Valerius lib. 2. cap. 4. *Circense*, inquit, *spectaculum primus Romulus, raptis Virginibus Sabinis, Consualium nomine celebravit*. Consuales autem appellavit, quoniam Conso Deo consecravit. Erat autem hic Consus Consilii Deus, in quem, ut raptus contra jus gentium patrati violentiam declinaret Romulus, illud veluti necessarium, atque salutare consilium rejecit, illique in loco, ubi hi ludi editi sunt, sub terra, juxta primas meta aram dicavit, apud quam Nonis Juliis sacrificabant Sacerdotes publici, & XII. Kalend. Septemb. Flamen Quirinalis, & Virgines Vestales. Hanc autem aram ideo terra defodit, quoniam consilium non sacra modo res est, ut ait Plato, sed occulta etiam esse debet.

Ante Prisci Tarquinii tempora, nullum certum habuisse locum, quo ederentur, constat: adeoque & a Romulo, & a reliquis Regibus in campo illo, qui postea Martii nomen accepit, editos fuisse, fortassis prope Tyberis ripas hariolatur Festus. Et primo quidem, ut dictum est, Conso sacravit Romulus, atque exinde Consuales. Sed Marti etiam eosdem solemnes edidit dicavit-

A que, exque equorum cursu *Equiria* nuncupavit. Rem testatur Sextus Pompejus his verbis. *Equiria, ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in Campo Martio exercebantur*. Sed crescente mox superstitione, ab aliis Regibus aliis etiam Diis dicati sunt: adeoque concludit Isidorus lib. 18. *Ludi Circenses sacrorum causa Deorum, ac Gentilium celebrationibus instituti sunt*.

Hos autem Ludos, quos & Romulus, referente Cassiodorio, *ruraliter*, & subsecuti etiam Reges tenuiter & incompte ediderunt, quintus ab Romulo Romanorum Rex Priscus Tarquinius

B solemni cum pompa, atque apparatu instructissimo instituit. Dedit autem occasionem Victoria, quam de Latinis reportavit, & præda, quam, Appiola oppido capto, ingentem inde abduxit. Do hujus rei testem Livium lib. 1. cap. XV. ubi ait: *Bellum primum cum Latinis* (Tarquinius) *gessit, & oppidum ibi Appiolas vi cepit, prædaque inde majore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius, instructiusque, quam priores Reges, fecit*. Igitur Tarquinius Currus in bigas, trigas, & quadrigas ab equorum numero vocatas primus distribuit, addiditque post eque-

C stre, certamen quoque Gymnicum, Græcorum more, in quo nimirum Athletæ varii, cursores nempe, pugiles, ac luctatores corporibus decertarent, ut refert Dionysius in fine libri septimi. Hos autem ludos magnificentius instituros, & editos Jovi, Junoni, & Minervæ sacravit Tarquinius, solemnesque, & annuos instituit. Adeoque ex eo quod annui Romæ fierent, *Romani*; & quod essent Diis Magnis dicati, aut magnis cum expensis fierent, *Magni* sunt appellati. Sed & idem Tarquinius, auctoribus Livio, & Dionysio, Circo locum designavit, qui postea *Maximus* dictus est, in quo hujusmodi ludi ederen-

D tur. Ex quo omnes deinde hi ludi, qui vel a Diis, quibus erant sacrati, *Consuales*, *Martiales*, *Robigales*; vel a rebus, quorum ministerio fiebant, *Equiria* appellati sunt; omnes inquam hi ludi a Circo, in quo fiebant, nomen desumentes, *Circenses* nuncupati sunt. Brevitas præsentis disceptationis non patitur, ut Circus iste maximus describatur, singulæque expendantur ejusdem partes, atque ornamenta. Consulatur Onuphrius Panvinius lib. 1. De Ludis Circensibus, ubi hæc omnia accuratissime descripta, atque æreis figuris expressa reperientur.

E Nos ad præcipua illa spectacula properamus, in Circo hoc Maximo edi solita, & quorum aspectu adeo R. Populus capiebatur, ut nil magis, quam ipsa requireret. Hæc autem inter primum

obtinuerunt locum certamina Curulia, & Equestria. Atque initio quidem propter equorum inopiam, mulis celebrata fuisse, author est Sextus Pompejus, apud quem legimus: *Mulis celebrantur ludi in Circo Maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui vehiculoque adjungi.* Sed & alia quoque animalia adhibita fuisse testatur Servius, dum inquit: *Initio propter equorum inopiam, legimus veteres in agitandis Circensium ludicris, diversis usos esse animalibus: postea equis tantum, qui curribus adjuncti cursitabant.* Utebantur autem bigis, trigis, quadrigis non sine aliquo mysterio. Nam primo, inquit Isidorus lib. XVIII. cap. XXXIII. Bigæ Lunam imitari putabantur, sive quia *gemino cursu cum sole contendit*; sive quia & noctu, & interdiu videatur; ideoque Bigis duos jungebant equos, alterum album, qui diem, & alterum nigrum, qui noctem referret. Trigæ in Deorum Inferorum honorem institutæ sunt, quoniam per tres ætates homines ad se rapiunt, per infantiam, juventutem, atque senectutem. Quadrigas Soli junxerunt, quia per quatuor anni tempora vertitur, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem. Sejugarum maximus Currus currit Jovi, quod Deorum maximus crederetur. Sed septem etiam, decemque jugis aurigatum fuisse legimus. Suetonius in Nerone cap. XXIV. *Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemjugem.* Ideo vero, subdit Isidorus, rotis quadrigas currere dicebant, vel quod Mundus iste circuli sui celeritate transcurrat; vel ad solis similitudinem, qui volubili ambitu cuncta perlustrat. Sed temporibus Cæsarum, Elephantos etiam, & Camelos curribus commissos legimus apud Suetonium in Nerone cap. XI. & Lampridium in Heliogabalo.

Jamvero Equi, quibus currebatur, alii quidem bigis hisce, & quadrigis jungebantur, alii vero soli currebant, hoc est nullas trahentes bigas, cum solis equitibus: atque ex his alii appellabantur *Desultores*; alii vero *Singulares*. *Singulares* erant, qui soli currentes totum curriculum, hoc est septem illa spatia adimplebant. Atque hos vitæ nostræ specimen exhibere, author est Isidorus lib. XVIII. cap. XXXVIII. *Namque unusquisque nostrum cursum hujus vitæ peragit, atque pertransit*, aliique eodem, & diverso tempore alios sequuntur *per unam tantum viam mortalitatis ad propriam metam mortis*. Atque hujusmodi *singulares* equi Castori, & Polluci erant dicati. *Desultorii* autem equi appellabantur ab Desultoribus, quorum illa erat Ars, equos alere, binosque trahere, & septem curriculorum singulis alternatim ex uno in alterum mira celeritate transilire. Atque hos Lucifero, & Hespero sacros fuisse testatur Cassiodorius. Hos autem equos *singulares*, & *Desultorios* nullo præmio cucurrisse, sunt qui affirment; adeoque *Desultorios*, præcursores; *singulares* autem bigis, atque quadrigis ministros atque adhortatores adesse consuevisse. Atque plures præcursores, atque adhortatores in hujusmodi curriculis adfuisse, atque etiamnum adesse, ignorat nemo. Sed *singulares* tamen ac *Desultorios* equos pro præmio etiam cucurrisse, testibus Dionysio, Isidoro, atque Tabulis antiquis, inficiari nemo potest, ut optime advertit, & profitetur Panvinius.

Sed jam rationem ipsam currendi equorum, atque bigarum in ludis hisce Circensibus breviter adumbremus. Igitur in media Circi arena

A murus quidam assurgebat latericius duorum circiter pedum latitudine, quatuor plus minus altitudine, longitudine vero aream fere omnem Circi complectebatur: namque ex utraque parte tantum spatii relinquebatur, quantum equi, aut bigæ currentes eum circuire possent. Atque murum hunc *spinam* Circi appellatam fuisse, censet Panvinius. In hujus muri extremitatibus singulæ metæ, seu termini collocabantur pari intervallo; super summitatibus autem metarum, quæ ita disponebantur, ut triangulum efficerent, tria *ova* ponebantur, hoc est tres figuræ, quæ ova præ se ferrent. Hæc autem *ova*
B in Castoris, & Pollucis honorem addi solita ferunt, eo quod illos Cycni ovo ex Jove editos, effutiret antiquitas. Has autem circa metas equi vel *singulare*, vel *Desultorii*, vel etiam in bigas, aut quadrigas juncti e Circi carceribus dato signo emissi, exque uno latere decurrentes, ad ultimam metam in fine positam *spinæ* tendebant. *Spina* autem in medio Circi posita, ne ex una in alteram partem transilirent, prohibebat. Quare ubi ad alteram partem pervenissent, circum ipsam flectebant, atque ad alteram Circi partem, seu metam ex altera parte
C stantem revertebantur. Mos autem erat septies hujusmodi metas circuire; atque ille auriga, qui cursu, vel equo septimam illam metam confecisset, illius missus victor erat: illi namque septem curriculorum cursus *missus* dicebantur, quorum septimo qui victor extitisset, bravium & præmium adipiscebatur: quippe in eo cursu, ex equo in *spinam* desiliens, gradibus aliquot conscensis, ubi præmiorum erat locus, bravium accipiebat.

Ars autem summa requirebatur in equis, & curribus flectendis, namque siquis propius ad metas accessisset, & quasi adhæsisset, pericu-
D lum erat, ne rotis in metam impingens allideretur, fractoque curru ipse auriga concideret, & facile a subsequentibus equis, & curribus conculcaretur, quod haud raro contingebat. Quod si laxius metam evitaret, facile qui sequebatur auriga relictum illud a priore spatium occupans ex secundo primus fiebat. Juxta autem singulas metas columellæ aliquot erant trabeculam sustinentes, ubi per singulas agitatorum circuitiones a Circensium ministris singula ova, & Delphini erigebantur, & omnia curricula, septem ovis, ac totidem Delphinis erectis adnotabantur. Ideo autem Delphinis ad si-
E gnandas has circuitiones utebantur, quoniam illud animal maximæ sit pernicitatis.

Qui vero, aut equis, aut curribus insidentes eos circa metas agebant, *aurigæ*, seu *agitatores bigarii*, aut *quadrigarii* appellabantur. Atque a factionum coloribus alii *Albati*, alii vero *Russati*, alii *Veneti*, atque alii *Prasini* audiebant. De quibus factionibus, eorumdemque coloribus alias nonnihil diximus. Erant autem hujusmodi agitatores, aut Servi, aut Libertini, aut Advenæ: eam enim artem Civi Romano ingenuo exercere, probro erat: & siqui
F nobiles id facerent, pro infamibus habebantur. Sed depravata tamen Republica, & nobiles, & Senatores quadrigas agitavere, ut ex Dione in Nerone, & Suetonio in Caligula cap. XVIII. deducitur. Quinimo & Lateranum Consulem carpentum agere, ipsumque multo sufflamine rotam adstringere consuevisse, refert Juvenalis Satyr. VIII. vers. 148. Res haud mira tamen (paullum invertam ejusdem Satyrici verba) Consul auriga, tot Principibus agitatoribus.

bus. Namque & Cajum, & Neronem, & Vitellium, & Verum, & Commodum, & Caracallam, & Getam, & Heliogabalum non ultra πρέπον tantum, sed usque ad insaniam aurigandi studio indulsisse, authores nobis sunt Dio, Tranquillus, Tacitus, Capitolinus, Herodianus, Lampridius, aliique Historici praeclarissimi, a quorum testimoniis referendis, utpote notissimis, libens supersedeo. Mirum autem, quam esset hisce spectaculis addicta plebs potissimum Romana. Audivistis quid de hac retulerit Juvenalis. Sed audiri meretur etiam Ammianus lib. XXVIII. pag. mihi 374. qui de posterioribus licet seculis loquens, de Plebe tamen Romana hæc ait. *Hi omne quod vivunt, vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis; eisque templum, & habitaculum, & concio, & spes omnis Circus est Maximus: & videre licet per Fora, & compita, & plateas, & conventicula, circulos multos*

A

collectos in se controversis jurgiis ferri, aliis aliud, ut fit, defendentibus. Et ubi negligentiæ tanta est caries, exoptato die Equestrium ludorum inlucescente, nondum solis puro jubare, effusius omnes festinant præcipites, ut velocitate currus ipsos ante eant certaturos: super quorum eventu discissi votorum studiis, anxii plurimi agunt pervigiles noctes. Hactenus Ammianus.

B

Hæc tamen præter Curulia, & Equestria certamina, edebantur in eodem Circo Gymnica, in quibus nempe Cursores, Pugiles, & Luctatores pro corona, & victoria decertabant. Quibus adde Venationes, Ludum Trojæ, Pugnas equestres, & pedestres, & Naumachias. Quæ singula apud Authores, & citatum eruditissimum Panvinium consulite. Nos ad Ludos Scenicos properamus, de quibus in sequenti fusius agemus.

F I N I S.



ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

Metropolitanæ Ecclesiæ Campanæ Canonici Theologi

IN MUTILUM

CAMPANI AMPHITHEATRI

TITULUM

Aliasque nonnullas Campanas Inscriptiones

COMMENTARIUS.

ILLUSTRISSIMIS AC GENEROSISSIMIS
CAPUÆ SEXVIRIS

JOSEPHO A CAPUA CAPYCIO
CAROLO MAROTTÆ
: : : : : : : : : : : : : : : :
JOH. BAPTISTÆ VENTRILIÆ
NICOLAO CICERI
DOMINICO MAZZARELLÆ

ALEXIUS SYMMACHUS MAZOCHIUS.



UOD de Campano hoc tota Europa celeberrimo amphitheatro nihil admodum ante Langobardica tempora proditum litteris inveniatur, & mirantur plerique nostrum, & vero etiam vetustis scriptoribus quandoque succensent. Quanquam nihil illi, quamobrem sint magnopere reprehendendi, commeruerunt: propterea quod ex tanto auctorum veterum veluti incendio paucæ, quæ superant, reliquiæ, adeo etiam truncatæ ac laceræ ad nos pervenerunt; frustra ut futuri simus, atque adeo injustissimi, si tam mutilos scriptores, ac vix nonnullos tertia sui parte superstites, dicere testimonium coegerimus. Ut ecce accuratissimus ille rerum Romanarum scriptor Dio Cassius, cum Capuæ fixisset domicilium, ibique suam historiam conscripsisset, fieri vix potest, quin aliqua suorum voluminum parte hujus Amphitheatri mentionem injecisset. Sed luculentissima viri magni opera maximam partem desiderantur, eaque potissimum, quibus Cæsaream complectebatur historiam. Ita antiquis omnibus altum silentibus, illud unum optare veniebat in mentem,

ut inter tot litteratos lapides, qui quotidie deteguntur, ille potissimum in conspectum, lucemque hominum prodiret, qui huic tanto operi titulus exstitisset. Quoties, ILLUSTRISSIMI PROCERES, tellurem, quam pedibus proculcamus, pellucidam fieri cupiveramus, ut quo tandem recessu illud quantivis pretii monumentum delitesceret, perspiceretur? Itaque (quid enim moror?) post quam illa quamlibet mutila inscriptio ex Amphitheatri ruderibus est educta nuperrime, dici vix potest quanta gratulatio consecuta sit universorum, tum eorum potissimum, qui rerum antiquarum studio delectantur. Vestra vero, PRÆSTANTISSIMI SEXVIRI, quanta cura fuit, ut pretiosa illa antiquitatis lacinia ne periret? Nam & viro docto Francisco Ciccarellio, qui marmoris illud frustum e lapicidarum omnia corrumpentium ictibus servavit, gratias egistis: nihil vero antiquius habuistis, quam ut illud spectatissimo civitatis loco ad memoriam posteritatis exstaret. Quare omnis, mihi credite, secutura ætas gratias VOBIS aget, vestræque laudes vigebunt præconio sæculorum omnium, tamdiu quidem certe, quamdiu monumentum illud a VOBIS servatum sera posteritas intuebitur. Pulchrum enim vero ac decorum est principibus civitatis tueri ac fovere litteras, eaque una cogitatione opes, deliciasque posteriores ducere: tum vero ea monumenta, quibus patriæ consignantur origines, religiose ac sancte servare longe omnium præclarissimum, eorumque fascium potestate, quos concredidit VOBIS Patria, dignissimum. Atqui non custodistis VOS tantum illud, verum etiam tanquam clari honoratique viri reliquias, sic marmoris illud frustum quodam veluti honore Mausolei prosecuti estis: nimirum ut non tuenda hæc modo, verum etiam in honore habenda esse sentiant universi. Utinam vero hanc mentem Deus immortalis civibus Campanis omnibus daret, ut elogia, quæ post tot allatas a barbaris vastitates adhuc ætatem ferunt, eo saltem in pretio haberent, quo apud cultiores Italiæ civitates esse intelligimus. Nam cujus est insaniæ in ea marmora, quibus majores nostri res suas ad æternitatis memoriam transmiserunt, debacchari, iisque per summam injuriam in frusta concisis aut ostiorum antas communire, aut, nequid fœdius dicam, scalarum gradus, retractionesve instruere; quibus cimeliis virorum principum gazæ ditiores evaderent? Utinam providentia vestra, qua de hoc fragmento tam bene meremini, ceteris in posterum religionem injiciat, ne vetera hujus urbis epigrammata fabrorum committant securibus; atque adeo ne hoc, quantulumcumque illud est, quod e stupenda Amphitheatri mole vix adhuc restat, in cujus reliquiis demirandis exteri homines tantopere defixi hærent, vix ut inde avellantur, quassare & convellere per summum scelus, quod hactenus factum doluimus, porro persistant. In hoc nervos omnes atque vim vestræ auctoritatis exerite, non modo ne impune iis sit, quicunque illud in posterum violatum iverint: verum etiam ut sarta tecta ejus operis & quantivis locentur, & vero etiam exigantur: neve committite, ut illæ pauculæ veluti e maximo naufragio tabulæ, vivis ac videntibus VOBIS, insulsissimorum hominum parricidio discerpantur. Sed næ ego ineptissimus hominum, qui curarum vestrarum alacritati spatia, quæ conficiat, quibusve sese coerceat, definire ausim.

Jam vero, quod mihi negotium dedistis, ut illud inscriptionis fragmentum a me suppletum justo etiam aliquo commentario illustrarem, comitas ea vestra fuit, & quædam de me pronior existimatio; pro qua tum

gratias ago, tum vero, quibus potissimum verbis utar, non invenio: mihimet vero ipse de hoc honore gratulor, quem longe amplissimum vestro de me judicio sum consecutus. Et vero cum pergratum mihi perque jucundum est in rerum perscrutatione veterum volutari; tum de patriis potissimum originibus commentari longe omnium jucundissimum: ad quæ sponte mea propensissimum mandata vestra tantopere incitaverunt, ut veluti currenti stimulos admovisse videamini. Atque in eo quidem quid præstiterim, doctorum hominum esto existimatio: ne dum meum hoc levidense munus apud VOS verbis ornare satago, in ipso orationis vestibulo videar insolentius gloriari. Verum quidquid hoc est opusculi, quod in vestro nomine apparet, quamque illud cunque hominum pro suo quæque captu atque ingenio æstimantium nanciscetur opinionem: vestri me tamen ordinis, quo nihil amplius, nihil illustrius in hac olim principe, terrarumque imperio dignissima, nunc quoque tamen non ultimi nominis civitate eminere potest, favor atque auctoritas unice confirmabit. Quamobrem opus VOBIS susceptum perfectumque auctoribus, VOBIS potissimum ipsis, GENEROSISSIMI PROCERES, sistitur ac dicatur: mecum vero agi præclarissime existimabo, si ad ceteras urbis nostræ excutiendas origines, quod equidem ante hos aliquot annos non destiti facere, vestra in primis, quæ potest apud me plurimum, excitaverit approbatio.



LECTORI BENEVOLO.



Um hæc typis ederentur, cumque, uti ſæpe fit, opus in manibus creſceret, multo certe magis quam prædixeram, ſcio me admirationi non paucis, nonnullis etiam joco ac ludibrio fuiſſe, quaſi vero laureolam in muſtaceo quæſierim; dum in una illuſtranda inſcriptione, quo jure, quaque injuria nihil non infarciendo, moli potius, quam legentium commodo ſtuduerim. Quibus ut brevi reſpondeam, jam primum omnium hoc ſcire volo univerſos, in noſtrorum hominum hæc commodum ſcribi; a quibus inire gratiam multo juſtius fuit, quam, nequa ſatietate exteri homines diſtenderentur, ſatagere. Deinde cur Cardinali Noriſio (cui litteræ univerſæ quando unquam invenient parem? ita in uno efformando totam ſe videtur impendiſſe natura) ſed eruditiſſimo Card. Noriſio cur non hoc vitio vertitur, qui tam ſpiſſum volumen in duobus Piſanis elogiis exponendis inſumſerit: mihi (ſi modo fas eſt magnis componere parva) lis intentatur, qui non pauca urbis noſtræ epigrammata non magno hoc commentario ſim proſecutus? Jam vero homines faſtidioſos, quibus debent hæc noſtra ludibrium, prodire & coram dicere cauſſam jubeo, ecquid in hoc commentario deprehenderint (tametſi ſecum ſi qui hæc muſſitant, nego eos ullam ſcriptionis hujus laciniam lectitaſſe) quod non jure optimo poſitum fuerit. Hoccine illos offendit, quod de colonia Capua, totque adſcriptis in eam ſupplementis fuſius diſſeruerim? An aut ἀπροσδιόνυσος ea tractatio fuit; aut omnino nullo operæ pretio obſcura antea res ſuo lumini eſt reſtituta? Dedicationibus, inquis, tam copioſe tractandis, aliiſque non paucis digreſſionibus ſuperſederi poterat. Atqui ego nunquam ivi inficias, quin una alterave pagella ſatis & Amphitheatri titulus explanari, & ſupplementi ratio reddi potuiſſet. Verum ubi ſemel conſtitutum fuit, quæ paucæ nunc ſeorſum prodeunt inſcriptiones, eas non parce ac jejune, ſed, qui meus amor in patriam, atque in ornatiſſimum magiſtratum, qui me huic operi admovit, obſervantia, affluentius aliquanto tractari; in eo, inquam, cum eſſem, nihil eorum ferme omiſſum fuit, quæ quidem inter ipſam typographicam feſtinationem in mentem venire potuiſſent. Et norunt eruditi omnes plus otii ſæpe requiri ad eorum, quæ cum quodam impetu funduntur, poſtquam ille calor deferbuit, delectum inſtituendum, ut quid admittere, quid reſpuere debeas, tecum ſtatuere poſſis; quam ad implendam utramque paginam. Jam vero illam de dedicationibus diatribam domi hoc ipſo tempore mihi natam cur prætermitterem? Sic tamen a reliquo ſejunxi opere, cuique ut liberum ſit eam legendo prætervehi. Sic ceteris quoque digreſſionibus factum fuit, quas plurimum in notationibus ſepoſui; ut & præteriri facile poſſent, & tamen ſi quid vel novitate allicere, vel cuicui uſui eſſe poſſent, eorum

gratias

gratia non periret. Adhæc quod, antequam hoc, quod adhuc ex Amphitheatro supereſt, non tam temporis, quam, ut confidentiſſime dicam, hominum corrumpat injuria, quam equidem potuerim totius operis tum pedaturam, tum orthographiam cum ſecutura ætate feci communem, ſpero me non ingratam navaſſe operam eruditis. Quid demum magnopere peccatum fuit, aut quid commerui, quod Amphitheatrali eo quocumque labore defunctus, de Theatro etiam noſtro cogitarim, ejuſque rei gratia tria non amplius marmora expoſuerim? Nam quoniam noſtræ demum ætati hoc debebatur, noſtri ut Amphitheatri auctor cognoſceretur: erat quoque præclarum non ignorare quis THEATRI A FVNDAMENTIS (uti loquitur inſcriptio) exſtruendi curator exſtitiſſet; tum quis REDEMPTOR PROSCENI, & quo anaglyptum illud ſpectaret, quod una cum Amphitheatri titulo ſub uno eodemque fornice ad S.Eligii viſitur. Adjunxi quoque tertium ejuſdem generis epigramma, ex quo, præter cetera commoda inde ad φιλομούσους redundatura, intelligeretur, quam ab antiquiſſimis temporibus ſcenicorum ſtudio Campani tenerentur, quando in pagis etiam prope centum ante ortum Servatoris annis Theatra publice exſtruebantur. Spero me vel moroſiſſimis reprehenſorum cauſſam probaſſe: cupio quidem certe. Utinam vero illud præſtare poſſim, ut opus cenſoribus, quorum ejus operis exigendi jus faſque erit, ita perfectum atque probatum tradam, nihil ut ſint improbaturi, omnia vero, tanquam ex lege dicta operi faciundo facta, comprobaturi veniant. Sed ſi in ædificiorum operibus exigendis columnas ad perpendiculum exigi poſſe negat Tullius; (*) quanto magis in his operibus philologicis, ubi ſolis ſæpiſſime conjecturis veritas exploratur, danda eſt venia, ſi minus omnia, tanquam aurum ad obruſſam, ſic ad certæ rationis judicium exiguntur.

* Lib. I. in Ver. n. 51. . . . . .

Doctorum virorum de Campano Amphitheatro testimonia.

ACTIUS SINCERUS SANNAZARIUS Epigrammaton libro II.

Dicite semidei, silvarum numina, Panes,
Et si qua adventu es nympha fugata meo:
Cui licuit tantas saxorum evertere moles,
Quas jam disjectas vix nemora alta tegunt?
Hisne olim sueta est cuneis Campana juventus
Amphitheatrales læta videre jocos?
Nunc ubi tot plaususque hominum vocesque canoræ,
Tot risus, tot jam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus:
Et quæ sustulerat, deprimit ipsa dies.

ANTONIUS SANFELICIUS in aureo opusculo de origine & situ Campaniæ pag. 26. nuperæ editionis notis illustratæ Neap. 1726.

De quo (Campano agro) *Poeta cum felicis terræ signa indicasset:*
Talem dives arat Capua. Georg. II. 224.
Opulenta erat, cum ille georgica canebat: nihil tamen ad illam Capuam, quæ ad immortalem sui memoriam publicorum operum erexit spectacula. Exstant ex iis duæ Amphitheatri moles opere Dorico, tam vastæ eaque architectura, ut nemo sit, qui primo ejus aspectu non obstupescat; nam quamvis immanium barbarorum ferro incendiisque lacera & corrupta, triumphantis tamen urbis repræsentat imaginem. Non longo hinc intervallo, non tam effuso sumtu, sed absoluta itidem arte visitur tribus porticibus amplissima cryptoporticus, quæ tam longo ævo contra vim temporis resistit. Adscripsissem integra, ni rimis fatiscerent parietes, nive testudines stillicidiis essent obnoxiæ; dignum profecto opus, quod fartum tectum locetur. Animi caussa huc Campani patricii ad antemeridianam inambulationem conveniebant, pomeridianasque sessiones; ubi otiosas diei horas, quavis cæli exclusa injuria, transigebant. Circa hæc loca aratro passim eruuntur prisci æris, argenti, auri pulcherrima numismata, tum doctissimorum manu artificum scalptæ gemmæ, parioque e marmore elegantissima signa, præstantissimæ civitatis deliciæ.

Idem Carminum Juvenilium lib. III. de Campano Amphitheatro carm. VI.

Immanem quisnam molem, quis grandia saxa
Æquavit cæli nubibus aligeris?
Montibus impositos montes quæ deinde ruina
Dejicit e cæli nubibus aligeris?

Celsa giganteis manibus fabricata superba est
Machina, forma tamen Dædaleo ingenio.
Mirati sunt Græci impostum Pelio Ossam,
Impia gens superis cum fera bella ciet:
Hoc opus egregium miretur Græcia, summo
Quod vicit rupes vertice Thessalicas.
Auricomus nunquam Phœbus spectavit Eoo
A Gange ad Gades, Herculeumque mare.
Campani hic plausere olim juvenesque senesque,
Et festo resonant alta Tifata sono.

IUSTUS LIPSIUS in libello de Amphitheatris quæ extra Romam cap. 1. Capuæ Amphitheatrum vocat *magnificum*, & *e solido marmore*.

LAURENTIUS SCHRADERUS in monumentis Italiæ pag. 258.

Ejus (Capuæ) *magnificentiam ruinæ ostendunt, in quibus aurea, argentea, ænea numismata, gemmæ, marmora, aliaque luxus indicia quotidie ab incolis effodiuntur. Inter ruinas præter cetera insigne Amphitheatrum marmoreum, quod quatuor porticus videtur habuisse, quarum extrema* (non tantum extrema, sed & altera quæ pone sequitur) *ex ingentibus quadratis lapidibus fuit non calce cæmentove, sed ferro plumboque compactis. Ingressus patuit locis duobus, qui adhuc pæne integri sunt, & visuntur bina capita marmorea, unum viri, alterum mulieris.*

Tum de cryptoporticu statim hæc subjicit:

Præterea fornices quidam subterranei ita deducti, ut si quartus adderetur, quadrangulum efficerent: habuit in universum fenestras XCVI. *lumen superne præbentes, januas triginta. Lati sunt etiam & ampli, sed ad quem usum exstructi sunt, incertum est. Exstat inter vineta etiam portæ unius locus, & sive templi sive thermarum vestigia, ubi nunc est monasteriolum Capuccinorum. Totus autem ille locus, qui habitatur, & qui Capuæ nomen habuit, nunc S. Mariæ dicitur, a templo ibi exædificato, duobus a Capua nova milliaribus habitata, &c.*

IN CAMILLI PEREGRINII senioris Capuæ Primicerii manu exaratis poematibus exstat hoc de Amphitheatro carmen, quo Capuam loquentem sic facit:

Se Eroi, se Dei questi superbi marmi
Di sì gran mole insino al cielo alzaro,
Che al mondo, d'ogni maraviglia a paro
Già poteo di valor loda recarmi:
Ne le ruine sue, ch'a tomba farmi
Di gloria mille e mille anni restaro
Salde a l'offese ognor del tempo avaro,
E di Barbare genti al foco, a l'armi,
Vie più che in carte del mio antico stato
La potenza si legge, e lo splendore,
Non le delizie pur, le pompe e gli agi.

Emula fui di Roma, e se del core
A l' ardir non ostava immobil fato,
Foran più chiari i miei Guibelli, e Magi.

GEOGRAPHIAE BLAVIANAE tom. 8. p. 175.

Visuntur hodie ejus (Capuæ) *altero ab nova Capua lapide peringentes ruinæ... eæ sunt portæ semirutæ, Amphitheatrum, quod aliquo modo describit Laurentius Schraderus in Italiæ monumentis, immensa porticuum, thermarum, ædificiorumque publicorum rudera: præter hæc longa vastaque aquarum receptacula subterranea, & castella, quæ, qualis & quanta fuerit antiqua urbs, abunde testantur. Capitolii Capuani mentio apud Suetonium in Tiberii principis vita cap.* 40. *&c.*

PETRUS LASENA in gymnasio Neapolitano pag. 137. postquam a Tyrrhenis Campanis ludos gladiatorios Romam derivasse ex Nicolao Damasceno (cujus locum gratulor a viro docto eodem modo intellectum, quo nos p. 115. interpretati sumus) demonstrasset, subjungit in hunc modum:

Onde di vantaggio parmi dover affermare, nel modo che sopra abbiam conchiuso del nostro ginnasio, che il famoso Anfiteatro Capuano, di cui è ancora qualche notabile avanzo, fosse il modello, e l' esempio anche del più magnifico, che sia poscia in Roma stato ammirato; e ciò con più probabile congettura, che dell' Anfiteatro Veronese non abbia fatto il Saraina. Ma io tutte queste, ed altre cose a ciò attenenti, lascio di proposito a PELLEGRINA PENNA, (Camilli Peregrinii junioris antiquitates Campanas, quas postea ignis absumsit, designat) *a cui l' istoria di cotesta Città sia soggetto particolare.*

CAMILLUS tamen PEREGRINIUS junior ad Campanæ coloniæ tempora, contra quam Lasena senserat, opus Amphitheatri retulit: hæc enim habet in Campania Felice p. 723.

Di così alta nuova felicità di Capua (colonia) *non mostrano aver avuta notizia quei nostri Capuani, che nel secolo passato si persuasero (e n' è rimasta la medesima opinione a' presenti) che i suoi maggiori edificii, e singolarmente il marmoreo Anfiteatro, non possano essere stati opere, che de' tempi della sua antica emulazione co' Romani. Ma di sentenza così disfavorevole a' geminati meriti della patria, ed al vero, può essere manifesto disinganno, per lasciar ogni altra più lunga considerazione, che nè men' essa Roma prima di Augusto era di nobili edificii ornata, come da lui poi fu resa,* ut jure sit gloriatus *(per usar le parole di Suetonio nel cap. 29. del lib. 2.)* marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. *E l' Anfiteatro Romano, ch' è tuttavia per molta parte in piede, alla cui pianta è del tutto simile, benchè di misure alquanto minori, quella del nostro, non fu opera d' altri, che dell' Imperator Tito. Ma di queste cose distesamente converrà ragionarsi in altro molto più opportuno luogo.*

Vir doctissimus postremis his verbis peculiare opus indicat, quod de Amphipheatro scripserat, de quo Paschalis in calce hist. primæ Ecclesiæ Capuæ pag. 116. ait; *Servabatur inter hæc* (incensa Peregrinii opera)

quindecim digesta per capita de Amphitheatro pererudita tractatio. Quin & ipse Peregrinius idem opus designat in Camp. Fel. pag. 117. his verbis: *I quali* (anfiteatri) *solean collocarsi per la loro lunghezza da settentrione verso mezzo giorno, per rendergli alquanto men nojosi ne' caldi estivi, come dichiareremo altrove.*

VINCENTII ZITI Campani pag. 354.

Machina eccelsa, Anfiteatro altero,
Qual benchè rotto in cento parti, e cento,
Pur rassembri dell' arte almo portento
Del tempo ad onta ingiurioso e fero.
Ammiro in te del secolo primiero
De' nostri Eroi l' ingegno e l' ardimento,
E dal tuo muto favellare i' sento
L' alta possanza de l' antico impero.
Liete vantinsi pur l' alme Latine
Di terme, d' obelischi e di teatri,
Meraviglie del mondo, opre divine:
Che i lor fregi appo i tuoi son vili, ed atri,
Benchè ingombro ne stii fra sterpi, e spine,
Anfiteatro onor d' Anfiteatri.

CÆLESTINUS GUICCIARDINUS in Mercurio Campano perhonorifice de hoc Amphitheatro loquitur, scripto quoque in illud epigrammate: qui nunc liber non est ad manus.

JOHANNES MABILLONIUS vir mira eruditione ac modestia in itinere Italico hæc habet pagina, ni fallor, 103.

Capuæ veteri, quæ altero milliari a nova dissita est, adjacet amphitheatrum, quod quadraginta millia spectatorum capiebat. (numerum istum spectatorum Mabillonius e Paschali desumsit: sed si Flavium Amphitheatrum LXXXVII. millia ex P. Victore capiebat, paullo infra hunc numerum in nostro spectare potuerunt) *Cryptoporticus centum octoginta columnarum triquadrato ordine constructa:* (hæc quoque ab eodem Paschali ficta ad libitum) *nunc etiam priscam ædificii magnificentiam parietes reliqui ostentant. Ecclesia major aliquid itidem retinet venerandæ antiquitatis. &c.*

Demum Galliarum lumen illud BERNARDUM DE MONTFAUCON, virum satis suorum luculentissimorum operum præconio celeberrimum, quo pacto præterire possum? Is in diario Italico edito an. 1702. initio cap. 22. hæc habet.

In Capuæ veteris vestigiis sistimus parumper spectandis, maxime amphitheatri ruderibus: quod quidem uni Romano Coliseo magnificentia, amplitudine & ornamentis paullum concedebat; ceteris vero, quorum hodie vestigia comparent, longe præerat: quatuor architectonices ordinibus perinde atque Romanum decorabatur. In primi sive inferioris ordinis epistyliis capita numinum egregie cælata visuntur hodieque: in secundi icones ab umbilico eorundem numinum inerant; in tertii epi-

ſtyliis integræ ſtatuæ erectæ (hanc diſtributionem capitum , protomarum , & integrarum ſtatuarum a Paſchali videtur ſumſiſſe vir ſummus : ſed integræ ſtatuæ nullæ hactenus mihi viſæ , & dubito , an ſummis arcubus commode aptari potuerint) *quod ornamenti genus a Romano Coliſeo aberat : eratque ſane res admodum ſingularis , totam veterum numinum turbam uno circuitu germana ſingulorum forma diſpicere . Ambitus exterior ingentibus ſaxis conſtat , interiora vero lateritia ſunt . Quæ ſuperſunt reliquiæ , in dies amoventur , variiſque uſibus pro libidine deſtinantur . Qua die iſthac iter habuimus , primi ambitus lapides eruebantur ſternendæ publicæ viæ . Haud procul Amphitheatro erigitur triumphalis arcus jam ornamentis ſpoliatus ſuis , quem perinde atque Amphitheatrum extra muros veteris Capuæ fuiſſe narrant . Cetera nobiliſſimam antiquam urbem ſpectantia accurate deſcripta ſunt in veteris Capuæ ichnographia ſimul & ſcenographia ſtudio & opera Cæſaris Coſtæ olim Archiepiſcopi Capuani edita , & typis data Neapoli anno 1676.* (a Joh. Petro Paſchali) *additis rerum & monumentorum explicationibus .*



IN
CAMPANI AMPHITHEATRI
TITULUM
Aliasque nonnullas Campanas Inscriptiones
COMMENTARIUS.

A Nuper hoc ipso mense Septembri hujus anni MDCCXXVI. cum amicissimus, idemque eruditus vir Franciscus Ciccarellus literati fragmenti inter rudera Amphitheatri reperti exemplum ad me detulisset in hunc modum:

-IA·FELIX·AV
FECIT
IANVS. AV
Γ. COLVMNAS. AD
IVS. HADRIANV
PIVS·DEDICAVI (✻)

B statim intellexi ad totius operis titulum pertinere: præsertim cum prægrandibus litteris constaret, & ad portam ipsam Amphitheatri, quæ austrum spectat, erutum fuisset. In hunc vero maxime modum supplevi:

COLONIA. IVLIA. FELIX. AVG. CAPVA
FECIT
DIVVS. HADRIANVS. AVG. RESTITVIT
IMAGINES. ET. COLVMNAS. ADDI. CVRAVIT
IMP. CAES. T. AELIVS. HADRIANVS. ANTONINVS
AVG. PIVS. DEDICAVIT

C Utrinque enim marmor & ex æquo fuisse supplendum vox FECIT, quæ alterius lineæ media ferme occupat spatia, satis indicabat: plus vero aliquanto initio quam fini adjiciendum fuisse eadem quoque vox admonebat, quæ dextrorsum propius accederet. Ac ne multis, recte necne supleverim, afferetur hoc commentario ratio. Dum enim singulas inscriptionis partes lustrabimus, simul vix aliter elogium sese habuisse intelligetur.

Ac fragmentum ipsum quod attinet, est illud quidem e candido marmore, sane quam elegantissimis characteribus insculptum, iisque prope σπιθαμιαίοις; sed ita ut per singulas paullatim lineas decrescant, ut deorsum spectantibus, secundum opticæ leges, æquales omnes viderentur: sic enim politiore illo Antoninorum sæculo consuevere. Dimensiones vero has habet area literis exarata, (nam de corona ceterisque ornamentis taceo) ut tres maxime romanos pedes altitudinis habeat, quatuor fere in latum excurrat: ut literarum, ita ut supplevi, integras strigas ad decem eoque amplius pedes fuisse exporrectas oporteat.

(✻) Characteres nactus non eadem proportione decrescentes, qua in ipso marmore, hic quidem ut potui exhibui. Ceterum marmor cum supplemento exactissime in æs incidendum curavi: nam præter cetera quæ commentarius docebit, characterum etiam spatiorumque exacta proportio, sic restitutum oportuisse significabit.

COLONIA·IVLIA·FELIX·AVGVSTA·CAPVA
FECIT
DIVVS·HADRIANVS·AVG·RESTITVIT
IMAGINES·ET·COLVMNAS·ADDI·CVRAVIT
IMP·CAES·T·AELIVS·HADRIANVS·ANTONINVS
AVG·PIVS·DEDICAVIT

Hunc vero commentarium sic nos quidem partiemur, ut tria hujus epigrammatis commata binis singula versibus comprehensa, totidem capitibus exponamus: tum alteram quoque Amphitheatralem inscriptionem per eadem hæc tempora detectam dabimus: deinde quæ olim, quæ nunc hujus Amphitheatri facies: quod ei per sequiora tempora fuerit nomen, quidve eo tum factum fuerit, exequemur: postremo ad Theatricas quasdam inscriptiones digrediemur.

Hujus commentarii partitio.

CAPUT I.

In priores duas elogii lineas.

COLONIA. IVLIA. FELIX. AVG. CAPVA) Ita primum hunc versum meo periculo constitue: id quod & vetus apud Frontinum Campanæ coloniæ nomen *Colonia Julia Felix*, de quo deinceps, declarat, & linearum quoque proportio id suadet: ac demum ratio ipsa nominum coloniarum, in quibus nominandis eandem fere, quæ in libertis, servatam consuetudinem deprehendo; itaque sicut hi post manumissionem, patronorum prænominibus nominibusque assumtis, vetera sua nomina cognominum loco habuere: sic postquam in aliquam civitatem deducta colonia fuit, ejus nomine, a quo deducta erat, sæpe accepto, proprium civitatis nomen in cognomen transibat; vox vero COLONIA tanquam prænomen præfigebatur. Sic quoniam lege Julia Capua deducta fuit, IVLIA est appellata; nam de voce FELIX suo loco dicam. In eundem modum sunt *Colonia Julia Augusta Parma*, *Colonia Julia Fanum Fortunæ*, *Col. Julia Hispellum*, *Col. Julia Paterna Narbo Martia*, *Col. Julia Paterna Arelate* (in postremis autem hisce duabus illud *Paterna* curiose additum, ut ab Julio patre, non a Julio Octaviano deductas notetur) & sexcenta id genus. Interdum tamen nomen proprium civitatis in derivativum transit ut *Colonia Felix Augusta Nolana*, & aliæ in eundem modum. Eadem ratione hic CAMPANA pro CAPVA poni potuisse affirmarem, (nam & Vellejus lib. II. cap. 81. *Coloniam Campanam* dixit) si id primæ lineæ spatia admitterent, cujus literæ & grandiores ceteris, & vero etiam disjunctiores existunt: sed & vox FECIT, quæ sequitur, a mediis spatiis longiuscule abiret, si CAMPANA pro CAPVA positum fuisset.

Coloniis fere ut libertis nova imposita nomina.

A

Quoties Capuam deducta colonia fuerit.

COLONIA) Colonia fuit, non municipium Capua. Tacitus qui III. hist. 57. *municipia coloniæque* dixit, illud ad Puteolos, hoc ad Capuam retulit, quam XIII. annal. 31. *Coloniam* diserte vocavit. Prior Taciti locus ex III. hist. 57. sic habet: *A quibus municipia coloniæque impulsæ (præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida) municipalem* B *æmulationem bellis civilibus miscebant.* Quo Taciti loco Capuam municipium appellatam putat Cluverius Italiæ antiq. lib. IV. pag. 1176. lin. 57. itemque Burmannus notis ad Vellejum, Cluverium, ut opinor, secutus. Sed errant viri doctissimi; ecquis enim dubitat, quin Puteolos ad *municipia*, Capuam ad illud *Coloniæque* retulerit historicus? At enim, inquies, paulo ante Vitelliana tempora Nero Puteolos coloniam deduxerat: *Vetus*, inquit idem Tacitus XIV. an. *oppidum Puteoli jus coloniæ* C *& cognomentum a Nerone adipiscuntur.* Sed ut mittam quod ad hunc locum notat Lipsius, Puteolos modo coloniam, modo municipium fuisse: crediderim Puteolanos, rescissis post mortem Neronis ejus actis, ad jus municipii, in quo magis sibi placerent, iterum rediisse. Ceteroqui confusa interdum fuere hæc duo vocabula. Gellius XIII. 13. *Municipes & Municipia verba sunt dictu facilia, & usu obvia, & neutiquam reperias qui hæc dicat, qui scire se plane putet quid dicat. Quotus enim fere nostrum est, qui cum ex colonia popu-* D *li Romani sit, non & se municipem esse, & populares suos municipes esse dicat?* Quid tamen proprie *Municipium* a *Colonia* differret, ibidem Gellius luculenter exponit: *Municipes*, inquit, *sunt cives Romani ex municipiis legibus suis & suo jure utentes: muneris tantum cum populo Rom. honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti.* Contra vero de coloniis ait: *Coloniæ non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis ra-* E *dicibus nituntur, sed ex civitate propagatæ sunt, & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.* Adhæc Ulpianus l. I. D. ad munic. cujuscumque non modo coloniæ sive municipii, sed cujusvis omnino civitatis cives *municipes* ex usu recepto appellat: cujus quoque verba adscribere non pigebit: *Municipem*, inquit, *aut*

Inter colonias municipiaque discrimen.

aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio. Et proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in civitate, ut munera nobiscum facerent, sed nunc abusive municipes dicemus suæ cujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos. Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre Campano, matre Puteolana, æque municeps Campanus est. Nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim maternæ originis erit municeps. Ut puta Iliensibus concessum est, ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum est. Celsus etiam refert Ponticis ex beneficio Pompeii Magni (id) competere. Hæc quamvis translatitia, eo tamen huc comportavi, ut ad ea quæ de colonia Capua enarranda sunt, veluti aditus muniatur: præsertim cum & municipium olim aliquando fuisse Capuam compertissimum habeamus. Nam ex eo usque tempore quo T. Veturio Calvino, Sp. Postumio Cos. qui est annus V.C. CCCCXIX. (sequor fastos Sigon.) civitas Campanis data fuit, usque ad proditam Hannibali urbem, quando a Romanis devicta in præfecturæ formam est redacta, inter municipia fuisse numeratam oportuit. De civitate Campanis data meminit Ennius apud Censorinum *de die natali*:

Quando Capua municipium fuerit.

Civeis Romanei tunc factei sunt Campanei.

meminit & Vellejus I. 14. *Abhinc annos autem* CCCL. *Sp. Postumio, Veturio Calvino Cos. Campanis data est civitas, partique Samnitium sine suffragio.* Nam quod Livius ad L. Furium, C. Mænium consules refert, id est quadriennio ante Velleii notam: id vero non incommodat, quia de solis equitib. ibi Livius commemoraverat: *Campanis*, inquit, *equitibus honoris caussa, quia rebellare cum Latinis noluissent, sine suffragio civitas data*. Ab an. ergo CCCCXIX. quo, Vellejo teste, universis Campanis civitas data fuit, usque ad annum DXLII. quo in præfecturæ formam redacta est, Capua municipii jure sine suffragio gavisa fuit: ex quo efficiebatur, ut in legionibus uti cives, non in auxiliis uti socii, Campani adscriberentur: eoque amplius, ut connubiorum cum Romanis jura assequerentur: unde cum primum Capuam venit Hannibal, multæ nobiles Campanorum familiæ affinitate cum Romanis junctæ erant: ceterum suis legibus, suisque sacris utebantur, eratque eadem reip. forma quæ ante fuisset.

Capua una ex præfecturis.

Devicta demum civitate, ac Romanorum jugo accepto, una ex Romanis præfecturis, quas Festus enumerat, fuit, accipiebatque quotannis ab Roma præfectum qui jura daret. Isque status civitatis fuit per annos CLII. quot Vellejus usque ad deductam a Cæsare coloniam colligit. Quamquam vero per idem spatium deducta non semel eo tum civium, tum militum colonia fuit, jus tamen Campanis usque ad legem Juliam agrariam non restitutum idem Vellejus affirmat: quod, quemadmodum sit accipiendum, deinceps exponam.

Quando autem Capuam ante C. Julium non semel coloniam deductam, modo admonebam, ac ter quoque post eundem comperio: operæ pretium fecerim, si tam dissitæ antiquitatis quam potero maxime dispulsa caligine, quoties Capuam ascripta colonia fuerit, quoties insuper tentata, explanare aggrediar: præsertim cum & *Coloniæ* vox, de qua hic commentamur, id sibi suo jure postulare videatur.

Quoties Capuam deducta colonia.

Ac memini Lauredanum virum doctum ad illud *Capuæ & Leocreanti*, quod in II. Agr. num. 34. legitur, sic emendare, ut *Capuæ & Tarenti* legendum putet. Hoc magis miror, quod ait C. Gracchi lege una cum Tarento Capuam deductam fuisse coloniam, Appiano lib. I. auctore. Ubi hoc quæso in Appiano legitur? Nisi si forte ad quendam Frontini locum aspexit.

I. Duas omnino non incelebres Campanæ coloniæ deductiones ante C. Julium Cæsarem invenio, quas non magno inter sese intervallo in Ciceronis juventutem incidisse existimo. Una est M. Bruti, de qua tum sæpe Cicero in II. Agr. meminit, tum vero copiosissime nu. 34. in hunc modum: *Hæc consilia majorum* (de Campanæ præfecturæ forma retinenda) *M. Bruto, ut antea dixi reprehendenda, & P. Rullo visa sunt, neque te P. Rulle omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent. Nam & ipse qui deduxit, & qui magistratum Capuæ & Leocreanti* (viri docti hanc vocem indubie corruptam sic restituunt, ut *ab eo creati*, aut *eo creante*, aut tale aliquid legatur) *ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt. Et quoniam Bruti atque temporis illius feci mentionem, commemorabo id quod egomet vidi, cum venissem Capuam coloniam deductam L. Considio & Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, prætoribus, ut intelligatis quantam locus ipse afferat superbiam: quæ paucis diebus, quibus illo colonia deducta fuit, perspici atque intelligi possit. Nam, primum id quod dixi, cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se prætores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores non cum bacillis, sed, ut hic prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiæ majores in foro constitutæ, quæ ab his prætoribus de tribunali sicut a nobis consulibus de consilii sententia probatis, ad præconem & ad tibicinem immolabantur. Deinde patres conscripti vocabantur. Jam vero vultum Considii videre ferendum vix erat; quem hominem vegrandi macie torridum, Romæ contemtum atque abjectum videbamus, hunc Capuæ Campano supercilio, ac regio spiritu cum videremus, Magios, Blossios mihi videbar illos videre ac Jubellios. Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum? Et in Albana & Seplasia quæ concursatio percontantium, quid prætor edixisset? ubi cenaret? quid enuntiasset?* Quem locum eo libentius huc integrum adscripsi, quod, cum ab hac Agraria discesseris, non alibi hujus coloniæ mentio existit. Jam illud, cur Capuæ duumviri se prætores po-

M. Bruti colonia.

tores potissimum appellari juberent, afferetur a me alio in opusculo ratio.

II. Altera est L. Cornelii Syllæ, qui & primus militaribus coloniis complevit Italiam, & quam coloniam Capuæ imposuit, militum eam fuisse verisimile est. Is postquam externis perfunctus bellis tyrannidem occupavit, cum esset acerrimus suorum hostium insectator, plerasque civitates quæ contra se arma sumserant, proque inimicis suis steterant, agro multavit, quem suis militibus divisit, quos in eas colonias adscripsit. Mitto de Etruria, de

Syllana colonia.

B Latio ac ceteris Italiæ regionibus dicere. In Campania vero idem infortunium Capua & Nola subiere, quod Syllæ adversæ fuissent. De Nolani agri assignatione testatur Frontinus lib. de coloniis. Itemque de Syllana huc adscripta colonia mentio est apud eundem, qui, postquam de celebri Cæsaris ἀποικίᾳ dixerat, subjungit: *Ager ejus* (Capuæ) *lege Syllana fuerat assignatus*. Tum & ex iis quæ de Calatiæ deductione narrat, idem prorsus colligas. *Calatia*, inquit, *oppidum muro ductum: iter populo debetur pedes decem*: C *COLONIÆ CAPUENSI cum territorio suo a Sylla Felice adjudicata olim ob hosticam pugnam.*

Ad hanc etiam Syllanam deductionem refert Sigon. in III. de jure Italiæ c. 4. illa Ciceronis ex altera Agraria, quæ modo recitavimus: *Neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent. Nam & ipse qui deduxit, & qui magistratum Capuæ ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt*. Sed vir magnus

Sigonii aberratio.

D immane quantum ab historiæ veritate aberrat: nam & diversissimæ prorsus hæ duæ coloniæ fuerunt, & multa utranque temporum rerumque discrimina sejungunt. 1. Nam cum hæc Syllana militaris fuerit, contra illam alteram M. Bruti civium Romanorum fuisse, non militum, ex eadem II. Agraria colligo. Etenim n. 32. inter Carthaginem, Corinthum, Capuam comparatione instituta, *quas tres solum urbes in terris omnibus .... posse imperii gravitatem ac nomen sustinere* prædixerat: Carthaginem quidem & Corinthum, quod E procul erant a conspectu imperii, non solum afflictas, sed etiam, ne quando erigere se possent, funditus sublatas affirmat: de Capua longe aliud fuisse consilium, cui si agrum, si magistratus, si senatum ademissent, nihil fore, quo Capua magnopere timeretur: atque idcirco urbem non esse deletam, ut esset locus comportandis condendisque fructibus, aratorum rusticorumque receptaculum. Tum n. 33. subjungit: *Videte quantum intervallum sit interjectum inter majorum nostrorum consilia, & inter istorum hominum dementiam.* F *Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi expulsis aratoribus, effusis ac dissipatis fructibus vestris, eandem Capuam sedem novæ reipublicæ constituunt, molem contra veterem rempublicam comparant. Quod si majores nostri existimassent quemquam in tam illustri imperio, & tam præclara populi R. disciplina, BRUTI aut P. RULLI similem*

M. Bruti colonia civium R. fecit.

A *futurum; hos enim duos adhuc videmus, qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent, profecto nomen illius urbis non reliquissent*. Nonne vides vel ex hoc ipso, quod P. Rulli consilium cum Bruti facto comparatur, sequi non minus Bruti deductionem civium fuisse, quam illam a P. Rullo agitatam? Sed quid his immoror cum nu. 36. diserte de utraque, tanquam de civium Romanorum colonia sermo habeatur? *Hæc tu*, inquit, *P. Rulle, M. BRUTI sceleris vestigia, quam monumenta majorum sapientiæ sequi maluisti*. Tum B nonnullis interjectis, *Ut*, inquit, *invidiosos agros a SULLANIS POSSESSORIBUS .... emtos, quanti velletis, POPULO ROMANO induceretis*. Quæ postrema verba, quanquam de Rullo ejusque sectatoribus dicuntur, de eo tamen Rullo dicuntur, qui M. Bruti sceleris vestigia sequeretur. An non intelligis eidem POPULO ROMANO agros fuisse olim a M. Bruto assignatos, cui postea Rulli lex assignabat? Utriusque enim viri molitionem per omnia æquiparat Tullius.

C 2. M. Bruti colonia Campanæ præfecturæ formam sustulit, ut ex prolixiore Ciceronis loco, quem supra recitavi, intelligitur, qua Capuæ duoviros, sive, ut ipsi audire malebant, prætores constitutos, & cetera quoque ad principis urbis imaginem ordinata significatur: contra vero per Syllanam ἀποικίαν nihil hic de præfecturæ forma decessit: quam idcirco ab recepta Capua ad legem usque Juliam agrariam Vellejus lib. II. capit. 44. continuat: quia quam Capuæ M. Brutus Romanæ reipublicæ imaginem deformarat, ea D statim evanuit: Sylla vero, qui paullo post hic coloniam collocavit, nihil de præfecturæ forma immutavit. Id enim si fecisset Sylla, cur Cicero duos tantummodo inventos dixisset, qui spretis majorum consiliis, Capuam sedem novæ reipublicæ constituerent, M. Brutum & P. Rullum? An non tertius his Sylla adjungendus fuisset? Itaque Sylla cum satis habuisset agros militibus adsignare, nihil præterea novandum putavit. Et sane an olim libera adhuc republica, civium tantum coloniæ ad Romanæ urbis faciem exigerentur, militum E non item, haud facile dixerim: de quo viderint eruditi.

Bruti colonia præfecturam sustulit, Syllana retinuit.

3. M. Bruti hic constituta colonia haud diu stetit: nam, si Ciceroni fidem adhibemus, & ipse qui deduxit, & qui magistratum Capuæ ceperunt, & qui partem aliquam illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt. Quo sane exemplo proposito, Rullum deterret M. Cicero: *Neque te*, inquit, *P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent*. Quæ non sic acF cipienda censeo, quasi obnuntiante augure Brutus coloniam constituerit, sed quod coloniæ ab eo deductæ infelix eventus Rullo similia molienti male ominaretur. Contra vero Syllana colonia ætatem tulit, quod deinceps opportunius mihi demonstrabitur.

Bruti colonia brevi evanuit: Syllana stetit.

4. Postremo Bruti colonia vetustior Syllana fuit, ut terræ cælum prorsus miscere videatur, qui utramque veluti uno tempo-

Bruti colonia ante Syllanam fuit.

re deductam confuderit. Id vero ut doceam, quis ille M. Brutus fuerit, de quo Cicero, investigari necesse fuerit. Ex tot eruditissimis viris, qui Tullianas Agrarias illustrarunt, nemo præter Turnebum de hoc homine verbum unum posuit. Turnebus autem ad II. Agr. num. 34. & 36 eum & Marianarum fuisse partium, & tribunum de Capua colonia deducenda legem tulisse, eumque ipsum triumvirum coloniæ deducendæ fuisse tradit, & Brutum quidem bello civili acerba morte oppetiisse, coloniam vero ab eo institutam a Sylla ejusque factione, sive, ut alibi ait, a senatu sublatam. Hæc vir incomparabilis, nullo adhibito teste, docet, quæ auctoritate veterum firmanda mihi censeo. Nam illud quidem, quod de Bruti tribunatu, ejusdemque triumviratu affert, est incertissimum: & etiamsi alterutrum tantum Brutus ille fecerit, ut aut tribunus legem tulerit, aut triumvir deduxerit, tamen recte Cicero dixerit, *Nam & ipse qui deduxit*. Ac propius fidem est, fuisse tantum triumvirum coloniæ deducendæ, non item tribunum plebis. (1) Deinde quod ad num. 36. ex Sallustio in oratione M. Lepidi trib. pl. refert, Bruti & Mamerci consulatu tumultum in urbe fuisse: id vero est *ἀπροσδιόνυσον*; nam anno superiore, ut infra dicam, diem suum obierat is, de quo agitur, Brutus. Quod vero hic civili bello acerba morte oppetierit, id cum videatur conjectura magis Turnebus, quam certa auctoritate assecutus, eam omnem narrationem illustribus Appiani Plutarchique locis certam atque explicatam efficiam. Ille in II. *τῶν ἐμφυλ.* p. 497. M. Brutum Cæsaris interfectorem alterius Bruti *τοῦ κατὰ Σύλλαν ἀνῃρημένου*, qui noster haud dubie est, filium fuisse testatur. *Ejus*, inquit, *conjurationis duo maxime architecti fuere, M. Brutus Cœpio, Bruti illius per Syllana tempora interfecti filius... & C. Cassius*. Sed & hoc ipsum, & quo mortis genere Brutus ille pater sublatus, copiosius e Chæronensi discas in Pompeii vita: ubi post Syllæ obitum, cum, redintegrante civile bellum Lepido, Pompejum Catuli, & optimatum partes secutum tradidisset, subjungit: *Cum autem optimatibus se adjunxisset, dux est contra Lepidum designatus, qui magnam jam Italiæ partem subegerat, & exercitu per Brutum Cisalpinam Galliam obtinebat. Ac reliqua quidem adventu suo facile Pompejus oppressit: ad Mutinam vero in Gallia perdiu castra collata Bruti castris habuit. Interea cum Lepidus Romam advolitans mœnibus assideret, multoque exercitu populum territans secundum peteret consulatum: eum metum allatæ a Pompejo literæ, quibus bellum sine certamine confectum nuntiabatur, absterserunt. Brutus enim sive quod exercitum ipse tradidit, sive quod transitionem dum faceret, est proditus, Pompeii fidei se commisit, acceptisque equitibus qui se comitarentur, in oppidulum quoddam circumpadanæ Galliæ digressus, ibi postero die, immisso per Pompejum Geminio, est interfectus. Qua de causa Pompejus vehementer est laceratus: qui enim mox ab initio transitionis scripserat ad senatum, Brutum ultro ad se transgressum, misit denuo alteras literas, quibus insectatus est interemtum. Hujus Brutus, qui cum Cassio Cæsarem occidit, filius fuit, vir patris neque in bello gerendo, neque in oppetenda morte similis, ut in illius historia explicuimus*. Ex quo luculentissimo loco facile quivis intelligat non alium fuisse coloniæ Capuæ deductorem: nam & recte eum cum Rullo comparat Cicero, vel ob hoc quod uterque Syllanis adversus fuerit: & omnino verissime Cicero ait eum *acerbissimas impiorum pœnas* pertulisse, quia miserandum in modum & morte non sua periit.

Quis iste M. Brutus?

Noster Brutus pater ejus est, qui Cæsarem interfecit.

Ob eundem perfidæ interfectum Pompejo conflatur invidia.

Temperare autem mihi hoc loco non possum, quin Ciceronis non obscuram assentationem hoc loco detegam. Scimus Plutarcho auctore Pompejum ob hanc perfidiam adversariorum maledictis fuisse proscissum. Idem quoque ex Val. Max. lib. VI. cap. 2. discimus, apud quem Helvius Mantia ultimæ senectutis homo Libonem accusans, cum a Pompejo per jocum sugillaretur, cum diceret *ab inferis illum ad accusandum remissum*, vocem illam libertatis plenam emisit: *Venio enim*, inquit, *ab inferis L. Libonem accusaturus, sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem, quod summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso juventutis flore tuo jussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum* (2) *Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem &c.* Tamen M. Cicero, ut Pompejo gratificetur, cujus

Ciceronis assentatio.

Mantia Pompejo convitiatur.

(1) Non enim est verisimile Junios Brutos, qui genus suum ad L. Brutum virum patricium, qui reges exegit, referrent, magistratum plebejum in suam familiam fuisse illaturos. Nam etiam si verissima sit Dionysii Halicarnassensis sententia, illius L. Bruti, qui monarchiam evertit, genus fuisse extinctum, hos vero alteros Brutos esse plebejos: at Ciceronis tamen, & Posidonii apud Plutarchum adversantia prorsus Dionysio testimonia hoc saltem efficient, Brutos, qui Ciceronis ætate jactitarent ab illo L. Bruto stirpem suam in prope quingentesimum annum propagatam, non fuisse illo eodem tempore per tribunatum plebis gesturos se suamet confessione plebejos.

(2) Ex hoc loco Pighius ad an. 676. colligit saltem prætorium fuisse M. Brutum, cum occideretur, quando confertur cum Cn. Domitio & Cn. Carbone consularibus viris. Sed istud quidem non necessario sequitur: nam illud PARI CLARITATE referri potest non solum ad honores gestos, sed etiam ad claritatem familiæ. Et quidem noster hic, de quo tamdiu loquimur, M. Brutus, si idem ille sit acerrimus accusator, de quo Cicero tum II. Offic. tum vero in Bruto hæc ait: *Iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi vestro, qui cum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset, & juris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is MAGISTRATUS NON PETIVIT, sed fuit accusator vehemens & molestus, ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degenerasse vitio pravæ voluntatis*. Si, inquam, is quem Pompejus oppressit, idem qui Accusator fuit: is certe adeo præturam non gessit, ut omnino MAGISTRATUS NON PETIVERIT. Et video multos doctissimos viros, qui Cæsaris interfectorem hoc Accusatore natum statuant. Mihi tamen non fit verisimile, primum Bruto ipso auscultante, tam contumeliose de Patre loqui Ciceronem: deinde si is pater alterius, a quo Tullii diagolus nomen invenit, extitisset, hoc ibi prætermissum non esset. Accedit quod Accusator ille Crassi oratoris æqualis fuit, atque, ut videtur, aliquanto remotior a Bruti a Pompejo sublati temporibus, ut alter alterius pater existere potuisset. Demum inter multa Crassi in M. Brutum accusatorem egregia scommata, quæ in II. de Oratore Ci-

laudi tum alibi sæpissime, tum hac ipsa oratione velificatur, in Brutum istum invehitur, ejus factum insectatur, & cum Rulli consilio comparat, postremo acerbissimas impiorum pœnas pertulisse eum affirmat, qui summa perfidia enectus esset. Quæ omnia Pompeii auribus data æquus lector mecum judicabit. Ac ne illud quidem possum, quin M. Bruti ejus, qui Cæsarem oppressit, incredibile erga patriam studium (ut illis quidem temporibus ac sapientia: nam nobis quidem longe aliud lex Christiana suadet) suæ familiæ veluti hereditarium admirer. Quis enim dubitat, quin Pompejo patris sui interfectori infensissimus esse debuisset? tamen & ad Pompeii partes illa tyrannis semper inimica progenies civili tumultu sese applicuit, & ejusdem postea mortem per amicissimi sibi monarchæ cædem acerrime est ultus: quod altiores ejus animo caritas in patriam, quam Cæsaris benevolentia, radices egisset.

Bruti Cæpionis in patriam amor.

Noster Brutus quo anno mortuus.

Mors M. Bruti ejus, qui Capuæ coloniam collocavit, videtur incidere in ann. U. C. DCLXXV. quo eodem anno & Sylla obiit, & Lepidus cum Catulo consul processerat. Id quidem vel ex Appiani I. de bel. civ. p. 418. licet intelligere, ubi Lepidus eo ipso anno, quo consulatum gerebat, ad urbem cum copiis adventasse dicitur; quod Lepidi factum Plutarchus cum M. Bruti morte conjungit. Sed multo id evidentius e Plutarchi Pompeio colligas, qui ante illa verba, quæ modo recitabam, sic præfatur: Ὁ δὲ συνάρχων αὐτοῦ (Λεπίδου) Κάτλος, ᾧ τὸ καθαρὸν καὶ ὑγιαινον μάλιστα τῆς βουλῆς, καὶ τοῦ δήμου προσεῖχεν, &c. *Collega autem ejus* (Lepidi) *Catulus, ad quem aggregavit se integra & sanior pars senatus populique &c.* Ergo cum Lepidi adversus Catulum in eorundem consulatu bellum eruperit, eodem anno, quo Sylla interiit, M. Brutum interfectum oportuit. Accedit quod Julius Exsuperantius is, cujus circumfertur opusculum de Marii, Lepidi ac Sertorii bellis civilibus c. VI. ait: *Hujus* (Syllæ mortui) *acta cum conatur Lepidus in SUO CONSULATU subvertere, contra COLLEGAM Catulum civile prœlium gessit & victus est &c.* Nec desunt tamen quæ ad annum insequentem, D. Bruto & Mamerco Cos. (quo etiam anno tumultus in urbe fuit, teste Sallustio in oratione M. Lepidi trib. pl.) M. Bruti mortem referre suadeant. Primum, quo pacto Lepidus Galliam, quam sortitus erat, per Brutum exercitu obtineret, nisi jam magistratu abiisset? Verum in illo civili tumultu provincias latrociniis magis, opinor, quam legibus obtinebant, & vi illam invasisse consulem mihi persuadeo, ἤδη, ut ait Plut. πολλὰ τῆς Ἰταλίας νενικηκότα, καὶ ... Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι. Deinde objici mihi possit jurisjurandi religio, quo Lepidus tenebatur, ut saltem in consulatu (sic enim interpretabatur) bello se abstineret, ut ait Appianus. Tamen nihil facilius Romanis fuit, quam lingua jurare, mentem injuratam gerere. Nihil igitur muto, & eodem anno quo Sylla periit, & Lepidum movisse bellum, & M. Brutum occisum statuo: quoad alius verisimiliora non afferat. Nam Pighius quid fuerit secutus, ut ad consulatum D. Bruti & Mamerci casum M. Bruti, totamque illam Plutarchi narrationem, quam supra recitavi, rejiceret, nec ipse exponit, nec scire interest. Quare ab eodem huc deducta colonia referenda est ad illud maxime tempus, quo Sylla in Mithradaticum bellum intento, per Italiam Marianorum fœdissima dominatio grassabatur. Quam coloniam verisimile est a Sylla labefactatam, statim ut Marianis devictis, colonos suos Capuam, veteribus utique expulsis, immisit. Quo sane spectat illud Julii Exsuperantii de bel. civ. cap. VI. de Lepido eo, cujus Brutus partes sequebatur, Syllæ ac Syllanis infensissimo narrantis in hunc modum: *Hujus* (Syllæ mortui) *acta cum conatur Lepidus in suo consulatu subvertere .... congregatis iis, in quorum possessiones NOVOS COLONOS de suis militibus Sylla victor IMMISIT .. ingentem congregavit exercitum.* Hæc copiosius aliquanto disseruimus, non tam ut e tam illustribus Sigonii commentariis quantuluscumque hic nævus expungeretur, quo a M. Bruto hic institutam coloniam cum Syllana commiscuit: quam ut explicatior jam nostris hominibus primæ illius M. Bruti ἀποικίας cognitio existeret.

Phigius notatus.

Tempus deductæ a Bruto coloniæ.

Rulli tentata colonia.

III. Sequitur jam P. Servilii Rulli tribuni pl. molitio, qui eo Decembri, qui initum a M. Tullio consulatum proxime præcessit, legem perniciosissimam promulgavit, inter cujus capita hoc etiam erat, ut Capuam in coloniam quinque colonorum millia adscriberentur, iisque & Campanus ager & Stellatis divideretur. Cicero Kal. ipsis Januariis, quibus iniit consulatum, qui est annus U. C. DCXC. legem in senatu dissuasit, ac paucis post diebus in concione ad Quirites, tanto impetu ac vehementia, ut quam legem Rullus promulgarat, eandem ferre non ausus fuerit. Hinc Plinius inter Tullii laudes l. VII. cap. 30. hoc etiam refert: *Te dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua abdicaverunt tribus.* De tota vero Ciceronis cum Rullo concertatione leguntur orationes agrariæ, quas toties nominavi. (3) Adi & Rulli legis capita XXI. a Goesio collecta, quorum postremum sic

cero consignavit, est & acris in eundem invectiva, qua illum præter cetera rerum omnium rudem, etiam rei militaris, sugillat: *An rei*, inquit, *militari? qui nunquam castra videris.* Estne vero credibile id ei M. Bruto a Crasso objectum fuisse, qui deligi potuisset ut Galliam exercitu teneret? Taceo quod Mantiæ plena laudis oratio apud Valerium in istum Accusatorem virum illaudatum, quem gurgitem, quem luce aspectuque hominum indignissimum Crassus appellat, convenire non potest. Itaque a vero minime abhorret, Brutum Cæpionem, qui Cæsari est insidiatus, M. Bruti Mariani a Pompejo interfecti, Campanæque coloniæ deductoris fuisse filium, Marci accusatoris nepotem, ac Marci Jurisconsulti, cujus tres libros laudat Cicero in II. de Oratore (Pomponius *de orig. jur.* septem numerat) pronepotem.

(3) Et quidem scimus Campanos unum sibi patronum Ciceronem adoptasse, imo etiam statuam ei posuisse, teste Plutarcho in Cic. ipsoque Tullio in Pisonem num. XI. ubi hæc ait: *Quorum Capuæ te prætextatum* (Pisonem alloquitur Capuæ duumvirum, nam duoviri in coloniis prætexta utebantur) *nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei, cujus consilio cum universam remptum illam ipsam urbem meminerant esse servatam: ME INAVRATA*

concepit: *Capuam tamen quinque civium R. millia transcribantur, singulisque agri Campani dena, Stellatis duodena jugera dividuntor, quæ heredem sequantur.*

C. Julii colonia.

IV. Sed enim quam legem de Capua deducenda Rullus ferre non potuit, eandem post quadriennium C. Julius Cæsar primo suo consulatu, id est anno U. C. DCXCIV. pertulit: eaque est omnium celeberrima deductio, itaut tum primum inter Romanas colonias Capuam fuisse censitam veteres scriptores tradant, de qua deinceps uberius dissertabimus.

M. Anton. iterum Capuam coloniam deducere molitus tantum non interficitur.

V. Et tamen post annos quindecim, uno alterove post Cæsaris necem mense, M. Antonius is, qui postea triumvir fuit, iterum Capuam deducere coloniam est aggressus: neque prius incepto absticit, quam eum Campani pæne occidissent. Patet hoc luculenter ex Philippica altera n. 39. ubi sic in eum invehitur M. Cicero: *O præclaram illam percursationem tuam mense Aprili atque Majo, tum cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es! Quemadmodum illinc abieris, vel potius pæne non abieris, scimus: cui tu urbi minitaris: utinam conere ut illud PÆNE tollatur:* pæne interfectus est Capuæ Antonius, hinc optat ut illud PÆNE tollatur, ac re occidatur.) *At quam nobilis est tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? tua ista detrimenta sunt, illa nostra. Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reip. vulnus putabamus, hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus dividebas: mimos dico & mimas, P. C. in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes Campana & Leontina in populi R. patrimonio grandi fœnore & fructuosæ ferebantur. Medico tria millia jugerum, quasi te sanum fecisset: rhetori duo, quasi disertum facere potuisset.* Et Philippica XII. n. 3. *Quemadmodum*, inquit, *vestrum hoc consilium* (de legatione ad Antonium mittenda) *Capua probabit, quæ temporibus his ROMA ALTERA est? Illa impios cives judicavit, ejecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissime conanti e manibus est ereptus Antonius.*

Capua altera Roma.

Sed & Philip. VIII. n. 8. *Addit præterea, UT QUOS IPSE CUM DOLABELLA DEDERIT AGROS TENEANT II, QUIBUS DATI SUNT. Hic est Campanus ager & Leontinus, quæ duo majores nostri annonæ perfugia ducebant. Cavet mimis, aleatoribus, lenonibus: Casoni etiam & Saxæ cavet, quos centuriones pugnaces & lacertosos inter mimorum & mimarum greges collocavit.* Tamen M. Antonius cum Capuam nequisset, Casilinum coloniam deduxit, quo paucis ante annis fuerat a Cæsare deducta; ut in secunda Philippica eidem exprobrat Cicero.

VI. Octavianus Aug. ter colonias, seu verius supplementa huc adscripsit, de quo infra opportunius dicam. Ac postremo omnium Nero princeps militum supplementum Capuam deduxit. Testatur id Tacitus XIII. an. 31. *Ceterum*, inquit, *Capua, atque Nuceria additis veteranis firmatæ sunt*, idque Nerone secundum, L. Pisone Cos. idest an. U. C. 809. Veteranis a se huc adscriptis cum nihil, quod divideret, Nero invenisset; Urbanam coloniam olim a Sylla constitutam, Campanæ coloniæ attribuit, eosque agros veteranis divisit: de Neroniano enim supplemento Plinii verba XIV. 6. capienda esse arbitror: *Falernus*, inquit, *ager a ponte Campano, læva petentibus Urbanam coloniam Syllanam, NUPER* (idest a Nerone) *Capuæ contributam, incipit.* Ita intra annos circiter sexaginta Capuam sexies est deducta colonia, ac demum a Nerone septima præter illas a Rullo, rursusque ab Antonio tentatas ἀποικίας.

Cæsaris Octaviani supplementa.

II. *De Capua a C. Julio colonia constituta.*

Cur Julia appellata.

IULIA) Cum primo Cæsaris consulatu, id est anno DCXCIV. ab Julio Cæsare celeberrima illa frequentissimaque colonia Capuam esset deducta: hinc Campana colonia Juliæ nomen est consecuta. Frontinus lib. de coloniis: *Capua muro ducta COLONIA JULIA FELIX jussu Imp. Cæsaris a XX. viris est deducta. Iter populo debetur pedibus centum.* Quid porro de tam celebri deductione præter Frontinum literis proditum inveniatur, huc libentissime adscribam. Atque inter ejus rei testes primus prodeat Cæsar ipse qui deduxit, qui lib. I. de bell. civ. hæc ait: *Capuæ primum sese confirmant, & colligunt* (Pompejani) *delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere instituunt.*

Lex Julia Ciceroni valde displicuit.

Cicero quoque, cui lex Campana (sic enim II. ad Att. 18. dicitur, quæ aliis Julia appellatur) summopere displicuit, de ea sæpissime injicit mentionem. Sed præ cæteris laciniam epistolæ ad Att. II. 16. hic inserendam censui. *Cenato mihi & jam dormitanti prid. Kal. Maii epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scri-*

STATUA DONARANT: ME PATRONUM UNUM ADSCIVERANT: a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur. Et solebant statuæ patronis poni: Seneca VI. de benef. 8. *Nemo . . . statuam sibi tanquam patrono ponit.* Verum quid illud sit, quod Capua Ciceronis consulatu servata fuisse dicatur, ac propterea statua illum tanquam patronum Campani donarint, & si ad Rulli conatus de agro Campano assignando a Cicerone elusos antea referebam: tamen ipse Cicero in Sextiana num. 4. ad Capuam ab impia & scelerata Catilinæ, qui eam *propter plurimas belli opportunitates* attentabat, manu servatam refundere quoque videtur. Cum vero Romæ Tullius ob urbem ab illo metu liberatam PATER PATRIÆ audiret: non erit fortasse a vero alienum conventum [non enim alio nomine præfecturarum senatus appellabatur, eodemque vocabulo hic utitur Cicero in Sextiana num. 4.] Capuæ Romam etiam tum in humili fortuna pro viribus æmulantis subscripsisse statuæ Ciceronis PATER URBIS, aut tale aliquid: quo forsan adspexerit Horatius III. 24.

O quisquis volet impias
Cædeis, & rabiem tollere civicam,
Si quæret pater urbium
Subscribi statuis &c.

Nihil enim vetat, quominus sicut Capua Romæ exemplum imitata ea epigraphe usa fuerit, eodem exemplo & aliæ non paucæ civitates idem fortasse fecerint, ut vere *pater urbium* Tullius diceretur.

bis. Quid quæris? primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis quam molestia. Primum ex eo quod superioribus literis scripseras, ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; majus aliquid timueram: hoc mihi ejusmodi non videbatur. Deinde, ut me ego consoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur esse derivata: qui ager, ut dena jugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere: reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur necesse est. Præterea si ulla res est quæ bonorum animos, quos jam video esse commotos, vehementius possit incendere, hæc certe est, & eo magis quod portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum præter vicesimam? quæ mihi videtur una conciuncula clamore pedissequorum nostrorum esse peritura. Insignis sane locus ad agri Campani præstantiam demonstrandam, quo diviso, nullum superesse vectigal domesticum præter *vicesimam libertatis* Cicero exclamat. Sed est quod Ciceroni dicam impingat Casaubonus ad Suetonii Julium cap. 20 qui agri Campani modum incompertum Ciceroni fuisse (*a*) expostulat. Nam quem agrum vix quinque millibus suffecturum Tullius putabat, is xx. millibus reipsa divisus fuit, quod est ex historia notissimum. Neque vero id mihi in præsentia sumo Ciceronem gromaticam tenuisse. Dicam tamen, omissis rebus aliis, quæ pro Cicerone reponit Casaubonus, quæ causa eum impulerit, ut de quinque millibus faceret mentionem. Meminerat summus orator, unum inter Agrariæ legis, quam contra Rullum suo consulatu dissuaserat, capita hoc fuisse, ut Capuam quinque millia civium R. transcriberentur, singulisque agri Campani dena, Stellatis duodena jugera dividerentur (ut ex orationibus agrariis patet) idcirco, nondum lege Julia promulgata, totidem tantum colonos agrum Campanum sustinere posse suspicabatur, vel si dena tantum jugera singulis darentur. Accedit, quod in Rulli lege hoc quoque continebatur, ut agri a Sullanis possessoribus coemerentur (ut ex supra recitatis II. Agrariæ verbis liquet) qui plebi dividerentur, fortasse quod publicum agrum non suffecturum credidissent.

An agri Campani modum Tullius habuerit exploratum.

Sed & Vellejus, cum esset origine saltem Campanus, non hoc silentio præterivit: itaque lib. II. cap. 44. hæc posuit: *In hoc consulatu Cæsar legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur, suasore legis Pompejo. Ita circiter xx. millia civium eo deducta, & jus ab his* (4) *restitutum post annos circiter* CLII. *quam bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat.*

Idem paullo post c.45. de Ciceronis exilii calamitate narrans: *Non caruerunt*, inquit, *suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompejus. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter xx. viros dividendo agro Campano esse noluisset.* Nimirum Cæsar ad totam novorum consiliorum molitionem, qua sibi gratiam imperiorumque perpetuitatem parabat, occulendam, id agebat, ut optimum quemque agris dividendis admoveret, ut non tam sua quam eorum auctoritate res geri videretur. Contra vero M. Cicero minime servile nactus ingenium, rem indecoram est arbitratus alienæ dominationi velificari: quod ei exitio fuit. At vero P. Clodius cum unus ex illis xx. esse cuperet, non est assecutus: unde est egregius ille Ciceronis ad Att. II. 7. σαρκασμός: *Subcontumeliose*, inquit, *tractatur noster Publius: primum, qui cum in domo Cæsaris quondam unus vir fuerit* (quod pertinet ad Bonæ Deæ sacra contaminata) *nunc ne in viginti quidem esse potuerit.* Sed & epistola VI. ejusdem libri meminit quoque xx. virorum: nec non IX. ad Att. 2. ubi de repudiato olim a se xx. viratu ait: *Repudiari se totum magis etiam, quam olim in* xx. *viratu putabit* (Cæsar) *ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem.* Meminit & Dio lib. XXXVIII. istorum xx. virorum. Verum illud incommodat, quod in or. de prov. cons. n. 17. eum honorem V. *viratum* appellat, itemque II. ad Att. 7. ubi post scomma illud in Clodium jactum, paullo post ait: *Illud quid sit, scire cupio, quod jacis obscure, jam etiam ex ipsis quinqueviris loqui quosdam.* In quem locum Manutius *viginti viris* lege posse af-

Cicero ob recusatum Campanum xx. viratum exulavit.

Clodius xx. viratus repulsam patitur.

(*a*) Plinius lib. XVIII. cap. II. agri Campani modum XL. millibus passuum definit; quod quemadmodum sit accipiendum dicetur notatione 21.

(4) Puteanus, Ursinus aliique, *jus civitatis* legendum putant. Nam jus civitatis, quod adepti fuerant, quando, ut loquitur idem Paterculus I. 14 *Sp. Postumio, Veturio Calvino Cos. Campanis data est civitas*, id, Punico altero bello devicta a Romanis Capua & in præfecturæ formam redacta, amiserant: quod demum illuc deducta colonia recuperarunt. Lipsius, quamquam Puteani emendationem maxime probat, tamen sola particula *Ab* deleta, legi posse ait, *jus his restitutum*. Nam postquam in præfecturæ formam redacta fuit, jus apud eos nullum, aut jurisdictio mansit, sed petebant Roma. Livius lib. 26. *Ceterum habitari tantum tanquam urbem Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatum, nec plebis consilium, nec magistratus esse. Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros.*

Hanc Lipsii interpretationem, rejectis aliis, unice probo. Hac vero maxima ratione permoveor, quod si *jus civitatis* secundum Puteani emendationem legerimus, erroris manifestus erit Paterculus, neque enim verum est tum demum, cum lege Julia, eo deducta colonia est, jus civitatis Campanos recuperasse. Jam ante id recuperarunt anno DLXIV, nisi me fallit Livius lib. 37. [an 38? non enim memini] Nobiliore & Volsone Cos. *Cum Campani*, inquit, *ubi censerentur, senatum consuluissent (nam antea incertum hoc fuerat) decretum, ut Romæ censerentur.* Tum anno DLXV. Messalla & Salinatore Cos. hæc refert Liv. XXXVIII. 36. *Campani, cum eos ex S. C. quod priore anno factum erat, Censores Romæ censeri coegissent (nam antea incertum fuerat, ubi censerentur) petierunt, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas; & ante diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent: utraque res impetrata.* Romæ a Censoribus R. censeri, matrimonia cum civibus R. jungere, & quæ insuper adjicit Livius, omnino sunt civium Romanorum. Quare quod viri docti notarunt multas civitates municipia simul easdemque præfecturas exstitisse: nihil video, quominus de Capua id potissimum sit, capiendum. Accedit quod ex lege Julia de civitate Italis danda (quæ lata est anno DCLXIII.) urbes ferme omnes Italicæ jure ferendi suffragia & adipiscendorum magistratuum donatæ fuere, hoc est in totidem municipia evaserunt, jus civitatis assecutæ.

Ergo cum hoc tempore jus civitatis Campani recuperassent, tamen nondum IVS iis restitutum ait

firmat, quod & ego ſequi malim: nam & quem locum modo ex IX. ad Att. 2. recitabam, in eo alii v. *viratu*, alii XX. *viratu* habent, credo ob veterum librorum diſcrepantiam. (5)

Campanorum xx. virum catalogus.

Hinc vero maxime patet magnitudo Capuenſis coloniæ, quod cum ad ceteras triumviri crearentur, in hac deducenda XX. viri adhibiti fuere, qui XX. millibus civium deductorum veluti reſpondebant. Ceterum qui iſti XX. viri fuerint, difficile eſt divinare, præter paucos quos teneo. (6)

Pergamus vero Campanæ ἀποικίας teſtes producere: Suetonius in Julio cap. 20. *Lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. Ac poſtero die in ſenatu conqueſtum, nec quoquam reperto, qui ſuper tali conſter-*

A *natione referre aut cenſere aliquid auderet, qualia multa ſæpe in levioribus turbis decreta erant, in eam coegit deſperationem, ut quoad poteſtate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. Unus ex eo tempore omnia in rep. & ad arbitrium adminiſtravit, ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Julio & Cæſare Coſ. actum ſcriberent. Bis eundem præponentes nomine atque cognomine: utque vulgo mox ferrentur hi verſus:*

B

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt;
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

Campum Stellatem majoribus conſecra-

Paterculus, quia adhuc præfecturæ forma retinebatur. Et quanquam per extrema præfecturæ Campanæ tempora aliquid Capuæ *Conventus* (is erat præfecturæ veluti ſenatus) poterat, nam, ut in Sextiana num. 4. legitur, Ciceronem ſibi patronum adoptavit; eundem ex or. in Piſ. inaurata ſtatua donavit: tamen nondum ſuus magiſtratus Campanis erat, qui IVS diceret, ſed eum quotannis ab Roma accipiebant. Hoc demum per legem Juliam obtinuerunt, quando, ut ait Vellejus, IVS AB HIS RESTITVTVM: etenim illud AB, quod Lipſius expungit, non video quin retineri poſſit, ut τὸ AB HIS aut ad Cæſarem & Pompejum, alterum latorem, ſuaſorem alterum legis referatur, aut ad illos XX. millia deductos.

[5] Alibi tamen Manutius ad Vellejum difficilem hunc nodum putat, & judicium aliis permittit. Plerique viri doctiſſimi, qui in or. de prov. conſ. illud v. *viratum* & II. ad Att. 7. illud *quinque viris* retinent, ita v. viros a XX. viris diſtinguunt, ut hi æſtimando agro Campano, illi dividendo curatores comparati fuerint. Sed hoc diſcrimen, quod ſibi ſumunt, nullum ſibi a vetere ullo ſcriptore præſidium adſciſcit: imo aperte huic diſcrimini Plinium refragari video, qui lib. VII. cap. 52. ait Varronem XX. virum agros diviſiſſe Capuæ, in quem locum vide not. ſequentem.

Equidem etiamſi illa v. *virorum* aut v. *viratus* proba ſit lectio putarim inter XX. viros quinque fuiſſe ceteris præſtantiores, in quibus ipſe Cicero, qui eum tamen honorem repudiavit, Craſſus, Pompejus, Piſo &c. Aliquam enim lucem vel ipſe Cicero affulget or. de prov. con. num. 17. *Me ille* (Cæſar) *ut quinqueviratum acciperem, rogavit: me in tribus ſibi conjunctiſſimis conſularibus eſſe voluit*. Qui ſunt vero iſti? Pompejus, Piſo, quorum hic ſocer, ille gener Cæſaris fuit (vel, ſi lubet, pro Piſone Craſſum reſtitue) tertius vero Cicero. Majorem etiam Ciceronis jocus, quem ſupra commemoravi, affert ad Att. II. 7. ubi de Clodio in hunc modum: *Qui cum in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe potuerit*. Quaſi ſi dixiſſet, qui quondam *Vnus*, nunc non modo in v. viris, ſed ne in XX. quidem.

Verum nihil iſtis argutationibus opus eſſe arbitror; ac nihil verius puto, quam corruptos eos eſſe locos, quibus v. *viri* aut v. *viratus*, pro XX. *viris* & XX. *viratu* legitur. Neque id mirum, nam cum librariis hic XX. viratus eſſet inauditus, eum apud alios etiam præter Ciceronem auctores, ſubſtituto III. *viratu*, expunxerunt. Apud Frontinum pro eo quod recte legitur: *Capua muro ducta . . . a* XX. *viris eſt deducta*: eſt ubi in MSS. legatur *a* III. *viris*. Varro I. de R. R. 2. [editionis Aldinæ] de Tremellio Scrofa ait: *Triumvir qui fuit ad agros dividundos Campanos*: nec dubito, quin XX. *vir* legi oporteat. Nihil ergo mirandum ſi uno alterove Tulli loco v. *viri* pro XX. *viris* irrepſerint.

(6) Duos ex his XX. viris debeo Franciſco Fabricio in, hiſtoria Ciceronis ad annum DCXCIV. Coſconium & Cn. Tremellium Scrofam. Sed ex his eximendus eſt Coſconius (quem eum C. Coſconium eſſe putat Manutius, qui Cicerone Coſ. geſſit præturam) quia morte præventus eum honorem non geſſit, in ejuſque locum ſuffectus eſt Cicero qui id repudiavit. *Coſconio mortuo*, inquit Tullius II. ad Att. 19. *ſum in ejus locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui. Nihil me turpius apud homines fuiſſet: neque vero ad iſtam ipſam ἀσφάλειαν quidquam alienius. Sunt enim illi apud bonos invidioſi: ego apud improbos meam retinuiſſem invidiam, alienam aſſumſiſſem*. Reſtat Scrofa Tremellius, de quo hæc habet Varro I. de R. R. 2. [editionis Aldinæ an. 1533. quam habeo ad manus] *Alterum collegam tuum, triumvir qui fuit ad agros dividundos Campanos, video huc venire Cn. Tremellium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura Romanus peritiſſimus exiſtimatur*. Sed ſine controverſia XX. *vir*, non *triumvir* legendum puto, etiam ſi libri veteres non adſtipulentur: nam hiſtoria quidem certe, quæ apud me plus ſexcentis codicibus poteſt, XX. *vir* requirit. Sed & hunc ipſum M. Varronem, quem modo teſtem produxi, unum e XX. viris fuiſſe didici e Plinio VII. 52. ubi ait: *Varro quoque auctor eſt*, XX. *viro ſe agros dividente Capuæ, quendam, qui efferretur, foro domum remeaſſe pedibus*. Atque ita hunc locum ab Harduino e veterum omnium, ut ipſe teſtatur, librorum conſenſu reſtitutum video: cum antea in editis legeretur XX. *viris agros dividentibus*. Quamquam ante Harduinum eodem modo correxiſſe e vetere libro Pintianum invenio, quem laudatum ab Harduino oportuerat. Præterea Pompejum & Piſonem in XX. viris numerandos certiſſimum habeo, tum ob arctiſſimam Cæſaris affinitatem, tum etiam quod ambo primum Capuæ duumviratum geſſere. His Craſſum etiam accenſere licet, nam is quoque non minus, quam Pompejus, legis Juliæ ſuaſor fuit, ut ex Appiano & Dione intelligimus, & erat tum uterque Cæſari conjunctiſſimus, unde celebris illa a Varrone per luſum ſcripta *Tricipitina* quam omnes norunt: ac præterea Dio initio lib. XXXVIII. cum dixiſſet Cæſarem ſeſe e XX. virorum numero exemiſſe, diſerte ait: *Aperte autem Pompejo, Craſſo aliiſque gratificabatur*: unde nihil dubium Craſſum non minus quam Pompejum e XX. viris fuiſſe. Ad hæc de M. Atio Balbo Auguſti avo materno invenio apud Suet. cap. 4. *Functuſque honore præturæ, inter* XX. *viros agrum Campanum plebi Julia lege diviſit*. Demum ex his quæ idem Suetonius in Julio cap. 81. de L. Cornelio Balbo Majore refert, eum etiam inter XX. viros fuiſſe poſſumus ſuſpicari. *Sed Cæſari*, inquit, *futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata eſt. Paucos ante menſes cum in colonia Capua deducti lege Julia coloni, ad exſtruendas villas ſepulcra vetuſtiſſima disjicerent, idque eo ſtudioſius facerent, quod aliquantum vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ ſepultus, inventa eſt, conſcripta literis verbiſque græcis, hac ſententia. Quandoque oſſa Capys detecta eſſent, fore ut Julo prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ cladibus vindicaretur, cujus rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris*. Balbus hic Major cum & Cæſaris amicitia maxime floruerit, & ejus prodigiis teſtis producatur a Suetonio, nihil propius eſt, quam ut inter XX. viros fuerit: accedit etiam quod hunc Campani patronum ſibi aſciverunt, ut ex elogio quod Capuæ in foro exſtat, intelligitur, quod ſic habet:

L. CORNELIO. L. . . .
BALBO COS. PATR. . . .
D. D.

Quod etiam indicio eſt eum fuiſſe inter XX. viros. Præter hos ſeptem, quos expiſcati ſumus, Tremellium Scrofam, M. Varronem, Pompejum, Piſonem, Craſſum, duoſque Balbos M. Atium & L. Cornelium (etſi hunc poſtremum conjectura tantum aſſequimur) ceteros nondum teneo.

tum, (7) *agrumque Campanum ad subsidia reip. vectigalem relictum divisit extra sortem* (8) *ad* XX. *millibus civium, quibus terni pluresque liberi essent*.

Appianus lib. II. bell. civ. p. 433. ait: *Cumque serio paucis studere videretur* (Cæsar) *incauto nec præmuniente se altero* (Cos. Bibulo) *ut qui nihil dum eorum quæ agitabantur suspicaretur, magna occulte manu comparata, & rogationes in senatu*

A

tulit in favorem egenorum, & agros eis distribuit: & agrum Campanum longe omnium fertilissimum trium liberorum patribus, ita ut publico tenerentur, elocavit. (9) *Cujus mercede gratiæ ingentem multitudinem obnoxiam sibi fecit: viginti enim millia plane extiterunt, ii dumtaxat qui tres filios alerent*. (10) Quid vero turbarum Cæsaris rogatio exciverit, ubertim eodem loco exsequitur Appianus: quo- Turbæ ob legem Juliam.

(7) De agro Stellate, quem Suetonius ἀνέργαστον fuisse ait, Cicero vero hominum usibus expolitum in orationibus agrariis non obscure significat, difficilis sane quæstio viros eruditos exercet: dum alii quibuscumque modis inter sese conciliare duos nobilissimos scriptores student, alii vero aut hunc aut illum ignorantiæ arcessunt. Quas ego potissimum partes amplectar, non est hujus temporis exponere, prolixiorem enim digressionem, quam præ hac operarum festinatione exposceret. Vide interim, an non illud *Majoribus consecratum* Suetonius obiter tantum & ἐκ παρέργου dixerit, quasi hæc sit sententia: *Agrum Stellatem* (*quem, ut obiter dicam, majores consecrarant, postea vero cultui rursum restituerant*) *divisit &c.* Sic nihil erit inter Ciceronem ac Suetonium dissidii.

Notasse vero hic proderit Suetonium unum, ac præterea neminem, de agri Stellatis divisione meminisse: hoc ideo, quia ceteri satis habuerunt agrum Campanum memorare, cujus ager Stellatis pars esse videbatur.

(8) Extra sortem idcirco addidit, quia duo præ ceteris fuere legis hujus Juliæ agrariæ capita, quantum e Græcis scriptoribus Appiano, ac potissimum Dione cognoscimus: unum, quo egenæ plebi, cujus infinita vis Romæ, agri alibi assignabantur: alterum, quo trium liberorum patribus eximius ille Campanus ager divideretur.

[9] Aliter hæc doctissimus interpres Gelenius verterat in hunc modum: *Et agrum Campanum longe fertilissimum ex publico dilargitus est trium liberorum patribus*. Næ ille non tam ad Græci scriptoris fidem quam ceterorum historicorum, qui vulgo agrum Campanum divisum aut datum (ἐδόθη, inquit Dio) tradiderunt, sic est interpretatus. Græce vero Appianus sic habet: Καὶ τὴν ἀριστεύουσαν αὐτοῖς μάλιστα περὶ Καπύην ἐς τὰ κοινὰ διεμισθοῦτο τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν. Compositum istud Διαμισθοῦμαι, quod non alibi fortasse legas, haud dubium quin simplicis Μισθοῦμαι significationem sequatur, cui præpositio Διὰ nihil aliud quam distribuendi vim addit. H. St. in thesauro Μισθόω & Μισθοῦμαι cum suis compositis ita distinguit, ut illud semper locandi, hoc vero conducendi significationem habeat. Sed vel hic Appiani locus docere potest Μισθοῦμαι etiam locandi notionem habere, apud quem Διαμισθοῦσθαι indubie *Dilocare* (ut ἀπολέξει dicam) significat. Contra & activam vocem pro *Conduco* reperiri posse Theodorus Gaza evincet, qui [apud H. St. in Ἀπομισθόω] illud Theophrasti: Τὰς γεωργίας ἀπομισθοῦντες, *Mercede conducentes* interpretatur. Et, ut vera sit H. Stephani versio, qui *Ablocantes* mavult reponi, tamen persuasum Gazæ fuit id verbum mediæ significationis fuisse. Sane vero & apud Favorinum in voce Ξένος sic reperio; qui cum hac voce & eum qui recipit & qui recipitur hospitio significari dixisset, aliquibus interjectis subjungit: Εἴποις δ' ἂν μισθώσασθαι καὶ μισθῶσαι οἶκον, ὅπερ Ἡρόδοτος ἐνδιδόναι καλεῖ. Experimento didici omnia, quæ in hoc doctissimi episcopi lexico leguntur, e veteribus lexicographis aut scholiastis desumta.

Quod si tamen adhuc διαμισθοῦσθαι ἀντὶ τοῦ διαμισθῶσαι dici non posse pertendis, legelis in Appiano διεμίσθου, aut διεμίσθωσε: nam certe & ex dandi casu cui conjungitur, & ex illo ἐς τὰ κοινὰ (quod pessime Gelenius vertit *ex publico*) apertissime colligo Appianum de locatione locutum: ac de eo locationis genere accipiendus, de quo lib. primo dixerat agrum hosticum modo divisum colonis fuisse, modo elocatum. Quod si agrum Campanum vere largiebatur lex, non vero tantum elocabat, fuerit hoc sane Appiani ἱστορικὸν ἁμάρτημα, qualia non pauca & in hoc & in aliis deprehendas.

Quid si Appiani dictio sit magis ex historiæ fide? Nam vide quæ collegerim, quæ ejus scriptoris ῥῆσιν juvare possint. Nam primum & ex aliis auctoribus & ex Dione potissimum scimus, Cæsarem ita legem composuisse, nihil ut esset, quod improbari posset: id quod summopere Ciceronem mordebat, ut ex II. ad Att. 16. intelligimus, ubi hoc legitur: *Primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit .... quod scripseras ...., prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret*. Atqui si ager Campanus, qui ad reip. subsidia relictus fuerat, ita dividendus fuisset, nihil ut inde inferretur in ærarium populi R. non video quid lex habuerit, quo probari posset. Nunc vero ut sua probabilitate lex se omnibus commendaret, locationem proposuit, qua efficiebatur, ut decumæ quotannis populo R. persolverentur. Et hoc a more deducendarum coloniarum non abhorrebat, de quo idem Appianus [lib. I. bel. civ. p. 353. idest statim post proœmium] docuerat, agrum hosticum, si cultus esset, modo divisum colonis fuisse, modo iisdem venditum aut elocatum. At enim, inquies, cur Cicero II. ad Att. 16. conqueritur agrum Campanum e vectigalibus auferri? Fortasse, inquam, quia, cum ante legem Juliam toti proventus ejus agri populo R. redirent [teste eodem Tullio Philip. II. nu. 39. *Quandoquidem*, inquit, *hæ quondam arationes Campana & Leontina in populi R. patrimonio grandi fœnore & fructuosæ ferebantur*: & Suetonio, qui *agrum Campanum ad subsidia reip. relictum* olim fuisse affirmat] postea cum solæ decumæ fructuum essent pensitandæ, auferri jam totum videbatur.

Sed missis conjecturis, quin potius Dionem in medium affero? cujus insignis ἀντιλογία non de nihilo est. Is postquam initio l. XXXVIII. dixerat lege Julia cautum fuisse, ut ex agris dividendis ager Campanus suæ præstantiæ caussa eximeretur, demum in ejus narrationis fine ait, *præterea decretum, ut ager Campanus ternorum aut plurium filiorum patribus daretur*. Haud enim scio an ager Campanus, quem exemtum antea dixerat, ea conditione datus fuerit, ut decumæ nomine aliquid persolveretur. Græca Dionis sic habent: Καὶ προσέτι καὶ ἡ τῶν Καμπανῶν γῆ τοῖς τρία τε πλείω τε ἔτι τέκνα ἔχουσιν ἐδόθη. Vide autem an non διδόναι hic apud Dionem idem sit quod μισθῶσαι: nam certe is, quem supra produxi, Favorinus ἐνδιδόναι apud Herodotum idem significare ait quod μισθῶσαι: & exemplum statim hoc affert: Ἐμισθοῦντο παρ' ἐκ. ἐνδιδόντος τὴν οἰκίην. Quare mea sententia aut ἐνεδόθη apud Dionem legatur, aut ἐδόθη idem quod ἐνεδόθη valet. Atque hæc pro Appiano imo & Dionis sententia habui dicere: quæ conjecturæ tantum loco habeantur per me licebit. Ceterum difficile est Latinorum Scriptorum auctoritates eludere, qui de divisione, non vero locatione agri Campani sermonem habent. Accedit, quod ante centum amplius annos ager Campanus jam fuerat elocatus, teste Livio lib. XLII. 19. *Eodem*, inquit, *anno* (is est annus V. C. DLXXXI.) *quia per recognitionem Postumii cos. magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent. Quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat, ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum*. Cum tanto ante ager Campanus elocatus fuisset: quid reliquum Cæsari fuit, nisi ut eundem maximo cum ærarii incommodo (id quod optimus quisque civis expostulabat) a reip. vectigalibus abstractum colonis a se deductis divideret? Nisi vero legem illam Lucretiam de agro Campano locando promulgatam tantum, non etiam perlatam contendimus: Livius quidem certe promulgationis tantum commeminit.

(10) Hæc quoque, quæ paullo aliter Gelenius expresserat, propius ad Græci auctoris sententiam hic posui. Peccatur autem ab Appiano gravissime, quod eos tantum conscriptos affirmat, quibus nec plures nec pauciores terni liberi essent. Primum haud facillimum fuisset viginti millia hujus tantum generis ἀθρόως (qua voce is utitur) invenire: deinde lex fuisset injustissima, ut plurium liberorum patres, quibus potissimum fuerat succurrendum, excluderentur. Demum refragatur apertissime Suetonius, cujus verba paullo ante recitavi, & Dio mox proferendus, qui ternorum pluriumve filiorum patribus agrum Campanum divisum statuunt. Verum re melius perpensa, nihil diversus a ceteris historicis Appianus abit; qui suam respiciebat ætatem, qua *jus trium liberorum* habere dicebantur, sive qui ternos, sive qui plures filios alerent, uti ex Plinii epistolis, & aliis constat. Cum ergo Appianus ait agrum Cam-

rum

rum summam tantum rerum huc adscribam. Cum rogationi consulis multi obsisterent, Cæsar vehementer stomachatus proripuit se e curia, nec toto anni tempore senatum habuit: tantum pro rostris concionabundus Pompejum Crassumque præsentes rogitabat, ecquid leges placerent: quibus approbantibus, plebes occultis sicis armata vocabatur ad suffragia. Ex adverso Bibuli alterius consulis in forum irrumpentis sicarii fasces perfregerunt: dumque ille nudatum præberet jugulum, ut morte saltem sua invidiosum faceret collegam, in proximum fanum reluctans ab amicis subductus est. Sed & Catone bis in forum irrumpente, atque incassum vociferante, tamen eo semel atque iterum exturbato, nihilominus consul leges suas pertulit, juratis in eas non solum plebeiis, sed etiam patribus; nam quamvis hi recusarent, metu tamen capitalis pœnæ jurarunt. Interea Vetius quidam e plebe, strictum cultrum ostentans, quasi Bibuli, Ciceronis, Catonisque mandato Cæsarem Pompejumque confossurus, procurrit in medium. Quo facto ambiguæ per se suspicionis, quodque alii aliter interpretabantur, Cæsar ad exasperandam multitudinem usus, effecit ut populus ei permitteret, ut ab insidiatoribus se defenderet. Tum omissa in reliquum anni a Bibulo in universum reip. tractatione, Cæsar omnia pro arbitrio moderabatur, qui alias insuper leges tulit, quibus aut gratiam sibi aut imperia comparavit. Deinde mota illa in Ciceronem tempestas, quæ illum exilii caussa solum vertere coegit. Atque hæc fere Appianus.

Sed nemo accuratius Dione Cassio statim ab initio libri XXXVIII. hanc totam historiam illustrat, qui & illam Cæsaris calliditatem aperit: qui cum revera plebis sibi animos adversus optimates conciliatos hac lege cuperet, auctoritatem tamen optimatum, consensumque in speciem requirebat præferebatque, tota molitione ita disposita, ut ne occasio quidem contradicendi iis afferretur. Nam ita de agro dividendo legem tulit, ut ne minimum quidem in ea reprehendendum inveniretur, ob eas causas quas initio lib. XXXVIII. Dio exequitur. Quid autem illud est, quod Dio subjungit? *Omnem autem*, inquit, *regionem, quæ publica populi R. erat, excepto agro Campano (hunc reip.*

Dionis inconstantia.

panum elocatum *τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν*, hoc vult, nullum a Cæsare colonorum numerum præstitutum, sed quotquot *trium liberorum jure* fruerentur (ut Appiani ætate loquebantur) invitatos. Rursusque cum ait *viginti millia exstiterunt οἱ τὰ τρία τρέφοντες μόνοι*, vult viginti millia ejus tantum generis inventos esse, *qui tres filios alerent*, non qui tres tantum, sed sive ternos sive plures; quia sub Cæsaribus plurium etiam filiorum parentes recepta consuetudine *trium liberorum patres* dicebantur, quod *jure trium liberorum* gauderent. Ut altius repetam: urbe civili bello exhausta, Cæsar *πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν*, uti loquitur Dio lib. XLIII. p. 226. quæ renovavit Augustus apud eundem Dionem lib. LIV. p. 531. (ea est lex Julia *de maritandis ordinibus*). & lege Papia Poppæa jam senex confirmavit, ut innuit Tacitus III. an. 25. Præmia parentum hæc fuere, ut mariti & parentes in honoribus capiendis præcederent, Gell. II. 15. ut honoratius in spectaculis sederent, Suet. Aug. 44. ut heredes ex testamento pro solido fierent, cum contra plane excederent cœlibes, orbi semissem caperent, paullo plus solitarii patres. Præcipua autem dignatio eorum fuit, qui ternos saltem filios superstites haberent: hi plenissimum jus consequebantur, quod *trium liberorum* dicebatur: quod tamen procedente tempore etiam ad infecundos, aut infelices maritos indulgentia principum est propagatum. Hinc Martialis lib. II. 91.

Quod fortuna negat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.

Videatur Paullus lib. IV. recept. sent. tit. 9. extr. & Plinius II. epist. 13. qua significat se Voconio id jus impetrasse: tum X. epist. 2. ipse Plinius eo jure donatus Trajano gratias agit. Demum eodem lib. ep. 95. Suetonio Tranquillo idem jus ab eodem principe petit, *parum felix matrimonium* eum expertum esse caussatus. Vide quoque Cellarium ad eas epistolas, & Lipsium in Taciti annales. Verum de his satis.

Hinc Campanæ coloniæ frequentiam licet intelligere: nec enim facile numerosiorem invenies. Sane cum olim colonia Carthaginem decreta fuisset, Graccho & Fulvio Flacco ad eam deducendam delectis: *Adscripti sunt*, inquit Appianus lib. 1. bel. civ. p. 364. *eo sexies mille, supra lege præstitutum numerum*: pauciores ergo quam sex millia, lex ejus coloniæ definiverat. Si tam pauci in Carthaginensia latifundia deducendi erant, nihil est quod numerosiores ceteras deductiones speres.

Jam vero si XX. millia colonorum, totidem uxores, ac ternos tantum liberos in unam summam colligas, centum millia confient. Multis tamen deni, duodeni aut fortasse plures erant liberi. Sic facile CL. millia minimum evadent. Adde his servitia, quæ, ut illa tempestate, etiam tenuiores fortunæ homines alebant: vix effugies quin ducenta millia, eoque amplius ad incolendam tum Capuam venerint. Veteribus vero Campanis quid fiet? neque enim hi alio demigrabant, cum deducebatur colonia: & certe plures ter altero tanto fuisse mihi persuadeo, qui sciam in frequentissimas alioqui civitates quam pauci coloni conscriberentur, præut Capuam conscripti fuere. Adde & servos eorum & ancillas. Adde vero jam gladiatorum ingentem manum ibidem commorantium, *quos ibi Cæsar in ludo habebat . . . & circum familias conventus Campani custodiæ caussa distribuit*, ut ipsemet 1. de bel. civ. 14. testatur. Hos autem gladiatores XL. saltem millia fuisse, ex VII. ad Att. 14. colligitur. *Gladiatores*, ait ibi Cicero, *Cæsaris, qui Capuæ sunt . . . sane commode Pompejus distribuit, binos singulis patribus familiarum. Secutorum in ludo* IↃↃ. *fuerunt*. Si hos patres familias de XX. millibus colonorum lege Julia deductorum tantum accipias: tamen efficientur XL. millia gladiatorum. Quid si veteres etiam Campanos patres familias intelligas? quid enim vetat? Adhæc præter illos gladiatores, binos singulis patribus familiarum distributos, *secutorum in ludo*, inquit Cicero, IↃↃ. (idest quinquemillia) *fuerunt*. Quæ quidem lectio quid caussæ est quamobrem a Lipsio II. Sat. 7. sollicitetur, ita ut illas numerales notas in ∞ ∞ hoc est duo millia commutet? *Quis enim*, ait ibi vir summus, *crediderit quinque millia gladiatorum Capuæ fuisse, & quidem Secutorianæ, idest unius armaturæ*? Hoccine incredibile putat Lipsius; cum tamen præter hos quinquemillia secutores, quos ludus capere potuisset, innumeri præterea aliorum generum gladiatores, iique minimum ad XL. millia, distributi per domos detinerentur? Hosce gladiatores, ut obiter dicam, bello civili a Lentulo armatos Cæsar narrat eodem loco: nimirum quia, uti Cicero eadem epistola fatetur, Campani coloni parum prolixe delectui responderent; quod, credo, Cæsari magis favebant, a quo deducti. Ad rem vero: quid de advenis & peregrinis dicam, quos undique amœnissima luxurians ac delidiosa civitas arcessebat?

Ita Campanam coloniam si a decies centenis millibus fuisse inhabitatam dixero, parcissime me puto definiturum. Nam & Cicero cum Philippica XII. n. 3. de Capua ait: *Quæ temporibus his Roma altera est*, etiam urbis frequentiam videtur contemplatus. Lege parumper, quæ de Romanæ urbis incolarum multitudine Lipsius III. de magnit. 3. Is. Vossius, Bergierius aliique scripserunt: tum profecto intelliges non paradoxa, sed minora veris me protulisse.

Et tamen Octavianus ter quoque ejus coloniæ supplementa conscripsit, atque ita magna, ut alii coloniam ab eo deductam prodiderint. Quid porro mirum si Strabo, si Vellejus, si alii, quos alibi opportunius congeremus, tam magnifice de Campana colonia locuti fuerint? Quibus omnibus accedit amphitheatri Campani magnitudo, quod minimo intervallo a Titiani dimensionibus abest. Amphitheatra vero pro urbium frequentia extruebantur.

exemtum ob præstantiam censuit relinquendum) divisit &c. A Turbat enim vero hic Dio, atque ipse etiam sibi in fine hujus narrationis contradicit, ubi diserte agrum Campanum patribus ternorum pluriumve liberorum datum tradit. Sed quo pacto nec aliis Dio, nec sibi porro ipse adversetur, præter ea quæ nota 9. monui, dicam etiam suo loco deinceps. Goesium vero censorem sane quam morosissimum quo pacto excusabimus? qui cum legis Juliæ Agrariæ capita sibi colligenda sumsisset, primum quidem caput sic posuit, B ut ager Campanus exciperetur, nec vero unquam deinceps de ejus divisione meminit: imo & xx. viros ceteris agris, excepto agro Campano, dividendis adhibet: quæ sunt ἀσύστατα. Vide auctores rei agrariæ p. 350.

Goesii indiligentia.

In ejus legis rogatione etiam de divisoribus adjectum fuisse caput Dio affirmat, quos viginti numero esse jubebat, ut plures in honoris partem venirent: a quorum numero sese exemit, ne quid sui ipsius caussa decernere putaretur. Ergo cum patres probe jam perciperent, ac vere- C rentur quorsum ejus legis exitus evaderet, nimirum ad dominationem Cæsari comparandam: tamen ne hiscere quidem audebant: & hoc ipsum ante alia indignabantur, quod lex ita esset composita, nulla ut ejus invadendæ ansa daretur. Et M. quidem Cato cum legem a se non reprehendi quidem diceret, negaret tamen quidquam esse novandum: jussu consulis e senatu abreptus, in carcerem trusus est; unde vix ob liberam M Petronii Catonem in carcerem prosequentis vocem est liberatus: D cum quidem Cæsar indignabundus dictitaret, se non amplius ad senatum, sed recta ad populum tum de hoc, tum de omnibus relaturum. (11) Id quod constantissime fecit, instructis duobus legis suasoribus Pompejo atque Crasso, quibus cum deposita simultate, omnia tum in commune agebat: quæ res multis optimatum fraudi fuit, qui nondum eos rediisse in gratiam resciverant. Quare cum Cæsar, nihil Bibulum legi oblatrantem moratus, certam diem legi perferendæ præstituisset, noctuque jam forum plebs E occupasset, Bibulus quidem contra niti aggressus, per gradus dejectus est, & fasces ejus fracti: lex vero est perlata, omnibus in eam juratis optimatibus, præter Metellum & Catonem & M. quendam Favonium; qui & ipsi tamen multa deterriti, postea jurarunt.

Totam vero narrationem, quæ apud ipsum auctorem fusius exposita legi potest, his verbis Dio concludit: *Sic tan-* F *dem ea lex perlata est: PRÆTEREAQUE decretum, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, daretur. Atque ita tunc primum Capua inter Romanorum colonias relata est.* Quæ verba pugnare videntur cum iis quæ initio recitavi, ubi dixerat Dio agrum Campanum fuisse exceptum. Sed in speciem tantum pugnant: nam satis ab inconstantiæ reprehensione vocula unica προσέτι cavisse sibi Dionem Casaubonus ad Suetonii Julium cap. 20. affirmat. Nimirum initio aliis agris, qui egenæ plebi dividerentur, propositis, ager Campanus expresse ob sui præstantiam excipiebatur, postea vero etiam Campanus ager tres liberos alentibus datus. Ego vero nescio quomodo in ea, quam nota 9. proposui, hujus solutione ἀντιλογίας mihi magis placeo: ex qua id etiam commodi percipimus, quod ita demum Dio cum ceteris scriptoribus conciliabitur. Nam alii omnes statim initio propositam de agro Campano rogationem testantur: imo hujus tantum & Stellatis agri Latini auctores meminerunt, de ceteris agris ne verbum quidem fecerunt. Quæ quidem ita ex Appiani & Dionis sententia accipienda censeo, ut ceteri quidem agri ex lege Julia egenis civibus ἁπλῶς distribuerentur: ab eo vero penitus immuni assignatione ager Campanus ob sui præstantiam eximeretur, qui ea conditione divisus fuit, ut tamen coloni publico tenerentur, decumasque frugum persolverent: quam propterea divisionem Appianus locationem appellavit. Lege totas Appiani, & Dionis supra positas narrationes, ac præterea nonam notationem nostram.

Dio secum ipse & cum aliis conciliatur.

Quid illud vero est, quod idem in extremam narrationem conjecit? *Tunc primum*, inquit, *Capua inter Romanorum colonias relata est:* an non sæpius ante Cæsarem deducta eo colonia fuerat? ita sane: sed earum deductionum non est habita ratio, quasi tum primum ea colonia Romana fuerit.

Deinceps vero Dio Cassius tum alia Cæsaris facta exsequitur, tum quomodo Clodium adversus Ciceronem instruxerit, ut eum in exsilium pelleret. Neque enim quisquam veterum scriptorum est, qui non ad Cæsarem totam illam Tullii calamitatem auctorem refundat.

Et quoniam in maximi illius oratoris exsilii sæpe incidimus mentionem, non dissimulabo Campanos decuriones, Cn. Pompejo, qui tum duumviratum Capuæ gerebat, maxime agente, primos omnium decrevisse, ut Romam concurrerent ad Ciceronem restituendum: quo veluti signo dato, ceteræ Italiæ civitates idem fecerunt: ut non immerito Italiæ humeris restitutus, ut loquitur Tullius, fuisse videretur. Testatur hoc ipsemet M. Cicero in Miloniana n. 15. *Cn. Pompejus*, inquit, *auctor & dux mei reditus, illius* (Clodii) *hostis: cujus sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam, & ornatissimam secutus est: qui populum R. cohortatus est, qui CUM DE ME DECRETUM CAPUÆ FECISSET, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & ejus fidem imploranti signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent.* Testatur & in or. in Pisonem n. 11. ubi de Campanis ait: *Me inaurata statua donarant: me patronum unum adsciverant: a me se habere vitam, liberos arbitrabantur: me & præsentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisque defenderunt,*

Campanorum studium in Cicerone revocando.

(11) Hinc opportune Cæsarem eo nomine carpit Plutarchus, quod in lege agraria proferenda, non consulis, sed tribuni plebis officio functus videretur.

Pompejus Capuæ Duumvir.

& ABSENTEM, principe Cn. Pompejo referente, & de corpore reip. tuorum ſcelerum tela revellente, REVOCARVNT.

Jam vero quod dixi eo anno quo Cicero eſt revocatus, Lentulo & Metello Coſ. qui fuit tertius poſtquam Capua colonia fuerat conſtituta, Pompejum adhuc Capuæ duovirum geſſiſſe, vel ex hoc loco patet: neque enim, niſi ſummo in magiſtratu eſſet, DECRETVM CAPUÆ facere potuiſſet. Et ceteroqui Pompeii Campanus duumviratus luculentiſſime conſtat ex *or. poſt. red. in ſen. n.* 11. ubi de eadem re orator ſic loquitur: *Qui* (Pompejus) *in colonia nuper conſtituta cum ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat emtus interceſſor* (ſicut Ælius Ligur a Clodio emtus, ut legi de Cicerone revocando intercederet) *VIM & CRUDELITATEM privilegii* (Clodii legem, qua Cicero pulſus, privilegium appellat) *auctoritate honeſtiſſimorum bominum* (Campanorum) *& publicis literis* (ideſt decreto, de quo in Milonianæ loco modo recitato) *conſignavit, princepſque Italiæ totius præſidium ad meam ſalutem implorandum putavit?* Ex quo intelligimus in DECRETO CAPVÆ legem Clodiam tanquam violentam & crudelem fuiſſe taxatam.

Itemque Piſo.

L. etiam Piſonem eodem tempore ſummum magiſtratum Capuæ cepiſſe affirmat idem ſæpe in partes vocatus M. Cicero in Sextiana oratione, & in Piſonem n. 11. *Seplaſia mehercle, ut dici audiebam, te, ut primum aſpexit, Campanum conſulem repudiavit... Gabinium denique ſi vidiſſent duumvirum veſtri illi unguentarii, citius agnoviſſent: erant illi comti capilli &c.* Cur vero Seplaſia Piſonem repudiaret, declarat in Sextiana: *Capillo*, inquit, *ita horrido, ut Capua, in qua ipſe* (Piſo) *tum imaginis formandæ cauſa* (id eſt ut colonia Capua ad reip. R. imaginem formaretur) *duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videbatur.*

Ex quibus ſummi Oratoris locis aliiſque & primum Campanorum duumvirum collegium aſſequimur, Piſonem & Pompejum, illum Cæſaris ſocerum, hunc vero generum, & alia nonnulla mihi minime prætereunda. 1. Ac primum hi ſummi reip. R. viri non in ſpeciem ſolum, utque eum honorem coloniæ tribuerent, colonicum magiſtratum inierunt, ſed re vera Capuæ degentes duumviros ſe geſſerunt. Hinc 11. ad Att. 19. cum Diphilus tragœdus in Pompejum petulanter inveheretur, *Noſtra*, inquiens, *miſeria tu es Magnus*, & cetera in eandem ſententiam: *Literæ*, inquit Cicero, *Capuam ad Pompejum volare dicebantur*, nimirum duumviratu ibi fungentem. Et opportune Lipſius *var. lect. lib.* 1. *cap.* 11. aut erraſſe Valerium & Macrobium, cum ſcribunt intentis in præſentem Pompejum manibus ab hiſtrione iſta dicta, aut certe hiſtoriam ſpecioſo mendacio ornare voluiſſe affirmat. 2. Haud temere vero Piſonem Tullius Campanum conſulem ſæpenumero appellat: aut enim per ludibrium ſic illum vocat, aut ad Campanorum ſimul faſtum alludit, quo ſe olim Prætores compellari jubebant.

Campani conſules.

Atque haud ſcio an re vera & ſerio per illa coloniæ initia conſules nuncuparentur; cum præſertim coloniam Capuam Romam alteram idem orator non raro appellarit. Sane *or. poſt red. in ſen.* n. 7. ſerio iſta in Piſonem jaciuntur: *Capuæ ne te putabas, in qua urbe domicilium quondam ſuperbiæ fuit, CONSVLEM ESSE, SICVT ERAS EO TEMPORE, an Romæ, in qua civitate omnes ante vos conſules ſenatui paruerunt?* Multa hic haberem, quæ de municipalibus; & præſertim de Campanis conſulibus dicerem: ſed ea ad aliud Campanum monumentum de TVRCIO COS. id eſt conſule Campano, ut interpretor, illuſtrandum alias σὺν Θεῷ afferemus. Ceteroqui ſcimus Lanuvii & alibi ſummum magiſtratum dictatoris nomine appellatum: quidni Capuæ conſules, & duumviri promiſcue dicerentur?

Tempus geſti duoviratus.

3. Tempus Campani conſulatus ſive duumviratus (eadem de ceterarum coloniarum duoviris difficultas) quamdiu perdurarit, difficile eſt definire. Primum illud duumvirum par Piſo, atque Pompejus Cæſaris conſulatu magiſtratum inierunt, eoque, nonniſi poſt biennium ſaltem exactum, abiiſſe putandum eſt: nam & quo anno Piſo cum Gabinio conſul proceſſit, tamen & Capuæ idem ille conſul erat: & Pompejus, cum de revocando Cicerone, Lentulo & Metello Coſ. decretum Capuæ fecit, ibidem ſummo in magiſtratu erat. Ideone, quia ad formandam coloniæ πολιτείαν eoſdem duumviros in annum alterum, & fortaſſe etiam tertium refici opus fuerit? an vero conſuetum ejus magiſtratus tempus diuturnius annuo fuerit? Enim vero memini etiam virum ſummum Card. Noriſium, cujus ad cenotaphia Piſana commentarium diu eſt cum evolverem, de tempore geſti duumviratus addubitare. Et ſub Auguſto ſaltem principe incertæ diuturnitatis fuit, quantum ex bene longo Campanorum faſtorum fragmento, quod Gruterus pag. 299. ex Appiano habet, & Pighius ad annum V. C. DCCXIX. perſpicimus: ubi modo ad ſex menſes, modo breviore aut longiore ſpatio Campani duumviri eo honore uſi comperiuntur.

Ciceronis jocus.

Sed antequam manum de tabula: Juliam hanc coloniam civilem, non militarem fuiſſe ſæpiſſime dixi. Dubitationem tamen nonnullam poſſit Plutarchus in Cicerone injicere, apud quem inter Tullii ſales hoc reperio: *Cum Cæſar legem tuliſſet de agro Campano MILITIBVS* (græce τοῖς στρατιώταις) *dividendo, multis res in ſenatu diſplicuit: L. autem Gellius, qui fere natu erat maximus, hoc ſe vivo negavit futurum. Hic Cicero, expectemus, ait; haud longam dilationem poſtulat Gellius.* Plutarchumne Græcum hominem indiligentiæ accuſabis, qui ad conſuetas Auguſti aliorumque militares colonias aſpiciens, hanc etiam militarem putarit? Etiamne vero Ciceronem ſive ignorationis ſive ſupinitatis arceſſes, qui in altera Philippica n. 39. Antonium coloniam Capuam ex integro deducere conatum inſectans, inter cetera hoc ait: *Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut MILITIBUS daretur, tamen infligi magnum reip.*

A *vulnus putabamus, hunc tu compransoribus tuis & conlusoribus dividebas, &c.* Ac fuit, cum illud MILITIBUS ad Antonium ipsum referrem, ut hæc esset sententia: Etiam si agrum Campanum MILITIBUS, uti tu quidem prætexebas, divisisses, tamen infligi magnum reip. vulnus putavissemus: propterea quod is ager colonis olim a Cæsare elocatus (uti notatione 9. dictum) nunc e vectigalibus per tuam gratuitam assignationem eximeretur: nunc vero cum compransoribus & conlusoribus eundem distribuas, non est ferendum. Sed tamen
B propendebat magis animus, ut ad Cæsarianam assignationem referrem, prius etiam quam Plutarchi locum animadvertissem. Nec illud obest, quod de Campani agri e vectigalibus exemtione Cicero conqueritur, quem tamen agrum fuisse potius elocatum alibi conjecimus: nam potest responderi in hanc sententiam: magnum enim reip. vulnus Cæsar inflixit, qui, cum solidi ex eo agro proventus antea reip. redirent, fecit ut decumæ tantum persolverentur, eoque tam grandes agri Campani fructus e vectigalibus exemit. Illud vero quod non
C civibus, sed MILITIBUS DATUM ait (& vide an non τὸ DARETUR eadem *locandi* significatione a Cicerone sit dictum, qua ἐδόθη apud Dionem, ut not. 9. explicui) nihil civili coloniæ incommodat: nam cives illi deducti, iidem milites emeriti fuere. Scitissima sunt hæc Lucani 1. 344.

In quas milites deducebantur, non continuo militares coloniæ.

Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis?

D Brutus in concione post oppressum Cæsarem apud Appianum in 11. bell. civ. p. 516. *Idemque* (olim populus) *hostes victos non omni agro, sed parte multabat, in eamque EMERITOS deducebat, ut essent quasi hostium, quos devicissent, custodes.* Ecce civium colonias: deinceps militares depingit. *Sylla vero,* inquit, *& Cæsar, quod patria armis occupata, custodibus & satellitibus adversus eam egerent..... agros sociorum Latini nominis diviserunt, & vos in eos frequentes sub signis & ordinibus deduxerunt.* Ac de discri-
E mine inter civiles militaresque colonias vide Goesii antiquitates agrarias cap. 3. qui militares eas demum esse definit, quæ jure militari, idest vi & armis sunt deductæ: ut sint eædem quas deductas a dictatoribus scribit Hyginus. Nam si militaris ea sit, in quam miles veteranusve mittitur, multæ ante Syllam dictatorem militares invenientur; veluti cum in Frontino legitur veteranis lege Sempronia, quæ Syllæ dictaturam antecessit, assignatum agrum Abessinensem, & Ferentinensem: & ceteroqui
F negari non potest non minus militem, quam alium civem Senatus auctoritate, aut plebiscito deduci in colonias potuisse.

Atque hæc de colonia Julia. Ceterum quarto post eam deductam anno, Marcellino & Philippo cos. de ea colonia infirmanda in senatu est actum. Vide quæ in eam sententiam narrat Freinshemius in supplem. Liv. lib. IV. cap. 88. quæ quia nullo teste adhibito affert, non huc adtexui: nam in or. de arusp. resp. quæ ad oram libri a viro magno citatur, nihil tale invenitur. Epistolæ potius Ciceronis Freinshemio citandæ fuerant, tum 1. ep. fam. 9. tum etiam 11. ad Q. Fr. 1. Quæ jam loca hic recitari operæ pretium fuerit.

Primus, quem invenio de agro Campano retulisse, fuit Rutilius Lupus trib. pl. Lentulo & Metello cos. extremo anno: qua de re hæc habet Cicero 11. ad Q. Fr. 1. *Sane frequentes fuimus, omnino ad ducentos* (hunc numerum Asconius in frequenti senatu requirit: Dio tamen Augustum sanxisse ait, ut a paucioribus, quam quadringentis S. C. fieri possent, cum antea quadringenti ipsi requirerentur. Pergit vero Cicero) *Commorat expectationem Lupus: egit caussam agri Campani sane accurate. Auditus est magno silentio. Materiam rei non ignoras. Nihil ex nostris actionibus prætermisit. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium, expostulationes cum absente Pompejo. Caussa sero perorata, sententias se rogaturum negavit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. Ex superiorum temporum conviciis, & ex præsenti silentio, quid senatus sentiret, se intelligere dixit. Milo cœpit dimittere. Tum Marcellinus, noli, inquit, ex taciturnitate nostra, Lupe, quid aut probemus hoc tempore, aut improbemus, judicare. Ego, quod ad me attinet, idemque arbitror ceteros, idcirco taceo, quod non existimo, cum Pompejus absit, caussam agri Campani agi convenire. Tum ille se senatum negavit tenere.*

Anno sequente, Marcellino & Philippo cos. iterum eadem res agitata, decretumque uti Cicero frequenti senatu de agro Campano referret. Testis ipse Cicero 1. ep. 9. Lentulo sic scribens: *Quin etiam Marcellino & Philippo cos. nonis Aprilis mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu idibus Maii referretur.* Quo tamen die relatum non esse scribit ipse ad fratrem lib. 11. ep. 7. *Quod*, inquit, *idibus & postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri; non est actum.* Nimirum quod sententiam Cicero mutasset, Pompejo gratificaturus, quemadmodum etiam eadem ad Lentulum epistola declaratur; statim enim subjicit Cicero Cn. Pompejum cum Q. fratre Ciceronis ita egisse, ut de agro Campano a Cicerone non referretur: ac demum subjungit: *Hæc cum ad me frater pertulisset, & cum ante tamen Pompejus ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de caussa Campana ad suum reditum reservarem: collegi ipse me ... ut officium meum, memoremque in benemeritos animum, fidemque fratris mei præstarem &c.* Paullus Manutius commentario in hanc epistolam, duas fuisse agri Campani partes existimat, unam publicam, quæ Cæsaris consulatu divisa fuerit, alteram a privatis possessam, quam emi pecunia publica, & plebi item dividi Cæsar voluerat: unde lib. altero ad Att. ep. 17. legitur: *Quid ager Campanus, quid effusio pecuniæ significant?* Ac de hac demum agri Campani parte, ad quam dividendam publica pecunia requireretur, referendum a Cicerone in senatu

fuisse Manutius affirmat. Eandem agri Campani partem ante civile bellum negat divisam vir doctus, cum Cœlius Ciceroni belli civilis initio scribens *actiones C. Curionis de agro Campano* memoret: imo ne ante Cæsaris quidem necem hanc divisionem factam putat, probatque epistola D. Bruti post Cæsaris interitum scripta, in qua legitur; *Quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, video facultatem fore ex agris Sullanis, & agro Campano*. Atque in eum, quem dixi, modum agri Campani caussam Manutius interpretatur.

Verum nihil caussæ esse video, quamobrem hoc tantum legis Juliæ agrariæ caput de Campanorum privatis possessionibus coemendis ac dividendis (si modo id inter capita illius legis erat) oppugnare in animo habuerit Cicero. Imo quæ eadem epistola nona ad Lentulum Cicero subjungit de Pompeii cura, qua *egisset sæpissime de actis Cæsaris* (supple non rescindendis) cum Q. fratre Ciceronis, caussamque ac dignitatem Cæsaris M. Ciceroni commendatam vellet; ea, inquam, non obscure significant, de colonia ipsa Capuam deducta abolenda, agroque Campano, quem Cæsar suo consulatu diviserat, ad jus publicum revocando agendum fuisse. Eoque spectant illa paullo ante recitata: *Num potui magis in arcem illius caussæ invadere &c.* Nam de Campanorum quidem privatis agris dividendis nego tum Cæsarem fuisse sollicitum, qui cum abesset, nihil ex illa divisione gratiæ aucupari posset; Pompejum multo minus, quem in frumento ad urbem undique convehendo occupatum cavere cum primis oportebat, ne publica pecunia, quæ in rem frumentariam unice tum erat insumenda, in agros coemendos insumeretur.

III. *Unde Felicis nomen Capuæ obvenerit.*

FELIX) Hoc etiam Capuensis coloniæ nomen absque hac inscriptione ex Frontino jam notum erat, qui eam *Juliam Felicem* dictam fuisse testatur. Sed unde ei hoc cognomen obvenerit, merito quæri possit. Scio non defuturos, qui, quod *Campaniæ Felicis* ea esset metropolis, idcirco *Felicem* agnominatam statuant. Verum hæc conjectura vel pluma levior est: tum quod aliquas extra Campaniam colonias *Felices* appellatas in marmoribus deprehendimus: tum vero quod cognomen FELIX, quod nunc vulgo Campaniæ tribuitur, χθὲς καὶ πρώην in ἐπωνυμίαν transiit, ut optime animadvertit Peregrinius p. 484. & 485. Nam olim ἁπλῶς Campania dicebatur. Nec Plinius lib. III. cap. 5. cum ait: *Hinc felix illa Campania est. Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, &c.* proprium aliquod ejus regionis cognomen tradere, sed solum a felicitate, hoc est fertilitate illam celebrare in animo habuit: quomodo etiam de eadem Strabo lib. v. dixit, πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων, *solum omnium felicissimum*. Itaque a Campania hoc cognomen in metropolim coloniam corrivare stultissimum fuerit.

Campania recens Felix appellata.

Dicam tamen quid de eo cognomine suspicer. Coloniarum nomina vel a deducente, vel a deductis legionibus plurimum sumi solebant. Sic ne a nostra discedam, Julia, ob legem Juliam dicta fuit: & eadem Augusta ob deductam ab Augusto coloniam. Quis igitur vetat hanc nostram a tribus celeberrimis deductoribus tria sua nomina hausisse, & *Felicem* idcirco dictam, quia olim a Sylla Felice fuerat constituta colonia? Idem de Nola dicendum, quam a Sylla coloniam institutam nemo ignorat, qui Frontinum legerit; atque ob hanc caussam *Felicem* appellatam conjicio; sic enim invenio apud Grut. p. 1085. num. 14. COL. FEL. AVG. NOL. Ad hæc cum Samnites olim acerrime contra Syllam stetissent, verisimile est Beneventanos agro fuisse multatos, adscriptamque eo coloniam: unde in inscriptione, quæ Caudii exstat, quam refert Peregrinius in Camp. Fel. 745. FELIX ea quoque appellatur in hunc modum: COLONIA. IVLIA. CONCORDIA. AVG. FELIX. BENEVENTVM.

Capua Felix a Sylla dicta.

Huic tamen suspicioni duo maxime posse incommodare video. Unum quod Sigonius in III. de antiquo jure Italiæ cap. 4. ait: *Est autem verisimile, cum alia Syllæ acta post mortem ejus rescinderentur, hanc quoque deductionem* (coloniæ Capuæ) *esse labefactatam*. Alterum quod illud *Felix* Capua commune cum aliis quibusdam coloniis habeat, quas nunquam, quod quidem sciatur, Sylla deduxerit.

Quibus tamen respondere non est difficile. Nam primum, quod Syllæ acta rescissa post mortem ait Sigonius, hoc neque apud Plutarchum in Sylla, neque apud Appianum in primo bellorum civilium nec dum apud alium auctorem inveni. Nisi quod Julius Exsuperantius de bellis civ. cap. IV. ait: Hujus (Syllæ) *ACTA cum conatur Lepidus in suo consulatu SUBVERTERE, contra collegam Catulum civile prœlium gessit, & VICTUS EST. Nam congregatis iis in quorum possessiones novos colonos de suis militibus Sylla victor immisit: pollicendo, si vicissent, se bona patria restituturum &c.* Sed Lepidi molitio conantis Syllæ acta rescindere, & veteribus possessoribus agros restituere infelicem exitum habuit, ut ex ejusdem Exsuperantii narratione constat, & ex Plutarcho & Appiano. Atque ex Appiano jam ut hauriam, adeo Syllæ acta eversa non sunt, ut regio plane funere elatus fuerit. Scio de honore funeris fuisse disceptatum: & vicit ea sententia qua funus longe sumtuosissimum ei apparatum fuit, ita ut senatoribus succollantibus in campum Martium illatus fuerit, ubi solos reges sepelire mos erat. Verum quod propius Colonias a Sylla deductas spectat, Appianus lib. I. pag. 418. testatur, revertentes ab exsequiis consules Lepidum & Catulum mutuis conviciis fuisse altercatos, divisa in eorum favorem urbana multitudine. Nam Syllæ infestissimus Lepidus redditurum se veteribus possessoribus agros jactabat, quos Sylla ademtos militibus assignarat. Ceterum senatus ambos consules jurejurando obstrinxit, ne bello rem decernerent, ac decreta Lepido provincia Gallia transalpina, bellum tamen dilatum, non restinctum

Syllæ acta non fuere rescissa.

fuit. Nam cum Lepidus, quem bellum jam meditari palam esset, revocatus a patribus urbi copias admovisset, suosque ad arma capienda incitasset, idem faciente Catulo, non longe a campo Martio confligitur: qua pugna Lepidus victus trajecit in Sardiniam, ubi tabe periit. Sertorius & ipse Syllanis adversus, cum per aliquot annos in Hispaniis, tanquam in suo regno, fuisset dominatus, tandem a Perpenna per proditionem occubuit: nec diu post, Perpenna sublato, omnes illius incendii favillæ penitus sunt restinctæ. Ita nec Syllæ acta quando abrogata fuerint percipio: Imo Cicero or. pro do. num. 30. affirmat sua etiam ætate ratum mansisse, quod Sylla dictator tulerat de agris municipiorum, eorum nimirum quæ contra se steterant, adimendis, & colonias potissimum ab eo constitutas quod attinet, nunquam milites ab eo deducti ab assignatis sibi possessionibus sunt deturbati. His accedit, quod cum Rullus novam deductionem Capuam moliretur, inter legis illius capita hoc erat, ut agri a Sullanis possessoribus emti novis colonis dividerentur. Testatur hoc Cicero in II. Agraria nu. 36. *Ut*, inquit, *invidiosos agros A SULLANIS POSSESSORIBUS... EMTOS, quanti velletis, populo Romano induceretis.* An non intelligis Sullanos milites servasse semper possessiones suas: ac ne tum quidem, cum Rullus, qui se Marianum esse jactabat, alios colonos inducere aggrederetur, hoc pertendisse, ut agri Sullanis adimerentur, sed ut ab iis potius redimerentur? Estque in eam sententiam tota tertia Tullii agraria oratio conscripta, cum ei criminationi responderet, qua Quiritium animos mentesque Rullus occuparat, Ciceronem, quo Sullanarum assignationum possessoribus gratificaretur, agrariæ legi obsistere. Cui sic respondet orator, ut in ipsa orationis propositione ostensurum se dicat, lege Rulli agraria *non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari atque sanciri*. Huc accedit, quod neque Cæsarem, cum agrum Campanum publicum populi R. assignavit, quidquam in Syllanorum possessiones molitum reperimus: nec eas demum Augustus invasit, cum undique agros in hac regione conquireret, quos suis veteranis largiretur: sed satius habuit publicos Campanæ coloniæ agros, data vicissim nostris terra Gnosia & aqua Julia, militibus assignare. Et ecce Frontinus lib. de coloniis tres illas deductiones quasi ratas enumerat: *Capua*, inquit, *muro ducta, colonia Julia Felix. Jussu imp. Cæsaris a XX. viris est deducta. Iter populo debetur pedibus C. Ager ejus lege Sullana fuerat assignatus. Postea Cæsar in jugeribus militi pro merito dividi jussit.*

Syllanis nunquam possessiones ademtæ.

Accedit hoc etiam, quod cetera quoque a Sylla hic ordinata, postea manserunt. De Calatia Frontinus: *Calatia oppidum muro ductum. Iter populo debetur pedibus* LX. *coloniæ Capuensi, a Sulla Felice cum territorio suo adjudicatum olim ob hosticam pugnam*. Calatiam Capuæ Sylla adjudicarat, idque Frontini adhuc ætate mansit, ut ejus verba demonstrant. De utra ex duabus Calatiis (12) Frontinus sit accipiendus, non omnino certum. Item colonia Urbana, quæ ab Sylla quondam deducta fuerat, Plinii adhuc ætate id nomen tuebatur: sic enim lib. XIV. cap. 6. *Falernus ager a ponte Campano læva petentibus Urbanam COLONIAM SYLLANAM, nuper Capuæ contributam incipit*. Nam mitto ceteras colonias a Sylla olim deductas, quarum tanquam manentium ac ratarum meminit Frontinus. Si tot coloniæ ab eo constitutæ perstiterunt: si Calatia Capuæ a Sylla contributa, etiam sic postea mansit: imo si Syllani milites ab eo Capuam deducti, suas semper possessiones, uti modo demonstrabam, insederunt: & hoc ergo in præclaro Sigonii opere suadeo, corrigatur, quod ait rescissis Syllæ post mortem actis, ejusdem Campanam deductionem fuisse labefactatam. Nam & Syllanam agri assignationem non fuisse abrogatam satis docui: nec vero, quod caput est, Syllæ acta unquam fuere rescissa, quæ si fuissent rescissa, etiam ejus statua, quæ pro rostris erat, dejecta fuisset. Nunc vero tempore Pharsalicæ pugnæ adhuc stabat, teste Dione lib. XLII. ac tum demum dejecta fuit, cum Cæsari stetisse victoriam, certus nuntius est allatus: *Posteaquam tandem creditum est*, inquit Dio, *id tantum egerunt, imagines Pompeii Syllæque, quæ pro rostris stabant, dejecere. Et erant complures, qui ne hoc quidem faciendum putarent*. Quid hoc clarius? Accedit quod eo ipso anno quo Cæsar occubuit, cum tribunal e medio foro in alium transtulisset: *restitutæque sunt*, inquit Dio lib. XLIII. *juxta illud tribunal Syllæ ac Pompeii statuæ: qua re laudem Cæsar invenit*.

Sigonii hallucinatio.

At enim, inquies, si Syllanæ deductioni robur suum mansisset, quo pacto eam Cæsar denuo deducere potuisset, cum Cicero in II. Philippica n. 40. neget eo deduci posse coloniam, quo auspicato esset ante deducta? *Deduxisti*, inquit, *Coloniam Casilinum, quo Cæsar ante deduxerat. (13) Consuluisti me per literas de Capua tu quidem: sed idem de Casilino respondis-*

Quo colonia jure deducta, iterum deducere non licebat.

(12) Duas fuisse Calatias, unam quæ trans Volturnum posita, hodieque inter non obscuras urbes numeratur, alteram quæ jamdiu interiit ad viam Appiam prope oppidum Magdalonum, & Peutingeri tabulæ demonstrant, & Peregrinius in descriptione Campaniæ luculenter evincit. Frontini locum de transfluviana Calatia cepisse videtur noster Peregrinius in *Camp. Fel.* p. 273. nam in indice quidem certe geographico ad hodiernam id Calatiam refert. Equidem de cisfluviana viæ Appiæ adsita facilius eum locum perceperim: nam illa altera incertum ad Campaniamne, an ad Samnium per Syllana tempora pertinuerit; & erat multo, quam hæc, remotior, &, in quo caput est, cum Romani semper montibus ac fluminibus veluti a natura positis terminis, non agrorum tantum, sed & imperii limites definirent, hanc potius eis Volturnum, quam alteram trans flumen & montibus impositam, a Sylla Capuæ contributam crediderim. Accedit quod quam Calatiam Festus inter Romanas præfecturas accenset, credibile est fuisse illam celebriorem Transtifatinam. Ergo quæ ad viam Appiam posita, ea demum Capuæ adjudicata fuit, idest una fuit e Campanis præfecturis, de quibus priore auctario agitur.

(13.) Cæsar confectis bellis civilibus dictator coloniam Casilinum deduxit. Et exstat nummus apud Goltzium in thesauro p. 238. & 256. cujus una parte legitur: CÆS. DICT. PERP. in altera vero: TI. SEMPRON. GRACCUS. Q. DESIG. ITER. COL. CASILIN.

sem: posses ne, ubi colonia esset, eo coloniam novam jure deducere. Negavi in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adscribi posse rescripsi: tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perstrinxisti, ut florenti coloniæ territorium minueretur.

Cui exceptioni promtissimum est reponere, M. quidem Bruti ἀποικίαν non diu stetisse INCOLVMEM (hac enim ipsa voce modo Tullius utebatur) fuisse enim a Sylla dictatore sublatam, ac fortasse ne AVSPICATO quidem deductam; cum in II. agraria n. 34. Tullius *omina illa M. Bruti atque auspicia* ponat ob oculos, ut Rullum *a simili furore* deterreat: ita impedimento non fuisse, quin nova illuc colonia decerneretur. Syllanam vero deductionem nihil admodum in hujus urbis politia immutasse: nec vero aliud cum coloniis habuisse commune, quam agri novis colonis assignationem: ceterum mansisse eandem præfecturæ formam, quæ antea fuisset, supra est demonstratum: ubi & eam dubitationem injeci, an commune hoc fuerit militaribus plerisque coloniis, ut excepta agri divisione, nihil præterea mutaretur, quamobrem reip. R. imaginem urbs illa referret. Ita nec Bruti nec Syllæ colonia impedimento fuit, quin Cæsar novam transcriberet. Post legem vero Juliam, cum jam justæ coloniæ forma hic esset constituta, non licuisse Antonio iterum deducere Cicero pronunciavit, nisi solum supplementum, sive novos colonos inducere.

Coloniæ omnes cognomento Felices fortasse a Sylla deductæ.

Nec illud magnopere reformido (quod alterum fuit eorum, quæ mihimet supra objeceram) nonnullas alias inveniri præterea colonias cognomento Felices. Quis enim vetat, cum longe plurimas colonias per Italiam olim Sylla Felix statuisset (nam in Epitoma Livianorum LXXXIX. de Sulla legitur, XLVII. *legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit*; & Appianus CXX. millia hominum a Sylla esse deducta tradidit) plerasque earum in eo sibi cognomento placuisse? Sane cum Nola, uti supra monebam, FELIX AVG. fuerit appellata, quid aliud caussæ assignare potes, quam quod eam Sulla Frontino teste deduxerit? De Benevento quoque suspicabamur a Sulla fuisse deductam, a quo Samnites sibi infestos agro fuisse multatos est verisimile: atque idcirco inter ejus nomina etiam illud FELIX invenitur.

Tres præterea, nec amplius FELICES, imo IVLIAS FELICES inveni. Una est ap. Grut. p. 1093. 8. ubi legitur quidam Æ-

A DILIS. COLONIA. IVLIA. FELICI. CLASSICA. SVESSA. Altera apud Fabrettum p. 106. num. 211. ubi est: COL. IVLIA. FELICI. LVCOFERonensi. Tertia ibidem n. 252. ubi legitur: COLONIÆ. IVL. FELIC. PISAVR. Quas etiam conjicio, a Sylla Felice, primum, tum etiam ab Julio fuisse deductas, atque idcirco *Julias Felices* audivisse. Scio Dionem lib. LIX. queri sua ætate colonias suo sibi arbitrio nominum catalogos contexere, cum antea nonnisi ex auctoritate id senatus liceret. Sed de sua id ætate expostulat. Quid
B his commune cum Nola atque Capua, quas certo scimus ab Sylla olim deductas? Atque idcirco *Felices* tum has potissimum duas, tum quatuor alias Beneventum, Suessam, Lucum Feroniæ ac Pisaurum appellatas non absurde conjectavimus. Nam & hoc quoque Syllæ felicitati possumus adscribere, quod hæ per illum institutæ coloniæ (14) in eo sibi nomine tanto opere placerent.

Ac mihi sane videtur non ob aliam caussam de Syllæ assignatione meminisse Frontinus, quam ut ejus cognominis rationem
C afferret: *Colonia*, inquit, *Julia Felix jussu imp. Cæsaris a* XX. *viris est deducta*: en cur *Julia* diceretur. *Ager ejus*, inquit, *lege Sullana fuerat assignatus*: en cur *Felix* cognominaretur. Pergit vero: *Postea Cæsar* (supplendum fortasse *Augustus*, ex libro qui *Frontini Siculi* inscribitur) *in jugeribus militi pro merito dividi jussit*: ecce demum, cur *Augustæ* etiam cognomen accederet. Ut non immerito suspicer Frontinum quidem ipsum sic scriptum reliquisse: *Colonia Julia Felix Aug.* prorsus ut in
D nostro monumento legitur: quippe cum appareat eum singulorum nominum veluti reddidisse rationem: sed postea librariorum culpa illud *Aug.* deperiisse, quod a Frontino fuisse omissum non est verisimile. Accedit ad hanc firmandam conjecturam, quod ordo deductionum, quas hic recitat Frontinus, seriei trium illorum nominum exacte respondet: alioqui temporum potius rationem tenuisset, ac prius de Syllana, tum de Juliana, demum de Augustea deductione meminisset: nunc
E prorsus alium ordinem insistit, ac prius de Julio, tum de Sylla, demum de Augusto docet, non aliam utique ob caussam, quam ut trium illorum nominum rationem afferat *Julia Felix Augusta*. (15) Sed postea, ut conjiciebam, librariorum incuria, aut sciolorum putantium illud *Aug.* (quod fortasse *Augusti* interpretabantur) esse supervacaneum, ea vox intercidit, uti paullo post demonstrabitur.

Atque hæc dicta sint, ut intelligatur a vero non abhorrere nostram coloniam a Sylla potissimum *Felicis* invenisse cognomen-

(14.) Erunt & aliæ forsan plures sex illis, quas recensivi, coloniæ FELICES, quas veterum lapidum inopia ignoramus: nam in vetustis dumtaxat titulis omnia coloniarum nomina ostentari solent, quæ a scriptoribus plerumque tacentur. Quid quod ne in cippis quidem assumta a coloniis nomina ubique enuntiantur, ac sæpenumero vetera tantum urbium nomina exprimuntur? Ac ne a domesticis exemplis discedam: in hoc primum, quo de commentamur, Campanum marmor incurri, quod Campanæ coloniæ nomina complectitur: in ceteris omnibus quæ quidem exstare sciam, CAPUA sine ullo additamento scriptum deprehenditur, præter unam illam Septimio Severo dicatam basim, quæ in foro Campano visitur eodem loci, quo hunc amphitheatri titulum ab illustrissimis Capuæ seviris collocatum iri sentio; qua in basi cum solo prænomine COLONIA CAPUA appellatur: quam epigraphen alias cum ceteris dabimus.

(15.) Atque hinc illa criminatio depellitur, qua contra hunc de coloniis libellum Goesius in notis est usus, quo eum librum a Frontino abjudicaret. Meum non est cum viro docto, quo hoc opusculum Frontino asseram, magnopere dimicare: præsertim cum saltem e Frontino excerptum Goesius consentiat. Sed absurda prorsus est illa cavillatio: *Omitto*,

men. Ceterum nihil adfirmare de hoc definio: & fieri poteſt, ut FELIX in his idem ſit quod *frugifera*, ut apud Grut. p. 362. n. 2. COLONIA. CONCORDIA. VLPIA. TRAIANA. AVG. FRVGIFERA. HADRVMETINA: aut omnino ad felicitatem ſuam notandam illud epitheton fuerit uſurpatum.

IV. *De Campanæ coloniæ ſupplementis ab Octaviano conſcriptis.*

AVGVSTA) Ita ὁλογραμμάτως in marmore fuiſſe ſcriptum (non vero AVG. ut initio poſui) ſextus verſus a fine longiuſculus, uti poſtea animadverti, omnino evincit. *Auguſtæ* cognomentum, in quo potiſſimum ſibi Capuam placuiſſe mihi perſuadeo, abſque hoc marmore eſſet, ignoraremus: nam ſive librariorum ſupinitate, aut ejus qui Frontinum in epitomen contraxit (nam excerpta tantum Frontiniana de coloniis habere nos putat Goeſius) ſive ab ipſomet Frontino omiſſum fuerit: in libello certe de coloniis quem terimus, *Julia Felix* tantum, non etiam *Aug.* legitur. Sed placet hoc magis, Frontinum quidem non omiſiſſe τὸ *Aug.* ſed eorum potius, qui iſta deſcripſerunt, culpa, tres illas literas deſiderari. (16) Cur autem hoc nomen Campana colonia nacta fuerit, ſæpe jam monui: quia ab Octaviano etiam Auguſto non ſemel eſt, ſive iterum deducta colonia, ſive vetus renovata.

Senatus conſulto ad id opus fuiſſe, ut Capua Auguſtæ cognomen conſequeretur, ut tum ea ferebant tempora, Dio lib. LIV. nos affirmare cogit. Ibi de Paphiis hæc habet: *Paphiis terræmotu afflictis pecunias largitus eſt, ac permiſit ut ex ſenatus conſulto urbem Auguſtam nominarent.* Illud *ex ſenatus conſulto* a Xylandro omiſſum Leunclavius reſtituit: nam græce eſt κατὰ δόγμα ἐπέτρεψε. Pergit vero idem hiſtoriographus. *Id non eo a me refertur, quaſi non aliis quoq; urbibus multis prius, ac poſtea in ſimili infortunio Auguſtus, ac Senatores auxilium tulerint; quas ſi quis omnes enumerare velit, res in infinitum ſe extenderit: ſed quod cognomina etiam urbibus hono-*

Ex S.C. cognomina urbibus imponebantur.

ris cauſſa ſenatus impoſuit, aliter ac modo fit, cum plerumque ſinguli nominum catalogos ipſi ſibi conficiunt, quibus uti volunt. (17)

Ter autem ab Octaviano Cæſare militum coloniam huc adſcriptam comperio: ſemel ex lege triumvirali, iterum ipſius Octavii juſſu poſt devictum Sex. Pompejum, Lepidumque in ordinem redactum, ac tertio poſt victoriam Actiacam. De ſingulis ordine dicam. Sed de Frontino prius monendum. Is poſtquam de colonia Julia dixerat: *Juſſu imperatoris Cæſaris a XX. viris eſt deducta:* & de Felice, *Ager ejus lege Sullana fuerat aſſignatus:* demum de Colonia Auguſta monet, *Poſtea Cæſar in jugeribus militi pro merito dividi juſſit.* Quæ verba de Cæſare filio intelligenda eſſe multa mihi perſuadent: primum quod MILITI non Julius, ſed Octavianus agrum Campanum aſſignavit, nam colonia Julia civilis fuerat: deinde quod in altero hujus libelli de coloniis exemplari, quod *Julii Frontini Siculi* inſcribitur, corrupte quidem, ſed tamen ſic legitur: *Ager ejus lege Sullana fuerat aſſignatus a Cæſare Auguſto in jugeribus: ſed poſtea militibus dividi juſſus eſt pro merito.* Ex quibus proniſſima eſt conjectura ita recitatum Frontini locum poſſe reſtitui: *Poſtea Cæſar AVGVSTVS in jugeribus &c.* Bis ergo apud Frontinum τὸ AVG. reſtituendum cenſe, ſemel initio ejus loci in hunc modum: *colonia Julia Felix AVG.* (vide p. 33. & nota 16.) iterumque in fine ſic: *poſtea Cæſar AVG. in jugeribus &c.* uti modo eſt dictum.

Ter Octavius Capuam coloniam deduxit.

I. Statim poſt initum triumviratum cum ampliſſima præmia militibus alliciendis promitterentur, XVIII. coloniæ iis oſtentantur, inter quas Capua eminebat. *Et quo alacrior* (inquit Appianus in IV. bell. civ. in fine p. 590.) *redderetur exercitus, poſt propoſita victoriæ præmia, præter alia donativa promiſſæ ſunt eis coloniæ* XVIII. *Italicarum urbium tam opibus, quam agri bonitate ac ædificiorum pulcritudine præcellentium, quarum urbana ac ruſtica prædia non ſecus quam bello capta dividerentur. Inter has eminebant Capua, Rhegium, Venuſia, Beneventum, Nu-*

Lege III. virali Capua colonia deſtinata.

inquit, *quod hic* [auctor] *rationem temporis neglexerit, atque Sullæ præpoſuerit Cæſarem.* Falſa, inquam, accuſatio, tum quia nominum magis ſeriem *Juliæ & Felicis*, quam temporum ſecutus videtur Frontinus, tum etiam quia ſatis ſibi a Goeſii criminatione caverat auctor illis verbis FVERAT ASSIGNATVS, quæ longe remotius tempus ſignificant, præut de Cæſar dicitur EST DEDVCTA.

Sequitur altera Goeſii reprehenſio: *Deinde nec verum eſt*, inquit, *ante hanc deductionem* (C. Julii) *agrum Campanum fuiſſe aſſignatum.* Vera accuſatio, ſi de agro Campano, qui publicus erat populi R. Frontinum intelligas: nam hunc quidem Cæſar primus aſſignavit. Veriſimilius eſt Capuam potius agro mulcatam, ac partem agri deciſam, qui ſive publicus urbis Capuæ, ſive privatus Campanorum fuiſſet. Nam ait recte Frontinus: *Ager ejus lege Sullana fuerat aſſignatus.* Agrum Capuæ, non agrum Campanum populi R. publicum intelligit. Quod vero ſubjicit Goeſius partem agri Campani *novis in vicinia colonis* a Sulla videri aſſignatam, id ei non poſſum aſſentiri: nec quidquam cauſſæ eſt, cur Goeſio magis credam, quam Frontino qui de Calatia ſcriptum reliquit, fuiſſe id oppidum *COLONIÆ CAPUENSI cum territoro ſuo adjudicatum olim ob hoſticam pugnam.* Hinc enim & Coloniam Capuenſem a Sulla deductam apparet, & iis demum colonis agrum Campanum a Sulla aſſignatum, quibus Calatinum etiam territorium adjudicavit. Sed tertiam Frontiniani hujus loci a Goeſio oblatam criminationem, eamque non contemnendam, in excurſu quodam, qui adnectetur huic capiti, depellemus.

(16.) Variis quippe modis librarios in hunc locum video graſſatos. Eſt ubi pro XX. *viris* ſubſtitutum inveniatur III. *viris*: hoc ideo quia non de Juliana, quando per XX. *viros* res eſt tranſacta, ſed de Auguſtea colonia per III. *viros*, opinor, deducta intellexerunt, falſi utique illa ſyllaba *Aug.* (quam a Frontino poſt *Felix* poſitam mihi perſuadeo) quam cum *Auguſti* non *Auguſta* illi interpretarentur, referrentque ad ſequentia hoc modo, *Colonia Julia Felix, Auguſti juſſu imp. Cæſaris*; idcirco etiam III. *viros* in locum XX. *virorum* ſuffecerunt. Sed quid opus argutationibus cum in altero de coloniis libro, qui *Julii Frontini Siculi* inſcribitur, qui parum ab alio celebri Frontini differt, & ab eo certe manavit, ſic legatur: *Capua muro ducta colonia Felix, lege Julia juſſu imperatoris Auguſti a* XX. *viris eſt aſſignata &c.* Nonne vides eam deductionem ſciolos non ad Julium, ſed ad Auguſtum retuliſſe? Quam putas ob cauſſam, niſi quia in Frontino antea legebatur *Felix Aug.* ſemidocti vero ſyllabam ad ſequentia referentes, ut concinnius dicerent, trajecerunt, atque *imperatoris Auguſti* repoſuerunt?

(17.) Poſtrema hæc verba ad fidem Græci ſcriptoris optime Leunclavius emendavit: nam Xylander paullo aliter verterat in hunc modum: *Ipſæ ſibi nomina quotquot vellent delegerunt.* Verum in Dione legitur αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἕκαστοι &c. ſupple πολῖται. Ipſos ſibi cives nominum catalogos ſibi confeciſſe ait.

ceria,

ceria, *Ariminum*, *Vibona*. *Atque ita pulcherrima Italiæ pars militibus adscripta est*. Id promissum in caussa fuit, ut plurimi passim ex iis XVIII. civitatibus ad victoriæ triumviralis præmium destinatis (quæ civitates, ut ait Appianus, id ferebant ægerrime) ad Vetulini proscripti, qui circa Rhegium bellum movebat, signa concurrerent, teste Appiano IV. civ. p. 604. rursumque p. 638. idem tradit plurimos etiam ex iisdem civitatibus, quibus nihil erat abominatius triumvirorum victoria, quando post hanc præmia victoribus ipsæ destinabantur, profugos e suis patriis quas deploratas habebant, ad Sex. Pompejum, qui tum primum Sicilia potitus erat, apud omnes eo tempore gratiosum confugisse. Sed & post agros assignatos multo tum plures, imo ii fere omnes qui agris fuerant spoliati, eidem Sex. Pompejo se adjunxerunt, ut enarrat Appianus V. civ. p. 685. Et eodem lib pag. 686. bello Perusino inter Lucium Antonii fratrem, & Cæs. Octavium erumpente, earundem civitatum, quæ id infortunii jam subierant, studia erga Lucium commemorat. Jam enim post Philippensem pugnam agri earumdem XVIII. civitatum, quarum primam fuisse Capuam diximus, assignati militibus fuere. Quod quemadmodum gestum sit, brevi exsequamur.

Bruto Cassioque Philippensi pugna devictis, hæc subjungit Appianus V. civ. p. 672. *Moxque ad persolvenda præmia profectus est dux alter* (Octavius) *in Italiam, ut agros militibus divideret, ipsosque in domos adscriberet: boc enim elegerat propter valetudinem*. Cumque Brundisii gravius ægrotasset, ut se recreavit, statim ad divisionem ventum fuit, quæ graphice ab Appiano describitur, quem latine loquentem audire operæ pretium fuerit. Sed tamen eum locum, quod erat longiusculus, conjeci in subjectam notationem. (18)

Ex qua narratione percipimus Octaviano quidem datum fuisse negotium, ut colonias deduceret, eumque jam divisionis munere perfunctum: sed enim intervenisse Lucium Antonii fratrem, ac pervicisse, ut Antonianæ saltem legiones a Lucio deducerentur. Itaque jure quæri potest, uter tum Capuam coloniam deduxerit, Cæsarne Octavius, an Lucius: tum Cæsarisne, an Antonii legiones huc adscriptæ fuerint. Et equidem persuasissimum habeo Cæsarem ipsum, non vero L. Antonium Capuam tunc coloniam adscripsisse. Nam primum ante Lucii expostulationes revera, Appiano teste, deducendarum coloniarum negotio Octavius sese immiscuit: & necesse fuit, eum ab omnium præstantissima Capua, quam idcirco Appianus primo loco nominavit, incepisse: præsertim quod *milites*, inquit Appianus, *petebant optimam quamque urbem tota Italia, ut ante bellum selectæ fuerant*. Accedit studium Campanorum in Cæsarem, & animorum aversio ab Antonio, quem Capuam deducere coloniam olim conantem Campani pæne occiderant, ut alibi dictum. Octaviani vero studiosissimi erant, propterea quod ab ejus patre Julio veteres coloni transcripti fuerant. Demum *Cæsar*, inquit Appianus V. civ. p. 685. *Capuæ quatuor legiones babebat*, veluti in sibi obstrictissima civitate. Quæ omnia argumento sunt Octavium ipsum per id tempus tunc transcripsisse coloniam, & quidem e suis legionibus, non vero Antonii fratrem: Itaque non est dubitandum, quin Cæsar Octavianus Capuam ex lege triumvirali deduxerit, idque post quinquennium ab inito triumviratu, coloniisque promissis, eodem Appiano teste.

Octavius, non Lucius, lege III. virali Capuam colonos transcripsit.

II. Sequitur jam altera deductio, quæ Octaviano Cæsari unice est adscribenda, qui cum bellum adversum Sex. Pompejum aggrederetur, ad deliniendos militum animos, consueta iis agrorum præmia prolixe est pollicitatus. Pompejo mox devicto, Lepidoque exauctorato, atque in ordinem redacto, milites statim tumultuantes promissa sibi exhiberi vociferabantur. Quam seditionem satius erit ex Appiano condiscere: cujus sane locum

Octavius iterum Capuæ coloniam collocat.

[18] Appianus v. civ. p. 678. ,, Deducenti autem milites in colonias, & agros dividenti magna difficultas objecta est: milites enim petebant optimam quamque urbem tota Italia, ut ante bellum selectæ fuerant: contra civitates illæ postulabant, ut universa Italia divisioni huic adhiberetur, aut sortito deducerentur coloniæ: & agrorum pretium repetebant ab imperatoribus deficiente ærario. Conveniebantque agminatim in urbem promiscue juvenes pariter ac seniores, mulieresque cum parvis liberis, & per fora templaque cœtus faciebant lamentabundi, conquerentes nullo suo peccato se homines Italici nominis pelli agris focisque tanquam jure belli captos. Quapropter populus condolebat & illacrymabat eorum calamitatibus, præsertim dum reputant non pro republica, sed pro libidine aliquot civium bellum id gestum ad mutationem status publici, & nunc reddi victoriæ præmia, ut deductis coloniis posthac nequeat caput attollere respublica, dum coloni hac mercede obstricti, parati sunt principibus ad omne obsequium. Ibi Cæsar civitatibus necessitatis rationem exponebat, & ne sic quidem satis fore, nec fuit, ita uti vicini opprimerentur a militibus limites contumaciter transeuntibus, & plus quam concessa usurpantibus, & potiora præripientibus, dum nec jurgiis Cæsaris a maleficio deterrentur, nec deliniuntur aliis largitionibus: quandoquidem principes, ut opis suæ ad confirmandam dominationem egentes, facile contemnebant. Jam enim instabat finis hujus quinquennii, & utrisque ad securitatem opus erat favore mutuo: imperatoribus, ut per milites principatum confirmarent: militibus ut accepta retinerent, manente penes auctores ejus donationis imperio, quos necessaria benevolentia vel propter seipsos prosequebantur. Quin & aliis largitionibus egenos milites solabatur Cæsar, e fanis mutuo sumens pecunias: quo facto conciliavit sibi eorum animos, promta erga largitorem gratia, cui agros, urbes, pecunias acceptas ferebant, invidiose occlamantibus qui spoliabantur, illo vero fortiter hoc ferente in gratiam militum.

,, His animadversis Antonii frater Lucius, tunc cos. & ejusdem uxor Fulvia, & qui absentis bona procurabat Manius, ne Cæsaris videretur totum hoc beneficium, neve soli deberetur gratia, & alter imperator fraudaretur favore militum, vaframentis agebant, ut coloniarum deductio differretur in adventum Antonii. Quod cum impossibile videretur propter festinationem militum, petebant a Cæsare, ut Antonianos ipsi deducerent in colonias, quamvis ex pacto id munus Antonius soli Cæsari cesserat, quod tamen concessum negabant: productaque ad exercitum Fulvia cum parvis Antonii liberis, invidiose supplicabant, ne paterentur illum fraudari sua gloria, simul occasione referendæ ipsis gratiæ. Et erat tum inclytum Antonii nomen & apud milites & apud ceteros: nam Philippensis victoria, propter adversam Cæsaris valetudinem, tota videbatur unius Antonii. Cæsar, quamvis non ignarus pacta vio-

A paullo prolixiorem, ne totis auctorum chartis infarciendis lectori incommodem, contuli in subjacentem notam. (19)

Seditionem militum, quæ huic celeberrimæ deductioni occasionem dedit, ex Appiano didicimus: de deductione vero ipsa nihil ibi tradit is scriptor: neque id mirandum, neque enim eo temporis articulo agrum Campanum iis est dilargitus, sed tum quidem promissis agris, paullo post id tempus agrum Campanum iisdem divisit, ut deinceps e Dione discemus. Sed noster tamen Paterculus, & Dio Cassius magnifice de Capua per hanc occasionem, militum colonia iterum instituta, loquuntur. Vellejus lib. II. cap. 81. ait: B *Subdita deinde exercitus seditio (qui plerunque contemplatus frequentiam suam a disciplina desciscit, & quod cogere se putat posse, rogare non sustinet) partim severitate, partim liberalitate discussit principis. Speciosumque per id tempus adjectum supplementum Campanæ coloniæ. Ejus relicti erant publici pro his longe uberiores reditus duodecies H-S in Creta insula redditi, & aqua promissa, quæ bodieque singulare & salubritatis instar, & amœnitatis ornamentum est.*

Terram Cnosiam & quam Juliam Cæsar Campanis elargitur.

C Dio vero lib. XLIX. & seditionem copiose narravit, & de Campano agro adjecit. De seditione parum ab Appiano diversus abit: quare ejus narrationem præ-

A tereo, quam apud ipsum Dionem legere quivis potest. De colonia vero hæc subjicit: *Atque ita milites tunc quidem composuit, & argentum statim, agros non multo post iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios satis multos emit a Campanis illis qui Capuam incolunt, quorum urbs multis colonis indigebat: iisque tum aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnosiam, qua etiam nunc fruuntur, (20) eorum loco dedit.*

B Porro aqua Julia, cujus a Vellejo & Dione fit mentio, non alia sane fuit, quam flumen illud (quo enim alio utar nomine?) aquæ Carminianæ qua nunc Neapolis universa perluitur. Ad eam huc e longinquo perducendam aquæductus ad orientem veteris Capuæ adhuc conspiciuntur. Aqua hæc Julia non est confundenda cum aqua Augusta: illam in Campanorum, hanc in Romanorum commodum in Marciæ rivum opere subterraneo, uti testatur Frontinus de aquæd. corrivavit Augustus. De hac memini me legisse legem C quandam in Cod. Th. ubi *aqua Augustea* appellatur non sine mentione Campaniæ. Verum ne forte propter Campaniæ mentionem aquam Augusteam cum Julia Campana permisceas: scito Campaniam Romanam in ea lege esse capiendam, cujus posteriore ætate frequens appellatio fuit.

,, lari, cessit tamen in gratiam Antonii, atque ita legiones Antonianæ in colonias deductæ sunt, nimia militum deductorum licentia, dum ne videretur Cæsar beneficentia vincere, minus cohibentur a maleficiis. Fuerunt & aliæ civitates vicinæ his, quarum agri militibus divisi sunt, multas ab eis injurias passæ, quæ clamabant in Cæsarem, iniquiores coloniarum deductiones nunc esse, quam proscriptiones ante fuerant, tunc enim inimicos mulctatos, nunc vero innoxios. Et Cæsar intelligebat quidem injuriam, sed mederi non poterat: nam neque pecuniam habebat, unde pretium agrorum veteribus possessoribus redderet, neque victoriæ merces differri propter instantia bella poterat, Pompejo maria tenente & Urbi famem intentante, interclusis commeatibus, Ahenobarbo etiam Murcoque classem aliam & exercitum colligentibus: militibus vero segniorem operam præbituris, nisi accipiant debita victoriæ præmia. Et ferme jam jam exierat quinquennium ut rursum opus esset exercitus benevolentia: quamobrem ultro tum dissimulabatur militaris insolentia.

(19) Appianus v. civ. p. 744. ,, Huic tantæ felicitati fortuna invidit: nam exercitus, præsertim ipsius proprius, seditionem movit, missionem flagitans, & præmia, qualia Philippensi prælio victores acceperant: & quamvis hoc certamen non conferendum videretur cum altero, promisit tamen accepturos digna præmia una cum his qui tum sub Antonio militabant, quando ille redierit: quantum autem ad militiam, minaciter admonebat sacramenti disciplinæque. Quumque in contumacia perstarent, remisit minas, ne quis tumultus ab exercitibus dedititiis accederet: promisitque se cum Antonio dimissurum eos suo tempore: nunc usurum opera eorum ad bella non civilia, quando Deo fortunante desierint: petiturum enim Illyrios & ceteras gentes barbaras, pacem vix bene firmatam labefactantes: ex qua militia percepturos lucra uberrima. Denegarunt illi operam, ni præteritorum laborum repræsentarentur sibi præmia honoresque. Respondit honores se non differre, sed præter jam datas, alias coronas legionibus se addere, & prætextas tribunis ac centurionibus, senatoriamque dignitatem cuique in sua patria. Dum hæc aliaque benigne offert, exclamavit tribunus Ofilius: corollis & prætextis delectari pueros, milites agris & pecuniis: id dictum approbante multitudine, Cæsar indignatus discessit e tribunali, qui vero proximi tribuno stabant, laudabant hominem, & ceteris qui se ad eos non aggregarent conviciabantur. Respondit ille se solum ad tuendam tam justam caussam sufficere. His dictis sequenti die nusquam comparuit, nec sciri potuit quid illi acciderit. Milites vero non amplius singuli propter metum, sed gregatim uno ore vociferabantur, missionem postulantes. Horum præfectos Cæsar variis molliebat alloquiis: eis vero qui ad Philippos & Mutinam meruerant, ut diuturniore militia defunctis missionem concessit: dimissosque mox ablegavit ex insula, ne contagione seditionis ceteros corrumperent: hoc tantum ad Mutinensis belli veteranos effatus, quamvis sic dimissis, redditurum se tamen pollicita. Alios vero pro concione alloquens, testes faciebat perjurii discedentium, non dimissorum ex imperatoris sententia: ipsos vero laudabat, brevi secuturæ missionis spem faciens: foreque ut nec officii quenquam pœniteat, & dimittantur ditati: nunc addere se viritim quingenos sestertios.

[20] Non temere est, quod apud Gruterum p. 1090. 20. Gortynæ, quæ est Cnoso contermina, græca inscriptio reperitur Anicio Basso Campaniæ proconsuli (de novo hoc titulo, cum ceteri consulares aut correctores dicerentur, nihil in præsentia disputo) posita. Quæ omnino necessitudo Cretensibus esse potuit cum rectore illo Campaniæ, nisi forte hæc, quod regionem ibi Campani possiderent? Nam quod idem Anicius Bassus in altera inscriptione apud Reinesium VI. 14. dicitur fuisse Præfectus urbi, nihil interest; cum in hac quam sum producturus, proconsulatus tantum Campaniæ contemplatione videantur ei Cretenses illum honorem adhibuisse. Inscriptio sic habet:

ΑΝΙΚΙΟΝ.ΒΑΣΣΟΝ.ΤΟΝ.ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΑΝΘΤΠΑΤΟΝ.ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ. ΔΟΓΜΑΤΙ
ΤΟΤ. ΚΟΙΝΟΤ. ΠΑΣΗΣ. ΤΗΣ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ. ΟΙΚΟΤΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ. Ο. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ
ΤΠΑΘΗΚΟΣ. ΤΗΣ. ΚΡΗΤΩΝ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ. ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Anicium Bassum V. C. proconsulem Campaniæ, decreto conventus totius provinciæ Oecumenius Dositheus Asclepiodotus V. C. consularis (nam versu pen. legendum ΤΠΑΤΙΚΟΣ, uti de eodem est eadem p. n. 11. & p. 1094. ex qua etiam docemur in tota inscriptione non Σ sed C fuisse, ut illa ætate, scalptum) *provinciæ Cretæ erexit*: id est statuam Anicio Basso excitavit: hoc enim significare videtur, quod in inscriptionibus legi solet, *ἀνεστῆσαι τὸν δεῖνα*. Verum quæ hactenus notavi, cave aliter quam tenuis conjecturæ loco habeas.

Vellejo lux.

De agro vero populi Campani publico, quem Cæsar divisit, quod Vellejus ait: *Ejus relicti erant publici*, doctissimi viri illud *Relicti* non intelligentes, in *Reliqui*, aut tale aliquid mutare voluerunt. Sed non est ea lectio sollicitanda: nam sic etiam Suetonium in Julio cap. 20. locutum esse video: *Agrumque*, inquit, *Campanum ad subsidia reip. vectigalem RELICTVM divisit*. Estque omnino verbum agrarium, ut ager *relictus* is sit qui non est *assignatus*, quæ duo sibi invicem adversantur. Id quod etiam in fragmento legis agrariæ legitur apud Grut. p. 202. linea XI. ubi ADSIGNAVERVNT. RELIQVERVNT tanquam invicem sibi adversantia ponuntur: & sæpissime in eandem sententiam apud scriptores agrarios: ut mirer de ea voce apud Vellejum viros doctissimos tantopere sollicitos. Atque hæc altera fuit ab Octaviano hic instituta colonia.

Cæsar jam Augustus tertio Capuam coloniam instituit.

III. Sed cum nondum per id tempus Cæsar esset Augusti cognomen consecutus: necesse est & tertiam comminisci post pugnam Actiacam, cum jam Augustus diceretur. Alioqui quo pacto Capua *Augusta* esset ab eo cognominata? Scio responderi posse Capuam, cum fuisset olim ab Octaviano deducta, tum demum *Augustæ* cognomentum arripuisse, cum Cæsar ipse Augustus dici cœpisset. Sed hoc mihi non fit verisimile, nec vero Sigonio, qui lib. III. de jure Italiæ cap. 4. colonias cognomento Augustas non ante Actiacam pugnam fuisse adscriptas putat: cujusmodi per Italiam plurimas Augustus constituit: *Urbe*, inquit Suetonius, *urbanisque rebus administratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero a se deductarum frequentavit*. Hæ solum, censeo, post victoriam Actiacam deductæ, eæ demum Augustæ audiebant: nam si cum præcedentibus etiam Augustæ cognomen communicare perges, vix ulla profecto invenietur urbium Italicarum, quæ non Augusta diceretur.

Verum quid ego jam ratiocinatione opus habeo, cum veterum possim auctoritate pugnare? Alter de coloniis libellus, qui *Julii Frontini Siculi* inscribitur, etsi habet quædam depravatissima, est tamen ubi ferat percommode is quoque suppetias. Nam cum in altero magis trito de coloniis libro diceretur: *Postea Cæsar in jugeribus militi pro merito dividi jussit*: primum incertum erat de patrene, an de filio sermo esset, tum, si de Cæsare Octavio, dubitari poterat utrumne ante, an post adeptum principatum ea esset transacta assignatio: Ecce autem in altero, quem supra commemoravi, libello inepte quidem Syllanæ res cum Augusti commiscentur, sic tamen, ut intelligas ad Augustum esse aliquam assignationem referendam. Sic enim habet: *Ager ejus lege Sullana fuerat assignatus a Cæsare Augusto in jugeribus: sed postea militibus dividi jussus est pro merito*.

Atqui ficulnea isthæc omnia argumenta censebis præ auctoritate Plinii, quam subjungo. Is lib. XVIII. cap. 11. cum alicæ omnium probatissimæ, quæ a Campanis fiebat, modulum rationemque præscriberet, hæc ait: *Postea (mirum dictu) admiscetur creta quæ transit in corpus, coloremque & teneritatem affert. Invenitur hæc inter Puteolos & Neapolim in colle Leucogæo appellato. Exstatque DIVI AVGVSTI decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari jussit e fisco suo, COLONIAM DEDVCENS CAPVAM. Adjecitque caussam afferendi, quoniam negassent Campani alicam confici sine eo metallo posse*. Adversus tam luculenta Plinii verba quid magnopere afferri potest, contra tertiam hanc ab Augusto deductam coloniam? Nisi hoc fortasse respondeas, Plinium quidem Octavianum voluisse dicere, qui quoniam suo jam tempore Augustus appellabatur, idcirco prolepsi usum, Augustum eum nuncupasse. Sed si verba Plinii attentius intueare, non hic anticipationi locus invenietur. Primum cum ait, *Exstatque Divi Augusti decretum*, ejus decreti epigraphen expressisse videtur, quam inter decreta ejus principis in unum volumen post ejus mortem compacta is legerit: nam consecrati jam principes non alio quam Divi prænomine decorabantur. Deinde illud *e fisco suo* (quæ verba videtur quoque Plinius fideliter e decreto exscripsisse) quo pacto potest in Octavianum ante Actiacam victoriam convenire? Nam ante illud tempus etsi omnia pro sua voluntate moderabatur, tamen, quod nondum monarchiam esset adeptus, fiscum nondum habere dicebatur. Accedit hoc etiam quod ab Octaviano tot bellis ante conflictum Actiacum distento aliena prorsus videtur hæc περιεργία de alica cogitandi, ac de Leucogæo colle Campanis tribuendo, quo alicam possent conficere. Demum si hanc a Plinio indicatam coloniam cum præcedenti confundendam putas: cur Vellejus, cur Dio, qui de illa proxime superiore tam curiose scripserunt, ut etiam ad terram Cnosiam & aquam Juliam memorandam stilum demitterent, nullam tamen ibi de colle Leucogæo mentionem adjecerunt?

Hæc demum tertia Octaviani jam Augusti appellati est assignatio, a qua nostra colonia ex S. C. Augustæ cognomen est assecuta: quod cognomen, uti dicebam, absque hoc amphitheatri nostri titulo esset, adhuc ignoraretur. Et cum superiores duæ ab Octaviano deductæ coloniæ militares fuissent: tertia militarisne, an civilis fuerit, haud facile dixerim. Si ad eos spectes, qui sunt deducti, magis est ut militarem appelles, quia veteranis præmia per eam coloniam persolvebantur. Sed tamen militarium civiliumque discrimen magis a deducendi modo, quam ab iis qui transcribebantur, dependebat.

AUCTARIUM PRIUS.

De Campana pertica, ejusque præfecturis.

Quid pertica & præfectura.

Pertica, quæ & Universitas appellatur, verbum est agrarium, atque universum coloniæ territorium, quod colonis assignatur, significat: hoc vero differt a præfectura, quod hæc id demum est, quod

deficiente coloniæ territorio quod novis colonis assignetur, ex alterius oppidi finibus deciditur, ac perticæ, id est primæ assignationi applicatur. Hyginus in Gromatico de limitibus constituendis: *Quibusdam deinde coloniis perticæ fines, hoc est primæ assignationis, aliis limitibus, aliis præfecturæ continentur*. Sic enim hunc locum legit Salmasius in Solinum p. 673. D. Ex quo intelligitur primam assignationem perticam fuisse appellatam: dein quidquid huic ex vicinia adjunctum, id fuisse præfecturam. Frontinus de limitibus agrorum p. 43. edit. Goes. *Solum autem quodcumque coloniæ est assignatum, id universum pertica appellatur. Quidquid huic universitati applicitum fuerit ex alterius civitatis fine, sive solidum, sive cultellatum fuerit, præfectura appellatur*. Nec pluribus exemplis, quæ sunt apud agrarios satis obvia, necesse existimo. Nisi quod diagramate rem illustravi, quod in tabula invenies.

De Kardine & Decumano

Illud quoque scitissimum est primarios perticæ, id est agri colonici limites, a quibus ceteri dependerent, fuisse duos, Kardinem & Decumanum, quorum ille in septentrionem, id est mundi cardinem, unde & nomen invenit, hic in orientem dirigebatur: atque ab his duobus limitibus normaliter se dissecantibus tota limitatio inchoabatur, posita in medio groma, quo etiam loco, & coloniæ foro (si quidem civitas exstruenda esset) locus designabatur. Nam iterum dico: civitas cum circumjacente territorio id totum Pertica, Universitas, sive Colonia appellabatur. Vide interim in tabula Kardinis & Decumani typum.

Kardo & Decumanus Capuæ alternabant.

Quorsum hæc, inquies? nimirum ut intelligatur quid illud sit quod in Hygini libro de limit. const. p. 153. edit. Goes. legitur: sic enim habet: *Quidam agri longitudinem secuti, & qua longior erat fecerunt **Decumanum**: quidam in totum converterunt, & fecerunt Decumanum in meridianum, & Kardinem in orientem, sicuti in agro Campano, qui est circa Capuam*. Prope eadem, atque Hyginus, habet fragmentum de limitibus p. 215. in hunc modum: *Kardo nominatur, quod directim ad cardinem cæli est. Nam sine dubio cælum vertitur in septentrionali orbe. Postea hoc ignorantes nonnulli aliud secuti sunt, ut quidem agri magnitudine, qua longior erat, fecerint Decumanum. Itaque nostram quidem plagam spectant, sed ita adversi sunt, ut sint contra septentrionem: ut in agro Campano, qui est circa Capuam, ubi est Kardo in oriente, & Decumanus in meridiano*.

Qui duo auctores hoc inter se habent commune, quod, cum in ceteris coloniis Kardo ad boream, Decumanus ad orientem solem converteretur, contrariam in agro Campano, aliisque nonnullis adhibitam rationem affirmant. Ceterum hoc inter sese diversi abeunt, quod Hyginus Campani agri limitatores iis accensere videatur, qui longiorem fecerint Kardinem, quam Decumanum: contra fragmenti auctor hoc illos secutos ait, quod & alii nonnulli, ut Decumanum eo direxerint, quo major longitudo sese diffunderet. Itaque secundum fragmenti auctorem ager Campanus magis ad polos mundi sese porrigebat: at vero secundum Hyginum in orientem magis ager Campanus, quam in aquilonem patebat. Utra ex his dictio verior? Equidem nullus dubito, quin fragmentis hujus agrarii verior ῥῆσις exsistat. Nam etsi, ut veteris Capuæ positus satis declarat, a septentrione Tifata arctabant (neque enim, ut opinor, trans ea juga Capua ante Octaviani assignationes suum territorium continuabat, quando Transtifatinus ager Saticulæ ibi a Peregrinio positæ, aut certe alteri oppido assignandus mihi videtur) tamen in meridiem longissime is ager explicabatur. (21) Contra vero altera ab occidente in orientem dimensio fuit brevior, cum ex una parte Casilini, ex altera Calatiæ ad viam Appiam adsitæ territorium coerceret. Ita Campanus ager scamno, quam strigæ, quæ sunt meræ voces agrariæ, propior fuisse videbitur.

Campanus ager ad mare versus longissime protensus.

Quæ cum ita sint, videndum porro, utrum Hygini sententia commoda explicatione juvari possit, & cum fragmenti auctore conciliari. Et ita prorsus necesse est, si accuratius illius verba perpenderis: & verba illa *quidam in totum converterunt* perspicuitatis gratia intra parenthesim legas in hunc modum, *Quidam agri longitudinem secuti, & qua longior erat, **fecerunt Decumanum (quidam in totum converterunt, & fecerunt Decumanum in meridianum, & Kardinem in orientem)** sicuti in agro Campano qui est circa Capuam*. Sensus est, quosdam majori longitudini accommodasse decumanum, sicut in agro Campano, quosdam vero IN TOTVM CONVERTISSE, id est non solum Decumanum ad meridiem direxisse, quando major eo longitudo proten-

Hygino lux.

(21) Plinius lib. XVIII. cap. II. de amplitudine agri Campani hæc habet: *Campus est subjacens montibus nimbosis, totis quidem XL. M passuum planitie*. Nulli quidem dubium, quin neque longitudo neque latitudo agri Campani, sed planities seu aræ in passibus quadratis ab eo illo modo definiatur. Sed vel ex eo tamen intelligas longissime eum agrum in meridiem patuisse. Quod quidem παχύτερον in hunc modum demonstro.

Si ponamus agri Campani planitiem, quæ milliaria XL. quadrata, teste Plinio, colligebat, fuisse omnino quadratam, æqualibusque lateribus terminatam: necesse erit agrum Campanum sex milliaria cum semisse in longum totidemque in latum numerare: nam hujus numeri XL. non alia radix quadrata, ut arithmetici loquuntur, invenietur quam ferme VI. S. id est milliaria sex & semissis. Quare cum longe minus quam milliaribus VI. S. ab occidente in ortum is campus pateret, quippe quem ex una parte Casilinensis, ex altera Calatinus coerceret: hinc fit in meridiem longissime fuisse protensum. Et quidem Laboriæ, quæ pars fuit Campani agri præstantissima, Cumas, Puteolosque propius, quam Capuam pertingebant. *Finiuntur* [ait ibidem Plinius] *Laboriæ via ab utroque latere consulari, quæ a Puteolis, & quæ a Cumis Capuam ducit*. Verum quid his immoror cum apertissime idem accuratissimus Scriptor lib. XXXV. cap. 15. agrum Campanum in Leucogæos usque colles continuet? *In Italia quoque* [ait ibi Plinius de sulphure] *invenitur in Neapolitano Campanoque agro, collibus qui vocantur Leucogæi*. Idcirco in Neapolitano Campanoque agro eos colles posuit Plinius, quia utrumque agrum contingebat. Ceterum ad utros eorum is collis pertineret, paullo post explicabitur. Imo ad mare usque ager Campanus diffundebatur, uti constat e Livio XXVIII. 46. tradente partem agri Campani a fossa Greca ad mare fuisse divenditam.

A debatur, sed semper Decumanum meridiano aptasse. Eaque verissima demum est Hygini sententia.

Sed spinosiora ista decempedatoribus relinquamus, & Frontinum potius lib. de coloniis idem testimonium perhibentem audiamus: *Ager*, inquit, *Campanus limitibus Gracchanis in jugera N.* cc. *Kardo in orientem*, *Decimanus in meridianum*. Quis non statim videt Frontinum de eodem agro Campano locutum, de quo Hyginus, de quo fragmenti agrarii auctor dixerat Kardinem in orientem, B Decumanum in meridianum misisse? Et tamen ille acerrimus aliorum insectator Goesius in indice geographico, ad agrum Campanum nescio quem in Brutiis, quem nemo hactenus ne fando quidem audivit, cum Frontini locum refert. Scio quid virum doctum transversum egerit; viderat in Frontino titulum paullo ante præfigi in hunc modum: PROVINCIA BRVTIORVM, hinc quæ subjiciuntur omnia relegavit ad Brutios. Quæ ratio si valeret, etiam *Ager Beneventanus* &c. qui statim sequitur, ad Brutios esset rejiciendus.

Goesii παρόραμα.

C Age vero qui sunt in Frontino *limites Gracchani*? An Gracchus omnium primus Capuæ coloniam collocavit? Lauredanum quidem ita sentientem supra refutavimus, quod Appianum auctorem produceret, qui nunquam tale aliquid somniavit. Fortasse tamen viro docto Frontini locus animo insederat, pro quo Appianum laudavit, quod hic copiose Gracchanam scripsisset historiam. Sed cum de constituta hic a Graccho colonia nemo alius testis adstipuletur, quidvis potius de *limitibus Gracchanis* cogitandum puto. D Satis fortasse fuerit nonnullam nostri agri laciniam fuisse per Gracchana tempora præcisam: justam vero coloniam ab eo hic constitutam, id vero nego.

Ac de Campana pertica hactenus. Nunc præfecturas aggrediamur. Quarum nonnullas veteres nos scriptores docebunt: unam vero potissimum adhuc inedita inscriptio suppeditabit: reliquas, si quæ fuerunt, obscura nox premit. De Calatia Frontinus: *Calatia oppidum..... coloniæ Capuensi a Sulla Felice cum territorio suo adjudicatum olim ob hosticam pugnam*. E Ecce Felix ille Sulla, cum agrum Campanum ad reip. subsidia relictum assignare nefas putasset, satius habuit Calatiam (eam, opinor, quæ viæ Appiæ adjacebat, uti supra notatum, nam altera Calatia Transtifatina una fuit e præfecturis R. quas Festus recenset) cum suo territorio Capuensi coloniæ ab se deductæ adjudicare. Atque ea una fuit e Campanis præfecturis.

Calatia præfectura Campana.

F Quid porro Octavianus? ter huc transcripta colonia, an glebam unam agri Campani ab eo inventam putas, quam militibus assignaret, cum ante eum una paterna assignatio totum Campanum, insuper & Stellatem exhausisset? Itaque, quod reliquum fuit, e vicinorum oppidorum finibus decisas lacinias Campanæ perticæ haud dubie applicuit, quas Campanas præfecturas appellatas oportuit. Idem infortunium Mantuæ, Servio teste, obvenerat: nam cum Cremonensis ager veteranis illuc ab Augusto deductis non sufficeret, e Mantuano territorio pars decisa, & Cremonensi perticæ applicita, præfecturæ Cremonensis nomen invenit: unde poeta conqueritur:

Mantua væ miseræ nimium vicina
Cremonæ.

Scimus ab Octavio publicum reip. Campanæ agrum coemtum, quem assignaret: sed quantulum id fuit præ tam frequentibus legionibus huc deductis? Quare fieri non potest, quin multas hujusmodi Augustus præfecturas constituerit. Ex iis unam Plinio debemus, qui lib. XIV. cap. 6. ait: *Falernus ager a ponte Campano, læva petentibus Urbanam coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* Plinianum istuc NVPER noster Peregrinius in Campan. Fel. p. 465. ad Plinii refert ætatem: a quo ego dissentio. Quid enim? an Flaviis imperantibus, Capuam iterum deductam coloniam comminiscemur? Neque enim alia caussa esse potuit, cur Urbana cum suo territorio Capuæ attribueretur. Quare vide an non illud NVPER ad ultimam Augusti coloniam, de qua idem Plinius XVIII. 11. meminerat, sit referendum: NVPER autem de Augusti ætate idcirco usurparit, quia *coloniam Syllanam* tanto antiquiorem Augusto proxime nominarat. Et ceteroqui Cicero adverbium NVPER pro multo longiore temporis intervallo posuit, præut ab Augusto ad Plinii ætatem: sic enim ille in I. de Divinat. *Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inventa est, hac de re communis vitæ dubitabit.* Verum nihil est necesse Plinianum NVPER ad Augustum referre, cum proxime ante Plinium Nero nostræ coloniæ supplementum adjecerit; uti patet ex Tacito XIII. annal. 31. quem locum vide pag. 522. Sensus ergo Plinii hic esto: Urbanam antea quidem fuisse a Sylla constitutam coloniam, id est (κατὰ τεχνικὴν γλῶτταν) perticam, recens vero Campanam evasisse præfecturam, quia Capuæ a Nerone contributam. Desiit esse colonia statim ut alterius coloniæ facta est præfectura.

Urbana præfectura. Plinius illustratur.

Cum autem Urbana cum suo agro Capuæ contributa esset, an putas interjacentem interim coloniam Casilinum immunem ab eo infortunio fuisse? Atqui ei oppido, si cui alteri, Virgilii decantatissimum illud accommodari potest:

Casilinum præfectura Campana.

Mantua væ miseræ nimium vicina
Cremonæ.

Quin potius, inquies, milites suos Octavius ac Nero Urbanam aut Casilinum deduxissent, quam earum agros in Campanas præfecturas redegerint? Nimirum quia modo ex Appiano didiceramus, inter cetera tumultuantis exercitus postulata hoc fuisse, ut in optimas ac florentissimas quisque urbes deducerentur: Urbana vero & Casilinum obscuriores erant, quam ut inter octodecim promissas militibus civitates numerarentur. Casilino au-

tem non solum vicinia nocuit, verum etiam quod eo paullo ante, omni coloniarum jure turbato, coloniam transcripserat hostis Octavii Antonius, ut ex altera Philippica cognoscimus. Itaque nihil ille habuit antiquius, quam ut Casilinensi agro Capuæ adjudicato eam coloniam labefactaret. Atque eam potissimum fuisse caussam existimo, cur Casilinum in dies magis magisque decresceret, ita ut a Plinio lib. III. cap. 5. non alio plane nomine, quam *morientis Casilini reliquiæ* appellentur. Idem & Urbanæ, idem & Calatiæ ad viam Appiam positæ usuvenit, quæ, ex quo Campanæ evaserunt præfecturæ, pessum ivere; ita ut vix quem locum insederint, nunc demum sciamus.

Hæ sunt in Campana colonia præfecturæ ad orientem & occasum positæ. Ad meridiem vero etsi longissime ad mare usque pertica pertinebat, & ad colles usque Leucogæos, uti supra, auctore Plinio XXXV. 15. tradidimus: tamen ea quoque parte aliqua accessio facta tum, cum Augustus coloniam deducens Capuam collem Leucogæum Capuæ attribuit. Id quod ex alibi recitatis Plinii verbis planissime percipio. Dixerat in alica conficienda cretam adhiberi, quæ in eo colle effoditur: tum subjicit: *Exstatque Divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis PRO EO* (supple colle Leucogæo) *numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam*. Satis ex hoc percipitur collem ipsum, non tantum effodiendæ cretæ potestatem, Campanis contributum; quoniam PRO EO annua vicena millia jussit annumerari. Pergit vero Plinius: *Adjecitque caussam afferendi, quoniam negassent Campani alicam confici sine eo metallo posse*. Ad quem locum ingeniose, uti solet, Pintianus ait: *Si verbum offerendi Plinianum est, quod dubito, magis est ut legatur auferendi*. Nihil verius: nam soni affinitas duorum elementorum V & F fecit ut alterum pro altero irreperet; & *caussam auferendi* (a Neapolitanis collem Leucogæum, eundemque Campanis attribuendi) statim subjungit Plinius: *Quoniam negassent Campani &c.*

Collis Leucogæus Campanis adjudicatus.

Possem & alias præfecturas suspicione adipisci. Sed quid magnopere lucri in meris conjecturis aucupandis? Itaque ad arctoam plagam transeamus, & præfecturam hanc cum publico communicemus, quam ex inedita inscriptione, quæ in Ponte Latronis (an Latonæ?) in agro Calatino exstat, modo expiscabar: quam epigraphen vir amicissimus Silvester a S. Joanne nuper ad me transmisit. Est autem talis:

D. M. S
C. TERENTIO
C. FIL. PAL
C A R I N O
PR. I. D. MONTIS
D I A N A E. T I F
C. T E R E N T I V S
H Y P E R C O M P V S
F I L I O. B O N O
C O N T R A. V O T V M

Clausula illa CONTRA VOTVM, ut ab extremo ordiar, hanc habet sententiam, quod pater filio superstes monumentum poneret, id contra votum cecidisse: cum contra optandum fuisset, ut patri filius parentaret: qui affectus est in sepulcralibus titulis non infrequens. Jam vero quod patri græcum cognomen (idque plane novum, quod hominem jactabundum notat) filio latinum: quod hic in Palatinam tribum adscriptus fuerit, pater non item: indicio esse possunt patrem libertinæ fuisse conditionis. Nam, ut alibi dicam, raro liberti in tribum relati inveniuntur, libertorum vero filii passim, ac fere in Palatinam, ut in hoc marmore. Verum hæc obiter.

Illud vero, quod maxime ad rem nostram pertinet, quod Carinus ille Hypercompi filius dicitur PR. I. D. idest *Præfectus juri dicundo* MONTIS. DIANAE TIFatinæ: ex eo duo maxime percipimus. Primum ignoratum antea oppidum, sive pagorum congeries ea fuerit, prodit in lucem, cui olim MONS DIANAE TIFATINAE fuisse nomen hæc epigraphe docet: sed per Theodosiana tempora, quando Peutingerianas tabulas confectas viri doctissimi suspicantur, *Addiana* appellabatur. Sic enim in IV. segmento ejus tabulæ invenio. Ibi montes, qui Capuæ imminent, sunt indubie Tifata. Quem montem transgresso statim occurrunt læva *Addiana*, dextra *Jovis Tifatinus*, retro *Castra Aniba*. Unde intelligimus Dianæ Jovisque fana non obscuris sive oppidis, sive pagis dedisse originem. In aliis quoque Campanis inscriptionibus pagi IOVEI mentionem factam deprehendi. Cumque in ea tabula trans Tifata, & cis Volturnum duo hæc oppida ponantur, crediderim eodem loci, non vero, quod vulgo sibi persuadent, citra eum montem Dianæ Tifatinæ celebre fanum extitisse (idemque de Jove Tifatino dicendum) maxime cum Dianæ Tifatinæ ædem XXX. a Capua stadiis removeat Pausanias V. 12. cui, utpote αὐτόπτῃ magis credo, quam male intellecto Leonis Marsicani testimonio. (22)

Addiana præfectura.

Ecquid vero jam vetat, quin oppidum MONTIS DIANAE TIFatinæ una cum suo territorio (quod hodie *Sarzano* appellant) una fuerit e Campanis præfecturis? Nam etiam absque hoc marmore, satis loci vicinia suaderet, totum eum tractum perticæ Campanæ fuisse applicitum. Nunc cum epigraphe dicat Carinum fuisse ibi *præfectum juri dicundo*, dubitamus adhuc, quin ea fuerit una e nostris præfecturis? Ecce vero Siculus Flaccus, qui aliis Sæculus appellatur, rerum agrariarum scriptor haud pœnitendus, & hæc inscriptio mutuam sibi lucem affulgent: colonicas enim præfecturas inde appellatas Flaccus affirmat, quod in eas præfe-

Præfecturæ colonicæ etymon.

(22) Leo Chron. Cas. I. 57. ait, ecclesiam S. Angeli ad Formam antea dictam fuisse *Ad arcum Dianæ*, *Quia*, inquit, *templum ejusdem Dianæ inibi fuit*. Quod intelligendum, in vicinia id templum fuisse: alioqui non *Ad arcum Dianæ* sed *Ad Dianæ* sive *Dianam* ibi dictum fuisset.

ctos juri dicundo coloniæ magiſtratus mitterent: quem Siculi locum cum mire ab aliis vexatum comperiam, bene eſt quod inſcriptione noſtra illuſtrior evadet.

Siculo Flacco lux.

Proderit autem integrum Siculi locum adſcribere ex pag. 21. edit. Goeſ. *Illud præterea*, inquit, *comperimus, deficiente numero militum veteranorum agro, qui territorio ejus loci continetur, in quo veterani milites deducebantur, ſumtos agros ex vicinis territoriis* (conditores) *diviſiſſe & aſſignaſſe. Horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis ſumti ſunt, proprias factas eſſe formas... Quæ ſingulæ præfecturæ appellantur ideo, quoniam ſingularum regionum diviſiones alii præferunt.* (23) *VEL EX EO QVOD IN DIVERSIS REGIONIBVS MAGISTRATVS COLONIARVM IVRISDICTIONEM MITTERE SOLITI SVNT.* (24) *Attamen omnes quarum coloniarum cives acceperunt, ejus perticæ appellabuntur.* (veluti quod de agro Mantuano deciditur, ut colonis Cremonam deductis dividatur, præfectura Cremonenſis, non Mantuana id dicitur) *Ergo præfectura illa dicitur, cujus* (25) *territorio ager ſumtus finierit perticam illam, tanquam coloniam illam, ubi civis deductus fuerit.* (26) Quem ſane locum non eo fuſius exſcripſi, quod eo integro magnopere indigerem: ſed partim ut a pravis emendationibus vindicaretur, partim etiam ut præfecturæ notio, quam ſupra tradidi, melius perſpiceretur. Ceterum ea ſolum quæ grandioribus literis exhibui, ea maxime rem noſtram contingunt.

Goeſius reprehenditur.

Verum is, quem toties laudavi, Wilelmus Goeſius Antiq. agrar. cap. 12. p 111. & 112. verba illa Siculi majoribus a me literis modo exarata: *QVOD IN DIVERSIS REGIONIBVS MAGISTRATVS COLONIARVM IVRISDICTIONEM MITTERE SOLITI SVNT*, Siculi non eſſe arbitratur. Imo eo etiam confidentiæ evaſit, ut in Siculi textu p. 21. eum locum, veluti νοθείας manifeſtum, duobus uncinis coercuerit. Putat ergo vir doctus præfecturas, de quibus Siculus, nihil præter nomen habuiſſe cum præfecturis juri dicundo, de quibus loquitur Feſtus, commune: ac Turnebi etiam 1. adverſ. cap. 11. auctoritate ſe tuetur: qui liber mihi non eſt ad manus. Sed falli Goeſium noſtra hæc epigraphe declarat, qua Carinus ille dicitur præfectus juri dicundo montis Dianæ Tifatinæ, id eſt ejus regionis, quæ cum antea fortaſſe ad Saticulam in eo tractu poſitam pertinuiſſet, poſtea in Octaviani aſſignationibus, deficiente territorio, perticæ applicita, atque aſſignata fuerit: atque ob eam cauſſam præfectura appellata; quia coloniæ Campanæ magiſtratu, ut Siculus docet, juriſdictio, ſeu præfectus juri dicundo eo mittebatur. Vera ergo eſt Siculi Flacci originatio, quam Goeſius uti ſpuriam expungit: præſertim cum nullum is veterem librum producere poſſit, a quo exſulent ea verba. Ut omittam quod Goeſiana præfecturæ etymologia eſt, ſi quod aliud, ineptiſſima: præfecturam vult ita appellatam, quod perticæ præficiatur, ideſt prætexatur, ſeu, prætendatur: & nullo adhibito teſte novam nos ejus verbi ſignificationem docet: quæ ſunt ægri ſomnia.

In præfecturæ etymo Siculus & vetus lapis conſentiunt.

Colonicæ iſtius modi præfecturæ diverſæ prorſus ab iis ſunt, in quas ab Roma præfecti mittebantur, quarum catalogum nobis Feſtus contexuit, & quarum una quoque olim Capua fuit: & tamen ad earum ſimilitudinem ſunt appellatæ, & vero etiam fuere. Nam cum coloniæ per omnia principem urbem imitarentur; hinc factum, ut ſicut in civitatem agro multatam præfecti ab Roma mittebantur; ſic in ea oppida, cujus ager alteri coloniæ eſſet adjudicatus, ejuſdem coloniæ magiſtratus juriſdictionem, ut ait Siculus, ſeu præfectos juri dicundo mitteret. Eoque etiam trahi poſſe videtur inſcriptio Gaditana apud Grut. p. 195. 4.

Præfecturæ colonicæ Romanas imitabantur.

L. FABIVS. L. F. GAL. RVFFINVS

II VIR. PRAEF. IVR. DIC. AB. DE

CVRIONIB. CREATVS. D. D

Non enim in hoc epigrammate duumviratus & præfectura juri dicundo unus fortaſſe idemque ſunt magiſtratus: nam nec facile *II. VIR. PRAEFectus Iuri Dicundo* conjunctim legitur: nec alii erant II. viri, qui non jure dicundo præeſſent, ad quorum diſcrimen hoc additamento opus eſſet. Sunt ergo fortaſſis duo diverſis temporibus...

[23] Etymon præfecturæ, quod tradere vult Siculus, hanc dictionem in mendo cubare ſatis arguit. Gœſius reſcribit *præfecerunt*, & præficere idem vult eſſe, quod prætexere, quod nemini puto probatum iri. Veriſimilius Salmaſius ad Sol. ſic reſtituit: *quoniam ſingularum regionum diviſioni alii præfuerunt*.

[24] Rigaltius in notis hunc locum ſola τῦ *Ad* adjectione ſic reſtituit: *Ad juriſdictionem: mittere &c.* Verum quod id ad eas refert præfecturas, in quas præfectos ab Roma mitti Feſtus ait, fallitur, uti poſtea dicam. Salmaſius ad Sol. reſcribit: *Quod in diverſis regionibus magiſtratus coloniæ juri dicundo mittere ſolitæ ſunt*. Quam correctionem probarem, niſi a textu longius abiret. Sed tamen nihil mutari velim: nam etiam ſic, ut in vulgatis legitur, ſenſus ſibi optime conſtat: etenim *Juriſdictio* eos etiam notare poſſit qui jure dicundo præſunt. Quemadmodum apud inferioris ævi ſcriptores *Juſtitia* pro *Judice* uſurpatur, cujus rei exempla vide apud Cangium in gloſſario: & in ſermone Italico *il podeſtà* pro eo qui judicandi habet poteſtatem. Et innumerabilia porro apud meliores ævi ſcriptores ſunt iſtiuſmodi abſtracta pro concretis, ut *ſervitia*, *operæ*, *miniſteria*, *auxilia*, *cuſtodiæ*, *vigiliæ*, *excubiæ*, & alia in eundem modum. Eadem ratio eſt vocabuli *officium* apud veteres jureconſultos, quod pro officialibus, quos vulgo dicimus, ſæpiſſime ponitur, uti ſunt illæ locutiones, *deponere apud officium*, *cavere officium*, vel *apud officium*. Suetonius in Veſpaſiano cap. 21. *Perlectis epiſtolis, officiorum omnium breviariis*. Mitto quod in libris legum *officium* modo pro irenarchis ſumitur, modo pro apparitoribus, aut miniſtris magiſtratuum ac præſidum: unde *officium præſidiale*, *cohortale*, *comitianum* &c. Haud abſimilis eſto hic *juriſdictionis* notio. Ergo juriſdictionem *mittere* apud Siculum idem eſto, ſi me audis, quod *præfectus juri dicundo mittere*. Ita, opinor, ἰδιωτικῶς dicebatur. Nam, quantum perſpicio, agrariæ rei ſcriptores non alia quam idiotica utuntur dialecto.

[25] Neſcio cur iſtud *cujus* conflarit Goeſius in voces duas in hunc modum *cum alterius*. Cui bono?

[26] Poſtrema etiam hæc Siculi verba neſcio cur Goeſius vitioſa putet. Senſus eſt: Præfectura eſt, e cuius territorio ager ſumtus finierit, id eſt applicatur perticæ, ſeu coloniæ. Nam ſynonyma hæc eſſe, perticam & coloniam initio dicebam.

poribus gesti honores: & a majore semper ordiri solent inscriptiones, & gradatim ad minores descendere: sicuti hic prius de duoviratu (27) postea de præfectura fit mentio. Et quidem municipium, non colonia Gades fuit, idque longe florentissimum, ut Strabonis ætate quingenti in ea equites numerarentur. Et angusto a Gadibus freto Peræa Gaditanorum in continente regio sejungebatur: cujus regionis oppida Pomponius Mela, qui inde domo erat, non pauca prodidit. In ea suæ ditionis oppida a Gaditanis decurionibus more Romano præfectos juri dicundo missos mihi persuadeo. Unus ex iis præfectis fuerit forsan olim L. hic Fabius Ruffinus: & quidem, ut inscriptio præfert, decurionibus creatus: qui deinde etiam ad Gaditanum duumviratum perrepsit.

De munic. Gaditano, ejusque præfecturis.

Jam vero Salmasius ad Solinum p. 673. etsi traditam a Siculo Flacco præfecturarum a præfectis juri dicundo etymologiam non improbat: turbat tamen immensum, quod hosce præfectos juri dicundo ab ea civitate, cujus ager ille erat, antequam vicinæ coloniæ adjudicaretur, missos putat. Sed fallitur. Nam primum sæpissime ipsa etiam oppida vicinæ coloniæ adjudicabantur, ut de Calatia & Urbana Capuæ contributis modo demonstrabam. Et quod præfecturam eam, in qua tamdiu versamur, Montis Dianæ Tifatinæ, seu Ad-dianæ pertinet: quis sibi persuaferit, cum fanum Dianæ Tifatinæ Campanorum civium esset, cujus fani tot veteres scriptores meminerunt, tamen præfectos, qui in eo tractu jus dicerent, non etiam Capua missos? Sed ex verbis veteris legis, quam recitat Hyginus refellitur planissime Salmasius. Lex vero in hunc modum habet. *Quos agros, quæ loca, quæve ædificia, intra fines puta illos, & intra flumen illud, intra viam illam dedero, assignavero, in eis agris jurisdictio coercitioque esto coloniæ illius, cujus civibus assignabuntur.* Quo quid clarius potest excogitari?

Salmasius refutatur.

Dices fortasse in inscriptione dici *Præfectum I. D. Montis Dianæ Tifatinæ:* at vero montem illum assignatum colonis non videri, neque enim seri potuisse, cum ne nunc quidem seratur. Ex quo sequitur illud PR.I.D. quod in marmore legitur non pertinere ad agrarias præfecturas. Sed & hic scrupulus facillime evellitur: nam Frontinus is, cujus verba hujus actuarii initio sunt recitata, lib. de limitibus præfecturam in hunc modum definit: *Quidquid huic universitatis* (idest perticæ) *applicitum fuerit ex alterius civitatis fine, sive solidum sive cultellatum fuerit, præfectura appellatur.* Cultellatum vero de montibus dici in confesso est (28). Cum ergo Frontinus cultellatum a præfecturis non excluserit: ecquid nos montem Dianæ Tifatinæ Campanis præfecturis accensere dubitabimus? Imo ex inscriptione, cui tamdiu immoramur, intelligimus montem illum, aut saltem tractus ejus montis molliter cubantes & reclinatos fuisse tum temporis cultos. Nam cetera montis pars magis prærupta & ardua ilicetis, opinor, occupabatur, quæ hodieque alicubi perseverant: a quibus ilicetis suum Tifata nomen acceperunt teste Festo (29).

Cultellatum quid?

Tifata unde dicta.

Ac de præfecturis Campanæ perticæ applicatis hæc, quæ raptim peregi, sufficiant.

AUCTARIUM ALTERUM.

De Campanæ coloniæ terminis litteratis.

Fines perticæ seu colonici territorii inscriptis cippis fuisse definiendos docet Hyginus his verbis: *Certis locis aras lapideas* (30) *ponere debemus, quarum inscriptio ex uno latere perticæ applicito finem coloniæ demonstrat, ex altero, qua foras exit, affines.* Apud Gruterum p. 174. 6. Beneventi lapidibus pluribus sic dicitur inscriptum:

COLONIA
BENEVENTAI

Fortasse tamen COLONIAI. BENEVENTAI, vel COLONIA. BENEVENTAN.

[27] Ciceronis ætate quatuorviri Gadibus summo jure præerant: nam in Asinii Pollionis epistola ad M. Tullium x. ep. fam. 32. comperio Balbum minorem cum alia multa ibi flagitiose fecisse, tum vero *quatuorviratum* sibi in ea urbe prorogasse. Sed postea mutatum hæc inscriptio docet: sicuti & Capuæ fuit cum quatuorviri pro duoviris essent: & alibi etiam id usuvenisse, puto, ut quandoque ad IIII viros, alias ad II. viros rerum summa perveniret.

[28] Cultellandi verbum agrarium est, quod Salmasius ad Solinum, Goesius, Vossius in etymol. aliique sic exponunt, ut sit agri inæqualitatem ad perpendiculum exigere, ita ut mente non re ad planitiem redigatur. Fuit enim antiquis persuasum, quod est verissimum, non plus frugum aut arborem in acclivi conseri posse, quam in subjecta planitie quam cognitione comprehendimus. Hinc cultellare dicebatur decempedator, cum acclivis soli superficie neglecta, subjacentem aream horizonti parallelam præceptis suæ artis assequebatur. Origo vocabuli fuisse putatur, quod *culter* genus fuit vomeris, teste Plinio XVIII. 18. qui rectus terram scindebat, relinquebatque incisuras, *quas resupinus inarando mordeat vomer*, ut ait Plinius. Unde apud Vitruvium in cultro collocare, est ad perpendiculum statuere: & *cultellare* apud scriptores agrarios est, ope perpendiculi agri nunc depressi nunc assurgentis libratam planitiem explorare. Sed videndum quoque an non cultellare in montibus hoc sit, ejus acclivitatem in plures parvulas planities diffindere, ac montem ut culturæ reddatur idoneus, gradatim complanare. Nam ut omittam (quod in libris agrariis sæpe legitur) cultellare idem esse quod ad planitiem redigere: quid recitato Frontini loco fiet, apud quem suo hæc *sive solidum sive cultellatum* tanquam sibi invicem adversantia ponuntur? quæ verba qui paullo attentius inspexerit, næ is intelliget cultellatum idem videri esse, quod gradatim sectum, quod solido opponitur; quia quæ inde consiunt areolæ, non unam continentem ac *solidam* reddunt superficiem, sed diversæ prorsus atque interruptæ conspiciuntur. De qua tamen conjectura virorum doctorum esto judicium.

[29] Festus voce *Tifata* ait: *Tifata iliceta. Romæ autem Tifata Curia. Tifata etiam locus juxta Capuam.* Quo loco illud *Tifata Curia* clarissimus Peregrinius in Campan. Fel. p. 365. de Romana aliqua curia intellexit, quæ *Tifata* diceretur. Sed sine ulla controversia *Tifata Curia* apud Festum idem sunt quod iliceta Curii [fortasse illius celeberrimi viri vitæ rusticæ addictissimi, ducisque omnium strenuissimi] nam apud eundem Festum quo loco legitur *Mancini fana*, Scaliger e veteri editione *Mancini Tifata* rescribendum docet. Ergo ob eandem rationem in voce *Curii* pro eo quod legitur *Curii fana*, legendum *Curii Tifata*, ut idem prorsus hic sint *Curii Tifata*, quod altero illo loco, quem supra posui, *Tifata Curia*.

[30] Ara lapidea apud Hyginum aliud nihil est, quam cippus in aræ modum excisus, cujusmodi & sepulcrales cippos quotidie inspicimus ex una parte urceolum, ex altera pateram insculptam habentes; quos aras fuisse appellatos ex vetustis titulis est compertissimum.

in la-

in lapidibus illis invenietur. Ad rem vero quod attinet: Beneventani viderint utrumne in aversa illorum lapidum parte affines demonstrentur. Apud eundem Grut. p. 199. 4. HEINC. PACENSES. & in opposito latere. HEINC. EBORENSES.

Verum ne a proposito divagemur, quatuor Campanæ coloniæ terminos litteratos hactenus inveni, quorum duo Capuæ, ad S. Bartholomæi unus, ad S. Germani alter prostant, tertius apud Capuam veterem in ædibus nobilis viri Joannis Baptistæ de Baucio ostii antas communit, quartus Martianisii visitur. Una omnium est inscriptio in hunc modum:

IVSSV. IMP. CAESARIS
QVA. ARATRVM. DVCTVM
EST

Et cum omnes hi parieti sint affixi, numquid in averso suo latere scriptum gerant, ignoramus. Utinam vero locum, ubi quisque effossus fuerit, teneremus: profecto colonici territorii fines compertos aliqua ex parte haberemus. Et inveni Tarracinæ apud Gruterum p. 199. 5. cippum iisdem prorsus verbis inscriptum, nisi quod alio positu lineæ hoc modo procedunt:

IVSSV. IMPERATORIS
CAESARIS
QVA. ARATRVM
DVCTVM. EST

Nihil præterea tale neque in Grutero, nec Reinesio, aut Fabretto legi.

Ab Julione, an Octavio hi termini positi.

Offert se vero hic haud levis dubitatio, ad Cæsaremne patrem, an vero ad filium nostrates hi cippi sint referendi: sive, ut idem aliter efferam, utrumne Campanam perticam, an præfecturas definiverint. Rigaltius in notis ad hunc Hygini locum p. 204. edit. Goes. *Mensura*, ait ibi Hyginus, *territorii usque fieri debet secundum legem D. Augusti, QVA FALX ET ARATER IERIT*: in notis, inquam, ad eam legem Rigaltius nihil de FALCE quid ibi significet sollicitus (31), tantum recitat veterem modo allatam inscriptionem, quam ex linearum positu, quo eam exhibet, ut etiam ex voce IMPERATORIS ὁλογραμμάτως scripta, apparet esse Tarracinensem. Ex quo intelligitur virum doctissimum ad Cæsarem filium eam epigraphen retulisse. Ad hæc nunquam satis commendatus Camillus Peregrinius in Camp. Fel. p. 722. is etiam de filio Octavio interpretatur, quia Julio patri in primo ejus consulatu, quando deduxit coloniam, illud IMP. CAESAR convenire nullo modo potest: imo, quod mirere, etiam illa Frontini verba, *Capua muro ducta, colonia Julia Felix, a* XX. *viris IVSSV IMP. CÆSARIS est deducta*, de Cæsare filio intelligit: quamquam non negat de patre percipi posse, si dicamus illum a Frontino per prolepsim IMP. CAESAREM appellatum.

Rigaltii & Peregrinii sententia.

Refellitur Peregrinius.

Equidem hoc primum statuo, Julium Frontinum sine ulla controversia Cæsaris patris deductionem verbis illis fuisse complexum. Nam primum est ibi XX. virorum explicatissima mentio, per quos lege Julia Capua est instituta colonia. Nam quod aliquos manu exaratos codices III. *viros* pro XX. *viris* habere obtendit Peregrinius: vix alicujus haud probi codicis ea est depravatissima lectio, quam ad oram Frontini Scriverius adtexuit. Ceterum Rigaltius & Goesius XX. *viros* non solum, ut par erat, in textu retinuerunt, sed ne in notis quidem hoc monendum putarunt, quod in aliquo veteri libro III. *viris* legatur. Deinde quis sibi persuaserit a Frontino tanta supinitate hæc fuisse narrata, ut celeberrima C. Julii colonia prætermissa, Octavii supplementa dumtaxat, & Syllanam assignationem commemoraret? Accedit & illa ratio, quam supra exposui, quod cum hanc coloniam *Juliam Felicem*, ac fortasse etiam *Augustam* appellasset, necesse erat singulorum nominum caussas tradidisse, ac de C. Cæsaris primum colonia, tum de Syllæ, demum Augusti singillatim docere. Est hoc igitur extra controversiam positum illud *jussu imp. Cæsaris* de patre non de filio apud Frontinum capiendum.

Quod vero objicit Peregrinius, Julium tum, cum adhuc consul I. esset, non potuisse imperatorem Cæsarem appellari: eandem criminationem & in Goesio reperies; qui initio notarum ad eum Frontini librum, cum totus in eo esset, ut eum libellum ab alio quopiam e Frontini libris excerptum ostenderet, hoc in primis caussa-

[31] FALX in ea lege non messoria mihi videtur intelligenda: non enim dicere vult Hyginus eas tantum soli partes esse metiendas, quo falx ad demetendum immittitur, & aratrum ad scindendam terram, id est tantum cultas soli partes: hoc si lex innuisset, prius de aratro tum de falce meminisset, cum stultissimum sit eo falcem immittere, ubi non ante severis: tale ὕστερον πρότερον lex haud facile admiserit. Ut omittam quod *ire falcem*, si messoriam intelligis, est ἄκυρον, cum *immitti falcem* veteres dixerint. Mihi prorsus hoc loco FALX non aliud videbatur, quam Culter aratorius, qui rectus incedens incisuras faciebat, quas postea resupinus mordebat vomer, teste Plinio lib. XVIII. cap. 18. ubi ait: *Vomerum plura genera: culter vocatur, prædensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. Alterum genus est vulgare &c.* Cum vomer resupinatus iret, ergo culter rectus incedebat: unde apud Vitruvium, *In cultro collocare* idem est, quod *ad perpendiculum*. Ergo cum ejus cultri cuspis quidem recta, manubrium vero reclinatum traheretur; recurvum fuisse cultrum oportuit, non repandum, eoque falcem imitabatur, imo & FALX dicebatur. Atque ea quidem mihi videbatur verissima legis illius explicatio. Verum cum a variantibus Plinii lectionibus traditæ falcis cultrique notioni majus aliquid præsidii quærerem: percommode cecidit, ut, quod dicitur una fidelia duos parietes dealbarem, & legom ex Plinio certissime illustrarem, Plinioque vicissim verissimam lectionem afferrerem. Nam ad recitatum Plinii locum notat Pintianus, in antiquo exemplari addi dictionem *Infelix* in hunc modum: *Culter vocatur infelix, prædensam &c.* Ex quo scribi posse ait: *Culter vocatur in filicem*, vel *Culter vocatur difficilem prædensam &c.* Et Pintiani quidem correctio nemini, puto, probabitur: a Plinio vero sic arbitror scriptum fuisse: *Culter vocatur, sive falx prædensum &c.* Librarii qui vocem FALX ab eo loco alienam putarent, nescio quibus gradibus ad illud *Infelix* pervenerunt, tum & hoc omnino expunxerunt.

In pertica definienda sic aratrum circumduci consuevisse lex illa Augusti nos docet, ut falx sive culter præcederet, cujus vestigia aratrum postea legeret; idque ob duas caussas, primum ne vomer exorbitaret, deinde propterea quod sæpe per incultum ac prædurum solum essent agendi limites, quod ne attentare quidem, non modo perstringere, nisi præcedentibus incisuris, vomer posset.

A tur, *Quod*, inquit, *assignatio per* XX. *viros facta sit non jussu, sed lege Cæsaris, & non imperatoris, sed consulis*. Quamquam vero vel una prolepsi satis se Frontinus tuebitur: tamen & aliam præterea responsionem paullo post adhibebimus. Nam nunc quod instat cippos nostros aggrediamur.

In iis vero nostræ coloniæ terminis litteratis, fateor, aqua mihi hæret. Nam jure hoc negat Peregrinius non potuisse inscribi lapidibus IVSSV. IMP. CAESARIS, cum primum gereret consulatum. B Sed ne ad Cæsarem quidem filium eosdem cippos facile referendos putarim. Nam Cæsarem Octavium apud scriptores quidem CAESAREM sine alio additamento sæpe appellari videas, quia in perpetua oratione ex antecedentium aut consequentium serie ambiguitas summovetur: in lapidibus vero nunquam, quod meminerim, CAESAR ἁπλῶς dicitur, sed sive CÆSAR. DIVI. F. sive, si post conflictum Actiacum, CÆSAR. DIVI. F. AVG. vel brevius CÆSAR. AVG. ut in inscriptione Venafrana, quam inter schedas habeo C brevi cum aliis edendam:

IVSSV. IMP. CAESARIS AVGVSTI. CIRCA. EVM RIVOM &c.

Ubi additamentum AVGVSTI facit, ut ad Divi filium pertineat. Et in hac ipsa re terminali apud Grut. pag. 196. n. 3. IMP CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS.... EX. S. C. TERMINAVIT. Et pagina 199. 2. IMP. CÆSAR. AVG..... TERMINVS. AVGVSTAL. &c. Itemque 200. 1. ID D QVOD. INTRA. CIPPOS. AD. CAMP. VERSVS. SOLI. EST. CÆS. AVGVST. REDEMTVM. A. PRIVATO. PVBLICAVIT. Eadem p. n. 3. CÆSAR. AVG..... A. PRIVATO. IN. PVBLICVM RESTITVIT. &c. Rursus pag. 187. 9. CÆSAR. AVGVSTVS. EX. S. C. P. CCXL. Si extra vero rem terminalem velim excurrere, infinitus sim: neque enim Cæsarem filium IMP. CÆSAREM sine alio additamento nuncupatum legi, nisi in longioribus elogiis, in quibus ubi semel IMP. CÆSAR. DIVI. F. aut tale aliquid positum fuit, E postea ἁπλῶς CÆSAR appellatur.

Adhæc ex tribus huc ab Octavio adscriptis coloniis illa, quam Vellejus aliique referunt post Sex. Pompejum superatum, fuit omnium celeberrima: & tamen Vellejus *coloniæ supplementum* appellat. Subdubito autem, an in hujusmodi supplementis sollemnis ille ab Etruscis acceptus ritus aratrum circumducendi perageretur. Et Cicero Phil. 2 n. 40. videtur contrarium suadere, nam cum antea docuisset potuisse solum novos colonos Casilinum induci, F quo fuerat ante adscripta colonia; tum reprehendit Antonium, quod aratrum circumduxisset &c. Quamquam hoc nihil moror.

Fortasse ii termini Julium habent auctorem.

Vereor igitur ut ad Cæsarem patrem ii termini magis apposite revocari possint. Etsi autem in hac re hominum judicia reformido: dicam tamen, quæ si minus id suadeant, at dubitationem tamen injiciant, dentque ansam amplius cogitandi. Ac primum, cum eos cippos in vicinia repertos conjiciam (neque enim arbitror majores nostros harum rerum minime curiosos voluisse tam grandes lapides e longinquo domum comportare) perticæ potius idest primæ assignationis Juliæ, quam alicujus præfecturæ ab Octavio adjunctæ terminos eos fuisse suspicor. Tum hi tam curiose inscripti termini vix aliam deductionem, quam illam celeberrimam auctore C. Julio redolent.

Præterea, cum extra controversiam sit ob allatas supra rationes, Frontinum de Julia deductione locutum, cum ait JVSSV IMP. CÆSARIS. &c. quæ caussa Frontino fuit Imperatoris prænomen Cæsari primum consuli tribuendi, nisi quod ad nostras hasce epigraphas respiceret iisdem plane verbis conceptas? Alioqui, si accurate de primo Cæsaris consulatu loqui voluisset, illud IMP. ei expungendum fuisset. Nostros, credo, terminos viderat, sive de iis inaudiverat, ut omnino in reip. tabulariis eos legerat Frontinus: idcirco tempore deductæ coloniæ susque deque habito, IMP. CÆSAREM dixit: in quo erravit ille quidem, nam non eo ipso tempore, quo est deducta colonia, sed post confecta demum bella civilia hosce litteratos terminos JVSSV IMP. CÆSARIS defixos necesse est, si quidem ad C. Julium patrem eos referre luber. Nam etsi Cæsarem Octavium nondum adeptum monarchiam, idest quinto ejus consulatu *Imperatoris* prænomine donatum invenio apud Grut. p. 226. num. 5. & in aliquibus nummis M. Antonii III. viri apud Spanhemium legitur IMP. ANTONIVS: tamen C. Julium primo suo consulatu IMP. CÆSAREM dictum fuisse vix puto. Confectis vero civilibus duellis tum demum Imperatoris prænomen obtinuit, teste Suetonio & Dione lib. 43. isque primum hac notione Imperator est appellatus: cum ante C. Julium dictatorem illud IMP. tantum uti cognomen victoriam adeptis ducibus tribueretur. Quod tamen prænomen vix ille, opinor, adhibuit: neque enim aliud marmor inveni, quo C. ille Julius IMP. CÆSAR nuncuperur: quo majus his cippis, atque illi Tarracinensi pretium accedit.

Quid vero caussæ est, quamobrem diu post deductam coloniam hi termini JVSSV IMP. CÆSARIS inscriberentur? Hoc puto fuisse in caussa, quod dissipatos per bella Campani territorii terminos dictator Cæsar in suorum veteranorum gratiam restituerit. Est enim verisimile per evocatorum Cæsaris Capuæ possessiones habentium absentiam, dum hi civili bello mererent, veteres illos Campanos aliquid turbarum excivisse, ac terminos agrorum dimovisse, ut Cæsarianos deturbarent. Notum ex Appiani civilibus, Italicos seu veteres urbium Italiæ cives semper optimatum caussæ favisse, quibuscum suam conjunctam salutem putarent. Cæsar autem belli reliquias persecutus, ac Romano orbe composito, ut suos evocatos suis sedibus restitueret, ac ne fines coloniæ amplius confunderentur, litteratos cippos, credo, ex intervallo defixit, qua olim aratrum ductum fuerat. Et vide an non ad

hæc tempora referri oporteat illud legis Juliæ caput, de quo Calliſtratus l. ult. D. de term. mot. in hæc verba: *Lege agraria quam Gajus Cæſar tulit adverſus eos qui terminos ſtatutos extra ſuum gradum fineſve moverint dolo malo, pecuniaria pœna conſtituta eſt: nam in terminos ſingulos, quos ejecerint locove moverint quinquaginta aureos in publico dari jubet: & ejus actionem, petitionem ei qui volet eſſe jubet.* Et ſane expreſſa illa notatio *JVSSV Imp. Cæſaris*, vel rem antea neglectam, ac poſtea eo auctore tranſactam indicat, vel eorundem terminorum reſtitutionem notat. Sic apud Grut. p 198 n. 1. COLLEGIVM. AVGVRVM.AVCTORE... HADRIANO..... TERMINOS. POMERII.RESTITVENDOS. CVRAVIT. Niſi ſi quis malit ad ſuos evocatos, quos e colonia Capua exciverat, remunerandos territorii colonici fines Cæſarem ampliaviſſe, & qua aratrum ductum fuit, terminos hoſce inſcriptos impoſuiſſe.

Jam vero ex Tarracinenſi ejuſdem exempli cippo diſcas Tarracinam fuiſſe unam ex coloniis Julianis, eamque ſemel olim libera Rep. teſte Livio deductam, iterum poſt civile bellum a Cæſare fuiſſe coloniam conſtitutam.

Ceterum hæc quæ hactenus dixi, quo noſtrorum terminorum inſcriptionem ad Cæſarem patrem referrem, a filio abjudicarem, neque affirmate dixi, neque auctor aut fundus fuerim. Ad Auguſtum ſi quis malit, per me licebit.

Habes deductæ huc ſæpius coloniæ, & ſi non ſuo loco atque tempore, prope juſtam hiſtoriam: nunc ad alia porro pergamus, & ab Amphitheatrici tituli filum redeamus.

V. *De tempore exſtructi Amphitheatri, & Campani ærarii viribus.*

CAPVA) Hujus nominis tam multæ ſunt originationes, eæque ſic protritæ, ut fruſtra ſim in iis referendis. Equidem habeo quæ de hoc nomine ſentiam: ſed alio ea loco atque tempore. Nam ejus clariſſimæ urbis, quam Roma antiquiorem Vellejus conſtituit, origines, variamque fortunam, omninoque ea quæ litteris exſtent, peculiari, ac ſepoſito opere, ſi Deus annuet, complecti eſt animus: quandoquidem quas maximo labore & induſtria vir ſummus Camillus Peregrinius Alexandri F. Campanas antiquitates digeſſerat, eas peſſimo publico paucis ante ejus obitum menſibus ignis abſumſit.

Campanarum antiquitatum Peregrinii fatum.

FECIT) Mira veterum epigrammatum brevitas. Quid enim neceſſe fuit HOC AMPHITHEATRVM expreſſe in inſcriptione ponere, cum ea epigraphe frontiſpicio operis impoſita, ſatis ex ipſo marmoris poſitu doceret quid demum illud ſit quod CAPVA FECIT? Sic fere inſcriptiones operum publicorum tum conſcribebant, FECIT, CVRAVIT, aut tale aliquid dixiſſe contenti. Nunc ineptiſſime inculcamus quid fecerit, & id ipſum non ſine duobus tribuſve epithetis, de quibus veriſſime dixeris quod de librorum inſcriptionibus Plinius in præf. dixerat: *Inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſet*. Quid columnæ Trajanæ epigraphe brevius & concinnius? SENATVS. POPVLVSQVE.ROMANVS. IMP.... TRAIANO.... AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS. MONS. ET.LOCVS. TANTIS.OPERIBVS.SIT. EGESTVS. Nullum hic de columna ne verbum quidem, & tamen ſatis res ipſa loquitur, tantundem altitudinis montis fuiſſe egeſtum, quantam altitudinem columna illa haberet.

Mira veterum in elogiis brevitas.

Exſiſtit autem hic multum antehac a noſtris hominibus jactata quæſtio de ætate hujus exſtructi amphitheatri. Nam vulgo homines noſtrates operis ſtupendam magnificentiam demirati, ad illa potiſſimum tempora ejus ſtructuram retulerunt, cum Campana reſp. nondum Romanorum jugum accepiſſet. Eamque ſententiam viri clariſſimi Antoninus Sanfelicius in deſcriptione Campaniæ, & Petrus Laſena in gymn. Neap. ſunt ſecuti. Quam opinionem lumen illud noſtræ patriæ incomparabile Camillus Peregrinius in Campan. Fel. p. 723. jure merito refellit his maxime de cauſſis. Primum quod qui ſic putant, parum magnifice de Campana colonia ſentiunt, cujus refloreſcenti ſplendori Vellejus, Strabo aliique plurimum tribuunt. Deinde cum Auguſtus, teſte Suetonio in ejus vita cap. 29. Romam *jure ſit gloriatus marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet*; quis hoc ferat prope ducentis ante Auguſti regnum annis tantæ magnificentiæ molem marmoream Capuæ conſtrui potuiſſe? Demum cum Romanum amphitheatrum, cujus noſtrum plane geminum ac germanum dixeris, ſit Titi imperatoris opus (ſeu, Peregrinii pace dixerim, verius Veſpaſiani quod poſtea Titus dedicavit) non eſt veriſimile Campanum ante trecentos annos exſtitiſſe. Atque hæc ſunt quæ virum doctum in eam ſententiam impulerunt, ut ad Campanæ coloniæ, non vero illius veteris reip. tempora noſtrum amphitheatrum rejiceret. Qui ſi ejuſdem operis titulum delibare oculis potuiſſet, næ is maximo opere in ſua ſibi ſententia placuiſſet.

Quando exſtructum amphitheatrum.

Non Campanæ reip. ſed coloniæ tempore.

Mihi vero etſi Peregrinii ſententia unice ſedet, tamen non multum ad eam demonſtrandam hunc titulum valere arbitror. Nam etiam ſi vetus illa noſtra reſp. eam molem excitaſſet, tamen, cum ſub Antonino principe hæc inſcriptio poneretur, non alio nomine Capua, quam *Colonia Julia Felix Aug.* conſueta ac naturali quadam anticipatione vocari potuiſſet. Sed tamen cum Romæ omnium princeps Statilius Taurus Auguſti ævo ſtabile ac manſurum amphitheatrum potuiſſet, noſtrum non poteſt ad ſuperiora illa tempora jure amandari. Taceo quod ſeptimum jam hunc & amplius annum cum Capuæ jure dicundo præeſſet Comes Xaverius Panſutus in Neapolitano ſenatu Regis noſtris a conſiliis, vir ſane quam eruditiſſimus, & tot jam nobiliſſimis a ſe ſcriptis tragœdiis nunquam intermorituris clariſſimus; memini me audiviſſe ab eo, cum diceret, inter anaglypta e ruderibus amphitheatri eruta viſas quoque tum fuiſſe Romanas aquilas: quod argumento eſſet per tempora exſtructi amphi-

theatri Capuam Romano imperio paruisse. Sed argumentis non est opus, cum res ipsa prope jam clamitet, tantam molem non aliis attolli temporibus potuisse. Et quanquam, ut fatear, illa gladiatoriæ artis efferitas Capuæ multo fuit quam Romæ vetustior, uti deinceps demonstrabitur; amphitheatra tamen non habent parem cum gladiatoribus aut venatione antiquitatem (32): & cum primum fieri cœperunt, lignea ac temporaria ante Statilium exstruebantur. Ac demum in circo aut alibi olim edi munera consuevisse res est notissima.

Nec ante Flaviorum ætatem factum.

Est hoc igitur verissimum, hoc quod adhuc cum temporis edacitate decertat amphitheatrum, non a Capua αὐτονόμῳ, sed a colonia conditum; imo non ante Flavia tempora hic tantæ magnificentiæ opus exstitisse; cum capere ab urbe principe magnificentiæ exempla, quam dare, nostris convenientius fuerit. Accedit Taciti in Othonis & Vitellii rebus illustre testimonium de Placentino amphitheatro. *In eo certamine*, inquit ille in secundo historiarum cap. 21. *pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces & glandes & missilem ignem in obsessos jaculantur, sive ab obsessis, dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad suspiciones fraude illata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis invidiæ æmulatione, quod NVLLA IN ITALIA MOLES TAM CAPAX ESSET.* Si ante Flavium amphitheatrum Placentina cavea erat omnium maxima: ergo per Othonis ac Vitellii tempora nostrum hoc, quod Romanum prope exæquavit, nondum exstiterat. Quid quod Lipsius de amph. ext. Rom. cap. 2. Placentinum illud ex parte saltem ligneum fuisse contendit, alioqui incendi haud facile potuisse? Verum ante hoc, quod adhuc restat, ligneum fortasse, aut lateritium aliquod Capuæ exstitisse non abnuerim; qui sciam totas gladiatorum familias a Cæsare quondam Capuæ detentas, quorum infinita vis (ut interim de Campanis ipsis edendis muneribus addictissimis taceam) vix est ut sine aliquo amphitheatro fuerit.

Ac de ætate hujus operis est jam quæstio profligata: de auctore jam superest. Nam qui antehac ad coloniæ tempora id revocabant, ii non solum sub imperatoribus, sed etiam ab Imperatoribus exstructum putabant. Sed ipsam sibi Capuam fecisse nos titulus docet. Ac ne id incredibile videatur, de coloniæ nostræ ærario agendum, ejusque vires sunt porro explorandæ.

Suum cuique coloniæ ærarium.

Cum principis urbis imago per omnia esset in coloniis deformata, hinc quemadmodum Romæ, ita & in coloniis suum cuique ærarium fuit. Quis enim negat, quin publicos reditus quævis colonia sive municipium habuerit? Suetonius in Octavio cap. 46. *Italiam duodetriginta coloniarum numero a se deductarum frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit.* Vespasianus in rescripto ad Saborenses in Hispania apud Grut. p. 164. n. 1. ait: VECTIGALIA. QVAE. AB. DIVO. AVGVSTO. ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO. Eumenes quoque rhetor in panegyri hæc habet: *Salarium me liberalissimi principes ex hujus reip. viribus in sexcentis millibus nummum accipere jusserunt.* Plura exempla qui velit, adeat Norisium ad Cenot. Pis. In marmoribus vero frequens est eorum mentio, qui municipalia vectigalia aut quoscunque omnino reditus constituerunt, auxerunt aut recuperarunt. Pecunia inde collecta in ærario municipali reponebatur: nihil enim sæpius in lapidibus occurrit, quam hujusmodi ærarii mentio; ut in Tergestino marmore ap. Grut. p. 408. SINE. VLLO. AERARI. NOSTRI. IMPENDIO. Ei ærario qui præerant, plerunque quæstores dicebantur. Et quæstorum Campanæ coloniæ in fragmento fastorum Campanorum exstat luculentissima mentio, sicuti & in aliis nostris marmoribus. In aliarum urbium vetustis titulis loco quæstorum est ubi præfecti ærario occurrant, ut de Cæritibus apud Grut. p. 214. nam fuit cum Romæ quoque præfecti ærario dicerentur; sed Claudius, teste Tacito Annal. XIII. ærario quæstores rursum imposuit.

Quæstores coloniarum.

Quæstores Italiæ provinciarum.

Nihil hic de quæstoribus iis, quos florente adhuc rep. provinciis Italiæ senatus imponebat, agimus: nam una Cisalpina Gallia excepta, quæ proconsulem accipiebat, in reliquas Italiæ provincias quæstores tum mittebantur. Campania cui obtigerat, is quæstor Calenus dicebatur, quod ea in civitate domicilium haberet. Sed de Campaniæ rectoribus alibi σὺν Θεῷ dicetur.

Curatores Kalendarii.

Sed quod colonicas attinet pecunias, fuere & Curatores Kalendarii, de quibus tam sæpe tituli vetusti loquuntur, qui publicam coloniæ pecuniam fœnori darent: inde appellati, quod exacto mense singulis Kalendis recurrentibus usuras exigerent.

Legata pœnæ nomine.

Mitto jam de pœnis dicere, quarum etiam nomine, quantum discimus e veteribus saxis, non parum oportuit coloniæ ærario acquiri. Nam quid hoc frequentius? Qui hoc pactum violaverit, inferet ærario tot: Hoc monumentum si quis vendere aut donare voluerit, dare damnas esto ærario tot, ut dabit coloniæ nostræ pœnai nomine tot. Imo apud Gru-

(32) Polybius lib. III. de Campania loquens ait: *Igitur in hos campos, velut in theatrum quoddam descensuri Carthaginenses, cunctos perterrefacturi videbantur.* Quo loco allusum ad pugnas in amphitheatris conferri solitas, & theatrum Græco more pro amphitheatro positum conjicit Peregrinius in Camp. Fel. p. 117. Sed an Polybii ævo amphitheatra existerent vehementer dubito. Deinde quod ibidem vir doctus Campaniæ speciem amphitheatro assimilat: vereor ut longe verius, etiam ex mente Polybii, cum theatro sit comparanda Campania: quam hinc montes in semilunarem orbem θεατρικῶς cuneati ambiunt, inde, qua mare prætenditur, montium idest theatri cornua discedunt: quæ interjacet planities, quasi cavea latissime se diffundit. Et familiare est scriptoribus montium semilunares orbes cum theatris conferre. Tacitus XII. an. *Montium edita in modum theatri.* Plinius IV. 8. *Montes theatri modo inflexi. Media saxi rupes in formam theatri recessit.* Parnassi latus, ubi Apollinis oraculum, θεατροειδὲς Straboni lib. IX. dicitur.) Longe alia est ratio montis, quem amphitheatro comparat Dio: ὥστε, inquit, κυνηγετικῷ θεάτρῳ τὸ ὄρος συμπτὸν . . . ἐοικέναι.

terum p.801.n.5. bona omnia pœnæ nomine addicuntur ærario in hunc modum. QVOD. SI. QVI. ADVERSVS. ID. FECERINT. EORVM. BONA. PERTINERE. DEBEBVNT. AD. REMP. BRVNDISINORVM. (33) Mitto etiam de iis dicere, qui coloniam heredem instituerent: mitto de donationibus, legatisve privatorum, ac de liberalitate principum, & ceteris id genus, ex quibus coloniæ ærarium augebatur.

Prædia coloniarum.

Sed de coloniarum prædiis non possum sine piaculo tacere: neque enim, cum agro multabatur civitas, vel cum veteranis aut civibus R. assignabatur, non suus modus ei tamen civitati relinquebatur. Id quod Vellejus de Capua diserte scriptum reliquit lib. II. cap. 81. ubi de Capua ab Octavio colonia instituta narrans ait: *Ejus* (Capuæ) *relicti erant publici &c.* Sed viri docti eum locum mirifice alius aliter, dum illustrare satagunt, obfuscarunt. Nam fugit hic ratio Lipsium, cetera acutissimum, atque admirandæ eruditionis, qui illud *Relicti* in *Reliqui* commutavit. Ut tacem de Heinsio, qui mavult *Refecti*, & aliis qui nihilo melius aut emendarunt, aut explicuerunt. Atqui nihil istic emendatione opus erat, cum *Relinquere*, uti supra admonebam, sit verbum agrarium, cujus contrarium est *Assignare*. Et sententia porro hæc est Cæsarem patrem cum agrum Campanum per XX. viros assignaret, reliquisse aliquam portionem, quæ Campanorum reip. rediret. Nam memini alicubi quoque hoc mihi lectum, tenuisse hunc morem Romanos in coloniis deducendis, ut nonnullam agri portionem relinquerent, quæ publice ab ea rep. possideretur. Nisi vero memoria me fugit, ac potius universim de agro multatis urbibus hoc verum fuerit; ut sive is ager publicus populi R. fieret, sive colonis assignaretur, aliqua tamen pars publice ei civitati relinqueretur. Ita ut fieri possit, jam tum, cum Capua præfectura Romana fuit, partem agri Campanis relictam. Præter hæc prædia in ipsarum coloniarum territorio posita, alibi etiam possessiones habebant, uti de Capua statim dicemus. Interim id constat ex Ciceronis epistola undecima ad Brutum lib. XIII. fam. qua commendat Bruto Arpinates: *Quorum quidem*, inquit, *omnia commoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum locorumque communium tueri possint, consistunt in iis vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia* (Cisalpina) *Ad ea visenda, pecuniasque, quæ a COLONIS debentur, exigendas.... legatos equites Romanos misimus &c.* Ex quibus postremis verbis intelligo vectigalia, quæ Arpinates in Cisalpina Gallia obtinebant, aliud non fuisse quam agros COLONIS elocatos, a quibus certa pecuniæ summa quotannis exigeretur. Id quod etiam evidentius patet ex agro quem Atellani in eadem Cisalpina Gallia possidebant, quem agrum vectigalem appellat Tullius epistola 7. ejusdem libri; *Locutus sum tecum*, inquit, *de agro vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia*.

Vellejo lux.

Coloniarum reditus in longinquis interdum regionibus.

Terra Cnosia.

Sed ad Campanæ reip. possessiones alibi positas ut redeam: primum in insula Creta habuit terram Cnosiam, teste Dione lib. 48. ubi cum dixisset emisse Octavium a Campanis agros bene multos quos novis colonis assignaret, statim *Et ipsis*, ait, *tum aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnosiam, qua etiamnum fruuntur eorum loco dedit.* Et has Cnosias possessiones duodecies H-S. hoc est XXX. millia scutatorum quotannis Campanorum reip. reddidisse testatur Vellejus lib. II. cap. 81. ubi de eadem re sic habet: *Speciosumque per id tempus adjectum supplementum Campanæ coloniæ. Ejus relicti erant publici* (34) *pro his longe uberiores reditus duodecies H-S. in Creta insula redditi, & aqua promissa &c.* Sed & agrum in Lucania habuit nostra colonia, quem agrum P. Pescennius Secundus sine impensa reip. reciperavit, uti discimus ex inscriptione quæ Capuæ in foro conspicitur. Quem sane agrum latissime patuisse oportuit, propterea quod non ab alicujus oppidi, in cujus territorio existeret, nomine, sed a tota regione Lucanus diceretur. Et scio in pretio fuisse Lucanas arationes. De hoc agro & inscriptione non pauca habeo, quæ dicam, quæ, ne festinantem lectorem remorari videar, in subjecta notatione (35) seposui: quam si cui est otium, non sine fructu percurret. His adde collem Leucogæum, quem a Neapolitanis ablatum, & Campanis addictum supra Plinii testimonio docui. Tum & alias non paucas possessiones commune Campanorum habuisse crediderim, quas vel antiquitus Capua possideret, vel liberalitate principum, aut privatorum, aut pœnæ nomine postea sit consecuta. Verum ea jam obscuris nox alis complectitur. Adde portoria & vectigalia quibus Augustum suas colonias, in quibus Capua fuit, plurifariam instru-

Campanorum Lucanus ager amplissimus.

(33) Nihil quidem his pœnis frequentius in inscriptionibus legitur. Quas tamen inscriptiones omnes Antonino Pio antiquiores esse conjicio, de quo sic reperi nuper apud Capitolinum in ejus imperatoris vita: *Primus constituit ne pœnæ caussa legatum relictum maneret*. Mihi quidem non vacat inscriptiones percurrere, & experiri an ullum ex iis legatis ærario coloniæ PŒNÆ NOMINE relictis post Antonini tempora inveniatur. Nam sicubi tale aliquid post ætatem ejus principis occurret, dicendum erit eam Antonini legem non diu stetisse. Quanquam, uti quidem loquitur Capitolinus, videtur ea lex sua jam ætate obtinuisse, quam propterea is ad Pium auctorem refert.

(34.) Et vide an non legi possit *Plurimi*, sic enim in Vellejo legisse apparet Dionem, qui Octavium *συχνὴν χώραν* a Campanis coemisse dicit. Nam viri docti & in iis Lipsius eam de Campana colonia narrationem a Paterculo Dionem transtulisse conjiciunt. Quanquam non video quid hoc necesse sit, cum Dio aliquid addat, quod frustra in Vellejo quæras; veluti hoc, quod *terram Cnosiam* accurate appellat, cum Vellejus tantum reditus in insula Creta Campanis redditos tradiderit. Et sane quid opus Vellejo haberet Dio, cui Campanorum res perspectissimas esse oportuit, cum Capuæ Græcus is scriptor domicilium fixisset, ubi & conscripsit historiam? Verum etiam si Dio nihil hoc loco a Vellejo sumpsisset, tamen illud *συχνὴν* facit aliquid, ut *Plurimi* in Vellejo reponi posse putem (præsertim cum sequatur *Longe VBERIORES reditus*] maxime si aliquis vetus liber opituletur.

(35.) Inscriptio est Capuæ in foro prope curiam in hunc modum:

P. PESCENNIO. P. F
SECVNDO. IIII. VIR. I. D
QVOD. AGRVM. LVCAN
RECIPERAVIT. SINE
INPENSA. REIPVBLICAE
SEN. CONS

Et refertur a Camillo Peregrinio in Campan. Fel. p. 11. sed vir ceteroqui oculatissimus non animadvertit in fine alterius lineæ esse in marmore I. D. hoc est *juri dicundo*, pro quo ipse posuit II. idest bis: sed & in fine primi versus omiserat P. F.

Quod versu penultimo INPENSA cum elemento N scribitur, mirandum non est: quippe non aliter meliore illo latinitatis ævo scribebatur, uti & ex Pisanis cenotaphiis, & aliis optimorum temporum monumentis constat. Postea cum aliter grammatici tradidisent (quippe *IN præpositio*, ait ex Papiniano Cassiodorus p. 2293. *si composita sit, & P aut B aut M sequatur, N in M convertit, ut improbus &c.* idemque tradit Priscianus lib. I. p. 556. auctoribus Plinio, Papiriano, & Probo) sed cum, inquam, ita grammatici præcepisent, tamen & in Mediceo Virgilii codice vetustissimo, & in pandectis Florentinis non aliter quam per N scriptitari testatur Norisius ad Cenot. Pis. p. 487. Id notare volui, si quid forte hinc lucis ad ævum lapidis explorandum: quem lapidem Augusti fere ætate insculptum ex characterum forma, & cetero monumenti habitu, mihi subolet.

Verum quid de hac inscriptione censuerit Peregrinius (is enim dumtaxat eam p. 11. suæ Campaniæ edidit, præterea nemo alius) paucis complectar. Eo loco Peregrinius cum de veteri Campania Lucaniæ contermina ageret, ac de ancipiti Strabonis loco commentaretur, quo is geographus lib. v. videtur in speciem trans Silarum amnem veterem quandam Campaniam collocare: subjungit recitatum Pescennii titulum posse aliquod argumentum suppeditare, ut vetus illa secundum Strabonem Campania trans Silarum, hoc est in ipsa Lucania adstruatur. Sed tamen Peregrinius cum Strabonis locum (qui sic habet: *Pertingunt Picentes usque ad Silarum amnem, qui ab HAC regione veterem Campaniam dividit*) ita accipiendum docuisset, ut pronomen HAC ad Lucanam, non ad Picentes referendum putaret, ita ut Strabonis mens fuerit Silaro Campaniam a Lucania, non vero a Picentibus Campaniam disjungi: Pescennianum elogium nihil commentitiæ isti Campaniæ in Lucania positæ opitulari ait; eo quod hæc inscriptio non ante tempora Campanæ coloniæ videatur insculpta; nec sit verisimile Campanos sero admodum tam vetera sua jura persequi potuisse, ut post tot tantasque rerum suarum conversiones fictitiam illam veterem Campaniam, quam Strabo indicasse videatur, in Lucanis positam recuperarent. Hæc fere Peregrinius.

Cui viro tum omnia assentior, tum illud, quod ad tempora Campanæ coloniæ marmor istud Pescennii refert. Neque enim obest illud REIPVBLICÆ: quotus enim quisque est, qui hoc ignorat, *Remp.* passim in inscriptionibus de minimo quovis oppidulo dici, ut proinde vanissimum sit ad Campanæ *αὐτονομίας* tempora cogitationem convertere. Tullius quoque in III. de leg. dixit: *Utinam . . . isto animo atque virtute in summa rep. nobiscum versari, quam in municipali maluisses*. Nec illud SEN*atus* CON*Sulto* quod ad finem elogii notatur, quidquam momenti habet, quo ad liberæ Campanæ reip. tempora referatur: nam & *Senatus* pro ordine decurionum quandoque ponitur (ut notat Norisius ad Cenot. Pis. p. 44.) & hanc ipsam formulam S. C. inveni de Ferentinatibus ap. Grut. p. 456. n. 1. & de Spoletinis p. 194. n. 6. Demum IIII. viratus ipse notatus in marmore est coloniarum consuetissimus magistratus. Et quanquam in fragmento fastorum Capuæ, & in aliis nostris lapidibus duumviri non quatuor viri deprehenduntur, tamen frequens hæc mutatio fuit; sicuti in auctario priori mihi supra notatum fuit de Gaditano municipio, ubi extremis Ciceronis temporibus quatuorviri, postea duoviri summum magistratum gesserunt. Et Romæ etiam sæpissime variatum, ut quandoque tribuni consulari potestate sex crearentur, ac desidentis jam reip. extremis temporibus fuit cum Pompeius unicus consul procederet. Accedit quod sicuti sexviri Augustales mullo plures quam seni in vetustis cippis non raro recensentur, sic etiam fieri potest, quod qui quatuorviri dicebantur, duo interdum nec amplius essent; sicuti ap. Grut. pag. 456. 1. M. ACILIUS. PLACIDVS. L. PETRONIVS. FRONTO. IIII. VIR. I. D. S. C. FERENTIN. Et p. 194. 6. Spoleti legitur: P. MARCIUS. P. F. HISTER. C. MOENIUS. C. F. RUFUS. IIII. VIR. I. D. S. C. E. Et eadem pag. n. 5. in Casinate saxo duo etiam soli nominantur, iique dicuntur IIII. VIREI. IOUR. DEIC. Etsi apud eundem Grut. p. 129. 5. & 167. 10. & 168. 8. & 173. 3. iidem quatuorviri quaterni recensentur.

Quantum autem ex characterum forma & orthographia lapidis dijudicari potest, Augusteam ætatem antecedere non videtur. Itaque non temere mihi persuadeo Augustum, cum nihil non coloniarum a se deductarum in gratiam faceret, & Capuæ potissimum, cui ad alicam conficiendam collem Leucogæum attribuit, cui aquam Juliam sua impensa perduxit, ut alia omittam, hoc etiam rogantibus Campanis annuisse, ut ager in Lucanis positus, qui olim Campanorum fuisset, iisdem redderetur. P. vero Pescennio, quod is legatus, opinor, ad principem ejus rei obtinendæ caussa missus esset, re perfecta SINE INPENSA. REIP., statua ex S. C. posita fuit.

Quid quod agrum, quem olim in Lucanis Campani possiderent, ex Livii historia mihi videor expiscatus? Is ad annum V. C. DCLIX. Scipione Africano & Ti. Sempronio Longo Cos. hæc ait lib. xxxiv. cap. 45. *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Volturnum, Liternum; triceni homines in singulas. Item Salernum Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt. Deduxere* III. *viri Ti. Sempronius Longus, qui tum consul erat, M. Servilius, Q. Minucius Thermus. Ager divisus est, qui Campanorum fuerat*. Hæc Livius, qui tamen cum non dixerit, quibusnam ager, qui Campanorum fuerat, sit assignatus; ansam dedit Goesio antiq. agrar. cap. 4. p. 30. existimandi eum agrum colonis Puteolanis, Volturnensibus, & Liternatibus fuisse divisum. Goesii verba proderit hic adtexere: *Sed ut uni*, inquit, *coloniæ territoria diversarum civitatum quandoque sunt attributa, ita & uno e territorio plurium coloniarum assignationes nonnunquam sumptæ sunt. Nam Puteoli, Volturnum, Liternum cum fierent coloniæ, divisum iis refert Livius agrum qui Campanorum fuerat. Tanta enim agri Campani amplitudo cum esset, ut non suæ tantum civitati sufficere videretur, sed & aliis, coloniarum istarum assignationes in hujus fines extenderunt conditores*. Mitto quod extrema oratione posuisse videtur Goesius agrum Campanum per id tempus adhuc Campanorum fuisse, cum tamen eo tempore Capua agro multata duram præfecturæ Romanæ formam toleraret. Sed illud quo pacto ferri potest, quod iis tantum divisum eum agrum putavit, quos Livius tanto ante nominarat, Puteolanis, Volturnensibus Liternatibusque colonis, nihil interim de Salerno Buxentoque sollicitus, quas urbes proxime Patavinus memorarat, imo ad quas unice ea divisio fortasse pertinuit? Goesium fefellit Puteolorum, Volturni ac Literni cum agro Campano vicinitas: sed cum treceni in harum singulas adscripti essent, satis suus cuique coloniæ ager esse potuit, nihil ut de agro Campano ad subsidia reip. relicto decerpi opus esset. Accedit quod pars ea Campani agri, quæ Puteolos, Volturnum & Liternum propius contingeret, jamdiu a quæstoribus ad ærarii inopiam sublevandam divendita fuerat, uti idem Livius ad annum V. C. DXLVIII. narrat lib. xxviii. 46. *Et quia*, inquit, *pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem a fossa Græca ad mare versam vendere quæstores jussi*. Si ea regio distracta fuerat, quo pacto Puteolanis, Volturnensibus Liternatibusque colonis assignaretur? Ergo ex Livii narratione patet, Salernitanis tantum & Buxentinis, quos proxime posuerat, non vero illis tanto ante nominatis, agrum qui Campanorum fuerat fuisse assignatum. Non est autem verisimile colonis in Lucaniam transcriptis agrum Campanum qui est circa Capuam fuisse divisum. Quis enim unquam fando inaudivit colonis puta Beneventanis agrum Placentinum, aut Bononiensem potuisse assignari? Ager tam longe positus ne præfecturæ quidem, non modo perticæ rationem habuisset: nam præfecturas perticæ seu territorio coloniæ applicitas scriptores agrarii perhibent. Itaque ex Livii mente Buxentinis & Salernitanis colonis ager ibidem in Lucania positus divisus fuit, qui ager olim, antequam Capua agro multaretur, Campanorum fuisset. Is demum est ager Lucanus, quem P. Pescennius secundus Campano ærario reciperavit: nimirum ager Buxentum inter ac Salernum latissime explicatus. Accedit ad hanc meam sententiam roborandam, quod nobilis historicus non ait divisum iis fuisse agrum Campanum (non enim alio nomine ager circa Capuam positus vocabatur) sed agrum, qui Campanorum fuerat: quo sane dicendi genere agrum alibi quam in Capuæ territorio positum aperte notavit.

Ergo si me audis, ager Lucanus a Pescennio Campanæ reip. reciperatus inter Buxentum Salernumque longissimo tractu diffundebatur. Et fuisse vastissima latifundia satis etiam ex inscriptione intelligitur: nam neque Buxentinus, neque ex alterius oppidi vicinia is ager nomen invenit, sed, propterea quod maximum Lucaniæ tractum occuparet, non alio no-

xiſſe Suetonius cap. 46. affirmat. Adde jam ceteras conficiendæ pecuniæ rationes, nummos in fœnore poſitos, publica coloniæ mancipia operi faciundo addicta, pecora & id genus alia. Nec tamen adhuc omnia ſum perſecutus: nam cum multa in vicino poſita oppida Capuæ fuerint contributa, eorum etiam publicos reditus, excepto eo quod in neceſſarias eorundem oppidorum expenſas inſumeretur, Campano ærario adjudicatos fuiſſe facilis eſt conjectura.

Et ita prorſus neceſſe fuit, ſatis pingue ærarium habuiſſe tum Capuam: alioqui quo tandem pacto inſanam hanc amphitheatri molem aggredi potuiſſet, qua vix major collatis regum opibus attolli poſſit? De Romano Amphitheatro Caſſiodorus Var. 42. *Hoc Titi potentia principalis DIVITIARVM PROFVSO FLVMINE cogitavit ædificium fieri, unde caput urbium potuiſſet:* fortaſſe legendum *patuiſſet*. Quanquam in hoc negotio non inficior, longe minoris impendii rem olim fuiſſe, uti mores tunc erant, quando mancipia publica operibus hiſce deſtinabantur.

Sed finis jam ſit primo huic capiti, quod in plura diffindi poterat, ſi prævidiſſem. Tametſi nec me laboris hujus pœnitet: & ſpero me noſtris hominibus operam apprime utilem navaſſe, quibus toties huc deductæ coloniæ, (quæ res in obſcuro maxime, ſi qua res alia, verſabatur) prope juſtam hiſtoriam conſcripſerim.

CAP. II.

In proximos duos tituli verſus.

DIVVS. HADRIANVS. AVG RESTITVIT. IMAGINES. ET. COLVMNAS. ADDI. CVRAVIT) In duabus hiſce dumtaxat lineis fieri poteſt ut unum alterumve verbum hoc aut illo modo in marmore ſcriberetur, & aliter fortaſſe ac poſui. Veluti ſi pro RESTITVIT fuerit in elogio EXORNAVIT aut ejuſmodi aliud: & pro IMAGINES quis dubitat, quin SVATVAS aut aliud ornamenti genus notari potuerit? Demum pro CVRAVIT potuit aliud inſculpi, ſed in eandem ſententiam. De ceteris quæ in hac periodo poſui nihil eſt, cur dubitem.

DIVVS. HADRIANVS) Illud IANVS, quod in fragmento verſu tertio legitur, neque ad Trajanum, neque ad Veſpaſianum (nam de Domitiano nihil eſt quod cogites, cujus nomen in ſaxis plerunque eraſum conſpicitur) referri poteſt; ſed unice ad Hadrianum: tum quia hic princeps ad publica ædificia ubique terrarum tum exſtruenda tum etiam reficienda, quantum nemo alius incubuit (de qua re paullo poſt dicetur) tum etiam quia cum ejus filius Antoninus Pius hoc amphitheatrum dedicarit, illud quodcunque fuit quod hac inſcriptionis periodo innuitur, non poteſt niſi ad ejus patrem Hadrianum referri: nam perridiculum fuerit amphitheatrum a Trajano aut Veſpaſiano ſive auctum ſive refectum, non niſi a Pio poſt tantam temporis intercapedinem dedicatum.

DIVVS) Hadriano poſt mortem ideſt jam conſecrato non alius titulus præfigi potuit: eo enim ἀποθεωθέντες imperatores prænomine donabantur. Propter multa ab Hadriano crudeliter facta, *Acta ejus*, inquit Spartianus, *irrita fieri ſenatus volebat: nec appellatus eſſet Divus, niſi Antoninus rogaſſet.... quare, ut ſupra dictum eſt, multi putant Antoninum Pium dictum*. Xiphilinus in Hadriano: *Parumque abfuit, quin ob eam cauſſam* (cædium ab eo factarum) *ne in Heroum quidem numerum referretur*. Capitolinus de Antonino Pio: *Etiam repugnantibus cunctis, inter Divos eum* (Hadrianum) *retulit*: cum diceret, quemadmodum e Dione apud Xiphilinum cognoſcimus, ſi ejus acta reſcinderentur, etiam adoptionem ſuam irritam fieri, nec ſe fore imperatorem.

Ut Hadrianus conſecraretur, ægre Pius impetravit.

HADRIANVS) Præter ea quæ modo afferebam, quo fidem facerem, nec Trajanum, nec alium principem, ſed unice Hadrianum hic eſſe percipiendum: hoc amplius addendum, neminem Hadriano fuiſſe publicorum ædificiorum ſtudioſiorem. Itaque cum imperii nullas non luſtraſſet provincias, ubique ſuæ magnificentiæ monumenta reliquit. Et quanquam, quantum ad Græciam attinet, vel unus Pauſanias teſtis eſſe poteſt locupletiſſimus, cujus περιήγητις nuſquam non Hadriani opera nobis exhibet: tamen placet magis e Xiphilino & Spartiano teſtimonia producere. Xiphilinus in Hadriano: *Theatra quoque condebat, & inſtituebat certamina, cum urbes obiret* (36).

Hadriani opera.

mine quam AGRVM LVCANum appellat inſcriptio. Nec infinita ſolum latitudine, ſed & bonitate idem ager potiſſimum præcellebat: quantum e Silio intelligo, apud quem lib. IX Hannibal ante Cannenſem pugnam cum ſelectiſſima quæque præmia militi promitteret, ait:

Seu Laurens tibi Sigæo ſulcata colono
Arridet tellus, ſeu ſint Buxentia cordi
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.
Electos optare dabo inter prælia campos.

Ergo tam præſtantium, tamque patentium latifundiorum Campano ærario acceſſione facta, miramur potuiſſe Capuam tantam amphitheatri molem erigere?

Quid vero cauſſæ fuerit, quamobrem Campani in ſpem Lucani agri recuperandi aſſurrexerint? An ob earum coloniarum, quibus aſſignatus fuerat, ſolitudinem? De Salerno quidem nihil habeo exploratum, nec de aliis coloniis, quibus fortaſſe is ager olim fuerit aſſignatus: ſed de Buxento tamen ſuſpicandi locum dat idem Livius lib. XXXIX. 23. ubi triumviros creatos ait, qui ad deſertas jam colonias Sipontum ſupero, Buxentum infero mari colonos ſcriberent. Fortaſſe talis aliqua ſolitudo Buxento aliiſque coloniis, quibus Campanorum Lucanus ager obtigerat, poſtea acciderit; ob eamque cauſſam is ager iterum Capuæ adjudicatus fuerit.

Ac de agro Lucano a Peſcennio Campanis recuperato ſatis. Niſi quod monendum exiſtimo de Salernum Buxentumque deductis coloniis Vellejum quoque meminiſſe lib. 1. cap. 15. *Eodem temporum tractu, quanquam apud quoſdam ambigitur, Puteolos, Salernumque & Buxentum miſſi coloni.*

[36.] Quo loco Dio, e quo ſua Xiphilinus decerpſit, vocem θέατρα non tantum de theatris, ſed etiam de amphitheatris accepiſſe videtur, quæ Dio vix aliter quam θέατρα appellabat; veluti cum lib. XLIII. ait: Θέατρον κυνηγετικὸν, ὃ καὶ Ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη. *Theatrum venatorium, quod & Amphitheatrum di-*

Jam vero Spartianus in hujus principis vita cap. 13. *Ad orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit.* Ad hæc ejusdem Spartiani caput undevicesimum, in Hadriani operibus ac spectaculis exhibendis unice versatur, quæ huc adscribere non pigebit: *In omnibus pæne urbibus & aliquid ædificavit, & ludos edidit. Athenis mille ferarum venationem in stadia exhibuit.* Et post alia multa de spectaculis ejus dicta, sic pergit: *Cum opera ubique INFINITA fecisset, nunquam ipse, nisi in Trajani patris templo nomen suum scripsit &c.* Taceo plurima Hadriani ædificia, quæ Spartianus hoc aut illo loco facta passim commemorat: veluti quod *in honorem Plotinæ basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit*. In quem locum Casaubonus, non alienam a probabilitate eorum sententiam esse ait, qui stupendam amphitheatri Nemausensis molem, quod pæne omni ex parte integrum durat hodieque, uti & alia ibidem admiranda ædificia, Hadrianum habuisse auctorem conjiciunt ad memoriam Plotinæ commendandam exstructa: quanquam & Pio tribui posse affirmat, quem genus Nemauso traxisse Capitolinus affirmat. Sed Nemausi amphitheatrum ab Hadriano fortasse potius, quam a Pio erectum, præter ceteram principis magnificentiam, vel Campani amphitheatri titulus Nemausenses docebit (37).

Tempus refecti amphitheatri. Offert se mihi vero hic illa quæstio, quando nam de Campano amphitheatro sive reficiendo, sive augendo aut exornando Hadrianum potissimum cogitasse putemus. Ac nihil sane verisimilius dici posse videbitur, quam tum, cum in Campaniam secessit, id opus aggressum. *Summotis his* (inquit Spartianus cap. 9.) *a præfectura, quibus debebat imperium, Campaniam petit: ejusque omnia oppida beneficiis & largitionibus sublevavit, optimum quemque* (ex Campanis hominibus, ut Casaubonus exponit) *amicitiis suis jungens.* Hadriani secessum in Campaniam accuratissimus Tillemontius ad finem artic. 7. confert ad annum Christi CXIX. quo anno Hadrianus Cos. III. processit, cujus alter imperii annus Augusto mense absolvebatur, ac tertius incipiebat. Quam ceteroqui optimam conjecturam (nam cur alio modo appellem?) sicuti non aspernor, sic nec omnino certam puto. Neque enim ad id nos Spartianus cogit: & cum postea sæpe perpetuis itineribus intermissis Romam is princeps rediisset, cumque Tillemontio ipso fatente ab anno CXXVI. ad CXXIX. Romæ manserit: vid́endum an non hoc temporis spatio & præfectos summorit, & in Campaniam secesserit. Sed nihil necesse puto viro doctissimo & emunctæ naris repugnare: præsertim cum non ad secessum Campaniensem, sed ad extrema Hadriani tempora rejiciendum id opus mihi videatur. Nam si per initia sui principatus nostrum amphitheatrum sive ampliasset, sive refecisset, cur non idem etiam dedicasset? præsertim cum in provinciis ultro citroque obeundis sæpissime ei in itu ac reditu Capua transeundum fuerit. Ad ultimos vero ejus imperatoris annos id ædificium si referatur, tum demum percommoda ratio reddetur, quare Pius illud potius dedicarit. Ad ultimos Hadriani annos rejiciendum.

Imperatores D.vi appellati raro humanos titulos adsciscunt. AVG.) Quoties consecrati jam principes illud *Divus* sibi veluti prænomen adsciscunt, nihil præterea ex humanis titulis, quantum perspicere potui, addi solet, ac ne Augusti quidem cognomen. Itaque dubitabam utrum illud AVG quod in extrema fragmenti ora nec integrum (nam ultima littera nescitur G an C fuerit) legitur, utrum, inquam, AVGERI, aut alio quovis modo supplendum potius videretur. Tamen AVG. retinendum putavi: nam & Trajanus post consecrationem *Divus Trajanus Parthicus* plerunque dictus invenitur; & (ut taceam de DIVA. MARCIANA. AVG. apud Reinesium III. 20. & DIVA. AVGVSTA. FAVSTINA. in nummis) apud Grut. p. 10. n. 6. legitur DIVVS. AVG. PONT. MAX. EX. S. C. REFECIT, etsi quis intelligendus his verbis sit, haud sciam, nam, (nisi forte in plures inscriptiones dividatur, quod Gruterus conjecit) certe de Octavio ibi sermo esse non potest. Sed quid ista minutiora consector, cum diserte apud Grut. p. 154.1. sit: NERO. CLAVDIVS. DIVI. CLAVD. AVG. GERM. (supplendum hic puto F. C.) CAES. AVG. N. &c. & p. 153. 9. idem Divus Claudius cum omnibus titulis legitur in hunc modum: IMP. DIVVS. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAES. AVG. GERM. PONT. MAX. &c. De Hadriani etiam successore Pio reperi apud Grut. p. 257. n. 12. M. AVR. VERO. IMP. DIVI. HADR. ANT. AVG. PII. P. P. F. (idest *patris patriæ filio*) &c. Sed & Alexander Donatus III. de urbe Roma 4. inveniri testatur DIVVS. CLAVDIVS. AVG. PAT. & DIVVS. TRAIANVS. AVG. PAT. in lapidibusne, an nummis id invenerit nescio. Inscriptionem quoque in Basilica Vaticana se vidente detectam profert in hunc modum:

D. TITO. D. VESPASIANI. F. AVGVSTO. IMP. CAESAR. D. NERVAE. F.

NERVA. TRAIANVS. GERMANICVS. DACICVS. PONT. MAX.

TRIB. POT. COS. P. P. FECIT

ctum est ex eo, quod sedes undique in orbem habeat sine ulla scena. Et quidem Amphitheatri vox, quamvis Græca, a Græcis raro usurpatur, qui θέατρα dicere maluerunt.

(37.) Nuper cum incidissem in Jacobi Grasseri Antiquitates Nemausenses [tomo I. Thesauri antiquitatum Sallengriani] mirabar quid ei venerit in mentem ad Augusti tempora Nemausense amphitheatrum referre. Sic enim ejus verba interpretor p. 1068. cum ait: *Nemausense amphitheatrum, cum terra marique serenissima pax esset, Fundatori Herculi dedicatum.* Augusti tempora intellexit: & hominem, credo, fefellit, quod sub eo principe Nemausum est deducta colonia.

Ita-

Itaque non novum aut inauditum videbitur, quod in inscriptione nostra DIVVS. HADRIANVS. AVG. dicatur.

RESTITVIT) Historiæ Augustæ scriptores *Instaurare* frequentius, quam *Restituere* usurpant pro eo quod Renovare, aut Reficere dicimus. Veluti de hoc ipso Hadriano Spartianus cap. 19. *Romæ instauravit Pantheum, septa* &c. Capitolinus inter Antonini Pii opera refert *instauratum amphitheatrum*. Lampridius idem amphitheatrum ab Elagabalo *instauratum* dixit. Sed in antiquioribus elogiis ante & post Hadriani ætatem insculptis nusquam *Instaurandi* verbum reperi, sed interdum *Reficere*, plurimum autem *Restituere*. Et quamvis *Restituere* plus aliquanto in speciem notare videatur, quam *Instaurare*; tamen, quantum perspicio, in vetustis titulis *Restituere* sine alio additamento renovationem sive tuitionem, aut sarta tecta fere notat: nam cum aliquid amplius volebant significare, tum *A solo restituere*, & interdum *Ab inchoato restituere* (quod semel apud Grut. iterumque apud Reinesium II. 33. inveni) dicebant, aut *Ædes, vetustate collapsas restituere*, aut ejus modi aliquid. Ceterum *Instaurare* eo sensu sequior tantum ætas dixit (nam probi scriptores veteres nunquam de ædificiis usurparunt id verbum (38) & scimus biographos illos, quos modo producebam, Diocletiani aut Constantini ætate vixisse, quorum temporibus in inscriptionibus etiam id verbum occurrit. Ap. Grut. p. 156. n. 7. de Diocletiano, Maximiano, Constantio, & Maximiano dicitur: MVRVM. VITVDVRENSEM. A. SOLO. INSTAVRARVNT. Et p. 180. n. 5. THERMAS.... INSTAVRAVERVNT. RVSTICO. V.... Posterioris etiam ætatis est inscriptio apud Reinesium cl. II. n. 31. ubi legitur INSTAVRATORI. MOENIVM. NOSTRORVM. Postremo apud Fabrettum p. 677. n. 31. legitur in hunc modum: *ARCVS PILAS ET PLVTEVM EX VTRAQ. PARTE OVATA* (vide obiter an non hæc sit amphitheatri periphrasis) *labore expenso a VV. CC. & spectabilibus Tarpeio Annejo Fausto VC. comite ordinis primi & formarum & Julio Felice Campaniano VC. excomite ordinis primi & formarum INSTAVRATVM*. Quam inscriptionem clarissimus Fabrettus post Theodosii junioris tempora refert, propter *comitivam formarum*, cujus dignitatis nulla est a Cassiodorum mentio; & hunc Julium Felicem Campanianum diversum facit ab altero, qui præfectus urbi fuit, ad cujus est apud Gruterum mentio p. 177. n. 6. Vides jam *instaurari* ædificia dictum fuisse ex usu posterioris ætatis. Itaque nos quoque *Restituendi* potissimum verbum selegimus, quod hic poneremus.

Restituere quam instaurare ædificia castigatius dicitur.

Et quidem non novis tantum exstruendis ædificiis, sed & veteribus renovandis deditissimus fuit Hadrianus, de quo Spartianus c. 19. *Romæ instauravit Pantheum, septa, basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippæ: eaque omnia propriis & veteribus nominibus consecravit*. Quæ verba non parum nobis lucis affulgent; nam si INSTAVRATAS tantum ædes sacras, & cetera, quæ biographus recenset, Hadrianus iterum consecrandas sibi existimavit, nulli mirum videbitur, si Antoninus amphitheatrum a patre dumtaxat renovatum atque exornatum dedicarit: præsertim cum non ambitione suum inscribendi nomen adductus illa a Spartiano memorata dedicasset pater: nam *propriis & veteribus nominibus consecravit*. Erat ergo in more positum, ut quidquid operum publicorum renovaretur, atque expoliretur, illud repetita prius dedicatione ita demum ad usum traduceretur. Cujus rei exempla quædam referri a Gutherio in III. de veteri jure pont. cap. II. aut 12. memini.

Refecta opera nihilominus dedicabantur.

Nec defuere qui mihi hoc objicerent, cum Amphitheatrum ad Campanæ coloniæ tempora referri a me scirent, ecquid tam brevi temporis intervallo restitutione aut refectione opus fuisset. Quibus hoc primum respondeo, Hadrianum, uti modo e Spartiano didicimus, Pantheon, forum Augusti, lavacrum Agrippæ per Augusti ætatem exstructa *instaurasse*. Ad hæc in hac ipsa re amphitheatrali, Flavium amphitheatrum imperator Pius *instauravit* teste Capitolino: *Opera*, inquit, *ejus Romæ hæc exstant: templum Hadriani, Græcostasium post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum*. Sed & Lampridius *Amphitheatrum ab eo* (Elagabalo) *instauratum post exustionem*, prodit. Idem Lampridius de Alexandro narrat: *Lenonum vectigal sumtibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri & ærarii deputavit*. Et sub Gordianis senatus illud restituisse videtur, teste Capitolino: *Quid enim*, inquit, *opus est de restitutione templorum, de thermis Titianis, de ædifica-*

[38.] *Instaurare ludos, bellum, funus, scelus*, & similia veteres dixerunt: sed de ædificiis nunquam, quod legerim, usurparunt, ut mirer hoc viros doctissimos non notasse.

Nec eo inficias, quin fieri possit, ut aliquis veterum *Instaurare ædes* aut talia forte dixerit: sed donec ea locutio apud probos scriptores occurrat, non omnino tutam interim habeo. Statius ne tibi imponat, qui Theb. V. 9. *Instaurare vias* dixit, nam eodem sensu accepit, quo idem *Instaurare iter* II. Theb. usurpavit. Plinius tantum XXXI. 2. dixit: *In qua* (villa Cicero) *& monumentum sibi instauraverat*. Sed ibi Instaurare, non est renovare, sed exstruere, uti jam pridem Budæo & Roberto Stephano in thes. linguæ latinæ annotatum fuit: nam & XI. 23. bombycas *adversum hiemem tunicas sibi instaurare* [idest extruere] *densas* dixerat. Ac de eo *monumento* Plinius loquitur, quod Cicero XII. ad Att. 18. 19. & 36. non *sepulcrum* sed *Fanum* appellari malebat; ut qualemcunque assequeretur, inquit, ἀποθέωσιν: quod miror tot Plinii explanatores fugisse: id quod idcirco sedulo Plinius annotavit, quia, quantum ex illis epistolis constat, dubius animi fuit Tullius, in villane an in suburbano conderet. Tandem ergo in Puteolano exstruxit. Sed tamen bene est, quod Harduinus e veteribus optimis libris *monumenta* pro *monumentum* in textu reposuit: non enim aliquod genus fabricæ, sed ea *monumenta* intelligi conjicio, de quibus ipse Cicero XII. ad Att. 18. de *Fano illo* loquens ait: *Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illum consecrabo omni genere monimentorum ab omnium ingeniis scriptorum & Græcorum & Latinorum &c.* Ita se Cicero Pliniusque alterum alter illustrant: nam & *Fani* locus ex Plinio innotescit, & quid *monumenta* apud Plinium sint Cicero addocet: & cur *Academia* dicta hinc quoque patet, quod omne genus *monumenta*, hoc est volumina ibidem sibi Marcus *instauraverat*, idest describenda curaverat; quam vim esse puto Plinianæ locutionis. Ergo *instaurare* Plinio non est exstruere, sed redintegrare, tum ubi de libris, tum etiam ubi de bombycibus loquitur, nusquam vero de ædificiis.

tione amphitheatri agere? Demum Eusebius in chronico, & sub Macrino & iterum sub Decio amphitheatrum Romanum incensum commemorat. Quibus locis modo recitatis non aliud amphitheatrum intelligi oportet, quam Flavium, nec aliud intellexit Lipsius de amphith. c. 6. Quare si Romanum amphitheatrum intra tam breve spatium tam sæpe reficiendum fuit: miramur, si ab Hadriano Campanum restitutum dicamus? Præsertim

A cum vel tectorii tantum iteratam inductionem restitutionis aut instaurationis nomine illi, ut opinor, donarint: nunc vero & columnas & alia ornamenta id genus addidit Hadrianus, ut jure restituisse dicatur.

Demum ita prorsus hujus tertiæ lineæ finem fuisse supplendum, altera inscriptio per eadem hæc tempora detecta fidem faciet, quæ amphitheatri apodyterium restitutum fuisse docet in hunc modum:

S A T E L L I A. M. F. A N V S

APODYTERIVM. AD. NOVITATEM. R... estituit

EPISTYLIS. CETERISQVE. MARMORIBVS. O... rnavit

B Quam inscriptionem, postquam hunc titulum expedivero, seorsum expendam.

IMAGINES) Aut tale ejusmodi. Nam cum in ceteris, quæ supplevi, non defugiam auctoritatem, huic tamen voculæ auctor non audeo sive fundus accedere. Multa succurrebant, quæ verisimilius ponerem, uti paullo post dicam: Sed nescio quomodo simulacra demum malui ponere: selegique ex industria vocem IMAGINES, tanquam latius patentem, quam SIGNA aut STATVAS. Nam sive corpus integrum exhibuerint, sive tantum oris C simulacrum humerorum tenus (quales effigies hodieque in summis imi ordinis fornicibus exterioris ambitus duæ restant) sive demum umbilicatæ, quas προτομὰς appellant, (cujusmodi in superioribus fornicibus ejusdem exterioris ambitus fuisse, duæ, quæ Capuæ in prætorio parieti carceris affixæ visuntur, fidem faciunt) omnes recte dicentur IMAGINES. Neque illud abhorret a vero, supra podii columellas complures etiam hujusmodi imagines fuisse d sposita s.

Hadriani columnæ cui usui.

ET. COLVMNAS) Ubi & in quem usum columnas Hadrianus posuerit haud D facile dixerim. Fieri potest ut eæ columnæ intelligantur, quæ exterioris ambitus parastatis conjunctæ adjacebant. Itaque initio suppleveram PARASTATAS. ET. COLVMNAS: quæ duo sicut in ædificiis copulabantur, sic & apud auctores conjuncta legas. Vitruvius v. 1. *In columna aut parastata horæ describuntur*. Plinius XXXIII. 3. *Sed & illius aureæ cameræ & argenteæ trabes narrantur, & columnæ & parastatæ*. Quæ supplendi ratio si cui placeat, in extremo lineæ non CVRAVIT; E sed IMPERAVIT (quod tamen verbum alienum videtur ab Hadriani temporibus, & semel tantum inter titulos operum publicorum reperi apud Gruterum p. 158. 9. in inscriptione Gallieno posita) aut aliud quidpiam πολυγράμματον ad exæquanda

An cum parastaticis conjunctæ?

spatia poni oportebit. Sed ut mittam, quod alii *Parastatica* dici malunt, (39) quam vocem utpote longiorem linea non admitteret: vix videtur credibile Hadrianum totum exteriorem ambitum addidisse, sine quo amphitheatri forma consistere non poterat. Nisi vero fingamus ab antiquis Campanæ temporibus fuisse apud nos amphitheatrum, sed totum lateritium; quod postea Hadrianus non refecerit tantum, sed & marmoreum exteriore sui parte effecerit: quam conjecturam non parum altera juvaret inscriptio, quam modo memoravi, qua dicitur quædam SATELLIA. APODYTERIVM. AD. NOVITATEM. Restituisse. EPISTYLIS. CETERISQVE. MARMORIBVS. Ornasse. Sed tamen in nostro Amphitheatro non exterior tantum orbis, sed & interiores sive mediani maximam partem e solido marmore surgunt: ut non possis marmora ab Hadriano addita comminisci, quin totum amphitheatrum ab inchoato illum restituisse statuas. Itaque hic mihi nox.

An ad propylæi apparatum?

Sed & propylæo aliquo per hunc principem adjecto suspicio incesserat. Nam cum superiore anno ad meridianam amphitheatri portam, idest eodem loci, quo titulus de quo commentamur, est repertus, duæ non mediocri mole columnæ essent detectæ: cœpi cogitare an non quas inscriptio COLVMNAS. memorat, in propylæi alicujus usum cessissent, quod Hadrianus fecerit, & an non suppleri posset PROPYLAEVM. ET. COLVMNAS. &c. Cujusmodi est illud propylæum, quod in lapide Romano apud Grut. p. 85. 3. reperi in hunc modum: COLVMNAS. CVM. EPISTYLIO (quod vulgo architrabem appellant) DEO. MAGNO. SERAPI. IN. INTROITVM. EXORNAVERVNT. Pulchra sane propylæi templorum descriptio: secundum quam suppleri non inscite quarta hæc nostri marmoris linea posset in hunc modum: *episty-*

[39] In inscriptione apud Reinesium cl. 1. n. 105 legitur PARASTATICAS. CVM. SVIS. ORNAMENTIS &c. In *Glossario notarum veterum* Tironi tributarum, quod sæculi quinti conjicit esse Reinesius in comment. ad eam inscriptionem, legitur *Parastratica*, pro quo reponit Reinesius *Parastatica*. Sed & in Plinii loco, quem recitavimus, Budæus mavult *Parastaticæ*. H. Stephanus in thes. nullum Græcum scriptorem producit, qui vocem Παραστάτης pro pilis illis quadratis, quæ columnis adstant, usurparit: sed tantum Vitruvium lib. v. cap. 1. apud quem tamen, uti notat Facciolatus in voce *Parastata*, alii *Parastatica* legendum putant. Itaut plena, ut arbitror, locutio sit *Pila Parastatica*, aut Παραστατικὴ στήλη; quia columnis astant, prominentibus ipsis columnis partibus duabus, aut, secundum alios, tantum sui medietate. In nostri tamen amphitheatri exteriore ambitu (ut obiter notem) columnæ duabus fere partibus prominent, ita tamen ut columnæ pedatura, dimidiatam ellipsim exhibeat; uti me modo admonebat vir eruditus, idemque pictor egregius & αὐτοδίδακτος Sanctulus Cyrillus Nicolai Cyrilli philosophi præstantissimi longe que celeberrimi fratris filius, cum nuper nostri amphitheatri reliquias delineasset.

lium. eT. COLUMNAS. AD. introitum. fecit. Quam ſupplendi rationem minime aſpernor, imo veriſimilem puto; niſi quod columnæ ante epiſtylium nominandæ fuiſſent. Verum cum Flavium amphitheatrum, quod in nummo Veſpaſiani cernitur, ſine inſigni ac notabili aliquo propylæo eſſe videatur (& apparere utique in nummo deberet, eo quod amphitheatrum eo poſitu ſcalptum ibi ſit, ut porta videnti objaceat) eo ſupplementi genere non ſum uſus.

An ſunt podii columellæ? Demum illa etiam cogitatio ſubiit, utrumne ſupplerem PODIVM.ET.COLVMNAS. quæ duo in Vitruvio quoque conjunctim leguntur, qui lib. v. cap. 7. de theatri podio ſic habet: *Podii altitudo, ab libramento pulpiti cum corona & lyſi duodecima orcheſtræ diametri. Supra PODIVM COLVMNÆ cum capitulis & ſpiris altæ quarta parte ejuſdem diametri.* Et quamquam eum ſupplendi modum a vero propius abeſſe putarem: tamen malui IMAGINES ponere, tanquam vocem hominum reprehenſioni minus expoſitam: præſertim quod ne ſic quidem a podio diſcedimus, cum & COLVMNAS podii (quas & columellas dixerunt) interpretari ſit pronum, & IMAGINES ibidem diſpoſitas. Unam iſtarum imaginum Spartianus in Severo memorat: *Victoria*, inquit, *vento icta de podio ſtans decidit*.

ADDI. CVRAVIT) Curandi verbum a principis majeſtate ne alienum puta: nam nihil eo frequentius in imperatorum titulis operum publicorum occurrit.

CAP. III.

In poſtremas duas elogii lineas.

IMP. CAES. T. AELIVS. HADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. DEDICAVIT) Ita prorſus, nec aliter poſtremos hos verſus reſtitue. Vox enim PIVS quæ ultimo fragmenti verſu legitur, ut non HADRIANVS pater, qui *Pius* nunquam eſt appellatus, ſed filius ſit intelligendus, qui præter paterna nomina, quæ poſt adoptionem aſſumſit, inſcribitur præterea ANTONINVS. AVG. PIVS, quemadmodum ex omnibus ejus inſcriptionibus conſtat.

ANTONINVS) Ante adoptionem T. Aurelius Fulvius (an Fulvus?) Boionius Antoninus dicebatur, quorum nominum poſtremum tantum poſt adoptionem retinuit: nam illa *T. Ælius Hadrianus* ab adoptante accepit.

Antoninus olim Campaniæ conſularis. Poſtquam Hadrianus, teſte Spartiano cap. 22. *quatuor conſulares per Italiam judices conſtituit*: unus ex iis conſularibus aliquando Antoninus fuit, ut Capitolinus in hujus vita prodidit. Sed quam potiſſimum Italiæ partem ſibi creditam Antoninus habuerit, pulchre Salmaſius ex duobus inter ſeſe collatis Capitolini locis colligit. Nam primum de Antonino nondum principe cap. 2. ait: *Hic in omni vita privata in agris frequentiſſime vixit: ſed clarus in omnibus locis fuit. Ab Hadriano inter quatuor conſulares, quibus Italia committebatur, electus eſt ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum poſſidebat, ut Hadrianus viri talis & honori conſuleret & quieti.* Capite vero ſeptimo de eodem Antonino principatum jam adepto hæc habet: *Nec ullas expeditiones obiit, niſi quod ad agros ſuos profectus eſt ad Campaniam; dicens gravem eſſe provincialibus comitatum principis etiam nimis parci.* Ex quibus duobus locis invicem comparatis luculenter colligitur Antoninum Campaniæ noſtræ conſularem quondam ab Hadriano fuiſſe impoſitum: propterea quod in eam Italiæ partem regendam miſſum Capitolinus ait, ubi plurimum agrorum poſſidebat: agros autem in Campania Antoninum habuiſſe idem auctor affirmat.

PIVS) Primus imperatorum Antoninus hanc perhonoricam appellationem ſuo merito eſt conſecutus, quam poſtea Commodus, tum & aliæ generis humani peſtes affectarunt. Diverſæ cognomenti Pii cauſſæ. Cujus in Antonino appellationis alias alii cauſſas tradidere: ac fere omnes complexus eſt Capitolinus cap. 2. *Pius*, inquit, *cognominatus eſt a ſenatu, vel quod ſocerum feſſa jam ætate manu præſente ſenatu levaverit: (quod quidem non magnæ pietatis eſt argumentum, cum impius ſit magis qui iſta non faciat, quam pius qui debitum reddat) vel quod eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi juſſerat, reſervavit: vel quod Hadriano contra omnium ſtudia poſt mortem infinitos atque immenſos honores decrevit: vel quod cum ſe Hadrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit, ne id poſſet admittere: vel quod vere natura clementiſſimus, & nihil temporibus ſuis aſperum fecit.* Prope eadem apud Spartianum in Hadriano reperies: *Antoninus quidem*, ait cap. 24. *Pius idcirco appellatus dicitur, quod ſocerum feſſum ætate manu ſublevarit: quamvis alii cognomentum hoc ei dicant inditum, quod multos ſenatores Hadriano jam ſevienti eripuiſſet: alii, quod ipſi Hadriano magnos honores poſt mortem detuliſſet.* Qui iſti magni honores fuerint idem Spartianus in fine ejus vitæ declarat, ac primum conſecratio, quam contra nitente ſenatu impetravit, tum quod *templum*, inquit, *denique ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen* (quod εὐσέβεια, ideſt *Prælia* vocat Artemidorus 1328. & inſcriptio apud Grut. p. 314. nu. 1. ΕΥϹΕΒΕΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙϹ, & p. 254. appellatur Antoninus conſtitutor SACRI.CERTAMINIS. SELASTICI. ideſt εἰσελαστικῶ, de quo conſule Caſaubonum) *& flamines & ſodales* (HADRIANALES ſæpe in inſcriptionibus memoratos) *& multa alia quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent. Quare, ut ſupra dictum eſt, multi putant ob hæc Antoninum Pium dictum.* Sed Dio apud Xiphilinum eam tantum hujus appellationis cauſſam affert. *Quod initio principatus ſui multis reis factis, poſtulatiſque nonnullis nominatim ad ſupplicium, neminem punivit: non enim, inquit, ab his me rebus principatus exordium facere oportet.*

Quorſum hæc, inquies, tam multa de Pii appellatione huc comportata, quæ hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus fuiſſent potius relinquenda? Nimirum quia prorſus alia ejus nominis ratio mihi venerat in

mentem, quam modo ex inscriptione 23. A classis tertiæ apud Reinesium didiceram, quæ sic habet:

S. P. Q. R
IMP. CAESARI
T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. P. P
PONTIF. MAX. TRIB. POT. VI. COS. IIII
OPTIMO MAXIMOQ PRINCIPI
ET. CVM. SVMMA. BENIGNITATE
IVSTISSIMO
OB. INSIGNEM ERGA. CÆRIMONI B
AS. PVBLICAS CVRAM. AC
RELIGIONEM

Ob insignem cærimoniarum curam cum Numa collatus Antoninus.

In eam inscriptionem miror nihil a Reinesio notatum: cum tamen ex ea demum intelligamus cur Antoninus Numæ comparatus fuerit, nimirum OB. INSIGNEM. ERGA. CAERIMONIAS. PVBLICAS. CVRAM. AC RELIGIONEM. Et eandem rationem, cur Antoninus cum Numa conferretur, attulit Capitolinus in fine ejus vitæ, quam de hoc principe contexuit, in hunc modum: *Qui rite* (sed legendum *recte* ex Palatino codice) C *comparatur Numæ, cujus felicitatem PIETATEMQVE & securitatem CAEREMONIASQVE semper obtinuit*. Nam ceteros, qui eandem comparationem innuunt, nihil necesse habeo huc afferre (40). Verum illud potius tum ex inscriptione, tum recitatis Capitolini verbis conjiciebam ob eandem caussam, ob quam cum Numa visus est conferendus, fuisse etiam PIVM appellatum. *Pium*, inquit Nonius, *dicitur religiosum*.

Imo & Pius ob eandem caussam Pausania teste dictus.

Ac mihi sane videbatur hæc opinio singularis: D sed ecce nihil est quod Spanhemii diligentiam effugerit, qui in diss. de præst. & usu num. primæ editionis Romanæ (nam aliam non habeo) p. 263. inter hujus tituli caussas, quas profert in medium, hanc etiam ab ejus religione petitam non omisit, Pausaniæ auctoritate fretus, cujus verba proderit huc adscribere ex Arcadicis cap. 43. *Hunc*, inquit, (Antoninum) *Romani Pium cognomine appellarunt, propterea quod unus omnium religionum studiosissimus fuerit*. Græce est: *Διότι ἐς τὸ θεῖον τιμῇ μάλιστα ἐφαίνετο χρώμενος*. E Ac mihi quidem (quando nullum de his judicium fert ille acerrimus æstimator Tillemontius art. 4.) si detur optio, quam potissimum ex ejus appellationis caussis probarem, in Pausaniæ procul dubio sententiam concederem: quippe qui coævus Antonini fuit (nam Dio quidem haud paullo post, Spartianus vero & Capitolinus prope ducentis post Antoninum annis vixerunt) & Romæ versatus ista ignorare non potuit. F Accedit quod Spartianus & Capitolinus nihil de ea re affirmate dixerunt, nisi quod diversas de ea re hominum opiniones tradiderunt: contra vero Pausanias ita affirmate loquitur, nullum ut ambigendi locum relinquat. Quibus hoc etiam accedit, quod cum proxime

Cujus sententia potior.

Pausanias humanissimam quandam clementissimamque Antonini legem retulisset, nihil facilius ei fuisset, quam ob tantam clementiæ laudem, quam collegerat, Pii nomen consecutum subjungere: tamen ob religionum curam id ei nomen impositum statim subjecit, prorsus ut appareat quas ejus appellationis caussas posteriores biographi prodiderunt, eas Antoniniano sæculo fuisse penitus inauditas. Demum tum de Antonini *insigni cæremoniarum cura* inscriptio, quam supra posui, fidem facit, tum vero ob eam PIETATEM Numæ fuisse comparatum Capitolini modo recitata verba satis addocent: ac præterea habeo Antonini mediocris moduli nummum, cujus aversa parte instrumenta pontificalia, qualia postea in Aurelii Cæsaris, aut Maximi Cæsaris numismatis insculpta visuntur, quæ sine controversia ad Antonini Pietatem referuntur. Nam quamvis in hoc Antonini nummo nihil de PIETATE inscribitur, sed tantum TRIB. POT. COS. III. aliorum tamen ad eam imitationem postea cusorum ea est omnium epigraphe PIETAS. AVG.

Primo statim imperii anno eam appellationem est consecutus.

Illud fortasse incommodat, quod Antoninus quidem vel primo ipso principatus anno PIVS inscribitur: inscriptio vero, quam e Reinesio descripsimus, ad sextum ejusdem principis annum pertinet (ad quem etiam annum nummum modo descriptum, etsi tribunitiæ potestatis numerali nota destitutum, Reinesiani epigrammatis indicio, non incommode revocarim) ex quo intelligatur cæremoniarum curam ab Antonino susceptam nihil habuisse cum PII appellatione commune. Sed responderi potest, cum Antoninus per omnem ætatem religionis specimina præsetulisset, tum vero statim ut reip. gubernaculis adsedit, nihil antiquius habuisse, quam ut in religionibus, qua parte negligebantur, restituendis sui principatus primordia commendaret: atque ob eam caussam primo statim anno eam appellationem esse nactum: quam cum postea egregiis in ea re facinoribus præclare tueretur, hinc & inscriptionem ei postea positam, nummosque eadem significatione præterea signatos. Quanquam quod primo sui regni anno PIVM inscribi in nummis Antoninum Tillemontius art. 4 ex Spanhemio affirmat, tametsi tantorum ingeniorum vel auctoritas ipsa me frangit, tamen videndum an ob tribunitiæ potestatis numeralem notam omissam ad primum Antonini annum eos nummos Spanhemius revocarit: quæ ratio (nisi forte & COS. sine numerali nota legatur) nihil valet, uti vel ex eo numismate, quod modo descripsi, perspici potest, in quo & tribunitia potestas sine nota numerali ponitur, & tamen legitur COS. III. Sed cum Spanhemii spissius illud volumen ad manus non habeam, tacere præstat, quam temere aliquid affirmare: & nihil unquam habui antiquius, quam in viri tantopere in hisce rebus sub-

(40) Idem Capitolinus cap. 2. *Qui merito Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparatur*. Eutropius iisdem prope verbis: *Et qui merito Numæ Pompilio conferatur*. Sex. Aur. Victor, cum Antoninum *sine exemplo* vixisse dixisset, *quamvis*, inquit, *eum Numæ contulerit ætas sua*. Incertus auctor apud Suidam: *Ob similem regni administrationem dignissimus est habitus, qui Numæ conferretur, sicut Trajanus Romulo visus est exæquandus*.

acti judicio conquiescere. Quamvis autem inter Antonini nummos quos Angelonus affert, primum hanc præseferre epigraphen viderim: IMP. T. AELIVS. CAESAR. ANTONINVS. & in aversa parte: TRIB. POT. COS. ex quo appareat non ipso statim sui principatus initio eam appellationem nactum fuisse: tamen cum nec ibi Antoninus capite laureato exhibeatur, nec AVG. inscribatur (quam appellationem una cum Pii cognomento eodem tempore Antonino oblatam innuit Capitolinus) magis est ut is nummus ad extrema Hadriani tempora referatur, quando tribunitia potestas Antonino primum communicata fuit.

Quando refectum, & quando dedicatum amphitheatrum.

DEDICAVIT) Ex hoc quod amphitheatrum ab Hadriano restitutum Antoninus dedicavit, duo maxime consequimur, & sub extrema Hadriani tempora fuisse sive refectum sive exornatum, & sub Antonini initia dedicatum fuisse. Nam cum dedicare, ut paullo post ex Festo tradam, idem sit quod *usui dicare*: haud puto magnum temporis intervallum inter Hadriani opus & Antonini dedicationem intercessisse. Accedit quod locorum sacrorum dedicationes diu differre religioni sibi ethnici ducerent, quod ex Plinio didicimus IV. epist. I. *Cujus* (templi) *dedicationem, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est*. Non est ergo verisimile principem eum, qui a pietate nomen invenisset, Antoninum non primo quoque tempore ad hoc opus dedicandum prosiliisse. Fortasse etiam cum Hadrianus id, quod circa hanc molem aggressus erat, morte præventus non perfecisset, illud quodcunque fuit Antoninus & ad umbilicum perduxit, & insuper dedicavit. Ac multa sane, quæ affecta reliquerat Hadrianus, filius perfecit, testante Capitolino cap. 4. *Ad opera*, inquit, *Hadriani plurimum contulit*: id quod & ex Puteolano celebri marmore percipio ap. Grut. pag. 163. n. 9. ubi legitur: IMP. CAESAR... T. AELIVS. HADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. PONT MAX. TRIB POT. II.... OPVS. PILARVM. VI. MARIS. CONLAPSVM. A. DIVO. PATRE. SVO. PROMISSVM. RESTITVIT. Et Mediolani ap. Grut. p. 177. n. 4. est illa celeberrima inscriptio eodem Antonini anno posita, qua dicitur: AQVAEDVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS. (Mediolanum sic per ea tempora vocatum, quod studiorum teste Plinio IV. epist. 13. sedes esset, viri docti censuerunt: contra Tillemontius in Hadriano n. 21. de *Novis* in Delo *Athenis* indicio Gruterianæ inscriptionis p. 405. intelligit) COEPTVM. A. DIVO. HADRIANO. PATRE. SVO. CONSVMMAVIT. DEDICAVITQVE. Idem fortasse nostro amphitheatro evenerit, cujus refectionem sive exornationem a patre inceptam Antoninus ad exitum perduxerit, ipsumque demum dedicarit, idque sub initia principatus: nam & opus pilarum TRIB. POT. II. restituit.

In secessu Campaniensi dedicatio peracta.

Ut ut est: ad illud maxime tempus Campani amphitheatri dedicatio pertinet, cum Antoninus ad agros suos in Campaniam secessit. *Nec ullas*, ait Capitolinus cap. 7. *expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens gravem esse provincialibus comitatum principis etiam nimis parci*.

Opera omnia dedicabantur.

Nihil vero est quod de amphitheatri dedicatione mireris: nam non templa solum, sed & opera publica cujuscumque generis, nunquam non dedicabantur, ut passim ex inscriptionibus theatrorum, pontium ceterorumque ædificiorum constat. Ac ne ab amphitheatris discedam, exstat hæc apud Holstenium in notis ad Cluverium inscriptio:

M. SILIO. EPAPHRODITO. PATRONO
SEVIRVM. AVG.
MAGISTRO. IVVENVM. ITERVM. IVVENES
LVCOFERO
NENSES. PATRONO. OB. MERITA
QVOD. AMPHITHEATRVM
COL. IVL. FELICI. LVCOFER. S. P. F
DEDICAVITQVE. L. D. D. D.

Et vide interim quid inter Capuam Lucumque Feroniæ dignationis interesset: quod hujus amphitheatrum obscurus homo, ac libertinæ, quantum ex Græco cognomine conjicio, originis fecit dedicavitque (idemque de ceteris oppidis intelligi potest, quorum vix aliquod fuit, quod non parvum aliquod amphitheatrum haberet) cum interim Campanum ab Hadriano restitutum exornatumque, ab Antonino dedicatum fuerit. Olim & Capitolium Capuæ Tiberius dedicarat, teste Suetonio in ejus vita cap. 40. *Peragrata*, inquit, *Campania, cum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam caussam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit* (41).

Ludi in dedicatione exhibiti.

Ea dedicatione sumtuosissimos ludos ab Imperatore apparatos fuisse, tum gladiatorios, tum etiam & venationem, quæ duo maxime in amphitheatris spectabantur, ex iis quæ deinceps de dedicatione dicentur, prorsus necesse est: & erat Pius in eam voluptatem satis effusus. Quis scit

(41) Turbat nonnihil Tacitus IV. annal. 57. qui non Capitolium, sed Iovi templum a Tiberio tunc temporis Capuæ dedicatum narrat: *Tandem*, inquit, *Cæsar in Campaniam specie dedicandi templum apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere*. Sed commodum ex eo discimus, sicut omnia in coloniis principem urbem imitabantur, sic etiam in Campano Capitolio Iovis Tonantis eadem exstitisse. Imo sicut Romanum Capitolium sæpissime non tam pro colle, in quo Iovis ædes, quam pro ipsa æde accipitur: eadem notione Suetonius Capuæ Capitolium, idest Iovis ædem, a Tiberio dedicatum narrat. Adhæc sicuti Romano in Capitolio Iupiter, Iuno, & Minerva sub eodem laqueari eodemque tecto colebantur, sic etiam in Capitoliis extra Romam, ut alibi dicam. Nam semul hoc scito, urbes celeberrimas ad Romæ imitationem sua habuisse Capitolia. De Capitolio Ravennæ mentio est in Agnelli libro pontificali in vita S. Apollinaris. Aliarum quoque nobilissimarum urbium Capitolia memini legisse, quibus nunc requirendis supersedeo.

an non in hac amphitheatri dedicatione prope eadem ediderit munera, de quibus Capitolinus in Antonino c. 10.? ibi hæc ait: *Edita munera* (42), *in quibus elephantos & corocottas & strepsicerotas, crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones una missione edidit*.

Atque hic me admonet locus, ut de dedicatione, ejusque notatione ac ritu, quæ didici, paucis complectar: præsertim quod nemo hactenus eam tractationem susceperit præter Gutherium, qui in III. de vet. jur. pont. 11. & 12. non pauca de ea re dicere occupavit; quæ hic omitti satius erit, quam actum agi. Quare si quis Gutherii duo illa capita cum hac diatriba conjungere volet, justam universæ rei cognitionem facile assequetur.

DIATRIBA

De Dedicationibus.

I. *Vera dedicationis notio traditur*.

Dedicare nihil aliud esse, quam consecrare, plerique omnes persuasissimum habent, & solent Latini lexicographi id verbum hoc alio reddere καθιερόω. Et quanquam non inficior sæpissime ei verbo consecrationis, tanquam rei cum dedicatione plerunque conjunctæ, notionem inesse: imo quanquam non ignoro Græcos rei Romanæ scriptores, cum de templorum, theatrorum, balnearum, gymnasiorum & similium dedicatione narrant, non alio fere verbo quam ἱερόω aut καθιερόω latinum *dedico* reddidisse; plurimum tamen differunt: nam & consecratio (illa quidem certe, quæ in detestationem fiebat) sine dedicatione esse potest, & hæc vicissim sine consecratione. Locus poterat interdum sacer esse, in quo nihil erat alicui Deo dicatum, neque ara, neque signum, neque aliud quidpiam: veluti cum Scipio de consilii sententia Carthaginem consecravit, nulli ut liceret inibi ædificare, sive cum ædes aut quæcunque bona civis, quem pro hoste haberi vellent, alicui Deo senatus populique R. consensu, pontificumque collegio approbante consecrarent: id quod Hebræi חרם *hherem*, Græci vero ἀνάθεμα dixerunt. Quare hinc est quod C. Flavius Cn. F. uti auctor est Livius IX. 46. *Ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit*. In area illa Vulcano sacra neque signum neque ara neque templum Vulcani erat, alioqui nunquam ibi C. Flavius ædem Concordiæ dedicasset: erat tantum חרם sive ἀνάθεμα. Contra vero & dedicatio, illa proprie dicta, sine consecratione sæpenumero intelligebatur, veluti cum quis ædes suas recens exstructas dedicaret, cum Cicero *prædia in censum dedicare* dixit, & similia sane innumerabilia, in quibus *dedicare* quid sibi velit, statim copiosissime tradetur. Quanquam ergo sæpissime consecratio cum dedicatione conjungebatur, uti cum Clodius Ciceronis domum, tanquam improbi civis, a se consecratam Libertati insuper dedicavit: imo & templa consecrabantur eadem cæremoniis, & simul dedicabantur: tamen multum inter utrunque intererat, unde Cicero pro domo n. 48. *An*, inquit, *nullum habet jus, dedicatio est religiosa?* &c. Et poterat certe unum sine altero consistere: nam, ut statim docebo, dedicatio latius, quam consecratio patuit. Quin imo in templis ipsis, quæ & consecrata & dedicata eadem dicebantur: tamen aliud in iis consecrationem aliud dedicationem fuisse, infra demonstrabitur. Et delubri quidem, aut ejusmodi rerum consecratio quid sibi velit, jam omnes perspiciunt: dedicationi vero quæ subjecta sit notio porro exsequamur.

Inter consecrationem dedicationemque discrimina.

Ac nihil verius ea dedicationis definitione, quam obiter & aliud agens adhibuit Alexander Donatus in III. de urbe Roma cap. 7. ibi *Dedicare* hoc esse ait, *primo fabricæ usu publicæ aliquid splendidum ac magnificum exhibere ex iis, quorum gratia perfecta est*, uti in theatro dramata, gladiatores venationesque in amphitheatro, & cetera in eundem modum. Verissima definitio, quam ita demum potes etiam ad alia præter fabricas transferre, si dixeris *dedicare* idem esse quod usui dicare seu addicere: quod profecto Græci ἐγκαινίζειν, & sequior latinitas *encæniare* dixit, quo verbo hodieque in hoc Regno utimur, quoties novum aliquod vestimentum induimus, aut quidvis novi in usum convertimus. Ac præstat Augustinum ipsum de ea re loquentem audire in Joannem: *Quandocumque*, inquit, *novum aliquod fuerit dedicatum, encænia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur* &c. (43).

Quid dedicatio?

Vera dedicationis notio.

Verum ne sine via ac methodo vagetur oratio: hanc, quam posui dedicationis notionem primum ex principum linguarum consensu, tum & ex Latinis scriptoribus & monumentis ita me confirmaturum confido, nullus ut dubitationi locus relinquatur; & eadem opera spero me non paucis auctorum locis lucem eximiam allaturum.

(42) Aureo illo latinitatis sæculo munera de gladiatoribus dicebantur, venatio de bestiis: sed utrunque posterior ætas munus appellavit Apuleius IV. Miles. *Præter*, inquit, *ceteram speciosam muneris supellectilem, totis utrinque patrimonii viribus immanis ursæ comparabat numerum copiosum*. Augustinus lib. I. contra Acad. *Si te edentem munera ursorum*. Prosper Aquitanicus libro de promissionibus: *In munere habet Danielem sanctum leones non ferro, sed orationibus vincentem*. Verum quid necesse est e sequioris latinitatis scriptoribus haurire, cum tanto ante Martialis lib. de spectac. epigrammate 8. cujus est lemma *de feminarum pugna cum bestiis* dixisset.

Nam post tua MVNERA, Cæsar,
Hæc jam feminea vidimus acta manu.

Quid quod Marcilius commentario in eum librum p. 52. etiam ad scenicos *munus* transferri auctoritate Ciceronis, Vitruvii & Symmachi, quorum locos recitat?

(43) Hinc Ioannes de Ianua ex Papia ait: *Encæniare novum aliquid induere*. Epitaphium Aligerni Ab. Casinensis de monasterio Casinensi restituto:

Quod quia frustratum fuerat tam temporis, ille
Nisibus omnigenis enceniarat hians.

Ethelwerdus IV. 4. apud Cangium: *Enceniavit in Wintonia urbe arduam turrim*.

Dedicationis notio ex Hebræis.

Ac primum quod Hebræi חנך *bbanab*, ideſt *initiavit*, quodque Græci ἐγκαινίζειν, quod ad verbum eſt *innovare*, id Latini *dedicare* dixerunt. Deuter. XXI. 5. *Quis vir, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam?* (heb. חנכו *bbanacho*, hoc eſt *incboavit eam*, LXX. vero ἐνεκαίνισεν αὐτὴν) *vadat & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam*: ubi etiam idem verbum hebraice occurrit, idemq; græce: ſicuti etiam in libris Regum & Paralipomenon, ubi de Salomonici templi dedicatione agitur. Inde eſt חנכה *bbanucchab*, idem quod *initiatio*, quod hebraice tum in titulo pſ. 29. ſive 30. legitur, tum etiam Nehem. XII. 27. ubi noſter habet *in dedicatione muri Jeruſalem*; & LXX. ἐν ἐγκαινίοις τείχους. Etiam chaldaice apud Danielem cap. III. 2. לחנכת צלמא *labbanucchath tſalma*, ubi græce eſt εἰς τὰ ἐγκαίνια τῆς εἰκόνος, & latine, *ut convenirent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodonoſor rex*. Nec Hebræi ergo aliud habent dedicandi verbum, quam hoc quod initiationem ſignificat; nec in Græca translatione, aut N. T. aliud adhibetur, quam τὰ ἐγκαίνια, quaſi dicas *novalia*, aut etiam ἐγκαινισμός, quod legitur I. Mach. 4. Et Suidas ἐγκαίνια eſſe ait ἑορτὴν, καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τι: Euripidis vero Scholiaſtes ἑορτὴν τὴν ἐν ἐγκαινισμῷ.

Et Græcis

Et quanquam τὸ ἐγκαινίζειν & ἐγκαίνια apud LXX. fere tantum, & ſacros N. T. ſcriptores invenias, quia ad vim Hebræi vocabuli *bbanaach* explicandam illud adhibuerunt: tamen & ex Polluce exemplum τοῦ ἐγκαινίσαι affert H. St. in theſ. Et etiam apud Varinum Favorinum, qui omnia ex antiquis lexicis, & ſcholiaſtis accuratiſſime compilavit, reperio in hunc modum: Καινίσαι, καινῷ χρήσασθαι, & ἐγκαινίσαι: ubi pulchra ſe offert dedicationis, ſeu τοῦ ἐγκαινίσαι definitio, nempe καινῷ χρήσασθαι.

Dedicare olim idem quod dicere.

Venio jam ad Latinos, apud quos *dedicare* idem olim fuit, quod *dicere* (44). Quia vero in templorum ἐγκαινίοις conceptis verbis, quas quidem formulas apud Briſſonium invenies, utebantur: hinc antea putabam factum, ut quod Græci καθιεροῦν, id Latini *dedicare*, aut veteri dialecto *delicare*, ideſt, ut interpretabar, ſollemnia verba *dicere* appellarint. Sed re attentius penſitata, ſic ſtatui, *dedicare* non aliud eſſe, quam *dicare* ſeu *addicere uſui*: id quod Græci ἐγκαινίζειν dicebant. Quod ne forte nunc primum, ac de meo attuliſſe videar, Feſtus in primis auctor accedat: *Delicata*, inquit, *dicebant Diis conſecrata, quæ nunc dedicata* (45). *Unde adhuc manet delicatus, quaſi uſui* (ſic enim eſt in MSS. male autem in editis *luſui*) *dicatus*. Quo quid luculentius afferri poteſt? Et tamen cum illud VSVI, quod paſſim in MSS. legitur, quid ſibi vellet non intelligerent, promtiſſimo errore LVSVI in editis, uti dicebam, ſubſtituerunt; nec porro viderunt Feſtum de *dedicationis* etymo, non vero de iis, quos in deliciis haberent, locutum.

Dedicare ex Feſto eſt *uſui dicare*.

Eſt ergo, ut equidem ſtatuo, *dedicare* idem quod *dedicere*, ſi modo exſtat id verbum (46), ſeu auctore Feſto *uſui dicare*, ſive encæniare. Et quanquam vel unius

(44) *Dedicare* idem fuiſſe quod *dicere* teſtantur grammatici veteres Feſtus & Nonius: manetque etiamnum prope eadem ſignificatio in altero compoſito *prædico, prædicas*: imo ſimplex *dicare* & *dicere* alternant, & *dicere* [apud Nonium IV. 122.] eſt *dicare*. *Virg. lib. VI. Iunoni infernæ dictus ſacer*: & rurſus apud eundem Marcellum IV. 139. *Dicare* (eſt) *indicare, nuntiare. Lucillius libro XXX. ſic ubi ad aureis Fama tuam pugnam claram allatam* [legendum allata] *dicaſſet*. Sed redeo ad compoſitum *dedicare*, quod Feſto eſt *dicendo deferre*, & Nonio idem quod dicere. Inde eſt illud Cæcilii in primo annalium apud Nonium: *Legati quo miſſi ſunt veniunt, dedicant mandata*. Accius Alpheſiboea eadem ſignificatione adhibuit: & Lucretius, cujus exempla paulo poſt referam. Sed & *delicare* D. in L. abeunte eodem ſenſu dicebant. Titinnius apud Nonium: *Quid iſtuc eſt, aut iſte vult ſermo? mater delica*. Accius Achille: *Qua re alia ex crimine inimicorum effugere poſſis, delica*. Hodieque in optimis Plauti MSS. & editis libris Mil. III. I. 30. legitur: *Ita vero, ut tu ipſe me dixiſſe dedices*; ideſt dicas. Etiam aureo latini ſermonis ſæculo quandoque *dedicare* idem quod dicere aut affirmare fuit. Lucretius lib. I. 368.

At contra gravius plus in ſe corporum eſſe
Dedicat, & multo vacui minus intus habere.

Rurſus eodem libro v. 423.

Corpus enim per ſe communis dedicat eſſe
Senſus.

Iterumque lib. III. 209.

Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus,
Quam tenui conſtet textura &c.

Male his locis omnibus *deliquat* Fayus in ſua editione exhibuit: cum intelligam Pareum, cujus tamen lexicon Lucretianum ad manus non habui, *dedicandi* non *deliquandi* verbum ea notione apud poetam philoſophum agnoſcere: & jure merito, nam ſic quoque locutum Apulejum deprehendi in libro de habitud. doctrin. Plat. philoſ. lib. III. *Aliæ*, inquit, [propoſitiones] *dedicativæ ſunt, quod dedicant aliquid de quopiam, ut virtus bonum eſt: dedicat enim virtuti ineſſe bonitatem: aliæ abdicant abdicativæ, quæ aliquid de quopiam &c.* Ac toto eo libro non alius uſus eſt verbi *dedicandi*. Martianus quoque Capella initio dialecticæ dedicativas & abdicativas enunciationes memorat.

[45] Dauſquius ne tibi imponat, qui p. 44. inſcriptionem Romanam, quam affert Grut. p. 311. n. 6. ad iſta Feſti *delicata* ideſt *dedicata* trahit. Inſcriptio ſic habet: TEIAE. EVPHROSINES. RVFFINÆ. V. V. DELICATÆ. Hic autem non Ruffina virgo Veſtalis dicitur *delicata*, hoc eſt (uti Dauſquius interpretatur) *Diis dicata*, ſed Teia Euphroſine fuit *a deliciis* Ruffinæ virginis Veſtalis, cujus & liberta erat. Nihil frequentius iſtis *delicatis* in inſcriptionibus eo ſenſu, quem dixi, occurrit. Et ad hos delicatos referenda quoque mihi videtur inſcriptio nuper Romæ reperta, quam cum aliis elogiis libertorum Liviæ brevi edendam ſentio. Ea ſic habet.

AMIANTHVS. LIVIÆ
AD. VENEREM
LIV. HOMERI. L
DED. AMIANTHVS. L

Cujus epigrammatis expoſitio Romanos exercuit antiquarios, quemadmodum mihi vir eruditus Signatius Comus, qui de ejus ſignificatione tituli me nuper eſt ſciſcitatus, narrabat. Paucis rem expediam. Hæc enim demum videtur eſſe ſententia: LIVIÆ. HOMERI. (id eſt Homeridi, ſicut ISI pro Iſidi, SERAPI, OSIRI &c. in titulis ſæpe leguntur; & occurrit apud Grut. p. 86. 6. MALANIA. HOMERIDE, & ὁμηρίδαι quoque maſculino genere leguntur apud Harpocrationem & Suidam) Libertæ. DEDIT. AMIANTHVS. Libertus. (qui) AMIANTHVS. LIVIAE. AD. VENEREM. (hoc eſt delicatus) fuit.

(46.) Eruditiſſimus Facciolatus in Calepini lexico nunc tertium excuſo verbum *dedicere* agnoſcit, firmatque exemplo Accii Alpheſiboea: *Advereor, cum te eſſe Alcmæonis fratrem factis dedicat*. Sed fortaſſe non animadvertit Nonium IV. 121. a quo eum Accii locum habemus, referre ad *dedicare*, ut ſit indicativi modi: præſertim ſi illud *dedicat* ſit finis verſus jambici.

Festi auctoritas abunde sufficiat: non pauca tamen exempla scriptorum ad rem illustrandam adsciscam; quos vicissim, uti spero illustriores dimittam. Ac primum Paullus jurisconsultus *dedicare togam in funus* dixit pro eo quod est togæ novæ usum in funere inchoare: quam notionem quia nemo hactenus, quod sciam, animadvertit, necesse habeo verba legis afferre: est autem l. 19. de in rem verso: *Filius familias*, inquit Paullus, *togam emit: mortuo deinde eo, pater ignorans & putans suam esse, dedicavit eam in funus ejus. Neratius libro secundo responsorum ait, in rem patris versum videri*. Et hæc quæ recitavi, & quæ ibidem sequuntur, satis declarant *dedicare* ibi non esse solum *destinare* (quomodo Gothofredus in notis explicat) sed, quod Augustinus de tunica dixit, *encæniare*: & ceteroqui notissimus est ille veterum mos, quo non nisi togati efferebantur: Juvenalis satyr. III. vers. 172.

Dedicare togam in funus quid?

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus (47).

Ac miror Facciolatum virum doctissimum, qui Calepini lexicon accuratissime amplificavit, ut thesauri linguæ latinæ loco haberi possit, *dedicare in funus*, & *dedicare in sacrum* ita interpretari, quasi sit in funeris & sacri impensas insumere. Neutrum verum est. De toga in funus dedicata quæ modo diximus, satis quæ vis sit ejus locutionis ostendunt: dedicare vero in sacrum apud Cajum nihil est aliud quam consecrare, seu religioni obstringere (48).

Jam vero quo sensu Paullus dixit *in funus dedicare*, eodem, quanquam in re dissimili, Tullius ait, *in censum dedicare*. Locus is est in oratione pro L. Flacco n. 32. ubi cum in Decianum quendam inveheretur, qui in prædivitis mulierculæ bona invaserat, eaq; cum lustrum a censoribus conderetur, in censum detulerat, ait: *At hæc prædia etiam in censum dedicavisti, mitto quod aliena, mitto quod possessa per vim, mitto quod convicta ab Apollonidiensibus &c.* Ac bene Lips. III. var. lect. I.

Quid in censum dedicare.

(47.) In quem locum nescio quid nugatur vetus Scholiastes: *Togam*, inquit, *sumit, ut eam supra lectum mittant, dum mortuus effertur*. Atqui togam sumere, est induere. Et per ea tempora non in Italia solum sed & Romæ raro toga, sæpius lacernis utebantur: mortui tantum, inquit Satyricus, per Italiam togam sumebant.

Qui mos togatos sepeliendi constat & ex aliis scriptorum locis, quæ afferunt Lipsius I. Elector. 6. & ex eo Dempsterus in paralipomenis ad Rosin. lib. V. cap. 32. Sed ibi tamen dupliciter Dempsterus hallucinatur: ac primum, quod togam quam mortui induerent, pullam fuisse ait. Sed si vir doctus ad loca a Lipsio producta attendisset, albam, non pullam togam a mortuis indutam didicisset. Plutarchus de Romanis ait: *Mortui corpus ἀμφιεννύουσι λευκοῖς*. Artemidorus τὰ λευκὰ ἱμάτια mortem prænuntiare ait; διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι. Et vulgus civium sic efferebatur: nam magistratus, triumphales viri &c. quas vivi sive prætextas, sive purpureas, easdem & mortui gerebant. Illud, opinor, Dempstero fecit offucias, quod is, quem profert in medium, Martialis IX. 58. ait: *Nec pallens toga mortui tribulis*. Sed *pallens* ibi non significat togam pullam, sed sordidam & obsoletam: nec albæ opponitur, sed candidæ & cretatæ, qualibus ditiores utebantur, uti vel ex præcedentibus palam est:

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non ansæ veteres Corinthiorum, &c.
Nec pallens toga mortui tribulis.

Tribulis enim apud poetas sæpe tenuioris fortunæ hominem, & unum e multis significat. Eadem notione alibi Martialis:

Et tremulo vix accipienda tribuli:

Et Hor. I. epist. 13.

Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.

Quare omnes, cum efferebantur, togam eamque albi coloris induebant: & ditiores quidem candidam & recentem, inopes vero, quod candida non suppeteret, quod reliquum fuit, *pallentem* idest obsoletam usurpabant.

Quanquam & Casaubonus ad Suetonii Augustum cap. 40. togam sordidam cum pulla confusam contendit: sed vereor ut id satis probet. *Pullus* Græcis proprie φαιὸς dicitur, *sordidus* vero iisdem πιναρός. At Græci, inquit, quam Latini sordidam togam dixissent, φαιὰν interdum appellaverunt, uti Plutarchus in Cicerone de Milone reo μεταλαβεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντο. Quid tum? an non sicuti sordidam, sic etiam pulli coloris & αὐτοφυῆ usurpare rei potuissent? Id quidem vel Pollux ab ipsomet Casaubono prolatus docere possit, qui vel λευκὰ διαστιλβῆ vel φαιὰ aut μέλανα vestimenta iis attribuit. Plinius, inquit, VII. epist. 17. *sordidos pullatosque* conjunxit. At non synonymως, sed διαιρετικῶς ista Plinius quidem certe: nec ceteroqui video, cur plebeii, quos a lacernæ usu *pullatos* Plinius nuncupavit, idemque ob ceteras sordes non etiam *sordidi* recte sint appellati: non autem continuo *sordidus* idem quod *pullus*. Deinde quos Calpurnii versus Casaubonus affert, in iis *pulla vestis & pulla paupertas* non de toga obsoleta utentibus, sed de lacernatis (nam lacerna pulli seu nativi coloris fuit) dicitur, quos Augustus media cavea submovit, teste Suetonio cap. 44. *Sanxitque*, ait, *nequis PULLATORUM media cavea sederet*. Nam eadem notione *pullatos* hic Tranquillus accepit, quemadmodum paullo ante acceperat pro lacernatis. Venio enim demum ad Suetonii locum, de quo ibi commentatur Casaubonus: dabiturque opera, ut intelligas *pullatos* eo loco non sordida toga indutos, sed lacernatos esse accipiendos. *Ac visa*, inquit Suetonius Octavio cap. 40. *pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, en, ait,*

Romanos rerum dominos gentemque TOGATAM.

Ex usurpato Virgilii versiculo satis quidem percipitur, non sordes, sed genus vestis Augustum reprehendisse, quod lacernam, quæ pulli coloris fuit, pro toga induerent: idque e sequentibus fit illustrius, pergit enim: *Negotium*, inquit, *ædilibus dedit, nequem post hac paterentur in foro circove, nisi positis LACERNIS, TOGATUM consistere*.

Alterum, quod Dempsterus fallitur, est quod in recitata Paulli lege *dedicare togam in funus* esse ait *cadaver ea obvolvere*. Atqui non ea tantum vis est ejus verbi, sed valet togam novam in funere *encæniare*, ut Augustini verbo utar. Ex quibus profecto intelligitur, tantum abfuisse, quin mortui *toga lugubri sive pulla*, uti Dempsterus appellat, uterentur, ut potius toga nova, saltem a ditioribus, in funus dedicanda quæri consueverit: nimirum ut candidiore toga visendi efferrentur.

(48.) Lex est XII. tabularum, quam Cajus *lib. VI. ad leg. XII. tab.* refert [eaque est ex ult. de litigios.] in hunc modum: *Rem, de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare; alioquin dupli pœnam patimur; ne liceat eo modo duriorem adversarii conditionem facere. Sed duplum utrum fisco, an adversario præstandum sit nihil exprimitur* [in lege XII. tab. de qua commentatur] *fortassis autem magis adversario: ut id veluti solatium habeat pro eo quod potentiori adversario traditus sit*. Potentiori utique adversario traditus apposite dicitur, quia rem consecratam liberare multo difficilius fuit: eoque pertinet Ciceronis oratio pro domo sua, quam ab adversariis dedicatam Cicero vindicaturus eam orationem habuit. Quod ergo Cicero (ut Marcellum l. 12. de cur. fur. & Pomponium l. 12. de pactis, aliosque taceam) *dedicare* pro eo, quod est rem sacram facere aut religioni obstringere dixerunt, id Cajus ex lege XII. tabularum plena oratione dixit *rem in sacrum dedicare*.

in cen-

in censum reposuit, cum antea *in censu* legeretur; nisi quod *in censum dedicare* idem esse statuit, quod *in censum referre*: siculi etiam Manutius in commentario ad eum locum, quem tamen reprehendit Gronovius lib. IV. de pec. vet. cap. I. & jure merito, nam, uti multis ostendit, *deferre in censum* Quiritium erat, at *in censum referre* unius censoris proprium fuit. Ita ex Gronovii sententia *in censum dedicare*, idem est quod *in censum deferre* & profiteri. Recte quidem, sed penitiorem tamen ejus locutionis caussam vir doctus cum ceteris ignoravit. Atqui hic etiam dedicare idem prorsus est quod inchoare: tum enim vero rei alicujus possessio incipiebat, cum res illa in censum delata erat. Atque ea demum sunt prædiorum ἐγκαίνια. Idem prorsus loquendi genus adhibuerat P. Africanus oratione contra Ti Asellium apud Gellium VII. II. *Quanti*, inquit, *omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti*. Sic autem accusandi casu tum hic, tum apud Ciceronem, non vero *in censu* esse legendum, illæ, quas modo exponebamus, locutiones *in funus*, *in sacrum dedicare* prorsus evincunt. Demum Gronovius ibidem εὐστόχως sane & feliciter eandem locutionem in Ulpiano restituit l. 64. de adquir. rer. dom. Ibi in vulgatis legitur: *Quæ quisque aliena in censum deducit, nihilo magis ejus fiunt*. Sed *dedicat* scripsisse Ulpianum veteris elegantiæ non ignarum, ait Gronovius. Quam conjecturam certissimam puto, quod animadverterim ex ejus legis variantibus lectionibus *deducat* alios codices præseferre, uno variante elemento eoque permutabili, nam scimus duas eas litteras V & I in lapidibus & MSS. sæpissime permutari.

Ulpiano vetus scriptura asseritur.

Sed pergo jam scriptorum locos, quos quidem conquirere potuerim, in medium proferre. Suetonius de Augusto sic narrat: *Commissione ludorum*, *QUIBUS theatrum Marcelli DEDICABAT* (idest encæniabat) *evenit ut luxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus*. Præ ceteris non bonus ille quidem scribendi auctor, sed antiquitatis tamen affectator Apulejus vix aliter eo verbo usus videtur, cujus hæc interim loca reperi, Metam. IV. *Ut venationis suæ primitias bonus amicus videretur ornando muneri dedicasse*. Met. X. *Dies ecce muneri destinatus aderat... Ac dum ludicris scenicorum choreis primitiæ spectaculi dedicantur &c.* Annon vides *primitias muneris* (hoc est venationis, quo sensu munus sæpe accipit Apulejus) *dedicare* idem esse quod auspicari? Ad hæc Met. XI. de Isidis navi Isis ipsa sic loquitur: *Quo* (die) *sedatis hibernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus* (idest navigationis) *libant mei sacerdotes*. Ibi *rudem carinam dedicare* est novam nec dum mare expertam ponto committere, & usui addicere. Nec pauciora possem, si per otium liceret, e Tertulliano loca producere, veluti hoc quod mihi nuper in Scorpiaco cap. I. se obtulit de Paullo Melitam devecto: *Hoc modo*, inquit, *etiam ethnicis sæpe subvenimus, donati a Deo ea potestate* (de qua Marci XVI. 18. dicitur, serpentes tollent &c.) *quam Apostolus dedicavit* (idest qua primus omnium usus est) *cum morsum viperæ sprevit*. Quomodo *dedicare potestatem* dixit Tertullianus, sic & *magistratum dedicare*, idest inire dici consuevisse conjicio; nam & ejus contrarium *abdicare magistratum* usu tritissimum fuit. Illustre in primis illud quoque S. Cypriani est epist. 33. ubi de lectore tum primum sui ordinis munus auspicante ait: *Hoc die auspicatus est, dum dedicat lectionem*. Lampridius Elagabalo cap. 17. *Et lavacrum quidem Antonini Caracallus dedicaverat* (hoc est encæniaverat; nam sequitur) *& LAVANDO & POPULUM ADMITTENDO*. Nec obscuriora exempla apud posterioris ætatis scriptores; nam eadem notione in octava S. Stephani protomartyris a priscis usque Ecclesiæ sæculis (vide librum sacramentorum Greg. M.) quotannis hanc orationem damus: *Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum in B. Levitæ Stephani sanguine dedicasti &c.* Gesta Constantini M. apud Cangium: *Palatium usque ad perfectum fecit, quem non dedicavit*, idest eo uti non potuit. Quod eodem sensu hic dicitur, quo Latinus Bibliorum interpres Deut. XX. 5. domum recens ædificatam *dedicare* dixit, pro eo quod est encæniare. Atque hæc ex auctoribus satis.

Quid dedicare apud Apulejum.

Tertullianum.

Et Cyprianum.

Venio nunc ad inscriptiones, in quibus quidem rarius *consecrandi* (49), sæpissime *dedicandi* verbum occurrit: sed tamen certissimum habeo plerunque in iis *dedicationem* tantum pro ἐγκαινίοις adhiberi: quamvis non negem non raro etiam pro consecratione usurpari, eo quod res essent conjunctissimæ, eoque unum pro altero poneretur. Verum, uti dixi, sæpius dedicatio nihil præter encænia adsignificat: veluti quod apud Reinesium II. 89. dicitur nescio quis *theatrum & proscenium ludis scenicis biduo* DEDICasse *de sua pecunia*: idem ibi profecto DEDICAVIT, quod in usum traduxit; neque enim *biduo* res consecratur, nec *pecunia*. Item quod apud Grut. p. 12. nu. I. legitur: I. O. M. PRO. SALVTE. IMPP. L. SEPTIMI. SEVERI. ET. M. AVRELI. &c. M. FIRMI-

Eadem notione dedicare in lapidibus.

(49.) Non desunt tamen exempla in marmoribus, ubi propria *consecrandi* vox adhibetur. Itaque ap. Grut. p. 18. nu. 6. IOVI. OPTIMO. MAXIMO.. P. AELIVS... ARAM. CONSECRAVIT. Itemque p. 19. I. Rursus p. 28. 5. ARAM. CONSTITVIT. ET. CONSECRAVIT. Postremo p. 109. ARAM. CVM. BASE. CONSECR. Sed & apud Reinesium cl. 26. AEDEM. CVM. OMNI CVLTV. CONSECRAVIT. In Græcis epigrammatibus ΚΑΘΙΕΡΩΣΕ de templis, ΑΝΕΘΗΚΕ de aris, signis, clypeis ceterisque rebus, quæ collocatione aut suspensione dedicabantur, & alio transferri poterant, dici solet: Unde quod legitur apud Grut. p. 69. 8. TON. NAON. KAI. TON. ΒΩΜΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ob vicinius illud ΒΩΜΟΝ. negligenter, credo, sic positum fuit: nam ναῷ illud ΑΝΕΘΗΚΕΝ minus convenire videtur, quod est tamen τῷ Βώμῳ proprium, qui loco moveri potest. Cicero pro domo n. 46. *Simulacrum autem aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest*. Quo Tullii loco *dedicare* & *loco movere* ἀντιθέτως opinor, ponuntur. Nam dedicabatur, ut alibi ostendam, ara sive signum, cum supra suam basim ponebatur, cujus contrarium fuit *loco movere*.

DIVS . . . CONSECRAVIT. ITEM. DEDICAVIT : an non ea quantivis pretii epigraphe prope clamitat, inter consecrationem ac dedicationem, quanquam res conjunctissimas, interesse tamen plurimum, quod illa ritibus & conceptis formulis, hæc primo rei usu contineretur? Itemque in basi Interamnate apud Grut. p. 14. n. 16. I. O. M. MINATIA. ELPIS. DEDICAVIT. ET. CONSECRAVIT (50).

Atque ii quidem, qui *dedicare* nihil aliud esse volunt, quam καθιερῶν sive consecrare, vix alibi, quam cum de templis rebusque aliis sacris est sermo, suam sententiam tueri possunt. Contra vero ea, quam *dedicationi* subjecimus notionem, tam patet latissime, ut non templis solum, sed profanis omnibus rebus optime conveniat; quæ res profanæ cum dedicari dicuntur, nihil aliud significatur, quam eorum usum inchoari. Suetonius Nerone. *Ejusmodi domum, cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse.* Quo sane loco nonnisi primum domus usum dedicationis nomine licet intelligere: non enim domus consecrabantur, & consecratæ non erant amplius in domini sui censu, ut patet ex oratione Ciceronis pro domo. Nisi forte principis domum religiosam fuisse existimamus, quod a vero non abhorret. Sed alia suppetunt exempla rerum profanarum innumerabilia: veluti cum sermo est de dedicatione statuarum, non dicam imperatoribus, sed privatis hominibus positarum, nefas est de καθιερώσει tum cogitare. Sic apud Grut. p. 434. 1. statuæ, quæ L. Mæsio Rufo ejusque conjugi a Forosempronienſibus ponuntur, num religiosæ fuerunt? & tamen earum DEDICAT*ione Rufus. Epulum. dedit. decurionib. sing. H. S.* XXX. *sex. viris. et. augustalib. sing. H. S.* XII. *plebi. sing. H. S.* IIII. Inscriptio quoque Nepesina p. 441. 7. loquitur de DEDICATIONE. STATVAE. PATRONI. & sæpe alibi. Num quem cærimoniarum apparatum in hisce statuis dedicandis adhibitum putas? Atqui, si animum advertes, *dedicare* statuam nihil est aliud quam ἀνατιθέναι. Apulejus Met. VI. *Et depictam in tabula fugæ præsentis imaginem meæ domus atrio dedicabo:* idest ἀναθήσω seu suspendam. Tabulæ ergo suspensione dedicabantur, & dedicare statuam nihil aliud fuit, quam eandem in *loco dato decreto decurionum* (quod his singularibus litteris notabant L. D. D. D.) collocare, & encæniare. Atque eo refer Tullii locum pro domo n. 46. quo *dedicare* & *loco movere* ex adverso ponuntur, ut alibi dixi. Hinc etiam dedicatio bibliothecæ, aquæductus, pontis & similium nullam proprie, ni fallor, καθιέρωσιν adjunctam habuit, sed primum tantum rei usum designat. Certe nefas est arbitrari Christianos imperatores Valentinianum, Valentem, & Gratianum in pontium, quos DEDICARI. IVSSERVNT, uti Gruterianæ inscriptiones p. 160. n. 4. & 6. testantur, dedicationibus ullam ethnicam adhibuisse cærimoniam præter circenses, quibus pontium usus inchoari solebat, uti deinceps demonstrabo. Idem de altera epigraphe ap. Grut. p. 1080. nu. 10. cogitandum, ubi Valens & Gratianus PORTICVS. AREASQ. MACELLO. LIVIAE. AD. ORNATVM. VRBIS. SVAE. ADDI. DEDICARIQ. IVSSERVNT. Est & Veronæ inscriptio apud Grut. p. 166. n. 2. sub Gallieno principe posita, ubi dicuntur MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM. DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS. IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO. AVG. N. INSISTENTE. AVR. MARCELLINO. V. P. DVC. DVC. (idest Viro perfectissimo duce ducenario) CVRANTE. IVL. MARCELLINO. Qua in inscriptione *muros dedicare* non est aliud, quam eorum fabricam ad umbilicum perducere, & *usui dicare*. Huc enim pertinet illa sedula consignatio temporis, tum illius quo manus operi admota, (FABRICATI, inquit, idest cœpti EX. DIE. III. NON. APRILIVM) tum quo opus consummatum fuit: nam quod sequitur, DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS, tempus perfecti, atque usui dicati operis notat. Accedit quod Gallieni jussus, & utriusq; Marcellini instantia & curatio non alio quam ad fabricam tum inchoatam tum perfectam referuntur, non vero ad aliquem consecrationis ritum: & scimus ex legum voluminibus civitatum muros, non sacros fuisse, sed sanctos, hoc est sanctione inviolabiles. Adde & hoc loquendi genus, *sua pecunia dedicare*, quod certe non potest de καθιερώσει intelligi, (quid enim habet pecunia cum consecratione commune?) sed tantum de operis consummatione, quam statim ejusdem usus consequitur. Eam locutionem deprehendi apud Reinesium cl. 1. nu. 179. STAT. EX. AERE S. P. DEDICARVNT. iterumque eadem classe nu. 300. GENIO. CENTVRIAE. &c SIGN. AEN. SVA. PEC. DEDICAVERVNT. Et cl. 2. n. 89.

Demum in his tertii aut quarti sæculi inscriptionibus sine ulla controversia DEDICARE est usum ædificii inchoare. Apud Grut. p. 178. 4. *Constantius & Maximianus invicti Augg. Severus & Maximianus Cæss. thermas ornaver.* ET. *ROMANIS. SVIS. DEDICAVER.* hoc est in Romanorum usum encæniaverunt. Et ne forte putes *dedicandi* verbum pro καθιερώσει positum: en ut eadem pag. num. 7. *consecratio* a *dedicatione* sedulo distinguitur. *D. D. NN. Diocletianus & Maximianus invicti seniores Augusti patres Imperatorum & Cæsarum: Constantius & Maximianus invicti Augg. & Severus & Maximianus* (legendum Maximinus) *nobiliss. Cæsares thermas felices Diocletiani Aug. fratris sui nomine CONSECRAV. cœptis ædificiis pro tanti operis magnitudine omni cultu perfectas ROMANIS. SVIS. DEDICAV.* Vides ut accurate *con*...

Quid dedicare domum.

Aut statuam.

Dedicare pontes.

Aut muros quid sibi velit.

Quid *sua pecunia dedicare*.

Eodem sensu *dedicare* in posterioris ætatis titulis.

[50.] Ὕστερον πρότερον, cum dici potius debuisset CONSECRAVIT. ET. DEDICAVIT. prius res sacrabatur, tum demum usui dicabatur. Tamen fieri potuit, ut interdum sive per negligentiam consecratio rem usu inchoatam subsequeretur, sive fortasse verius, si quando consecratio neglecta fuisset, usu jam sacrata putabatur.

ſecratio a *dedicatione* diſtinguitur, ne forte unius ejuſdemque rei ſynonyma fuiſſe putes. Et hinc facile ſupplebitur inſcriptio pag. 179.1. *Thermas felices Diocletiano cœptas &c. numini ejus conſecrarunt:* ſupplenda porro quæ deſunt*: & Romanis ſuis dedicaverunt.*

Quanquam vero ex iis auctorum & inſcriptionum locis, quos non mediocri luce perfudimus, ſatis intelligi poteſt, non ſine operæ pretio me tamdiu in ea dedicationis notione verſari: tamen quid ſollemnis illa formula ſibi velit, quæ in Lugdunenſibus, aliiſque per Gallias ſaxis occurrit, *monumentum ſub aſcia dedicare*, quæ nemini ad hunc uſque diem intellecta, viris doctiſſimis crucem fixit, age videamus; & an tradita dedicationis notio tam late pateat, quam initio polliciti ſumus, porro experiamur. Et ceterorum quidem ſententias (an nugaciſſimas nugas?) tum numerare difficile, tum re cocta crambe id putidius fuerit. Adeat, ſi cui eſt otium, eos qui leges XII. tabularum explicuerunt, ad eam legem *rogum aſciane polito*, tum & Gutherium de jure Manium II. 28. Sponium in antiquitatibus Lugd. ac Fabrettum in vol. inſcr. a p. 203. ad 206. & alios. Omnes vero ſententiæ in eo fere verſantur, ut aut ſepulcri modeſtiam ea clauſula commendari, aut contra magnificentiam arbitrentur, ac fere reſpici putent ad eam legem XII. tab. *rogum aſcia ne polito*, cum tamen nihil monumentum cum rogo commune habuerit, ac nihil etiam aſcia, qua ligna dolantur, cum aſcia fabrorum cæmentariorum de qua hic ſermo. Quare deſinant aliquando legem illam in præſidium adſciſcere, præſertim cum illa aſciæ uſum vetet, quem iſta formula ſepulcralis admittit. Reineſius ad cl. XII. n. 34. ab aliis diverſus abiens tantum non acu rem tetigit: *ſignificarunt autem ea* (formula) inquit, *ſe marmorariis, quorum aſcia & dolabra λαξευτικὰ ὄργανα, faciendum locaſſe, hoc eſt ab inchoato opus curaſſe.* Quæ Reineſii ſententia quid quæſo commeruit, quamobrem acriore cenſura a Fabretto perſtringeretur? Et veriſimiliora certe Reineſius paucis verbis, quam Urbinas ille totis chartis ediſſerit. Quanquam quod eo ſenſu formulam illam accipi Fabrettus jubet, quaſi vero ſepulcri mediocritas commendetur, quod unius aſciæ ope, qua calx ſubigitur, ſine ullo λαξευτικῷ inſtrumento fuerit exſtructum, nihil novi affert, idque jampridem Gutherius in II. de jure Manium 28. diſertiſſime tradiderat, ubi *dedicare ſub aſcia* hoc demum ſignificare ſtatuit, *opere tectorio marmorato vel albario ſepulcra exornare.*

Sub aſcia dedicare quid ſignificet.

Jam vero quod negat aſciam λαξευτικόν, ſive lapicidarum fuiſſe inſtrumentum, ac non niſi lignariam aut calcariam aſciam inveniri pertendit, nihil agit: & vel ipſa aſciæ figura, quæ in Salſoniæ monumento, de quo ibi Fabrettus commentatur, & alibi viſitur in hunc modum,  virum doctum monere potuiſſet, neque ad dolandam materiam, neque ad macerandam calcem illud inſtrumentum uſui eſſe potuiſſe, ſed unice ad lapides excidendos poliendoſque: quippe cum ſecuriculæ potius ſpeciem oculis exhibeat, quam lignariam aut calcariam aſciam, quarum utramque recurvam, perinde ut hodieque adhibentur, fuiſſe oportuit. Et poſſum non paucis argumentis evincere, aſciam, de qua monumenta loquuntur, fuiſſe λαξευτικήν, quæ compendifacturus, contuli in ſubjacentem notam (51).

Quid aſcia hic.

Jam vero quæ noſtra interpretatio ſit, aperire præſtat, quam in aliis refellendis tempus terere. *Dedicare* in his monumentis cave putes conſecrandi, id quod ſibi nonnulli perſuaſerunt, ſignificatione poſitum: nec eſt ſecundum Reineſium *ab inchoato opus curare:* nec demum quidvis aliud: verum ſecundum ſemel traditam ejus verbi notionem nihil aliud iſtic eſt *dedicare*, quam uſum monumenti illato cadavere inchoare, ſive encæniare, quemadmodum tot jam auctorum locis fidem feci: *dedicare* vero *ſub aſcia* idem prorſus eſt, quod in ſepulcrum recens exſtructum cadaver inferre, &, ut Feſti verbum adhibeam, *uſui dicare*: ſive, ſi forte mavis, monumentum encæniare antequam fuerit perfectum; dumque adhuc fabrorum cæmentariorum, qui per aſciam deſignantur, fervet opus, mortuum illic collocare. In hac enim formula *aſcia* pro ipſo ædificationis opere ponitur, & particula *ſub* poteſt ſignificare vel *ſtatim poſt*, vel *in ipſo ædificandi actu*. Ut ſemel dicam, hoc innuere ea clauſula voluerunt, non eſſe illatum cadaver in alias ſive emtum ſive ex-

Verus ejus formulæ ſenſus.

(51.) Nam certe aſcia, cujus in monumentis mentio exiſtit, etiam fatente Fabretto, non eſt lignaria, qua materia dolatur. Super eſt ergo ut ſit illa altera ad calcem ſubigendam compoſita. Atqui iſtius aſciæ multo longius erat manubrium, præut illud eſt quod in lapidibus inſculpi ſolet. Aliud ergo eſſe non potuit quam aſcia quæpiam λαξευτική. Scio objicere Fabrettum, aſciæ lapidariæ nuſquam apud auctores fieri mentionem. Atqui fit ejus mentio in ſexcentis monumentis, quibus illa formula adhibetur, & inſuper aſcia interdum ſcalpitur, quæ non poteſt eſſe niſi lapicidarum, quæ & fabricatorum eadem quoque fuit, quippe cum in omni fabrica ſive reticulati, ſive incerti operis permultum ejus inſtrumenti uſum fuiſſe oportuerit ad lapides complanandos: cum contra illa altera non ad muros exſtruendos, neque ad tectorium inducendum, ſed tantum ad calcem ſubigendam uſui eſſet. Sed miſſis inſcriptionibus, ſi ſcriptorum judicio rem tranſigi mavis, ecce Pſalmorum interpres Hieronymo haud paullo antiquior, & alterius ſaltem ſæculi auctor, id quod Pſ. 74. ver. 6. apud LXX. legitur, ἐν πελέκει καὶ λαξευτηρίῳ κατέῤῥαξαν αὐτήν, ſic eſt interpretatus, *in ſecuri & aſcia dejecerunt eum*. An non intelligis aſciam λαξευτικὸν quoque inſtrumentum fuiſſe, imo & huic Græco vocabulo λαξευτήριον reſpondiſſe? Et ſcimus Heſychium λαξευτήριον ſic exponere, ut ſit λιθοτόμον σιδήριον. Nam quod Græci poſteriores aſtrologiæ libros λαξευτήριον ex uſu linguæ Perſicæ inſcripſerunt, uti ex Cangii Græco gloſſario licet intelligere: id perinde factum puto, quemadmodum Ariſtotelis logica Organum fuit appellatum. Verum hoc obiter. Altera vox, qua Græci aſciam exprimerent, fuit ἀξίνη, [unde & *aſcia* nomen invenit, Aeolum more qui pro ξένος dicebant σκένος, & alia in eundem modum] quæ & ſecurim & aſciam æque ſignificat, eo quod fuiſſent figura ſimiles (id quod ex aſciæ forma in monumentis perſpicitur) imo & officio: nam ἀξίνη ab ἄγνυμι venit, cujus futurum ἄξω, quoniam ad frangendum lapides tam ſecuris, quam aſcia comparata fuit. Atque hæc quidem veriſſima eſt aſciæ illius, quæ in monumentis nominatur atque inſculpitur, ſignificatio: quam non eo pluribus confirmavi, quod ea magnopere indigerem (nam modo fabricatorum fuiſſe inſtrumentum conveniat, ceterum λαξευτική ne an calcaria ſit aſcia intelligenda, mea nihil intereſt) ſed ut Reineſium ab injuſta reprehenſione vindicarem.

ſtructum monumentum, ſed in ſepulcrum tum primum data opera & ad eum finem ædificatum, ut is mortuus, cui memoria ponitur, eo inferretur (52); conjungitur enim ſemper cum illa formula hæc altera *monumentum facere* aut *ponere* in hunc modum: *ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνα* PONI. CVRAVIT. aut FACIENDVM. CVRAVIT. ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT. Accedit quod apud Gruterum p. 339. nu. 4. *ſarcophago condere*, & *ſub aſcia dedicare*, junguntur hoc modo: MEMMIA. CASSIANA. CONIVNX. (maritum ſuum paullo antea nominatum) SARCOFAGO. CONDIDIT. ET. S. A. D. hoc eſt *ſub aſcia dedicavit* monumentum. Nec vacat inſcriptiones percurrere, quibus ea clauſula adhibetur, propterea quod de hoc commentario vere hoc mihi videor eſſe dicturus eum SVB ASCIA DEDICARI: ita raptim & adhuc atramento madens prælo committitur. Quo dabitur, ſpero, venia toto hoc opuſculo ſecus fortaſſe dictorum, ac viri docti ſint judicaturi, quorum ſententiæ lubens ſubſcribam.

Ac de dedicationis notione latiſſime illa quidem patente, hæc habui dicere. Ex quibus plane intelligimus, non templa ſolum aliaque religionem ſpectantia fuiſſe dedicata, ſed & profana loca tum publica, tum privata, uti domos, bibliothecas, ſcholas, monumenta; quinimo & veſtimenta, & nihil non eo ſenſu dedicatum fuiſſe.

II. *Templorum & publicorum operum dedicatio ad quem pertineret.*

Jacobus Gutherius in III. de vet. jur. pont. 12. ab antiquis uſque temporibus quoſdam *duumviros ædis locandæ faciundæ dedicandæ* adſtruit: eumque duumviratum aliquamdiu intermiſſum poſtea repetitum affirmat. Sed fruſtra eſt in exemplis afferendis, quæ id tantum probant, fuiſſe quoſdam duumviros ædis locandæ faciundæ: nam duumviros ædis dedicandæ prorſus inauditos reor; & uni, puto, non duobus, negotium dabatur, ut dedicationi præeſſet. Ne illud quidem, quod apud Livium libro altero, cap. 42. legitur, Gutherium juvat: *Caſtoris*, inquit Livius, *ædes eodem anno idibus Quintilibus dedicata eſt. Vota erat Latino bello & Poſtumio dictatore. Filius ejus duumvir ad id ipſum creatus dedicavit*. Nam Patavini verba *ad id ipſum creatus* non ad *dedicavit*, quod proxime ſequitur, referenda cenſeo, ſed quod creatus unus ex duumviris fuiſſet ædis locandæ faciendæ; viſum fuit ut unus ex iis duumviris, qui filius ejus eſſet qui voverat, dedicaret. At enim Gutherius cap. 13. ejuſdem libri in veteri marmore duumviratum ædis dedicandæ ſibi reperiſſe videtur. Ea eſt inſcriptio Caſinas apud Grut. p. 100. 8. in hunc maxime modum;

Duumviri ædis dedicandæ exploſi.

M. PAPIVS. M. F. L. MARTIVS. L. F.
DVO. VIRI. I. D.
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT &c.
. . . . CN. DOMIT. C. ASINIO. COS

Quo in epigrammate labitur pueriliter Gutherius, quod illas alterius lineæ ſingularias I. D. ſpreta eorum non minus inſulſa interpretatione, qui exponerent *juſſu Dei*, ita demum interpretatur, *juſſi dedicare*. Tamne hoſpes in priſcis marmoribus quiſquam, nihil ut de *duoviris juri dicundo* inaudiverit? Verum quod de ambobus numero multitudinis dicitur DEDICARVNT, compendii id cauſſa factum, ut utrique non modo curatio ſed & dedicatio tribueretur, cum uterque quidem curaſſet, ſed revera alter tantum eorum ſuo & alterius nomine dedicaſſet: quemadmodum ſæpe in Evangeliis & Actis, ut V.T. omittam, plures aliquem ſermonem habuiſſe dicuntur, cum reipſa ab uno dumtaxat ex iis ceterorum nomine eam orationem haberi oportuerit. Ita, opinor, iſta epigraphe capienda: neque inſolens in inſcriptionibus illud eſt, rem quampiam ſuo & aliorum nomine ab uno aliquo dedicatam. Plinius v. epiſt. 12. *Cognovi ſpecioſiſſimam te porticum ſub tuo filiique tui nomine dedicaſſe*. Fortaſſis tamen ſigni dedicatio (quæ ut alibi notatum, ejuſdem collocationem ſignificat) a duobus peragi potuit (53).

Sed commentitiis illis ædis dedicandæ duumviris valere juſſis, ſcimus olim ſtan-

Jus præficiendi qui dedicaret olim apud populum.

(52.) Secundum hanc illius formulæ notionem, Joſeph Chriſti Servatoris cadavere in novum monumentum illato illud indubie *dedicaſſe* dicetur: imo cum illud monumentum Lucæ XXIII. 53. *λαξευτὸν* dicatur, quaſi ſi dicas *aſciatum*, ſive aſciæ ope exciſum, etiam *ſub aſcia dedicaſſe* fortaſſe dicetur. Verum cum illud ſepulcrum non recens exſtructum fuerit, nec in eum finem, ut ibi Servator conderetur: non belle ibi quadrat hæc clauſula *ſub aſcia dedicavit*.

(53.) Neque vero in ea ſolum inſcriptione, quam cum Gutherio recitavi, ſed & in aliis haud ita paucis binos aut plures dedicaſſe deprehendi. Apud Grut. inſcriptio Spoletina p. 3. n. 9. *I. O. M. &c. . . M. Gellius Stephanus jun. cum Stephano patre domu Terʒina ex diruzion. reſtit.* DEDICARVNTQ. & p. 100. n. 10. Agrigentina epigraphe hujuſmodi: *Concordiæ Agrigentinorum ſacrum reſpublica Lilybætanorum* DEDICANTIBVS *M. Haterio Candido procos. & L. Cornelio Marcello Q. PR. PR.* Itemque p. 103. 6. in Delmatia: *Victoriæ Aug. NN. &c. dedicante Egnatio Victore Leg. Aug. PR. PR. & Cl. Piſone &c.* Et ne forte excipias Romæ quidem obtinuiſſe, ut uni dedicandi munus demandaretur, non item extra Romam (quod conſtet ex Plinii epiſt. ad Trajanum in provinciis non eoſdem dedicandi ritus obſervatos, ac Romæ) ecce tibi Romanam epigraphen apud Grut. p. 307. n. 8. in qua de duobus dicitur. DE. SVO. D. D. IDEM. DEDICARVNT. Et Romana quoque illa eſt, quam Reineſius cl. 1. nu. 279. refert, qua duo STAT. EX. AERE. S. P. DEDICARVNT. Itemque Romana, quam idem 1. 300.

te rep. populi jussu, aut plebiscito debuisse præfici, qui dedicaret. Istud quidem & ex Ciceronis epistola ad Att. IV. 2. constat, ubi ait: *Si neque populi jussu, neque plebis scitu is qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset, neque populi jussu, aut plebis scitu id facere jussus esset: videri posse sine religione eam partem areæ mi restitui*: & ex oratione pro domo sua n. 53. legitur, L. Cassio censore de signo Concordiæ dedicando ad collegium referente, *Ei M. Æmilium Pont. Max. pro collegio respondisse, nisi eum populus R. nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri ea recte posse dedicari. At senatus consecratam aram tollendam ex auctoritate pontificum censuit, &c.* Verum hoc aliis jam notatum.

Postea ad imperatores translatum.

Sub Imperatoribus postquam lege regia populi potestas ad principem translata fuit, princeps solus dedicare poterat, vel is etiam, cui dedicandi fecisset potestatem: id quod modo ex Ulpiano l. 9. de rer. divis. cum didicerim, non gravabor eam legem fere totam huc adscribere, propterea quod alia quædam præterea complectitur ad id argumentum spectantia: *Sacra loca ea sunt, quæ publice dedicata sunt, sive in civitate, sive in agro. Sciendum est, locum publicum tum sacrum fieri posse, cum princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem. Illud notandum est aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium: Sacer locus est locus consecratus: Sacrarium est locus, in quo sacra ponuntur, quod etiam in ædificio privato esse potest. Et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare.* Tum transit ad sancta, de quibus ait: *Proprie dicimus sancta, quæ nec sacra nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut leges sanctæ sunt, sanctione enim quadam subnixæ sunt.* Ac demum nonnullis interjectis: *Res sacra non recipit æstimationem.* Ex his percipimus, ad principem proprie pertinuisse *publice dedicare*. Hinc sæpe apud scriptores legimus, imperatores Roma profectos ad aliquid dedicandum, uti cum Tiberius Capreas secessurus, eam caussam suæ profectioni prætexuit, ut Capuæ Capitolium, Nolæ Augusti templum dedicaret. Et ex nostri amphitheatri titulo discimus, illud ab Antonino dedicatum, ut sexcenta alia hujusmodi dedicationum extra Romam exempla reticeam.

Quorum nomine alii quandoque dedicabant.

Nonnunquam tamen, ut ex eodem jurisconsulto didicimus, princeps alteri cuipiam dedicandi potestatem dabat: tum vero cave putes illum suo nomine dedicasse; nam Imperatoris nomine tum etiam dedicatio peragebatur: cujus rei certissimam fidem facio in hunc modum. Inscriptio Mediolani est apud Gruterum p. 177. num. 4. qua de Antonino dicitur: AQVAEDVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS (idest Mediolano sive potius in Delo insula, uti alibi dictum fuit.) COEPTVM. A. DIVO. HADRIANO. PATRE SVO. CONSVMMAVIT. DEDICAVITQ. Atqui Antoninus, teste Capitolino cap. 7. *nec ullas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, gravem esse provincialibus comitatum principis etiam nimis parci.* Non ergo ipse per sese Antoninus aquæductum illum dedicavit, sed alius quispiam imperatoris nomine. Sed tamen idem imperator (ut obiter admoneam) Campanum amphitheatrum ipse per sese, uti prorsus mihi persuadeo, dedicavit: propterea quod scimus ex eodem Capitolino in Campaniam ad suos agros eum secessisse.

Metropolitanæ Ecclesiæ Campanæ dedicatio.

Quod dedicationes per alios imperatoris nomine sæpe peractas diximus, idem nuper (si profanis gentium ritibus sacrosanctas Ecclesiæ cæremonias conferre licet) in Metropolitanæ Ecclesiæ Campanæ dedicatione factum. Nam cum amplissimus & immortalis memoriæ Cardinalis NICOLAVS CARACCIOLVS, qui quartum jam hunc & vicesimum annum in Metropolitana hac cathedra sanctissime adsidet, suam Ecclesiam non modo ab inchoato restituisset, sed & laxius ampliasset, exornassetque magnificentissime: hoc unum restabat, ut ab illo pastoralis vigilantiæ specimine singulari FR. VINCENTIO MARIA. CARD. VRSINO, qui tunc temporis Beneventanam Campanæ conjunctissimam planeque germanam Ecclesiam sanctissimis institutis moderabatur, sollemnibus cæremoniis, quod jamdiu promiserat, dedicaretur. Qui tamen interea temporis summa omnium gratulatione, Romanæ Ecclesiæ hoc est omnium J. C. Ecclesiarum gubernaculis admotus, cum gravioribus curis distentus iter aggredi, atque ipse per sese eam consecrationem transigere haud facile posset, ut fidem tamen liberaret, pulcherrimo excogitato MVNDILLAM VRSINVM Episcopum Melphitanum Archiepiscopum Corinthium fratris filium, sed sanctioris disciplinæ cognatione sibi multo devinctiorem, misit, qui veluti procuratorio nomine eam functionem obiret. Ut jure in eo sibi Campani placeant, quod eam dedicationem non tam Mundillæ Ursino, quam BENEDICTO. XIII. nunquam interituri nominis PONTIFICI MAX. adscribendam putent, & in Ecclesiæ tabulariis consignandam. Quod tamen, sicut & cetera eximia ornamenta, quæ ex ejusdem clementissimi PONTIFICIS munificentia nuper in nos redundarunt, non alii profecto, quam NICOLAI CARD. CARACCIOLI veteri cum illo necessitudini accepta referimus: & tantis nominibus BENEDICTO & NICOLAO auspicatissima omnia ex animo adprecamur. Et quoniam huc sermone progressi sumus, sicuti a Romanis imperatoribus longa sæpe itinera fuisse suscepta dicebam ad ædem aut opus aliquod dedicandum:

producit, qua tres SIGN. AEN. SVA. PEC. DEDECAVERVNT.

Sed in recitatis elogiis *dedicare* non idem, quod *consecrare*, (quod, ni fallor, uni demandabatur) sed idem quod ἐγκαινίζειν, uti toties admonuimus: & in Reinesianis postremo loco productis illud SVA. PEC. magno est indicio non de καθιερώσει sed de signi collocatione & liberalitate aliqua in eo dedicando idest collocando exhibita, esse sermonem: id quod luculentissime constat ex 89. classis alterius Reinesianæ, ubi plures quoque *dedicasse sua pecunia* theatrum dicuntur, sed non aliter dedicasse quam scenicis ludis THEATRVM, ait inscriptio, ET. PROSCENIVM. REFECERE. LVDIS. SCENICIS. BIDVO. DEDICAR. D. S. P.

eundem morem, olim quidem a ſummis Pontificibus ſæpiſſime obſervatum, poſtea jamdiu intermiſſum, idem BENEDICTVS XIII. revocavit: quem jam, vere ineunte, Beneventum ad ædem S. Philippi Nerii dedicandam advolaturum auditur. Per eam vero occaſionem in itu aut reditu ſacri Campani cimeliarchii aram ab eodem conſecratum iri nuntiatur: nimirum enim nihil ſibi reliquum facit clementiſſimus PONTIFEX, undecunque novus Campanæ metropoli ſplendor ac dignitas poſſit accedere.

Pr nc.pi opera in- ſ. b .an- tur: niſi ſi quis ſua pecunia feciſſet.

Quiſquis igitur procuratorio nomine pro imperatore dedicabat, non ſuum, ſed principis nomen titulo inſcribebat, uti ex Novarum Athenarum aquæductu modo collegimus. Quibuſdam tamen poteſtas fiebat ſuo, non imperatoris nomine dedicandi, & uti ſuum, non vero imperatoris nomen inſcriberent: quæ quidem poteſtas iis plurimum dabatur, qui ſua pecunia aliquid feciſſent: id quod colligo ex inſcriptione, quam ſupra ex Holſtenio protuli, quæ M. SILIO. EPAPHRODITO poſita fuit propterea, QVOD. AMPHITHEATRVM COL. IVL. FELICI. LVCOFER. S. P. F. DEDICAVITQ. L. D. D. D Quanquam autem quatuor illæ ſingulares litteræ, hoc eſt *locus datus decreto decurionum*, notant, eum non fuiſſe amphitheatri titulum, ſed ſtatuæ, credo, ſubſcriptionem tamen in amphitheatri illius epigrammate fuiſſe M. Silii Epaphroditi nomen adſcriptum, mihi perſuadeo, aliorum titulorum indicio, quibus ejus, qui ſua pecunia feciſſet dedicaſſetque, nomen adſcribitur: ſicuti Neapoli in templi Caſtorum epigraphe (quod pulcherrimum opus jampridem me puero corruit) de illo Tiberii liberto legebatur: ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ ideſt ſua pecunia perfectum conſecravit.

Quanta olim dedicandi ambitio.

Ceterum libera republica idcirco tanto ambitu templorum dedicationibus inhiabant, quod dedicanti tribueretur, uti nomen ſuum inſcriberet, etiamſi alius ædificaſſet. De M. Horatio Pulvillo Dionyſius lib. v. *Dedicationem atque inſcriptionem* (templi Capitolini) *abſente collega occupavit alter conſul M. Horatius*. Deinde diu poſt Catuli honori conceſſum legitur apud Val. Max. vi. 9. *Ut nomen ejus in Capitolino faſtigio fulgeret*; nimirum quia a Sylla reſtitutum Catulus dedicavit: qua de re Tacitus iii. hiſt. 72. *Curam victor Sylla ſuſcepit* (Capitolini templi poſt conflagrationem reſtituendi) *neque tamen dedicavit: hoc ſolum ejus felicitati negatum* (Syllæ ipſius dictum id fuit, auctore Plinio vii 43. *Hoc tamen nempe felicitati ſuæ defuiſſe &c.*) *Lutatii Catuli nomen inter tot Cæſarum opera uſq; ad Vitellium manſit*: nam ſub Vitellio iterum conflagravit. Hæc de templi Capitolini dedicatione atque inſcriptione.

Nec ſolum libera rep. ſed etiam ſub prioribus Cæſaribus eadem dedicandi ambitio viguit: nimirum antequam poteſtas deſignandi ejus, qui dedicaret, a ſenatu populoque ad imperatores deferretur (quod nondum ſub Claudio contigerat, qui ex S. C. neſcio quid dedicavit, ut ex epigrammate percipitur apud Grut. p. 101. n.

A I.) & antequam obtinere cœpiſſet, ut poſſet alius quiſpiam imperatoris nomine dedicare. Tacitus vi. annal. 45. *Ne publice quidem, niſi duo opera* (Tiberius) *ſtruxit, templum Auguſti, & ſcenam Pompejani theatri: eaque perfecta CONTEMTV AMBITIONIS, an per ſenectutem, haud dedicavit*.

Hadrianus tamen ab ea ambitione ſuum inſcribendi nomen longiſſime in ſpeciem abhorruit: ſic enim de eo narrat Spartianus cap. 19. *Romæ inſtauravit pantheum, ſepta, baſilicam Neptuni, ſa-* B *cras ædes plurimas, forum Auguſti, lavacrum Agrippæ: eaque omnia propriis & veteribus nominibus conſecravit*. Eandem quoque civilitatem (ut de Auguſto taceam, de quo prope idem tabulæ Ancyranæ commemorant) Severus præſetulit, de quo prodit Spartianus cap. 23. *Magnum vero illud... quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, inſtauravit* (proinde etiam dedicavit) *nuſquam prope ſuo nomine adſcripto, ſervatis tamen ubique titulis condi-* C *torum*. Ex quibus Spartiani teſtimoniis intelligimus, Hadrianum quidem nunquam ſuum nomen inſcripſiſſe, ſed veteribus nominibus omnia dedicaſſe: Severum autem, etſi plurimum eodem quo Hadrianus modo fecit, tamen nonnunquam & ſuum nomen inſcripſiſſe, & ſimul conditorum titulos ſervaſſe: id quod in Panthei titulo hodieque animadvertitur, ubi ſervato prægrandibus litteris M. Agrippæ conditoris nomine, infra ſuum & Caracalli filii nomen minoribus elementis Severus adſcripſit. Quod eo no- D tavi, quod hunc poſtremum morem, eumque ſane quam honeſtiſſimum, utpote & ab affectata modeſtiæ laude, & ab invidiæ labe alieniſſimum, in Campani amphitheatri titulo tenuit Antoninus; qui cum neque coloniæ Capuæ ædificati operis, nec patri reſtituti atque exornati laudem invidiſſet, etiam ſuum qui dedicaſſet nomen adſcripſit. Hoc demum illud eſt

Quorundam imperatorum modeſtia.

E —— *medium vitiorum, & utrinque repoſitum*.

Hic eſt ille medius, ac temperatus ſapientiæ modulus, quem optimus princeps, tantum non Chriſtianus, in omnibus dictis factiſque mirifice tenuit. Nam Hadrianum nihil moror, qui ex ea ipſa moderatione laudem aucupabatur: & ſcimus illum tanta gloriæ cupiditate flagraſſe, ut nonnullos, ne ſuis luminibus obſtruerent, per ſummam crudelitatem oppreſſerit.

F

III. *Quo ritu templa, hoſtium bona, aræ, ſigna conſecrarentur: itemque an cetera quoque opera publica ſacrari oporteret.*

Ex his quæ hactenus ediſſerui ſatis intelligitur, templorum aut ſimilium dedicationem ab eorundem conſecratione ſedulo diſtinguendam: nam illa nihil aliud proprie fuit quam ἐγκαινισμός, id eſt primus rei uſus; hæc vero, antequam res

in usum traduceretur, certis ritibus formulisque conceptis perficiebatur. Sed tamen quod res essent conjunctissimæ, & eodem tempore res sacraretur, & usui dicaretur: idcirco obtinuit ut *dedicationis* vocabulo ad utranque rem significandam passim uterentur, & ea dedicare idem quod sacrare fuerit.

Jam quemadmodum in templo dedicando pontifex templi postem teneret, quæve sollemnia verba præiret, quæ subinde is qui dedicationi præesset pronuntiaret, ea quia jam multi, atque in primis Brissonius, Gutheriusque exponere jamdiu occuparunt: nihil caussæ esse video quamobrem actum agam. Quare ad eos lectorem rejicio; ego interea spicilegium faciam.

Dedicationem differre irreligiosum.

Templi jam perfecti dedicationem ne diu differrent, religione olim tenebantur; id quod Plinius IV. 1. addocet: *Cujus*, inquit (templi) *dedicationem, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est*.

Consecratio diserte lingua

Sed & e Plinii historia jam aliis notatum, pontificem verba præeuntem dedisse operam, ut illa ne præpedita aut balbutiente lingua pronuntiaret, ne si verbo aberrasset, consecratio quasi minus rite facta esset instauranda. Plinii verba hæc sunt lib. XI. cap. 37. *Metellum pontificem adeo inexplanatæ* (linguæ) *fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda æde Opiferæ dicere:* Opiferam autem equidem Fortunam interpretor (54).

mente constanter peragenda fuit.

Eandem non modo linguæ, sed & mentis constantiam jure pontificio fuisse requisitam, nihil ut perturbata atque emota mente fieret, ex Ciceronis oratio-

(54.) Harduinus illud *Opiferæ* in duas voces divellens, *Opis vere* in ipso textu exhibuit; quod in MSS. *fere* pro *vere* pingi soleat: ita *vere dicere* idem Plinio erit, quod exacte & accurate pronuntiare. Conjectura non displicet: sed non continuo textum (quod vir doctissimus assolet) immutari oportuit ob ejusmodi conjecturas, quas in notis legi satis fuerit.

Viri docti *Opiferam* Junonem hic intelligunt, quæ parturientibus subsidio venit: sed ut fatear Junonem cum hoc epitheto nondum inveni; sed Dianam tamen, quæ interdum cum Lucina confunditur, cum eo attributo reperi apud Grut. p. 41. 8. Tibure in hunc modum: DIANAI. OPIFER. NEMORENSI &c.

Equidem mihi persuadeo *Opiferam* apud Plinium non fuisse aliud, quam Fortunam: nam certe Tibure apud Grut. p. 75. 9. dicitur quidam C. Julius SALTVM. FORTVNAE. OPIFERAE restituisse. Eadem *adjutrix* appellatur ap. Grut. p. 73. 7. FORTVNAE. ADIVTRICI. ET. TVTELE &c. Huc refer etiam *Fortunam obsequentem* qua nihil in saxis frequentius, & quod apud Grut. p. 79. 1. legitur FORTVNAE. AVGVSTAE RESPICIENTI &c. Nullum certe numen Romani impensius colebant, quam Fortunam, a qua in rebus dubiis opem potissimum præstolabantur: unde illud de Traiani victoria Dacica apud Grut. elogium [etsi νοθείας suspectum) p. 73. 8. *Fortunæ. Aug. omnipotent. Vbi. eras. Rhamnusia ubi. eras. quantum. abfuit. ne. Roma. lugeret. sed. vivit. Trajanus. ve. tibi. Decebale. &c.* Verum quid dubiæ fidei monumentis opus habeo: cum Plutarchi liber de Fortuna Romanorum abunde doceat ab ipsis ferme urbis incunabulis innumerabilia fana Fortunæ exstitisse sub variis ejusdem Fortunæ appellationibus, ob eam caussam, ὅτι μεγάλη ῥοπὴ, μᾶλλον δ᾽ ὅλον, ἡ τύχη παρὰ πάντα ἐστὶ, τὰ τῶν ἀνθρώπων. *Quod magnum momentum imo summa in res humanas vis esset Fortunæ*. Itaque inter illa Fortunæ innumera cognomenta a Plutarcho prætermissa, etiam *Opifera* fuerit. Vide & ejusdem quæstiones Romanas. Et quidem apud Grut. p. 26. 4. Fortuna cum *ope divina*, idest cum ope quam Fortuna fert (non vero cum Ope illa celebri Dea] conjungitur in hunc modum: OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE. PRIMIGENIAE. SACR. Et sic dicitur OPI. DIVINAE, quemadmodum p. 94. 5. VI. DIVINAE. SACRVM. Quo in epigrammate *vim divinam* haud diversam a Fortuna statuo; quam idcirco *Fortem Fortunam* a Romanis dictam Plutarchus ibidem affirmat, ἣν φορτικὰν, inquit, καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἰσχυρὰν &c. Sed nihil luculentius Capitolini testimonio in Max. & Balb. cap. 8. *Unde*, inquit, *mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellum imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breviter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato, specie pugnarum se Nemesis, idest VIS quædam FORTVNAE satiaret. Alii* &c. Ergo *opem divinam*, & *vim divinam* nihil aliud quam *Nemesim* seu *vim Fortunæ* existimabis: & Nemesim ac Fortunam duo unius ejusdemque Deæ fuisse nomina præter cetera, etiam ex Grut. p. 80. 1. intelligitur, cujus epigrammatis initium tale est: DEAE. NEMESI. SIVE. FORTVNAE.

Quamquam, ut fatear, proprie *vis divina* idem prorsus, quod *vis major*, veteribus fuit. Id quod nuper e l. 25. §. 6. D. locut. assecutus, non gravabor eam legem adtexere. *VIS MAIOR*, ait ibi Cajus, *quam Græci Θεοῦ βίαν idest VIM DIVINAM appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus, quam tolerabile est, læsi fuerint fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*. Ergo *vis divina* eadem quæ *vis major*: quid vero porro hæc sibi velit, nemini obscurum esse arbitror. Nam l. 15. §. 1. eod. tit. *vis major* idem est quod *vis cui resisti non potest*. Cicero II. de inven. *Conquestio calamitatis ejus, quæ non culpa, sed vi majore quadam acciderit*. Præcipue autem *vis major* tempestates significat. Plinius XVIII. 28. *Duo genera esse cælestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod TEMPESTATES vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur, quæ cum acciderint, VIS MAIOR appellatur. Alia sunt illa, quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt.. aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus*. Eodem sensu Columella 1. 7. agrum sedulo cultum compendium afferre scribit, *nisi cæli major vis, aut prædonis incessit*. Itaque nulli dubium, quin, sicuti *vis major* tempestates significat, eadem quoque *vi divinæ* subjecta notio fuerit: præsertim cum, quod de *vi majore* Plinius docuit, idem de *vi divina* diserte tradat Vlpianus l. 24. §. 3. D. de damn. infe. *Si violentia*, inquit, *ventorum, vel qua alia ratione, quæ VIM habeat DIVINAM*. Quare ne dubita, quin in elogio, quod ex Grut. pag. 94. 5. attulimus per *vim divinam* tempestates sint accipiendæ. Epigraphe illa tribus aræ lateribus inscripta in hunc modum habet: VI. DIVINÆ. SACRVM. C. VETTIVS. C. F. GAVOLVS. Ne cui vero mirum videatur *vi divinæ* seu majori, hoc est tempestatibus aram positam: sciat iisdem ædem Romæ a L. Scipione Barbati F. fuisse excitatam; ut in vetustissima inscriptione apud Sirmondum de illo legitur: DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO. idest *dedit Tempestatibus ædem merito*. Ovid. VI. fast.

Te quoq. Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum pæne est Corsis obruta classis aquis.

Nam Scipio ille Corsicam cepit, ut in eadem inscriptione legitur. Quanquam & illud quoque fatendum est & *vim majorem* & *vim divinam* & *θεομηνίαν* & cælestes quasve injurias ad *VIM Fortunæ*, uti appellat Capitolinus supra mihi in partes vocatus, ex ethnicorum sententia rectissime referri. Jam vero Metellus iste pontifex diversus omnino fuit a clarissimo illo L. Metello pontifice, cujus ab eodem Plinio VII. 43. fit perhonorifica mentio [e quo Plinii loco Gruterus expressam putat epigraphen quam habet p. 377. 4.] nam hic optimus orator fuit, ille vero inexplanatæ linguæ. Itaque is qui eadem Opiferæ dedicavit, vel fuerit Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pont. Max. cujus in lapide auspicato apud Grut. p. 39. 5. mentio exsistit; vel potius aliquis alius, non pont. max. (ob linguæ quidem certe impedimentum) sed dumtaxat e pontificum collegio. Et vide an non fuerit ille C. Metellus, cui agnomen Caprario fuerat, qui inter Metelli Macedonici filios ultimus natu fuit; in quem exstat amarulentum illud Scipionis dictum in obsidione Numantiæ apud Cic. 2. de or. *Si quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram*. Certe ob ingenii tarditatem Caprarium fuisse appellatum, possumus

ne pro domo assequimur: cujus locos libet adscribere, propterea quod eos nondum notatos deprehenderim. Ibi n. 54. pontificem reprehendit, quod in sua domo dedicanda *mente ac lingua titubante* usus esset. Tum & Clodium ejusdem vitii accusat: *Præsertim*, inquit, *cum iste impurus atque impius hostis religionum omnium.... ageret illam rem ita raptim & turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. Delatum tum est ad vos pontifices.... quemadmodum iste præposteris verbis, ominibus obscenis, identidem se ipse revocando, dubitans, timens, hæsitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, & pronuntiarit & fecerit*. Sed & tremebundam manum in poste prensando, credo quod perturbatæ mentis esset indicium, nihil egisse, ex eadem oratione n. 52. addidici: *Aut*, inquit, *si dixit aliquid verbis hæsitantibus, postemque tremebunda manu tetigit: certe nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perfecit*. Sane non immerito hodieque Ecclesiæ Catholicæ sacrorum antistites religioni sibi ducunt mysteriorum formulas non mente attenta & constanti, linguæ vero accuratæ ministerio disertissime enuntiare.

Bonorum consecrandorum ritus.

Hæc de templorum sacrandorum ritu. Sed & cum alicujus bona in detestationem consecrabantur, postem aliquando teneri consuevisse, & verba sollemnia pronuntiari ex iis, quæ modo e Cicerone recitavi, & aliis ejusdem orationis locis conjici potest. Sed tum demum, opinor, cum prædia illa non solum consecrabantur, sed & ara, signove posito alicui Deo dedicabantur; ut Libertatis signum in ædibus Ciceronis Clodius posuit. Et eo spectare putem illa Ciceronis verba eadem or. n. 45. *Ergone, pontifices, putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit, domum uniuscujusque consecrari posse? An istæ dedicationes & templorum, & delubrorum religiones ad honorem Deorum immortalium, sine ulla civium calamitate a majoribus nostris constitutæ sunt?* Et n. 46. *Ergo si is* (M. Drusus) *Q. Cæpionis inimici sui postem ædium tenuisset, & pauca verba fecisset, ædes Cæpionis essent dedicatæ?* Nimirum ædes, de quibus disputat Cicero, non solum in detestationem, sed & alicui Deo consecrabantur, idcircoque postis tenendus erat.

Ceterum cum bona dumtaxat consecrabantur, tum tantum foculo pro rostris posito, adhibito tibicine, & capite velato, ita demum bona illa religioni obligabantur. Cicero eadem or. n. 47. *Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli... consecravit, foculo posito in rostris, adhibitoque tibicine*. Et paullo post: *Tu, tu, inquam, capite velato, concione advocata, foculo posito, bona tui Gabinii... consecrasti*. Sed & tum quoque non sine verbis sollemnibus res transigebatur: *Quid ergo*, inquit eadem or. n. 48. *illa tua tum obtestatio tibicinis? quid preces? quid prisca verba voluerunt?*

De ritu, quo Deorum signa consecrarentur (idem ferme fuerit de aris intelligendum) nihil attinet magnopere me esse sollicitum: quod eam operam jam videam ab Antonio Vandaleo pro dignitate navatam schediasmate de consecrationibus ethnicis pag. 661 & sequentibus. (55)

Opera publica quatuor generum.

Quid cetera operum publicorum? an ea quoque sollemnibus verbis & cæremoniis sacrabantur? Opera publica quatuor generum exstitisse mihi persuadeo, alia ut essent sacra, hoc est a principe, vel cui princeps dedicandi dedisset potesta-

suspicari. Sed & Plutarchus lib. de Fort. Rom. inter indulgentis Fortunæ exempla refert hoc, quod Metellus ille Macedonicus a quatuor filiis consularibus elatus fuerit, quorum ultimus Caprarius recensetur. Nec solum Plutarchus, sed & Velleius 1. 11. Valerius Max. VII. 1. 1. Plinius VII. 44. S. Augustinus II. de civ. 23. & ante hos omnes Cicero v. de fin. 78. & 1. Tusc. 35. Q. Metelli fortunæ felicitatem mirifice prædicant, quod præter propria decora a quatuor honoratissimis filiis, quorum gesti honores sedulo recensentur, elatus fuerit: ut celebre in primis olim id abblandientis Fortunæ exemplum fuisse appareat. Id quod magno est indicio & ædem Opiferæ a Metello dedicatam, non alterius quam Fortunæ fuisse: & fortassis ab uno e quatuor iis fratribus per eam indulgentioris Fortunæ occasionem fuisse consecratam; ac potissimum a C. Caprario ob eas conjecturas, quas modo exponebam.

[55.] Vandalei schediasma de consecrationibus *ethnicis* tum demum incidit mihi in manus, cum jam hanc de dedicationibus diatribam absolvissem, imo & hæc, quæ hactenus præmissa sunt, jam typis commissa essent. Et viro eximio atque erudito Dominico Græco I. C. magnam habeo gratiam, a quo eum librum, quorum habet copiosissimam penum, & indicatum & commodatum habui. Ac sane a Vandaleo putabam jam omnia occupata: Sed contra res cecidit. Nam primum is consecrationes, ego dedicationes potissimum propositas habui, quarum in primis notionem eruere e tenebris sum conatus. Tum aliter ille, aliter ego eo in argumento versati sumus, quod is totus est in imperatorum clarorumque virorum, nec non & signorum Diis positorum consecrationibus (quanquam & de templ. nonnulla delibat aliis jam ferme notata) ego contra quam viam inierim, quivis perspicere potest. Itaque cum iis, quæ jam pridem Gutherius attulerat, non inutiliter & schediasmatis illius lectio conjungi poterit, & hujus, si cui est otium, diatribæ. Ac de Deorum potissimum signis, quo ritu sacrarentur, haud contemnenda sunt, quæ Vandaleus edisserit, quæ legi apud illum satius fuerit.

Quanquam quæ supra de statuarum dedicatione obiter innueram, nihil muto: & ea juvat levi brachio refricare. Dixeram videri aræ, aut signi *dedicationem* aliud nihil esse quam eorundem erectionem, sive in sua basi collocationem, & *loco dato decreto decurionum*. Sic ea *dedicabantur*, quia sic demum eorum usus inchoabatur: nam unctiones, coronationes, & si quæ aliæ cæremoniæ, eæ ad consecrationem demum pertinent, quæ hic quoque proprie diversa a dedicatione fuit. Sed & donaria quævis *dedicare* idem quod suspendere fuit. Harum omnium rerum dedicationes ἀναθέσεις aut ἱδρύσεις Græci dicebant, statuas ipsas aut aras ἱδρύματα, reique hujusmodi omnes ἀναθήματα, & ἀνακείμενα appellabant: veluti quem Horatius *dedicatum Apollinem* nuncupavit, eum ἀνακείμενον Græci redderent, aut ἱδρυμένον, sicuti ἱδρύσασθαι τὸν Πυθαγόραν Plutarchus in Numa dixit. Ex quibus quanquam satis percipitur earum rerum dedicationem fuisse idem quod collocationem aut erectionem; tamen nihil expressius Ciceronis loco quem supra posui, ex or. pro domo n. 46. *Simulacrum autem*, inquit, *aut aram si DEDICASTI, sine religione LOCO MOVERI potest*: nam *dedicare* & *loco movere* contraria fuerunt. Sicuti e contrario *constituere* & *dedicare* in veteri inscriptione apud Fabrettum p. 280 n. 173. synonymως usurpantur. Id epigramma sic habet: *Signa. translata. ex. abditis. locis. ad. celeritatem. thermarum. Severianarum.* [quarum meminit Spartianus in Severi vita cap. 19.].. *Audentius. Æmilianus. V. C. conf. Cap. CONSTITVIT. DEDICARIQVE. præcepit. curante. T. Annonio. Chrysantio. V. P.* Qua in epigraphe *constituit. dedicariq. præcepit.* unam eandemque rem notat, & κατ' ἐπεξήγησιν inscriptionibus horum temporum familiarem, idem bis inculcatur. Nego enim illud DEDICARI ad signorum consecrationem, quæ unctionibus coronationibusque certem,

tem, publice (56) consecrata; uti Ulpiano auctore supra expositum fuit (hujusmodi non solum fana & aræ fuerunt, sed & theatra, puto, & gymnasia & amphitheatra, & alia fortasse id genus, suis singula numinibus (57) sacra): alia vero non sacra sed sancta, veluti urbium muri, quos jurisconsulti sanctos, qui sanctione confirmatos, non item sacros fuisse testantur: alia religiosa, veluti sepulcra: alia demum nec sacra, nec sancta, nec religiosa, sed mere profana. Ac plurima sunt opera publica, veluti viæ, pontes, aquæductus, & tale genus innumera, quæ quo referam haud facile dixerim. Portas urbium negat Plutarchus in quæst. Rom. ἱερὰς καὶ ἀβεβήλους esse, (quod tamen de muris fatetur) sive quod per eas funera efferrentur, sive quod in sollemni mœnium designatione, ubi ad eas ventum, aratrum sustolleretur. Jurisconsulti tamen non tantum muros, sed & portas inter res sanctas idest sanctione confirmatas recte accensuerunt; ita ut violari nefas esset. Vide l. 2. D. nequid in loc. cit. & alibi.

Utrum illa omnia sacrarentur.

Itaque scire lubet, num omnia isthæc opera publica non modo dedicarentur, seu eorum usus aliqua celebritate inchoaretur, verum etiam sollemni ritu consecrarentur, itaut postem teneri opus esset, & quædam sollemnia verba de more concipi. Quam disputationem a nemine, quod sciam, propositam spissiore caligine obseptam video: neque id mirum, propterea quod vetus illud jus pontificium ne ipsi quidem Romani vulgo tenebant; ejusque inscitiam ultro vel ipse Cicero or. pro domo n. 46. & alibi non dissimulat: etsi effluere quædam e pontificum disciplina affirmat, quæ ad aliorum aures sæpe permanent. Cicero quidem tota illa oratione rem sæpe tangit, sed ita ut dubitationem injiciat magis, quam abstergat (58). Græcis vero rei Romanæ scriptoribus hujusce rei arbitrium si permittimus, nihil non religioso ritu consecratum perspicietur. Nam quas Latini historiæ scri-

ficiebatur, referri posse: ea quippe jam olim consecrata oportuit: per translationem vero consecratio non amittebatur: tantum dedicatio, quæ ἐν τῇ ἱδρύσει consistebat, iteranda fuit. Fortasis vero in marmore CONSTITVI DEDICARIQVE scriptum fuit: sicut & illud a descriptore peccatum fuit, quod CAP. pro CAMP. in adversaria retulit, cum tamen ille CAMPaniæ, non CAPuæ, consularis exstiterit. Audentii quoque prænomen, quod fortasse detritum deprehendit, quicunque hoc elogium excepit, VINIVS fuit, id quod ex altero Campano epigrammate huic consulari posito docebitur, cum omnes nostrates inscriptiones in unum volumen compingentur. Et quoniam semel digressi sumus: illud SIGNA. TRANSLATA. EX. ABDITIS. LOCIS Fabrettus, vir cetera eruditus, postquam ingenue negat se scire quid sibi velint: *aliam*, inquit, *similem, cujus æque ignorationem profiteor*, *VT CRVCEM CVRIOSIS FIGAM*, *hic expono*. Nam in fundo cujusdam baseos scriptum tradit in hunc modum: TRANSLATA [supple statua, opinor, illa, quæ huic basi superposita fuerat] EX. OBSCVRO. LOCO. CVRANTE. IVNIO. GALLIENO. &c. Verum ficulneam [ni potius sambuceam] crucem curiosis fixit vir eruditus. Legisse memini in codice Theodosiano, quem nunc ad manus non habeo, titulum unum [an plures?] de signis aliisque id genus publicorum ædificiorum ornamentis non transferendis. Ne contra eas leges peccatum videretur, additum expresse fuit EX. ABDITIS. LOCIS. aut EX. OBSCVRO. LOCO. Nam quis vetitum fuisse affirmaverit, e vetusto aliquo ac subterraneo ædificio nullius usus, imo tum primum detecto, signa aut alia hujusmodi ornamenta in alias fabricas transferre? Sed postquam fixam a Fabretto crucem refiximus: illud potius scire lubet, in eadem inscriptione cur dictum fuerit AD. CELERITATEM. THERMARVM. SEVERIANARVM. Leviusculum hoc quidem. Sed tamen celeritatem thermarum Titianarum æmulari voluisse Severum crediderim; de quibus Suetonius cap. 7. *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta CELERITER exstructis*. De iisdem Titianis, puto, Martialis:

Hic ubi miramur VELOCIA munera thermas, &c.

Verum hæc in transcursu. Nunc illud quod instat: Epulejus ejusdem rei testis supra productus *depictam tabulam domus atrio dedicare* pro *suspendere* usurpavit. Et is locus Quintiliani decl. quem habet Vandaleus pag. 662. eodem referendus. *Hæc*, inquit, *priusquam dedicationis accipiant summam religionem opera sunt tantum: dedicatio est illa, quæ Deum inducit, quæ SEDE DESTINATA LOCAT*. Quanquam hic auctor *dedicationis* voce, ut sæpe fit, & collocationem & consecrationem simul intellexit, quod essent res conjunctissimæ. Contra Minucius dedicationem pro sola consecratione posuit: *Quando igitur*, inquit, *his nascitur* [Deus]? *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur, tum postremo Deus est, cum homo voluit & DEDICAVIT*. Non male Minucius *dedicavit* dixit pro *consecravit*, quod erant res conjunctissimæ nec separabiles: illud queror, quod erectionem a dedicatione & consecratione sejunxit, improprie certe locutus; nam erectio apud vetustiores quidem certe, consecrationis pars fuit, & erectio & dedicatio idem fuerunt. Hinc Aristophanis Scholiastes in Pace ad illud πολτῶν χύτραις ἱδρυτέον, non solum ollis leguminum statuas collocatas, sive consecrando collocatas ait, verum etiam aliquando sumtuosius victimis, id quod dici testatur βοῒ ἱδρύσασθαι, ἢ αἰγὶ ἢ προβάτῳ, idest *bove aut capra aut ove collocare*, seu consecrando collocare.

[56.] Publice inquam, consecrata: *Si quis autem* (ait Justinianus lib. II. Inst. t. I. §. *sacræ*) *auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum*. Et Festus, *Gallus*, inquit, *Ælius ait, sacrum esse quocunque modo atque instituto civitatis consecratum sit, sive ædes, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quid aliud quod Dis dedicatum, atque consecratum sit. Quod autem privati suæ religionis caussa aliquid earum rerum Deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum . . . Ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur esse sacer*.

(57) Amphitheatra sive Herculi, quantum e Vitruvio licet suspicari, sive potius Marti, aut Dianæ, aut Iovi Latiali sacra erant: gymnasia quoque Herculi, vel, qua parte doctrinæ studiosis addicta, Apollini λεσχηνορίῳ vel Minervæ fuere. Et puto opera omnia spectaculis destinata inter sacra loca fuisse: nam ludi omnes sacri erant & religionis ethnicæ pars. Salvianus: *Colitur & honoratur Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris*. Lactantius ex sententia Sinii Capitonis paulo aliter: *Venationes, & quæ vocantur munera, Saturno adtributa sunt: ludi scenici Libero, circenses Neptuno*.

[58] Itaque ex illa oratione nihil dum eliquare potui, utrum non solum templi, sed & ceterarum fabricarum postem teneri oporteret, & sollemnibus formulis uti. Adnectam tamen hæc, si cui forte lux inde affulserit. *Ergo*, inquit n. 46. *si is* (M. Drusus) *Q. Cæpionis inimici sui postem ædium tenuisset, & pauca verba fecisset, ædes Cæpionis essent dedicatæ? Nihil loquor de pontificio jure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, cæremoniis: non dissimulo me nescire ea, quæ etiamsi scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer: etsi effluunt multa ex vestra disciplina, quæ etiam ad nostras aures sæpe permanant. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi. Ibi enim postis est, ubi templi aditus est & valvæ. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando. Simulacrum autem aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem postem tenuisse dixisti*, &c. Itaque non satis expiscari licet utrum templorum tantum postem teneri oportuisse Tullius existimarit, an vero aliorsum videatur accipiendus.

ptores dedicationes, ii plerunque καθιερώσεις appellant, quodcunque demum illud sit, quo de agitur. Itaque Dio non modo de Pompejano theatro καθιέρωσε dixit (quod minus miror, nam ei theatro Pompejus *Veneris ædem*, inquit Tertullianus lib. de spect. *superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum*) verum etiam Neroniani gymnasii dedicationem καθιέρωσιν nuncupavit, & de Tito amphitheatrum & balineum dedicante ἱερώσας usurpavit. Accedit quod apud Grut. p. 178. 7. & 179. 1 (etsi sunt quarti ineuntis sæculi epigrammata) thermæ non tantum *dedicari* idest in usum traduci, sed & *consecrari* dicuntur. Itaque vix videtur dubitandum, quin si minus omnia, ac multa tamen operum publicorum non tantum dedicarentur, sed etiam religiosis cæremonis sacrarentur; unde & *sacra* jure dicerentur. Quare sic statuo, prioris generis ædificia consecratione initiari oportuisse, eoque sacra fuisse appellata; cetera vero, sive sancta, uti urbium muri, dicerentur, sive ne hanc quidem appellationem nacta essent, non consecrari, sed dedicari seu ἐγκαινίζεσθαι tantum consuevisse.

Sacra tantum consecrabantur.

IV. *De rerum singularum encæniis.*

Sæpe hoc jam admonuimus, dedicationem a consecratione, si proprie & accurate loqui volumus, discrepasse; & consecrationem, (non tantum illam, de qua hujus diatribe initio differuimus, qua hostium aut improborum civium bona in detestationem consecrabantur, sed & illam qua ædes sacræ & alia id genus sacrabantur) religiosis ritibus, & priscis verbis perfici oportuisse: dedicationem vero nihil aliud proprie significasse, uti copiose probavimus, quam rei jam perfectæ primum usum & inchoationem. Quare nunc quidem quod attinet, seposita consecratione, rerum singularum dedicationes aggrediamur: & quod initio hujus diatribæ dixi, dedicationem sic peragi consuevisse, ut aliquid splendidum primo fabricæ usu exhiberetur, ex iis potissimum rebus, quarum caussa fabrica illa exstructa fuisset; id nunc sigillatim demonstrabimus.

Ab amphitheatro ordiar, propterea quod per ejus occasionem ad universi generis dedicationem sum digressus. Dio l. LI. de Tauri amphitheatro hæc ait: *Cæsare IV. cos. Statilius Taurus theatrum quoddam lapideum ad venationes ferarum in campo Martio suis sumtibus absolvit, inque ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit.* Flavium autem amphitheatrum a Vespasiano erectum Titus fortasse consummavit, utique dedicavit: cumque dedicantis, non ejus qui fecisset, nomen inscribi mos esset, hinc erroris ansam Eutropius lib. VII. & Cassiodorus arripuerunt, ut Tito id opus adscriberent, propterea quod hujus, ut arbitror, nomen, non vero patris, in operis titulo oculis usurpassent. Quo pacto dedicatum fuerit Suetonius cap. 7. exponit: *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit apparatissimum largissimumque &c.* At vero Dio apud Xiphilinum ludos per centum ipsos dies exhibitos copiose narrat, in iis gladiatorum munera, omne genus venationes, navale prœlium etiam Suetonio memoratum, circenses & alia ludicra. Frustra est autem Petrus Lasena, qui in Gymnasio Neap. p. 172. illud Suetonii *Amphitheatro dedicato* ita interpretatur, quasi dixerit, *diis dicato*; & queritur Suetonium non indicasse, cui potissimum deo sacratum fuerit: non enim intellexit, dedicationem ibi apud Suetonium non aliud fuisse quam ἐγκαινισμόν.

Amphitheatri.

Ad hæc theatra ludis scenicis dedicabantur, uti ex epigraphe Reinesiana cl. 2. n. 89. intelligitur: THEATRVM. ET. PROSCENIVM REFECERE. LVDIS. SCENICIS. BIDVO. DEDICAR. D. S. P. Ubi *dedicare* pro ἐγκαινίζειν diserte ponitur: quo enim ludi scenici, quo pecunia ad consecrationem? Sed & musicis certaminibus, & gymnicis ludis, iisque omnino ludicris, quæ theatrum admitteret, in ejus dedicatione locus fuit (59).

Theatri.

Gymnasii Neroniani dedicationem idem Xiphilinus exsequitur in hunc modum: *Cujus* (certaminis quinquennalis) *caussa gymnasium ædificavit; cujus dedicatione equitibus & senatoribus oleum gratis distribuit*. Nihil rei gymnasticæ magis proprium.

Gymnasii.

Bibliothecæ oratione habita dedicabantur: id quod ex Plinii 1. epist. 8. didici:

Bibliothecæ.

(59) Quanquam autem venationem, in theatro exhibitam nunquam memini, Xiphilinus tamen Pompeii theatrum venatione ibidem data dedicatum narrat. Et Xiphilini narratio fortasse non paucis, Bulengero quidem certe fucum fecit; qui cap. 10. de venatione circi, in Pompeii theatro venationes aliquando habitas affirmat, & inde factum ait ut Plinius XXXVI. 15. illud Pompeii non theatrum, sed amphitheatrum appellarit. Dupliciter vero vir eruditus aberrat. Primum quod illo Plinii loco non *Pompeii amphitheatri* sed *Pompeiani theatri* esse legendum jampridem Lipsius lib. de amphith. monuerat, & ita in Harduini editione legitur, credo & in aliis. Deinde quod in Pompeii theatro venationes aliquando exhibitas statuit, fallitur cum Xiphilino, a quo id hausit. Græculi istius locus sic se habet: *Pompejus theatrum dedicavit, in quo* (græce ἐν αὐτῷ supple θεάτρῳ) *leones quingenti diebus quinque absumti sunt, præterea elephanti decem & octo cum armatis hominibus certaverunt*. Sed bene est quod Dionis liber XXXIX. ætatem tulit, unde Monachi indiligentiam possis arguere. Ibi sollertissimus scriptor postquam in eodem theatro, quod dedicabatur, musicos gymnicosque ludos exhibitos significasset, monet in circo tum varii generis belluarum præbitas venationes, tum potissimum diebus quinque quingentos leones confectos & elephantos octodecim depugnasse subjungit. Quare venationes quidem Pompejus exhibuit, sed in circo, ubi ante exstructa amphitheatra id spectaculi genus edebatur, non vero in theatro, uti somniavit Xiphilinus. Cui hoc imposuit, quod Pompeii θέατρον putavit fuisse simile illi, quod Titus dedicavit, quod idem breviator e Dione θέατρον κυνηγετικόν appellat: nam amphitheatri vox, ut alibi diximus, quamvis Græca, ferme a Latinis dumtaxat usurpabatur, cujus loco Græci θέατρον dicere consueverunt. Hæc eo dixi, ut perspiciatur, quam nullo judicio e Dione interdum excerpserit Xiphilinus: ut omittam quod non perpetuam & æquabilem epitomen nobis tradidit, sed quæcumque collibitum fuit, aut quæ novitate illum percellerent, in iis se magis diffudit: cetera interim maximi momenti exanguia & exucca in sua alvearia contulit: ita mera interdum nobis mapalia exhibuit. Sed vel sic tamen maxima est illi habenda gratia, quod qualiacunque illa nobis ex nobilissimo historico servavit.

Ceterum nihil mirum in ea dedicatione Pompe-

Petiturus sum enim, inquit, *ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui bibliothecam dedicaturus*. Nimirum petit ab illo rhetore Pompejo Saturnino, ut orationem eam expoliat, quam, cum bibliothecam in sua patria in sapientiæ studiosorum gratiam a se paratam dedicaret, olim habuisset, quam publicare deliberabat. Nihil convenientius fieri potuit: & hodieque in academiis in anniversaria studiorum instauratione quam *dedicationem* non inepte appellaveris, hujusmodi orationes habentur.

Pontium.

Ad hæc pontes circensibus editis dedicari solebant. Grut. p. 163. 4. P. BAEBIVS. VENVSTVS........ PONTEM. FECIT. EX. H. S. XXC. CIRCENSIBVS. EDITIS. D. D. idest *dedicavit*. Id quod, nisi me memoria frustratur (nam scheda, in qua nuper multas, quæ huc facerent, inscriptiones notaram, nescio quo fato evanuit) etiam Gratianus, aut nescio quis alter Christianus imperator in ponte dedicando usurpavit. Alioqui Grut. 101. 3. & 4. ob dedicationem, opinor, statuæ cum scenicis iidem circenses dantur.

Emissarii.

In lacus Fucini emissario dedicando (etsi Tacitus XII. An. 56. dedicationis voce non utitur, sed rem ipsam satis designat, quia tum primum *apertum aquarum iter*) insignem naumachiam exhibuit præter cetera Claudius.

Ædium.

Porro in ædibus quisque suis dedicandis, quæ specimina aut quam liberalitatem exhibuerit, non memini. De epulo vix est ut dubites, quod in omni fere dedicatione dabatur. Alexander Donatus III. 7. Neronem, Suetonio teste, dedicasse domum affirmat, qua variis conviviis, qua publicis ludis, sparsisque in populum muneribus. Sed fugit eum memoria; nam nihil horum Suetonius cap. 32. David in suis ædibus dedicandis eum psalmum habuit, qui nobis est undetricesimus, Hebræis vero tricesimus. Nam quid caussæ est, quamobrem aliorsum ejus psalmi titulus accipiatur? Qui αὐτολεξεὶ ex Hebræo talis est: *Psalmus dedicationis* seu initiationis (heb. חנכת *hhanucchath*) *domus David*. LXX. Ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου τοῦ Δαυίδ. Quod Noster vertit: *Psalmus cantici in dedicatione domus David*. An non fugit eos ratio, qui ad templi dedicationem, sive nescio quo alio referunt hunc titulum? Atque hinc etiam Judæorum traditio apud Maimonidem futilis arguitur, qui Deut. XXI. 5. (quem locum vide hujus Diatribæ initio) *dedicare domum* idem esse definiunt quod in ea, postquam exstructa est, per annum habitare. Fabulæ: in hujus enim psalmi titulo, uti vides, dedicatio primorem tantum usum, sive ἐγκαινισμὸν designat.

Viarum

Viarum dedicatione gladiatorium munus Claudius injunxit: sic enim capio illud Suetonii Claudio c. 24. *Collegio quæstorum pro stratura viarum* (idest viarum ἐγκαινισμῷ) *gladiatorium munus injunxit*.

Fori.

Postremo (nam quid opus est singula morosa diligentia perquirere?) forum epulo dato dedicatum invenio apud Grut. p. 168. 5. Sed ibi tamen non de fori tantum dedicatione agitur, sed & ædium (hoc est fanorum) quinque, & signorum quinque, & statuarum duarum (60). Et ceteroqui nihil non epulo dato dedicari solebat: cui mori lubet paullisper immorari.

In dedicationibus epulum.

Itaque epulum, uti diximus, in dedicationibus fere semper dabatur: Plin. IV. 1. *Templum*, inquit, *pecunia mea exstruxi; cujus dedicationem, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est. Erimus ergo ibi* (Tiferni, ubi templum exstruxerat) *dedicationis die, quem epulo celebrare constitui*. Videsis Gruterum p. 441. 7. & alibi sæpissime; itemque Reinesium I. 99. Verum non semper *cœna recta* dabatur: imo sæpe epulum dividebatur, idest sportulæ dabantur; sic enim accipio illud p. 101. 3. apud Grut. AD. DEDICATIONEM..... EPVLO. DIVISO. &c. itemque p. 228. 8. DEDICATIONE. STATVARVM ...... MVLSVM. ET. CRVSTVLA. DECVRIONIBVS. ET. POPVLO. dantur. Sive ergo cœna recta, sive sportulæ darentur, semper epulum dari dicebatur. Imo tum quoque epulum appellabatur, cum vice cœnæ rectæ, aut sportularum, nummi (quanquam nummorum quoque dianomen sportulas appellarunt, ut ex Plin. X. epist. 117. & 118. collatis patet) distribuebantur. Grut. p. 434. 1. EARVMQVE. DEDICAT. RVFVS. EPVLVM. DEDIT. DECVRIONIB. SING. H. S. XXX. SEX. VIRIS. ET. AVGVSTALIB. SING. H. S. XII. PLEBI. SING. H. S. IIII. Et p. 63. 1. IDEMQVE. DEDICAVIT. ET. EPVLVM. DEDIT. DECVRIS. N. IIII. Interdum aliis nummi, aliis cœna dabatur: Grut. p. 68. 3. QVORVM. DEDICATIONE. SINGVLIS. DECVRIONIBVS. X. III. AVGVSTALIBVS. X. II. ET. COLONIS. CENAM. DEDIT. Interdum etiam nummi quidem dabantur, sed ITA. VT. IN.

idest cœna recta, aut sportulæ,

aut nummi dabantur.

jum præter theatralia specimina aliorum etiam generum spectacula edidisse: nam theatrum illud quod dedicabat, Veneris templum idem quoque fuit; id quod Plinius, Plutarchus & alii tradiderunt. Et ceteroqui scimus Dione teste lib. 54. Augusto Marcelli theatrum dedicante, Cajum lusisse Trojam, & DC. Africanas occisas: majoris enim magnificentiæ gratia præter specimina theatralia, quæ quidem theatri ἐγκαινισμὸς omnino requirebat, extra theatrum quoque populum oblectari placuit.

(60) Quod sæpissime mihi in inscriptionibus perlegendis notatum fuerat, hoc inter statuas atque signa plurimum interesse, quod hæc ferme Deorum tantum essent, aut certe Diis dedicatorum, illæ interdum quidem Deorum, sed sæpissime hominum: id ex indicato epigrammate luculenter cognoscitur, ubi legitur SIGNA. DEOR. (quod pessime Reinesius in EORum, puta Cisimbrensium, mutat: primum cui bono? deinde an putamus tot descriptores, qui in ejus inscriptionis calce notantur, fuisse luscitiosos?) QVINQVE. STATVAS. DVAS, &c. Hoc igitur, si quod aliud, inter eas voces est discriminis, quod nescio cur Aldo Manutio juniori (in dissert. IX. epistolica de signo & statua to. 1. thes. Sallengriani p. 816. A) displiceat. Nam quod canephorarum duarum imagines signa Cicero appellarit, id eo factum, quod non tantum Deorum imagines, sed & hominum imo & brutarum animantium simulacra, quæ in templis inter donaria, aut in privatorum sacrariis visebantur, signa rectissime dicebantur. Certe discrimen, quod initio posui, innumeris inscriptionibus, imo & scriptorum locis confirmari posset, si id agerem. Quanquam omnino perpetuum esse non spoponderim. Ceterum multiplex illud tricarumque plenissimum discrimen, quod ibi Manutius statuit, vix est ut ulli arrideat.

PUBLICO. VESCERENTUR: ea certe lege apud Grut. p. 84. 1. singulis decurionibus Nemausensibus quædam summa dedicatione templi distribuitur.

idque etiam in Ecclesiarum dedicationibus.

Nec minus in Ecclesiarum dedicationibus sollemnes epulas Christiani olim instituebant. Sidonius IV. ep. 15. *Epulum multiplex, & capacissima lectisternia para..... postquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis posse jam consecrari*. Greg. X ep. 71. *Nam ut die dedicationis, vel natalitio SS. Martyrum religiosis conviviis sollemnitate celebrent*. Hæc sunt illæ agapæ, quæ tamdiu in Ecclesia perdurarunt, donec, quod in licentiam vergerent, legibus sunt abolitæ. Inde factum putat Cangius, ut postea dedicationis vocabulum in malam partem traheretur, ac pro comessatione publica sumeretur; & *faire la ducace* Galli dicerent pro eo, quod est genio indulgere.

Dedicationis dies anniversarius celebrabatur.

Verum ad ethnicorum dedicationes ut reditum faciam, hoc amplius de iis notandum, celebrasse gentiles, quemadmodum & Christiani facimus, diem dedicationis quotannis recurrentem. Hinc Kalendas Januarias eo nomine celebrat Ovidius 1. Fast. quod

Sacravere patres hac duo templa die.

nempe Æsculapii & Jovis, quod statim subjungit. Atque hinc est, quod non solum quibus consulibus sive ædes, sive ara, sive quid aliud esset dedicatum, sed & diem sedulo notabant: id quod in vetustis dedicationum titulis nusquam fere non occurrit.

Et, quod magis mirabere, sicuti ho-

A dieque Episcopi faciunt, quoties aliquam Ecclesiam sollemni ritu dedicaverint, ut anniversarium ejus dedicationis festum non semper eadem recurrente die, qua consecrata fuit, sed alia, quam opportuniorem censuerint celebrandum nonnunquam assignent: idem profecto apud ethnicos ex decreto illo quod habet Gruterus p. 228. 8. sum assecutus, cujus decreti postremam partem, quæ huc facit libuit adscribere. *Item. dedicatione. statuarum. Cæsarum. et. Augustarum. mulsum. et. crustula. pecunia. nostra. decurionibus. et. populo. dedimus. perpetuoque. ejus. die. dedicationis. daturos. nos. testati.* B *sumus.* QUEM. DIEM. QUO. FREQUENTIOR. QUOTANNIS. SIT. SERVABIMUS. VI IDUS. MARTIAS. QUA DIE. TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATUS. EST. Non enim VI id. Martias statuæ fuerant dedicatæ: sed hic dies ad anniversariam celebritatem visus est magis idoneus, quod eo Tiberius pontificatum maximum esset assecutus.

qui & interdum in alium diem differebatur.

C

CAP. IV.

In alterum amphitheatrale epigramma per eadem hæc tempora repertum. De Campano apodyterio, catabulo, & ludo gladiatorio.

PAucis ante mensibus, quam Campani amphitheatri titulus in lucem prodiret, eodem ferme loco lapicidæ, dum aggestos consepultosque lapides in varios usus effodiunt, hanc alteD ram epigraphen candido marmori insculptam altera parte mutilam detexerant, quæ sic habet:

SATELLIA. M. F. ANUS

APODYTERIUM. AD. NOVITATEM. R....estituit

EPISTYLIS. CETERISQUE. MARMORIBUS. O...rnavit.

E Quod equidem, simul ac rescivi, e saxo ipso, quod domum suam marmorarius asportaverat, sed domo tum forte aberat, descripsi. Statueratque vir non minus eruditione quam generis nobilitate clarissimus Josephus a Capua Capycius, cujus potissimum hortatu commentariolus hic scribitur, visendo urbis loco illud cum amphitheatri titulo conjungere. Cum ecce nuntiatur corruptum jam marmor non amplius exstare, atque ipsius lapicidæ confessione expressum fuit tria quatuorve mortaria fuisse inde confecta. Sed hujus quidem marmoris fatum minus doF leo, quod descriptum id jam habebam. Illud vero dolendum, quod plurima quotidie elogia ex amphitheatri ruderibus emergentia litterarum pestis illa teterrima ad monumentorum interitum nata, marmorarii, multos ab hinc annos comminuere per summum scelus non destiterunt: nec porro desistent, nisi severissimis pœnis coerceantur: quando nec blanditiis allici possunt, nec præmiis, ut a veneranda antiquitate manus abstineant. Verum non hic næniis locus.

Gens Satellia.

Ad rem quod attinet, gens SATELLIA neque e Gruteri, nec Reinesii inscriptionibus nota, in Fabretti tantum capite nono, quo novas gentes ille complectitur, duabus in urnis prope montem Politianum detectis reperitur p. 645. n. 380. & 381. quarum priore legitur: A. PAPIRIUS. A. F. SATELLIA (nempe matre) NATUS. In altera: SATELLIA. C. F. VELIZZA. Et quandoquidem eodem loci utraque urna effossa fuit, Satelliam Velizzam Papirii matrem fuisse oportuit. Itaque altera demum hæc nostra est Satellia, cujus cognomen ANUS semel tantum reperi apud Grut. p. 398. 11. ubi recte legitur SULPITIA. L. F. ANUS. non vero, ut habent Pighii schedæ, SULPITIANUS.

Epystilium quid?

Jam vero quid sibi hoc vult, quod hæc femina apodyterium a se refectum *epistyliis* ceterisque marmoribus ornasse dicitur? Nam si quidem *epistylia* sunt colu-

mnarum capitella, quemadmodum apud latinorum lexicorum auctores omnes invenies: an columnis apodyterii lignea aut lateritia capitella imposita ante fuerant, quæ Satellia postea marmorea effecerit? Verum id ne fando quidem auditum, columnis marmoreis non etiam marmorea capitella fuisse superposita; quanquam cetera ornamenta, veluti quem *arcbitrabem* vulgo appellant, zophorum, coronam non raro opere cæmentario constitisse, quamvis columnæ essent marmoreæ, satis sciamus. Quæ cum ita sint; Latini lexicographi quo pacto non errant, qui *epistylium* capitellum interpretantur? Quanto melius architectonices scriptores *epistylium* definiunt id, quod vulgus *arcbitrabem* appellat. Atque hæc demum notio vocabuli huic inscriptioni quadrat. Ante Satelliam columnis marmoreis cetera non marmorea superponebantur. Ea demum Satellia confecit e marmore. Sed nemo accuratius in eam vocem inquirit H. Stephano in thes. qui & e Græcis scriptoribus & e Vitruvio planissime evincit non aliud ea voce significari, quam quod posui; negatque exempla inveniri, quibus *epistylium* pro capitello usurpetur. Id etiam accurate a Stephano demonstratur apud Græcos quidem ἐπιςύλιον intelligi sive sit marmoreum sive ligneum: Vitruvium vero ita distinguere, ut *trabem* appellet, quoties e materia conficitur, si vero e marmore, *epistylium*, idque a Stephano comparatis Hagetoris Byzantii & Vitruvii locis firmatur, quæ apud illum vide si lubet. Et allatis a Stephano locis hæc etiam accedat inscriptio, ex qua luculenter colligitur epistylia non fuisse nisi marmorea: alioqui si lignea aut lateritia recte *epistylia* appellari consuessent, inepte illud subjungeretur CETERISQVE. MARMORIBVS. Quod vero CETERIS sine diphthongo scalpitur, ea rectissima scribendi ratio est in elogiis aurei sæculi usurpata, ut sit ab ἕτερος, aspiratione in C transeunte, ut ab ἑκατὸν fit *centum*, quod alii notarunt.

Lexicorum aberratio.

Verum id quod maxime ex hoc titulo commodi assequimur, non solum balnearum gymnasiorumque fuisse apodyteria, verum etiam amphitheatrorum. Nam quamvis id *apodyterium* græce significet, quod latine *spoliarium* (& sane in glossis Græcis ἀποδυτήριον voci huic *spoliarium* respondet) tamen sic hactenus viri docti distinxerunt, ut *apodyteria* in balneis & gymnasiis admitterent (61) ubi loturi sive certaturi vestes deponerent: in amphitheatris vero *spoliarium* ponerent, testibus Seneca & Lampridio, apud quos exstat de *spoliario* amphitheatrali mentio. Sed falluntur dupliciter, primum quod & in re balneari *spoliaria* usurpantur in veteribus glossis Latinis, in quibus *spoliaria* esse dicuntur *inferiores cellulæ in balneis*: deinde quod amphitheatri spoliarium etiam *apodyterium* Græca voce dixisset, hujus inscriptionis apodyterium ad Campanum gymnasium pertinere potuisse: quod gymnasium in amphitheatri vicinia exstitisse deinceps sum demonstraturus. Sed eum mihi scrupulum lapicida evellit, qui in ipsius amphitheatri extimis ruderibus eum titulum delituisse testatus fuit.

Inter apodyterium & spoliarium an quidpiam interesset.

Ac sicut nomen cum balneis & gymnasiis commune fuit, sic officium. Non enim quibusdam assentior, qui vix alium spoliarii in amphitheatris usum agnoscunt, quam ut mortui gladiatores eo reciperentur, ac spoliarentur: sive ut semivivi, quorum curatio frustra susciperetur, ibi conficerentur. In eum potissimum finem spoliarium exstruebatur, ut esset ubi gladiatores aut bestiarii vestes sive ornamenta deponerent: idque apodyterii vox amphitheatro cum gymnasiis balineisque communis satis declarat. Etsi non eo inficias, quin is quoque postea usus accesserit, ut eo mortui aut pæne mortui unco traherentur: unde mortuo Commodo illæ acclamationes senatus apud Lampridium: *Parricida gladiator in spoliario lanietur.... gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, unco trahatur*. Seneca ep. 94. *Nunquid aliquem esse tam cupidum vitæ putas, ut jugulari in spoliario, quam in arena malit?* Nimirum enim semimortui gladiatores, quorum desperata curatio, in spoliario trucidabantur. Idem de provid. cap. 3. translate dixit: *Id enim proscriptionis Syllanæ spoliarium est*. Mitto alia testimonia, quæ Lipsii Sat. I. 18. collegit diligentia.

Usus apodyterii.

Sane ἀποδυτήριον a Polluce III. 30. & IX. 5. inter loca exercitationis athleticæ recensetur: ubi non solum vestes certatores exsuebant, verum etiam perfuncti laboribus frictione exerceri ac recreari solebant. Utrum idem fuerit in amphitheatri apodyterio circa gladiatores factitatum nescimus: multa tamen his cum athletis instituta fuere communia.

Hoc vero maxime inter balnearum gymnasiorumve apodyterium & hoc amphitheatrale interfuit, quod in illis apodyterium uno eodemque sive balnei, sive gymnasii ambitu contineretur (neque enim refert, quod in veteribus glossis Latinis *spoliaria* definiuntur *exteriores cellulæ in balneis*: non refert, inquam, quia exteriores istæ cellulæ non sejunctæ a balneis erant, sed continentes) contra vero amphitheatri apodyterium non continens amphitheatro fuit, sed contiguum, nec illius pars, sed sejunctum ædificium. Id quidem vetus inscriptio Prænestina docet: LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR.SOLO.EMPTO. SVA. PECVNIA.EXSTRVCTVM.PVBLICE. OPTVLERIT. Quin & Ter-

(61) Utitur ea voce in re balneari Cicero III. ad Q. Fr. 17. *In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi*. Plin. V. ep. 6. *Inde apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella frigidaria; in qua baptisterium amplum atque opacum*. Et infra: *Apodyterio superpositum est sphæristerium &c.* ut appareat de re gymnastica ea in epistola Plinio esse sermonem. Græcorum scriptorum, quorum ea vox est, testimonium nullum affert H. St. in thesauro; utitur tamen Plato in Euthydemo, Aristides serm. sacr. I. & Pollux, quorum loca videsis apud Spanhemium ad Juliani or. I. p. 17. & 18.

tullianus quoque de cor. mil. c. 13. ab amphitheatro spoliarium distinguit : *Ceterum*, inquit, *a sæculo coronantur & lupanaria & latrinæ & pistrina & carcer & ludus & ipsa amphitheatra & ipsa spoliaria*. Verum quid his locis per alios jam ceteroqui collectis immoror; cum noster apodyterii titulus extra amphitheatrum, etsi proxime illud erutus fuerit? Nam, quantum e lapicida didici, prope illud amphitheatri latus ea inscriptio detecta fuit, quod orientem hibernum spectat. Ea parte amphitheatri porta libitinensis appellata omnino fuerit, per quam gladiatores aut bestiarii mortui efferrentur, si vera sunt, quæ Lipsius docet, spoliarium portæ amphitheatri libitinensi objacuisse. Fuisse & alteram quoque portam ex adverso Libitinensis positam, ejusque nomen ignorari Lipsius cap. 28. affirmat. Ejus vero portæ nomen ex actis SS. Perpetuæ & Felicitatis commonstrare se putat Petrus Possinus Paralipomenis ad eam passionem : idque Grævius quoque sequitur præf. ad to. IX. thes. antiq. Rom. Ea in passione sic legitur : *Et cœpi ire cum gloria ad portam sanavivariam*. Et infra: *Et ambæ pariter steterunt, & populi duritia devicta, revocatæ sunt ad portam sanavivariam*. Sic enim dictam illam portam Possinus arbitratur, per quam vivi efferrentur; sicut Libitinensis, per quam mortui, appellabatur. Conjecturam quidem minime aspernor : de qua tamen amplius cogitandum. Quem enim vocis illius barbaries non offendat, in actis potissimum altero, ut videtur, Christi sæculo conscriptis? Itaque videndum an non ea vox in mendo cubet, & antiqua ejus vocis scriptura fuerit *Sandapilaria*, ita ut porta *Libitinensis* eadem *sandapilaria* quoque appellata fuerit, quod per eam sandapilæ, in quas damnatorum ad bestias imponebantur cadavera, agerentur. Martialis VIII. 75.

Porta libitinensis.

Stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.

Atque hæc de amphitheatrali apodyterio. Venio nunc ad alterum ædificii genus in amphitheatri usum, & quidem in proximo positum. Errant qui subterraneam amphitheatri specum ad alendas belluas comparatam arbitrantur : id quod nuper Campani amphitheatri cavernam contemplatus mecum statui. Alius prope amphitheatrum locus fuit *catabulum* appellatus, ubi feræ detinerentur, imo & ad crudelitatem in bestiarios erudirentur. Papias : *Catabulum est clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur* : nam respicit vocis originem a καταβάλλω *deorsum jacio*, unde *catabolum* dici deberet : sed per v scriptum invenitur æque, ut in antiquis marmoribus, & libris *epistula* per V plurimum scribitur. Quanquam autem *catabulum* pro jumentorum stabulo in actis S. Marcelli Papæ & martyris positum putatur : unde *catabulenses* Cassiodoro dicuntur, qui stationibus cursus publici destinabantur : tamen fuisse prope amphitheatrum catabulum ad bestias coercendas, ex loco prope Campanum amphitheatrum, & prope ædem S. Mariæ gratiarum, qui hodieque *catavolo* dicitur, docemur, ubi & veteris fabricæ reliquiæ perseverant.

catabulum quid?

Demum ludum gladiatorium (quem Suidas μονομαχοτροφεῖον, Herodianus in Commodi & Maximini vitis μονομάχων καταγώγιον, & Eutropii metaphrastes Pæanius in rebus Commodi μονομαχικὸν στάδιον appellant) ubi & degerent gladiatores, & erudirentur, haud procul amphitheatro fuisse mihi persuadeo, indicio Prænestinæ inscriptionis apud Grut. p. 489.12. in qua legitur : LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SVA. PECVNIA. EXSTRVCTVM. PVBLICE. OPTVLERIT. Ex qua epigraphe intelligimus CN. VOESIum initio ejus epigrammatis nominatum *solo empto* ludum gladiatorium & spoliarium exstruxisse, contiguas utique fabricas : quare cum spoliarium amphitheatro adhæsisse supra docuerimus, etiam gladiatorum diversorium in vicino positum oportuit. Multæ sunt im amphitheatri nostri vicinia veterum ædificiorum reliquiæ : sed ubi καταγώγιον illud fuerit quis divinaverit?

Prope amphitheatrum ludus.

Romæ sicut plura fuere amphitheatra, sic & ludi complures, ex quibus hi tantum innotuere, *ludus magnus*, *Dacicus*, *Gallicus*, *Æmilius*, *Matutinus*, *& Mamertinus*. Quisnam eorum prope Flavium amphitheatrum fuerit, a nemine proditum invenio : nam & nemini de amphitheatri & ludi vicinia ante suboluit. Prope illud omnium maximum amphitheatrum Flavium quis convenientius quam *ludus magnus* collocabitur? Et tertia urbis regione tum amphitheatrum tum ludum magnum Rufus & Victor posuere, nec non & Dacicum ludum : qui duo ludi *magnus & Dacicus* conjunguntur apud Grut. p. 389. 7. Tamen nihil impedimento est, quo minus alii ludi procul amphitheatro fuerint, nam & extra Romam olim Romani ludos quosdam habebant. Strabo lib. V. Ravennam a cæli salubritate commendans ait : *Saluber locus, ut illic gladiatores ali atque exerceri viri principes voluerint* (62). Cæsar certe cum Ravennæ substitisset : *formam*, inquit Suetonius cap. 31. *qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, consideravit*. Sed Capuæ in primis insignem ludum Cæsar habuit, in qua colonia quadraginta aut eo amplius gladiatorum millia secundum a me initas not. 10. rationes idem Julius detinebat. Ac de ludo testis ipse Cæsar I.

Prope Fl. amphitheatrum ludus magnus.

Cæsaris ludus Ravennæ & Capuæ.

[62] Mirabitur aliquis quid Staboni venerit in mentem Ravennæ cæli salubritatem ex eo potissimum colligere, quod ibi gladiatores suos Romani alerent. Caussa promtissima est, quia gladiatoribus largissime edere ac bibere sinebatur, ac dabantur veluti in *saginam* : quæ vox non minus gladiatorum quam athletarum propria fuit. Hinc præter victus rationem ex medicorum præscripto [nam MEDICVS. LVD. GALLICI. & MEDICVS. LVDI. MATVTINI. in inscriptionibus legitur, non secus atque athletis medico obtemperandum fuit teste Arriano] etiam aeris clementia in primis quæsita fuit. Id quod & ex allata Stabonis loco intelligimus, & ex eo etiam, quod Capuæ potissimum, cujus urbis ab aeris temperie & salubritate fuit præcipua commendatio, infinitam gladiatorum multitudinem Romani habuerint, uti statim dicetur.

civ. 14. *Capuæ*, inquit, *primum sese confirmant & colligunt*(Pompejani)*delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, babere instituunt; GLADIATORESQVE QVOS IBI CAESAR IN LVDO HABEBAT in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit, & se sequi jussit, quos postea monitus a suis, quod ea res omnium judicio reprehendebatur, circum familias conventus Campani custodiæ caussa distribuit.*

Sed & ante Cæsarem Capuæ ludus gladiatorum celeberrimus fuit, & equo tamquam ex equo Trojano, duces illi, qui anno U. C. DCLXXX. bellum servile conflarunt, prodiere. De quo bello sic breviter Vellejus lib. I. 30. *Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur* LXIV. *fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere: mox crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus affecere Italiam. Quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie,* XL. *hominum se Romano exercitui opposuerint.* (hoc amplius apud Appianum invenies, ad CXX. millia eos aliquando coaluisse) *Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox Romanorum omnium principem.* Quod ex eo ludo LXIV. gladiatores profugisse ait, rescribendum fortasse fuerit LXXIV. qui numerus Livianæ epitomæ, Eutropii, & historiæ miscellæ codices insedit: nam ceteri inter sese diversi abeunt: Florus triginta eoque amplius numero fuisse tradit, Appianus septuaginta, Plutarchus octo & septuaginta. Ac Livius de eo bello libro XCV. exorsus, per duos etiam sequentes prolixam satis narrationem instituerat, quorum librorum restant tantum epitomæ; quorum quæ est XCV. in ea hæc leguntur: *Quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, & congregata servorum & ergastulorum multitudine &c.* Quis ille Lentulus fuerit, qui Capuæ gladiatores aleret, ob Livianas decadas amissas, nihil propius fuit, quam ut nesciremus; nisi Plutarchi vitæ commodum suppetias ferrent, qui hæc habet in Crasso. Λεντλυ τινὸς Βατίατυ μονομάχυς ἐν Καπύη τρέφοντος &c. ubi male Xylander interpres, *Lentulus*, inquit, *BATIATVS Capuæ gladiatorum familiam alebat.* &c. Quis unquam Batiati agnomen, horridum illud quidem, & a Latinis auribus abhorrens vel fando audivit? Vitanda interpreti fuisset Græci nominis insolentia, & suum Lentulo huic agnomen restituendum. Non enim dubito, quin intelligi oporteat *Cn.* illum *Lentulum VACCIAM*, de quo apud Ciceronem II. ad Q. Fr. 3. fit mentio. Ac de *Cn.* prænomine historiam miscellam hic consentientem habemus. Quamquam in ea, quam modo designavi epistola ad Q. Fr. *Cn. Lentulum Vatiam*, pro eo quod vulgo legitur *Vacciam*, esse rescribendum persuasum habeo; tum propter Plutarchi auctoritatem, qui Βατιάτυ, non Βακκιάτυ habet; tum etiam, quod is, cujus in historia est frequens mentio, P. Servilius Vacia Isauricus, is inquam, in fastis Capitolinis apud Grut. pag. 294. & 297. col. 3. A non *Vacia*, ut in libris appellari solet, sed VATIA cognominatur; ut omittam quod idem quoq; cognomen occurrit apud Grut. p. 1098.3.

Quando autem e Plutarcho haurire cœpimus, libet ejus narrationis saltem initium latinitate donare: *Lentulo*, inquit, *Vatia gladiatorum familiam Capuæ alente, quorum plerique Galli & Thraces erant; cum ii nullum ob scelus, sed emtoris injuria in artes gladiatorias auctorati coercerentur: ducenti eorum de fuga consilium inierunt.* B *Qua a quibusdam molitione detecta, duodeoctoginta, quibus ea suboluit, fugam arripere occupantes, cultris verubusque ex quadam popina correptis exilierunt. Nactique in itinere plaustra, quibus arma gladiatoria in aliam civitatem inferebantur, iis arreptis sese obarmarunt. Ita satis firmo ad sese tuendum loco occupato*(hic mons Vesuvius fuit)*e suorummet numero duces legere tres. Eorum primo Spartaco nomen fuit, natione Thraci, e Nomadum genere, qui cum robore virium spiritus ingentes jungens, simul prudentia modestiaque supra suam* C *conditionem pollebat, & super hæc cultior quam pro sua natione .... Jam primum omnium iis, qui Capua ad se persequendum venerant, fugatis, bellicisque eorum armis potiti, iis se libenter induerunt, illa vero gladiatoria, quippe indecora ac barbarica, abjecerunt. &c.* Ceteram Plutarchi narrationem non opus est huc afferre, (non enim id agimus) quam si quis volet, quanti est laboris nobilem scriptorem adire? Simul etiam Appianus legi poterit, qui satis diffuse lib. I. τῶ ἐμφυλ. ejus belli historiam persequitur: a quo hoc discimus, post- D quam debellatum de fugitivis fuit, sex millia eorum in potestatem redactos per totam viam, qua in Urbem itur a Capua, ex intervallo dispositos pependisse.

Verum ad Cheronensem ut redeam: fuit cum verba illa initio ejus narrationis posita, ὧν οἱ πολλοὶ Γαλάται ϗ Θρᾶκες ἦσαν, sic interpretarer, ut *Myrmillones atque Threces* verterem (quam deinde conjecturam a viro docto occupatam deprehendi) itaut non tam fugitivorum istorum nationes, quam qua in classe gladiatorum censerentur, Græcus scriptor indicare volue- E rit. Scitum illud est *Samnitas* in re muneraria non tam nationis, quam generis gladiatorum, nomen fuisse; itaut opinio sit Lipsii aliorumque, quicunque id armaturæ genus ferrent, & ubicunque demum nati essent, Samnitas gladiatores appellatos: id quod de Thracibus sive Threcibus quoque intelligi posse, not. 65. expositum fuit. Jam vero Myrmillones eosdem etiam Gallos appellatos, Festus testatur. *Retiario*, inquit, *pugnanti adversus Myrmillonem cantatur NON TE PETO, PI-* F *SCEM PETO, QVID ME FVGIS GALLE? quia Myrmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsique Myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Quæ Festi verba Juvenalis Scholiastes ad sat. 8. descripsisse videtur. Ac Salmasius exerc. in Sol. a *mormyre* pisce, cujus fit ab Ovidio apud Plinium XXXII. II. mentio, Myrmillones appellatos putavit: de quo tamen vide Vossii etym. Ad rem vero nostram quod attinet, non

absurde nos quidem Δαλάτας ϰ Θρᾷϰες A *Myrmillones & Threces* verti posse putabamus; re enim vera Myrmillones nonnunquam quidem cum retiariis, plerumque autem cum Threcibus committebantur: itaque verisimile est non tam nationem hominum, quam gladiatorum genus Plutarcho scribenti fuisse obversatum. Accedit his, quod apud Florum in hujus belli historia expressa est Myrmillonum mentio. *Tandem etiam*, inquit, *totis imperii viribus contra Myrmillonem* (Spartacum) *consurgitur*. Verum utut gladiatores illi maximam partem Myrmillones Threcesque B exstiterint: vix tamen putarim aliud illis verbis, quam eorum servorum nationem Plutarchum notare voluisse. Quare tutius feci, ut *Gallos* & *Thracas* in interpretatione ponerem. Nam, si cui sit libido, liberum est *Gallos* illos & *Thracas* ad artificium referre, quippe cum Myrmillones iidem Galli olim dicerentur. Itaque sic quoque in tuto res erit. Tamen, uti dicebam, nationes, non studia ibi historicus indicavit: nam revera eos fugitivos ortu partim Gallos partim Thracas fuisse, ex Plutar- C chi sequente narratione percipitur: *Cum enim*, inquit, *opes Romanas opprimere se posse* (Spartacus) *diffideret; movit cum exercitu versus Alpes, censuitque iis superatis, domum cuique suam, aliis in Thraciam, aliis in Galliam, abeundum*. Ad hæc Crixum & Oenomaum genere Gallos fuisse in historia miscella legi. Demum Spartacum ortum in Thracia omnes consentiunt: & tamen hunc, quem genere Thracem scriptores affirmant, artificio non Threcem, sed Myrmillonem fuisse verbis supra recitatis Florus affirmat: ita- D ut, nisi iste nos fallit, nec qui e Thracia genus ducebant eos continuo etiam artificio tales fuisse necesse fuerit, nec qui e Gallia, eos omnino Myrmillones; & nationes, non instituta hominum unice Cheronensis spectarit.

Antequam vero manum de tabula: Pæanius is, cujus exstat Græca Eutropii metaphrasis, quod *effracto Capuæ ludo* Eutropius dixit, is ὁ ρύξαντες τὸ μονομαχικὸν θέατρον posuit: quæ si vera esset interpretatio, jam Campani amphitheatri veterem tandem testem invenissemus. Sed toto aberrat cælo is Græculus non secus, atque ubi in Commodi rebus μονομαχικὸν ςάδιον appellat, quod μονομαχικὸν καταγώγιον, ut Herodianus vocat, vertere debuisset. Ac de Lentuli ludo, quem fugitivorum eruptio apud posteros celebravit, jam satis. Cetero qui Cæsaris ludus multo frequentior fuit.

Augusti ludus Alexandriæ.

At vero *ludus familiæ gladiatorum Cæsaris Alexandreæ ad Ægyptum* cujus mentio fit in Neapolitano elogio apud Grut. p. 376. non ad Cæsarem patrem, sed ad filium Augustum est referendus, cui primum Alexandrea paruit, cujus etiam Augusti infra in eadem inscriptione mentio exsistit (63).

CAP. V.

De Campanorum studio in omne genus ludos præcipue gladiatorios.

Ludia Lydis.

Ludorum originem imo & nomen a Lydis esse arcessendum, qui duce Tyrrheno in Tuscia consederunt, ibique ludos, quos in Lydia agerent, instituerunt, ex Tertulliano & Herodoto jampridem viri eruditi demonstrarunt (64). Quare nulli mirum, si Campani, cum Tusci essent origine (Tuscos autem seu Tyrrhenos e Lydia venisse nemini obscurum) in omne genus ludos propensissimi fuerint. Accedebat cæli temperies, tum luxus, otium, deliciæ, quibus (quod toties veteres scriptores expostulant) Campani diffluebant, in tantum ut vel ipsos Sybaritas ea parte a Campanis superatos scribatur apud Athenæum: quæ omnia ludicrarum artium incitamenta ac fomites exstiterunt.

Campanorum luxus.

(63) Inscriptio sic se habet: L. BOVIVS. L. F. ... PROCVR. LVDI. FAMIL. GLAD. CAESARIS. ALEXANDREAE. AD. AEGYPTVM. ADLECTVS. INTER. SELECTOS. AB. IMPERATORE. CAESARE. AVG. &c. Ergo ludus Alexandrinus Cæsaris, non Julii fuit, sed Augusti. Hinc illud apud eundem Grut. p. 389. 7. PROC. CLAVDI. ALEXANDRINE. &c. corrigendum prorsus puto ac reponendum PROC. GLAD. LVDI. ALEXANDRINI. qui error supra quoque eadem inscriptione irrepserat, ubi pro PROC. CLAVDI. DACIC. rescribo PROC. GLAD. LVDI. DACIC. Nec aliter in marmore fuisse oportet: Nam ludus Alexandrinus e superiore Neapolitano marmore notus est, ludus vero Dacicus e Rufo & Victore notissimus, & insuper cum ludo magno in hac inscriptione conjungitur. Et descriptori parum exercitato pronissimum fuit pro GLAD. LVDI. excisis litteris intermediis, CLAVDI. nobis obcrudere: sæpe isto modo in lapidibus ac libris describendis peccatum fuit. Integra inscriptio, quam circa Puteolos e Mazzellæ antiqq. Puteol. Gruterus ponit, talis est. TI. CLAVDIO. ILO. PRAEFECTO. CLASSIS PRAETOR. MISENI. PVB. (illud PVB. ante cognomen est trajiciendum, ut tribum PVBliliam, quæ sæpius POBlilia dicitur, notet, aut, si P in marmore fuerit, PVPiniam) PROC. LVDI. MAGNI. (Nescio quid venerit in mentem Gudio in notis ad Grut. allegare illud huc Taciti XIII. ann. 22. *cura ludorum, qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ* permittitur: aliud enim *cura ludorum*, aliud *procurator ludi* seu scholæ gladiatorum fuit) PROC. CLAVDI. (rescribe, ut dixi, GLAD. LVDI.) DACIC. PROC. XX. (idest vicesimæ) HEREDITATIVM. PRAEFE. VEHICVLORVM. PROC. CLAVDI. ALEXANDRINE [repone, uti monebam, GLAD. LVDI. ALEXANDRINI.] PRAETORIAE. (illud PRAETORIAE. nescio quo pertineat: ac stultum est de aliqua *classe Alexandrina prætoria* cogitare) TRIB. LEG. VII. CLADDIAE. PIAE. FIDEL. PRÆF. COH. II. GALLORVM. PRAEF. COH. II. BOSFORANORVM. Ultimam vocem puto in marmore per P scriptam fuisse BOSPORANORVM.

(64) Tertullianus lib. de spectac. c. 5. *Ludorum*, inquit, *origo sic traditur Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse, ut Timæus refert, duce Tyrrheno . . . Igitur in Etruria inter ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem; ut ludi a Lydis vocarentur*. Herodotus lib. II. *Lydi ipsi ajunt se ludos invenisse, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes sunt: simul autem hæc invenisse & in Tyrrheniam colonos deduxisse*. Sed & quos *ludios* aut *ludiones* Romani appellabant, idest pueros quosdam ὀρχηστὰς r eosdem & *lydios* scribi consuevisse, haud aliter quam *Syrus* & *Surus* olim scribebatur, e veteribus libris Vossius in etymol. probat: nam Lydi optimi saltatores fuerunt, quod innuit Hesychius in λυδίζειν. Miror autem Vossium non Appiani potissimum auctoritate usum, cujus locum ex Punicis p. 35. in Scipionis triumpho libentissime adscribam, quod eo Vossii etymon mirifice confirmari intelligam. *Ipsum imperatorem præcedunt lictores paludati, & chorus citharistarum & satyrorum Etrusco more cinctorum, ornatorumque coronis aureis, qui pariter incedunt ordine cum cantu & tripudio: Ludios ipsi vocant, ideo, opinor, quia Etrusci Lydorum coloni sunt*. Postrema hæc verba, ne quis forte addubitet, græce sic habent: λυδὰς αὐτὰς καλῦσιν, ὅτι (οἶμαι) τυῤῥηνικοὶ Λυδῶν ἄποικοι.

Itaque

Itaque nullum genus ludicri fuit, cujus non illi artifices celebrarentur. Et ludorum genera quatuor apud Romanos fuere, circenses, scenici, gladiatores, venatio: mox & sub Cæsaribus introducta gymnasia. Scenicis voluptatibus quantopere Campani indulgerent, seorsum fortasse dicetur.

Eorundem circenses.

Et gymnasium Capuæ fuisse, tum qua potissimum urbis regione fuerit, deinceps non obscuris indiciis demonstrabo. De circensibus Campanorum fidem facit Gratiani lex 2. C. Theod. lib. XV. t. 10. de equis curulibus: quam proderit hic subtexere: *Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Valerianum P. V. Equos voluptatibus profuturos* (qui in stabulis urbis Romæ alebantur) *nequaquam Campanorum populus adsequatur, quam si duo millia modiorum fabæ per singulas factiones stabulorum* (ea sunt octo millia modiorum, nam sicum agitatorum quatuor factiones fuere, ita & equorum seu stabulorum) *in urbe venerabili* (Roma) *necessaria antiqua & sollemni præbitione contulerint. Dat. X. Kal. Maii, Aquil. Syagrio & Eucherio Coss.* Qui est annus æræ CCCLXXXI.

A Campanis gladiatores ad mensam adhibiti.

Sed ad gladiatorios potissimum ludos Campani ab antiquissimis usque temporibus proni fuerunt: ac tanta in id spectaculi genus ferebantur insania, nulla ut mensa satis apparata censeretur, ad quam non aliquot gladiatorum paria committerent, illaque se tanta immanitate oblectarent. Testis Strabo lib. V. *Eo*, inquit, *luxus provecti sunt* (Campani) *ut convivas vocarent ad paria gladiatorum; quorum numerum pro dignitate cujusque convivii augebant minuebantve*. Livius lib. IX. c. 40. *Campani ab superbia & odio Samnitium, gladiatores* (*quod spectaculum inter epulas erat*) *eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt*.

Samnitium gladiatorum origo a Campanis.

Unde hoc etiam intelligitur, genus illud gladiatorum, quibus *Samnitibus* nomen fuit, a Campanis excogitatum anno ferme U. C. CCCCXLIV. Ac de Samnitibus istis mitto dicere (65). Verum, quod huc attinet, diu ante id tempus (nam Livius tanquam de re jamdiu usitata loquitur) familiare Campanis erat inter dapes pugnas gladiatorum conserere. Silius quoque *olim*, idest diu ante Punicum bellum eum morem apud Campanos obtinuisse testatur; sic enim canit lib. XI. 51.

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Itaque bene ex his colligit Lipsius Sat. I. 6. Romanos, apud quos etiam ille mos efferatus invaluit, a Campanis potissimum id imitatos.

Nic. Damasceno lux.

Sed turbat Nicolaus Damascenus apud Athenæum IV. 13. qui a Tyrrhenis hausisse eum morem Romanos affirmat. Verba hic libentius adscribam, quod mutila a Lipsio ibidem recitantur. *Gladiatorum spectacula*, inquit Damascenus, *non per ferias tantum populiq; frequentia, & in theatris* (sic enim Græcorum more vocat amphitheatra) *Romani exhibebant, A TYRRHENIS INVECTO MORE, sed & in conviviis. Quin & ad cœnam sæpe amicos vocare soliti cum ob alia, tum ut bina aut terna paria gladiatorum viderent: quos exsatiati jam vinoque madentes advocabant; atque ille quidem jugulabatur, isti tanquam in re læta plausum dabant*. Non video quid caussæ Lipsio fuerit verba illa omittendi *παρὰ Τυῤῥηνῶν παραμαβόντες τὸ ἔθος*, idest *a Tyrrhenis accepto more*, nisi forte hoc, quod cum paullo ante ipse dixisset Romanos a Campanis eum morem hausisse, Damascenus contra a Tuscis id acceptum affirmare videretur. Sed nihil ab iis Damasceni verbis timendum fuit: nam Campani *ἀνέκαθεν* Etrusci fuerunt: & cum ab Etruscis id haustum Nicolaus Damascenus affirmat, næ is Etruscos Campanos, quorum in more id positum fuit, non vero Etruscos Transtiberinos intellexit, de quibus nusquam id legi puto. Quanquam verba illa *a Tyrrhenis accepto more*, non ad convivales tantum gladiatores retulit ille historicus, verum etiam ad amphitheatrales & qui ludis publicis producebantur. Et attulit ea verba Lipsius Sat. I. 8. (& si vir magnus memoria fretus, opinor, paullo diversa posuit) ut fidem faceret, universe gladiatores ab Etruscis Romam permanasse. Sed malim, uti dixi, ab Etruscis Campanis Romanos universum id ludicri genus accepisse, quam ab illis Transtiberinis, de quibus nondum quidquam legi, quod ad gladiatorum spectacula pertineret. Fortassis & Athenæi non nihil auctoritas facit; qui cum IV. 13. dixisset: *Campanorum quidam inter convivia singulari certamine pugnant*, tum Damasceni locum subjungit, quem, credo, Athenæus non de aliis Etruscis, quam nostris Campanis interpretabatur.

Atque hæc quæ dixi hactenus, ad cascos illos Campanos pertinent. Venio ad coloniæ tempora, de quibus non est mihi magnopere laborandum, quod superiore capite Cæsaris verba recitarim de ludo gla-

[65] De gladiatoribus iis, quibus *Samnitibus* nomen fuit, vide Lipsium II. Sat. II. Et ex Livii verbis intelligitur gladiatores *Samnitas*, non natione tales exstitisse, sed ita dictos quod eorum armaturam referrent, quæ, Livio teste IX. 40. hujusmodi fuit: *Forma*, inquit, *erat scuti, summum latius, qua pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali, ad imum cuneatior mobilitatis caussa: spongia pectori tegumentum, & sinistrum crus ocrea tectum: galeæ cristatæ*. Et vide apud Fabrettum de col. Tra. cap. 8. p. 258. Batoniani monumenti sculpturam, in quo ad Samnitici ornatus effigiem gladiator insculpitur: nisi quod scutum infra non cuneatur. Ac de Samnitibus istis adeantur Turnebi adversaria, Salmasius ad Sol. aliique. Post Augustum putat Lipsius Samnitium nomen inauditum fuisse, & in *hoplomachos* transisse.

Quod de Samnitibus dixi non natione tales fuisse, sed armatura; id de Threcibus quoque intelligendum [quantum e Festo, & Suetonio in Tito cap. 8. colligi potest) qui a Threcidica armatura, idest parma & harpe quam gerebant, Threces dicebantur. Itemque Myrmillones, qui cum Threcibus plerunque committebantur, eosdem *Gallos* quandoque appellatos invenies, quod Gallicum armaturæ genus adhiberent.

diatorum, quem Capuæ Cæsar habebat. Eumque fuisse sane quam frequentissimum oportet; ita ut cum eos ludus non caperet, per domos distribuendi fuerint. Nam ea est sententia M. Tullii ad Att. VII. 14. *Gladiatores*, inquit, *Cæsaris qui Capuæ sunt ... sane commode Pompejus distribuit, binos singulis patribus familiarum. Secutorum in ludo* ıɔɔ *fuerunt*. Itaq; præter *secutorum* (nomen id gladiatoribus fuit iis, qui plerumq; cum retiariis committebantur) ıɔɔ. innumerabiles alii fuere per familias distributi, quorum summa ad XL. saltem millia gladiatorum fuerunt, quemadmodum supra notatione 10. ratiocinabar. Nec fieri potest, quin Campani ei studio addictissimi suorum etiam maximam aluerint multitudinem. Nec minus sub Cæsaribus ingens eorum manus in ea colonia fuit. Spartianus in Juliano: *Sed postea sponte sua gladiatores Capuæ jussit armari per Lollianum Titianum*. Et vetera epitaphia duo Campana in schedis habeo gladiatoribus posita, in quorum uno rudes insculptas invenio. Ac præterea anno MDCXLVII. e ruderibus hujus amphitheatri eruta fuit sequens inscriptio, quam in Paulli Vecchionii MSS. voluminibus a se repertam vir eruditus Canonicus Franciscus Pratillus mecum olim amicissime communicavit, quæ sic habet:

Gladiatorum in Campana colonia multitudo.

L. VETTIVS. TRIBVNVS

AID. Q. IIERAVIT

MVNVS. GLADIATO..

IDEM. POPVLO. CA....

MODIOS. BINOS. DED..

Ex qua intelligimus, sicuti Romæ munus edere ædilium fuit (unde Cic. II. de offic. *Crassus*, inquit, *functus est ædilitio maximo munere*) sic & in coloniis ad AIDiles potissimum eam editionem pertinuisse; quam etiam L. Vettius ITERAVIT (sic enim altero versu indubie legendum) idemque populo CAmpano modios binos dedit. In quadam etiam Jo. Petri Paschalis e S. I. scheda eadem refertur inscriptio, sed magis aliquanto mutila: præsertim primo versu deest vox TRIBVNVS, quam vocem equidem suspectam habeo; nisi forte cognomen fuerit. Narratq; idem Paschalis eam epigraphen prægrandi & ornato lapidi scalptam fuisse, ac primo versu litteras habuisse palmares (& palmos Neapolitanos intelligit) ceteris deinceps versibus litteras decrevisse.

Sed jam a suscepto itinere aufert animum *victorum* Campaniæ recordatio, quos Neapolitana (an Hydrentinam appellem? nam Hydrunto olim Neapolim eam tabellam allatam Gruterus p. 36. 45. refert) inscriptio indicat, quam nuper ex ipso marmore, quod in S. Mariæ Liberorum prostat, diligenter descripsi, ut facile sit lectori tum versuum dispositionem, tum alia quædam minutiora errata in Grutero emendare. Nam apud Capacium p. 264. mendosior exhibetur. Inscriptio vero sic se habet:

Campaniæ *victores*.

M. BASSAEO. M. F. PAL
AXIO
PATR. COL. CVR. R. P. IIVIR. MV
NIF. PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP.
TRIB. MIL. LEG. XIII. GEM. PROC. REG. CALA
BRIC. OMNIBVS. HONORIB. CAPVAE. FVNC
PATR. COL. LVPIENSIVM. PATR. MVNICIPI
HVDRENTINOR. VNIVERSVS. ORDO. MVNICIP
OB REM. PVBL. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM
HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES. CAMPANI
AE. PRETIS. ET. AESTIM. PARIA. GLADIAT. EDIDIT
L. D. D. D.

In cujus inscriptionis singulas partes inquirere hoc quidem loco sit importunius: itaque extremis tantum duabus elogii lineis nonnihil immorabor: cetera in subjecta notatione (66) seposita habebis. Nam dicitur M. ille Bassæus (quem domo Campanum fuisse ex eo licet suspicari, quod OMNIBVS. HONORIB. CAPVAE FVNCtus esset) *primus & solus victores Campaniæ pretiis & æstimatione paria gladiatorum edidisse*. Quinam sunt isti gladiatores *victores*? Lipsius Sat. II. 16. hac

(66) Ac primum M. hunc Bassæum domo Capua fuisse ex iis potissimum verbis mihi persuadeo OMNIBVS. HONORIB. CAPVAE. FVNC. Quæ verba in Gruterianis inscriptionibus nusquam non occurrunt, ac fere in eum modum: *Omnibus honoribus in colonia sua, vel in rep. sua, aut in patria sua functus*. Hic autem, quod ea inscriptio alibi posita esset, idcirco nomen CAPVAE exprimi visum fuit.

Ad hæc M. Bassæus IIVIR. (quod tertia linea legitur) Capuæne, an Hudrenti, ubi inscriptio posita, sit accipiendus, haud definio. Et si quidem IIVIR. MVNIC. (quemadmodum Gruterus exhibet) in lapide legeretur, haud dubium, quin de Hudrentino municipio esset capiendum: nunc MVNIF. me oculato teste, in tabula scribitur. Itaque Capuæ IIVIRum malim intelligendum: primum quod OMNIBVS. HONORIB. CAPVAE. FVNCtus fuerit, quorum maximus duumviratus: deinde quod Hudrentinorum duumviratus haud magnæ dignationis fuit, minoris quidem certe, quam eorundem PATRonum appellari, quod septimo versu ponitur; & tamen in inscriptionibus a majoribus sensim ad inferiores dignitates fit plurimum gradus: demum quod IIVIR. MVNIFicentissimus idcirco appelletur, quod eximium illud *munus* ediderit, de quo ima tabella loquitur.

Sic enim animadverti, haud raro *munificentiam* cum respectu ad *munus* gladiatorium usurpari. Apulejus lib. x. de Thyasi quinquennalitate: *Et ut splendori capessendarum responderet fascium, munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius MVNIFICENTIAM suam protendebat*. In celebri Neapolitana inscriptione L. Egnatio posita: *Hic. obliterato. muneris. spectaculo. impetrata. editione. ab.*

Qui isti victores.

inscriptione producta & Plinii loco quem statim ponam, addubitat, utrum isti γενικῶς, & ab effectu sic dicerentur, an cognomine certo & discernendi caussa. Sed utrunque verum est, & ab effectu sic appellatos, quod plures jam palmas numerarent, & insuper certo cognomine, & discernendi caussa, postquam institutum, ut victores isti insigni munificentia invicem committerentur.

Inscriptio cum Plinio conciliata.

Sed enim quo pacto mendacii non accusabitur inscriptio, quæ M. Bassæum, qui certe (ut ex quarta linea constat) sub Cæsaribus vixit, *primum & solum* victores produxisse jactet, cum tanto ante & extremis reip. temporibus C. Curio in illo compactili ac stupendæ artis amphitheatro (quod duo maxima ac versatilia e ligno theatra, statim ut libitum fuit coeuntia, efficiebant, quæ simulatque aversa discederent, rursus theatra erant) eos exhibuerit? Qua de re tanquam maxime memorabili Plinius XXXVI. 15. scriptum reliquit: *Raptisque e contrario repente pulpitis, eodem die VICTORES e gladiatoribus suis produxit*. Sed dupliciter il-

A le titulus ab ea crimininatione absolvitur, primum quod quam Curio Romæ munificentiam exhibuerat, eandem Bassæus Capuæ primus ac solus usurparit: deinde quod Curio e gladiatoribus suis, Bassæus Campaniæ victores produxerit, & ille, in quo caput est, adhuc, opinor, auctoratos, hic exauctoratos jam *pretiis & æstimatione paria gladiatorum edidit*. Hoc ergo potissimum inter Curionis ac Bassæi editionem interest, quod ille victores quidem, sed adhuc auctoratos nulla mercede

B conductos (quippe *non opibus insignis*, ait ibidem Plinius, *ut qui nihil in censu habuerit præter discordiam principum*) inter sese commiserit: noster autem quandoquidem pretiis & æstimatione cum Campaniæ victoribus transegit, est id certissimo indicio, eum non modo victores, sed *spectatos satis & donatos jam rude ... iterum antiquo includere ludo* quæsivisse. Atque hæc de Campaniæ victoribus satis: non enim Campanos tantum, idest qui e Capuæ ludo prodierant, sed ex universa Campania pretiis & æstimatione victores excivit, quo

C eorum frequentia apparatius munus exsi-

indulgen. max. principis. diem. gladiatorum. &. omnem. apparatum. pecunia. sua. edidit. coloni. &. incolæ. ob. MVNIFIGENTIAM. ejus. L. D. D. D. Ad hæc inscriptio est Suessæ apud Grut. p. 475. 3. & 4. posita C. TITIO. CHRESIMO. AVG. II. Quo loco male Reinesius AVG. LIB. rescribit: quis enim Augustus ex gente Titia fuit? Nec illud melius quod AVG. VIVIR. reponit; nam *Seviri Augustales*, non *Augustales Seviri* dicebantur. Atqui AVG. II. non nunc primum in inscriptionibus legitur, valetque *Augustalis iterum*. Verum hoc obiter. Ea in inscriptione honos bisellii & aquæ digitus Chresimo ob edita munera decernitur: tum in averso latere caussa hæc adscribitur OB MVNIFICENT. &c. Iam vero quid caussæ est, cur inscriptionem Allisanam apud Grut. p. 409. 3. quæ huc maxime facit, prætermeam? Ea sic habet:

L. FADIO. PIERO. II. VIRO.
MVNIFICENTISSIMO. CIVI.
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATION
BESTIARVM. AFRICANAR. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV
SVOACCEPTIS. A. REP. HS. XIIIX. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCAENICOR. P. S. F. AVGVSTALES
L. D. D. D.

Et in hac quidem inscriptione L. Fadius MVMIFICENTISSIMus appellatur ob utriusque *muneris* tam gladiatorum quam venationis [nam hanc quoque *munus* fuisse sub Cæsaribus appellatam, supra nota 42. demonstratum fuit] splendidissimum apparatum. In nummis vero Antonini, Commodi & Elagabali inscribitur MVNIFICENTIA. AVG. cum respectu ad *munus* venationis, & elephas in iisdem scalpitur ad significandum elephantorum ab iis Augustis fuisse præbitam venationem. Antonini nummus cum ea, quam dixi, scalptura & epigraphe, est maxime obvius: Commodi vero & Elagabali cum eadem inscriptione & effigie numismata vide apud Gisb. Cuperum libro de elephantis, [quem haud ita pridem in thes. Sallengriani to. III. editum habes] exercit. 2. cap. 9. p. 208. Et tamen vir doctus cum eo libro ita materiam exhauserit, nihil ut reliquum aliorum fecerit ingeniis, hanc notionem tamen vocis MVNIFICENTIA cum ceteris ignoravit. Atqui sic se res habet: MVNIFICENTIA in iis nummis ponitur ad *munus* apparatissimum elephantorum ab iis editum designandum. De Antonino res est clarissima ex Capitolino cap. 10. *Edita MVNERA in quibus ELEPHANTOS & corocottas &c. exhibuit*. Et de Commodo legitur apud Xiphilinum lib. 72. non solum elephantos ab eo exhibitos, sed & unum ex iis ab illo bestiario principe descendente in arenam fuisse occisum. Ab Elagabalo eandem venationem aliquando præbitam est conjiciendum. Et tamen idem Cuperus cum quid MVNIFICENTIA in iis nummis sibi velit, nihil pensi ducat, tamen de commentitia altera inscriptione est mirifice anxius. Nam pag. 209. oggerit nobis minime obvium imo fictitium ex Angelono nummum, in quo Elephas quidem insculpatur, sed cum hac epigraphe MAGNIFICENTIA AVG. COS. III. Qui quidem nummus rarior est, quam ut usquam inveniri putem. Et habeo Antonini Pii nummum cum elephanto, in quo diserte inscribitur MVNIFICENTIA AVG. COS. III. Et alios non paucos vidi in eundem modum. Itaque suspicabar in nummo, quem contrectavit Angelonus, duo priora inscriptionis elementa fuisse detrita in hunc modum .. NIFICENTIA, illum vero MAGNIFICENTIA de suo supplevisse. Sed revera quod isto modo in nummo apud Angelonum legatur, non hujus, sed sculptoris error fuit: nam idem vir doctus in ejus nummi explanatione MVNIFICENTIA non MAGNIFICENTIA habet: etsi fallitur, quod ad aliquam liberalitatem ab Antonino exhibitam id vocabulum refert, cum ad munus idest venationes elephantorum unice sit referendum.

Sed redeo in viam. M. Bassæus IIVIR. MVNIFICentissimus eo dicitur, quod munus splendidissimum e victoribus Campaniæ, Capuæ utique, ediderit: ex quo colligo non Hudrenti sed Capuæ IIVIRum esse intelligendum; ob quam munificentiam in eo magistratu exhibitam credibile est ab iisdem Campanis & PATRonum suæ COLoniæ fuisse cooptatum, & CVRatorem R. P.

Adhæc ex eo quod via CAMPana in hoc epigrammate cum OSTiensi conjungitur: hinc Fabrettus in notis ad inscriptiones sexti capitis p. 482. viam Campanam inter Appiam & Ostiensem, eamque a *Porta* quadam *clausa* derivat. Ante Fabrettum Holstenius, Bergierius & plerique omnes a porta Cælimontana inter Latinam Labicanamque vias Campanam direxerant; sed contra eam opinionem disputat, suamque firmat Fabrettus p. 481. & 482. quem vide: nam longiorem de re ceteroqui obscura disputationem contexere non est otium.

Illud HVDRENTINORVM rectissime scriptum puto (est ne enim credibile municipes Hudrentinos, a quibus ea inscriptio posita, in suo perscribendo nomine aberrasse?) & sic potius scribendum, quam quod in Plinii & Livii editionibus *Hydruntum* per V legitur: nam sic est ab Ὑδροῦς Hudrentum vel Hydrentum, quemadmodum a Πυξοῦς Buxentum, & alia fortasse non pauca, quæ perquirere non vacat. Demum formulam illam PRIMVS. ET. SOLVS. memini me legisse in celebri Arundelliano marmore ap. Rein. v. 20. ubi legitur *κιθαρῳδὸς μόνος καὶ πρῶτος τῶν ἀπ' αἰῶνος νικήσας τοὺς ὑπογεγραμμένους ἀγῶνας*, &c. inter quos agonas Puteolana & Neapolitana certamina præ ceteris recensentur. Et est, opinor, sollemnis acclamandi formula istud PRIMVS. ET. SOLVS. ΜΟΝΟΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΟΣ. quemadmodum *παράδοξος* & similia.

steret. Et notabis interim veteres ferme non consuevisse vocem *Campanus* pro eo quod ad universam Campaniam pertineret usurpare, alioqui *Campanos victores* epigrammatographus posuisset: sed id vocabulum urbis Capuæ fuisse derivativum.

Ac de ludis gladiatoriis tantum. Nec tamen in venationem minus propensos fuisse Campanos, fidem facit tam ingens
De Campanorum venationibus. amphitheatrum ab ipsa sibi Capua constructum: nam venationis potissimum caussa amphitheatra fuisse exædificata, deinceps demonstrabitur. Nec fieri potuit, quin in hanc quoque insaniam raperentur, quippe cum sciamus Campanos Dianæ cultui tanquam patrii & ἐγχωρίυ numinis impensissime addictos fuisse, & Dianæ Tifatinæ ædem fuisse percelebrem. Venationem vero non illam rusticam solum, sed & istam ludicram in Dianæ fuisse tutela quis ignorat? Tertullianus de spect. cap. 10. *Martem & Dianam utriusque ludi* (gladiatorum & venationis) *præsides novimus*. Claudianus paneg. de cons. Manlii:

Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.

Hinc Martialis lib. de spect. epigr. 14. Dianam pro venatione posuit:

Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ.

Et sequenti epigr. de sue quæ ex vulnere peperit.

Experta est numen moriens utriusque Dianæ.

Cassiodorus v. 42. de venatione ait: *Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione teterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.*

CAP. VI.


Campani amphitheatri descriptio.

AD eam nunc hujus commentarii partem acceditur, quam, nisi amicissimorum hominum studia intercessissent, silentio obvolverem, duabus maxime de caussis: primum quod ea res, si quidem pro dignitate sit pertractanda, exquisitam accuratamque architecti ἀκρίβειαν potius, quam philologicam exercitationem requirit: deinde admirandi olim operis, nunc tantum umbræ & cadaveris, & magis magisque in dies non tam temporis quam hominum injuria pessum euntis angit summopere recordatio. Quis enim non indignissime ferat, ad insternendas vias, ad publica privataque ædificia construenda, non modo, quod tamen vix esset tolerandum, laceros ac diruptos illius egregii operis artus tamdiu consepultos inquietari, ac stupendas saxorum moles veluti per ludibrium frangi & comminui: verum etiam (*eheu posteri negabitis!*) ægro ipsi ac debilitato corpori manus violentas afferri; & quem post tot accepta vulnera trahit tamen vix adhuc miserum & anhelantem spiritum, eundem exigi per vim crudelissime atque evelli, ferrumque adigi per ipsa adhuc viscera palpitantia? Et indignamur Vandalos, Saracenos & si quas alias pestes hic debacchatas accepimus, pessime de hac civitate orbis terrarum imperio dignissima meritos: quando quas illi ex tanto incendio reliquias (operisne majestatem reveriti, an firmitatem non assecuti?) posteris transmiserunt, nos multis itineribus efferatiores flamma atque ferro convellere tamen pergimus? In paucorum, inquis, teterrimorum hominum audaciam ea tota culpa est rejicienda. Nam quid iis impune est? cur non illata antiquitati injuria vindicatur? Sed næ ego dolori meo nimium indulgeo. At eum tamen dolorem ne tantæ vastitatis memoria refricaret, invitus feci, ut amphitheatri hujus paucas vix lineas παχύτερον ducerem. Et hoc sane labore Camillus me Peregrinius ὁ πάνυ liberasset, nisi quæ de hoc amphitheatro seorsum conscripserat, cum ceteris Campanis antiquitatibus (alienatane ob morbi violentiam mente, an a plagiariis sibi cautum iturus?) flammæ mandasset, atque æternum sui desiderium posteris reliquisset. Vide Camp. Fel. pag. 723. ubi de amphitheatro scripturum se pollicetur, & pag. 117. ad idem opus lectorem rejicit, cum diceret amphitheatra, uti & nostrum, ab austro in arcton porrigi consuevisse, ut æstivo soli minus essent exposita, matutinis, opinor, horis vespertinisque.

Campanum amphitheatrum in dies ruit.

Peregrinii de hoc amphitheatro opusculum periit.


Quare si quis jam ecqua nunc ejus sit ædificii facies cognoscere aveat, tabulam adeat;



ubi illius operis vultus, uti quidem nunc habet, maxima sui parte mancus, situque ac macie horridus statim sese offert: vasta ibi omnia, & pauca ipsa quæ restant membra sine articulis resoluta ac fatiscentia vides: & ex pulcherrimo illo potissimum ac sumtuosissimi operis exteriore ambitu duo vix fornices trunci lacerique supersunt. Sed quod iidem tamen probe inspecti ad universam extimi orbis structuram colligendam veluti manu ducerent: is, cui ob navatam in amphitheatro depingendo operam plurimum debeo, Sanctulus Cyrillus (qui ad exquisitioris graphices studia tanto impetu animi, nullo sibi præeunte, incitatur, ut summorum jam nunc artificum gloriæ succrescat) eam extimi ambitus particulam seorsum diligentissime delineabit, quam seorsum quoque, uti cernis, in æs incisam exhibemus.

Hodiernus amphitheatri vultus.

A



Nec enim fuit illud pulcherrimi operis frustum negligendum: primum quod ex eo intelligatur ad ordinem potissimum Tuscanicum illud opus ex parte saltem, esse

Ima saltem amphitheatri pars, Tuscanica.

referendum (67): deinde quod non alio, ut opinor, quam duplicis illius fornicis indicio olim Costa usus fuerit ad universi amphitheatri faciem delineandam.


Costa olim Capuam & amphitheatrum integrum delineavit.


Nam fuit illud tempus, cum eruditissimus Capuæ Archiepiscop. Cæsar Costa Cæsaris Baronii *in jure civili publice interpretando olim in urbe præceptor* (utor enim ipsius Baronii verbis ad an. 968.) Campanarum antiquitatum idem non indiligens perscrutator: fuit, inquam, cum Romani nescio cujus architecti, quem ad sesquianum secum detinuit (quemadmodum in quodam MS. codice memini me legisse) opera usus, & veteris Capuæ ichnographiam, & amphitheatri, quale olim integrum extitisset, ortographiam in majoris ædium Archiepiscopalium cœnaculi parietibus depingenda curaret. Quod etiam doctissimi Archiepiscopi monumentum cum publico comunicandum putavi, paucis quibusdam mutatis, in quibus sive architectus, sive pictor erraverat. Illud plane miror quid caussæ fuerit, quamobrem illud amphitheatrum extra urbis pomerium Costa depingi curaverit; cum tamen Flavium amphitheatrum *urbe media*, teste Suetonio, exstructum fuerit. Quanquam non nego Placentinum amphitheatrum *situm extra muros* fuisse, teste Tacito in secundo hist. cap. 21.


Ejusdem pedatura, & aspectus, interior.

Præterea & ejusdem ædificii interiorem aspectum, & e regione ichnographiam posui:

(67) Antonius Sanfelicius in illa pereleganti descriptione Campaniæ, quam senatui populoque Campano dicavit, nostrum amphitheatrum opere Dorico constructum affirmat. Ad hæc Cælestinus Guicciardinus in Mercurio Campano operis fuisse Corinthii imperitissime statuit. Denium e Jo. Petri Paschalis Jesuitæ scheda, quam Canonicus Galeottus Junianus & nobilitate & mira in poeticen facilitate eximius comiter mecum communicavit, didici, illud Capuæ lumen Jo. Baptistam Attendolum, [cujus pater Ambrosius Attendolus callentissimus architectus, Capua Cajetaque munitis, aliisque operibus illustris, amphitheatri molem, ut ibidem narratur, dimensus fuerat, credo etiam delinearat] sic statuisse, e quatuor columnarum ordinibus, quibus hæc fabrica surgeret, infimas ac solo citimas fuisse Tuscanicas, proximas his Doricas, tum sequentes Jonicas, ac demum supremi ordinis quadratas columnas ad Corinthiam dispositionem pertinuisse. Ac de ima columnarum serie nihil est dubitandum quin sint Tuscanicæ, uti statim demonstrabitur. Alterius item seriei columnas fuisse Doricas






EX CAES COSTAE DEFORMATIONE
N. S. T. V.
Pag. 635. Tab. III.

quæ duæ icones satis esse possunt ad universam ejus molis structuram perspiciendam. Et internam illam quidem faciem, quam ferme unius generis in omnibus fuisse mihi persuadeo, e Lipsio magnam partem sum mutuatus; non paucis tamen mutatis, quæ sive ratio & veterum auctoritas, sive accurata nostræ caveæ inspectio, mutanda suaderet. Ichnographiam vero talem exhibui, qualem e singulorum membrorum autopsia & dimensione potui colligere.

tum & circumferentia, In dimetiendo autem amphitheatro de circumferentia parum sollicitus fui, quod ejus dimensio ex utraque diametro cognita facile geometricis rationibus colligatur. Et tamen fornicis unius IN FRONTE (uti veteres loquebantur) dimensiones adnectam, unde etiam extimam circumferentiam assequi possis. Itaque inter singulos imi ordinis fornices palmos (nostrates Neapolitanos semper intelligo, quorum terni deni ex sententia Donati Gallarani doctissimi architecti decem antiquos pedes conficiunt) quindecim uncia minus reperi: pilas vero ipsas in fronte palmos octo uncia minus latas singulas comperio. Ita singulis fornicibus palmos tres & viginti duabus unciis minus imputabis: qui sunt pedes ferme 17 $\frac{2}{3}$. Quam summam si septuagies octies multiplices (totidem enim fornices in ambitu numerantur) atque insuper duarum portarum meridianæ & borealis mensuras adjicias (quæ quidem portæ cum adjacentibus pilis sesquialtero eoque amplius, quam singuli fornices patentiores existunt) jam totius extimi orbis dimensionem habebis.

& spissitudo. Atque hæc quidem IN FRONTE: IN AGRO vero, seu RETRO totius fabricæ spissitudinem colliges in hunc modum. Ab extimo ambitu, idest ab extrema columnarum parastaticis adhærentium projectura ad primorem arenam, seu ad podii murum quaquaversum palmi 174. $\frac{1}{2}$, idest pedes 134 $\frac{3}{13}$ colliguntur. Arenæ vero

A ipsius major axis in palmos usque 294. protenditur, qui sunt pedes 226 $\frac{2}{13}$, minor vere axis palmis 176. idest pedibus 135 $\frac{5}{13}$ patet. Itaque totius jam amphitheatri longitudo maxima palmos 643. hoc est pedes 494 $\frac{8}{13}$ colligit: in maxima vero universæ molis latitudine palmi 525. numerantur, ii sunt pedes 403. $\frac{11}{13}$.

& singulorum membrorum dimensiones. Accedo nunc ad singulorum membrorum mensuras non IN FRONTE, sed IN AGRVM seu RETRO, uti veteres inscriptiones loquuntur. Extimi ambitus pilæ singulæ, computata etiam columnæ B projectura, palmos habent 8 $\frac{1}{2}$. Tum prima omnium porticus palmis 16 $\frac{1}{3}$ patet. Deinde quæ sequuntur pilæ, singulis palmi 6 $\frac{2}{3}$ cedunt. Quas altera porticus excipit palmis 14 $\frac{1}{2}$ lata. Muris, qui sequuntur, singulis palmi 63 $\frac{1}{2}$ sunt imputandi. Tertia dein porticus palmos 13 $\frac{1}{3}$ habet. Tum alter fabricæ ambitus palm. 24 $\frac{1}{2}$ crassus occurrit. Post intima porticus palmis 13 $\frac{2}{3}$ in latum extenditur. Tum ad extremum intimus ædificii orbis, qui hinc quarta porticu, illinc podii muro concluditur, C palmis 13 $\frac{2}{3}$ continetur. Et eas summas in ichnographia quoque majoris perspicuitatis gratia libuit adnotare. Quas collige jam: palmi 174 $\frac{2}{3}$ confient. Nec illud te concutiat, quod initio dixi ab extimo ambitu ad podii murum palmos 174 $\frac{1}{2}$ numerari; hic autem e singulis partibus palmos 174 $\frac{2}{3}$ colligi vides. Nam mihi quidem cum prius totam simul fabricæ spissitatem dimensus essem, tum eandem per partes explorassem; tantulum hoc discriminis non tanti visum fuit, ut decempedatorem ad integrandam διαμέτρησιν adigendum putaD rem. Et vel hæc mediocris, quam attuli, diligentia ad ædificii structuram intelligendam satis futura videbatur.

Exterior amphitheatri facies. Jam vero ad amphitheatri descriptionem propius accedamus. Tota moles exteriore pavimento quadratis magnæ molis silicibus instrato circumambitur: tum gra-

non abnuerim: nam & columnæ unius scapus, qui ferme adhuc est integer, procerior est quam pro structura Tuscanica: & capitulum, quod supra subjectam coronam collapsum hodieque visitur, videtur ad Doricum ordinem pertinere: &, in quo caput est, Attendolorum ætate alterius seriei reliquias multo fuisse integriores conjicio, ut rectius de ea judicium ferrent. Reliquas series ad eos spectasse ordines, quos modo memoravi, ex αὐτοψίᾳ dijudicasse Attendolos non est credibile: neque enim putarim ante centum quinquaginta annos exteriorem amphitheatri orbem multo fuisse erectiorem, quam nunc conspicitur. De superioribus ergo columnis mera ea est conjectura: non spernenda tamen, & vero proxima, quippe quam Flavii amphitheatri structura confirmat, in quo, si a Tusco discesseris, omnes alii ordines sese produnt: sunt enim ibi columnæ [teste Alexandro Donato III. 7.] Doricæ imæ, Jonicæ mediæ, summæ Corinthiæ, tum continuatus paries interlocatis opere composito quadratis columnis distinguitur.

Sed missis conjecturis, imam columnarum seriem non Dorica, sed Tuscanica dispositione constare quivis statuet, modo architectonicen vel primoribus labris attigerit. Nudus quippe hic prætenditur zophorus sine triglyphis & guttulis dependentibus, sine metopis: nulli præterea denticuli; eaque omnino omnia hinc exsulant ornamenta, sine quibus non potest Doricum opus consistere, quæque Dorico si ademeris, in Tyrrhenicum statim degenerabit. Non negarim tamen esse quædam nequaquam ad canones Tuscanici ordinis, qualem architectonices magistri definiunt, exacta. Nam primum columnæ scapus etsi aliqua sui parte aggestis ruderibus subsidit, videtur, ni fallor, aliquanto procerior quam pro brevitate Tuscanica: sed & capitulum & basis multo altius uno modulo, imo duobus circiter mo-

dulis assurgunt, & quædam sibi adsciscunt ab aliis Tuscis capitulis & basibus plane diversa. Quo enim illa in basi supra torulum sima? Videsis basis una cum subjecto gradu, cujusmodi olim effossam ajunt, deformationem, quam inter fornices illos duos exhibui. Ut omittam quod tam capituli abacus, quam in basi plinthus quadratæ sint, cum tamen in Tusco ordine cylindricæ fieri debuissent. Sed, ut fatear, veterum opera secundum architectonicos canones examinare si satagas, miram offendes inconstantiam (ex qua variantes recentiorum architectorum sententiæ profectæ videntur) multa enim architecti olim pro sua maxima voluntate variabant: ac difficillimum definitu est, quænam ita sint necessaria, ut abesse impune non possint.

Cum autem Tyrrhenicus ordo sit simplicissimus, ac vix ullius elegantiæ, quid caussæ esse potuit, quamobrem eum potissimum in hoc tam sumtuoso opere Campani adhiberent? Primum quod imæ columnæ Tyrrhenicæ fuerint, non continuo totum amphitheatri opus evadet Etruscum: & Attendolo assentior, aliis etiam ordinibus suum hic fuisse locum. Deinde in colossea amphitheatri mole quis ordo infimæ columnarum seriei Tusco convenientius adhiberi potuit, cujus maxima omnium firmitas existit? Et habet quoque suam mascula & incomta soliditas majestatem. Ad hæc ex superiorum comparatione columnarum, quibus sua inerant ornamenta ad suos quæque ordines pertinentia, mira totius operis symmetria proficiscebatur; cum paullatim ex incomta ad ornatam illam Doricam soliditatem, tum ex his ad Ionicam Corinthiacamque elegantiam fieret gradus. Demum, si lubet, non temere hoc est, quod Tusco etiam ordini, etsi raro ab aliis usurpato, suum esse locum Campani voluerunt, nam Tuscos sese esse origine probe norant.

du uno amphitheatrum conſcenditur. De pavimento & gradu docuit me lapicida, cui ea res poteſt eſſe exploratiſſima, quod multos jam annos in eruendis lapidibus vitam tolerat. Exterior aſpectus prope idem, qui Flavii amphitheatri fuit. Tota moles immanibus conſtructa ſaxis, triplici ordine porticus, fortaſſe & quadruplici in orbem erigebat. Affixæ paraſtaticis columnæ, duabus tantum ſui partibus exſtantes, plurium ſegmentorum ſcapo: quarum Tyrrhenicæ imæ, Doricæ mediæ, tum quæ ſequuntur fortaſſe Jonicæ: poſtremo ſupra continuatum parietem, quadratis opere fortaſſe Corinthiaco columnis & feneſtris ex intervallo diſpoſitis, corona circum attollebatur. Supra quam foramina deorſum patentia in orbem diſponebantur, per quæ antennæ demitterentur, quibus funes ad ſuſtinenda vela & opacandos clivos vinciebantur: qui mos inducendi theatris umbram a Campanis primum ortus ad Romanos poſtea traductus eſt, ut alibi dicam. Præter cetera ornamenta, fuere & imagines humerorum tenus ſummis fornicibus adhærentes. Sed quoniam & umbilicatæ imagines quædam ex amphitheatri ruderibus olim erutæ Capuæ in præfecti juri dicundo ædibus conſpiciuntur, iis ſummo in pariete pictor locum fecit: alibi ſi quis magis appoſite locaverit, non repugnabo: nihil enim impedimento eſt, quo minus ſummis in arcubus ſuperiorum ordinum locari illæ potuerint, quibus inſunt adhuc fornicis adhærentis indicia; aliæ vero majores alibi.

In Lipſii deſcriptione inter ſecundam tertiamque porticus bini fornices depreſſiores hinc & inde depinguntur: quos, quia in noſtro amphitheatro non erant, eliminandos putavi; & eorum loco parietem perfregi, quo ſcalarum ſe decuſſantium ſtructura conſpiceretur.

Illud vero hic admonere haud inutile fuerit interiores porticus fuiſſe tenebricoſas, præſertim illam tertiam, quæ fere æqualiter ac duæ extimæ attollebatur: id quod & ſtructuræ genus aperte demonſtrat, & nuper ex Herodiano didici, qui & ἀμφιθεάτρου vocabulo haud paſſim Græcis uſitato utitur (68). Interior amphitheatri porticus tenebricoſa.

Age vero interiorem jam amphitheatri faciem, totamque cuneationem luſtremus. Sed ante omnia quid illæ in arenæ ambitu portulæ ſibi volunt? Per eas feræ e ſubjectis ſpecubus emittebantur. Quanquam noſtri amphitheatri aream ad ſummum uſque podium terra oppleverit; nec ulla proinde oſtiola ſint conſpicua: tamen Veronenſis amphitheatri exemplo depingenda curavi. Præſertim cum ingens noſtri amphitheatri ſubterranea ſpecus (quam ſubter meridianam amphitheatri portam ingreſſus ad aliquot tantum ulnas a meridie verſus arcton pervaſi: non enim ultra progredi licuit, quod ex perforata ſuperne teſtudine ruderibus obſtructam offendiſſem) ad eas portulas pertinere, ad emittendas opportune beſtias, debuiſſet. Mira autem ejus antri immanitas, ita ut ingentia fœni plauſtra per illud agi potuerint; niſi qua teſtudo ex intervallo coarctatur, quam rurſus deinceps laxari videas: ſicque per vices modo ſatis amplam ſe crypta præbet, modo arctiore objecto lateritio fornice anguſtatur. Falluntur autem quicumque a- Portulæ. Specus.

(68) Herodianus in Commodi vita de Quintiano, quem Quadratus ſummiſerat ad occidendum Cæſarem, ait: Οὗτ' ὑποςὰς ἐν τῇ τ ἀμφιθεάτρυ εἰσόδῳ (ζοφώδης δ' αὕτη, ὅθεν λήσειν ἤλπιζε) γυμνώσας τὸ ξιφίδιον &c. *Ille in aditu amphitheatri ſubſiſtens (quippe obſcuro loco facile ſe occultum fore ſperabat) nudato confeſtim pugione &c.* Amphitheatri εἴσοδον non primorem tantum aditum, qui illuſtris erat, ſed totum id, qua incedendum principi fuit, ut ad tribunal ſibi in podio poſitum perveniret, intelligit; cujus εἰσόδυ pars illa, quæ ad tertiam maxime porticum pertinebat, ζοφώδης erat.

Quem locum eo libentius adſcripſi, quod præter morem ceterorum auctorum elegantiſſimus ceteroqui ſcriptor Herodianus amphitheatri vocem uſurpavit. Nam ceteri Græcorum ſic conſuevere, ut ſive ab ea voce abſtinerent, θέατρον dicentes ἀντὶ τ ἀμφιθεάτρυ, ſive certe amphitheatri voce non ſine aliquo temperamento uterentur. Itaque optimus dicendi auctor Dio Caſſius haud fere aliter quam θέατρον κυνηγετικὸν appellavit, ſive cum de Cæſare dixit, θέατρόν τε κυνηγετικὸν ἰκριώσας, eodemque modo de Statilii amphitheatro locutus; ſive cum de Tito ait, τὸ δὲ δὴ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν ἱερώσας, quod paullo poſt θέατρον ſine alio additamento dixit. Herodianus ipſe in rebus Caracalli, πρόσετι, ait, καὶ θέατρα κυνηγετικὰ ... κατεσκευάσαμεν. Et θέατρον ſine ullo additamento pro amphitheatro a Græcis uſurpari plurimis exemplis oſtenderem, ſi id opus eſſet, quorum aliqua obiter alibi notata veluti cum Nicolaus Damaſcenus apud Athenæum gladiatorum ſpectacula ἐν θεάτροις apud Romanos exhibita teſtatur: frequentiſſime vero apud Xiphilinum, ſive cum ſub Nerone θέατρον τ Ταύρυ combuſtum ait, ſive cum aquam ab eodem principe ἐς τὸ θέατρον inductam narrat; aut cum navim ſolutilem, cui matrem Nero impoſuit, fuiſſe ei ſimilem, quæ ἐν τῷ θεάτρῳ erat; ſive demum cum receptaculum omnium ferarum ἐν τῷ θεάτρῳ inſtar navis exſtructum in Severo affirmat. Hinc venatio ludicra, quatenus a ruſtica diſtinguitur, *venatio theatralis* paſſim in cod. Theod. appellatur: non enim venatio in theatris dari ſolita, ut not. 59. contra Xiphilinum & Bulengerum diximus; ſed in iis legibus Græca conſuetudo ſervatur: quemadmodum novel. 105. θεάτρυ κυνήγια & θεάτρυ κυνηγεσία eadem amphitheatralis venatio appellatur: ſic quoque & ſequiore ætate Erchempertus copias in Campano amphitheatro ſtativa habentes *ſacram theatralem* nuncupavit. Sed & Spartianus Hadriano *theatrum* pro amphitheatro appellaverat: *Theatrum*, inquit, *quod ille* (Trajanus) *in campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit*. Nam *theatrum* illud a Trajano poſitum, amphitheatrum fuiſſe Pauſanias in Eliacorum priori cap. 12. fidem faciet, ubi inter Trajani opera, καὶ θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν recenſet. Ubi altera occurrit amphitheatri circumſcriptio ab orbiculari ambitu petita; cui ſimile illud Dionis lib. XLIII. de C. Julii Cæſaris amphitheatro: θέατρόν τε κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ Ἀμφιθέατρον, ἐκ τ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσεῤῥέθη. *Theatrum*, inquit, *quoque ad venationes aptum tabulatis inſtruxit, quod quia undequaque ſedilia habet, ſcenaque caret, Amphitheatrum eſt appellatum.* Itaque nobiliſſimus ſcriptor cum & vocis etymon detexiſſet, tamen abſtinendum ſibi ab ea voce duxit: hoc ideo, quia ea vox, in qua ceteroqui nihil non Græci fuit, tamen non in ipſa Græcia, ſed in alieno ſolo nata, ideſt in Latio a Romanis formata fuerat: id quod Græci averſati, ſatius ſibi duxerunt circumſcriptione uti. Aut certe ſicubi ἀμφιθέατρον poſuerunt, non ſine additamento τὸ καλύμενον dixerunt, quo vocis inſolentiam emollirent. Itaque Metaphraſtes ille Eutropii Pæanius, cum Eutropius dixiſſet amphitheatrum Romæ a Tito ædificatum, τὸ καλύμενον ἀμφιθέατρον appellavit: cumque idem Eutropius dixiſſet Commodum eo inſaniæ proceſſiſſe, ut in amphitheatro dimicaret, ille eodem modo vocem emollivit, ut diceret, κατὰ τὸ καλύμενον ἀμφιθέατρον.

Quod tamen Herodianus ἀμφιθέατρον ſine ullo temperamento uſurpavit, id exemplo non caret; nam diſertiſſimus ſcriptor Joſepus ἀμφιθέατρον μέγιςον Hieroſolymis conſtructum narrat; itemque Cæſareæ, quod appellat ἀμφιθέατρον πολὺν ὄχλον ἀνθρώπων δέχεσθαι δυνάμενον. In epiſtola quoque eccleſiæ Lugdunenſis apud Euſebium v. hiſt. eccl. 1. Attalus ob Chriſtianæ fidei crimen dicitur περιαχθεὶς κύκλῳ τ ἀμφιθεάτρυ. Nec alii porro deerunt.

apud

pud Lipsium de amph. cap. 8. cloacas hujusmodi esse sunt suspicati. Si ita sit, nemo mihi jam amplius urbis Romæ cloacarum jactet amplitudinem. Estne credibile unius amphitheatri exsugendis sordibus tam vasta receptacula exstructa fuisse? Et vidi alios lateritios ductus minutiores sive ad aquas perducendas, quarum plurimus hic usus fuit, sive ad sordes egerendas. Nam specus ille maximus, de quo agimus, pro cuniculo fuit, & ad subitum sive ferarum sive munerariorum & egressum & receptum comparatus. Arguit id & fabricæ genus non totum lateritium, cujusmodi cloacæ aut aquæductus requirerent: nam soli illi angustiores ex intervallo fornices, quos modo descripsi, e prægrandibus lateribus sunt compacti: cetera fabrica est cæmentitia.

Cui usui?

Podium:

Sed antro isthoc egressi podium conscendamus columellis in orbem circumseptum. Hic imperatori, si quando affuisset, suggestus figebatur: hic & magistratuum sellæ curules: ibidem & in superioribus aliquot gradibus, qui omnes orchestræ nomine intelliguntur senatores, quorum loco decuriones in coloniis censebantur, adsidebant. Tum supra colonicum senatum equitibus gradus quatuordecim assignati (α): unde *sedere in quatuordecim* ad equestrem dignitatem significandam usurpabatur. Supra *equestria* reliqui deinceps gradus plebi ceteræ addicti erant, & *popularia* vocabantur, quæ erant omnium maxime diffusa. Et, ut semel dicam, tres in partes tota illa subselliorum acclivitas tribuebatur, in imam, mediam, & summam caveam: ima, quæ omnium honestissima, in orchestram & equestria rursus dividebatur: media & summa cavea ad popularia pertinebat: sed ita tamen ut media cavea multo, quam summa, haberetur honestior; ab eaque est caussa, quod sanxit Augustus apud Suetonium cap. 44. *nequis pullatorum media cavea sederet*. Eoque queritur Calpurnius ecl. VII. sibi ob paupertatem non licuisse media in cavea aliquanto propius imperatorem adsidere:

Orchestra.

Equestria.

Popularia.

Ima, media, summa cavea.

Media cavea, quam summa, honestior.

O utinam nobis non rustica vestis adesset;
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obstiterunt.

Et apud Senecam de tranquill. *verba ad summam caveam spectantia* sunt ad gustum imæ plebis. Quanquam, ut fatear, si quis forte imam mediamque caveam paullo aliter, ac Lipsius, disposuerit, non video cur sit magnopere reprehendendus. Quid enim impedimento est, quominus imam orchestra tantum definiamus, mediæ vero caveæ inferiorem partem, quæ orchestræ propior, equiti, superiorem plebeiis, quibus & summa cavea vacabat, assignemus? Ita summa subselliorum partitio exsistet in *orchestram*, & *popularia*, tum hæc rursus in *equestria*, & *popularia* stricte accepta tribuentur (β).

Partitio caveæ verisimilior quam vulgata.

Et quædam fuere *diazomata*, seu *præ-*

Præcinctiones.

(α) At enim cui usui, inquies, in colonico amphitheatro gradus equestres quatuordecim? estne verisimile tantam equitum R. copiam in coloniis fuisse, ut quatuordecim iis gradus, æque ac Romæ, seponerentur? Verum præter equites R. quorum permagna fuit extra Romam ubique copia, fuere & equites coloniarum peculiares. Quem quidem equestrem ordinem municipalem alio in opere, quod affectum in forulis habeo, copiosissime mihi adsertum vix est ut in dubium revoces. Interea ne adhuc quis fluctuet & animi pendeat: ecce tibi ad equestres illos quatuordecim gradus etiam extra Romam confirmandos luculentissimum Pollionis Asinii locum x. fam. 32. ibi Balbus Cornelius junior prope eadem Gaditano in municipio fecisse narratur, quæ Cæsar dictator Romæ pro sua voluntate fecisset; atque hoc in primis: *Ludis*, inquit, *quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem summo ludorum die anulo aureo donatum in quatuordecim sessum deduxit; tot enim fecerat ordines equestris loci*. Nec equestri tantum ordini, sed & tribunis militaribus in equestribus hisce locus fuit.

(β) Popularibus etiam equestria contineri multis docere possum. Ac primum Germanorum legati cum *in popularia deducti* dicuntur Suetonio in Claudio cap. 25. equestria intellige, quæ popularibus continebantur. *Germanorum*, inquit, *legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate & fiducia eorum motus, quod in POPVLARIA deducti, cum animadvertissent Parthos & Armenios in senatu sedentes, ad eadem loca sponte transierant*. Ubi *popularia* pro equestribus, hoc est totum pro parte, Tranquillus usurpavit: neque enim est verisimile tam parvipensos a dissignatore eos legatos fuisse, ut ad popularia stricte accepta deducerentur, quo nullo deducente sponte ire licuisset; præsertim cum Parthi & Armenii in orchestra sederent. Hinc summam caveæ divisionem apud Maronem, Juvenalem, Martialem reperio in orchestram & populum. Virgilius:

Hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) PLEBISQUE PATRUMQUE
Corripuit.

Juvenalis:

Æquales illic habitus, similemque videbis
ORCHESTRAM ET POPULUM.

Equestria nulla his locis commemorantur, quod ea *populo* seu *popularibus* continerentur. Ab eadem est caussa quod Martialis VIII. 78. ait:

Omnis habet sua dona dies, nec LINEA dives
Cessat, & in POPULUM multa rapina cadit.

Dissentio enim a doctissimo Grævio, a quo in præf. ad to. IX antiquitatum Roman. *lineam divitem* pro orchestra simul & equestribus accipi memini. Equidem sic interpretor: omnis dies sua habet missilia, tum quæ in orchestram (quam ob exiguitatem lineam appellat) caderent, tum etiam quæ in popularia, hoc est ceteram omnem cuneationem, quæ equiti simul plebique vacabat. Hinc demum est quod Tertullianus lib. de spect. ait: *Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum, & discrimina popularium per proclivum*. Ubi viarum nomine non tantum scalaria (de quibus infra dicetur) Tertullianus complectitur, verum etiam ipsas præcinctiones, quas vocat *cardines balteorum*. Verum illud Lipsium torquet, quod scalaria appellarit *discrimina popularium*; *excludere enim*, inquit Lipsius, *aperte equestria & orchestram videtur*. Tum sic nodum solvit: *Sed*, inquit, *popularia large fortasse acceperit scriptor Afer pro omni POPULI consessu*. Non inepta ratio, sed dubito an vera; quandoquidem jam usu receptum fuerat, ut *popularia* pro plebis, itemque equitum consessu, non vero totius populi R. XXXV. tribuum sumerentur. Mihi sane videtur Tertullianus *popularia* cum *equestribus* tantum miscuisse, non etiam cum orchestra, quam ob exiguitatem tacuit. Itaque Pœno scriptori nihil de orchestræ scalariis, quæ utpote brevissima vix animadversione digna erant, sollicito, ea sola scalaria animo obversabantur, quæ equestrem & plebejam caveam scindebant in cuneos. Ea vero *discrimina popularium* potissimum appellavit, nulla equestrium mentione facta, quod popularibus equestria quoque continebantur.

Atque his quidem locis omnibus popularia ea notione accipiuntur, ut equitem complectantur. Profero demum Suetonii locum Domitiano cap. 4. quo popularia stricte sumuntur, quatenus ab equestribus distinguuntur. *Et quia pars major*, inquit, *intra POPULARIA deciderant, quinquagenas tesseras in singulos CUNEOS EQUESTRIS ac senatorii ordinis pronuntiavit*. Vides *cuneos equestris ordinis* diversos a *popularibus* presse acceptis.

cinctiones, quas alii *balteos* appellarunt (ideſt gradus quidam latiores, fere ut in ſcalis retractiones) ad popularia tum inter ſe bifariam, tum ab equeſtribus, tum demum hæc ab orcheſtra diſterminanda. Tres Vitruvius in theatro præcinctiones exſtruit, unde & totidem in amphitheatro fuiſſe oportuit. Quas quidem ſic ſtatuendas puto: prima erit præcinctio, quæ orcheſtram ab equeſtribus ſejungit (69), altera quæ equeſtria a popularibus, tum tertia quæ mediam totam caveam a ſumma diſpeſcuit.

Aditus, ſeu vomitaria.

Venio nunc ad *aditus* ſeu *vomitaria* ſive (ut alii apud Macrobium reſcribunt) *vomitoria*; quæ nihil aliud ſunt, quam oſtiola, per quæ populus ab exterioribus porticibus veniebat ad ſedes ſuas. Hos aditus in præcinctionibus poſitos mihi prorſus perſuadeo: non enim commode mediis in ipſis gradibus adiri oſtia potuiſſent: areola aliqua opus fuit, quæ ante hujuſmodi aditus explicaretur, ubi turba conſiſteret. Itaque nihil veriſimilius fingi poteſt, quam ſi vomitaria in præcinctionibus locentur. Apud nos paullo ſupra podium in dimidiata caveæ parte, quæ orientem ſpectat (nam occidentalis cuneatio corruptior exſiſtit) ſex omnino hujuſmodi aditus reſerantur; tum ſupra longiſſimo intervallo altera oſtiolorum ſeries fuit,

non alibi quam in præcinctionibus patentia.

A quorum unum ad orientem æſtivum, tum ſupra portam, tam quæ meridiem, quam quæ boream ſpectat, ſingula hodieque ſe produnt. Cum ergo duæ tantum oſtiolorum ſeries noſtra in cavea compareant, maximo intervallo invicem diſterminatæ, mediam præcinctionem aditibus caruiſſe putabam; nec aliter fieri potuiſſe, ſi interiorum ſcalarum, quæ ad iſta vomitaria pertinere debuerunt, ſtructura cernatur (γ). Verum poſtquam accuratius noſtræ caveæ cuneationem perluſtraſſem, falſum me deprehendi, & quamvis tenuiſſima, B non incerta tamen oſtiolorum ad ſecundam præcinctionem pertinentium veſtigia ſum conſpicatus (δ).

Et quidem adituum proba conſtitutio ad rectam viarum & cuneorum deformationem unice confert. *Viæ* ſeu *itinera*, aut *ſcalaria* (his enim modis omnibus appellata comperiuntur) ſunt graduum anguſtiorum ac depreſſiorum ſeries, non ſeſſilium quidem, ſed ad aſcendendum comparatorum, per quos ad ſuum quiſque cuneum perveniret. Portiones illæ inter bina ſcalaria interceptæ a figura, quam referunt, C *cunei* appellantur, quia deorſum paullatim cuneantur. Triplicem viarum itemque cuneorum interceptorum ſeriem Lipſius & ceteri paſſim conſtituunt. Equidem antequam ſecundæ præcinctionis vo-

[69] Lipſius vir ſummus in notis, quas deformationi amphitheatri ſubjecit, nu. 4. primam præcinctionem ipſo in podio collocat, & queritur ſculptorem tres alias ſuperne præcinctiones ſcalpſiſſe, ita ut quatuor evaderent. Sed viri magni pace dixerim, nihil ſcalptor oſtendit, ipſum potius Lipſium, cetera lynceum, hic ratio fugit. Nam ſive vim vocis διάζωμα inſpicias, facile aliquid intelligis, quo unum ab altero diſpeſcitur; orcheſtra autem nihil intra ſe habet, a quo per iſtam præcinctionem ſit dirimenda: ſive rem ipſam intueare, cui quæſo uſui illa in podio præcinctio? Sunt ergo præcinctiones nihil aliud, quam interjectæ gradibus areolæ ſeu retractiones, & quaſi tranverſa cingula diviſioneſque ordinum ſedendi. Quare cum quatuor hujuſmodi ordines in amphitheatro fuerint, orcheſtra, equeſtria, tum media & ſumma cavea: tribus illa præcinctionibus (nec plures Vitruvius admittit) a ſe invicem ſejungebantur. Quarum ſi unam cum Lipſio in ipſo podio ſtatueris, tum vel orcheſtra cum equeſtribus, vel media cum ſumma cavea coeat neceſſe fuerit.

Verum quid jam ratiocinatione opus habeo, cum Vitruvius rem planiſſime demonſtret? *Cunei*, inquit is lib. v. cap. 6. *ſpectaculorum in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circa curvaturam circinationis, dirigant ASCENSUS SCALASQUE inter cuneos AD PRIMAM PRÆCINCTIONEM. Supra autem alternis itineribus ſuperiores cunei medii dirigantur.* Si per ſcalaria, de quibus infra dicetur, ad primam præcinctionem dirigebantur ASCENSUS, & ex hac rurſus per alia ſcalaria ad ſuperiora loca conſcendebatur, annon vides inepte in ipſo podio primam præcinctionem conſtitui? Et eadem prope habet architectus v. 8. *Gradationes*, inquit, *ſcalarum inter cuneos & ſedes dirigantur ad primam præcinctionem: ab ea præcinctione inter eos iterum mediæ dirigantur.* Non in extrema ergo ora caveæ & in podio ſtatuenda eſt prima præcinctio, quandoquidem & inferiora ſcalaria excipiebat, & ſurſum alia dirigebat.

(γ) Nam vide quo artificio interioris ſcalæ conſtructæ fuerint. Quæ in tertia porticu C gradationes introrſus aſſurgentes ex intervallo occurrunt [vide ichnographiam] is procul dubio ad primam oſtiolorum ſeriem conſcendebatur: nam iis oſtiolis directe reſpondent ternæ hinc, ternæque inde ſcalæ: binæ vero illæ in medio, ſeu ad orientem æquinoctialem verſus ſcalæ, iis cum nulla oſtiola in prima præcinctione reſpondeant, ad podium, credo, ipſum & ad utrumque ſuggeſti latus lenior aſcenſus ἀμέσως patebat, qua aditus duo patefacti hodieque apparent. Videſis & confer interiores gradationes in ichnographia notatas cum imis oſtiolis in interiore caveæ aſpectu conſpicuis. Inter duos illos in podio aditus imperatori tribunal erigi appoſite potuit. Reliqua eſt illa ſcalarum ſeries longe pulcherrima, quæ ab altera porticu B, tertiaque C pariter conſcenduntur, unaque coeunt in E: &, cum ad communem quaternis ſcalis retractionem E perventum eſt, tum per unas tantummodo ſcalas ad ſuperiorem porticum F aſcenditur. Ex ſuperiore autem porticu F ad tertiæ præcinctionis vomitaria per totidem ſcalas exitus patebat, ut ex intuitu tabulæ tute ſtatuere potes. Ita nullas eſſe ſcalas, quibus ad ſecundam præcinctionem perveniretur, eoque alteram præcinctionem oſtiis caruiſſe putabam. Verum poſtquam ſecundæ præcinctionis aditus deprehendi, ſimul etiam perſpexi his non ſuas ſingulis ſcalas, ſed depreſſiorem quandam retro porticum reſpondiſſe, uti ſequente notatione dicam.

[δ] Obſcuriſſima ea veſtigia ſunt ob eam cauſſam, quod ea cuneationis parte reperiuntur, qua caveæ acclivitas penitus interrupta viſitur; quæ rurſus acclivitas poſt aliquod intervallum nonnullis in locis ſurſum verſus continuatur, ibique tertiæ præcinctionis quædam vomitaria cernuntur. Atque ea quidem oſtiorum ad ſecundam præcinctionem pertinentium veſtigia in orientali tantum amphitheatri latere, qua parte cuneatio exſiſtit integrior, adhuc ſuperſunt, unum proxime portam meridianam, tria ſeptentrionalem portam verſus: eaque, ſi quæris, paullo ſupra tertiæ porticus C fornicem reſpondent; ita ut mediam præcinctionem paullo ſupra eum fornicem fuiſſe oporteat. Cumque prope portam ſeptentrionalem tria non amplius adituum indicia comperiantur, totidem ad alterum portæ ejuſdem latus fuiſſe neceſſe eſt, ita ut duodecim omnino in univerſo amphitheatri orbe fuerint; quemadmodum & imæ præcinctionis vomitaria totidem numerabantur. Et quidem non in directum cum imis oſtiis illa intermedia diriguntur, neque tamen medio illorum interſtitio exacte reſpondent; ſed ita diſponuntur, ut paullo propius portas, quam inferiora, accedant. Suprema autem tertiæ præcinctionis oſtiola directe aditibus arenæ citimis reſpondebant, ut ex uno eorum, quod adhuc verſus orientem æſtivum comparet, intelligitur. Demum hoc inter illa, de quibus loquimur, ſecundæ præcinctionis vomitaria, & cetera tum imæ ſeriei tum tertiæ intereſt, quod hæc quidem ſcalas in poſtico objectas habent, per quas ἀμέσως ad ea conſcenditur; illis vero intermediis oſtiis nullæ retro aſcenſiones objacent, ſed humillima quædam porticus retro iiſdem prætendebatur, cujus quidem porticus ſupra meridianam portam adhuc puſilla pars ſuperat.

mitaria detexissem, duplicem tantum scalariorum seriem fuisse suspicabar (70) nunc vero labor ut quadruplicem statuam (ε) ita uti in tabula exsculpendum curavi. Quæ quidem scalaria non in directum inferiora cum superioribus continuabantur, sed alternabant eo modo, quo in tabula conspicis: id quod Vitruvius v. 6. & 8. cujus verba not. 69. sunt recitata, diserte affirmat.

Supremæ autem præcinctionis aditus, sicuti & itinerum strigas, quæ ad eos aditus diriguntur, multo plures, quam intermedios, aut imos, fuisse verisimile arbitror (71) atque in eum modum in tabula exhibui.

Cathedra. Demum sese *cathedra* offert, quam obscurissime, uti solet, Tertullianus definit in hunc modum: *Cathedra vocatur ipse in anfractu ad consessum situs*. Quem locum haud probe intellexisse videtur phœnix ille ingeniorum Lipsius (72) qui præterea non tantum feminas, sed & pullatos hic collocasse videtur, haud bonus hic quidem certe dissignator: nam pullati in summa cavea, fœminæ in ista cathedra, idest porticu (id enim cathedra apud Tertullianum significat) seorsum spectabant (73).

Hæc dum scribimus, prægrandis & pulcherrima juvenis criniti ac laureati protome, fornicis parti adhærens, detecta fuit, quam quidem, tum ob colosseam molem, tum etiam quod inter portæ meridianæ rudera reperta fuit, supra illam portam prostitisse oportuit: eamque ob caussam prope amphitheatri titulum sexviri Campani collocandam statuerunt. Ac mea quidem

(70) Præsertim cum Vitruvius lib. v. cap. 6. & 8. [cujus verba not. 69. sunt recitata] duas non amplius ascensuum series in theatro agnoscat: nec sane plures in Veronensis theatri delineatione visuntur. Ipsa etiam *cunei* vox meam conjecturam juvabat: subselliorum enim portiones inter bina scalaria interceptæ non ob aliam causam *cunei*, & Vitruvio *trigona* appellantur, quod triangularem figuram oculis referrent. Nam quamvis quatuor lateribus proprie concluderentur: tamen quod ima latera longe brevissima præ aliis essent, trigonis similiora, quam quadrilateris figuris videbantur, puta iis trigonis, quorum extremus apex deperiisset. Nunc vero, si tres scalariorum series adstruuntur, nihil trigonis simile invenietur, ac trapezoidem quam vocant figuram verissime repræsentabunt. Quis enim non videt, uti longissima scalariorum itinera fuerint, ita ea maxime divaricatum iri superne, sensim vero inferne coitura, ac triangulari figuræ accessura?

His accedebant ii scriptorum loci, Suetonii, Virgilii, Juvenalis, Martialis, Tertulliani, quibus supra evicimus *popularibus* etiam equestria intellig. consuevisse: nam quod iisdem cuneis, iisdemque intercurrentibus viis seu scalariis plebs cum equite sederet, eo factum putabam, ut *popularium* nomen equestria quoque complecteretur.

Tamen cum Suetonius Domitiano cap. 4. *cuneos equestris ordinis* secernat a *popularibus*: cumque Veronensis amphitheatri cavéa, uti quidem illa vulgo exhibetur, plures quam duas ascensionum, cuneorumque series repræsentet: nos quoque plures delineandas curavimus: præsertim postquam secundæ præcinctionis vomitaria nostro in amphitheatro detexeram. Nam ad vomitaria in præcinctionibus patentia dirigi ascensus necesse fuit.

Nam illud profecto quis ferat, quod mediis in ipsis subselliorum gradibus scalariorum initia finesque Lipsius (an pictori potius id vitio vertendum?) exhibuerit? Omnino enim a præcinctione ad præcinctionem dirigi ascensus oportuit, auctore Vitruvio, cujus verba vide not. 69.

Viderint tamen viri eruditi, utrum ex Vitruvii auctoritate [cujus verba not. 69. sunt posita] & Veronensi theatro, in quo duas duntaxat ascensuum series depictas vidi, recte sit concludendum, saltem in theatris duas non amplius hujusmodi itinerum dispositiones exstitisse: indeque *cuneorum* ac *trigonorum* (ob triangularem figuram quam referrent) orta vocabula, etiam in amphitheatris eadem postea obtinuisse; in quibus tamen, propter plures scalariorum series excogitatas, triangularis figura parum esset conspicua.

(ε) Quatuor scalariorum series in hunc modum constitui. Prima seu arenæ citima orchestram totam pervadent ad usque primam præcinctionem ac patentia ibidem ostiola: altera a prima ad secundam præcinctionem, & ea ostia, quæ nuper ibi deteximus, feruntur: tertia ab altera præcinctione ad tertiam & suprema omnium vomitaria proficiscuntur: quarta demum a præcinctione tertia ad fornices summæ porticus diriguntur. Sane cum scalaria alternis itineribus disposita Vitruvius lib. v. cap. 6. & 8. dixerit, sic quoque ea nos disposuimus. Quarta vero hæc itinera contra quam viri docti fecerunt, adstruximus ob eam caussam, quod tertiæ seriei scalariis ostia summæ præcinctionis occurrentia impedimento essent, quominus ad summos usque fornices continuarentur.

[71] Suprema ostiola plura numero fuisse oportuit; tum ne plebes, quæ pars populi multo maxima fuit, ingrediendo aut egrediendo se plane comprimeret; tum etiam quia illius præcinctionis multo laxior orbis plures aditus admittere debuit. In dimidiata amphitheatri cavea octo equidem depingendos curavi: neque id temere; totidem enim scalas illas sese invicem decussantes, quas modo not. (γ) describebam, in ichnographia vides: nam his scalis totidem, opinor, in superiore porticu scalæ respondebant, quibus ad supremæ præcinctionis vomitaria conscenderetur. Et quia (ut posui in ichnographia) prope portas scalæ ad superiorem porticum ferentes duplicantur: hinc non immerito supra portas etiam suum cuique ostiolum respondet; ita ut in universo supremæ præcinctionis ambitu duodeviginti, opinor, vomitaria numerarentur, totidemque subsecta scalaria. Nec plura aut pauciora ea scalaria fuisse puto, quæ hinc ad summæ porticus fornices alternis itineribus dirigebantur. Ita fient sex & triginta mediæ summæque caveæ scalaria. Quibus si duodena orchestræ, itemque duodena equestrium adicias (totidem enim ostia in prima, alteraque præcinctione numerari diximus) sexaginta in universum totius cuneationis scalaria exsistent.

(72) In recitato Septimii loco *anfractum* interpretatur Lipsius *superum locum, ubi clivi subselliorum desinunt, & murus incipit, qui porticum facit, clivosque illos veluti FRANGIT. Nam plani aliquid*, ut idem subjungit, *spatii tibi fuisse videatur, unde cathedris positis spectarent*. Qua in oratione nihil admodum mihi arridet. Nam quod *anfractum* murum frangentem clivos intelligit: nonne pronius fuerat *circuitum* interpretari? qua significatione Tullius in part. or. dixit: *Oratio circumscripta longo anfractu*, idest circuitione. Quidquid id fuit, quod supremos gradus excipiebat, orbiculate id fuit, & anfractu quodam in sese reductum. Illud deinde quis ferat, quod extra *murum qui porticum facit* (ut is loquitur) paullulum areæ complanarit, ut ibi sub divo matronarum cathedras poneret? vel Calpurnius ecl. VII. cujus is carmina adnectit, docere debuisset, tectum id fuisse, ubi feminæ constitissent:

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras:
Nam quæcunque patent sub APERTO libera cælo
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.

Sub tecto igitur, non sub *aperto cælo*, feminæ versabantur, nec alibi sane, quam in summa porticu suffulta pilis opere arcuato.

Ac de ista quidem porticu, quam in eum, quem descripsi, modum supra summam caveam delineandam in tabula curavi, Vitruvius lib. v. non obscure addocet: *TECTVM*, inquit, *PORTICVS, quod futurum est in summa gradatione*. Eandem intellexisse videtur Calpurnius eadem ecloga VII.

Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant.

De eadem quoque capiendus fortassis & Dio apud Xiphilinum in rebus Neronis, ubi narrat, ut elephas ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἁψῖδα sublatus fuerit, ibique sessorem ferens in fune ambulaverit.

Eam vero porticum idcirco *cathedram* Afer appellavit, quod ibi matronæ cathedras suas ponerent, easdem, opinor, cathedras seu sellas velatas, quibus per urbem ingrediebantur, de quibus Martialis XII. 38.

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris
Incedit.

ſententia Apollinis προστατηρίου imago fuiſſe videtur (ζ).

CAP. VII.

De Campano amphitheatro per ſequiora ſæcula.

I. *Variæ ejuſdem appellationes.*

Amphitheatri hujus per Langobardorum ætatem nomina.

AMphitheatri noſtri veterum ſcriptorum qui meminerit neminem adhuc nanciſci potui: poſteriore autem ætate Erchempertus monachus Benedictinus natione Langobardus, qui nono exeunte ſæculo, & quidem Capuæ, ut videtur, ſuam Langobardicam ſcripſit hiſtoriam (quam olim ab Antonio Caracciolo, iterumque emendatiorem a Camillo Peregrinio editam nuper cl. Muratorius tomo ſecundo ſcriptorum Italiæ inſeruit) ſæpe hujus molis injicit mentionem; a quo modo *Berelais*, modo *coloſſus*, alibi *amphitheatrum* aut *arena* appellatur. Itaque priorum potiſſimum duorum nominum cauſſas rimari libet: nam A l'*arena* cur dicta fuerit, in promtu eſt ratio, quia in ejus area arenâ inſternebatur, in qua pugnæ committerentur; & hodieque amphitheatra omnia ubi ubi exſtantia arenas communi vocabulo nuncupari Lipſius de amphitheatris quæ extra Romam cap. I. teſtatur.

Coloſſus, aut coliſæum.

A *coloſſi* vocabulo ordiar, cujus haud difficilis inveſtigatio exſiſtit, quippe ob eandem cauſſam, qua Flavium amphitheatrum *coliſæum* vulgo appellatur, noſtrum quoque *coloſſum* dici placuit. Neque enim *coliſæi* vocabulum noſtra B primum aut patrum noſtrorum ætate de Romana cavea exaudiri cœpit. Jamdudum illa vox omnium eſt ſermone tritiſſima; & ex ſequioris ætatis ſcriptoribus nonnulla exempla in Cangii gloſſario reperies (74).

In ejus explanatione nominis doctorum allucinatio.

Verum undenam Flavium amphitheatrum id nomen invenerit, quis hactenus expedivit? Lipſius de amph. cap. 2. in margine hanc attulit cauſſam: *Quia*, inquit, *Neronis cum capite coloſſus in vicinia*. Id quod a Lucio Fauno hauſiſſe videtur, qui lib. III. de antiq. urb. Rom. cap.

[ζ] Apollinis προστατηρίου ſeu præſidis meminit Euripides Elect.

Κλύεις αὖ ἤδη Φοῖβε προστατήριε.

Apollinem ſupra portas ſive templorum ſive publicorum ædificiorum collocari conſueviſſe, memini alicubi me legiſſe: id, ſi verum, τῇ τοῦ προστατηρίου ἐπωνυμίᾳ mirifice quadrat. Et colonias pleraſque Apollinem præſidem adſciviſſe mihi perſuadeo: in nummis certe tum Græcis tum Latinis Campaniæ & vicinarum regionum nihil frequentius, quam Apollinis laureati caput, viſitur. Adhæc coloniæ Capuæ peculiaris cauſſa, cur Apollinem ſibi præſidem adoptaret, ea eſſe potuit, quod Campani in Dianæ Tifatinæ [quam πολιοῦχον, ideſt *urbium præſidem* Apollonius l. I. vocat] tutela eſſent, cujus frater Apollo. Fortaſſe quemadmodum ſupra meridianam amphitheatri portam, quæ Cumanum Phoebi χρηστήριον ſpectabat [& ſcimus aliquandiu Cumas in Campanorum poteſtate fuiſſe] Apollinis ſimulacrum fuit: ita ſupra borealem, quæ Tifatinæ Dianæ fanum aſpiciebat, hujus Deæ ſimulacrum cernebatur; quam ceteroqui Deam amphitheatralis venationis præſidem extitiſſe, alibi diximus; ſicuti & Apollinem ἀγρευτὰν appellat Euripides. Utut eſt, hanc certe, qua de agimus, Apollinis fuiſse protomen, vix eſt ut dubites, cum & pulcherrimi juvenis, & δαφνηφόρου, & non ſolum intonſi, ſeu ἀκερσεκόμου, verum etiam κοσμοπλόκου [quemadmodum in anthologia appellatur] imo etiam calamiſtrati, cincinnis hinc & inde dependentibus, ſpeciem exhibeat.

Verum quid illud eſt, quod urna ſiniſtro in latere cernitur? De hoc nihil memini me legiſse: niſi forte id ſpectat Apollinem vatem & πυθόμαντιν. Vidi nuper apud mihi amiciſſimum Franciſcum Ciccarellium, cui amphitheatrici tituli ſarta tecta debet poſteritas, elegantiſſimum anaglyptum; quo prope Phoebi cortinam Pythia virgo cernitur, manu altera lyram, altera pelvim, in quam virgo altera alata liquorem neſcio quem alte ex urceo effundit: de quo anaglypto alias fortaſse diſſeretur.

Alia, ſive capita humerorum tenus, quæ imæ diſpoſitionis arcubus adhærebant, ſive umbilicata ſimulacra, quæ ſuperioribus fornicibus affigebantur, & olim innumera, & quotidie deteguntur; cujuſmodi ſunt Jovis Ammonis & Mercurii umbilicatæ imagines exteriori prætorii parieti cum aliis nonnullis affixæ, & alibi aliæ.

(73) Libet hic prius totum Suetonii locum, qui ad ſedendi ordinem apprime facit, adſcribere: tum ſeorſum virum magnum aggrediar. *Spectandi*, inquit ille in Octavio cap. 44. *confuſiſſimum ac ſolutiſſimum morem correxit ordinavitque: motus injuria ſenatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos conſeſſu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid ſpectandum uſquam* (non tantum Romæ, ſed ubiubi) *publice ederetur, primus ſubſelliorum ordo vacaret ſenatoribus: Romæ legatos liberarum ſociarumque gentium vetuit in orcheſtra conſidere; cum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet. Militem ſecrevit a populo. Maritis e plebe proprios ordines aſſignavit: prætextatis Cuneum ſuum, & proximum pædagogis: SANXITQVE NEQVIS PVLLATORVM MEDIA CAVEA SEDERET. FEMINIS NE GLADIATORES QVIDEM, quos promiſcue ſpectari ſollemne olim erat, NISI EX SVPERIORE LOCO SPECTARE CONCESSIT. SOLIS virginibus Veſtalibus locum in theatro ſeparatim, & contra prætoris tribunal, dedit, &c.* Hunc in modum ſpectandi ordinem digeſſit Auguſtus, quibus multa qui poſtea ſunt conſecuti Cæſares addiderunt, quæ referre non eſt otium.

Quod vero pullatorum feminarumque loca confuderit Lipſius, eumque ſecutus Voſſius etymol. in voce *cavea*, id neque τὸ πρέπον, nec Suetonii verba patiuntur. Ecquis enim non indigniſſimum putet inter ſordidam turbam honeſtiſſimas matronas verſari? Quaſne Auguſtus ex univerſa cavea ſubmovit, eæ ut cum fæce vulgi pariter ſubſellia ponerent? Itaque ſcite Caſaubonus ſic ea verba, quæ majoribus litteris poſui, diſtinguenda putavit: *Feminis . . . Spectare conceſſit SOLIS. Virginibus Veſtalibus &c.* Deinde, quod attinet Suetonium, pullatos, quos ille princeps e MEDIA CAVEA *excitavit* (ut ſollemni in hac re formula utar) eos utique in ultima cavea eſt paſſus conſiſtere: at vero feminas *EX SVPERIORE* tantum *LOCO ſpectare conceſſit*. Quare immerito vir ille doctiſſimus utroſque confundens ait: *Nam feminæ & pullati non niſi ex ſuperiore loco ſpectabant ex Auguſti decreto*. Aliud enim ſumma cavea, ubi pullati ſpectarent, aliud ſuperior locus, ubi feminæ ſubſiſterent.

Sed illud, opinor, doctiſſimo Belgæ impoſuit, quod Calpurnius in illa ecloga de ludis Carini pullatos cum feminis permiſcuerit. An ſub poſtremis principibus peſſum iviſſe omnia dicemus? An potius, quod ludi eſſent longe magnificentiſſimi, tantus concurſus equitum tribunorumque ex univerſa Italia fuerit, ut quando mediam ii jam ſummamque caveam inhæſiſſent, plebes [quam raro aliter quam *pullatam* ideſt penulatam per ea tempora produiſse notiſſimum eſt] ad porticum feminis deſtinatam ſeſe receperit? Nihil dubito quin ea fuerit Calphurnii mens:

Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter fæmineas ſpectabat turba cathedras:
Nam quæcunque patent ſub aperto libera cælo
Aut eques, aut nivei loca denſavere tribuni.

Cum præter morem cuneos omnes eques & tribuni denſaſsent, quid proprius fuit, quam ut illi penulati matronarum conſeſsui ſeſe infererent? Niſi id præter morem cecidiſset, quid cauſsæ fuerat, quamobrem poeta rationem ejus facti afferret?

(74) Ac primum exſtat Bedæ vaticinium in excerptis ſeu collectaneis ejuſdem Bedæ in hunc modum: *Quamdiu ſtabit Colyſeus, ſtabit & Roma: quando cadet Colyſeus, cadet & Roma: quando cadet*

12. eandem ante Lipsium ejus appellationis originem attulerat: idque ceteri cæco impetu potius quam certa ratione secuti sunt. Quid enim ea sententia habet, quo probari possit? (75) Vera ejus vocis origo non ab aliquo in vicinia colosso petenda est, sed a colossea amphitheatri ipsius excelsitate, quam *ægre*, ut ait Ammianus, *visio humana conscendit*: præsertim cum non procerissimas tantum statuas, sed & quidquid in immensum surgeret, tali aliqua appellatione donatum inveniam (76).

Ab excelsitate fabricæ vera est origo.

Venio nunc ad alterum Campani amphitheatri nomen *Berelais* sive *Berolasis* (77) quod ad hunc usque diem omnium sermone usurpatur (nec enim alio nomine, quam *Vorlasci* docti indoctique caveam illam hodieque appellant) cujus inquisitionem longe difficillimam puto ob septentrionalium linguarum inscitiam, unde hoc vocabulum manasse indubie oportuit: cum eo primum tempore orta ea vox fuerit, cum illa septentrionalium populorum colluvies in Italiam inundavit.

Altera appellatio, *Berelais*, sive *Berolasis*.

Et quidem Erchempertum, qui nono exeunte sæculo Langobardorum Capuæ dominantium scripsit historiam, pervolutanti vix dubium esse videatur, quin vix *Berelais* amphitheatrum significet: nam cap. 41. de Guaiferio ait: *Adveniens Berelais, hoc est amphitheatrum &c.* Ad hæc idipsum quod ab eo *Berelais* appellatur, alibi *arena*, sive *colossus*, sive *amphitheatrum* dicitur: vix ut dubitandum videatur, quin alia nulla, quam amphitheatri notio ei vocabulo subjecta esset. Quod si res ita se habet, nec aliud ea voce quam amphitheatrum notatur; per Gothica maxime tempora eam vocem ortam oportuit: quippe cum sciam sub dominatione Gothica amphitheatralem venationem adhuc fuisse frequentatam, ac potissimum tempore Theoderici regis, uti constat ex Cassiodorio v. var. 42. qua Maximum hortatur ad liberalitatem in bestiarios exhibendam, & multus est in variis venatorum artibus ad eludendas bestias describendis. Etymon vero quod attinet, dubitabam sane utrum arcessendum a vocabulo *bersa* esset, quod locum sive saltum undique circumseptum, nequis feris egressus pateat, ad exercendas venationes significat: & *bersare* idem fuit quod intra eas bersas venari, & *bersarii* iidem, quod id genus venatores: de quibus vocabulis Cangii glossarium consulatur. Accedebat, quod & jam olim initio non ob aliam caussam, quam ad venationes exhibendas exstructa amphitheatra fuerint (unde θέατρα κυνηγετικά, ut alibi dictum, Græcis appellabantur) & per Gothica tempora, desitis jam a Constantini usque ætate gladiatoribus, non aliis usibus, quam venatibus serviebant, uti modo ex Cassiodorio v. var. 42. demonstrabam. Sed tamen vix est ut vox *Berolasis* a *bersa* adsciscenda videatur, quod una tantum syllaba utrique vocabulo sit communis (quemadmodum vix etiam a *bero* quod Belgis ursum significare dicitur, quod genus animal in amphitheatris fre-

Suus venationi amphitheatrali sub Gothis honos.

An a *bersa* Berelasis.

Roma, cadet & mundus. Sed & ex Anastasio in Stephano II. hæc affert Cangius: *Dum ad Colisseum advenissent &c.* Quæ quidem verba in Stephani II. seu potius III. (nam Stephanus secundus is fuit, qui initio vitæ Stephani III. triduo aut quatriduo in pontificatu vixisse narratur) vita non reperi. Demum Ugutionis de *coloseo*, ut is appellat, putida fabella narratur de dispositis ibi arte necromantiæ omnium provinciarum imaginibus, ex quibus Romani pernoscerent si quid in aliqua provincia turbarum interveniret. Quam fabulam vide apud Cangium in *Coliseum*.

(75) Nihil certe ineptius fingi potest, quam a vicino colosso amphitheatrum appellatum esse *colossæum*. Præ hoc quidem commento tolerabilior illa fabula fuerit, quam affert Suidas in voce Κολασσαεῖς Colossenses illos, ad quos Paullus scripsit epistolam, non alios fuisse quam Rhodios, a celebri nimirum colosso ita appellatos: cum tamen constet a Phrygiæ non obscuri nominis civitate Colossenses cognominatos. Verum fabulæ istæ facessant. Flavium amphitheatrum per sequiorem demum ætatem Colossæum dici cœpit, cum non amplius colossum illum vicinum haberet, post quam diu antea Imperator Hadrianus alio colossum istum transtulisset, uti narrat Spartianus; qui *stantem atque suspensum per Decianum architectum* translatum in Hadriani vita prodidit. Vel veterum scriptorum aliquem proferant, qui politiore latinitatis sæculo sic Flaviam illam caveam appellatam doceat. Postremo per eadem posteriora sæcula Campano etiam amphitheatro id nomen quæsitum fuit, cum nullum tamen in vicinia adsitum colossum haberet: tantumque abest, quin ab adjacente aliquo colosso id nomen sibi adsciverit, ut ipsum potius amphitheatrum *colossus* ab Erchemperto vocetur.

[76] Et Romanum amphitheatrum *colosseum*, & nostrum *colossus* sine controversia non aliunde, quam ab immanitate atque excelsitate molis sunt appellata. Κολοσσία, inquit Hesychius, *ἀνδρείαντος σκιά, ἢ τὸ εἰς ὕψος ἀνάστημα*. Quidquid ergo præter morem subjectum conspiceretur, *κολοσσία* Hesychio teste dicebatur. Et favet huic notioni mirifice *colossi* etymon quod Etymologus affert: Κολοσσός, inquit ille, παρὰ τὸ κολούειν (ὅ ἐστι ἐλαττοῦν) τὰ ὄσσε (τουτέστι τοὺς ὀφθαλμοὺς) διὰ τὸ μέγεθος· ὡς μὴ ἐφικνουμένων τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾶν. Putat igitur dictum colossum ab *minuendis & decurtandis* oculis, qui minores se esse sentiant, quam ut obtutu possint assequi excelsitatem. Quam Etymologi sententiam Papinius silv. carm. 1. non parum juvat, ubi comparatione inita inter colossicum Domitiani equum, & alterum e regione templi Veneris positum, longe illum excelsiorem affirmat; itaque ait:

Vix LUMINE FESSO
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.

Quare quidquid ita in altum erigeretur, ut oculorum aciem fatigaret, recte id sive colossus, sive colosseum ex Hesychii & Etymologi sententia dicebatur: nihil vero magis quam amphitheatrum illud Flavium; de quo hæc habet Ammianus Marcellinus, quæ Etymologi verbis paria ac germana censebis. *Amphitheatri molem*, inquit lib. XVI. cap. 17. *solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus SUMMITATEM AEGRE VISIO HUMANA CONSCENDIT*. Par altitudo & immanitas nostri fuit, ut merito *colossus* diceretur. Demum sicut *colossicum signum* Plinius & alii dicebant, sic amplissima quæque *colossica* dici potuisse Vitruvii auctoritas docet, qui κολοσσικώτερα onera dixit lib. x. cap. 4. in hunc modum: *Sin autem colossicotera amplitudinibus & ponderibus onera in operibus fuerint, non erit suculæ committendum*.

[77] Apud Erchempertum non aliud frequentius amphitheatri nomen occurrit, quam *Berelais*: quam vocem non uno modo scriptam in libris Peregrinius in var. lect. affirmat, nam & *Berealis* & *Berelasis*, & *Berolassi* inveniri testatur. Sed magis est ut *Berelais*, ut in editione Erchemperti exhibetur, legatur, quo modo & apud Johannem abbatem Casinensem Capuæ olim Archidiaconum in chronico legitur. In duabus tamen epistolis Johannis VIII. quas deinceps producam, *Berolasis* sive ut in Harduini editione habetur, *Berolassis* appellatur. Demum in Anonymo Casinensi *Berelais* quoque inveniri Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag. 228. affirmat, a quo & Ughellus eadem descripsit, & Cangius ab Ughello. Sed fugit memoria Monachum: nam in toto anonymi illius chronico (quod olim Antonius Caracciolus inter quatuor chronologos, nuperque Muratorius ediderunt) semel iterumque a capite ad calcem pervolutato frustra eam vocem quæsivi.

quens exhibebatur) & , quod totius rei caput eſt, ſi a Gothis id nomen fuiſſet impoſitum, cur ante nonum ſæculum nuſquam ea vox occurrit? Cur Flavium amphitheatrum & cetera per Italiam non eodem nomine appellata?

Berelais non tam arenæ, quam arcis appellatio fuiſſe videtur.

Itaque illa quoque ſuſpicio ſubiit, utrum *Berelais* ſive *Berolaſis* arcem ſignificaret, quippe qui ex Erchemperti hiſtoria noſſem noſtrum amphitheatrum nono exeunte ſæculo propugnaculi loco fuiſſe, de quo deinceps dicetur. Cumque de ea re virum optimum ac doctiſſimum Thaddæum Omulrian Auguſtalium in hoc regno copiarum tribunum militum conſuluiſſem, quod is non ſolum Hibernicam, unde domo profectus, Angloſaxonicam, Italicam, ſed & Francicam, Germanicam, Belgicam, Slavicam, Hungaricam aliaſque ſeptentrionales linguas apprime callet: is pro ſua humanitate ſic Berolaſim eſt interpretatus, ut *caſtrum Italicum* ſignificare diceret: ut ſit vox ex duabus Hungaricis conflata nominibus, *Var* quod arcem notat (78) & *Olasz*, quod Italiam ſignificat (79). Ab Hungarico ſermone nemo miretur ſi vir doctus vocabulum arceſſiverit: nam Hunnos, a quibus Hungari propagantur, in Pannoniam primum, poſtea in Italiam irrupiſſe nemo eſt qui ignoret. Et habeo viro docto gratiam; tum quod ſane probabilem mihi interpretationem ſuppeditarit; tum etiam potiſſimum quod faciſſimus mihi inde gradus fuerit ad alteram firmandam conjecturam, quæ jam tum, cum huic commentario manus admovi, animo obverſabatur.

Hungarico ſermone quid ſignificet?

Berolaſis idem quod παλαιπολις.

Sic enim, uſu vocis *Berolaſis* apud ſcriptores ipſos etiam atque etiam perpenſo, mecum certiſſime ſemper ſtatueram, videri ea voce non aliud Langobardos ſignificare voluiſſe, quam παλαίπολιν, ſeu veterem civitatem. Etenim ante nonum medium ſæculum nuſquam alibi ea vox occurrit, ac tum primum orta eſt, cum anno circiter 840. vetus illa Capua, quæ ubi nunc oppidum, quod *S. Maria* dicitur, latiſſima in planitie explicabatur, Saracenico incendio conflagravit. *Cum his (Saracenis) inquit* ignotus Monachus Caſſinenſis Muratorii to. 2. p. 266. C, *Radelchis totam devaſtavit Siconolfi regionem. CAPVAMQVE PRIMARIAM redegit in cinerem*. Neque ſtatim poſt eam conflagrationem *Berolaſis* audiri cœpit:

Vetus Capua quando ſubverſa funditus.

etiam tum cum Sicopoli, quam in monte Triflisco condiderant, Campani degerent, tamen veteris urbis reliquiis Capuæ nomen inhæſerat (80). Demum poſtquam anno 856. incenſa Sicopoli, nova hæc altera Capua *ad pontem Caſ lini* eſt ædificata: tum demum & prior Capua eo nomine appellari deſiit, ne cum altera confunderetur, & *Berelais*, ſive *Berolaſis* nomen inaudiri cœptum ad veteris utique illius Capuæ reliquias deſignandas. Hinc apud Erchempertum cap. 40. mortuo jam Landulſo epiſcopo & comite Capuæ anno 879 ejus nepotes *in unum collati*, inquit ſcriptor ille, *diviſerunt inter ſe ſub jurejurando Capuam* (ideſt comitatum Capuanum) *æqua diſtributione. Pandonulfus urbem Teanenſem & Caſamirtam; Lando* (non ille ſenior, cui olim Capua vetus obtigerat, ſed alter junior, & *ſegnis* cognominatus, Pandonulfi filius, pater Landulfi qui poſtea epiſcopus Berelais fuit, uti poſtea dicetur) *BERELAIS & Sueſſam, alter Lando Calinium & Cajaziæ &c.* Ridicula ſane Landonis *ſegnis* portio fuiſſet, ſi ei amphitheatrum tantum ceſſiſſet. Atqui *Berelais*, quæ Landonem contigit, non aliud profecto fuit, quam quod ex vetere Capua ſuperfuerat: & ſermone Langobardico Berelais idem quod παλαίπολις fuerit.

Nova Capua quando exædificata.

Accedit quod poſt ejuſdem Landulfi epiſcopi mortem, exorto inter Landulfum Landonis *ſegnis* filium, ejuſque patruum Landonulfum ſchiſmate: ſic demum utcunque res eſt compoſita, ut Landonulfus nova in Capua ſederet, Landulfus vero *Berolaſim* ideſt (ut equidem interpretor) veterem Capuam, quæ Landoni patri obtigerat, regeret. Et exſtat Johannis VIII epiſtola conſcripta anno 881. quæ ſic inſcribitur: *Omnibus epiſcopis Cajetam, Neapolim, CAPUAM, BEROLASIM & Amalphim, Beneventum & Salernum incolentibus*. Ubi pontifex *Capuam* a *Berolaſi* ita diſtinguit, tanquam ſi Capuam novam & παλαιπολιν dixiſſet. Age vero fac *Berolaſim* pro amphitheatro poſitum, quis riſum tenere poſſit, audito vix tantum epiſcopo amphitheatri? Sedes autem epiſcopi Berolaſis in eccleſia S. Stefani fuit, cujus etiamnum haud procul amphitheatro veſtigia viſuntur. Conſtat id ex Erchemperto cap. 46. *Egreſſus*, inquit, *ex urbe* (Capua nova Landulfus) *epiſcopalem ad*

Schiſma inter Landulfum & Landonulfum.

Landulfus epiſcopus Berolaſis.

(78) Plurima ſunt per Hungariam oppida quæ ex voce *Var*, quæ arcem ſignificat, aliquo præpoſito aut poſtpoſito epitheto nomen invenerunt: ut *Ovar*, ideſt vetus arx, *Vivar*, nova arx, *Temeſvar* ex *temes* quod rivulum valet, & *var* conflato nomine, quod ad cujuſdam rivuli utramque ripam id caſtrum conditum jam ab initio fuerit, quod in celebrem poſtea urbem evaſit; & *Fejervar*, ideſt alba arx, quæ olim *Alba Julia* & *Apulum*, nunc Germanis *Weiſſenburg*, ac demum *Carlſtad* a noſtro inviciſſimo CAROLO VI. AVG. appellata. Alia innumera caſtrorum aut oppidorum nomina per Hungariam, Tranſylvaniam, Serviam, quæ eadem analogia poſtpoſito *Var* formantur, quæ idem doctiſſimus Omulrianus mecum amiciſſime communicavit, comportare huc ſuperſedeo. Sed & *Var* interdum præponitur [ut propius ad noſtrum *Berolaſis* accedatur] ut *Varadin*, ideſt arx melopeponum. Cognationem vero V & B litterarum cui inauditam putem, ut mirari poſſit ex *Var Berolaſim* fieri potuiſſe? Aut quis ignorat A & E ceteraſque vocales in linguis frequentiſſime permutari, & conſonarum potiſſimam habendam eſſe rationem?

[79] *Olaſz* Hungaris eſſe Italiam his exemplis conficit idem Omulrianus: nam *Olaſz-orſzag* Italicum regnum ſignificat: *nem tudom elaſziil*, hoc eſt *non ſcio Italice*.

[80] Nam anno 842 *Subtracto*, inquit Erchempertus cap. 21. *ex hac luce Landulfo* (illo ſeniore) *Capuano comite. . . quatuor reliquit liberos . . . ex quibus Lando CAPVAM, Pando Marepbais Surum, Landonulfus Teanum regebat &c.* Quo loco *Capuam* proculdubio veteris Capuæ reliquias intelligit: nego enim Sicopolim eo nomine intelligi poſſe, nam præter nominum diverſitatem, Sicopolis communiter ab omnibus fratribus inhabitabatur, eoque nemini eorum aſſignata fuit. Quemadmodum apud eundem Erchempertum cap. 40. cum nepotes Landulfi Epiſcopi vita functi comitatum Capuanum inter ſe partirentur, nemini eorum altera hæc ad pontem Caſelini recens exſtructa Capua obtigit, quia communiter hæc ab omnibus iis fratribus incolebatur.

ſedem propriam B. Protomartyris properavit, quo poſſit quietam ducere vitam. Sed & Eccleſiam *S. Mariæ Suricorum*, quæ nunc collegialis eſt, cathedralis eccleſiæ loco fuiſſe conſtat ex altera Johannis VIII. epiſtola, qua idem Landulfus *epiſcopus Suricorum* appellatur.

Cur interdum *Berelais* pro arena poſitum videatur.

Neque illud incommodat quod apud Erchempertum *Berelais*, *amphitheatrum coloſſus* & *arena* tanquam ſynonyma uſurpantur; nam cum veteris civitatis reliquiæ amphitheatro potiſſimum adjacerent, ab eoque tanquam arce præſidium ſibi adſciſcerent: hinc factum, ut *Berelais*, etſi ceteroqui παλαιπολιν ſignificaret, tamen ad vitandam ταυτολογίαν (nam mirum in barbaro quamvis illo ſcriptore Erchemperto variæ dictionis ſtudium) aliis nominibus ſive *arena* ſive *amphitheatrum*, a potiore nimirum ſui parte, appellaretur. Et tamen vel tum etiam cum amphitheatri voce utitur Erchempertus, non obſcure tamen ſignificat, ſe παλαιπολιν intelligere, veluti cum cap. 50 ait: *Dato* AMPHITHEATRO *eidem Athanaſio; & ille Guaiferio ad cohabitandum tradidit &c.* Non enim amphitheatrum *ad cohabitandum* datum fuit, ſed id univerſum quod ex urbe vetere ſuperabat, quod a potiſſima ſui parte *amphitheatrum* dicebatur. Frequens eſt apud ſequioris ævi ſcriptores illa locutio, qua oppida alicui procerum *ad cohabitandum ad habitandum*, *ad convivendum* dari dicuntur: qua quidem loquendi ratione non aliud quam oppidi illius dominatio, aut certe adminiſtratio deſignatur.

Dari *ad cohabitandum*, *ad convivendum* quid?

Vox *Berolaſis*, qua παλαιπολιν ſignificat, unde adſciſcenda.

Satis jam, opinor, ſuperque demonſtratum fuit, *Berelaim*, ſeu *Berolaſim* idem quod παλαιπολιν ſignificaſſe. Nunc origo vocis perſcrutanda eſſet: quæ quoniam a ſeptentrionalibus, uti ſæpius dixi, linguis eſt arceſſenda (nam inde Langobardi profecti Italiam inſederunt) idcirco viris doctiſſimis, qui in iis diu multumque ſint volutati, eam inquiſitionem integram relinquo. Tamen non inepte mihi videtur *Berolaſis* ex Hungarica voce *Var* & Germanica *Alt* poſſe derivari. De *Var* jam ſupra dictum fuit, qua non ſolum arx, ſed etiam civitas ſignificatur, ut ex innumeris Hungaricis oppidis, quorum nomina in *Var* deſinunt, (quorum aliqua not. 78. recenſui) æſtimari poteſt: quibus accedit quod *Varos* apud eoſdem Hungaros non aliud quam civitatem ſignificat. *Alt* autem, ſive (ut Germani pronuntiare ſolent) *Olt*, idem eſt quod vetus: unde vox *Old* ad Angloſaxones manavit, quod idem ſignificat, ut *Oldcaſtel* (quod cujuſdam Johannis Wiclefianarum in Anglia partium quintodecimo ineunte ſæculo cognomen fuit) idem Anglice valet, quod caſtrum vetus. Itaque ex duabus iis vocibus *Var* ſive *Bar*, & *Olt* vocabulum *Berolaſis* conflari potuit, ut idem hoc plane fuerit, quod παλαίπολις. Et vox Germanica *Olt* fieri poteſt ut olim per Langobardica Tempora *Olas* diceretur. Sed rimentur ii felicius, qui arctoas dialectos norunt, quo pacto *Berelais* aut *Berolaſis* veterem civitatem Langobardico idiomate notarit: modo illud conſtet, non aliam notionem ei vocabulo, quam παλαίπολιν, fuiſſe ſubjectam.

II. *Amphitheatri Campani per ſequiorem ætatem hiſtoria*.

Ac de barbara noſtræ hujus caveæ appellatione ſatis. Nunc quid eidem per eadem illa infelicia ſæcula contigerit, porro exſequamur. Ac Genſerico primum Capuæ vaſtitatem afferente, num quid infortunii huic moli acciderit, quis facile aſſequetur? Et ſi quid a Genſerico injuriæ paſſum, a Poſtumio Lampadio conſulare Campaniæ refectum puto, cujus olim inſcriptio in amphitheatro reperta, quæ nunc Capuæ viſitur, ſic habet: POSTVMIO. LAMPADIO. V. C. ET. INLVSTRI. CONS. CAMPANIAE. RESTITVTORI. PATRIAE. ET. REDINTEGRATORI. OPERVM. PVBLICORVM. cetera lege apud Grut. p. 459. 1. de qua inſcriptione alibi dicetur. Per Gothica certe tempora nego ullam ei allatam injuriam; cum adhuc amphitheatralis venatus in pretio & honore eſſet, ut ex Senatore v. var. 42. colligimus, ubi multus eſt in amphitheatrali venatione deſcribenda. Adhæc Langobardica dominatione obtinente, quo tempore Radelchis Beneventi princeps Campanis, quod hi Siconolfo Salerni principi ſtuderent, infenſiſſimus, Saracenos ſibi adjunxit, *Capuamque primariam* (ut verbis utar ignoti monachi Caſinenſis apud Murat. to. 2. p. 266.) *redegit in cinerem*: vix fieri poteſt, quin maximum tum amphitheatro vulnus inflictum fuerit. Sed ædificii firmitas hoſtili, opinor, facile furori reſtitit, ne plane everteretur.

Campanum amphitheatrum a Gothis illæſum.

& Saracenico urbis incendio ſuperſtes.

Sub Comitibus Campanis in munimenti uſum interpolatur.

Demum ſub extrema comitum Capuanorum tempora longe alia hujus amphitheatri fortuna fuit; nam e ludicri ſpectaculi theatro in arcis uſum ii traduxere: id quod & ex Erchemperti hiſtoria palam fiet, & ex quibuſdam novitii operis ſubſtructionibus non uno equidem loco deprehendi (81). Et eam quidem cum mul-

(81) Atque eo referendas puto quaſdam in amphitheatri ruderibus ſepulcrales inſcriptiones interdum repertas: neque enim putandum eſt, licuiſſe olim in amphitheatro ſepeliri. Quis unquam ſibi hoc perſuaſerit? Verum poſterioribus ſæculis ad novas ibi ſubſtructiones moliendas quoſcumque lapides ad manus habuiſſent, etiamſi tituli ſepulcrales exiſterent, iis uſi ſunt. Vel dum hæc ſcriberem, unus ex his ſepulcralibus cippis novitio parieti inædificatus ſeſe prodidit, qui ſic habet:

V I C T O R I A H A V E
B V

De ſtatuarum vero aliuſve generis inſcriptionibus longe aliud eſto judicium. Clariſſimorum enim virorum memorias in hujuſmodi publicis locis poni nec apud Romanos, nec apud Græcos inſolens fuit. Cic. IV. fam. 12. *Poſteaque curavimus, ut iidem Athenienſes in eodem loco* (nimirum Academia) *monumentum ei* (Marcello) *marmoreum faciendum locarent*. Itidem Capuæ clarorum virorum aut de colonia benemeritorum ſtatuas & elogia in amphitheatro poſita, teſtes eæ epigraphæ ſunt, quas non raro ibidem detectas novimus. Præ ceteris Poſtumii Lampadii elogium, quod Capuæ viſitur, cum ſua ſtatua, qua quid factum ſit neſcio, in amphitheatro olim fuiſſe repertum in quodam MS. codice memini me olim legiſſe. Sed cum id epigramma Capuæ inquam, proſtet: cur a Grutero p. 459. 1. Romæ ponitur, & Capuæ ex ædibus Michaelis Perpignani Romam traductum refertur? An plures eodem exemplo inſcriptiones Capuæ repertæ?

tis per Europam amphitheatris fortunam communem habuit (82).

Ex Erchemperto excerpta ex amphitheatro.

Quando autem Erchemperti ſæpe facta eſt mentio: non erit inutile quæcunque ad noſtram hanc arenam ſpectant ex ejus hiſtoria decerpere. Ac primum omnium cap. 40. hæc leguntur: *His quoque diebus Landulfus jam fatus præſul* (primus is novæ Capuæ epiſcopus, idemque comes) *percuſſus interiit* (anno 879.).... *Videntes autem nepotes illius depoſitionem, in unum collati diviſerunt inter ſe ſub jurejurando Capuam* (ideſt comitatum Capuanum) *æqua diſtributione. Pandonulfus urbem Teanenſem & Caſamirtam* (hodie Caſertam) *Lando BERELAIS & Sueſſam; alter Lando Calinium* (quæ nunc Carinola dicitur) *& Cajaziæ. Atenulfus cœpit ædificare caſtrum in Calvo. Landulfum autem adoleſcentulum Landonis filium..... unanimiter pontificem conſtituerunt. Sed ſegnitie proprii genitoris* (Landonis cognomento ſegnis) *qua naturaliter torpet, detentus, non eſt mox ſacratus* &c. Mox cap. 41. fratrum diſcordes animi in apertum bellum proruperunt, aliis Guaiferio Salerni principi, aliis Guaiderilio ſe adjungentibus. *Quibus*, inquit Erchempertus, *ex diverſo ſine mora per Cajaziam Sicopolimque adventantibus, ab occaſu juxta urbem Capuanam reſederunt. Guaiferius autem e contra ab ortu ſolis adveniens BERELAIS, HOC EST AMPHITHEATRUM, applicuit cum ſuis, & vallata eſt civitas* (Capuana) *hoſtibus*.

Berelais Landonis ſegnis portio.

Duo Athanaſii moribus diſſimillimi.

Tum cap. 44 narratur quemadmodum Pandonulfus cum Athanaſio, non illo ſanctiſſimo epiſcopo Neapolitano, ſed altero juniore illius, uti teſtatur Johannes Diaconus, nepote, ſed a patruo moribus diſſimillimo, epiſcopo item Neapolitano, & duce Neapolis, fœdus junxerit. Tum ſubjungit: *Sequenti vero anno generaliter motionem faciens* (Pandonulfus) *cum ſuis, Neapolitibus, & Saracenis* (quos nimirum Saracenos Athanaſius peſſime totius Campaniæ fœderatos habebat) *ſuper COLOSSUM, quo filii Landonis degebant, inſedit: prius tamen illos, qui reſidebant in THERMIS juxta ARENAM, pecuniata depoſuit, & Capuam remiſit: illis vero, videlicet filiis Landonis, in AMPHITHEATRO*

Berela's ab Athanaſio infeſtatur.

A *circumſeptis pacem ceſſit, accipiens ab eis Liburiam* (quæ ante *Laboriæ* dicebantur) *ſub ſacramento*.

Atqui in *thermis juxta arenam*, quas verbis modo recitatis memorat Erchempertus, paullisper ſubſiſtere operæ pretium fuerit. Nam & ex his thermis, & ex cryptoporticu, quæ in hunc uſque diem haud procul ab amphitheatro viſitur, non modo Capuæ gymnaſium exſtitiſſe, ſed & ejuſdem locus non obſcure deſignari mihi videtur. Tamen ne feſtinanti moras injiciam, quæ huc faciunt, ea in ſub-
B jectam notationem (83) in cupidorum commodum conjeci: quæ facile faſtidioſi tranſilient.

De Campano gymnaſio.

Hæc quæ ex Erchemperto modo recitavimus, acciderunt anno 881. Erchemperto ipſo teſtante, qui eodem cap. 44. captum ſe per id tempus boniſque exutum narrat, *& ad urbem Capuanam exſulem evectum* x. *Kal. Septembris*, inquit, *anno domini* DCCCLXXXI.

Et ad eundem annum referenda eſt epiſtola Johannis VIII. (quæ eſt 113. in Har-
C duini collectione) ad Athanaſium epiſcopum Neapolitanum, data prid. Id. Martii indict. XIV. ideſt anno 881. Ea in epiſtola Athanaſium acriter reprehendit, quod nondum fœdus cum Saracenis fregerit, uti promiſerat, hortaturque uti quantocius id rumpat, & ut tandem reſipiſcat, Apoſtolicæ excommunicationis ſententia alioqui proſcindendus. Ubi ſub finem epiſtolæ hoc legitur: *Nullam ſeditionem, nullam commotionem, nulla diſcrimina, vel læſionem cum his qui in BEROLASSI commorantur* (quod erat
D in Landonis *ſegnis* poteſtate) *aut facias aut facientibus omnino conſentias*. Verum cum Athanaſius neque Apoſtolicis adhortationibus excitatus, neque minis perterrefactus ab inceptis deſtitiſſet, ſequenti menſe excommunicatur. Conſtat id ex epiſtola 116. ejuſdem Johannis VIII. data menſe Aprili indict. XIV. quæ inſcribitur: *Omnibus Epiſcopis Cajetam, Neapolim, Capuam, BEROLASIM & Amalfim, Beneventum & Salernum incolentibus*. Qua in epiſtola Athanaſium memoratis ejus ſceleribus & contumacia, jure a ſe excommunicatum ſignificat. Verum eodem aut ſequenti anno (nam non ultra annum 882. Johannes Pontifex advixit)

Ab infeſtanda Berolaſi Athanaſium Papa deterret, cujus ille detrectans imperium excommunicatur,

ſtatimque abſolutus;

[82] Non Campanum tantum amphitheatrum præſidii loco uſurpatum fuit. Nam Ratherius Epiſcopus Veronenſis de Veronenſi amphitheatro hæc habet apud Cangium in *Arenæ*. *Ipſe*, inquit, *in circum quod Arena dicitur ob cuſtodiam manſitaret*. Aimonius lib. III. cap. 1. *Treviris in arenis civitatis præſidio locato conatibus ejus reſtiterunt*. De eodem amphitheatro hiſtoria Trevirenſis pag. 208. *Civium pars aliquanta in arena civitatis ideſt amphitheatro, quam munierunt, liberata eſt*. In hiſtoria Wambæ regis: *Intra arenas* (Nemauſenſes) *quæ validiori muro antiquioribus ædificiis cingebantur, ſe muniendos includunt*. Charta an 1179. apud Cangium ibidem *Fortitudinem de Arenis* [Nemauſenſibus] nominat. Ac de arenis Nemauſenſibus extat & Roderici Toletani teſtimonium apud Lipſium, quod pro munimento a Gothis fuerit uſurpatum. Vide apud Cangium ibidem *arenarum Petrocoricenſium excelſam turrim*; nec non *caſtrum arenarum* Maſſiliæ. Nihil autem dubium quin his locis omnibus *arenæ* ſint amphitheatra.

[83] Fuiſſe Capuæ ſub prioribus ipſis Cæſaribus gymnaſium ex Suetonio in Caligula cap. 18. non obſcure percipio: *Munera*, inquit, *gladiatoria partim in ſeptis aliquot edidit: quibus inſeruit catervas Aſrorum Campanorumque pugilum ex utraque regione electiſſimorum*. Quanquam aliquandiu dubitavi, utrum illud *Campanorum* ad univerſam Campaniam pertineret, & Neapolitani Puteolanique potiſſimum eſſent capiendi, apud quos artes palæſtricæ maximo in pretio fuere. Verum difficile eſt Suetonii ætate *Campanos* dici eos potuiſſe, qui ex quocunque Campaniæ oppido orti eſſent: & in inſcriptione M. Baſſæi, quam c. 5. produxi, *victores Campaniæ* potiusquam *Campanos* dici placuit. At ſequitur, inquies, apud Suetonium *ex utraque regione*. Quaſi vero neceſſe ſit regionem pro provincia uſurpari. Atqui Cicero, pro tractu Arpinate poſuit or. pro Plancio: *Totus*, inquit, *ille tractus celeberrimus Venafranus, Allifanus, tota denique noſtra illa aſpera & montuoſa & fidelis & ſimplex & fautrix ſuorum regio*.

Nunc quod inſtat agamus. Nam Erchemperti locus ſupra recitatus non tantum gymnaſium Capuæ fuiſſe docet, ſed & ejuſdem locum deſignat prope amphitheatrum. *In thermis*, inquit, *juxta arenam*: thermas enim quas hic ſcriptor prope amphitheatrum fuiſſe prodit, ad gymnaſium pertinuiſſe mihi perſuadeo. Et thermas quidem gymnaſii partem

Atha-

Athanaſius ab excommunicatione abſolvitur, uti patet ex ejuſdem Johannis epiſtola 126. ad Athanaſium, in qua nulla eſt nota temporis. Rediiſſe tamen ſtatim ad ingenium Athanaſium ex iis, quæ de eo narrat Erchempertus, colligitur; à quo jam ſcriptore pergam, quæ noſtrum ſpectant amphitheatrum, delibare.

[non tamen reſipuit.]

[Berelais Athanaſio paruit.]

Ergo anno 882. inita non ſine Athanaſii fraude inter Capuanorum Comitum ſubolem pace, amphitheatrum in Athanaſii ditione manſit. *Tunc*, inquit Erchempertus cap. 50 *omnes fratres in unum adunati Capuam adierunt; dato prius AMPHITHEATRO eidem Athanaſio, & ille Guaiferio* (non Salerni principi qui biennio antea monachus obierat, ut ex cap. 48. patet, ſed alteri cuidam) *ad cohabitandum tradidit ad perpetuum Capuanorum jurgium (84)*. Hinc iſte Guaiferius, uti deinceps intelligetur, modo *coloſſenſis*, modo *præfectus arenarum* Erchemperto appellatur, modo & *proconſul* nimirum enim Athanaſius, uti & ceteri Neapolitani duces, iidem *conſules* quoque inſcribebantur. Fuit autem per ſexennium ſub Athanaſii poteſtate Amphitheatrum (id quod de veteris quoque Capuæ reliquiis amphitheatro adſitis eſt intelligendum, uti ſupra diximus) hoc eſt ab anno 882. uſque ad 888. quo iterum ab Atenulfo Capuæ comite receptum: quod quemadmodum geſtum ſit, id jam ex Erchemperti hiſtoria demonſtratum imus.

[per ſexennium.]

Nam primum omnium Ajo Beneventi princeps ab Athanaſio laceſſitus, cum tria millia militum raptim Abellinum ſubmiſiſſet, audito Capuam ab Athanaſii exercitu devaſtari, illuc celeriter advolavit. Cumque Athanaſii copiæ curſu præcipiti Neapolim ſe recepiſſent, Ajo conjunctis cum Atenulfo copiis Liburiam, quæ ab Athanaſio tenebatur, igni ferroque vaſtavit, abactoque pecore ac mortalibus quos reperiſſet, puteiſque obſtructis, *AMPHITHEATRVM*, inquit idem hiſtoricus cap. 71. *profectus eſt; quo reſidens per aliquot dies, machinis & diverſis telis fortiter expugnavit*. Ubi *expugnandi* verbum pro *impugnandi* poſitum ſcito: nam adhuc in Athanaſii poteſtate tunc manſiſſe amphitheatrum fidem facit commiſſa paullo poſt inter Atenulfi Athanaſiique copias ad Clanium pugna, e qua Atenulfus facile ſuperior diſceſſiſſet: *Sed ſuperveniens*, ſubjicit Erchempertus cap. 72. *ſcara* (ideſt copiæ) *THEATRALIS a tergo, & in medio circumſepti* (Capuani) *devicti ſunt, partim capti, partimque gladiis extincti ſunt*. Ex quo & ingentes ſpiritus ſumſit Athanaſius, & Atenulfo rem non ſegniter gerendi ardor injectus.

[Berolaſica obſidio.]

Quare inſtaurato *ultra rivulum Lanii* (hoc eſt Clanii) *juxta Sanctum Carſium* in agro Averſano maximis utrinque viribus prœlio: Atenulfus fractis primo impetu hoſtibus, *pertrivit eos*, ait ſcriptor idem cap. 73. *uſque ad ultimam perniciem, occiſis ex eis plurimis, multiſque captis, reliquos oppido fugere compulit; victorque triumphans ad caſtra onuſtatus ac lætus cum ſuis omnibus repedavit: de ſuis autem præter unum amiſit..... Ab hoc ſane die cœpit jam quaſi potens eſſe Atenulfus, & Athanaſius impotens. Hinc inchoavit omnia ſata eorum, qui in COLOSSO morabantur, diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diverſis ad urbem trahere*. Tum cap. 74. narrat, quemadmodum *Guaiferius PRAEFECTVS ARENARVM, qui pœne omnia mala quæ facta ſunt in diebus ejus, is opere ſuo geſſit, fecitque patrare &c. & exitium & finem accepit.... Nam ſubito ſuperna inſpirante gratia, a qua omne bonum proce-*

[Atenulfi victoria ad S. Carſium,]

[& Berelais recuperatio.]

[Guaiferii *Coloſſienſis* exitium.]

fuiſſe nemo ignorat, in tantum ut ſæpe gymnaſia non aliter quam thermæ appellarentur. Teſtis mihi locupletiſſimus Herodianus, qui quas vulgo *thermas Commodianas* appellant. ipſe gymnaſium nuncupavit: *Idem*, inquit, [Cleander] *GYMNASIVM quoque maximum exædificaverat, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum inefcaret*. Ad hæc Diocletiani thermæ, quæ hodieque toti vico *Termini* nomen a *thermis* utique corruptum indiderunt, quid aliud quam gymnaſium, idque ampliſſimum exſtiterunt? Merito Ammianus de thermis Romanorum ait: *Lavacra in modum provinciarum exſtructa*: intelligit enim laxiſſima ædificia, ita ut non tantum cellæ ad lavandum ibi eſſent, ſed & xyſta, & platanones, & ſpatioſiſſimæ porticus, diætæ, exedræ, ephebæa, ſpheriſteria, coniſteria, elæotheſia, & alia id genus. Neapoli regio illa, qua gymnaſium fuit (ubi nunc *Furcilla* dicitur) *regio thermenſis* dicebatur, teſte Petro Laſena in gymn. Neap. cap. 10. Illud quoque ſimile inter Neapolitanum Campanumque gymnaſium fuiſſe comperio, quod utrumque amphitheatro vicinum fuit [ut omittam quod Flavium quoque amphitheatrum thermas ſeu gymnaſium ſibi adhærens habuit, teſtante id Suet. Tito cap. 7. *Amphitheatro*, inquit, *dedicato, thermiſq. juxta celeriter exſtructis*] nam de Campano, uti dixi, teſtatur Erchempertus, qui thermas, hoc eſt gymnaſium, prope amphitheatrum ſtatuit: de Neapolitano vero addocet Fabius Jordanus in hæc verba: *In vetuſtis quoque*, inquit, *Sancti Sebaſtiani tabulis amphitheatri, & vici amphitheatri regionis thermenſis nomen ſæpenumero legimus: quo arbitrabar quandoque inter Capuanam Nolanamque viam in loco Don Petri dicto nedum thermas, ſed aliud quoque amphitheatrum exſtitiſſe. Sed... apud alios ſit hujuſce rei judicium*. Verum Petrus Laſena tantum abeſt quin prope gymnaſium alterum amphitheatrum fuiſſe putet, ut etiam cap. ſeptimo p. 135. neget inter doctos eſſe numerandos, qui omnino Neapoli, ut pote Græca civitate ullum amphitheatrum fuiſſe arbitrentur: quaſi vero non ſub Cæſaribus in Græcis etiam paſſim civitatibus amphitheatra ædificarentur, uti Lipſius demonſtravit. Fruſtra eſt ergo Laſenæ interpretatio, qua amphitheatrum in regione thermenſi poſitum non aliud quam ſtadium fuiſſe contendit. Nec tamen neceſſe eſt duplex cum Jordano Neapoli amphitheatrum adſtruere. Multo erit ſatius regionem thermenſem eo uſque protendere, ubicumque demum Neapolitana cavea fuerit.

Et noſtrarum quidem thermarum ſeu gymnaſii fit mentio in quodam inſcriptionis fragmento, quod apud Caſampullam in ſuburbano Camilli Peregrinii legitur in hunc modum:

... VS. T. F. QVIR. NEPOS
..... LAM. CALDARIAM. A ...

ubi ὁ δεῖνα QVIRina tribu cognomento NEPOS celLAM CALDARIAM (quam Vitruvius *caldarium* appellat, ſed Plinius v. epiſt. 6. *caldariam cellam* peræque habet) A fundamentis, opinor, ſive ædificaſſe ſive refeciſſe dicitur. Sed quoniam ubi id fragmentum inventum fuerit ignoratur: incertum quoque eſt, de thermiſne prope amphitheatrum, an de aliis ſit capiendum. Quis enim dubitat, quin ſicuti Romæ prope innumerabiles, ita & in frequentiſſima ac deliciis diffluente illa Capua plurimæ hujuſmodi fuerint?

Quæ ſi cui forte parum firma videbuntur ad Campanum gymnaſium ejuſque poſitum indicandum, ad hæc certe, quæ de Campana cryptoporticu, Plinio præeunte, ſum dicturus, ne hiſcere quidem audebit. Nam cryptoporticum gymnaſii partem fuiſſe ex utriuſque Plinianæ villæ deſcriptione didici, tum Laurentinæ II. ep. 17. tum alterius in Tuſcis v. epiſt. 6. Campanum ergo gymnaſium haud procul amphitheatro fuit, & ibi omnino, ubi in hunc uſque diem viſitur *cryptoporticus*: quo ſane nomine

dit, in illum excitati illi, a quibus ille putabatur salvari, mutata mente (85) *in eum surgentes apprehenderunt, bonaque ipsius diripientes vinxerunt, revertentes nihilominus ad solum, de quo nunquam diabolice abscissi sunt: ipsumque proconsulem* (Guaiferium) *despicabilem Capuam, Atenulfo consentientes, remiserunt pane tribulationis, & aqua angustiæ sustentatum... Tunc cœpit cohors Bardica triumphans regnare super eos, quos semper armis subegerant*. En igitur post sexennium idest anno 888. quo pugnam ad S. Carsium consignat Peregrinius, Berelais ab Atenulfo comite Capuano recepta fuit. Eaque consignatio temporis certissime confirmatur ex Johanne Abbate Casinensi exarchidiacono Capuæ in chronico apud Peregrinium, & Muratorium to. 2. p. 273. A. in hæc verba: *Indictione* VI. *post dies undecim* (a pugna ad S. Carsium, de qua proxime dixerat) *capitur BERELAIS a domno Atenolfo*. Is est annus æræ 888.

Annus recuperatæ Berelais.

Post pugnam ad S. Carsium idest post annum 888. ad nostra usque tempora, quid Campano amphitheatro factum fuerit, nihil dum inveni: nisi quod celebriora novæ Capuæ ædificia ex ejus ingentibus saxis fuisse compacta, nemo est qui non videat. Et tamen quanta religione & abstinentia duobus ab hinc sæculis aggestos in ruderibus lapides Campani decuriones usurparent, ex Joh. Antonio Manna, qui per illam ætatem nostras res litteris commendavit, existimari potest. Nunc demum dies ille appetiit antiquitati fatalis, quo jugulus ipse a stolidissimis parricidis petendus erat: nimirum

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

CAP. VIII.

De Campanorum scenicis, eorumque theatro.

I. *Campanorum in scenicos ludos studium.*

DIxi Cap. VI. in omne genus ludicra Campanos fuisse intensissimos: superest ut de scenicis quoque pauca dicam. Neque enim non huic quoque voluptati plurimam eos operam dedisse oportuit: cum Atellanarum Oscarumque fabularum gratia Romæ in tantum increbuisset, ut merito Titinnius expostularet:

Qui Opsce & Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.

etiam Sanfelicius usus fuit ad triplicem illam porticum designandam, quæ ante viginti ferme annos in regiorum stabulorum usum traducta fuit.

Et libet hoc Plinii verba afferre, ex quibus intelligatur nostram cryptoporticum Plinianæ fuisse non dissimilem. *Hinc cryptoporticus*, inquit lib. II. epist. 17. *prope publici operis, extenditur. Utrinque fenestræ, a mari plures, ab horto singulæ & altius pauciores. Hæ, cum serenus dies & immotus, omnes; cum hinc vel inde ventus inquietus, qua venti quiescunt sine injuria patent. Ante cryptoporticum xystus violis odoratus. Teporem solis infusi repercussu cryptoporticus auget, quæ ut tenet solem, sic aquilonem inhibet submovetque: quantumque caloris ante, tantum retro frigoris. Similiter africum sistit, atque ita diversissimos ventos alium alio a latere frangit & finit. Hæc jucunditas ejus hieme, major æstate... Ipsa vero cryptoporticus tunc maxime caret sole, cum ardentissimus culmini ejus insistit. Ad hoc patentibus fenestris favonios accipit transmittitque, nec unquam aere pigro & manente ingravescit.* Ad hæc lib. V. epist. 6. in hunc modum habet. *Nec procul a balineo scalæ quæ in cryptoporticum ferunt, prius ad diætas tres. Harum alia areolæ illi, in qua platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet, diversasque cæli partes ac prospectus habet. In summa cryptoporticu cubiculum ex ipsa cryptoporticu excisum, quod hypodromum, vineas, montes intuetur.... A latere æstiva cryptoporticus in edito posita, quæ non aspicere vineas, sed tangere videtur. In media triclinium saluberrimum afflatum ex Apenninis vallibus recipit.... Subest cryptoporticus subterraneæ similis, æstate infuso frigore riget, contentaque ære suo, nec desiderat auras nec admittit: post utramque cryptoporticum, unde triclinium desinit, incipit porticus, ante medium diem biberna, inclinato die æstiva &c.* Non inutile erit Sidonii quoque hæc pauca adtexere lib. II. epist. 2. ad Domitium: *A parte*, inquit, *vestibuli longitudo tecta intrinsecus patet, mediis non interpellata parietibus; quæ.. cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur.* Difficile quidem est Plinianæ cryptoporticus structuram nostræ accommodare, quæ adjacentibus exuta ædificiis, nudatum undique præbet latus: tamen & ab æstu & algore satis hæc quoque munita fuit, & *subterraneæ similis* (non enim olim subterranea fuit, antequam aggesto undique solo subsideret) utramque inclementiam devitabat. Flexuoso hinc atque inde itinere, ad arcendum externum aerem, me puero, adibatur; antequam stabulorum usui cederet. Et evanidas quasdam summa in testudine picturas memini me olim deprehendisse. Sed de criptoporticu tantum. Ex quibus intelligis ibi thermas ab Erchemperto memoratas, Campanumque gymnasium prostitisse. Et in eadem quoque vicinia theatrum fuit, de quo proximo capite differetur: ut merito Statius Neapolitanum gymnasium cum theatro conjungens dixerit,

Et geminam molem nudi tectique theatri.

Quem locum ingeniose Lasena gymnas. Neapolit. cap. 5. de gymnasio & theatro interpretatur; quem vide.

(84) Bene hoc noster dixit *ad perpetuum Capuanorum jurgium* amphitheatro inhæsisse Guaiferium: id quod ex sequentibus statim percipitur. Ait enim cap. 51. *Guaiferius autem COLOSSO residens suasus ab Athanasio, imo & Athanasius ab illo coactus, bellum cœpit inferre dictis fratribus, atque cum Saracenis nimium eos affligebat &c.* Mox cum passim omnes Capuani vindemiæ tempore in agris versarentur: *Ille vero* [Athanasius] inquit Erchempertus c. 56. *suggerente hoc vel maxime Guaiferio COLOSSENSE, ex abditis Græcos, Neapolites, una cum THEATRALIBVS* (idest amphitheatralibus) *viris, & deprædavit totam Capuam, apprehensis in ea multis & præstantissimis viris, peculiisque non paucis &c.* Ad hæc Atenulfo jam Capuam tenente, *Cœpit*, inquit idem cap. 70. [Athanasius] *occasionem quærere adversus Atenulfum, & obsides ab eo, seu pacem innovare, decurrentibus inter alterutros missis... Quos Athanasius ad AMPHITHEATRVM ire præcepit, simulque Atenulfum illic adesse voluit, quatenus firmato fœdere una cum Guaiferio consule filium suum cum aliquantis e Capua obsidem mitteret... Sed Atenulfus & filium suum infra urbem clausit, supradictos viros misit ARENAM, egressusque statim Græcorum cuneus supradictos apprehendit viros cum aliis, & deprædavit totam Capuam graviter: moxque sine dilatione cunctum equitatum & pedestrem exercitum mittens, omnia sata Capuæ succidi exterminarique fecit funditus.*

(85) Qui sunt isti, a quibus Guaiferium captum narrat Erchempertus? Haud alii profecto quam Saraceni, quibus characteres omnes ab Erchemperto hic descripti apprime conveniunt. *Illi*, inquit, *a quibus putabatur salvari*: nam Saracenos semper fœderatos habuit Athanasius, ejusque præfectus arenarum Guaiferius. *Mutata*, inquit, *mente*: sed non tum primum mutata; nam in pugna ad S. Carsium, apud eundem cap. 77. Saraceni immoti steterunt, cederet utri victoria, observantes. Accedit illud: *Revertentes ad solum, a quo nunquam diabolice abscissi sunt.* Noluit tamen noster Saracenos diserte nominare, ut invidiam declinaret, quod eos dixerit *Atenulfo consentientes*.

A Itaque præter ceteros, qui Romæ fabulas conscripserunt, cum primis celebrabatur is, qui bello Punico primo stipendia fecit, Cn. Nævius homo Campanus, qui alter post Livium Andronicum fabulam docuit; qui tanta in scribendo libertate usus fuit, ut nobilium factione, præcipue Metelli, Roma pulsus, Uticæ tandem diem suum obierit. Quanto vero is in pretio fuerit, vel epitaphium quod ipse sibi conscripsit, testatur apud Gellium I. 24. quod tale fuit:

Nevius domo Campanus.

Mortalis immortalis flere si foret fas,
Flerent divæ Camœnæ Nævium poetam.
Itaque postquam est orci traditus thesauro,
Oblitei sunt Romæ lingua Latina loquier.

Quanquam autem *epigramma Nævii plenum superbiæ Campanæ, quod testimonium esse justum potuisset, nisi ab ipso dictum esset*, Gellius criminatur: tamen suo sibi merito tantos sumsisse spiritus, antiquorum de eo poeta existimatio fidem facere potest.

Illud vero maxime Campanorum in id ludicri genus effusissimum studium declarat, quod apud eos primum excogitatum id fuerit, ut theatra velis, sive ad æstum, sive ad frigus arcendum, inumbrarentur. Quem Romani morem, quandiu apud eos vetus illa severior disciplina mansit, adeo sunt aversati, ut etiam theatra, si qua subitario opere lignea compingerentur, disjicerent. Itaque cum censores duo, a quibus obrepenti licentiæ iri obviam oportuisset, M. Valerius Messalla & C. Cassius anno U. C. 599. theatrum in urbe posuissent: *Auctore*, inquit Valerius Max. II. 4. 2. *P. Scipione Nasica, omnem apparatum operis illorum subjectum hastæ venire placuit: atque adeo S. C. cautum est, ne quis in urbe, propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludo spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset.* Idem legitur in Livii epitoma XLVIII. Tantum abest quin umbracula velis instruerent, ut sessus etiam casto illo reip. ævo vetaretur. Itaque sero admodum & lascivientis jam reip. temporibus omnium princeps Q. Catulus pessimo exemplo vela theatris induxit. *Postea*, inquit Plinius XIX. I. *in theatris tantum umbram fecere* (vela) *quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum capitolium dedicaret*. Id ubi semel admissum, statim & ad amphitheatrum vela perrepserunt. Verum quod Plinius Q. Catulum primum omnium id invenisse tradidit, cave aliter quam Romæ illum hoc principem usurpasse accipias, quod diu jam antea in more Campanorum positum fuerat, illorum, inquam, veterum Campanorum, qui a luxu & lascivia omnium maxime infames fuere. Nec fallit nos Valerius Max. II. 4. 6. *Religionem*, inquit, *ludorum crescentibus opibus mox secuta lautitia est. Ejus instinctu Q. Catulus, Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit*. Ammianus XIV. 14. *Nonnulli velabris velorum theatralium latent: quæ Campanam imitatus lasciviam Catulus in ædilitate sua suspendit omnium primus*.

Mos inumbrandi theatra a Campanis invectus.

B

C Quid vero mirandum Capuæ in urbe desidiosissima tantopere ludos scenicos celebratos, cum in ipsis ejusdem civitatis pagis maximo eosdem opere frequentatos intelligam? Non una est Capuæ epigraphe vetustissima centum ipsos & amplius ante Christum natum annos insculpta, ubi LOIDOrum paganicorum, ut opinor, fit mentio: Sed unam interea quantivis pretii nec hactenus editam libentissime adscribam, quam Capuæ in suis ædibus habet vir nobilis, & tum humaniorum omnium litterarum, tum hujus generis cimeliorum studiosissimus Josephus a Capua Capycius, qui ante hos paucos dies Campanorum sexvirum primus est renuntiatus. Ea, si quæris, inscriptio in pago *Recale* Campani agri antea visebatur in prætorio Patrum Societatis Jesu, priusquam idem vir præstantissimus nuper Vindobona reversus ab iisdem religiosissimis viris eam dono habuisset. Lapis ipse non magnus est, quaqua versus sesquipedalis, cujus inscriptio minutis characteribus, ac sæpe coeuntibus dictionibus, ita ut raro puncta compareant, in hunc maxime modum concipitur:

Pagorum Capuæ scenici ludi.

D

PAGVS. HERCVLANEVS. SCIVIT. A. O. X. TERMINA...
CONLEGIVM. SEIVE. MAGISTREI. IOVEI. COMPAGEI. S..
VTEI. IN. PORTICVM. PAGANAM. REFICIENDAM
PEQVNIAM. CONSVMERENT. EX. LEGE. PAGANA
ARBITRATV. CN. LAETORI. CN. F. MAGISTREI
PAGEIEI. VTEIQVE. EI. CONLEGIO. SEIVE. MAGISTRI
SVNT. IOVEI. COMPAGEI. LOCVS. IN. TEATRO
ESSET. TAMQVASEISEILVOOS. FECISSENT
L. AVFVSTIVS. L. L. STRATO. C. ANTONIVS. M. L
NICO. CN. AVIVS. CN. L. AGATHOCLES. C. BLOSSI
M. L. PROTEMVS. M. RAMNIVS. P. L. DIOPANT
T. SVLPICIVS. P. Q. PVL. Q. NOVIVS. Q. L. PROTEM
M. PACCIVS. M. L. PHILEM. M. LICCVLEIVS. M. L
PHILIN. CN. HORDEONIVS. CN. L. EVPHEMIO
A. POLLIVS. P. L. ALEXAND. N. MVNNIVS. N. L
ANTIOCVS. C. COELIO. C. F. CALDO
..DOMITIO. CN. F. AHENOBARB. COS

Quo elogio lex pagana, seu (quis enim sic appellare vetat?) *pagiscitum* pagi Herculanei continetur; cujus hæc maxime est sententia. Duo fuere pagi inter

sese finitimi, quorum alteri Herculaneo, alteri Jovo nomen fuit: qui sive per omnia, sive saltem in iis quæ ludos spectarent, communiter administrabantur; unde merito ille alter *compagus* ab Herculaneensibus appellatur: sicut & Herculaneum vicissim ab Joviensibus compagum audisse mihi persuadeo. Cum autem tempus paganicarum quarundam feriarum appeteret, quo ludi in pagi Herculanei theatro instaurandi erant: placuit Herculaneensibus magistris, ea demum lege magistris Joviensibus locum in theatro futurum, si hi porticum Herculaneensis theatri pecunia sua reficerent. Id si perficerent, tum iis locum in theatro futurum æque, ac si ipsi Jovienses suis expensis ludos facerent; qui ceteroqui ludi Herculaneensium fiebant impendiis. Habes ejus legis sententiam. Libet jam & interpretationem subjicere. *Pagus Herculaneus scivit ante diem decimum terminalia* (is est dies XIV. Februarii) *uti collegium sive magistri Jovi compagi pecuniam* (quam apud se habebant) *consumerent in reficiendam porticum paganam* (quæ in pagi Herculanei theatro erat, non vero in compago Jovo) *ex* (hac) *lege pagana* (idque facerent) *arbitratu Cn. Lætorii Cn. F. magistri pagi ejus* (Jovi) *& uti ei collegio, sive magistri sunt* (idest sive magistris) *Jovi Compagi locus in theatro* (Herculaneensi) *esset tam, quasi si ludos* (ipsi magistri Jovi compagi) *fecissent*. Tum nomina duodecim magistrorum Herculaneensium subjiciuntur, qui ei decreto interfuerunt.

& interpretatio.

Ex ea vero inscriptione colligimus fuisse in pagis ipsis vel tenuissimam quandam reip. imaginem, quam qui moderaretur, *magistri* appellabantur. Quanquam nolim hinc de omnibus omnino pagis fieri conjecturam, quorum fortasse non eadem omnium conditio fuerit. Et cum hæc inscriptio in Campanæ præfecturæ tempora inciderit, antequam ulla Capuam colonia deducta esset: præter ludos aliasque minoris momenti curationes, cetera majoris alicujus momenti a præfecto, qui Roma Capuam mittebatur, administrata fuisse oportuit. Plura de hac epigraphe si quis volet, adeat subjectam notationem (86) in quam, ne extra chorum saltare videar, ea omnia contuli, quæ ad illius marmoris illustrationem conducere videbantur: libuit enim qualemcumque hanc operam viro clarissimo, quem maximi facio, ejus marmoris possessori gratificari.

Ejusdem legis plenior explanatio.

Ad rem vero nostram: si in pagis ipsis & erant theatra, & ludi in his agitabantur, ecquid urbem ipsam Capuam otio & deliciis diffluentem non eorundem scenicorum studio perditissime inflammatam censebimus?

II. *De Campano theatro*.

Exstant in hunc usque diem Campani theatri ruinæ prope cryptoporticum, & prope turrim S. Erasmi, quam nostri homines, ut obiter dicam, Capitolium fuisse ajunt, quibus vero indiciis ibi potius, quam alibi Campanum Capitolium adstruant, ignoro. Multo majora me adole-

(86) *In legem paganam pagi Herculanei commentatio*.

PAGVS.) Quæ de *pagi* notione & etymologia viri docti tradiderunt, notiora sunt, quam ut iis immorandum videatur.

HERCVLANEVS.] Est in hunc diem in agro Campano pagus *Hercules* appellatus. Isne pagus Herculaneus fuit? an ille potius, cui nunc pago *Recali* nomen manet, ubi & lapis ille prostabat? Hoc certe propius fidem est: tum quia vox ipsa *Recale* ab Herculaneo omnino detorta videtur: tum etiam, quod non est credibile ab hominibus harum rerum incuriosis ab usque duobus tribusve passuum millibus, quot pagus Hercules abest, eo advectum non aliam ob caussam, quam ut villæ atrio silicibus insternendo adhiberetur.

SCIVIΓ.) Ultima littera ad morem Græci gamma caret sinistro cornu, quadratarii magis errore, quam certo consilio. Ex hac autem vocula SCIVIT vides non immerito legem, qua de commentamur, *pagiscitum* posse appellari: & revera *pagi scitum* reperi apud Grut. pag. 1007. 7. ubi legitur: EX.SITV.PAGI, sed rescribendum indubie SCITV, nec aliter habet Ligorius. Proderit autem totam eam inscriptionem adtexere, quæ ad sacra paganica non parum allucet. Pederianæ in ditione Brixiana eam ponit Gruterus, quæ talis est: IOVI (nimirum PAGANICO, ut legitur apud Grut. 21. 11.] M. POMPONIVS. M F. PRIMIT. C. POMPONIVS. M. F. ARAS. SEPTEM. PAGANICO. (supple deo) PAGI. FARRATIO. id deo illi paganico nomen fuit) EX. SCITV. PAGI. PAGANORVM. FARRATICANORVM . . . PROPTER. MAGISTERIVM. PAGI. ET. VACATIONEM. IN. PERPETVVM. SIBI. ET. FILIO. CIVIBVS. CREMONENSIVM. D. P. S.

A. O. X.] Bis in hoc epigrammate O loco τῶ D scalptum invenitur: semel hic, iterumque linea octava, ubi LVOOS pro LVDOS ponitur. Quod utrum inter marmorarii σφάλματα referas, an ad quandam scribendi consuetudinem, nihil pensi duco.

Ante Diem X. TERMINAlia) Eruditissimus Norisius ad cenot. Pis. a pag. 342. ad 346. copiosissime demonstrat idem esse A. D. VIII. KAL. MARTIAS, quo die in illis cenotaphiis mors Caii Cæsaris consignatur, ac si diceretur *Octavo Kalendas Martias*: ita ut C. Cæsar die XXII. Februarii, hoc est prid. Terminaliorum diem suum obierit. Inter exempla quæ ibi copiose cumulat Norisius, digreditur ad l. 132. *Anniculus* de verb. signif. qua in lege intepretanda, nec non & loco Lactantii de mort. persec. ei cum Baluzio quædam non ignobilis velitatio efferbuit, nimirum utrumne hæ duæ locutiones *ante diem decimum Kalendarum*, & *post diem decimum Kalendarum* idem significent, uti Norisius putavit, an vero altera illa locutio dies, qui Kalendas consequuntur, numerari jubeat, quemadmodum verisimilius existimavit Baluzius.

Et quidem Josephus Scaliger in libris de emend. temp. locutiones illas *A. D. IV. Eid.* itemque *Ex A. D. IV. Eid.* hinc natas existimat, quod cum dies vulgaris ab exortu solis ad occasum, dies vero naturalis, seu τὸ νυχθήμερον apud Romanos a media nocte ad alteram decurreret, hinc *ante diem*, vel *ex ante diem* nihil aliud notare putat, quam νυχθήμερα, non dies vulgares esse numerandos. Contra vero Petavius in 11. de doctr. temp. 72. *ante diem* idem esse putat in iis locutionibus, quod *ante diem confectum*.

Rem vero nostram quod spectat: non est dubium quin *ante diem X TERMINAlia*, sive *TERMINAliorum* idem prorsus fuerit, quod *decimo Terminalia*. Quare cum Terminalia in XXIII. Februarii olim inciderint; sequitur diem in inscriptione designatum non alium fore, quam XIV. ejusdem mensis.

Non aliud vero monumentum, puto, invenias, quo ista dierum notandorum consuetudo reperiatur, ut dies ante Terminalia computentur: quare vel hac tantum particula marmor hoc viris eruditis se commendabit. Quo circa quid Terminalia sibi velint, operæ pretium fuerit paucis hic docere. Terminalia festi cujusdam in honorem dei Termini nomen fuit: quod festum extremo anni die (nimirum ut ille deus Terminus non tantum agros, sed & annos finiret) idest XXIII. Februarii peragebatur; eoque is dies Terminalia appellabatur. Varro v. de L. L. 3. *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius: & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo*

demuntur mense. Cave vero putes Varronem Terminalia a terminando deduxisse: quin potius a deo Termino deducere in animo habuit; quia initio capitis sic proposuerat: *Dicam prius, qui deorum caussa, tum qui hominum sint instituti*. Quanquam fortasse Termini festum in eum diem rejectum credidit, ut annum terminare diceretur. Semper autem Terminalia, quantum e veteribus intelligitur, in XXIII. Februarii incidebant, nunquam vero in XXII. ejusdem mensis; quod interdum evenisse Scaliger sibi persuaserat: sed Scaligeri commentum Petavius in II. de doctr. temp. 72. copiose refellit. Cumque annus intercalaris veterum Romanorum XXIII. Februarii die terminaretur: hinc quinque reliqui Februarii dies usque ad XXVIII. veluti appendices atque extra anni metas, decurrebant, saltem in intercalari anno. Nam miror equidem Puteanum & alios viros doctos universe pronuntiare & constituere, quolibet anno Terminalia postremum anni diem fuisse habitum, ita ut quinque reliqui dies extra anni curriculum putarentur. Non assentior. Nam Varro, cujus modo verba sunt recitata, intercalari tantum anno quinque ultimos Februarii dies extra eum mensem decurrisse testatur: ex quo & illud sequitur, alternis tantum annis, idest cum intercalabatur, tum demum Terminalia pro ultimo anni die habitum. *Terminalia*, inquit, *quod is dies anni extremus constitutus*. Quod vero Terminaliorum dies extremus esset, duobus conficit rationibus, primum quod Februarius ultimus anni mensis esset; *duodecimus enim*, inquit, *mensis fuit Februarius*: deinde quod Terminalia in postremum ejus mensis diem inciderent, propterea quod quinque insequentes dies ad eum mensem nequaquam pertinerent, idque anno tantum intercalari: *& cum*, inquit, *intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense*. Ergo, (nisi vero nos togatorum eruditissimus fallit, cui sua potissimum tempora obscura esse non poterant) cum non intercalabatur, nec inferiores quinque dies duodecimo mense demebantur, nec proinde eo anno Terminalia ultimus anni dies putandus erat. Idem ex Macrobio colligo, cujus verba paullo post dabo.

Itaque ante Julianam correctionem alter quisque annus intercalaris erat, eoque anno inter Terminalia idest XXIII. Februarii, & Regifugium, quod XXIV. Februarii diem perpetuo obsidebat, mensis intercalarius infindebatur; qui mensis μερκηδῖνος aut μερκηδόνιος, Plutarcho teste in Numæ & Cæsaris vitis, a Romanis dicebatur. Etymon ejus nominis obscurissimum est: & vide an non vox Etruscæ originis fuerit: certe enim in Etrusca, [an Osca?] inscriptione, quæ penes me est, Etruscis sive Oscis litteris MERK. scriptum reperitur; id quod & in veteribus quibusdam kalendariis notatur. Post elapsum hunc Merkedonium quinque reliqui Februarii dies statim pertexebantur. Merkedonius vero ipse, si quæris, alternis bienniis modo XXII. modo XXIII. diebus constabat. Iis jam quæ diximus, veterem unam alteramve auctoritatem libet subjungere. *Cum intercalarium mensem*, inquit Censorinus, *viginti duorum vel viginti trium dierum alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exæquaretur: in mense potissimum Februario inter Terminalia & Regifugium intercalatum est*. Macrobius I. Sat. 13. *Romani non confecto Februario, sed post vigesimum tertium diem ejus intercalabant, Terminalibus scilicet jam peractis. Deinde reliqui Februarii mensis dies, qui erant quinque, post intercalationem subjungebant*. Ita Romani ante Julianam correctionem unius Merkedonii beneficio annum suum lunarem CCCLV. dierum cum solari conciliabant. Mensis quidem iste intercalaris ab Julio Cæsare ut inutilis sublatus fuit: sed ita tamen ut etiam is dies, qui per singula quadriennia intercalari jussus fuit, post XXIII. Februarii, ut antea Merkedonius, insereretur, & XXIV. ejusdem mensis diem ita insideret, uti bis sexto Kal. diceretur, unde & *bissexti* nomen manavit. Non enim assentior Juventio Celso, qui l. 98. de verb. sign. ait: *Cum bissextum Kal. est . . . . id biduum pro uno die habetur: sed POSTERIOR dies intercalatur, non PRIOR*. Quod Celsi dictum laudatur etiam ab Ulpiano l. 3. §. *minorem*, de min. Mihi sane Celsi, qui ducentis post Juliam correctionem annis scripsit, auctoritas non est tanti, ut putem Cæsarem relicta veterum consuetudine tertium diem post Terminalia pro intercalari habuisse, idest eum diem, qui Regifugium pone sequeretur, cum antea postridie Terminaliorum & ante Regifugium mensis ἐμβόλιμος infinderetur. Quare mea sententia prior dies, non posterior, intercalarius Cæsari fuit: quidquid postea jureconsultus ille censuerit. Accedit, quod ex prisca Ecclesiæ consuetudine dies festus S. Matthiæ Apostoli, qui in XXIV. Februarii incurrit, anno bissextili ab intercalario die summotus in XXV. ejusdem mensis rejicitur. An non hinc patet priorem in eo biduo, non posteriorem ex veteri Ecclesiæ instituto intercalarium haberi?

Verum, ut initio dicebam, apud nullum adhuc scriptorem, nullo in veteri monumento dierum isto modo computandorum rationem reperire licuit, ut sicuti a Kalendis, nonis, eidibus, sic ab extremo anni die idest Terminalibus dies numerarentur: eamque rationem, absque hoc epigrammate esset, nesciremus. Quartus decimus autem Februarii dies primus eorum dierum fuit, qui isto modo enuntiarentur. Non enim sicuti quartus decimus dies A. D X. TERMINALIA dicebatur, sic tertius decimus ejusdem mensis *ante diem* XI. *Terminalia* dici poterat, quod in hunc diem eidus inciderent, eoque *eidibus Februarii* dicendum fuisset.

Atque hæc quidem dierum a Terminalibus computandorum ratio intercalaribus tantum annis mihi videtur fuisse usurpata; propterea quod eo tantum anno Terminalia ultimus anni dies haberetur, uti supra demonstravi. Revera consulibus iis, qui hoc in marmore describuntur, fuisse intercalatum facillime colligo in hunc modum. Annus consulionis, qui est ab V. C. DCCVII. quo C. Cæsar III. M. Aimilius consules processerunt, certissime intercalaris fuit: ergo C. Cœlio, L. Domitio Cos. idest anno ab V. C. DCLIX. eo quod hic annus solidis bienniis ab illo altero DCCVII. distaret, intercalatum quoque fuisse oportuit. Quare annis non intercalaribus, quarto decimo Februarii die dicere non licuit A. D. X. Terminalia, sed dicendum fuit A. D. XVI. Kal. Martias.

Fuit quoque altera horum dierum enuntiandorum ratio, quæ intercalaribus annis usurpabatur, in quos Merkedinus mensis incurrisset: tum enim post eidus Februarias Kalendæ intercalares numerabantur hoc modo. Quartus decimus Februarii dies XI. *Kal. intercalares* dicebatur, & sic deinceps, ita ut ipsis Terminalibus *pridie Kal. intercalares* diceretur. Quæ quidem putandorum dierum ratio ex Ciceronis or. pro Quin. cognoscitur, ubi n. 25. *Ante* V. inquit, *Kalendas intercalares*. Et paullo post *pridie Kalendas intercalares*. Nam sine controversia errant, quicunque Kalendas intercalares apud Tullium sive Februarias sive Martias Kalendas interpretantur; nec dubium esse potest, quin Merkedonii Kalendas orator aspexerit: uti jam viri docti notarunt. Quæ cum ita sint, quæ caussa esse potuit, quamobrem non *ante diem* XI. *Kal. intercalares* potius, quam A. D. X. TERMINAlia in inscriptione scalperetur? An liberum fuit utramvis numerandorum dierum rationem sequi? An vero, quod Terminalia inter paganicas ferias longe essent celeberrima, paganorum peculiaris illa putandorum dierum ratio fuerit; eoque nunquam eadem in scriptoribus occurrit?

Et quoniam Kalendarum intercalarium feci mentionem, quid illud est, quod M. Cicero ad Ligarium VI. fam. 14. scribit? *Ego idem tamen*, inquit, *cum ad* V. *Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem &c.* Dicam quid in hunc locum viri docti animadverterint. Hanc epistolam anno ipso confusionis scriptam oportuit: quo anno Cæsar, ut in posterum menses ad suas rationes reverterentur, vide quid excogitarit. Præter Markedonium, qui forte eo anno post Terminalia immittendus fuit, duos alios menses inter Novembrem Decembremque inseruit; itaut ille annus quindecim menses habuerit. Quare post idus Novembres is qui sequebatur quartus decimus dies ita enuntiandus fuit, ut diceretur XVIII. *Kalendas intercalares priores*, & ita deinceps: itemque post eidus mensis intercalaris prioris Kalendæ, opinor, intercalares posteriores numerabantur. Verum de his jam satis.

CONLEGIVM. SEIVE. MAGISTREI.] *Magistrare*, inquit Festus, *moderari: unde magistri non solum doctores artium, sed etiam PAGORVM, societatum, vicorum, COLLEGIORVM, equitum dicuntur, quia omnes hi magis ceteris possunt: unde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quam privati*. De magistris collegiorum Asconius in Ciceronem. *Solebant*, inquit, *magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalitios prætextati*. Magistri vero pagorum occurrunt non raro in inscriptionibus, veluti ap. Grut. p. 26. 9. CERERI. AVGVST.....L. BENNIVS. PRIMVS. MAG. PAGI. BENNIA. PRIMIGENIA. MAGISTRA. FECER. & pag. 1007. 7. MAGISTERIVM. PAGI. legitur. Apud Siculum quoque Flaccum de condit. arg. p. 25. *magistri pagorum* reperiuntur. Iidem posteriore ætate *præpositi pagorum* sunt appellati, uti ex C. Th. & Eusebio annotat Salmasius ad Treb. Poll. cap. 24. Nostra ætate in hoc regno *electi universitatis* nuncupari solent. Taceo de magistris sodalitiorum, seu cor-

porum. Vide de his omnibus indicem Gruterianum magistratuum, ubi occurrunt magistri anni primi, anni V. anni VI. anni LXXXII. anni CV. Fuere & fanorum magistri, ut in quodam Campano marmore legitur: Q. PETICIO.... MAG. FANI. DIANAE Tifatinæ. Hodieque in hoc regno sacellorum sive sodalitiorum annui rectores *magistri* appellantur.

IOVEI.) Ubi is pagus fuerit, incertum: in Herculanei certe vicinia fuit. Et exsistit ejusdem pagi mentio in altero vetustiore Campano epigrammate, quod habet Grut. p. 59. 8. Ibi post magistrorum nomina subjungitur: HEISCE. MAGISTREIS. VENERVS. IOVIAE. MVRVM. AEDIFICANDVM. COIRAVERVNT. &c. VBI VENERVS pro VENERIS ἀρχαϊκῶς usurpatur, ut in aliis duobus Campanis titulis CERERVS legitur, & in Puteolano celebri marmore AD. AEDEM. HONORVS. *Venus* autem *Iovia* non a Iove, uti plerique sibi persuadent, sed a pago Campano *Iovo* nomen certissime invenit. *Porticus* vero *Iovia*, quæ est apud Grut. p. 111. 6. cum a Diocletiano Iovio nomen habeat, nihil illa huc attinet.

COMPAGEI.] Vox *Compagus* inaudita hactenus, ex hoc tantum elogio nota, lexicorum penum deinceps augebit; quæ mirum quantum e vetustis titulis amplificari possint. Miror doctissimum Facciolatum id vocabulum ad caligæ genus referre, auctore Trebellio Pollione in Gallien. Sed apud Trebellium non *compagos*, sed *campagos* ab omnibus legitur, etiam a Dempstero, ad quem rejicit nos Facciolatus. Sed fuerit hoc viri eruditi σφάλμα μνημονικόν: nam de *campagis*, quæ viri eruditi notarunt, sunt porro tritissima. Nostra vero quod interest: compagos sese invicem duo hi pagi appellitabant, ob ludorum, fortasse & sacrorum, connubiorum rerumque id genus communionem. Est enim scitissimum claris quandoque urbibus id usuvenisse, binæ ut civitates communibus legibus, judiciis, magistratibus rebusque ceteris administrarentur; itaut unus populus duabus urbibus habitare diceretur. Ac ne peregre abeam, domestico uno exemplo contentus ero. Livius lib. VIII. *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est: duabus urbibus populus idem habitabat.*

S . .] Elementum S, quod extrema linea nec integrum, confracto silice, visitur, pertinet ad integram vocem SVNT; quæ hic, uti & initio septimi versus παρέλκει. Vide quæ ibi dicturi sumus.

VTEI. IN. PORTICVM. PAGANAM. REFICIENDAM) Eam capio porticum, qua theatri Herculaneensis subsellia prætexebantur & fulciebantur. Vide porticus, quas cap. VI. in amphitheatri descriptione delineavimus: nam theatrum dimidium amphitheatri fuit. Aut certe illa porticus intellig potest, quæ postico scenæ prætendebatur. Ut ut est, porticus certe theatralis fuit: nam & apud Reinesium clas. 2. n. 30. porticum theatricam invenio in hunc modum: *T. Turranius L. F. Claud. Rufus. ob. honorem. ædilitatis PORTICVM. LONG. P.C. LAT. P. XX. ET. SCENAM. LATRAEGVM. curante. L. Turranio. Frontone. Fil. fecit.* Theatrum autem Herculaneense, non cæmentitium aut lapideum fuisse necesse est: primum quod in ipsa Roma ante Pompeium Magnum nullum nisi e materia theatrum fuit: deinde cum ludi, de quibus inscriptio loquitur, Terminalibus ipsis essent exhibendi, uti deinceps dicam, quis unquam sibi persuaserit, paucis ante Terminalia diebus ejus porticus refectionem, nisi opus e materia totum compingebatur, fuisse aggressuros?

PEQVNIAM.) Sic non raro in veteribus cippis, quoties Q ante ponitur. Quid enim altero V opus fuerat? Et ceteroqui PEQVNIA pro PECVNIA non insolens in vetustis titulis scriptio est.

EX. LEGE. PAGANA) pagi Herculanei: nimirum hac ipsa, quæ hoc marmore describit. Fuit & illa *lex pagana*, quam habet Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *PAGANA*, inquit, *LEGE in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fusos, aut omnino detectos ferant; quoniam adversetur id omnium spei, præcipueque frugum.*

ARBITRATV. CN. LAETORI.] Frequens hoc in vetustis titulis, ut quoties quidpiam sit faciendum, simul adjungatur, cujus *arbitratu* transigendum id sit. Plaut. rud.

Videsis cujus arbitratu rem nos facere vis.

Ulpianus de verb. sign. *Illa verba: Arbitratu L. Titii fieri: jus significant, & in servum non cadunt.* Tale est quoque illud apud Horatium, II. serm. sat. 3. *Arbitrio Arri.*

CN. F.] Major, uti vides, dignatio pagi Jovi fuit, in quo inter magistros istos iste ingenuus erat (imo in altero pagi Jovi marmore, quod habet Grut. p. 59. 8. duodecim magistri ingenui omnes annumerantur] quam Herculanei, cujus magistri infra omnes libertini homines recensentur.

PAGEI. EI.) puta Jovi.

EI.] Genitivus *ei* pro *ejus* haud alibi, quod legerim, quam in hoc saxo reperitur. Illud quod apud Lucretium legitur lib. II. 1135.

Nec facile in venas cibus omnis diditur EII,

dandi casu, non gignendi est positum, & ad producendam syllabam I duplicatur, sicut etiam apud Plautum Curc. 4. 3. 12. *Ei* autem gignendi casu non alibi, uti dicebam, quam in hoc marmore legitur. Quanquam illa Prisciani præceptio istud EI quoque complectitur. *Vetustissimi*, inquit is grammaticus lib. VI. *solebant omnium in IVS terminantium & in I dativum, etiam in I genitivum & in O dativum in genere masculino & neutro, in feminino vero secundum primam declinationem in AE diphthongum proferre.* Itaque quemadmodum a recto EA est casus patrius EAE apud antiquos, quod jampridem grammatici notarunt, & dandi casus plurativus EABVS: sic masculinum ac neutrum EI genitivo casu fieri potuit. Sed tamen ante hoc marmor cum exempla τοῦ EI non suppeterent, nil mirum si nihil de eo casu expresse traditum reperitur. Dausquius, qui pag. 94. multa exempla genitivorum *alii, alteri, illi, ipsi, isti, nulli, neutri, cui, soli, toti, uni, ulli*, cumulavit, ne EI quidem omisisset, si quidem in hoc saxum incidisset. Quanti vetusta marmora, quæ immutata ad nos pervenerunt, ad rem grammaticam sunt! Hinc etiam liquet in EIVS & CVIVS medium I non consonam esse literam, sed vocalem, æque ut in aliis his omnibus *illius, unius &c.* Nam sicuti in priscis genitivis EI, CVI ultimam literam vocalem esse intelligimus, quidni etiam in hodie usitatis EIVS, CVIVS? Tamen difficile est a recepta typographorum consuetudine recedere, qui illud I longiusculum consonans depingere solent.

VTEIQVE. EI CONLEGIO. SEIVE. MAGISTRI. SVNT. IOVEI. COMPAGEI.] hoc est *& uti ei collegio sive magistris Jovi compagi:* nam τὸ SVNT παρέλκει, uti supra ad alteram lineam monebam. Cujusmodi est illa formula sepulcralis singulariis notata litteris H. M. S. S. E. H. N. S. idest *hoc monumentum, sive sepulcrum est, heredem non sequitur.* Et variante quamvis per obliquos casus priore vocabulo, tamen illud *sive sepulcrum est* immutatum manet: veluti *hujus monumenti, sive sepulcrum est &c. huic monumento, sive sepulcrum est &c.* quæ non raro in epitaphiis reperi.

LOCVS. IN. TEATRO. ESSET.) De Herculaneensi theatro est sermo.

TAM QVASEI. SEI] Diphthongus, qui in QVASEI adhibetur (non solum hic, verum etiam in fragmento agrario apud Grut. p. 203. lin. 21. ubi QVASSEI legitur, itemque pag. 628. & 619.) syllabam natura longam designat: itaque nonnisi elisione prioris vocalis E eadem sæpe corripitur, id quod in diphthongis Græci non raro faciunt. In eundem modum sunt illa in monumentis NISEI, VBEI, SIBEI &c. quæ priore vocali expuncta a poetis breviantur.

Jam vero illud *si* post particulam *quasi* elegantissime adhibetur non hic solum, verum etiam in tabula ænea apud Grut. pag. 628. SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS... IVVS. LEXQVE. ESTO. QVASEI. SEI. EI. VIATORES. &c. Et paullo post. pag. 629. SIREMPSQVE EIS. PRAECONIBVS ... IVVS. LEXQVE. ESTO. QVAESEI. SEI. EI. PRAECONES &c.

LVOOS.] De O loco τοῦ D posito monui supra.

LVDOS. FECISSENT] In spectaculis apud Romanos optimo semper & honestissimo loco ii fuere, qui ludos facerent. Itaque ædiles, prætores, censores, aut quicunque spectaculum exhiberent posito tribunali in podio spectabant. In magistris Joviensibus honestissimus locus instruitur, quando editoribus æquiparantur, seu ita habendi esse dicuntur, quasi si ipsi ludos fecissent, qui tamen per Herculaneenses magistros fiebant.

Quos ludos pagatim celebrari consuetos hæc inscriptio memorat, scito eos per paganicas ferias sive paganalia (id rusticorum sacris nomen fuit) a rusticis in suorum deorum honorem quotannis rite instauratos fuisse. Nam singuli sane pagi suos habuere deos ex Ser. Tullii institutione: unde de *Jove Paganico*, & de *Genio pagi Tigorini*, nec non & de aris *Farratio* deo *paganico* positis exstant apud Gruterum inscriptiones: & in pago nostro Jovo *Venus Jovvia*, uti supra dictum fuit, colebatur. De Ser. Tullii instituto, quod attigi, libet Dionysii verba adnectere

lib. IV. *Ut etiam*, inquit, *ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras juſſit dedicari diis tutelaribus, quotanniſque ibi conventum fieri & ſacrificium, (feſtum hoc . . . vocatum Paganalia] ſimulque eorum ſacrorum ritus, qui nunc quoque ſervantur, conſcripſit. Ad id ſacrificium, cumque conventum omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus, ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud puberos: quibus connumeratis per ſacrorum præſides, apparebat hominum numerus per ætates ac ſexus diſtinctus.*

Atque hic quidem libet ex paganicis feriis duas potiſſimum deſcribere, pagorum luſtrationem & Terminalia: tum ad utrum horum feſtorum ludi iſti paganici ſint referendi, quivis facile dijudicabit.

Præcipua inter paganicas ferias fuit pagorum luſtratio, de qua Ovid. I. faſt. 669.

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Ceresque
Farre ſuo, gravidæ viſceribuſque ſuis.

Magiſtrorum cujuſcunque pagi fuit eos luſtrare, eaque luſtratione agros omnes fineſque agrorum circuire: ita ut Siculus Flaccus eo uſque territorii limites trahendos dicat, quatenus illi luſtrarent. Verba ſunt paullulum involuta, ſed attendentibus clara; ſic enim habet lib. de cond. ag. p. 25. *De quibus* [pagis] *non puto quæſtionem futuram, quorum territoriorum ipſi pagi ſint, ſed quatenus territoria. Quod tamen intelligi poteſt, magiſtri pagorum quoad pagos luſtrare ſoliti ſunt uti trahamus, vel ex hoc quatenus luſtrarent.* Atque eam ſane luſtrationem menſe Majo conſignat vetus Kalendarium ruſticum Farneſianum apud Grut. p. 13. & diem, qui in Kalendario nullus certus præſtituitur, ſuſpicabatur Holſtenius fuiſſe V. idus, indicio cujuſdam inſcriptionis, quam cum Holſtenii commentario profert Reineſius in appendice n. 8. Sed ſcitiſſime idem Holſtenius ſeſe recipiens ex Varrone docet paganalia dumtaxat fuiſſe ſtativa, paganicas vero ferias, inter quas luſtratio, conceptivas fuiſſe. Quid quod ne menſis quidem Majus certus fixuſque ei luſtrationi fuit? Reperio enim alibi nonas Junias ei ritui aſſignatas. Id quidem cum ex quadam paganica agri Beneventani epigraphe apud Fabrettum p. 232. n. 610. collegerim, eam inſcriptionem in medium afferendam duxi. *M. Naſellius. M. F. Pal. Sabinus. præf. coh. I. Dalmatar. et. Naſellius. Vitalis. pater. Aug. II. quinq. paganis. communib pagi. IVOVL.* (vide an non in marmore ſcriptum ſit IOVI aut IOVEI, ut idem fuerit ac pagus Campanus Jovus, aut ei certe cognominis) *porticum. cum. apparatorio. & compitum. a. ſolo. pecun. ſua. fecerunt. et. in. perpetuum.* VI. *id. Iun. die. natale. Sabini. epulantibus. hic paganis. annuos.* X, [ideſt. denarios] CXXV. *dari. juſſerunt. ea condicione VT. NON. IVN. PAGVM. LVSTRENT. ET. SEQQ. DIEBVS. EX. CONSVETVDINE. SVA. CAENENT. item.* VI. *id. Jun. natale. Sabini. epulentur. quod. ſi. factum. non. erit. tum. hic. locus. ut. ſupra. ſcriptum. eſt. cum. annuis.* X. CXXV. *in. perpetuum. ad. collegium. medicor. et. ad. libertos. N.* [hoc eſt noſtros] *pertineat. ut. ii.* VI. *id. Jun. die. natale. Sabini. hic. epulentur.*

Sacrificium quod ea luſtratione fiebat ambarvale dicebatur. Vide quæ de hoc ſacro viri doctiſſimi notarunt, ejuſque deſcriptionem apud Virg. I. geor. 343. Ad quem locum Servius, id ſacrum *ſæpe de porca fecunda & gravida fieri* conſueviſſe ſcribit, id quod & Ovidius modo in partes vocatus teſtatur. Bene Servius *ſæpe* ſic factum ait, non perpetuo: nam fuit cum apparatius id ſacrum inſtrueretur, & ſuovetaurilia, ſive, ut alii malunt, ſolitaurilia circumagerentur, teſte Catone de r. r. cap. 141. ubi ritus deſcribitur, & legitima verba ſic concipiuntur: *Janum Jovemque vino præfati ſic* [dicebant] *Mars pater te precor quæſoque, uti ſies volens propitius mihi, domo familiæque noſtræ, quojus rei ergo agrum, terram fundumque meum ſolitaurilia circumagi juſſi: ut tu morbos viſos inviſoſque, viduertatem vaſtitudinemque, calamitates intemperantiaſque prohibeſſis, defendas averrunceſque, utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire, beneque evenire ſinas: paſtores pecuaque ſalva ſervaſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domo familiæque noſtræ. Harumce rerum ergo fundi, terræ agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicut dixi, macte hiſce ſolitaurilibus lactentibus immolandis eſto.* Quæ quidem formula privatorum luſtrationibus accommodata, paullo aliter a magiſtris pagorum publice eum ritum peragentibus concipi potuit: & loco Martis, cujus Romæ & in agro Romano præcipua veneratio fuit, ſuum cujuſque pagi numen ἐπιχώριον invocatum puto. Eodem pertinet illa apud Feſtum in *peſeſtas* formula: *Avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem, peſeſtatem*, ideſt peſtilentiam.

Sed finis non ſit, ſi de agrorum luſtratione & ambarvalibus porro diſputare perrexero. Quin potius Terminalia aggredior, quæ inter paganica feſta magnopere celebrabantur? Ea vero ſic dicta fuere, quod deo Termino, ſive Jovi Terminali eo die (puta XXIII. Februarii) ſacra fiebant ex Numæ inſtutione, auctore Dionyſio, quem loquentem hic facere non pigebit. *Numa*, inquit lib. 12. *ut contenti propriis aliena non concupiſcerent, cavit lege de terminandis prædiis. Cum enim juſſiſſet unumquemque agrum ſuum circumſcribere, atque in finibus ſtatuere lapides, hos ſacros Jovi Terminali eſſe voluit: juſſitque ut quotannis ſtata die res divina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem deorum, qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocant Terminalia, ſicut lapides ipſos terminos, quos noſtri variante una littera τέρμονας: quos ſi quis transferre auſus fuiſſet aut tollere, lege terminali caput ejus his diis devovit, interfectori ipſius, tanquam ſacrilegi, impunitate promiſſa & puritate a ſcelere.* Et ex Numæ inſtituto non hoſtiæ Terminis cædebantur, quod nefas eſſet eos lapides cruentari, ſed liba & frugum primitiæ offerebantur, uti ibidem auctor eſt Dionyſius. Sed poſtea, teſte Plutarcho, obtinuit, ut animalia eo quoque feſto immolarentur, veluti porca aut agnus. Horatius:

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.

Præter cæteros Ovidius horum ſacrorum ritus in ſecundo faſtorum accurate deſcribit.

Quorſum vero hæc tam multa de paganicis feriis? Nimirum ut intelligatur ad aliquod eorum feſtorum ludos Herculaneenſes pertinuiſſe: ludi quippe pars non ultima religionis feſtorum fuit. Potiſſimum vero ad Terminalia, quæ jam appeterent, ut ex initio epigrammatis conſtat, eos ludos ſpectaſſe crediderim. Cetera nunc porro exſequamur.

L. AVFVSTIVS. L. L. STRATO.) Magiſtrorum nomina ſubnectuntur, omnino duodecim. Suſpicabar duodenarium magiſtrorum numerum in noſtris hiſce pagis fuiſſe obſervatum ex priſco Etruſcæ gentis inſtituto, quæ, ut in Etruſcis originibus demonſtrabitur, duodenario numero ſummopere eſt delectata, in tantum ut quamcumque inſiderent regionem, duodenis eam urbibus incolerent, ut cetera omittam. Et augebat ſuſpicionem, quod in finitimo pago Jovo duodecim quoque magiſtri eſſent, ut patet apud Grut. p. 59.8. item in altero paganico epigrammate, quod Capuæ proſtat, (non vero Calini, ubi id per incogitantiam ſtatuit Fabrettus p. 626. num. 225.) duodecim quoque magiſtrorum nomina recenſentur. Tamen, ne hiſce argutationibus nimis indulgeam, facit, quod in eo Campano elogio, quod idem Fabrettus habet pag. 635. num. 298. tredecim magiſtrorum nomina (ſi modo id epigramma eſt paganicum) adſcribantur: ubi poſt magiſtrorum nomina ſubiungitur: HEISCE. MAGISTREIS. CERERVS. MVRVM. ET. PLVTEVM. LONG. P. LXXX. ALT. P. XXI. FACIVND. COIRAVERE. EIDEMQ. LOID. FEC. C. ATILIO. Q. SERVILIO. COS. Is murus cum ſuperſtructo *pluteo* (ideſt cortinula, θωρακίῳ, ac veluti podio) ad ſpectandum ludos ædificatus fuit. Quare, ut obiter moneam, non e materia tantum apud noſtros loca ad ſpectandum antiquiſſimis temporibus conſtruebantur, ſed etiam manſura, & ſtabilia.

Adſcribam porro ὁλογραμμάτως ea tantum nomina, quæ inexpertum lectorem remorari poſſint: C. BLOSSIus M. L. PROTEMVS. M. RAMNIVS. P. L. DIOPANTus (ideſt Diophantus) T. SVLPICIVS. P. Q. (ideſt *Publii*, *Quinti* ſupple *libertus*) PVL. [non *Pulcher* interpretandum videtur; ſed Græcum aliquod cognomen a πυλ. aut φυλ. ſyllaba incipiens libertino homini videtur potius aſſerendum, quæ ſexcenta eſſe poſſint] Q. NOVIVS. Q. L. PROTEMus. M. PACCIVS. M. L. PHILEMatio. M. LICCVLEIVS. M. L. PHILINus. A. POLLIVS. P. L. ALEXANDer. Numerius MVNNIVS. &c.

C. COELIO. C. F. CALDO.. DOMITIO. CN. F. AHENOBARB. COS.] Ideſt anno U. C. DCLIX. Supplentur hinc fragmenta Capitolina, quæ habent . . . CALDVS L. DOMITIVS. C. . . . Et ex his viciſſim fragmentis Lucii prænomen, quod in noſtro marmore deperiit, alteri conſuli Domitio vindicatur. Apud Senatorem & Obſequentem eodem ordine C. Cœlius, L. Domitius ſine cognominibus hoc anno conſules eduntur: ſed Aſconius in Corneliana ὕστερον πρότερον *L. Domitio*, inquit, *C. Cœlio coſ. S. C. factum, nequis Cretenſibus mutuam pecuniam daret*. Qui ordo in enuntiandis conſulibus haud raro permutatus reperitur.

ſcente ejus theatri veſtigia ſuperabant : nam memini ante amplius viginti annos magnam illius hemicycli partem fuiſſe disjectam, non aliam puto ob cauſſam, quam ut figulinæ ibidem exercendæ patentior area explicaretur. Supra theatri cuneationem quædam ſurgunt novitii operis cænacula, in quibus ante centum & triginta fere annos Camillus Peregrinius ſenior, poeta celeberrimus, hujus Cathedralis Eccleſiæ primicerius ruſticabatur (87).

Hoc theatro, quod ſub Cæſaribus ædificatum poſtea docebo, fueritne aliud Capuæ antiquius, ignoratur. Cum Romæ primus omnium Magnus Pompejus non ſine bonorum reprehenſione lapideum theatrum (idque cum Veneris æde ita copulatum, ut tantum ſe Veneris templo gradus addidiſſe cauſſaretur) exſtruxerit: vix videntur ante id tempus theatra in Italia, niſi lignea, exſtitiſſe. Si quis tamen Campanorum id luxui tribuendum velit, ut ante Pompejani theatri tempora lapideum aliquod noſtri habuerint, non contendam: modo ſtante Campanorum rep. id fabricatum affirmant. Verum quid magnopere in iſtiuſmodi ariolationibus operæ pretii? Hoc certe, cujus adhuc ſuperſunt veſtigia, ſub Cæſaribus fuiſſe a Campanis conſtructum mihi paullo poſt demonſtrabitur.

Nam hoc primum omnium ſtatuendum puto, quod hactenus indicavi ædificium, id revera theatrum fuiſſe, non vero aut alterum amphitheatrum, aut quidvis aliud. Quo labore ſuperſederem, niſi vir ſummus Antonius Sanfelicius, non theatrum illud fuiſſe, ſed alterius amphitheatri reliquias exiſtimaſſe videretur. Malim tamen aliorſum illius orationem accipere, (88) quam quidquam ſecus de viro clariſſimo cogitare. Quidquid tamen ille ſenſerit, danda eſt venia, quod ea ætate nondum detectus eſſet in hujus, de qua diſſerimus, fabricæ ruinis is lapis, qui nunc ad S. Eligii proſtat, quo quidam Luccejus Peculiaris REDEMPTOR PROSCENI fuiſſe dicitur: de quo ſaxo infra dicetur.

Nam aliud mihi marmor prius illuſtrandum ſuſcipiam, quo marmore quis demum ille fuerit, qui theatrum hoc a fundamentis excitari curarit, aperitur. Itaq; ab amphitheatri titulo non fuit disjungendus is lapis, ex quo tum theatri ætatem aſſequi licebit, tum ejus operis EXACTOREM. Exſtat id elogium Capuæ ab *Ebulenſi* regione occidentem verſus pergenti ſiniſtro viæ latere in hunc modum:

D. M. S
Q. ANNIO. IANVARIO
EXACTORI. OPERVM. PVBL
ET. THEATRI. A. FVNDAMENTIS
HVIC. ORDO. DECVRIONVM
OB. MERITA. EIVS. HONOREM
AVGVSTALITATIS
GRATVITVM. DECREVIT
VIXIT. ANN. LXXI. VIVOS
SIBI. FECIT. POSTERISQVE
SVORVM

Et refertur hoc quidem a Grutero p. 354. 7. Sed primum alio poſitu linearum, deinde LXX. anni Q. Annio tribuuntur, cum in ſaxo ſint LXXI. demum quarta inſcriptionis linea, quæ maximi eſt ad rem noſtram momenti, mutila exhibetur hoc modo, ET... MENTIS. ET, fateor, litterarum veſtigia ita fugientia ea cippi parte offendi, ut, niſi in ſchedis cujuſdam Silveſtri Ayoſſæ, quæ quaſdam noſtrates epigraphas oſcitanter deſcriptas habent, eum verſum integrum reperiſſem, vix divinando eum aſſequi potuiſſem. Non ſic tamen oblitterati ſunt characteres, quin poſtquam iis ſchedis doctior effectus ad marmor rediiſſem, non illico ſingulas litteras probe agnoverim.

Marmoris & theatri ætas.

Ea in inſcriptione cum Auguſtalium mentio fiat, qui rariſſime Auguſto vivente, & nonniſi extra Romam, poſt Auguſti vero tempora paſſim audiri cœperunt: omnino poſt Auguſtum theatri opus exædificatum oportuit. Ac de Auguſtalium ordine nihil hic me attinet dicere, quod eam tractationem alibi ſuſceperim. *Honor auguſtalitatis gratuitus* ita hic dicitur, uti apud Grut. 393. 5. itemque 475 3. & 4. HONOREM. DECVRIONATVS. GRATVITVM. *Auguſtales* vero *gratuiti* reperiuntur apud Grut. 172. 13. 432. 3. &

Auguſtales aut decuriones gratuiti.

(87) Inter manu exarata ejuſdem Peregrinii ſenioris poematia, quæ is, quem toties honoris cauſſa nominavi, Joſephus a Capua Capycius a viro nobili Alexandro Peregrinio ſibi humaniſſime commodata brevi eſt editurus, exſtat elegans capitulum ad quendam Johannem Camertinum Capuæ olim Vicarium. Eo capitulo dum univerſæ vitæ ſuæ rationem poeta exponit, ſe jam chori miniſterio exauctoratum ait: tum hæc ſubjungit:

E ſon' uſcito ancor dalla cittade,
Me ne ſto in villa in lieta piaggia aprica
Senza ricchezza e ſenza povertade.
In cui rimiro dove fu l' antica
Capua, e veggio ch' ov' ebbe alti palagi,
Or tronca il rozzo metitor la ſpica.
Ove ſon dico le delizie, e gli agi
De miei Campani eroi? ove i Perolli?
Ove i Pacuvii? ove i Gutbelli e Magi? &c.
Qui vivo in parte lieto, e dolce inganno
Faccio a me ſteſſo al fin della mia vita,
Che già m' appreſſo al ſettanteſimo anno.
Stommi in una caſetta erma e romita
Sopra un TEATRO antico fabricata,
Ove ogni vento ha libera l' uſcita, &c.
Saper volete come ſi diſpenſa
Da me la vita? Levomi a l' aurora
Di letto a ben' oprar con voglia accenſa.
Paſſeggio un miglio, o poco men tal' ora
Sin dell' ANFITEATRO alle ruine
Che ſtanno in pie con meraviglia ancora: &c.

(88) Dum Campanæ magnificentiæ reliquias deſcribit Sanfelicius: *Exſtant ex iis*, inquit, *duæ amphitheatri moles opere Dorico &c.* Duone veteris Capuæ amphitheatra adſtruit, ita ut hoc quod modo indicavimus theatrum, vir eruditus pro amphitheatro altero habuerit? anne vero Calpurnium imitatus, qui ecloga VII. ſic pulchre amphitheatrum circumſcribit:

Et GEMINIS medium ſe MOLIBUS alligat ovum:

eodem ille ſenſu *duas amphitheatri moles* dixerit? Ita prorſus. Et accedit quod in ſequentibus de uno evidenter ædificio loquitur: *Duæ*, inquit, *amphitheatri moles opere Dorico, tam vaſtæ, eaque architectura, ut nemo ſit, qui primo EIUS aſpectu non obſtupeſcat &c.* Quid quod hoc, quo de agimus, theatrum jamdudum extimis ornamentis nudatum nulla operis Dorici indicia de ſe dare Sanfelicio potuit? Ea tamen ambigua Sanfelicii dictio Maximiliano Miſſonio fecit, opinor, offucias, qui in itinere per Italiam Gallice conſcripto *les reſtes de deux amphitheatres* Capuæ ſupereſſe narrat.

454. 7. necnon apud Fabrettum pag. 403. n. 304. Non alii porro sunt decuriones aut augustales *gratuiti*, quam gratis & sine ulla impensa ob aliqua sua merita in eos ordines allecti: unde apud Fabrettum p. 744. num. 530. diserte legitur AVGustali GRATis CREATO. Nam cereroqui quicunque decurionatum aut augustalitatem consequerentur, aut pecunia iis erogan-da erat, aut opus publicum faciendum, aut munus edendum, aut tale aliquid, ut ex innumeris inscriptionibus constat. Q. autem Annius Januarius ob theatrum sua cura a fundamentis erectum gratis in Au- A gustalium ordinem fuit a Campanis decurionibus cooptatus. Quid vero sibi velit EXACTOR. OPERVM. PVBLicorum, ne longum faciam, consule substratam hic notam (89).

Quid exactor operum publicorum.

Habes *exactorem* operis hujus: de ejusdem theatri, aut saltem ejus partis, quæ proscenium dicebatur, *redemtore* nunc accipe, nempe eo, qui proscenium faciendum conduxit, aut eo quidem certe, qui ejusdem proscenii sarta tecta tuenda suscepit. Fuit autem is, qui in veteri anaglyptici operis marmorea tabella reperitur in hunc modum: LVCCEIVS. PECV-

Campani proscenii redemtor quis?



LIARIS. REDEMPTOR. PROSCENI. B EX. BISO. FECIT. Atque ejus quidem anaglypti delineationem in tabula excusam habes, quam vide: ejusdem vero explanationem, quam post tot clarissimos viros eam rem agressos potui, ne te amplius detineam, in eam quam hic subnexui notationem (90) conjeci. Anaglyptum illud centum prope ab hinc annos e theatri ruderibus erutum postea sexviri Campani in fornice S. Eligii collocandum curarunt; ibidem nimirum, ubi hunc amphitheatri titulum, quem hoc qualicunque commentario illustravimus, in eum modum, quem supra posui, suppletum statuendum jusserunt. Utinam vero eandem diligentiam sexviri ceterique Campani decuriones adhibuissent in iis statuis, columnis, aliisque ornamentis servandis, quæ elapso sæculo ex ejusdem theatri ruinis ab Hieronymo Uva, aliisve, ad quos illa possessio, quæ turris S. Erasmi dicitur, transiit, educta fuere, ac Romam, Neapolim, alioque avecta; uti testatur Joh. Petrus Paschalis in perexiguo libello, quem de ea anaglyptica tabella vulgavit. Habenda est Peregrinio gratia, qui in Camp. Fel. pag. 155. & 739. tres inscriptiones in theatro repertas ad posteros transmisit. Quod si C ejusdem viri egregii lucubrationes doctissimæ non conflagrassent; quot vetusta monumenta, quæ non exstant, haberemus? Quæ jam ob unam viri magni mentis alienationem æternum desiderabimus.

Anaglypti explanatio

(89) Etsi EXACTOR. OPERVM. PVBLICORVM nullo in alio, quod sciam, marmore occurrit: tamen quid *exigere opus* apud veteres significarit, ex veteribus scriptoribus satis intelligimus. Cicero pro do. *Quid*, inquit, *operum publicorum exactio? Quid inscriptio nominis tui?* Columella lib. 1. cap. 7. *Nulla est autem major vel nequissimi hominis custodia, quam operis exactio*. Atque id quidem explicate ac plena oratione Plinius x. epist. 85. *exigere rationem operis* dixit: *Exigendam esse a Dione rationem operis, antequam reip. traderetur, quod aliter fecisset, ac debuisset*. Et habet exactor respectum ad redemptorem: ille opus *exigere*, hic *tradere* dicebatur. De sartis tectis exigendis multa habet Tullius lib. 1. in Ver. Ac ne plura: *exactor operum publicorum* is est, qui in sexcentis aliis inscriptionibus *curator operum publicorum* appellatur. Et quod in Campano marmore additur ET. [supple ἐκ τοῦ κοινοῦ EXACTORI] THEATRI. A. FVNDAMENTIS: sic etiam dicitur, ut alibi sæpissime *curator ædium sacrarum*, *riparum*, *cloacarum*, *pontis*, *viarum sternendarum* &c. Illud autem A. FVNDAMENTIS eo est additum, quia, absque hoc additamento, exactor sartorum tectorum theatri intelligi potuisset. Plura super hac re non addam, ne lectori sim incommodo; quem ne nimia jam prolixitate offenderem, schediasma quod modo de ea re conscripseram, ubi etiam *de redemptoribus, arbitratu, & probatione operum publicorum* mihi agitur, nolui prelo committere; quod brevi fortasse dabitur, Cum Campanæ omnes inscriptiones in unum volumen cogentur.

(90) *In Campani proscenii anaglyptum exercitatio.*

I. *De singulis ejus anaglypti imaginibus.*

Primus omnium qui hanc anaglypticam tabulam, etsi parum exacte delineatam evulgaverit, fuit Joh. Petrus Paschalis, commendatione ille quidem dignissimus, quod illud monumentum publice ut collocaretur cum Campano magistratu egerit, nisi etiam perexiguo edito libello eo demum evasisset, ut illas Palladis, Jovis, Cupidinisque [sic enim pharetratam illam imaginem interpretatur] effigies ad Trinitatis mysterium detorqueret.

Sed & vir eruditissimus Joh. Mabillonius suo illo per Italiam itinere cum marmor oculis delibasset, dignissimum duxit, quod cum eruditis viris commune faceret (etsi parum accurate delineatum, quod illud e Paschali descripsisset) brevi etiam explicatione adjecta, quæ non potest sine piaculo præteriri. Sic enim ait: *Joh. Petrus Paschalis e Soc. Jesu exiguo libello has figuras explicavit; ita ut prima figura machinam versatilem ad sustollendos lapides grandes, secunda sculptorem vel architectum, tertia Palladem, quarta Jovem sedentem, quinta Cupidinem, sexta senatorem, qui impensas operi suppeditabat, septima denique Volturnum fluvium significari existimet. De quatuor primis explicationibus*

vix ulla difficultas : alias non facile admissuri sunt viri eruditi. Nam & quinta Apollinem refert melius, quam Cupidinem, qui nudus pingi solet : sexta sacrificum, qui Genio theatri sacrificat, dextra craterem effundens in aram, sinistra flores in cornucopiæ gestans. Nam Genio res sacra fiebat mero & floribus ex Varrone & Censorino. Apud Oiselium tab. XLII. Genio Augusti eodem modo sacrificatur. Porro Genium serpentis imagine aliquando significatum fuisse, præter Rosinum, Virgilius auctor est Æneide lib. v. Unde septima figura sine dubio exhibet Genium theatri, ut titulus superpositus indicat. Sic apud Grut. p. 111. Genius theatri Pompejani, apud Reinesium p. 183. Genius theatri Augusti legitur. Sed hæc viderint alii.

Demum Raphael Fabrettus in volumine inscriptionum p. 78. Mabillonii explicatione in medium allata, hoc tantum a viro erudito dissentit, quod quem Apollinem putat Mabillonius, is Dianam *alte succinctam* esse verissime affirmat. *Muliebris quippe*, inquit, *est ille vestitus, & omnino similem cum arcu, pharetra & venabulo (quod Soli usquam appictum non memini) nummi octavus & undecimus tab. L. apud Oiselium exhibent, ut marmora prætermittam.* Verissime id, inquam, nec est cur de eo quisquam addubitet : & accedit, quod numen Capuæ *πάτριον* non aliud quam Diana fuit; quod ex templo percelebri Dianæ Tifatinæ, & ex aliis constat monumentis. Sed tamen post Mabillonii & Fabretti doctas animadversiones & conatus de integro hunc lapidem volvere aggredior.

Ac primum de sacrifico & serpente non usque adeo certa sunt quæ Mabillonius statuit, quin potius imaginem illam, cui crater in manibus, Genium fuisse putem, serpentem vero interpreter Capuæ *ἀρχηγετικὸν* simulacrum. Quare singulas jam lustrabo imagines a postrema exorsus. Non enim, uti dixi, serpens ille cristatus pro Genio theatri esse accipiendus videtur, sed ad vetustissimas fortasse Capuæ origines alluditur: Nam Campani initio Opici fuere : Opicos vero a serpentibus sic appellatos, testatur Stephanus in Ὀπικοὶ in hæc verba : Οἱ δὲ, ὅτι Ὀφικοὶ ἀπὸ τῶν ὄφεων, *Alii vero*, inquit, *Opicos, quasi Ophicos, a serpentibus appellatos putant*. Servius ad illud Æn. vii. *Oscorumque manus* sic commentatur : *Capuenses dicit, qui ante Osci* (fortasse legendum *Opici*, aut certe *Opisci*) *appellati, quod illic plurimi abundavere serpentes : nam græce ὄφις dicitur serpens*. Porro qui antea *Opici* a serpentibus dicebantur, postea contractius *Opsci* & *Osci* sunt appellati ; uti jam viri docti demonstrarunt. Quare serpens ille videtur Capuæ *ἀρχηγετικὸν* signum fuisse, uti Capricornus Augusti, & alia id genus, quæ huc congerere non est opus. Accedit, quod in hunc usque diem nostra hæc civitas duo sibi insignia usurpet, unum usitatius, quo crux depingitur, alterum, quo septem serpentes in cratere surrecti exsculpuntur. Peregrinium sane memini in Camp. Fel. (quanquam locum reperire non potui) negare pro satis antiquo habendum esse illud insigne crateris cum serpentibus : sed illud quoque memini novitatem ejus stemmatis nullo modo a laudato viro probari. Et ceteroqui etiam scio, cum primum ista insignia usurpari cœperunt, ad veteres origines sæpe alludi placuisse : in tantum ut non pudeat hodie Gaditanos, quamvis Christianos, in publico sigillo Herculem exhibere cum hac Inscript. *Hercules Gadium fundator dominatorque*, id quod didici ex to. xi. biblioth. selectæ Clerici pag. 111. Quid ergo impedimento est, quominus, cumprimum hoc sibi insigne nostri cives asciverunt, ad veterum de serpentibus narrationem spectarint ? Nam quod in cratere eos angues assurgentes effinxerint, id eo spectat, quod nostra hæc Campania, quam Opici initio inhæserunt, *Crater* olim appellabatur, quod ejus pars litoralis in crateris formam sinuatur. Strabo de Campania loquens sic ait : *Antiochus ab Opicis habitatam fuisse eam regionem narrat, qui iidem & Ausones appellarentur : at Polybius significat se pro duabus diversis gentibus eos habere ; ait enim Opicos & Ausones terram quæ est circa CRATEREM incoluisse.* Potest igitur non inepte serpens ille ad eam, quam dixi, narrationem referri : nam quamvis opinio sit quandoque veteres Genium sic depinxisse, ut anguem exsculperent : tamen nihil magis in proposito marmore quis Genius theatri fuerit declarat, quam superposita inscriptio. Nunc epigraphe illa GENIVS THEATRI non supra serpentem, sed supra præcedentem figuram scalpitur, quemadmodum in tabula vides. Fugit enim virum magnum memoria, qui supra serpentem eam inscriptionem statuit.

Neque enim dubium esse potest, quin iis qui dextra pateram, sinistra cornucopiæ gerit, is demum Genius theatri sit habendus. Docet id tum ei superne respondens epigramma, tum etiam quod Genius eo demum habitu a veteribus depingatur, uti Trajani & Hadriani numismata testantur. Nec alia specie, opinor, visebatur Genius populi R. qui regione urbis octava aureus stabat. Certe Genii publici, qui Juliano ad imperium evecto per quietem apparuit, non alia deformatio fuit. *Nocte tamen*, inquit Ammianus xx. 12. *quæ declarationis Augustæ præcesserat diem . . . per quietem aliquem visum, ut FORMARI GENIVS PVBLICVS SOLET*. Qualis vero illa species fuerit lib. xxv. c. 5. declaratur : nam sub tentorio degens imperator, *vidit squalidius . . . speciem illam Genii publici, quam cum ad Augustum surgeret culmen conspexit in Galliis, velato capite, cum cornucopia, per aulæa tristius discedentem*. Hæc dum scribo grandiusculos duos Constantii Chlori nummos licuit contrectare : in quorum aversa parte GENIO POPVLI ROMANI inscripta Genius sic exhibetur, dextra ut pateram effundat, sinistra cornucopiæ ferat, capiti vero calathum insistentem habeat. Et calathum, quem Genii vertici hæc numismata superimponunt, ne a nostro quidem anaglypto supra Genii caput abfuisse suspicor : quamvis enim ea parte marmor confractum cernatur ; tamen intervallum quod inter utramque superpositæ inscriptionis dictionem intercedit, nonnulli est indicio surrectum aliquid supra Genii caput exstitisse, quod epigraphen interrumpi cogeret. Verum de calatho quidem res est incerta : sed tamen capite velato, quemadmodum Ammiani verba modo recitata declarant, hunc nostrum fuisse, ex lacinia a capite in sinistrum humerum dependente palam fit. Non est ergo hæc penultima imago sacrificus aliquis, sed ipse Genius theatri sacrificantis ritu exhibitus. Quæ cum ita esse certissime demonstrarim, illud quoque sequitur serpentem, de quo supra differebam, quidvis potius, quam Genium fuisse.

Sed si tamen eum anguem pro Capuæ symbolo accipere forte detrectas, & ad Genium referre mavis : sic transigi res poterit, non ut ille coluber Genius fuerit, sed Genii tantum *ἀρχηγετικὸν σημείωμα*. Neque enim temere hoc est, quod Virgilius v. Æn. 95. post serpentis accuratam descriptionem subjecit :

Incertum Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

Ad quem locum Servius nullum locum Genio carere dicit, qui per anguem plerumque ostenditur. Isidorus in xii. orig. 4. *Angues autem apud gentiles pro geniis locorum erant habiti semper : unde & Persius:*

Pinge duos angues, pueri, sacer est locus.

Vide quæ Casaubonus ad Persii locum notavit, ex quibus intelligas deos quosvis topicos sive locorum Tutelas per angues fuisse designatos : unde & Propertius lib. iv. elegia 8. de dracone :

Lanuvium annosi vetus est Tutela draconis.

Tutela autem & Genius una eademque res fuit, uti patet ex Gruteriano epigrammate p. 105. 2. DEO. TVTEL. GENIO. LOCI. Apud Ammianum quoque xxi. 28. sic reperio. *Et putabatur Genius quidam tutelæ salutis appositus eum reliquisse*. Cetera porro, quæ apud eundem sequuntur, sunt scitu jucunda : *Ferunt enim*, inquit, *theologi in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & auctores docuerunt præclari : inter quos est etiam Menander Comicus, ad quem hi senarii duo leguntur :*

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Talesque fuisse ait Pythagoræ, Socratis, Numæ, Scipionis, Marii, Octaviani, Trismegisti, Apollonii, Plotini genios. Quanquam quæ viri docti de geniis sive dæmoniis ex ethnicorum doctrina collegerunt, vel si summatim delibare velim, dies me citius, quam sermo deficiet [nec actum agere tanti erit] tamen vel ex iis paucis, quæ dixi, intelligis eorum pleraque ex vera Angelorum bonorum malorumque doctrina ad ethnicos manasse. Nam malum etiam unicuique genium veteres assignarunt : *Cum nascimur*, inquit Servius ad vi. Æn. 717. *Duos Genios sortimur ; unus est, qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala*. Et apud Florum iv. 23. memini legisse, atram quandam imaginem Bruto per noctem oblatam, &, quæ esset, interrogatam, *tuus*, respondisse, *MALVS GENIVS*. Per bonos genios & *desideria nostra*, inquit Apulejus, *& merita ad Deos commeant . . . . qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utrinque interpretes & salutigeri*. Eosdem *omnium non modo actorum testes, verum etiam cogitatorum* appellat : eosdem ait post mortem *trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in caussa dicenda assistere ; si qua commentiatur arguere ; si qua vera dicat, asseverare ; prorsus illius testimonio ferri sententiam*. Ac ne illud

quidem a nostra religione magnopere abhorret, quod non tantum hominibus, sed & urbibus & locis genios præsidere putabant: unde Prudentius ad Sym. lib. II. 444.

Quanquam cur genium Romæ mihi fingitis unum,
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos geniorum millia multa
Fingere?

Hinc in nostro hoc marmore & alibi GENIVS THEATRI legitur. Hinc apud Grut. 75. I. GENIVS. CONSERVATOR. HORREORVM. GALBIANORVM. Et sexcenta hujusmodi. Illud quoque ex inscriptionibus constat, quod est sane tritissimum, qui in maribus *Genius*, in feminis *Junonem* audiisse. In una eademque inscriptione apud Fabrettum p. 73. n. 72. GENio. ET. HONori. MAGI. GERMANI... ET. IVNONI. CISSONIAE &c. Hinc illæ occurrunt apud Gruterum dedicationes Junonibus *Claudiæ*, *Iuniæ Torquatæ*, *Gaviæ*, *Albanæ*, *Iuliæ Aufidenæ &c.* Ac de geniis plura jam, quam oportuit.

Jam vero tres illæ in medio anaglypti figuræ nihil dubium, quin Jovem, Palladem & Dianam exhibeant. Jupiter quidem cum dextra fulmen habeat, non alius erit quam Jupiter Tonans, qui in Capuæ Capitolio æque ac Romano colebatur. Romæ in æde Jovis Capitolini tres fuere *cellæ ex ordine*, inquit Dionysius, *a lateribus communione parietum clausæ: media Jovis, utrinque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari eodemque tecto.* Eandem trium Deorum *συννάων* communionem in coloniarum Capitoliis imitabantur: ab eaque ei caussa quod Arnobius ait: *Nonne vides in Capitoliis omnibus virginales esse species Minervarum?* Iidem Campanæ ædis Capitolinæ Dii *σύνναοι* fuere, nisi quod pro Junone Etruscorum patrio numine Diana a Campanis Etruscis colebatur, [ut alibi mihi demonstratum] & Diana ceteroqui eadem, quæ Juno fuit. Ergo tres isti Dii Jupiter Tonans, Minerva & Diana, qui in medio marmoris depinguntur, Campani Capitolii Dii *σύνναοι* fuerint. Apposite autem tribus hisce *συννάοις* Diis Genius loci seu theatri conjungitur, quemadmodum apud Reinesium cl. I. n. 28. I. O. M. IVNONI. REGINAE MINERVAE. ET. GENIO. LOCI. T. FL. PEREGRINVS ... V. S. L. M. Sed in nostro, uti dicebam, anaglypto Diana pro Junone pingitur ob caussas mihi modo memoratas.

Et quidem eodem positu hic Jovem, Minervam, Dianam exsculptos puto, quo in æde Campani Capitolii visebantur. Minerva ac Diana stantibus Jupiter sedet: sic quoque in Capitolio. Porphyrius apud Eusebium in III. de præp. 3. Jovem sedentem facit, superne nudum, inferne tectum, ut hic vides. Ad hæc diadematus quoque nostro in marmore conspicitur: dextra fulmen gerit (& *Jupiter* inquit Minucius, *cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina*) sceptrum vero sinistra. Ac de sceptro Jovis Capitolini Augustinus IV. de civ. 9. ait: *Ipsum enim deorum omnium, dearumque regem esse volunt: hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* Quanquam & extra Capitolium Jupiter cum sceptro effingebatur; cujusmodi est Jovis simulacrum, de quo Pausanias in Atticis *σκῆπτρον* inquit *ἔχει* &c. Et Eliacorum priore cap. II. de Jove Olympio ait: *τῇ δὲ ἀριστερᾷ τοῦ θεοῦ χεῖρι ἔνεστι σκῆπτρον μετάλλοις τοῖς πᾶσιν ἠνθισμένον. Læva elegans sceptrum habet omnium metallorum varietate distinctum*; ad notandum, ut opinor, diversum pro hominum ingeniis supremi numinis esse imperium, probos sceptro aureo regi, in refractarios ferreo animadverti: quo spectare putem illud ex altero psalmo, quod *αὐτολεξεὶ* ex Hebræo sic habet: *Pasces*, seu *reges eos sceptro ferreo.* Et sceptrum quidem in nostro marmore crassiusculum vides, cujusmodi olim fuisse mihi persuadeo. Nam profecto Homerus Od. XVII. v. 195. & seq. *ῥόπαλον* & *σκῆπτρον* synonymως ponit: & Il. β 265. Ulysses Thersitæ convitia jactantis

Σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω
Πλῆξεν.

unde & vibex ei cruenta in dorso extumuit. Et sane quidem caput, seu globulus ille quo sceptrum in nostra tabella præfixum vides, ad percutiendum non parum momenti habuit. Proprium autem ac peculiare Jovis sceptrum fuisse docet Servius ad Æn. XII. 106. *Ut autem*, inquit, *sceptra adhibeantur ad fœdera, hæc ratio est, quia majores semper simulacra Jovis adhibebant: quod cum tædiosum esset, præsipue quando fiebant fœdera cum longe positis gentibus: inventum est, ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Jovis: Sceptrum enim ipsius est imperium.* Ab Jove reges sua sceptra, tanquam insigne imperii, obtinere credebantur. Hom. Il. β.

Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

De Diana, quæ supra ex Fabretto recitavi, satis esse possunt. Minerva vero talis hic ferme scalpitur, hastata, galeato & cristato vertice, cum Medusæ capite in pectore, qualem Pausanias depingit in Atticis cap. 24. *In galeæ*, inquit, *cono Sphinx eminet .. utramque galeæ partem gryphes tenent .. Minervæ ipsius signum* (*ὀρθὸν ἐστιν ἐν χιτῶνι ποδήρει, καί οἱ κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης* &c.) *recto statu est, cum tunica talari: in ejus pectore Medusæ caput ex ebore factum .. manu hastam tenet, jacet ad pedes scutum, &c.* Quid vero caussæ est, quamobrem dexteram manum machinæ admotam habet Minerva? non enim hoc significatione vacat. Sine ulla controversia spectari puto ad Palladem cognomento *Μαχανίτιδα*, de qua hæc apud eundem Pausaniam in Arcadicis cap. 39. invenio: *Ἔστι δὲ Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐπίκλησιν Μαχανίτιδος, ὅτι βουλευμάτων ἐστὶν ἡ θεὸς παντοίων καὶ ἐπιτεχνημάτων εὑρέτις. Minervæ etiam illic Machinatricis delubrum: hoc deæ cognomen inde est, quod ipsa excogitatorum omne genus & machinationum inventrix exsistat.* Quod si Pallas hic exsculpta *Μαχανῖτις* fuit, quidni etiam Jupiter & Diana eodem pertinebunt? Testis mihi idem Pausanias in Corinthiacis cap. 22. ibi cum de cippo quodam Dianæ, Jovis, Minervæ simulacra sustinente dixisset, subjecit: *Λυκέας δὲ ἐν ἔπεσιν ἐποίησε Μηχανέως τὸ ἄγαλμα εἶναι Διός. Lyceas versibus mandavit, signum illud esse Jovis cognomento Machinatoris.* Si Jupiter ille *Μηχανεὺς* fuit, etiam *σύμβωμοι* Diana atque Pallas *Μηχανίτιδες* fuerint oportet: idemque de anaglypto nostro dicendum erit.

Sequitur jam altera imaguncula humi cubans cum malleo & scalpro in opus nescio quod incumbens. Demus hoc Paschali, fuisse hunc Lucceium, non architectum, ut is quidem appella sed redemptorem, quomodo in marmore appellatur. Inter architectum enim & redemtorem interfuit sane plurimum. Tacitus I. hist. 27. *Libertus Onomastus nuntiat exspectari eum ab architecto & redemtoribus.* In veteribus glossis *redemtor* est *ἐργολάβος* sive qui opus faciendum conduxit, aut qui sarta tecta tuenda suscepit.

Demum machina illa versatilis quodnam instrumenti genus fuerit, quodve ejus nomen, neque Mabillonius, neque alii indicarunt. Fuit procul dubio tympanum, cujus exstat apud Vitruvium X. 9. & apud Lucretium mentio. Tympanum erat machina rotunda ad rotæ similitudinem, (nisi quod rota ex radiis, tympanum solidis e tabulis contexebatur, teste Junio Philargyro ad georg. II. 444.) qua a calcantibus hominibus versata, sustollebantur pondera, aut demittebantur. Lucretius lib. IV. 903.

Multaque per trochleas & tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nisu.

Trochleam, quam tympano adhibet Lucretius, in nostro anaglypto expressam summo in carchesio vides, & per trochleam ductarium funem, qui circum tympanum advolvitur. Id vero quod supra pondus depingitur, alterane trochlea fuit, ut dispaston appellare liceat; an vero ferreus forfex Vitruvianus, quo pondus prehenderetur? Omnino trochlea. Vel hac autem parte hoc anaglyptum viris eruditis sese est commendaturum, quod expressam hic habemus tympani architectonici formam cum duobus eam versantibus tympanotribis, si modo sic eos appellare liceat: nam ceteroqui Plautus Truc. II. 7. 49. *tympanotribam* pro tympani pulsatore accepisse videtur.

II. *De hujus tabellæ usu divinatio.*

Dixi jam de singulis tabellæ imaginibus. Verum quem, inquies, ad finem exsculpta fuit? Nihil de eo Mabillonius. Ac de eo antequam conjicere aggredior, monendum, quod Mabillonius & ante eum Paschalis ad subvehendum pondus eam machinam, quam tympanum appellari diximus, adhibitam hic fuisse putarunt: cum tamen ex positu hominum per eam machinam gradientium, demitti pondus, non subvehi videatur. Verum hinc oritur difficultas, quid opus fuerit cippum seu columellam illam e trochlea dependentem deorsum fieri; non enim columnæ nisi supra terram eriguntur. Quare subierat mihi sane suspicio, fuisse aliquod lapidis auspicati genus in proscenii fundamenta a Lucceio illo re-

demtore conjecti. Nam quod hodie in templorum & id genus operum fundamenta sacrati lapides sollemnibus cæremoniis demittuntur id, veteres quoque consuevisse, lapis apud Grut. p. 39. 5. Romæ erutus in ruinis templi Dianæ in Aventino fidem facit, qui lapis talem inscriptionem præfert:

LAPIS. AVSP. S. Q. CAECILIO. METELLO
PONT. MAX. SOLLEMNI. CVM
. PRAECATIONE. PAL. POP. ROM.
CONIECTVS
IN FVNDAMENTA PORTICVS MINERV..
AVENTINENS. AB. LATERE. COLL.
VIC. ARMILVSTR. &c.

Hic Q. Cæcilius Metellus is est, qui C. Iulium Cæsarem in pontificatu maximo successorem habuit, ex Dione lib. XXXVII. Ac recte quidem ex hac inscriptione Jacobus Gutherius in III. de jur. pont. 5. colligit ritum lapidis auspicati sive sacrati [quanquam vide an non LAPIS. AVSP*icato Sacratus* illæ notæ sint exponendæ] in fundamenta demittendi. Sed quis stupor virum doctum corripuit, ut non etiam Taciti luculentissimum locum afferret, quo res universa vivis coloribus depingitur? *Curam*, inquit accuratissimus scriptor IV. hist. 53. *restituendi Capitolii in L. Vestinium confert* [Vespasianus] *equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres*. Vides obiter, ut Suetonii & Xiphilini fidem Tacitus evertit, qui absentem eo tempore facit imperatorem, cum illi contra non tantum interfuisse fundando Capitolio Vespasianum, sed & præfuisse velint, quippe quem ruderibus purgandis manum admovisse primum, ac suo collo extulisse quædam scripserint, quo minus cetera multitudo operam suam denegaret. Pergit vero Tacitus: *Ab eo* (Vestinio) *contracti haruspices monuere, ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. Undecimo Kal. Julias, serena luce, spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque, Ingressi milites, quis fausta nomina* (veluti *Salvius*, *Statorius*, & similia: Vide Cic. I. de divin. Plin. XXVIII. 2. Plut. quæst. R. 30. & 31. ex quibus intelliges & in lustratione nomina victimas ducentium prospera fuisse requisita, & in delectu primum quemque militem bono nomine) *felicibus ramis. Dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua vivis & fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus prætor, præeunte Plautio Eliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, præsidesque imperii deos precatus uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quis ligatus* LAPIS, *innexique funes erant, contigit. Simul ceteri magistratus & sacerdotes & senatus & eques & magna pars populi studio lætitiaque connixi* SAXVM *ingens traxere: passimque injectæ fundamentis argenti aurique stipes & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur*. Quem locum eo integrum descripsi, quo Gutherii lib. III. caput quintum inde locupletius evadat. Redeo jam ad institutum sermonem. Ergo cippus ille ex fune ductario dependens fuerit sane, si lubet, lapis auspicatus in fundamenta proscenii conjiciendus: alioqui quid ejus cippi demissio sibi velit non intelligo. Quid si hoc demum ipsum anaglyptum lapis auspicatus fuerit, quo in lapide ritum ipsum demittendi cippi expressum voluerit Luccejus? Quemadmodum columna illa, quam amplissimus Cardinalis NICOLAVS CARACCIOLVS nunquam interituræ memoriæ Campanorum Archiepiscopus in area ante Cathedralis ecclesiæ peristylium nuper erexit, priscis temporibus cereo paschali sustinendo haud dubie inservierat: & tamen universa illa, quæ in columnæ ambitu insculpitur, historia nihil aliud, quam cerei paschalis ritum exhibet, ubi & columna ipsa ejusdem formæ cum insistente cereo scalpta visitur. Ex inscriptione vero subjecta cognoscimus Luccejum illum cognomento Peculiarem [quis enim Paschali adsenserit, qui illud PECVLIARIS ad nescio quam Luccei commendationem trahit? & cognomen PECVLIARIS occurrit apud Grut. p. 358. 1.] sed ex inscriptione, inquam, cognoscitur Luccejum Peculiarem EX BISO idest ex viso, seu per quietem admonitum id anaglyptum fecisse. Ac sicuti in Taciti narratione prætor Helvidius ædi fundandæ præfectus *vittas, quis ligatus lapis, innexique funes erant, contigit*: ita Luccejus, quod per quietem Palladem ipsam Deam lapidem contingentem ac veluti demittentem videre visus esset, idcirco in eum modum anaglyptum EX. BISO. FECIT.

Atque hæc aliquando levissime conjiciebam: quæ marmoris ipsius inspectione doctior effectus penitus rejicio. Nam id quidem, quod per tympanum sive sustollitur sive demittitur, columna certe videtur, quæ nulli ad fundamenta usui esse potuit, & ad ejusdem columnæ, ut videtur, capitulum elaborandum adsidens sculptor dat operam. Tum si lapis sacer is fuisset in fundamenta conjiciendus, cur non id marmori inscriptum esset, quemadmodum in Gruteriano marmore supra recitato? Forma ipsa lapidis, quem laminam Paschalis appellat, fundando ædificio inepta fuit.

Quidquid tamen hoc fuit; quin somnium eo marmore depingatur, vox EX BISO dubitare non sinit. Idque somnium a Luccejo in Campani Capitolii æde captatum, ex insculptis Capitolinis numinibus, (nam Capuæ uti supra dicebam Diana pro Junone colebatur) licet conjicere. Scimus in more olim fuisse positum, ut in æde Capitolina victimarum pellibus incubarent ii qui somnia captarent. Ad illud Virgilii VII. Æn. 87.

Et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:

ait Servius: *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa: unde est* ILLE INCVBAT IOVI, *idest dormit* IN CAPITOLIO, *ut responsa posset accipere*. Respexit, credo, Servius ad illud Plauti Curc. II. 2. 16.

Namque INCVBARE *satius te fuerat* JOVI,
Tibi qui auxilio in jurejurando fuit.
Ca. *Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,*
Locus non præberi potis est in CAPITOLIO.

Verum quam ob caussam hæc tabella insculpta fuerit, ecquis jam conjectura assequetur? Nec vero id magnopere refert: præsertim cum fieri possit ut perridiculum tantum in usum ea posita fuerit. Nam vide quid conjecerim. Luccejus iste REDEMPTOR PROSCENI, non a fundamentis, opinor, exstruendi, sed tuendi fuit. Apud veteres enim scriptores *locare* aut *redimere ædes sacras* idem fuit, quod earum sarta tecta locare aut conducere. Cicero lib. I. in Ver. num. 50. *Ædem Castoris, judices, P. Junius habuit tuendam*; atqui ejus heres *redemtor* eadem oratione non raro appellatur. Paucis interjectis: *Cum L. Octavius, C. Aurelius COS. ædes sacras* [supple tuendas] *locavissent*. Accedit quod qui apud Labeonem l. 60. §. 8. D. locat. *redemtor pontis* appellatur, a viris doctis is capitur, qui eum sartum tectum tuendum susceperat, quanquam equidem portorii redemtorem (sicuti *redemtores vectigalium* dicuntur) ibi interpretari malim. Ad sartorum tectorum autem redemtores non tantum integrum tueri ædificium pertinebat, verum etiam munditiem quærere, & urinam aliasque hujusmodi sordes arcere. Ad eas propulsandas injurias deorum imagines in iis angulis Luccejus posuit, ubi urinam facere vulgo consuevissent: nam extremæ impietatis fuisset eas imagines temerare; qualis illa Neronis temeritas fuit, qui Deam Syriam a se antea impense cultam *mox ita sprevit, ut urina contaminaret*, testante Sueton. cap. 56. Scitum est illud Chrysippi apud Plutarchum affirmantis, *recte Hesiodum prohibere, nequis in fluvios aut fontes* (qui veteribus sacri fuere) *mingat: id tamen esse tolerabilius, quam si quis contra aram, aut locum deo sacratum meiat*. Anguem autem potissimum Luccejus adpinxit: nam ita fieri mos erat undecumque eam immunditiem arcere voluissent. Persius Sat. I.

Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite.

Verum quo, inquies, somnium? Quid illud EX BISO sibi vult? Ad mentes formidine percellendas EX VISO moniti, sive, uti interdum in Grutero legitur, *per somnii admonitionem* sacrum eum esse locum, atque id se vetare veteres testabantur; id quod ex duabus apud Fabrettum inscriptionibus colligo: una est p. 604. nu. 43. in hunc modum: D. M. C. ANNIDIENI. &c. ad finem vero epigrammatis: DIS. MANIB. NE. QVIS. HIC. VRINA. FACIAT. EX VISO NVTRICIS Altera sepulcralis quoque inscr. est p. 661. n. 513. ad cujus finem sic legitur.

. . . RELIGIOSO. LOCO
. . ANCTVS. POSITVS. EST
NE. QVIS. VELIT
LOCO. INIVRIAM. FECISSE
. . . . PER. QVIETEM
. . . . . . TITVLO. CAVI

Ea inscriptio *adeo attrita* dicitur Fabretto, *ut vix legi possit*. Itaque quisquis ille fuit, qui eam excepit, cum τῷ RELIGIOSO. LOCO præcessisset, pu-

tavit, detritis sequente linea characteribus, SANCTVS legendum fuisse: & quia S aberat, idcirco duobus præpositis punctis ANCTVS nobis exhibuit. At equidem quovis pignore contenderim, nihil initio lineæ defuisse, & ANG . . S. hoc est ANGVIS in marmore scriptum fuisse. Quippe ad arcendam urinam ceterasque hujusmodi injurias, Persio teste, angues insculpebantur; idque se EX VISO aut PER QVIETEM monitos facere dicebant, quo major dictis fides accederet. Atque ea est, opinor, anaglypti interpretatio. Hinc etiam in sepulcralibus cippis non otiose aut ornatus tantum caussa, sed ad vetandas hujusmodi sordes, nonnunquam serpentes exculptos vidi. Quanquam & ceteroqui sepulcra contaminare veteres religioni sibi ducebant. Hor. art. poet. v. 470.

Nec satis apparet cur versus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres.

Et tamen nonnunquam eam ignominiam deprecabantur; eoque spectant illæ formulæ, veluti quod in Campano marmore legitur; *rogo te mi viator, noli mi nocere:* & alibi apud Gruterum: *illi Deos iratos, quos omnes colunt, si quis de eo sepulcro violarit: rogo per deos superos atque inferos . . ne mea ossa obvioles.* Alibi expressa urinæ vetatio: HOSPES. AD. HVNC. TVMVLVM. NE. MEIAS. OSSA. PRECANTVR. TECTA. HOMINIS.

Tabellæ certe nostræ scalptura tam rudis est, ut bene in hunc usum subitario opere fieri potuerit. Etsi pictor elegantius secundum graphices canones eam delineavit. Sed quo, inquis, tympanum? An πάρεργον operis? An ea species indormienti Luccejo observata fuerat, ad significandum & sacrum eum esse locum, & diis præsidibus fuisse exstructum?

Sed piget pudetque tam diu huic scalpturæ immoratum, putida tandem interpretatione emunctas criticorum nares offendisse. Tamen cum mutilo amphitheatri titulo tantum tribuissemus, ut justo in eum volumine commentaremur: an ista σύννεος imo & σύνθρονος tabella (sub eadem enim porticu ad S. Eligii prostat, ubi & amphitheatri titulum collocandum Campani sexviri decreverunt) cum obscuræ præsertim significationis esset, poterat jejune ac tantum in transcursu commemorari?

F I N I S.



TOBIÆ GUTBERLETHI

JURISCONSULTI

DE

SALIIS,

MARTIS SACERDOTIBUS

APUD ROMANOS,

LIBER SINGULARIS.

TOBIÆ GUTBERLETHI DE SALIIS, MARTIS SACERDOTIBUS APUD ROMANOS, LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Quam necesse sit investigare etymologias. Salii a saliendo dicti: non a Salio Arcade: nec a Saone quodam: neque a ערה *vel* ערל. *Stephanus le Moyne notatur.*



PHilosophi veteres de aliqua re verba facturi ante omnia in nominis etymologiam inquirebant; hoc institutum, jure meritoque laudandum, nobis tradidit Cicero lib. I. Acad. Quæst. cap. 8. *Verborum explicatio probatur, id est, qua de causa quæque essent ita nominata; quam etymologiam appellabant: post argumentis, & quasi rerum notis ducibus, utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari volebant.* Quamobrem eleganter ait Ulpianus in l. I. D. de Just. & Jure. *Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat.* Nam ex sententia Isidori lib. I. Orig. cap. 6. *nisi nomen scieris, cognitio rerum perit.* Hanc Philosophorum consuetudinem sequutus primum etymologiam τῦ *Salius* expiscabor, & deinde prolixe de iis *Saliis* differam, eorumque sacerdotium describam.

Communior & verior opinio est, *Salios* dictos esse a *saliendo* vel *saltando*. Varro lib. IV. de L.L. pag. 23. SALII *a* SALTANDO, *quod facere in comitio in sacreis quotanneis & solent & debent.* Confirmat hoc quoque Dionysius Halicarnassæus lib. II. Antiq. Rom. pag. 130. edit. Sylburg. Σάλιοι ὠνομασμένοι ὑπὸ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως. τὸ γὰρ ἐξάλλεσθαί τε καὶ πηδᾶν σαλῖρε ὑπ' αὐτῶν λέγεται: hoc est: SALII *a Romanis appellati sunt a tenore motus. Nam quod nos* ἐξάλλεσθαι *&* πηδᾶν *illi* SALIRE *dicunt.* Hanc originem approbat ingeniosissimus Ovidius lib. III. Fastor. vers. 387.

Jam dederat SALIIS *(a* SALTU *nomina ducunt)*
Arma ————————

Quod Ovidio a *saltu* est, id Plutarcho in vita Numæ ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἁλτικῆς οὔσης, ἣν ὑπορχοῦνται διαπορευόμενοι τὴν πόλιν. *a tripudio, quod saltando obeunt per Urbem.* Hunc vocabuli fontem ne quidem in dubium vocat Festus, cum scribit: SALIOS *a* SALIENDO, *&* SALTANDO *dictos esse, dubitari non debeat.* Præterea Servius ad Virg. Æneid. VIII. vers. 663. *Dicti* SALII, *ideo, quod circa aras* SALIUNT *& tripudiant.* Et ad ejusdem lib. vers. 285. *Quidam hos a* SALTU *appellatos tradunt, quos alii a Numa institutos, ut arma ancilia portantes saltarent: Ergo bene a* SALTU *appellati.* His omnibus adsentitur Scholiastes vetus Horatii, qui ad lib. I. od. 36. *Salios* proprie a *saliendo* dictos esse censet. In scholiis etiam Manuscriptis, quæ reperiuntur in membranaceo Horatii codice Academiæ Frisiorum, vocabulum *Salius* a *salitare* deducitur: hæc enim ad lib. IV. od. I. in margine adscripta sunt: SALII *dicuntur sacerdotes Deorum ab exilicione, eo quod in circuitu ararum Deorum tripudiando* SALITARENT.

Fuere tamen auctores, qui hanc etymologiam non probant, sed vocem derivant a *Salio* Arcade, quem Æneas a Mantinea in Italiam deduxit; hæc erat sententia Polemonis apud Festum in *Salios*: Quam Plutarchus etiam in vita Numæ refert, illamque falsitatis arguit: Σάλιοι ἐκλήθησαν, οὐχ ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσιν, ἀπὸ Σαμόθρακος ἀνδρὸς ἢ Μαντινέως ὄνομα Σαλίου, τὴν ἐνόπλιον ἐκδιδάξαντος ὄρχησιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἁλτικῆς οὔσης. Salii *dicti sunt, non ut nonnulli fabulantur, a* Salio *quodam Samothrace aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuit, sed ab ipso potius* tripudio.

Est & alia hujus vocabuli origo a *Saone* quodam e Samothrace, qui cum Ænea Deos penates Lavinium transtulit, a quo *Saone* Salios appellatos esse putat auctor antiquus Critolaus apud Festum in vocabulo *Salios*.

Denique minus probabilis est etymologia, quam de voce *Salius* excogitavit Vir Cl. Stephanus le Moyne, cum in notis ad Varia Sacra, pag. 366. scribit, *Salios* dictos esse, vel a צרא *orare*, quasi sacerdotes *orantes*; vel a צלל a *tinnitu*, cymbalis, crotalis, quæ pulsare & jactare solebant. Hæc ultima non verisimilia sunt, nam quis Virum Celeberrimum docuit, sacerdotes *Salios* pulsavisse & jactasse cymbala & crotala? ego quidem, in hunc ritum inquirens, ne vestigium invenire potui, & nemo veterum hoc tradidit; ancilia vero pulsavisse cap. XV. demonstrabo.

CAP. II.

Saliorum nomina e Glossographis. Glossæ variis locis illustrantur. Illarum lectio defenditur. Salii ad cantum saltantes iidem cum Curetibus. Horatii Scholiastes emendatur. Salisatores qui? Augustinus corrigitur. Veterum superstitio in palpitatione: παλμὸς.

Ab etymologia vocabuli transeo ad interpretamenta Glossographorum, quibus τὸ *Salius* reddiderunt; hoc enim e re nostra erit, ut inspiciamus istos Antiquitatis thesauros Glossæ Lat. Gr. Cyrilli. *Salior*, ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. ὑμνῳδὸς. πρύτανις. Sicquoque Philoxenus: ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. *Salior*. Lubenter legerem *Salius*, quemadmodum in sequenti Philoxeni glossa occurrit: ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. *Salius*. Vocabulum secundum, quod Cyrillus habet, est ὑμνῳδὸς, id Philoxenus reddit per *Salium* in genere, proprie vero iste Salius ὑμνῳδὸς est, qui aliis Saliis præcinebat carmina Saliaria, & a Capitolino in vita Antonini Philosophi, cap. 4. *Vates* appellatur. Ultimum in Cyrilli glossa est πρύτανις. Philoxenus: πρύτανις. *Salior*. *Flamen*. Proprie *Salius* non est πρύτανις, sed figurate vox hæc sumi debet, pro eo Salio, qui primarius collegii Saliorum sacerdos est, vel illorum sacerdotum Præsultor; utramque significationem τῦ πρύτανις suppeditat Hesychius: Πρύτανις, βασιλεὺς, ἄρχων, χορηγὸς, τίμιος διοικητής. Porro est hæc glossa in Cyrilli collectione. *Salius*. ἱερεὺς, ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. ἱερεὺς Καίσαρος. ἱερέως εἶδος. Prima verba admodum clare officium *Salii* exponunt; at videamus alia, adest primo loco: ἱερεὺς Καίσαρος, qui in Philoxeni glossario audit: *Flaminicus*, *Salius*, *Flamen*. Puto Glossographos respicere ad *Salios* in honorem alicujus Imperatoris institutos (quales erant *Salii Augustales*, *Hadrianales*, aliique,) quando *Salios* interpretantur ἱερεῖς Καίσαρος. Sequitur apud Cyrillum ἱερέως εἶδος. Quod hoc modo a Philoxeno explicatur: ἱερέως εἶδος, *Dialis*, *Salius*. Doctissimus quidam vir olim legebat ἱερεὺς τῦ Διός, pro ἱερέως εἶδος. Optime quidem quod ad vocem *Dialis* attinet, ille enim erat ἱερεὺς τῦ Διὸς, *sacerdos Jovis*; sed quid hoc ad τὸ *Salius*, an ille dici potest ἱερεὺς τῦ Διὸς? nemo opinor hoc probabit; retineo igitur vulgatam lectionem, quæ commode & sine crisi explicari potest; Glossographi dicunt *Dialem* vel *Salium* esse ἱερέως εἶδος, *speciem sacerdotis*, Belgæ *een soort ban een Priester* quod idem est, ac si dicerent, *Dialem* & *Salium*, esse *sacerdotes*: Præterea hanc lectionem confirmat quoque Cyrillus in suo glossario. *Dialis*, ὁ τῦ Διὸς ἱερεὺς. ἱερέως εἶδος. Hanc ultimam interpretationem Philoxenus tantum descripsit, cum una eademque glossa *Dialem* & *Salium* explicare vellet, idcirco abesse debebat ὁ τῦ Διὸς ἱερεὺς, quæ verba ad Flaminem *Dialem* non vero ad *Salium* referri poterant.

Perspectis & trutinatis Glossographorum interpretationibus ad fusiorem & clariorem Saliorum descriptionem me accingo, quam optime exsecutus est Dionysius Halicarnassæus l. II. pag. 129. his verbis: Πάντες οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν. *Omnes Salii sunt saltatores & laudatores Deorum, qui armorum præsides existunt*. Et ibidem illos cum Curetibus apud Cretenses comparat, cum dicit: Εἰσὶν οἱ Σάλιοι, κατὰ γοῦν τὴν ἐμὴν γνῶσιν, Ελληνικῷ μεθερμηνευθέντες ὀνόματι Κούρητες. *Quantum ego intelligo*, *Salii, si Græco interpretari nomine velis, sunt Curetes*. Scimus, Curetes saltationem armatam in honorem Jovis exercuisse in Creta, ut Salii in honorem Martis Romæ. Meminit hujus moris doctissimus Grammaticus ad Virg. lib. VIII. Æneid. vers. 285. *Salii sunt*, inquit, *qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, post victoriam Tiburtinorum de Volscis*. Eodem fere modo sacerdotes nostros depingit Commentator vetus Horatii ad lib. II. epist. I. vers. 85. *Salii dicebantur, quia circa aras canendo saliebant*. Huic succenturiantur scholia MSS. membranacei codicis nostræ Academiæ, quæ ad lib. I. od. 36. hæc habent: *Salii sacerdotes Martis & Herculis dicebantur, qui sacra saltatibus celebrabant, ut alii ad cantus*. Ultima verba corrupta esse non dubito, cum auctor istorum scholiorum Salios *saltantes* describens ab illorum sacris *cantum* excludat, & ad alios sacerdotes transfert; quem tamen *cantum* veteres scriptores *Saliis* attribuunt, ut & ipse scholiorum auctor ad lib. II. epist. I. vers. 85. Puto igitur mendum non esse ab auctore profectum, sed a librarii manu, qui scripsit, *ut alii ad cantus*, pro quibus repono, *ut*, *Tum Salii ad cantus*. Est enim hemistichium Virgilianum e lib. VIII. Æneid. vers. 285. quod Scholiastes adducit, ut probaret, *Salios* fuisse sacerdotes, qui sacra saltantes & canentes celebrabant, quem ritum Virgilius hoc & sequentibus versibus eleganter demonstrat; præterea hanc nostram emendationem confirmat Commentator vetus a Cruquio editus, in quo eodem modo hæc verba leguntur.

Cæterum ab his *Saliis saltantibus* alii ὀρχησαὶ sive *saltatores* dicebantur *Salitores*, teste Dionysio Halicarnassæo lib. II. pag. 130. Τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὀρχηστὰς, ἐπεὶ κἀν τούτοις πολὺ τὸ χόρευμα καὶ σκίρτημα ἔνεστι, παραγαγόντες ἀπὸ τῶν Σαλίων τοὔνομα, σαλίτωρας καλοῦσιν. id est. *Ceteros omnes saltatores, quippe qui crebro saltatu choreas agitant*, SALITORES *vocant, nomine a Saliis deducto*. In hac voce corruptus est D. Augustinus, cum in lib. de Natura Dæmonum scribit: *Salitores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid exinde prosperum aut triste significari prædicunt*. Pro *Salitores* lubenter legerem *Salisatores* ex Isidoro, qui lib. VIII. Orig. cap. IX. eadem fere verba habet, quæ ex Augustino produxi: SALISATORES, ait, *vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significare prædicunt*. Plane enim diversi sunt *salitores* & *salisatores*, *salitores* sunt *saltatores*; *salisatores* vero *divinatores e palpitationibus*. Hinc in veteribus glossis: *Salissatio* παλμὸς. Veteres etenim superstitioni maxime adhærentes credebant, si quoddam corporis membrum sponte subsiluisset, ejusmodi palpitationibus aut boni aliquid aut mali portendi, quamobrem Augustinus dicit lib. II. de Doctrina Christiana: *His adjungantur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si, junctim ambulantibus amicis, canis, aut lapis, aut puer medius intervenerit*. Græci tales palpitationes nominabant παλμοὺς, Hesychius: Παλμος, τρόμος, σεισμὸς. Et exstat liber Melampodis περὶ παλμῶν, in quo ejus superstitionis præcepta traduntur; præterea Posidonius scripsit, testante Suida, παλμικὸν οἰώνισμα, id est *de ratione captandi omina ex palpitatione*.

CAPUT III.

Varii Saliorum auctores referuntur. Inter hos præcipuus Numa Pompilius. Ennius & Lucilius explicantur. Turnebus & Bianchini laudantur. Græci Salios non habuere. Salii apud Tusculanos.

PRæcedenti capite satis clare *Salios* descripsi, hoc docebo, quis primus Saliorum auctor fuit; hunc Critolaus apud Festum in voce *Salios* facit *Saonem*, qui e Samothrace cum Ænea Deos penates Lavinium transtulit, & Saliare genus saltandi instituit: Polemon vero apud eundem Festum *Salio* Arcadi inventionem adscribit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuit. Has sententias nonnulli rejiciunt, qui Salios a *Dardano* institutos volunt; alii a *Morrio* rege Vejentanorum originem habuisse referunt, teste Servio ad Æneid. lib. VIII. vers. 285. Sed, quicquid sit, verum docere puto Dionysium Halicarnassæum lib. II. pag. 129. & Livium lib. I. cap. 20. qui Salios a Numa Pompilio institutos esse narrant, quibus adsentitur Florus lib. I. cap. 2. de Numa loquens: *Ille Pontifices, Augures,* SALIOS, *cæteraque sacerdotia .... descripsit. Ille* ANCILIA *atque Palladium, secreta quædam imperii pignora .... dedit.* Jornandes de Regn. success. cap. 5. hoc iisdem verbis tradidit. Et Aurelius Victor de Vir. illustr. cap. 3. de Numa rege ait: SALIOS *Martis sacerdotes, quorum primus Præsul vocatur,* XII. *instituit.* Audiamus quoque Suidam, qui in voce ΝΟΥΜΑΣ scribit: Ποντίφικας καὶ φλαμινίους τοῖς ἱερεῦσιν ἐπέστησε, ΣΑΛΙΟΥΣ τε τὴν ὄρχησιν ἀσκήσαντας. *Pontifices & Flamines sacris præfecit, &* SALIOS *saltantes constituit.* Præter hos adducam testem omni exceptione majorem Ennium, qui lib. II. Annal. cecinit:

> *Mensas constituit, idemque* ANCEILIA *preimus.*

In hoc versu Ennius per *Ancilia* designat *Salios*, quoniam proprium iis erat *ancilia* per Urbem portare, eaque custodire, ut latius dicam in cap. XV. *de Anciliis*. Hoc Numæ institutum celebrat quoque Lucilius eadem cum Ennio περιφράσει usus, cujus versum e lib. IX. Satyr. producit Priscianus lib. VI. pag. 708. edit. Putschianæ.

> *Hinc* ANCILIA, *ab hoc apices, capidasque repertas.*

Vir magnus Adrianus Turnebus lib. XIII. Advers. cap. 8. in ea versatur opinione, Saliorum auctorem fuisse Salium Arcadem, eumque, institutis ab Evandro Herculi ad aram maximam sacris, adjecisse Saliorum choros ante Urbem conditam, Urbe autem condita eos choros a Numa esse translatos ad Gradivum Martem Romanæ gentis auctorem. Præstantissimus Franciscus Bianchini in Historia sua universali sermone Italico conscripta, pag. 289. vult, Romanos ex Arcadia ab Evandro ejusque sociis hos sacerdotes accepisse, & Fabius Pictor apud Dionysium Halicarnassæum *Salios* a Græcis originem ducere affirmat, ad imitationem Pyrrichæ saltationis, vel Curetum. Credo equidem, Romanos ritus quosdam apud Græcos in istis saltationibus usitatos ad Salios suos transtulisse, cum Græci ipsissimos Salios non habuerint; Minucius Felix, pag 238. *Ante eos* (Romanos) *Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persæ, Græci etiam, & Ægyptii, cum Pontifices & Arvales, &* SALIOS, *& Vestales, &*

A *Augures non haberent.* Hausit hæc e Tertulliano disertissimus Minucius, si sit Afro illo patre junior; Tertullianus enim scripserat in Apolog. cap. 26. *Regnaverunt & Babylonii ante Pontifices, & Medi ante Quindecimviros, & Ægyptii ante* SALIOS, *& Assyrii ante Lupercos, & Amazones ante Virgines Vestales.* Quicquid alii ogganniunt, hoc luce meridiana clarius est, Numam *Salios* saltantes primum Romæ instituisse, cum antea in aliis Italiæ civitatibus tantum noti essent, sic de Tusculanis testatur Servius ad Æneid. lib. VIII. vers. 285. quod habuerint *Salios* ante Romanos.

B

CAPUT IV.

Salii in cujus honorem instituti: fuere Sacerdotes Herculis: & Martis Gradivi: hujus cognominis etymon investigatur e Festo & nummis antiquis. Ædes Martis & Tempestatis ubi sita. Panciroli & Rosini error indicatur. Quis primus ædem Tempestati exstruxit. Ovidius explicatur.


POstquam Saliorum auctor nobis innotuit, non a ratione alienum erit, si ostendam, in cujus Dei honorem illos instituit & selegit. De hac re C variæ & discrepantes scriptorum sententiæ repeRiuntur. Servius Danielis ad Virg. Æneid. VIII. vers. 285. refert ex aliis, *Salios* a Dardano institutos esse, ut *Samothracibus Diis* sacra persolverent. Qui hi Samothraces Dii fuerint, clare ostendi in dissertatione mea *de Mysteriis Deorum Cabirorum*, cap. 7. Quidam, ut ait Servius *l. c.* volunt, *Salios* a Morrio rege Vejentanorum institutos, ut *Alesus* Neptuni filius eorum carmine laudaretur. Ipse tamen Servius judicat, Salios *Martis* & *Herculis* sacerdotes esse, quoniam Chaldæi stellam Martis *Herculem* vocant; quos Varro sequitur in Satyra Menippea, in qua *Herculem* eundem esse D cum *Marte* probavit, teste Macrobio lib. III. Saturnal. cap. 12. Immo antiquissimi Salii videntur sacerdotes fuisse *Herculis*, donec Numa illos *Marti* consecravit; plerique enim *Herculi* Salios attribuunt, sic Antonius Gnipho Salios *Herculi* datos ostendit in libro, quo disputat, quid sit *Festra*. Macrobius *l. c.* Præterea Tiburtes quoque suos Salios *Herculi* dicaverant, quod e Servio *l. c.* patet, & ex Octavii Hersennii libro, qui inscribitur *de Sacris Saliaribus Tiburtium*; in quo Salios *Herculi* institutos operari diebus certis & auspicato docet, referente Macrobio lib. III. Satur. cap. ult.

E Attamen posterioribus temporibus *Salii* solius *Martis* sacerdotes fuerunt, in cujus Dei honorem armati saltabant, testem adhibeo ἀττικώτατον Lucianum in tractatu *de saltatione*, tom. I. pag. 793. edit. Grævianæ. Ἐπὶ τούτοις δίκαιον μὴ δὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν Θεῶν Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι, ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα, ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην. *Præter hæc æquum est, ut neque Romanæ saltationis obliviscamur, quam Romanorum nobilissimi quique,* MARTI *Deorum bellicosissimo, qui* SALII *vocantur, quod est sacerdotii nomen, gravissimam & religiosissi-* F *mam exercent.* Hinc appellatur quidam SALIUS MARTIALIS in lapide inter Felsinea marmora, pag. 372. Mars hic, cui *Salii* dicati erant, cognomen GRADIVI habuit, ut ex his Livii verbis, quæ lib. I. Hist. cap. 20. exstant, patere potest: *Numa Salios duodecim* MARTI GRADIVO *legit.* Quamobrem Mars cognominatus sit *Gradivus*, & qualis iste fuerit, mihi jam inquirendum. Varias nominis rationes tradit Festus: GRADIVUS MARS, inquit, *appellatus est a* GRADIENDO *in bella ultro citroque: sive a vibratione hastæ, quod Græci di-*


cunt κραδαίνειν: *vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis*. Eligat quisque ex hisce tribus etymologiam, quæ sibi arridet, mihi prima verior videtur, quam confirmant quoque nummi veteres, in quibus

—— Mars implacabile monstrum.
Dira lues hominum, mortis crebique minister,

festinante gradu conspicitur; sequentem depromo e Norisii Dissertat. V. *de Epoch. Syro-Macedonum*, pag. 534.



Eodem modo est in gemma annuli apud Gorlæum, tom. I. num. 17. *Dactylioth.* quam heic loci proponam, quia maxime primam Festi etymologiam illustrat, & cum nummo convenit.



Huic *Marti Gradivo* inscriptio sacra est in Reinesii syntagmate, class. I. num. 270.

MARTI. GRADIVO.
D. D.
L. PLVSTIVS. PIVS
AEDILIS. MONITOR
AVGVR. PRAEF. SACROR.

Ædes hujus Martis fuit extra mœnia Romæ prope portam Capenam, & a Rufo & Victore in regione prima ponitur; hujus meminit Livius lib. XXXVIII. *Viam silice sternendam a porta Capena ad Martis* (ædem) *locaverunt*. Et Festus, cum scribit, *Manalem lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis*. Cum his convenit auctor de XIV. regionibus Urbis a Pancirollo commentariis illustratus, qui tradit, regionem primam inter alia continere AEDEM MARTIS; doctissimus Pancirollus non declarat, cujus *Martis* ædes fuerit, attamen *Martis Ultoris* non fuisse afferit, quod verum est, nam ædes *Martis* cognomento *Gradivi* erat. Porro auctor de XIV. regionibus putat, *Martem* habuisse communem ædem cum *Minerva* & *Tempestate*, cum Rufus & Victor singulis peculiarem ædem adscribant. Non possum hic silentio præterire insignem Pancirolli errorem, cum de prædicta *Tempestatis* æde hunc in modum scribit: „Tempestati extra portam Capenam in hac regionem M. „Marcellus ædem extruxit, quod in Corsicam & „Sardiniam navigans, tempestatem passus ab ea „evaserit; cujus rei meminit Ovidius hoc carmine lib. VI. Fastor. vers. 193.

Te quoque Tempestas meritam delubra fatentur,
Cum pene est Corsis obruta puppis aquis.

Videtis, *M. Marcello* adscribi exstructionem ædis *Tempestati* sacræ post devictam Corsicam; quem errorem quoque impegit Rosinus aliorum scriptorum compilator, lib. II. Antiq Rom. cap. 21. cum tamen ædes *Tempestatis* exstructa sit a *Lucio Scipione*, qui cum Corsicam expugnaret, maxima tempestate obrutus ædem *Tempestati* vovit & exstruxit, quemadmodum clare liquet e lapide pervetusto ad portam Capenam effosso, quem hic exhibeo e Tom. IV. Operum Jacobi Sirmondi.

HONC OINO. PLOIRVME. COSENTIONT. R
DVONORO. OPTIMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBITI.
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVET. A
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE.
DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO.

Et de hoc *Lucio Scipione* filio Barbati loquitur Ovidius in versibus a Pancirollo productis, quos omnes istius poetæ interpretes, excepto eruditissimo Heinsio, de *M. Marcello* explicant.

CAPUT V.

Salii Palatini unde dicti: illorum mentio in antiquis marmoribus: Salios uno eodemque tempore fuisse Seviros e lapide ostenditur: Prætores nec Consules poterant esse Salii.

QUandoquidem de cognomine Martis satis disserui, ordo postulat, ut de Saliorum cognominibus quædam proferam, istis enim a se invicem distinguebantur; nam fuere *Salii Palatini, Collini, Albani* & alii. Primum de *Palatinis Saliis* agam, qui antiquissimi videntur esse, utpote a Numa instituti, hi appellationem sortiti sunt a sacris suis, quæ in *Palatino* monte erant; Dionysius Halicarnassæus lib. II. pag. 129. Σαλίους αὐτὸς ὁ Νομᾶς ἀπέδειξεν ἐκ τῶν πατρικίων, δώδεκα τοὺς εὐπρεπεστάτους ἐπιλεξάμενος νέους, ὧν ἐν Παλατίῳ κεῖται τὰ ἱερὰ, καὶ αὐτοὶ καλοῦνται ΠΑΛΑΤΙΝΟΙ. *Salios ipse Numa e patriciis delegit, juvenes decore conspicuos, duodecim numero: qui sacra in Palatio celebrant, &* PALATINI *cognominantur*. Præterea hoc Saliorum cognomen adstruit Onuphrius Panvinius in *Descr. Urbis Romæ*, pag. 305. ubi in regione Urbis X. quæ *Palatium* vocatur, SACRARIUM SALIORUM PALATINORUM agnoscit. Invenio quoque hoc Saliorum cognomen in marmoribus antiquis, quorum primum reperitur in æterno Gruteri opere, pag. CLXXXIII. num. 5. in quo MANSIONES SALIORUM PALATINORUM prostant: Alterum legitur in Reinesiano syntagmate, class. VI. num. 19.

L. CAESONIO L. F. QVIRINA. ORCINIO. RVFINO
MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO.
PALATINO.
PONTIFICI MAIORI. PRAETORI. QVAESTORI
CAESONIVS. HEDVLVS. PROC. PATRIS.

Notandum est, marmor hoc non intelligendum esse, quasi L. Cæsonius uno eodemque tempore his dignitatibus functus esset, sed quodam intervallo inter singulas existente, sive, ut ita loquar, successive; poterat quis eodem tempore & *Salius* & *Sevir* esse, sic legimus in Octavii Rubei Antiquit. Brixianis, pag. 318. num. 78.

C. VIB. ACCIO
LONGINO
VI. VIR. VERON
ET. SALIO. ET
QVINTIAE. P. F. QVINTAE.

Alio modo constitutum erat cum *Prætore*, qui

uno eodemque tempore prætura & facerdotio Saliari fungi non poterat; forsan aliquis mihi objiceret exemplum Furii Bibaculi apud Valerium Maximum, lib. I. cap. I. exempl. 9. qui *Prætor* a patre suo collegii Saliorum magistro jussus, sex lictoribus præcedentibus, arma ancilia tulit. Sed extra ordinem Bibaculus hoc peregit; ideoque Valerius Maximus subjungit; *quamvis vacationem hujus officii, honoris beneficio haberet*. Hoc de Furio etiam testatur Lactantius lib. I. de falf. Rel. cap. 21. *Furius Bibaculus inter præcipua pietatis exempla numeratur. Qui cum Prætor esset, tamen lictoribus præeuntibus, ancile portavit; cum haberet magistratus beneficio, muneris ejus vacationem. Non ergo ille Furius, sed plane furiosus fuit, qui præturam hoc ministerio se putavit ornare*. Porro Alexander ab Alexandro non tantum *Præturam* excludit, sed & *Consulatum*, verba ipsius lib. I. Genial. Dier. cap. 26. sunt: *Erat constitutum, ut qui consulatum aut præturam, aliumve magistratum gereret, ancilia ferre, & inter Salios esse cogi nequiret*.

CAPUT VI.

Salii Collini unde dicti: a Tullo Hostilio instituti: Servius notatur & emendatur: Salii Quirinales & Agonales iidem sunt cum Collinis: Salii Collini in marmoribus; Inscriptio contra Cæsarem Malvasiam suppletur.

TRanseo ad *Salios Collinos*, qui a Tullo Hostilio instituti a *Collino* monte nomen habuerunt, Dionysius Halicarnassæus lib. II. pag. 129. Οἱ Αγωναλεῖς, ὑπὸ δὲ τίνων καλούμενοι ΚΟΛΛΙΝΟΙ ΣΑΛΙΟΙ, ὧν τὸ ἱεροφυλάκιον ἐστιν ἐπὶ τοῦ Κολλίνου λόφου, μετὰ Νομᾶν ἀπεδείχθησαν ὑπὸ βασιλέως Οστιλλίου, κατ' εὐχὴν ἣν ἐν τῷ πρὸς Σαβίνους εὔξατο πολέμῳ. *Agonales a nonnullis dicuntur* COLLINI SALII, *quorum sacrarium est in Collino tumulo, post Numam a rege Hostilio instituti fuerunt, sicut bello Sabino voverat*. Et lib. III. pag. 173. de Tullo Hostilio narrat, illum sublatis ad cælum manibus Diis votum fecisse, si eo die Sabinos vinceret, τὸν τῶν Σαλίων καλουμένων διπλασιάσειν ἀριθμὸν, *se duplicaturum Saliorum numerum*; Dion tamen in excerptis Constantini Porphyrogenetæ, pag. 569. refert, Tullum Hostilium instituisse *Salios Collinos*, cum pestis Romæ grassaretur, & ille ægrotaret, verba sunt: Τοῦ δὴ θείου πάνυ καταφρονήσει παρημέλει, μέχρις οὗ νόσου λοιμώδους γινομένης καὶ αὐτὸς ἠρρώστησε. Τότε γὰρ τῶν τε ἄλλων θεῶν δι' ἀκριβείας ἐπεμελήθη, καὶ τοὺς Σαλίους τοὺς Κολλινοὺς προσκατέστησε. Quæ Valesius sic Latine transtulit: *Deos magnopere contemnebat, donec sæviente per Urbem peste ipse quoque morbo implicitus est. Tum enim & cæteros Deos præcipua cura coluit, & SALIOS, quos COLLINOS vocant, addidit*. Tullus igitur duodecim *Saliis Palatinis* a Numa institutis adjecit totidem *Collinos Salios*, ita ut ipsius tempore jam fuerint viginti quatuor. In diversas vero partes abit Servius Danielis ad Æneid. lib. VIII. vers. 285. ubi lego, *Salios Collinos* & *Quirinales* a Numa institutos esse, eos vero, quos Hostilius instituit, appellari *Pavorios* & *Pallorios*, verba sic se habent: *Duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur*, COLLINI, *&* QUIRINALES *a Numa instituti, ab Hostilio vero* PAVORII *&* PALLORII. Credo hunc Servii locum esse depravatum, nam dicit, *duo sunt genera Saliorum*, cum tamen quatuor genera diversis cognominibus recenset; substituo igitur pro *&* vocula *vel*; illum equidem scripsisse puto, *Collini vel Quirinales* & *Pavorii vel Pallorii*, sic etenim *duo Saliorum genera* habemus; etsi *Salii Pavorii* & *Pallorii* apud alios plane ignoti sunt, qui forsan cognomen habuerunt a *Pavore* & *Pallore*, quibus Tullus Hostilius in bello contra Fidenates (in quo & XII. *Salios* vovit) fana dicavit, ut e Livio annotat doctissimus Valesius ad excerpta Peiresciana, pag. 81. Quos Servius *Quirinales* vocat, ii Dionysio sunt *Agonales* & Varroni *Agonenses* lib. V. de L. L. pag. 46. *In libris*, inquit, SALIORUM, *quorum cognomen* AGONENSIUM. Ratio hæc est, quia mons *Quirinalis* appellabatur quoque *Agonalis* sive *Agonus*, teste Festo in *Agonium*. De *Salio Quirinali* loquitur Papinius Statius lib. V. sylv. 2. vers. 129.

——— humeris quatere arma QUIRINUS,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clypeos, intactaque cædibus arma.

Cum vero Dionysius *Salios Collinos* eosdem facit cum *Agonalibus*, & Servii *Quirinales* sunt Varronis *Agonenses* sive Dionysii *Agonales*, sine dubio *Collini* & *Quirinales Salii* non diversi fuere, quia *Collinus* mons (a quo *Salii Collini*) etiam *Quirinalis* denominatus fuit, vid. Donatum in Roma vet. & recent. lib. III. cap. 15. Porro Servius in eo errat, quod Numam *Collinorum Saliorum* institutorem describat, cum juxta Dionysium & Livium Tullus Hostilius illos instituerit. *Salii Collini* mentio superest in sequenti ἐπιγραφῇ inter celeberrimi Sponii miscellanea erudit. Antiq. pag. 189.

Q. POMPEIO Q. F. QVIR. SENECIONI
ROSCIO MVRENAE. COELIO SEX.
IVLIO FRONTINO SILIO DECIANO
C. IVLIO EVRYCLI HERCVLANEO
VIBVLLIO PIO AVGVSTANO ALPINO
BELLICIO SOLLERTI IVLIO APRO
DVCENIO PROCVLO RVTILIANO
RVFINO SILIO VALENTI VALERIO
NIGRO CLEVS..... SALENTIANO
SOSIO PRISCO PONTIFICI SODALI
HADRIANALI SODALI ANTONINIANI
VERIANI SALIO COLLINO QVAESTORI
CANDIDATO. AVGG. LEGATO PR. PR. ASIAE
SORTITO PRAEFECTO ALIMEOTOR.
XX VIRO MONETALI SEVIRO PRAEF.
FERIARVM LATINARVM Q.Q. PATRONO
MVNICIPII SALIO CVRATORI FANI H. V.
S. P. Q. T.

Videmus, in hoc marmore varia Virorum nomina continua serie recenseri, & deinde illorum dignitates; quoniam vero nominibus singulis dignitates non sunt appositæ, ideo unicuique suas adscribere non possumus, quis enim ex his SALIVS COLLINVS fuerit, non facile divinandum, si vero conjecturæ locus detur, sacerdotium Saliare adtribuere VIBVLLIO PIO; ansam hujus conjecturæ mihi suppeditavit lapis, in quo SALIVS COLLINVS appellatur, inter marmora Felsinea a Carolo Cæsare Malvasia publicata, pag. 265.

P. COELIO. P. F.
SER. BALBINO
VIBVLLIO PIO
X. VIRO. STLITIB. IVDIC.
VI. VIRO. EQVIT. ROMAN.
TVRM. EQVIT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES.
TRAIANO. HADRIANO. AVG.
SALIO. COLLINO. QVAEST.
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEICOMISS. COS
DESIGNATO
DECVRIONES. SVA PECVNIA.

Hanc inſcriptionem quoque exhibent Gruterus in divino theſauro, pag. CCCLXXXXIII. num. 6. & Boiſſardus part. III. Antiq. Roman. pag. 45. cum quadam differentia; illi enim pro TVRM. EQVIT. habent TVRM. QVINT. quæ lectio ſi genuina eſt, non admitto Malvaſiæ expoſitionem, quando TVRM. EQVIT. ſupplet TVRMARCHO EQVITVM, nam melius eſſet TVRMAE QVINTAE; ſic occurrit TVRM. II. EQVIT. apud Gruterum, pag. CCCCXII. num. 2. & TVRM. III. apud eundem pag. MXXVI. num. 3. in his marmoribus etſi nullum turmæ cognomen poſt TVRM. reperiatur, tamen hoc vocabulum non per TVRMARCHVM, ut Malvaſia vult, ſed per TVRMAM ſupplendum eſſe certo certius eſt.

CAPUT VII.

Salii Albani: a quo inſtituti. Salii Hadrianales & Salii Herculani Auguſtales contra Scaligerum exploduntur: Herculani Auguſtales quinam appellati. Salii Antoniniani.

PRæter *Palatinos* & *Collinos Salios* fuere etiam *Salii* cognomine *Albani*, hos promo e tabula marmorea in Gruteri Inſcriptionum mole, pag. CCCXVIII. num. 1.

L. ANTESTIVS CN. F. HOR
SARCVLO. SALIVS. ALBANVS
ANTESTIA L. L. PLVTIA
RVFIA P. F. TERTIA SOROR
L. ANTESTIVS L. L. QVINCTIO
L. ANTESTIVS. L. L. RVFVS. L. ANTISTIVS.
L. Ↄ L. THAMYRVS
L. ANTISTIVS. L. Ↄ. L. ANTHVS. L. ANTISTIVS
L. L. EROS CAPPADOXS.

Et eadem pag. num. 2. ſequentia in quodam cippo leguntur.

L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO ANTISTIA
SALIVS. ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM
L. L. PLVTIA.
RVFVS. L. ANTHVS. L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT. PATRONO. ET. PATRONAE. PRO MERITIS. EORVM.

Quam ob cauſam hi Salii cognominati ſint ALBANI veteribus monumentis, quod quidem ſcio, non proditur; quid ſi ſtatuamus, illos ſic denominatos, quoniam ſacrarium in *Albano* monte habuerunt, ut *Palatini* ac *Collini* a montibus *Palatino* & *Colino*? Doctiſſimus Sibrandus Siccama in commentar. ad Faſt. Kalendar. Roman. cap. 9. refert, *Albanos Salios* a rege Tarquinio eſſe inſtitutos, unde hoc dicit, non liquet.

Invenio quoque *Salium Hadrianalem*, ſi fides habenda Scaligero, in ara marmorea apud Gruterum, pag. MXXIX. num. 6.

T. SEXTIVS. T. F. VOL..
M. VIBIVS. OVF.·.·.·.
SECVNDVS. LVO.·.·.·.
VESTINVS.·.·.·.
AFRICANI. CON.·.·.·.
FILIVS. SALIV.·.·.·.
HADRIANALIS. II.·.·.·.
PRAETOR. INCOA.·.·.
CAESARIS. L. AVR.·.·.
PROVINCIAE. AFRI.·.·.
T. SEXTIVS. MAGISTER...
PATRI.

Sed non credo, *Salium Hadrianalem* heic latere, quoniam præter literam S plures literæ videntur deeſſe poſt vocem SALIV.·.·.·.; puto igitur lacunam hoc modo ſupplendam, SALIVS. SOD. id eſt, *Salius. Sodalis* nempe *Hadrianalis*; ſpatium enim lacunæ & veſtigia punctorum has literas admittunt, & ſic, ut de pluribus marmoribus taceam, ſcribitur τὸ SODALIS apud Gruterum, pag. CCCCLXVII. num. 5.

L. FLAVI L. F.
SEPTILIO. APRO. OCTAVIANO. C. V
PLEB. SOD. HADRIA. Q. PROVINCIAE
CYPRI. SEVIR. TVRM. II. EQVIT. ROM
X. VIRO STLITIB. IVDICAND.
FL. NERATIA. SEPTIM. OCTAVILLA
C. F. PATRI.

Hi *Sodales Hadrianales* ſæpe obvii, & noti in antiquis monumentis.

Cæterum in indicibus Gruterianarum inſcriptionum a Scaligero confectis occurrit *Salius Herculanus Auguſtalis*, quem tamen ex inſcriptione, e qua illum produxit Scaliger ὁ πάνυ, neutiquam perſpicere poſſum, ſic enim legitur in Gruteri collectione, pag. MLXXXXVII. num. 7.

P. MVMMIO. P. F. GAL. SI
SENNAE. RVTILIANO
COS. AVGVRI. PROCOS.
PROVINC. ASIAE. LEGATO. AVG
PR. PR. MOESIAE. SVPERIORIS.
PRAEF. ALIMENT. PER. AEMILIAM.
PRAEF. AER. SATVRNI. LEG. LEG. VI.
VICTRIC. PRAETORI. TR. PL. QVAEST.
TRIB. LEG. V. MACED. XVIRO. STILI
TIB. IVDIC. PATRONO. MVNICI
PII. CVR. FANI HV. SALIO. HER-
CVLANVS. AVGVSTALIS.
L. D. S. C.

Veriſſimum eſt, τὸ SALIO cum vocabulis HERCVLANVS AVGVSTALIS conjungi non poſſe, niſi legamus dandi caſu HERCVLANO AVGVSTALI, quod celeberrimus Scaliger ſine dubio fecit, quoniam in indice iſta verba conjunxit: at non credo, voces has *Salio* adjungendas eſſe, quoniam liquet, inſcriptionem loqui de *Herculanio Auguſtali*, qui P. MVMMIO hunc lapidem poſuit. Hanc conjecturam juvat idem lapis, prout habetur in Kircheri Latio vet. ac nov. pag. 192. ubi legitur πληθυντικῶς HERCVLANII AVGVSTALES. Hi ſacerdotes *Herculis* Tyburtini erant & noti e Tyburtinis inſcriptionibus, ſic lego in marmore apud Guthерium de Jur. Pontif. lib. 1. cap. 5.

C. SEXTILIVS
V. V. TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS
HERCVLANIVS
AVGVSTALIS

Et in Kircheri Latio vet. & nov. p. 192.

CVR
AED. VRB. IV. VIR
HERC. AVG.
TIBVR PATRONO
S. C.

Sed de his alio tempore plura dicam.

Denique Antonino Caracallæ poſt mortem *Salii* conſtituti ſunt, qui jure meritoque *Antoniniani* poſſent cognominari, elegans hac de re locus

est apud Spartianum in ipsius vita, cap. 11. *Habet templum, habet* SALIOS, *habet Sodales* ANTONINIANOS, *qui Faustinæ templum, & Divale nomen eripuit.*

CAPUT VIII.

Præsul Saliorum describitur. Vates Saliorum idem qui præcentor. Fr. Junii error. Saliorum duo chori saltantium & canentium: Turnebus notatur. Saliorum Magister describitur: Papino Statio lux data. Pontifices Saliorum iidem cum Magistris.

DEscripsimus varia Saliorum genera, videamus jam præstantissimos in collegio Saliorum; hi fuere *Præsul*, *Vates* & *Magister*, de quibus diserte testatur Julius Capitolinus in vita Antonini Philosophi, cap. 4. *Fuit* (Antoninus) *in eo sacerdotio* (Saliari) *&* PRAESUL, *&* VATES, *&* MAGISTER, *& multos inauguravit & exauguravit, nemine præeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* Primus, qui in Capitolini loco se se offert, est *Præsul*, hic in Onomastico veteri exponitur χοροστάτης, optime, nam chorum sistere & saltare facit, eumque dirigit in saltando; cæterum *Præsul* vocatur quoque *Præsultor* sive *Prosaltor*, ut Salmasius ad Capitolinum vult; in glossis Cyrilli. *Præsultor*, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος. Hæc verba eleganter officium *Præsulis* inter Salios indicant, quoniam Saliorum choro *saliendi modum dabat*, quod Græcis dicitur ἀνάσσειν χοροστασίας, sic in versu penultimo statuæ Regillæ conjugis Herodis Attici:

> Ἠλάχεν Ἠλυσίῃσι χοροστασίῃσιν ἀνάσσειν.
> I*psa etenim Elysias moderatur Diva choreas.*

Præterea in glossario *Præsultor* exponitur κορυφαῖος, recte, quia *Præsultor Saliorum* fuit κορυφαῖος τῶν χορευτῶν, *princeps* sive *primarius saltantium*, quem Aurelius Victor de Vir. illustr. cap. 3. *Saliorum Primum* vocat.

A *Præsultore* pergo ad *Vatem*, qui in Philoxeni glossis audit ὑμνῳδὸς, & in Onomastico *Præcentor*, hic Saliaria carmina præcinebat, & præcipuus τῶν ὑμνῳδῶν *cantantium* Saliorum erat, huic enim alii succinebant & exinde *Succentores* dici poterant; Augustinus in enarrat. Psalmi LXXXVII. *In arte Musica* præcentor *dicitur, qui vocem præmittit in cantu*, succentor *autem, qui subsequenter canendo respondet.* Talis *præcentor* erat Chenanja, de quo narratur 1. Chron. XV. vers. 22. quod fuerit *princeps incboandi cantica*, LXX. Interpr. ἄρχων τῶν ᾠδῶν. & vers. 27. ἄρχων τῶν ᾀδόντων nostrates Belgæ. *Pherste han het ophessen der Sangers.* Pessime Junius vertit *Princeps muneris portandi*. Huic Saliorum *Vati* incumbebat non tantum religiosum illud ministerium hymnos canendi, sed & dandi cæteris modum cantus, plane quemadmodum Aristenætus lib. 1. epist. 20. de quadam muliere canentium chorum moderante scribit: Ἡ διδάσκαλος ἐπέβλεπε τὴν ἀπᾴδουσαν, καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐνεβίβαζε, χειρονομοῦσα τὸν τρόπον. *E quibus si qua discrepare visa est, respicit eam chori magistra, & ad modulum commode reducit, manibus increpans.* Porro ex his sequitur, quosdam *Salios* fuisse *saltantes*, quosdam vero carmina Saliaria *canentes*, recte igitur poeta maximus Salios in duos choros divisit, lib. VIII. Æneid. vers. 285.

> *Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,*
> *Populeis adsunt evincti tempora ramis;*
> *Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes*
> *Herculeas & facta ferant.* ———

Ad quæ Servius e schedis Petri Danielis hæc habet: *Fuere Saliorum duo chori: Senum, qui tantum voce laudes Herculis exsequebantur: Juvenum, qui gestu corporis facta ejus monstrabant.* Nescio quid Turnebum moverit, quando lib. XIII. Adversar. c. 8. monet, Virgilium vocis *Salii* usum hic extendere præter solitum, nempe in genere pro quocunque saltante sacerdote, cum poeta de proprie dictis *Saliis* cecinit.

Tertius apud Capitolinum est *Magister* collegii Saliorum, qui erat ἔξαρχος sive *princeps* omnium, nam, notante Casaubono ad Capitolin. Anton. cap. 4. quos Græci Ἀρχιερέας, Ἀρχιβάκχους & Ἀρχιγάλλους aut similibus vocibus designant, Latini *Magistros* sui ordinis vocabant; Hic *Magister* Saliorum inaugurandi & exaugurandi potestatem habebat, qui ritus dum peragebantur unus e Saliis (procul dubio *Vates*) inaugurationis & exaugurationis solennia carmina recitabat, si *Magister* ea non haberet memoriæ infixa; alias enim ipse *Magister* illa recitabat, sic Antoninus Philosophus, cum *Magister* Saliorum esset, multos *inauguravit & exauguravit, nemine præeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset*, teste Capitolino. Porro ad *Magistrum* pertinebat cura, ut Salii juvenes & novi rite discerent ancilia portare, & juxta modulos rythmicos saltare; hinc Papinius Statius de patre suo quondam *Saliorum Magistro* cecinit lib. V. sylv. 3. vers. 180.

> ——*inde sacrum didicit puer:* ARMA PROBARE
> *Monstrasti Saliis.*——

Quod idem est, ac si diceret, tu instituisti Salios, quo modo ancilia portanda essent, & sollenne anciliorum festum peragendum. Talis *Saliorum Magister* fuit pater Furii Bibaculi apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 1. exempl. 9. qui filium quamvis prætorem jubebat arma ancilia ferre, ut cap. V. dixi. Præterea de *Magistris Saliorum* non silent marmora, legitur apud Gruterum, pag. CCCCLXXXIX. num. 10.

C. VOCONIO. C. F
GAL. PLACIDO. AED.
II. VIRO. II. FLAMINI. II.
QVAESTORI.
SALIORVM. MAGISTO.

Et in Boissardi parte III. Antiq. Roman. pag. 137.

L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO
SALIVS ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM.

Hic *Magister* etiam appellabatur PONTIFEX SALIVS vel SALIORVM, ut e variis ἐπιγραφαῖς constat, legitur in Gruteri thesauro, pag. CCCXVII. num. 9.

Q. FABIO. CN. F.
GAL. GEMINO
PONTIF. SALIO
D D

Et pag. CCCCLXIV. num. 3. ara conspicitur, in cujus latere ancile, virga oblonga & albogalerus propria Saliorum arma exstant, cum his literis.

D. M.
M. RVBRIO. L. F.
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. INCOL.
RVBRIA. PATRI
OPTIMA. POS.

His adjicio lapidem antiquum apud Onuphrium Panvinium de Civitat. Rom. cap. 31.

M. RVBRIO. L. F.
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. INCOL.

CAPUT IX.

Salii e patriciis electi: Juvenalis & Cicero explicantur. Salii erant patrimes & matrimes: quo ætatis anno creabantur.

IN Saliorum collegium juvenes *patricii* tantum inaugurabantur, non a populo, sed *Magistro* collegii; qui enim e plebe erant ad sacerdotium Saliare pervenire non poterant; de primis Saliis a Numa institutis scribit Dionysius Halicarnassæus lib. II. pag. 129. Σαλίυς αὐτὸς ὁ Νομᾶς ἀπέδειξεν ἐκ τῶν ΠΑΤΡΙΚΙΩΝ, δώδεκα τὺς εὐπρεπεστάτυς ἐπιλεξάμενος νέυς. hoc est: *Salios ipse Numa e* PATRICIIS *delegit, duodecim juvenes decore conspicuos*. Quos Dionysius vocat εὐπρεπεστάτυς νέυς ἐκ τῶν πατρικίων sive ἐκ πατέρων ἀγενῶν, ut lib. III. pag. 173. ait, illos Lucianus *de saltatione* tom. I. pag 793. nuncupat ἀγενεστάτυς Ρωμαίων, *Nobilissimos Romanorum*. Hinc Juvenalis insurgit vehementer in uxores *Nobilium* & *Patriciorum*, quæ ex adulteris ignobilibus liberos producebant futuros *Salios*, quoniam credebantur esse filii maritorum nobilium; adscribam versus e satyra VI. vers. 602.

Transeo suppositos, & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
PONTIFICES SALIOS, *Scaurorum nomina falso*
Corpore laturos. ——

Immo satyra II. vers. 124. indignabundus perstringit Gracchum, qui, cum *nobilis* esset & *Salius*, mulierum mores sectabatur, earumque vestitum assumens viro nubebat, sic enim canit:

Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. ——

Ad quæ vetus Commentator e bibliotheca Pithœi: *Gracchus accepit vestem novæ nuptæ, qui aliquando* SALIUS MARTIS *fuit*. Et Cicero in oratione *pro domo sua ad Pontifices*, cap. 14. de quodam verba faciens, qui ab alio adoptatus erat, non ut filius institueretur, sed ut e patriciis exiret, & tribunus plebis fieri posset, ironice tandem subjungit: *Ita populus Romanus brevi tempore, neque regem sacrorum, neque flamines, nec* SALIOS *habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes*. Ideo Cicero ait, Populum Romanum non habiturum *Salios* & alios sacerdotes, si omnes *patricii* a plebeiis adoptarentur, sic enim nulli *Salii* creari possent, quoniam e *patriciis* esse debebant. Hinc Lucanus, lib. IX. vers. 462. *Salios* appellat *lectam Juventutem Patriciam*.

Cæterum in Saliis præter εὐγενείαν requirebatur, ut essent *patrimes* & *matrimes*, testante Dionysio, hoc est, qui utrumque parentem tunc temporis, cum in collegium Saliorum cooptarentur, in vivis habebant, sic exponit Festus: *Matrimes ac patrimes dicuntur, quibus matres ac patres adhuc vivunt*. Conveniunt hac in re *Salii* cum Virginibus Vestalibus, quas negant capi fas esse, nisi sint *patrimæ* & *matrimæ*, quemadmodum scribit Antistius Labeo apud Gellium, lib. I. Noct. Attic. cap. 12. ubi etiam legitur, *Saliorum filias* non posse capi ad Virgines Vestales.

Quo ætatis anno *Salii* ad sacerdotium admittebantur, diserte demonstrare nequeo, Imperator quidem Antoninus Philosophus octavo ætatis anno in Saliorum collegium ab Hadriano relatus est, narrante Capitolino in vita Antonini, cap. 4. Sed hoc ipsi privilegio quodam concessum esse credo.

CAPUT X.

Saliorum vestes: inter quas tunica: Plutarchi interpres notatur: χιτὼν in epistola Judæ quid. Saliorum balthea: inquiritur, an Salii trabeis usi sunt: Parva trabea: Donati error: Trabeas non fuisse proprias equitibus, sed & aliis contra Lipsium ostenditur.

QUandoquidem Salios satis prolixe descripsi, non ἀπροσδιόνυσον erit, si illorum *vestes* verbis, quantum potero, depingam; inter quas primo loco occurrit *tunica versicolor*, quam Dionysius χιτῶνα ποικίλον nominat, Livius *tunicam pictam*; hanc optime expressit cælator gemmæ 152. tom. I. Leonardi Augustini: Plutarchus in vita Numæ *Salios* describens ait, illos habuisse φοινικὺς χιτωνίσκυς, vertit interpres, illos fuisse *trabeatos*; pessime sane quam, cum φοινιξ χιτωνίσκος sit *tunica purpurea* non vero *trabea*; in glossis Philoxeni χιτωνίσκος exponitur *indusium*, *interula*, & sic sæpe χιτὼν pro *interiori veste* opponitur τῷ ἱματίῳ. immo sic legitur in epistola Judæ vers. 23. Μισῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Vertit vulgatus interpres: *Odientes & eam quæ carnalis est maculatam tunicam*. At multo felicius Beza: *Odio habentes vel eam tunicam quæ a carnis contactu sit maculata*. Nam χιτὼν ἐσπιλώμενος ἀπὸ σαρκός, est *tunica maculata a carne* sive *a contactu carnis*. Sebastianus Castalio in genere χιτῶνα per *vestem* transtulit. Puto equidem, illos commentatores errare, qui in præcedente Apostoli loco *tunicam exteriorem* intelligi volunt, manifestum etenim est, χιτῶνα hic esse *vestem interiorem* & carni proximam; jam quæ sit illa *vestis maculata a carne* docebit nos Suetonius, qui in vita Neronis, cap 28. ait, illum, *quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac* MACULIS VESTIS *proditum*. Plura vetat addere pudor.

Porro super has tunicas Salii se cingebant æreis balteis, quemadmodum Dionysius Halicarnassæus lib. II. scribit: χιτῶνας ποικίλυς χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι. *Super tunicas versicolores æreis baltheis cincti*: Idem de Saliis refert Plutarchus, nempe quod fuerint μίτραις χαλκαῖς ὑπεζωσμένοι πλατείαις, *baltheis latis æneis succincti*. Hinc Livius ista balthea ob latitudinem vocat *æneum pectori tegumen super tunicam*.

Sequuntur apud Dionysium *trabeæ*, quas Salii super tunicas induebant, verba ipsius sunt: Τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρυς, φοινικοπαρύφυς, ἃς καλῦσι τραβέας. id est: *Togis purpura prætextis & fibula adstrictis, induti, quas vocant trabeas*. De hac Saliorum veste silent Plutarchus & Livius, quorum auctorum silentio motus Vir celeber-

berrimus Octavius Ferrarius lib. I. *de Re Vestiaria*, cap. 16. non credit, *Salios* habuisse *togas* vel *trabeas*, accedit ipsa ratio, quæ evincere videtur, sine *toga* Salios fuisse, nihil enim, ait Ferrarius, magis incommodum saltanti, quam vestimentum fusum ac talare; si vero a Dionysii parte stare velimus, dicendum esset, Salios *togas* vel *trabeas* fibula contraxisse, ne scilicet illis saltantibus impedimento essent; itaque ἐμπεπορπημένοι τὰς τηβέννας, apud Dionysium vertenda sunt *succincti* ritu Gabino, ut optime conjecit Ferrarius *loco cit.* habetque hac in re suffragantem artificem gemmæ 152. to. I. collectionis Augustinianæ; in qua gemma B Salii toga stricta & succincta sunt induti. Cæterum Dionysius τηβέννας *togas* easdem facit cum *trabeis*, ut excerpta glossarum: τήβεννα, *toga*. τήβενος, *toga*, *trabea*. Videtur & Virgilius inter Saliorum vestes *trabeas* referre, cum lib. VII. Æneid. v. 187. Picum regem habitu Saliorum vestitum describens canit:

—— parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.

Ad quæ verba Donatus has nugas propinat: *Parva trabea) vel quia trabeæ non exstant, aut non* C *magni precii sunt*. Puto enim Virgilium dixisse τὸ *parva* de *trabea stricta & succincta*, qualem Salii in gemma Augustini habent; ultimam rationem, *aut quia non magni precii sunt*, falsitatis arguit descriptio trabeæ a Dionysio facta; porro non adsentior magno Lipsio, qui ad III. Annal. Taciti vult, *trabeam* fuisse propriam vestem equitum, non regum, ducum, vel augurum; cum tamen de regibus hoc testetur Isidorus lib. XIX. Orig. cap. 24. *Trabea erat togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romanorum reges initio procedebant*. Et Servius ad Æneid. VII. v. 187. trabeæ Deorum, Regum & Augurum meminit his verbis: *Tria sunt* D *genera Trabearum. Unum Diis sacratum, quod est tantum de purpura: aliud Regum quod est purpureum; habet tamen aliquid album: tertium augurale, de purpura & cocco*. Scaliger vero ad Festum in voce *Trossuli* Trabeam distinguit in *Regiam*, *Quirinalem* & *Trossulam*; *Regia* erat de sola purpura, qua reges regumque filii utebantur; *Quirinalis* concinnior, præliis apta; qua duces amicti Jani fores aperiebant; *Trossula* cocco purpuraque prætexta erat & Auguralis vocabatur. De trabea deinde Dionysius Halicarnassæus lib. II. diserte scribit: Ἐστι ἐπιχώριος αὐτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν E τοῖς πάνυ τιμίοις. *Quæ vestis* (trabea) *apud Romanos honoratioribus est propria*. Quid, an inter *honoratiores* non debent numerari *Reges*, *Augures*, *Salii*? hos enim ultimos *trabeatos* quoque facit Pighius in *Hercule Prodicio*, pag. 426. Discrimen vero fuisse inter equestrem & Saliarem trabeam crederem cum Rubenio, l. I. de *Re Vestiaria*, cap. 2.

CAP. XI.

Saliorum pilei & apices: Salii tutulati. Tutulus quid? Festi lectio defensa. Κυρβασία. *Saliorum galeæ. Nummi duo explicantur contra Bau-* F *delotium & Dalechampium. Salii e nummis & marmoribus ostenduntur. Salii capite velato. Joan. Baptista de Rubeis notatur.*

Transeo ad tegumenta capitis, quibus Salii tecti erant, hæc Dionysius Halicarnassæus lib. II. pag. 129. sic describit: Τὰς καλυμένας ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλυς ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένυς κωνοειδὲς, ὃυς Ἕλληνες προσαA γορεύουσι κυρβασίας. hoc est: *Gestant capitibus quos vocant apices, fastigiatos in coniformam pileos, Græci appellant* κυρβασίας. Plutarchus ait, capitis tegumenta fuisse κράνη χαλκᾶ *galeas æneas*. At ordine Dionysii locum inspiciamus; primum dicit, Salios gestasse *fastigiatos in coniformam pileos*, hinc Minucius Felix in Octavio, *pag.* 223. illos describit *pileatos*; hos pileos Romani nominabant *apices*, testis est Isidorus lib. XIX. Orig. cap. 30. *Apex est pileum sutile, quo sacerdotes gentiles utebantur; appellatus ab apiendo, id est a ligando. Nam virgula quæ in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hostiæ*. Hanc ob causam B Salii quoque dici possent *tutulati*, ut Enniano vocabulo utar, quoniam *in sacris in capitibus habere solent ut metam*, (sunt Varronis verba e lib. VI. de L. L. pag. 73.) *tutulus* enim est *meta* sive *apex* pileis in vertice additus, unde Festus *tutulum* exponit per *pileum lanatum, forma metali figuratum*. Sic e Romana editione legere malo, quam cum Merula ad Ennii annales, pag. 267. *formaque tali*, cum & τὸ *metali* stabilire videatur Varro in verbis mox allegatis; cæterum optime ad rem facit Cyrillus in Glossis: *Apex*. τὸ ἐπὶ τῦ πιλίυ παράσημον. quod παράσημον non diversum est a *meta*.

C Deinde Dionysius refert, Græcos hos Saliorum *apices* appellasse κυρβασίας; quod an verum sit videamus; præstantissimus Hesychius κυρβασίαν exponit ὀρθὴν τιάραν, qua Persarum reges utuntur, consentit cum eo Galenus in lexico Hippocratis scribens, κυρβασίην esse *pileum acutum*, illumque *tiaram* dici. Quatenus igitur *apex* est *pileus acutus metali forma*, & κυρβασία est *pileus acutus*, eatenus *apex* recte vocari potest κυρβασία. Lubet hic *apices* Saliorum e vetustis marmoribus depromptos exhibere, quales expressit Philippus Rubenius in Elect. lib. II. cap. 25. Primus est in arce Capitolina, alter vero in fornice Fabiano. D



E

F Præterea sequens Saliorum *apex* est in Augusti nummo apud Choulium, pag. 256. cui adjungo alium ex ara marmorea Pontificio Salio sacra in Gruteri thesauro, pag. CCCCLXIV. num. 3.



His addendæ *galeæ*, quibus Salii incedunt tecti, in Admirandis Roman. Antiquitat. vestigiis a Bellorio editis, pag. 42. ectypon heic propono:




Videtis, hos *apices* formam fere *galeæ* habere, ideoque non immerito Plutarchum illos nominasse *galeas*, ex quibus hanc nobis repræsentat nummus juxta mentem doctissimi Baudelotii d'Ervallii in libro, qui inscribitur *l'Utilité des voiages*, tom. II. pag. 673.




Hunc tamen nummum ad ludos Sæculares potius referrem, cum ab una parte caduceus Mercurii exstet, ab altera vero pileus alatus vel galea cristata, & non Saliorum *apex* secundum Baudelotium. Objiceret mihi forsan aliquis, Salium galea alata Mercurii tectum ipsiusque caduceum manu tenentem occurrere in nummo Augusti apud Gutherium de *Jure Pontific.* lib. III. cap. 18 & Oudanium in *Romana magnitudine*, tab. XCVIII. num. 5. nummum ipsum hic propono, quoniam de eo disquirendum, quemnam in argento spectamus.



Si igitur Salius galea & caduceo Mercurii ornatus in hoc nummo occurrat, cur nummus d'Ervallii ad Salios referri non potest? fateor, plerosque interpretes antiquæ monetæ imaginem illam pro *Salio* habere, quam tamen cum Oudanio ad *Mercurium* tanquam præconem ludorum Sæcularium referre mallem, cum nihil cum Saliis commune habeat nisi ancile. Non silentio hic prætereundus est Dalechampii error, qui ad Plinii lib. XXI. cap. 3. „ hæc scribit: In denariis Romanis (apud Fulvium Ursinum in *famil.* 23.) „ Salius effingitur a„ mictus veste longa dextra manu caduceum te„ nens, sinistra clypeum capite galea tecto, pro„ minenti ad utramque aurem apice oblongo & „ acuto. Clarum est, illum describere eandem effigiem, quæ in Oudanii nummo extat, & explicare per *Salium* non vero *Mercurium*, qui tamen in ista effigie latet. Majore forsan jure *Salium* agnosco in sequente Domitiani numismate apud Begerum in Thesauro Palatino, pag. 303.




Omnia Salio conveniunt, apex nempe, tunica stricta & succincta, ancile, & minuta virgula. Huic adpendo alium argenteum ejusdem imperatoris, qui editus est ab Ænea Vico inter XII. Primorum Cæsarum nummos, num. 21. & explanatus a doctissimo Rainssantio in differt. de *Lud. Sæcul.* num. 8. & 9. in quo cippus cum inscriptione, candelabrum & sacerdos *Salius*, juxta mentem præstantissimorum Antiquariorum.



Est hæc eadem figura, quam conspicimus in præcedenti nummo, nisi quod loco apicis *galea* alata tectus & calceatus sit hic Salius. Ut vero eruditi melius perspiciant vestitum Saliorum, producam *Salium* ex Admirandis Romanarum Antiquitatum vestigiis opere anaglyphitico elaboratis, & a Bellorio editis, in quibus *pag.* 42. *Salius* tunica succincta trabeaque indutus occurrit, pileo sive *apice* tectus dextra virgam tenet: placet hanc effigien proponere, quia liber ille in his oris est rarissimus & in paucorum manibus.



Cæterum quoniam verba feci de Saliorum *apicibus* hoc tandem addo, in Augustini gemma, quam cap. XVII. exhibeo, nec galeis tecti sunt Salii, sed capita velata habent ritu Gabino. Plane quemadmodum statua Salii in Capitolio, quam in publicam lucem protraxit Joannes Baptista de Rubeis inter antiquas statuas anno 1668. Romæ editas, hanc lectori propono beneficio *Illustrissimi Comitis* GVSTAVI CARLZON *&c. &c. &c.* qui mihi librum illum humanissime suppeditavit ex instructissima & incomparabili ipsius Bibliotheca, quæ omni meo præconio major est; hanc indies auget, & ex illa singulari, qua præditus est, humanitate eruditis Musarum corculis omnis generis libros



promit, ita ut Utilitati publicæ Bibliotheca *Illustrissimi Comitis* inserviat. De hac statua dicam meam sententiam, quæ est, editorem istius libri errasse, cum nobis illam pro *Sacerdote Saliorum* obtruderet; & nescio, e quibus indiciis conjecerit, hunc esse e Saliorum collegio.

Quando enim hanc statuam cum cura contemplor, nihil invenio, e quo *Salium* perspicere possum, nec vestes hoc suadent, nec patera, quam dextera tenet sacrificaturus forsan imperator capite obvoluto.

CAP. XII.

Ancile quomodo scribendum. Illius vocis variæ origines: ab ancisu: ab ἀγκυλον: ab ἀμφίχειλον. Servius notatur. Ab ἀγκων: ab ἄκεσις. Prima ab ancisu probatur. Ancile quale scutum. Nonii Marcelli error. Glossæ explicantur. Διοπετὲς. *Ancilia ὅπλα dicta.* LXX. *interpretes illustrantur.*

DEscripsi Saliorum vestimenta, pergo ad illorum arma, inter quæ præcipua sunt *Ancilia*, ideoque initium faciam ab etymologia vocis, præmissa tamen orthographia.

Pierius ad Virg. Æneid. lib. VIII. v. 664. testatur, *Ancilia* per I Latinum scribi in antiquis MSS. Virgilii codicibus, & in vetustis Antonini Pii nummis, in quibus scuta tria oblonga ovali fere figura conspiciuntur cum ἐπιγραφῇ ANCILIA. *Ancile* igitur per *i* scribendum, & non per *y*, in quo sæpe hodierni scriptores peccant.

Hoc vocabulum oritur juxta Varronem lib. VI. de L. L. pag. 73. ab *ancisu*: ANCILIA, inquit, *dicta ab* ANCISU, *quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, incisa*. Hanc etymologiam non probat Scaliger ad Varronem, pag. 165. ubi *ancile* deducit ab ἀγκύλον. Quod arridet doctissimo Mureto, lib. XIII. Var. Lect. cap. 17. non tamen omnibus hoc Scaligeri etymon placuit, teste Dausquio tom. II. Orthogr. Lat. Serm. pag. 31. Festus in *Mamurii Veturii*. *Ancile appellatum est, quia ex utroque latere erat recisum*. Cum Varrone consentit Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. 12. ANCILE *dictum ab* ANCISIONE, *quod sit ab omni parte veluti ancisum & rotundum*. Ab hoc non aberrat Ovidius lib. III. Fastor. v. 377.

Idque ancile vocat; quod ab omni parte recisum
est:
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.

Vetus Virgilii interpres ad Æneid. lib. VIII. v. 664. duas hujus vocis origines nobis tradidit, sic etenim scribit: *Ancile dicitur, aut quasi undique circumcisum, aut quasi ἀμφίχειλον, id est, undique labrum habens*. Harum prima eadem est quæ Varronis & Isidori, nam *circumcisum* idem quod *ancisum*. Ultima vero deridenda est, quoniam nimis ab *ancile* discedit τὸ ἀμφίχειλον. Sunt nonnulli, qui deducunt ab ἀγκων, quia ἐπ' ἀγκώνων *brachiis* gestaretur *ancile*; alii vero ab ἄκεσις, *remedium*, quoniam *ancile* pestilentiæ remedium tempore Numæ fuit. Hæc etyma insulsissima mihi videntur, & nescio quid Carolum Neapolim moverit, ut illa ad Ovidium traderet, recitat tamen ea quoque Ulysses Aldrovandus, libr. I. *Ornithol.* pag. 92. Ceterum si Scaligeri etymologiam admittimus, scribendum esset *ancile* per *y* non per *i*, quam tamen scripturam ex antiquis monumentis ostendi. Cum Varrone igitur.

ancile ab *ancisu* deducerem, quoniam *ancisum* hoc est undique *circumcisum* erat, AN enim sive AM idem quod *circum*, & *ancile* eodem modo dicitur ut *incile* in *l* 1. §. 5. D. *ne quid in flum. publ.* ex eo appellatum, *quod incidatur. l.* 1. §. 1. D. *de rivis.* hinc Festus: *Incilia, fossæ*.


Demonstrabo jam quid *ancile* fuerit, Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. 12. scribit: *Ancile vocatur scutum breve & rotundum*. At Nonius Marcellus ait, pag. 578. *Ancyle, scutum grande: unde etiam nunc arma & ancyle appellatur. Virgil. lib. septimo. Lævaque ancyle gerebat*. In hoc Nonii loco ubique *ancile* scribe per *i*, nam & in Virgilii loco, quem Nonius allegat, in optimis codicibus per *i* legitur. Cæterum Grammaticus putavit, *ancile* esse scutum *grande*, quia *ancilia* pro *armis* ponebantur, cum tamen, ut recte Isidorus, fuerit scutum *breve* in citato Virgilii hemistichio, in quo significationem τ͂ *ancile* non percepit Nonius, quoniam illud vocabulum sumit pro *scuto grandi* vel *armis*. Pergo ad glossas & quidem optimas Cyrilli, quæ habent: *Ancile*, διοπετὲς ὅπλον, ἀσπιδισκάριον. *Ancile* non potest in genere dici διοπετὲς ὅπλον, sed de illo ancili intelligenda est glossa, quod tempore Numæ e cælo cecidit, de quo Scholiastes Cruquii ad Horatii lib. III. od. 5. *Ancilia scuta erant divinitus Romanis missa in virtutis insigne*. Audi quoque scholia MS. in membranaceo Horatii codice Academiæ Frisiorum. *Ancilia arma Romani de cælo meruisse per virtutes insignes dicebantur*. Quid enim melius διοπετὲς explicat quam τὸ *divinitus* & *de cælo* in scholiis. Porro *ancile* potest exponi per ἀσπιδισκάριον, quatenus *ancile* & ἀσπιδισκάριον parva scuta sunt, re vera enim ἀσπιδισκάριον est *parma*, quæ ab *ancili* discrepat; glossarium Philoxeni. Ἀσπιδισκάριον, *parma*. Sequitur in Cyrilli glossis. *Ancilia*, διοπετῆ supple ὅπλα, & *Saliorum ancilia* intellige; proinde non infrequens est, vocabulum διοπετὲς sine adjuncto substantivo occurrere, sic in Actis Apostolicis c. XIX. ver. 35. πόλις Ἐφεσίων vocatur νεωκόρος τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. *Æditua magnæ Deæ Dianæ, & e cælo delapsi*, nempe *simulachri*, desideratur enim vox ἀγάλματος. Præterea habemus apud Plutarchum, ubi de Saliorum *ancili* verba facit, διὰ ὁμοιότητα τοῦ διοπετοῦς, subintellige ὅπλου, *propter similitudinem cælestis ancilis*. Denique in glossario veteri legitur. *Ancilia*, ὅπλα, ἢ δοράτια. *Ancilia* dici posse ὅπλα, Latine *arma*, ostendit Nobilissimus Cuperus lib. 1. *Observat.* cap. 7 adjiciam exemplum a me in Sacra Scriptura observatum, lib. 1. Regum, cap. XIV. v. 26. & 27. *Ancilia* aurea Salomonis & ærea Roboami a LXX. interpretibus vocantur ὅπλα χρυσᾶ & ὅπλα χαλκᾶ. Alterum vocabulum LXX. seniores quoque usurpant pro *clypeis* lib. 1. Regum, cap. X. v. 16. Καὶ ἐποίησε Σαλομὼν τριακόσια δόρατα χρυσᾶ. *Et fecit Salomon trecentos clypeos aureos*.

CAP. XIII.

De anciliorum figura variæ sententiæ. Dionysii Halicarnassæi error. Vera anciliorum figura e nummis ostenditur. Petitus notatur.

QUandoquidem magna inter auctores discrepantia est de anciliorum figura, hoc capite de illa re differere proposui. Primum procedit Dionysius Halicarnassæus, qui lib. II. scribit, *ancile* eandem figuram habuisse cum *Thracum peltis*; verba sunt: Τῇ δ᾽ εὐωνύμῳ κατέχει πέλτην Θρακίαν. ἡ δ᾽ ἐστὶ ῥαβδοειδεῖ θυρεῷ στενωτέρους ἔχοντι τοὺς λαγόνας ἐμφερής, οἵας λέγονται φέρειν οἱ τὰ Κουρήτων παρ᾽ Ἕλλησιν ἐπιτελοῦντες ἱερά. id est *Sini-*

A *stra peltam Thraciam tenent* (Salii) *ea scuto virgato, angustiores habenti laterum cavitates, similis est, qualia dicuntur esse apud Græcos gestamina eorum, qui Curetum sacra peragant*. Adscribit Dionysius Saliorum ancili *angustiores laterum cavitates*, & sic plane Festus in *Mamurii Veturii*: *Ancile*, inquit, *appellatum est, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque ejus latius medio pateret*. Cæterum quod Dionysius ait, Curetum sacerdotes talia ancilia habuisse, in eo falsus est, nam in nummo Antonini Caracallæ apud Patinum in Thesauro Maurocenico, pag. 74. & in alio Maximini, pag. 82. Curetes natalitia Jo-
B vis celebrantes tenent ancilia, quæ circuli ovalis περιφέρειαν absolvunt, neque angustiores laterum cavitates habent, hac forma.



C


Plutarchus vero contraria via quam Dionysius insistit, quando in vita Numæ sic scribit: Αὐτὰς τὰς πέλτας ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ σχῆμα, κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀποδίδωσι, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ᾽ ἐντομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι, καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας, ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Quæ interpres transtulit, *Has peltas* (Saliorum) *ancilia appellant propter figuram. Neque enim hæc figura plane est circulus, aut circuli ambitum, velut pelta, absolvit, sed incisionem habet lineæ cochlea-*
D *tim sinuatæ, cujus capita crebris & tortuosis anfractibus in se conversa aduncam figuram efficiunt*. Ex his sequitur, *ancile* plane diversum fuisse a *pelta* Thracum contra Dionysium, & peltam non habuisse *angustiores laterum cavitates*, sed *circuli ambitum* absolvisse, ergo secundum Plutarchum Dionysius male scripsit, Saliorum *ancilia* similia fuisse Thracum *peltis*. Quid vero de Ovidio dicemus? qui *cavitates laterum* ab ancili excludit, quas Dionysius Halicarnassæus & Plutarchus agnoscunt, sic canens lib. III. Fastor. v. 377.

E *Idque ancile vocat; quod ab omni parte recisum est,*
Quaque notes oculis angulus omnis abest.


Secundum hanc descriptionem *ancile* non fuit sinuosum, neque habuit ἐντομὴν γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, *incisionem lineæ cochleatim sinuatæ*, sed absque omni angulo fuit ad modum figuræ plene circularis, quemadmodum apparent in Domitiani nummis, quos *pag.* 59. & 60. exhibui, & in quo ancili apud quosdam antiquarios sculptum conspicitur caput Palladis galeatum, quoniam Pallas dicitur instituisse saltationem armatam, ut optime e Dionysio Halicarnassæo observat eruditissimus Franciscus
F Bianchini in *Historia universali* e veterum monumentis, nummis & marmoribus adornata, *pag.* 294. Hoc modo etiam occurrunt in Antonini nummo Thesauri Ducis Arschotani. tabul. XXIII. num. 7.




Huic subjungo alium, qui exstat apud Gutherium de *Jure Pontif.* lib. I. cap. II.




Cum Dionysio vero & Plutarcho convenit figura anciliorum in Augustini gemma 152. tom. I.



Nec discrepat ab his ancile Salii, quod reperio in ara apud Gruterum, in thesauro inscriptionum, pag. CCCCLXIV. num. 4. hoc modo.



Et in nummo apud Choulium de *relig. Roman.* pag. 256. ancilia duo ab utraque parte apicis prostant.



In hoc tamen nummo apud Gutherium lib. I. cap. II. de *Jure Pontif.* ubi etiam extat, ancilia figuram habent *ovalem* sine *laterum incisione* & sex

A numero sunt, quæ in Choulii nummo in duo coaluerunt, ita ut alterutrer illorum nummum non accurate inspiciens erraverit. Præterea eleganter cum his facit Varro lib. VI. de L. L. pag. 73. *Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, incisa.* Cæterum Petitus in dissert. *de Amazonibus*, cap. 25. conciliare conatur auctorum discrepantiam de anciliorum figura, & putat, Ovidium in ancilis descriptione intelligendum esse, quasi memoratam *laterum compressionem* non excluderet, sed tantum *angulos*; quod nequaquam probo, nam si Ovidius excludit *angulos*, sequitur, illum quoque excludere B *cavitates laterum*, quæ quatuor *angulos* efficiunt.

CAP. XIV.

Dionysii & Plutarchi narrationes de ancili e cælo delapso producuntur. Aliique auctores cum his comparantur. Ancile διοπετὲς unde fuit excogitatum.

PRæcedenti capite etymologiam & figuram anciliorum produxi, hoc dicam, unde Sacerdotes Salii ancilia acceperint, & quis istorum auctor exstiterit, in hac re meliores testes C citare non possum, quam Dionysium & Plutarchum, quamobrem historiam illorum verbis descriptam exhibebo. Dionysius Halicarnassæus lib. II. pag. 130. sequentia habet: Πολλαῖς πάνυ οὔσαις πέλταις, μίαν εἶναι λέγουσι διοπετῆ. εὑρεθῆναι δ' αὐτὴν φασιν ἐν τοῖς βασιλείοις τοῦ Νομᾶ, μηδενὸς ἀνθρώπων εἰσενεγκόντος, μηδ' ἐγνωσμένου πρότερον ἐν Ἰταλοῖς τοιούτου σχήματος. ἐξ ὧν ἀμφοτέρων ὑπολαβεῖν Ῥωμαίους θεόπεμπτον εἶναι τὸ ὅπλον. βουληθέντα δὲ τὸν Νομᾶν τιμᾶσθαι τε αὐτὸ φερόμενον ὑπὸ τῶν κρατίστων νέων ἐν ἱεραῖς ἡμέραις ἀνὰ τὴν πόλιν, καὶ θυσιῶν ἐπετείων τυγχάνειν. δεδοικότα δὲ ἐπιβουλὰς τὰς ἀπ' ἐχθρῶν καὶ ἀφανισμὸν αὐτοῦ κλο-D παῖον, ὅπλα λέγουσι πολλὰ κατασκευάσασθαι τῷ διοπετεῖ παραπλήσια, Μαμορίου τινὸς τὸ ἔργον δημιουργοῦ ἀναδεξαμένου, ὥστε ἄσημον γίνεσθαι καὶ δυσδιάγνωστον τοῖς μέλλουσιν ἐπιβουλεύειν τὴν τοῦ θεοπέμπτου φύσιν, διὰ τὴν ἀπαράλλακτον τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων ὁμοιότητα. hoc est: [1] *Valde multæ sunt peltæ, quarum unam dicunt* [2] *delapsam cælitus, eam repertam esse in* [3] *regia Numæ, illatam eo a nemine, ac ne visam quidem ad id temporis talem formam in Italia. E quibus duobus* [4] *conjecisse Romanos hoc ancile divinitus ad se missum esse, quod cum Numa vellet per urbem festis diebus circum-* E *ferri a præstantissimis juvenibus, & annuis honorari sacrificiis, veritum* [5] *insidias inimicorum & furta, ferunt fabricasse multa illi similia, usum opera &* [6] *industria Mamurii cujusdam, ut indiscreta humani operis similitudo* [7] *insidiatoribus omnem internoscendi divinitus missi ancilis facilitatem adimeret.*

Cum hac narratione lubet mihi comparare ceteros auctores, qui anciliorum originem literis mandarunt, Dionysii igitur locum aggredior illustrare.

Dionysii Halicarnassæi comparatio cum aliis auctoribus.

F (1) *Valde multæ sunt peltæ.*) *Duodecim*, ut e Plutarcho liquet.

(2) *Delapsam cælitus*) hinc Virgilius l. VIII. Æneid. vers. 664. *lapsa ancilia cælo*, & Livius lib. I. ea vocat *cælestia arma*; Statius vero lib. V. sylv. 2. vers. 131. *clypeos nubigenas*. Procopius ad Esaiæ 44. *ancilia* quoque vocat ἀγάλματα διοπετῆ Cæterum doctissimus Stephanus le Moyne in no

tis suis ad *Var. Sacr.* pag. 366. hoc *ancile διοπετές* excogitatum putat ex eo, quod Deus in Scriptura vocetur *clypeus suorum fidelium* & præcipue *Abrahami*, Gen. xv. vers. 1. Deus tanquam clypeus fideles suos protegit; sic putabant Romani, hunc clypeum conservare urbem, & se suosque lares tueri.

(3) *Numæ regia*) Ponitur in regione urbis VIII. a Victore & Onuphrio Panvinio. Servius in schedis Fuldensibus accurate situm indicat: *Quis ignorat? regiam, ubi Numa habitaverit, in radicibus Palatii, finibusque Romani fori esse.*

(4) *Conjecisse Romanos*) Servius ad Æneid. VIII. vers. 664. *cum aruspices respondissent illic fore urbis imperium ubi illud* (ancile) *fuisset*. Ad Æneid. VII. vers. 188. dicit: *Data responsa sunt*, nulla haruspicum mentione facta, ex quo ambiguum est, an a *Diis* an ab *haruspicibus* responsa data fuerint. Festus enim videtur ad *Deos* referre, cum ait: *Unaque edita vox* est.

(5) *Insidias inimicorum & furta*) Servius l. c *ne aliquando posset auferri aut ab hoste cognosci*.

(6) *Industria Mamurii.*) Servius l. c. *Diligentia Numæ, adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt*. Hinc Ovidius l. III. Fast. vers. 383.

Mamurius morum fabræne exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.

Et Propertius lib. IV. Eleg. 2. vers. 61.

At tibi Mamuri formæ cælator abenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Præterea testatur hoc de Mamurio Bernardus Gamucci in libro, qui inscribitur, *le antichità della città di Roma*, pag. 130. ubi de vico Mamurri & Saliis agit: *Questo ingegnoso mæstro Mamurro trova ancora fra l' altre sue degne inventioni il modo di fabricare quella sorte di scudi da loro chiamati Ancili, i quali erano da dodici sacerdoti di Marte, chiamati Salii, portati in braccio per la città nelle solennità di certe feste ordinate da Numa Pompilio, essendo questi vestiti d' una veste depinta con pettorale tutto fregiato d' oro & argento, di preciose gioje ricamato.*

(7) *Insidiatoribus internoscendi facultatem adimeret*) Ovidius:

Error ut ante oculos insidiantis eat.

Festus:

—— *ne internosci cæleste posset.*

Post Dionysium procedit Plutarchus, qui in vita Numæ Pompilii sic scribit: Ετος ὄγδοον Νομᾶ βασιλεύοντος, λοιμώδης νόσος περιϊοῦσα, τὴν Ἰταλίαν ἐστρόβησε, καὶ τὴν Ῥώμην, ἀθυμούντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, ἱστορεῖται χαλκὴν πέλτην ἐξ οὐρανοῦ καταφερομένην, εἰς τὰς Νομᾶ πεσεῖν χεῖρας. ἐπὶ δ᾽ αὐτῇ θαυμάσιόν τινα λόγον λέγεσθαι ὑπὸ τοῦ βασιλέως, Ἠγερίας τε καὶ τῶν Μουσῶν πυθέσθαι. τὸ μὲν γὰρ ὅπλον ἥκειν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς πόλεως, καὶ δεῖν αὐτὸ φρουρεῖσθαι, γενομένων ἄλλων ἕνδεκα, καὶ σχῆμα καὶ μέγεθος καὶ μορφὴν ἐκείνῳ παραπλησίων, ὅπως ἄπορον εἴη τῷ κλέπτῃ δι᾽ ὁμοιότητα τοῦ διοπετοῦς ἐπιτυχεῖν. Quæ verba jure Latio donata sic habent: [1] *Octavo anno regni Numæ, pestilentia, quæ per Italiam vagabatur, urbem Romam quoque vastabat, perculsis civibus, tradunt peltam æneam* [2] *in manus Numæ cælitus delapsam. De hac mira prædicasse regem, ex Egeria se & Musis accepisse, esse ancile id* [3] *ad salutem urbis missum, & servandum cum* [4] *unde-cim aliis, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commode propter similitudinem intervertere cælestia valeret.*

Plutarchi comparatio cum aliis auctoribus.

(1) *Octavo anno Numæ.*) Festus in *Mamurii* & Servius ad lib. Æneid. VIII. vers. 664. non designant annum, scribunt enim: *Numa Pompilio regnante.*

(2) *In manus Numæ.*) Sulmonensis vates lib. III. Fastor. vers. 371. ancile humo delapsum & postea a Numa sublatum esse, canit his versibus:

A media cælum regione dehiscere cœpit:
Submisere oculos cum duce turba suos.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit: a populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus cæsa prius ille juvenca,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.

(3) *Ad salutem urbis missa & servanda*) Festus: *Unaque edita vox, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset.* Hinc Florus lib. I. cap. 2. ancile vocat *secretum imperii pignus*, quoniam fatum imperii in illo consistebat.

(4) *Undecim aliis pari figura*) Ovidius lib. III. Fastor. vers. 379.

Tum memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.
Plura jubet fieri simili cælata figura;
Error ut ante oculos insidiantis eat.

Festus: *Facta sunt ejusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cæleste posset.*

CAP. XV.

Anciliorum Festum quo mense & quo die celebratum. Mamuralia. Hadriani Junii error. Festum per quot dies celebrabatur. Recensentur illa quæ tempore hujus festi facere non licebat. Salii hoc tempore ancilia feriebant: disquiritur an pugionibus vel lanceis & virgis illud fecerint. Plutarchus & Dionysius conciliantur.

ANciliorum originem ostendi, superest igitur, ut de solenni festo, in quo ancilia circumferebantur, differam. Festum hoc singulis annis celebrabatur, hinc *ancilia* nominantur ARMA ANNALIA, quia quotannis mense Martio movebantur, in vetusto lapide apud Gruterum, pag. CLXXII. num. 5. sic enim legendum, ut optime vidit Amplissimus Cuperus, lib. IV. *Observ.* c. 2. cum prisca lectio MAGNALIA maxime torqueret Borrichium *de var. L. L. ætat.* p. 158. & Menagium in *Amœnitat. Jur. Civ.* cap. 39. pag. 302. Festum ipsis Kalendis Martii mensis incipiebat, quemadmodum liquet e Kalendario membranaceo vetere, quod plerumque Ovidii Fastis adjicitur, in quo hæc ad Kalendas Martias adscripta sunt. FESTVM MARTIS ET IVNONIS. ANCILIA FERVNTVR. Ovidius cecinit, primum festi diem Kalendis Martiis incipere, non vero statim post Kalendas, ut contra Carolum Neapolin recte observat eruditissimus Cuperus, lib. IV. *Observ.* cap. 2. In Kalendario vero sub Constantio Constantini filio circa annum Christi CCCLIV. composito ad septimum Idus Martii anciliorum festum refertur, legitur ibi. VII. IDVS. ARMA ANCILIA MOVENT. & in eodem Kalendario pridie Idus sive decimo quarto Martii ultimus festi dies ponitur, quoniam habetur MAMVRALIA; dies enim ultimus sacer fuit

Mamurio, quo Salii laudes illius canebant; Servius ad Æneid. lib. VII. vers. 188. *Cui* (Mamurio) *& diem consecrarunt*; nempe *Mamuralia*. Hinc notandus Hadrianus Junius, qui in lib. Fastorum ad primum Martii diem sic scribit: *Ancilia arma Martis e cælo lapsa Salii sacerdotes circumferebant, Mamuriumque canebant*. Putat Junius, Salios primo Martii die laudem Mamurii cecinisse, quod falsissimum est, cum *Mamuralia* in decimum quartum diem incidant, ut e vetusto Kalendario ostendi. Plutarchus in vita Numæ tantum mensem designat: Τὰς ἱερὰς πέλτας ἀναλαβῶσιν ἐν τῷ Μαρτίῳ μηνί. *Sacras peltas ferunt mense Martio*. Dionysius Halicarnassæus ait, anciliorum festum in Panathenæa incidere, verba lib. II. pag. 129. sic se habent: Ἑορτὴ αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ δημοτελὴς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη. *Eorum* (Saliorum) *festum incidit in Panathenæa mensemque Martium, agiturque publice ad dies aliquot*. Per triginta dies ait Polybius in excerpt. legation. cap. 23. Τριακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θυσίας ἐν ᾗ ἂν χώρᾳ καταληφθῶσιν οἱ Σάλιοι οὗτοι: hoc est: *Quocunque in loco fuerint deprehensi Salii tempore triginta dierum ejus sollennitatis, ex eo ne discedant*. Porro si Polybius tempus festi vere definivit, nescio quid dicam de Kalendario statim laudato, in quo primus festi dies in VII. Idus ponitur, & ultimus sive *Mamuralia* in pridie Idus; sic enim Saliorum festum sex dierum esset, qui numerus maxime a Polybiano discrepat; festum tamen per plures dies quam sex fuisse celebratum, ex eo quoque liquet, quod ad ipsos quinquatrus ab aliis extendatur, qui quinquatrus initium habebant decimo nono Martii, sic Sosipater Charisius lib. I. Institut. Gram. pag. 62. narrat, ancilia hoc die lustrari solita, verba sunt: *Quinquatrus a quinquando id est lustrando, quod eo die arma ancilia lustrari sint solita*.

Cæterum omne illud tempus, quo ancilia movebantur, infaustum erat, & tanta religio animos hominum obsederat, ut eo nihil publice geri, non castra moveri, non iter suscipi fas esset, & qui hæc negotia fecisset, sacer improbusque habebatur; de itinere non suscipiendo testatur Livius lib. XXXVII. cap. 33. *Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant*. Hujus festi tempore veteres non suscepisse expeditiones certum est, hunc morem tamen infregit Imperator Otho, ut annotat Suetonius in ipsius vita, cap. 8. *Expeditionem impigre atque etiam præpropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed & motis, necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur*. De hac Othonis expeditione scribit Tacitus lib. I. Histor. cap. 89. hunc in modum: *Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent*. His igitur festis diebus, quibus non licitum erat expeditionem suscipere, hostemque bello aggredi, opponebantur *præliares dies*, de quibus Festus: *Præliares dies appellantur, quibus fas est bello hostem lacessere, erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere*. Inter has ferias publicas numerari quoque potest festum anciliorum. Præterea his diebus nec Saliis licet exercitum adire, sic Livius lib. XXXVII. cap. 33. *Iidem dies Publium Scipionem propiore religione, quia Salius erat, disjunxerant ab exercitu*. Scribit Alfonsus Loschi in lib. dicto, *Comentari di Roma e ferie degl' Imperatori*: edito Vicentiæ anno præteriti sæculi sexagesimo octavo, *pag.* 160. Salios quoque, quando exercitus victor rediret, Marti gratias egisse pro relata victoria tam saltatione quam cantu, verba ejus sic se habent: *Differo Salii a* Saliendo, *perchè quando ritornavano gli eserciti vittoriosi, li sacerdoti con suoni, salti e canti rendevano in quella maniera gratie a Marte delle Vittorie ottenute contro nimici*. Quod ubi legerit, me nescire fateor, nec factum unquam credo, cum Salii tantum mense Martio celebrarent festum statis diebus.

Ominosum etiam erat tempore hujus festi nubere, Kalendarium vetustum. FESTUM MARTIS ET JUNONIS. ANCILIA FERUNTUR. NON EST BONUM NUBERE. Et in Kalendario Thomæ Dempsteri ad primum Martii legitur. MARTIS. ANCILIORUM FESTUM. NEC NUBERE BONUM, QUOUSQUE CONDANTUR. idem testatur Ovidius lib. III. Fastor. vers. 393.

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.

Immo nec Flaminica Dialis per totum festi tempus sese pectebat, teste Ovidio *l. c.*

His etiam conjux apicati cincta Dialis
Lucibus impexas debet habere comas.

In hoc anciliorum festo Salii ancilia movebant, vel ut Minucii Felicis verbis in Octavio, pag. 223. utar, *scuta vetera circumferebant* per urbem, pugionibus ea percutientes, ut Plutarchus scribit: ἐγχειριδίοις μικροῖς τὰ ὅπλα κρούοντες, *minutis pugionibus ancilia pulsantes*. At Dionysius Halicarnassæus tradit, Salios dextra habuisse *lanceas* vel *virgas*, & gladiis accinctos fuisse: Παρέζωσται ἕκαστος αὐτῶν ξίφος, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ λόγχην ἢ ῥάβδον, ἤ τι τοιοῦθ' ἕτερον κρατεῖ: id est: *Accincti gladio singuli, dextra tenent lanceam aut virgam aut tale quid*. Ergo ex Dionysii sententia non *pugionibus*, sed *lanceis* aut *virgis* ancilia percutiebant, plane quemadmodum Servius ad Æneid. lib. VII. vers. 188. ait, Salios tempore festi *pellem virgis ferire*, legendum omnino cum nobilissimo Cupero *peltam*; cæterum cum Dionysius mox subjungit, χορείαν καὶ κίνησιν ἐνόπλιον καὶ τὸν ἐν ταῖς ἀσπίσιν ἀποτελούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ψόφον, εἴ τι δεῖ τοῖς ἀρχαίοις τεκμηριοῦσθαι λόγοις, Κούρητες ἦσαν οἱ πρῶτοι καταστησάμενοι. *Choream & saltationem armatam, quæ in clypeis crebros gladiolis ciet strepitus si quid ex antiquis scriptis sumendum est conjecturæ, primi Curetes instituerunt*. Constat, illum indicare, Saliorum morem percutiendi ancilia a Curetibus ortum esse, qui eum peragebant in scutis ἐγχειριδίοις, *pugionibus*, quemadmodum Dionysius vult, & Plutarchus de Saliis refert: Hinc puto, & Plutarchum & Dionysium verum dixisse, etsi unus scripserat, Salios in percutiendis scutis usos esse *pugionibus*, alter vero *lanceis* aut *virgis*; si enim Salii ritum pulsandi *pugionibus* ancilia a Curetibus acceperunt, verisimile est, illos quoque habuisse ab iisdem morem percutiendi ancilia *lanceis* & *virgis*, cum ipsi Curetes in sua saltatione *pugionibus lanceis* vel *virgis* usi fuerint, quod præclare liquet e nummo Caracallæ, quem peculiari epistola illustravit celeberrimus Patinus, in hoc enim tres Curetes circa Jovem saltantes conspiciuntur, unus eorum *pugione*, alii duo *lanceis* sive *virgis* scuta percutiunt, nummum ipsum hic exhibeo, quoniam epistola illa Patavii impressa in paucissimis reperitur Bibliothecis, & dissertationes istæ epistolicæ plerumque negliguntur ob minorem molem, nec ubique prostant.



CAP. XVI.

Ancilia in Sacrario Martis servata. Sacrarium quid? Acta Apostolica illustrantur. Ancilia & hastæ Martiæ sponte motæ quid portendebant? Mansiones Saliorum. Mansiones pro diversoriis vel stationibus. Tomasinus notatur. Ancilia in domo Pont Max. quando adservata. Saliorum curia ubi sita.

HOc capite perscrutabor, quo in loco ancilia Saliorum per totum anni spatium, priusquam movebantur, servata fuerunt, & ubinam tempore publici processus singulis noctibus erant. Monumenta antiqua docent nos, ancilia fuisse servata in sacrario Martis Gradivi, cui Salii dicati erant, ut cap. IV. dixi. Hoc antequam clarius probo, demonstrandum est primum, qualis locus apud veteres *Sacrarium* fuit; Isidorus lib. XV. Orig. cap. 5. *Sacrarium proprie est locus templi, in quo sacra reponuntur.* Hinc a Cyrillo in glossis exponitur per *ἱεροθήκην*, repositorium rerum sacrarum. Legitur in iisdem glossis. *Sacrarium*, *ναϊσκάριον.* id est parvum templum, ut etiam erant illi *ναοὶ ἀργυροῖ* Ἀρτέμιδος, in Act. Apostol cap. XIX. vers. 24. quæ verba doctissimus Beza intellexit de nummis, in quibus templum Dianæ percussum erat, cum revera fuerint *ναΐδια ἀργυρᾶ*, *ædiculæ argenteæ*, quæ artificium templi Ephesini referebant, ut optime observavit ad hunc locum magnus Casaubonus, in quibus Dianæ icuncula posita erat, eadem fere figura, qua nobis talem ædiculam æneam exhibet Nicolaus Chevalier in libello, cui titulum imposuit, *Remarques sur la piece antique de bronze*, pag. 81. Sed redeo ad glossas; Philoxeno *ναϊσκάριον* est *ædicula*, *sacellum*; ergo *Sacrarium* est ædes parva, juxta templum vel in illo constructa, sive sacra cella, in qua res sacræ occludebantur. Illud hic notandum est, quod *Sacrarium* non tantum in templo, sed & in privato ædificio esse possit. Ulpianus *l.* 9. *§.* 2. *D. de rer. divis* scribit: *Sacrarium est locus, in quo sacra reponuntur: Quod etiam in ædificio privato esse potest: & solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare.* Sacrarium igitur Martis fuit in ipsius templo locus, ubi sacræ res exstabant, inter quas ancilia numerabantur, Servius tamen ad Æneid. VIII. vers. 664. tradit, ancilia in *templo Martis* locata fuisse, ad Æneid. vero VII. vers. 603. accuratius locum describit, eum vocans *Sacrarium Martis*.

Hæc ancilia, indicto bello, ibi movebantur, testante Servio *l. c.* ad verba Virgilii

—— *cum prima movent in prælia Martem.*

A *Moris*, inquit, *fuerat, indicto bello, in Martis sacrario ancilia commovere*. Immo non tantum ancilia, sed & hastam Martis movebant, idem præstantissimus Grammaticus ad Æneid. lib. VIII. vers. 3. *Is qui belli susceperat curam*, (Lipsius ad Tacitum *Consulem* intelligit) *Sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens* MARS VIGILA. Si vero ancilia sponte sua essent mota, bellum futurum indicabant; hinc ut prodigium notatur a Julio Obsequente, cap. 104. *Ancilia cum crepitu sua sponte mota.* Hoc scilicet factum est ante finem Cimbrici belli, sic epitome Liviana 68. *Ancilia cum*
B *strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur*. Schefferus mavult apud Julium Obsequentem legere *cum strepitu*, mihi proba lectio *cum crepitu* videtur. Præterea, quemadmodum ancilia sic & hastas Martias in sacrario sponte motas bellum prædicere, opinio erat, legitur in vetere Senatus-consulto apud Gellium lib. IV. Noct. Attic. cap. 6. QVOD C IVLIVS. L. F. PONTIFEX. NVNCIAVIT. IN. SACRARIO. IN. REGIA. HASTAS. MARTIAS MOVISSE DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT. De hoc motu loquitur quoque Julius Obsequens, cap. 104. *Hastæ Martis*
C *in regia sua sponte motæ*. Redeo ad ancilia, quæ imperator Heliogabalus e Martis sacrario transferre voluit in templum Dei Heliogabali, quod Romæ ædificarat, narrante Ælio Lampridio in illius Imperatoris vita.

Superest, ut dicam, quo in loco ancilia tempore publici processus nocte erant. Cum per plures dies ancilia circumferrentur, neque singulis vesperis ad *Sacrarium* Martis custodiæ annuæ destinatum referri possent, ædificia struxerunt, in quibus ancilia tempore hujus festi nocte custodiebantur, Salii pernoctabant, & genio indulgebant; hæc ædificia appellantur *Mansiones* in ve-
D tusta inscriptione apud Ferretium, Mus. Lapid. pag. 11. & Gruterum, pag. CLXXIII. num. 5.

MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM. A. VETERIBVS.
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT.
PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO.
PORTII. ACILII. LVCILLI. VITRASI. PRAETEXTATI.
E V. V. C. C.

Sic primus τὸ MANSIONES in hoc lapide explicavit eruditissimus Cuperus lib. IV. *Observ.* cap. 2. Olaus Borrichius enim in *Antiq. Urb. Rom. facie*, cap. 12. vult, MANSIONES ibi esse *domunculas* Saliorum ad sacrarium constructas. Attamen ne quis dubitet, ædificia dici MANSIONES, in quibus homines pernoctabant, id clarius demonstrabo. *Manare* pro *pernoctare* apud optimos linguæ Latinæ auctores in usu esse, satis demonstravit celeberrimus Salmasius ad Capitolini Antoninum
F Philosophum, hinc *Mansiones* sunt diversoria, in quibus viatores noctu se recipiebant, sic occurrit in *ἐπιγραφῆ* apud Pignorium, lib. *Symbolar. epistolic.* epist. 27. quæ exstat in æde D. Floriani,

MAR-

MARTINA CHARA CONIVX
QVAE
VENIT DE GALLIA PER MAN-
SIONES
L. VT COMMEMORARET
MEMORIAM MARITI SVI
BENE QVIESCAS. DVLCIS-
SIME
MI MARITE.

Cæterum pro militum receptaculis legitur apud Ambrosium in Psalm. CXVIII. *Si alio ambulaverit itinere, annonam non accepit, mansionem paratam non invenit*. Huc quoque referendæ sunt MANSIONES ALBANAE in regione secunda Rufi & Victoris. Quemadmodum *Saliorum Mansiones* in vetusto lapide occurunt, sic & Isidis ministri sua ædificia *Mansiones* dicta habuerunt, ut Salmasius ad Spartiani Caracallam observat e sequenti inscriptione:

PRO SALVTE. DOMVS. AV-
GVSTAE.
CORPORA. PAVSARIORVM. ET
ARGENTARIORVM. ISIDI
ET. OSIRI MANSIONEM
AEDIFICAVIMVS.

Hanc inscriptionem exhibet quoque Tomasinus *de donariis Veter.* cap. 3. cum hac differentia, pro AVGVSTAE habet AVGVSTI, pro CORPORA EX CORPORE, pro PAVSARIORVM PAVSANIORVM, aitque, eam Romæ erutam anno 1634. cum tamen Salmasius anno 1620. in notis ad Caracallam Spartiani eam edidisset.

Porro nobilissimus Cuperus lib. IV. *Observ.* cap. 2. observat, ancilia per unam noctem vel forte plu-

A res in domo Pontificis Maximi servata, dum circumferebantur; sic Dion Cassius lib. XLIV. refert inter prodigia, quæ cædem Cæsaris præcesserant ea nocte, quam cædes secuta est, sonitum anciliorum in summi Pontificis domo: Πρὸς γὰρ ὅπλα τὰ Ἄρεια παρ᾽ αὐτῷ τότε, ὡς καὶ Ἀρχιερεῖ κατά τι πάτριον κείμενα, ψόφον τῆς νυκτὸς πολὺν ἐποίησε. id est: *Præterea arma Martis, quæ secundum instituta majorum tunc apud ipsum summum pontificem reposita erant, noctu sonitum dederunt*. Convenit eleganter hic locus cum vetusto Kalendario, quod edidit Lambecius tom. IV. *Biblioth. Vindobon.* quoniam *Mamuralia* in eo exponuntur ad diem XIV.

B Martii sive pridie Idus, Cæsar vero ipsis idibus trucidatus est; ergo mos fuit, ut, si non reliquis, saltem ultimo festi die ancilia in Pontificis Maximi domo deponerentur, & sequenti die forsan in sacrario Martis conderentur.

Præter has mansiones Sacerdotes Salii habuerunt *Sacrarium* in monte Palatino, unde *Palatini* cognominati, ut cap. V. dixi, in quo præter alia instrumenta sacra adservabatur Romuli lituus auguralis, Valerius Maximus lib. 1. c. 8. exemp. 11. *Deusto Saliorum* SACRARIO, *nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum est*. Hoc sacra-

C rium ab aliis *curia Saliorum* appellatur, sic Cicero lib. 1. de Divinat. cap. 17. ait: *Cum situs esset* (Romuli lituus) *in* CURIA *Saliorum, quæ est in palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer*. Audi causam, ob quam lituus conservatus est hoc incendio, & ride superstitionem Jacobi Lauri, qui hoc modo scribit in *Antiq. Urb. Splend.* part. 11. pag. 56. „ Inventus est lituus imcombustus ac in-„ teger, a dæmone quidem præservatus, ut ne-„ fariam augurandi disciplinam, quæ impie lituo „ fiebat, miseris Romanis suaderet.



CURIA SALIORUM IN MONTE PALATINO

Curia hæc posterioribus temporibus instaurata est, quoniam Victor in regione decima, quæ est *Palatium*, CURIAM SALIORUM ponit, cum lon-

D ge antea deflagrasset; Victoris enim descriptio XIV. regionum Augusti tempora spectat, quandoquidem ille, Suetonio teste, Urbem in regiones XIV. divi-

ſit, ideoque Auguſti ævo ſine dubio inſtaurata exſtitit. Situm hujus curiæ certum indicari non poſſe, putat Nardinus lib VI. *Rom. Vet.* cap. 12. at Olaus Borrichius in *Antiq. Urbis Rom. facie*, cap. 12. conjicit, hoc *Sacrarium* ſive *curiam* fuiſſe in *vico Curiarum Veterum*, & quidem *in abdito Curiæ Veteris*. Jacobus Laurus in *Antiq. Urb. Splend.* part. II. pag. 56. *curiam* quoque in monte Palatino conſtituit, & ex illo delineationem hujus curiæ produco, non dico veram, quandoquidem credo, Jacobum Laurum ex ingenio delineaviſſe hoc ædificium, ut pleraque ſua ſunt fictitia.

CAPUT XVII.

Salii quomodo ancilia geſtabant. Lucanus & Statius explicantur. Gemma illuſtratur. Ancilia loris tenebant: Lubini error indicatur. Coronæ Saliorum ſutiles: Juſtini Philoſophi locus emendatur & illuſtratur.

DIonyſius Halicarnaſſæus ſcribit, Salios ſiniſtra manu ancilia tenuiſſe; alii vero volunt, illos ancilia collo portaſſe, ſic Lucanus lib. I. verſ. 603.

> —— *Salius læto portans ancilia collo.*


Læto collo ait, quoniam in portandis hiſce ſcutis ſaltantes & canentes ſe lætos oſtendebant; & idem poeta lib. IX. verſ. 460.

> —— *delapſaque cælo*
> *Armatiment gentes, hominumque erepta lacertis*
> *A Superis demiſſa putant. Sic illa profecto*
> *Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus*
> *Patritia cervice movet:* ——

Præterea hujus ritus meminit Statius, qui lib. V. ſylv. 2. verſ. 129. ad Criſpinum canit:

> —— *humeris quatere arma Quirinus,*
> *Qui tibi tam tenero permiſit plaudere collo*
> *Nubigenas clypeos.* ——

Hic Criſpinus dicitur portaſſe ancilia *tenero collo*, quoniam in juventute inter hos ſacerdotes cooptatus erat; juvenes enim Salii fiebant, ut cap. IX. dixi. Cum prædictis convenit Lactantius lib. I. de falſ. Relig. cap. 21. *Quid de ſcutis jam vetuſtate putridis dicam? quæ cum portant, Deos ipſos ſe geſtare humeris ſuis arbitrantur.* In gemma vero ſæpius laudata Salii duo tunica induſtrie picta induti capite velato exſtant, qui baculum oblongum humeris geſtant, a quo ſex ancilia loro ſibi invicem alligata dependent, in gemma antiquis literis Etruſcis inſcriptum eſt *Ancilium;* ſed exhibebo ipſam gemmam ex Auguſtini *Gemm. & Sculptur. Antiq.* tom. I. num. 152.



A Auguſtinus notat, Salios hos non ſaltare, quemadmodum moris erat, nec percutere ſcuta; ſed quam ob cauſam ſcuta non pulſant, ſilet vir doctus; mea ſententia eſt, gemmam non ipſos *ſacerdotes Salios* at illorum *miniſtros* repræſentare, qui clypeos ſuſpenſos baculo vel conto portant; auctor mihi hujus opinionis eſt Dionyſius Halicarnaſſæus, qui lib. II. tradit hunc ritum: Πέλτας ὑπηρέται τινὲς αὐτῶν ἠρτημένας ἀπὸ κανόνων κομίζουσι. *Peltas miniſtri ipſorum contis ſuſpenſas ferunt.*

Cæterum, Salios ancilia loris tenuiſſe veriſimile eſt, & huc reſpexit Juvenalis ſatyr. II. verſ.
B 125.

> *Arcano qui ſacra ferens nutantia loro*
> *Sudavit clypeis ancilibus.* ——

Quæ verba Lubinus male intellexit de ſtatua, cui intrinſecus lorum annexum erat, quoniam *ſacra arcano loro* ſunt ancilia.

Cum jam dies feſtos tranſegiſſent, & per omnes Urbis regiones ancilia circumgeſtaſſent, in ſacrarium Martis ea condebant, hoc peracto epulabantur, & coronas capite detractas in pulvinar Martis conjiciebant, docet hæc ſolennia inſignis Ju-
C lii Capitolini locus in vita Antonini, cap. 4. *In Saliatu omen accepit imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacentibus aliæ aliis locis hæſerunt, hujus velut manu capiti Martis aptata eſt.* ὁπαυ Salmaſius ad hunc locum annotat, veteres ſolitos fuiſſe coronas & omne genus florum in Divorum pulvinaria & ſtatuas conjicere, quod confirmat Juſtini Philoſophi verbis in apologet. II. Οτι μὴ τὸς αὐτὸς ὑμῖν σέβομεν Θεὸς, μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς, καὶ κνίσας καὶ ἐν γραφαῖς στεφάνες καὶ θυσίας φέρομεν. id eſt: *Quoniam non colimus eoſdem Deos, neque mortuis libationes & ſuffitus facimus, neque pictis coronis & ſacrificiis veneramur.* Hic locus in
D mendo cubat; Sagittarius in Diſſertat. *de Natalit. Martyr.* pag. 124. legit ἐν ταφαῖς στεφάνες. Quaſi Juſtinus loqueretur de coronis, a veteribus Chriſtianis ad defunctorum tumulos deferri ſolitis. At præſtantiſſimus Salmaſius recte corrigit ἐν ῥαφαῖς στεφάνες pro ἐν γραφαῖς, nam στέφανοι ἐν ῥαφαῖς ſunt iidem, qui ῥαπτοὶ στέφανοι *ſutiles coronæ*, & procul dubio Juſtinus ad Saliorum coronas reſpexit, quæ *ſutiles* fuerunt, teſtis omni exceptione major eſt Plinius lib. XXI. Nat. Hiſtor. cap. 3. *Sutiles*, inquit, *Saliorum ſacris invenimus & ſolennes cænis coronas.*

E

CAPUT XVIII.

Saliorum ſaltatio ubi fiebat: an in armiluſtrio ſaltabant diſquiritur: Alexander Donatus notatur. Saliorum ſaltatio deſcribitur: Saliares inſulæ unde dictæ: Saliſubſuli an Salii appellati: Scaliger & Muretus reprebenſi. Catullus emendatur. Subſiles quales res: Voſſius laudatur.

ANcilibus Saliorum conditis, de illorum ſaltatione agemus, nam ut eleganter ait Lucia-
F nus *de ſaltatione*, tom. I. pag. 793. Ἐπὶ τούτοις δίκαιον μὴ δὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ δ' εὐγενέστατοι αὐτῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν Θεῶν Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι, ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα, ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην. *Præter hæc æquum eſt, ut neque Romanæ ſaltationis obliviſcamur, quam Romanorum nobiliſſimi quique, Marti Deorum bellicoſiſſimo, qui Salii vocantur, quod eſt ſacerdotii nomen, graviſſimam & religioſiſſimam exercent.* Sed primum loca, in quibus ſaltabant, indicabimus: Plutarchus in vita Numæ & Livius

A lib. I. cap. 20. dicunt, eos *per Urbem* iviſſe cum tripudiis ſolennique ſaltatu, & nullam locorum peculiarium mentionem faciunt; Dionyſius Halicarnaſſæus vero lib. II. Ant. Rom. quædam loca deſignat, nempe forum, Capitolium, & alia, verba ipſius ſunt: Διὰ τ̃ πόλεως ἄγουσι τοὺς χοροὺς εἴς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ πολλοὺς ἄλλους ἰδίους τε καὶ δημοσίους τόπους. id eſt: *Per Urbem choreas ducunt uſque in forum & Capitolium, aliaque loca multa tam privata quam publica.* Inter alia Salii quoque ſaltabant in Comitio, quemadmodum Varro lib. IV. de L. L. ſcribit: *Salii a ſaltando, quod facere in comitio in ſacreis quotanneis* B *& ſolent & debent.* Hoc Comitium locus fuit in foro & quaſi pars fori Romani, incipiens a porta Palatii & deſinens apud ædem Divæ Mariæ novæ, ut ait Marlianus lib III. *Topograph. Rom.* cap. 20. Cæterum Donatus in *Rom. vet. ac nov.* pag. 710. locis, in quibus Salii ſaltabant, adnumerat Armiluſtrium, de quo Varro lib V. de L. L. *Armiluſtrium ab eo quod in armiluſtrio armati ſacra faciunt. niſi locus potius dictus ab his. ſed quod de heis prius Id ab luendo aut luſtro id eſt quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Hinc putat Donatus, *Armiluſtrium* dictum, quod Salii illud armati circumirent. Sed Varro non loquitur hic de C *Saliis*, ſed *militibus armatis* & *ſaltantibus*, qui XIX. Octobr. feſtum *Armiluſtrium* celebrabant, ut optime animadvertit Nardinus in *Rom. Vet.* pag. 1391. quem ſequitur vir ſtupendæ eruditionis Joannes Georgius Grævius in Præfat. tom. IX. *Theſ. Antiq. Roman* præfixa, pag. I. Hi enim milites armati clypeis, haſtis, & pugionibus imaginariam pugnam exercebant, qualem eleganter deſcribit Claudianus de VI. Conſulat. Honorii, verſ 622.

Armatos hic ſæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus,
D *Et pulcbras errorum artes, jucundaque Martis*
Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna magiſter,
Mutatos edunt pariter tot pectora motus,
In latus alliſis clypeis, aut rurſus in altum
Vibratis grave parma ſonat, mucronis acutum
Murmur, &, umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.

Pergo ad Saliorum ſaltationem, quam nobis depingit Seneca epiſt. XV. *Sunt exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & ſine mora laxent, &* E *tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus motæ, &* SALTUS, *vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille, ut (ita dicam)* SALIARIS, *vel (ut contumelioſius dicam) fullonius.* Seneca ſaltum Saliarem eundem facit cum fullonio, hoc eſt, cum eo motu, quo fullones in conciliandis veſtimentis utuntur, qui fiebat ſublatis pedibus & alternantibus, idemtidem repetitis; hinc Plutarchus his verbis ſaltum deſcribit: Κινοῦνται ἐπιτερπῶς ἑλιγμοὺς, καὶ μεταβολὰς ἐν ῥυθμῷ F τάχος ἔχοντι καὶ πυκνότητα μετὰ ῥώμης καὶ κουφότητος ἀποδιδόντες. Quæ Latine ſic ſe habent: *Movebantur eleganter celeriter atque confertim orbes implicantes & evolventes, multumque in eo roboris & agilitatis oſtendentes.* Porro ſaltus hic ad tibiam peragebatur & per vices, aliquando enim omnes Salii, aliquando quidam ex illis ſaltabant, teſte Dionyſio Halicarnaſſæo lib. II. Κινοῦνται πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, τοτὲ μὲν ὁμοῦ, τοτὲ δὲ παραλλάξ. *Ad tibiam rythmico motu in armis ſe ſe motant, nunc ſimul, nunc per vices.* Hujus quoque ſaltationis meminit Venuſinus lyricus lib. I. oda 36.

Neu morem in Salium ſit requies pedum.

Et lib. IV. oda I.

—— pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Ab hoc ſaltu inſulæ quædam dictæ ſunt *ſaliares*, quoniam *in ſymphoniæ cantu ad ictum modulantium pedum* movebantur, ut auctor eſt Plinius lib. II. Nat. Hiſt. cap. 95. Et Salii ipſi a Virgilio vocantur *Salii exſultantes*, & a Catullo epigram. 17. *Saliſubſuli*, ſi proba lectio eſt in his verſibus, quibus poeta alloquitur Coloniam:

Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiunto

Scaliger ad hæc: „Omnes ludii & ſaltatores, qui „ ad cantum & tibiam in ſacris ludunt, *Salii* & „ *Saliſubſuli* dicuntur. Verum quidem eſt, iſtos ludios dictos fuiſſe *Salios*, ſed *Saliſubſulos* non credo. Scaliger ad ſtabiliendam ſuam ſententiam hunc Pacuvii verſiculum adducit:

Pro imperio ſic Saliſubſulus veſtro excubet.

Et cum Mureto vult, Pacuvium in hoc verſu appellaſſe *Saliſubſulum* Martem, & proinde ipſius ſacerdotes recte a Catullo dici *Saliſubſulos*; cum tamen iſte verſus (teſte Iſaaco Voſſio in notis ad Catullum) nuſquam alibi extet, nec Pacuvium ſed Muretum auctorem habeat. Legit igitur Voſſius Catulli verſum hoc modo:

In quo vel Salii ſubſilis ſacra ſuſcipiunto.

Quid vero ſint *ſubſiles* tradit Feſtus; *Subſiles ſunt*, inquit, *quas aliter ipſiles vocant, lamellæ neceſſariæ ſacris, quæ ad rem divinam conferre dicuntur maxime ſpecie virorum & mulierum.* Idem fere ſcribit in *Ipſullices*. Hinc obſervat eruditiſſimus Voſſius, Salios in ponte Sublicio ſaltantes ſuis ſacris adhibuiſſe iſtiuſmodi bracteas vel lamellas *ſubſiles* dictas, in quibus Deorum heroumque imagines expreſſæ erant, plane quemadmodum apud Athenienſes in Minervæ peplo exſtabant Θεῶν ἐντυπώματα καὶ δείκηλα.

CAPUT XIX.

In veram etymologiam τοῦ Axamenta inquiritur: Gloſſarium tentatur. Axamenta quotuplicia: Gloſſarium illuſtratur. Axamentorum auctor Numa Pompilius: Feſtus corrigitur. Axamenta erant obſcura: iſtius obſcuritatis cauſa indicatur.

A Saliorum ſaltu tranſeo ad ipſorum carmina, quæ tempore feſti canebant, & *axamenta* nominabant, cujus vocis originem primum inveſtigabo. Nobiliſſimus Scaliger in conjectan. Varron. pag. 121. *aſſamenta* ſcribit, & deducit ab *aſſando*, *aſſare* eſt in unum ſolum hominem poema condere, talia erant *aſſamenta Janualia, Junonia, Minervia*, quæ in ſingulos Deos erant conſcripta. Idem vero Scaliger ad Feſtum & Turnebus lib. XXII. *Adverſ.* cap. 25. volunt, *axamenta* dicta eſſe ab *axare*, id eſt *nominare*, Gloſſæ veteres: *Axaxant*, ὀνομάζουσι, vel legendum *adaxant*, vel

ſimpliciter *axant*. Denique addit doctiſſimus vir tertiam etymologiam ab *axibus* ſive tabulis, in quibus illa carmina deſcribebantur, ut Græci leges ſuas *ἐν τοῖς ἄξωσι*. „Quia enim legitime, inquit „ *ὁ πάνυ*, concepta erant illa carmina, propterea „ non minus ediſcebantur a Saliis, quam a legu„ leiis actiones & formulæ juris. Prima etymologia ab *aſſare* non video unde probari poſſit, cum carmina Saliaria non in unum ſolum hominem compoſita erant, ſed in *univerſos homines*, ut Feſtus in *Axamenta* ſcribit. Secundam quod attinet ab *axare*, ea quodammodo admitti poteſt, quoniam in axamentis nominabantur & celebrabantur nomina hominum quorundam vel Deorum. Tertia ab *axibus* veriſſima mihi videtur, ob rationes a Scaligero productas, & præterea quoniam ipſe Cicero alibi dicit, carmina Saliaria tanquam legitimas formulas a pueris prætextatis recitari ſolita. Hanc ultimam mecum agnoſcit eruditus Horatii interpres Dacerius ad lib. II. epiſt. I. verſ. 85.

Pergamus jam ad ipſa *axamenta*, quæ Dionyſius Halicarnaſſæus appellat *πατρίυς τινὰς ὕμνυς*, *patrios quoſdam hymnos*. Horum enim nonnulla in Deorum, nonnulla in hominum laudem compoſita, quæ nominibus diſtinguebantur; quæ vero in homines compoſita erant *axamenta* dicebantur, quæ in Deos ab illorum Deorum nominibus, fundus hujus opinionis eſt Feſtus: *Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quæ a Saliis ſacerdotibus componebantur in univerſos homines. Nam in Deos ſingulos verſus facti, a nominibus eorum appellabantur, ut Janualii, Junonii, Minervii*. Hæc carmina Saliaria in gloſſario Cyrilli hoc modo exponuntur. *Axamenta*, *ςίχοι ἐπὶ θυσιῶν* Ηρακλέυς. Notandum hic, Gloſſographum ſequi Virgilium, qui Salios Herculi adtribuit, cum proprie Martis ſacerdotes fuerint. Hinc patet, Gloſſographum per *Salios* apud poetam intellexiſſe ſacerdotes *κατ' ἐξοχὴν Salios* dictos, contra ſententiam aliorum, qui *Salios* in Virgilii loco generali ſignificatione accipiendos eſſe cenſebant pro quibuſvis ſaltantibus ſacerdotibus.

Primus horum carminum auctor fuit Numa Pompilius, qui, cum Saliorum collegium inſtituiſſet, carmina illa compoſuit, teſtatur hoc Cicero lib. III. de Orator. cap. 51. *Summa vis carminibus eſt aptior, & cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctiſſimo, majoribuſque noſtris, ut epularum ſollennium fides, ac tibiæ, Saliorumque verſus indicant*. Hinc Varro lib. VI. de L. L. regnum Numæ vocat *fontem in carminibus Saliorum*, & ait, carmina illa *habere ſeptingentos annos*, id eſt ante ſeptingentos annos a ſuo tempore numerandos ortum habuiſſe; rotundum vero numerum poſuit, cum ſuo tempore ſeptingenti anni nondum lapſi fuerint a Numæ imperio. Hujus intervalli meminit quoque Romanorum doctiſſimus alio loco, cum ſcribit: *Cur ſcriptoris induſtriam reprehendis, qui herois tritavum atavumque non potuerit reperire, quum ipſe tui tritavi matrem non poſſis dicere. Quod intervallum multo propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicuntur Latina*. Concluderet forſan aliquis e Feſto, ſacerdotes ipſos poſtea carmina illa compoſuiſſe, cum hæc apud Grammaticum legerit: *Axamenta dicuntur carmina Saliaria, quæ a Saliis ſacerdotibus componebantur*. Sed locus eſt corruptus, ut acute vidit Dacerius, qui pro *componebantur* legit *canebantur*. Quandoquidem non veroſimile eſt, ſi ipſi Salii *axamenta* componerent, illa carmina a ſacerdotibus non fuiſſe intellecta; immo Salii ne quidem poteſtatem habebant ea mutandi, multo minus componendi; teſtis eſt Alexander ab Alexandro lib. I.

A *Gen. Dier.* cap. 26. Cæterum carmina hæc tantæ obſcuritatis erant, & tam obſoleta ab ætate Numæ vocabula continebant, ut Salii ipſi vix ea intelligerent, quamobrem Quintilianus lib. I. cap. XI. *Saliorum carmina vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta, mutari vetat religio, & conſecratis utendum eſt*. Hinc non ſine ratione Horatius ſciolum quemdam perſtringit, qui putabat, ſe ſolum intelligere Saliorum carmina, lib. I. epiſt. 2. verſ. 85.

Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri.

B Symmachus etiam, quemdam archaiſmi affectatorem deridens, ait lib. III. epiſt. 44. *Si tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salii canunt, augures avem conſulunt, & decemviri tabulas condiderunt*. In hoc loco *verba priſca* ſunt verba ſubobſcura Marti conſecrata, quæ Sidonius Apollin. *verba Saliaria* appellavit lib. VIII. epiſt. 16. *Unde enim nobis illud loquendi tetricum genus ac perantiquum? Unde illa* VERBA SALIARIA, *vel Sibyllina, vel Sabinis abuſque Curibus accita? quæ magiſtris plerumque reticentibus promptius Fecialis aliquis, aut Flamen, aut veternoſus legalium quæſtionum ænigmatiſta patefecerit?*
C Ad quæ lege, quæ produxit Savaro. Non vero mirum eſt, Salios carmina illa non intellexiſſe, cum fuerint exarata *priſca lingua Latina*, quæ cum rege Numa *Sabinis abuſque Curibus accita*, ut Sidonius loquitur, qua incondita lingua vetuſtiſſimi Italiæ populi utebantur, Iſidorus lib. IX. Orig. cap. I. *Priſca lingua eſt, qua vetuſtiſſimi Italiæ ſub Jano & Saturno ſunt uſi incondita, ut ſe habeant* CARMINA SALIORUM. Legi in *Novis Reipublicæ literariæ* de anno 1699. menſe Junio epiſtolam Abbatis *de la Charmoye* ad Abbatem Nicaſium, in qua compendium Operis ſui de *Origine gentium*
D tradit, & inter alia *pag.* 636. vult, Romanos accepiſſe Saliaria carmina ab Umbris & Sabinis, quæ carmina cum continerent multa vocabula Celtica, proculdubio Romani poſtea quædam Celtica in ſua lingua reſervarunt.

CAPUT XX.

Saliari carmine nomen alicujus canere unde ortum fuit demonſtratur: Mamurii Veturii nomen in illo carmine: Cuperus laudatur. Mania mater Larum, Lucia Volumnia, Janus, Jupiter Lucetius cantati: Alexander ab Alexandro notatur. Venerem nominare in Saliari carmine non licebat: Auguſtus, Germanicus, Verus Cæſar in carmine Saliorum memorati. Dion Caſſius illuſtratur.

E ANtiquitus religioni habebatur, pæanem in mortalium honorem canere; hinc Ariſtotelis calumnia ipſi prope exitialis orta, nempe quod diceretur pæanem in Hermiam compoſuiſſe. Poſtea vero adulatores talibus hymnis viros principes celebrarunt, quæ res erat quaſi tacita in numerum Deorum relatio. Primus omnium fuit Lyſander,
F cui *παιᾶνας ᾖδησαν*, teſte Plutarco in ejus vita. Ab hoc igitur ritu Romæ mos invaluit, ut illuſtrium virorum nomina Saliaribus carminibus canerent; hoc verum eſſe antiquiſſimis exemplis probabo, & primo loco Mamurium Veturium anciliorum fabrum adducam, qui, volente Feſto in MAMURII, *præmii loco petiit, ut ſuum nomen inter carmina Salii canerent*, quod peractum eſt, nam ipſius nomen frequenter in cantibus Saliaribus recitatum, unde Ovidius cecinit lib. III. Faſtor. verſ. 259.

Quis mihi nunc dicet, quare cælestia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant.

& verf. 389.

Tum fic Mamurius: merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine noftra fonent.
Inde facerdotes operi promiffa vetufto
Præmia perfolvunt, Mamuriumque canunt.

Ex his doctiffimus Cuperus lib. IV. *Obfervat.* cap. 2. non inconcinne concludit, carmen Saliare in varias partes fuiffe divifum, & eas partes fingulis diebus cantari folitas, non vero uno die totum carmen, atque ita *extremum carmen* apud Ovidium incidet in ultimum fefti diem five *Mamuralia*, quo die laudes Mamurii recitabant.

Præter hunc Mamurium Mania mater Larum & Lucia Volumnia his carminibus celebratæ funt, indicante Varrone lib. VIII. de L. L. *Videmus Maniam, matrem Larum, & Luciam Volumniam, Saliorum carminibus appellari.* Præterea Salii non filebant de Iano, nam Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 9. fcribit: *Saliorum quoque antiquiffimis carminibus Deorum Deus canitur.* Merula ad fragmenta Ennii pag. 82. legit *Divom Deus*, & putat, Macrobium refpicere ad carmen hoc Saliare apud Varronem lib. VI. de L. L. *Divum exta cante*, DIVUM DEO *fupplice* cante. Heic *Deorum Deus* Janus eft, quem Salii in carmine *Janes* pronunciabant, ut obfervat Edmundus Dickinfonus in diatriba *de Noæ in Italiam adventu*, pag. m. 155. immo & *Eanus* audiebat, Tertullianus alibi: *Exceptus a Jano, vel ut Salii volunt*, EANO. Hinc & ipfi Salii dicti *Janes* vel *Eani*, vide Voffium lib. IV. *Inft. Orat.* cap. 1. fect. 7. Referebant quoque in fine carminum verbis fubobfcuris Lucetium Jovem, aliofque Deos, excepta Venere, quam in carminibus Saliorum nominare nefas erat: de Lucetio Jove teftatur Macrobius lib. II. Saturnal cap. 15. *Jovem accipiamus lucis auctorem, unde & Lucetium Salii in carmine canunte.* Hunc Alexander ab Alexandro male vocat *Lucretium*, & miror, interpretes hoc non animadvertiffe. De Venere quod dixi, id confirmat Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 12. *Ne in carminibus*, inquit, *Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cæleftium, laus celebretur.*

Cæterum poft aliquot fæcula imperatorum nomina fuis carminibus Salii adnotarunt, ut illorum memoriam fempiternæ gloriæ mandarent; unde inter infolitos honores Augufto adhuc imperanti a Senatu decretos refert Dio lib. LI. pag. 457. *ut in hymnos juxta Deos immortales adfcriberetur*, ἐς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς Θεοῖς ἐγγράφεσθαι. Per *hymnos* in hoc Dionis loco intelligo *hymnos Saliares* five *axamenta* cum omnigenæ eruditionis promicondo Spanhemio in *præfat. ad Callimach.* pag. 2. Idem honos Germanico Cæfari defuncto tributus eft, Tacitus lib. II. cap. 83. nam inter alios honores primus erat, *ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.* Attamen non tantum Dii & imperatores, fed & pueri defuncti hoc honore ornabantur, fic Antoninus Philofophus filio Vero feptenni defuncto decrevit, *ut Saliari carmini nomen ejus infereretur*, referente Capitolino in ipfius vita, cap. 21.

His omnibus probe perfpectis jure cum Cafaubono ad Athenæi lib. VI. cap. 14. arbitramur, veterem Ecclefiam Chriftianam hos ritus ad pium ufum traduxiffe, quando inftituebat, ut nomina fanctorum martyrum, Imperatorum, Pontificum fummorum, & aliorum fide ac meritis excellentium virorum facris diptychis inferta inter hymnodias recitarentur.

CAPUT XXI.

Fragmenta carminum Saliarum κατ' ἀλφάβετον *producuntur: Percurritur littera* A. AGONIA *qualis dies: Macrobius illuftratur.* AMPTRUARE. ANTIGERIO: *Gerardi Joannis Voffii & Barthii fententiæ de hac voce.*

DIxi cap. XIX. Saliorum carmina fubobfcura fuiffe, quoniam prifca lingua Latina fcripta erant, & idcirco obfoleta vocabula continebant; ut hoc clarius demonftrem, omnia iftorum carminum λείψανα collegi, quæ quidem reperiri potui, notas & elucidationes adjeci, in quibus fi quid humani paffus fui, in caufa erat argumenti obfcuritas, & non mirum me erraffe, cum ipfe Ælius Stilo in explanatione horum carminum errorum fegetem commifit, & obfcura multa præteriit, juxta fententiam Varronis lib. VI. de L. L. Interim eruditos obnixe rogamus, fi plura fragmenta alibi apud auctores latent, ut ea nobis non invideant. Incipiamus κατ' ἀλφάβητον; nam in verum ordinem lacera illa fragmenta conjungere, res erit vani laboris.

AGONIA.

Varro lib. V. de L. L.

In libris Saliorum, quorum cognomen Agonenfium, forfitan hic dies ideo appellatur potius AGONIA.

NOTÆ.

Qualis dies erat, qui fecundum Varronem in Saliorum libris AGONIA dicebatur, docent nos præcedentia Varronis verba, quæ hæc funt: *Liberalia dicta quod per totum oppidum eo die fedent facerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libeis & foculo, pro emptore facrificantes.* Huc pertinet, quod fcribit Mafurius Sabinus apud Macrobium lib. I. Saturnal. cap. 4. *Liberalium dies a Pontificibus* AGONIUM MARTIALE *appellatur.* Pontifices illi funt noftri Salii, qui in honorem Martis diem denominarunt; ille dies *Liberalia* dictus Baccho quoque facer extitit, quoniam Bacchus & Mars idem numen erant, tefte Macrobio lib. I. Saturnal. cap. 19.

AMPTRUARE.

Vide quæ notamus ad *Redamptruare*.

ANTIGERIO.

Quintilianus lib. I. *Inftit. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Hoc vocabulum a Quintiliano inter alia multa e Saliorum carminibus producitur, & ex ipfius mente *oppido* fignificat, fic enim loquitur lib. VIII Inftit. Orat. cap. 3. *Quid neceffe eft dicere* oppido, *quo funt ufi paulum tempore noftro fuperiores? vereor ut jam non ferat quifquam: certe* ANTIGERIO, *cujus eadem fignificatio eft, nemo, nifi ambitiofus utetur.* Nec multum abludit Feftus, cum ait: ANTIGERIO *antiqui pro valde dixerunt.* Et gloffæ veteres Latinæ. *Antigerio, valde.* Hinc etiam Lubinus in Antiquar. pag. 27. hanc vocem per *valde* explicavit. Magnus vir Gerardus Joannes Voffius in Etymolog. de hac voce fic fcribit: „ ANTIGERIO,

„ *antiqui pro* valde *dixerunt*: Glossæ Isidori: *Antigerium, quemadmodum, imprimis*. Ubi leg. „ *Antigerio*. Ex eo quod additur, *quemadmodum*, „ *imprimis*, cognoscitur etymon. Nam ut, *imprimis*, quod *in primis* fit: sic *Antigerio*, quod „ *ante* alia *geritur*. Et simile quoque est *præsertim*, „ quod *præ* aliis *seritur*. Quare non audiendi illi „ Codd. Festi MSS. ubi *Anugerio* legitur. Sic de hujus vocabuli origine etiam Martinius fere dissterit. Sed nos adsentimur doctissimo Barthio, qui Festi locum e MS. codice Basileensi aliter legit, lubet nobis verba ipsius adscribere e lib. XXXVII. *Adversar.* cap. 21. „Scio quid ex glossis Latinis afferat Scaliger. Ego vero, cum quomodo *antigerio* cum *valde* conveniat durius sit explicatu, „ non puto penitus improbandum, quod in scripto libro reperio. ANTIGERIO *antiqui pro* VALDE *dixerunt*. Ut *antigerius* voce semi-Græca sit „ *vas*, qui contra gerat rem, alii gerendam. Sed „ de hoc in libro de verbis rejectis, eo enim relatum a nobis est plenius.

CAPUT XXII.

Litera C percurritur. CANTE *pro* canite *quomodo dictum*: *Festus corrigitur*. *Scaliger laudatur*, CERUS MANUS *quid & unde ortum*: *Dickinsonus notatur*. CERUSES DUONUS. *Varro explicatur & emendatur sæpius*. *Gothofredi & Turnebi sententiæ de his vocabulis*. CUME *pro* Cum.

CANTE.

Varro lib. VI. de L. L.

C*Anite pro quo in Saliari carmine scriptum est* CANTE, *hoc versu*;
Divum exta [1] CANTE, [2] *Divum Deo* [3] *supplice* CANTE.

NOTÆ.

(1) CANTE) Duplici modo τὸ CANTE accipi potest, primum, ut sic dictum sit per syncopen τῶ I. pro *Canite*, quemadmodum voluit Varro, & apud alios auctores non raro I de medio vocis tollitur, sic habemus *lamnæ* pro *laminæ* apud Horatium, lib. II. oda 2.

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimice lamnæ.

Glossarium Cyrilli. *Lamna*, ἔλασμα χρυσίου, ἢ ἄλλης ὕλης. Paulo ante *lamina* vocatur. Et in Plauti comœdiis *mna* pro *mina* sexcentis fere locis occurrit. Cæterum secundo modo τὸ *Cante* heic forsan dictum per eandem figuram pro *Cantate*, hoc confirmare videtur Festus cum scribit: *Canta pro Cantata ponebant*. Quid si legamus cum Gothofredo & Merula ad Ennii annales, pag. 82. *Cante pro cantate ponebant*. Quæ lectio magis ad rem facit, & a Dacerio probatur.

(2) *Divum Deum)* Optime hic sagacissimus Scaliger intellexit *Janum*, quem hoc nomine vocari in carminibus Saliorum cap. XX. demonstravimus.

(3) *Supplice)* adverbialiter ponitur pro *suppliciter*, ut *severe*, *blande*, *celere* ἀντὶ *severiter*, *blanditer*, *celeriter* apud Nonium, pag. mihi 535.

CERUS MANUS.

Festus in *matrem Matutam*.

In carmine Saliari [1] CERUS [2] MANUS *intelligitur creator bonus*.

NOTÆ.

(1) CERUS) antique pro *creator*, oritur a *cereo* id est *creo*, teste Varrone lib. V. de L. L. ubi ait: *Cerno a* cereo, *id est*, *a creando*, *quod cum quid creatum est*, *tunc denique videtur*. Hæc est lectio editionis Mediolanensis anno 1500. excusæ, novissimæ editiones pro *cereo* male habent *creo*. Porro CERUS MANUS in Saliari carmine male explicatur *sanctus*, *bonus*, a Dickinsono in diatrib. *de Noæ in Italiam adventu*, pag. 160. id quoque velle videtur Scaliger ad Festum in *Cæremoniarum*, quando scribit: „*Cerus* veteri lingua *Sanctus*, a „ quo *Ceremonia*. Mysticum erat nomen Jani *Cerus manus* in carmine Saliari. Quamvis & *Creator bonus* exponatur a quibusdam veteribus. Hanc ultimam significationem τῶ *Cerus* etiam amplexus est magnus Dacerius ad illum locum.

(2) MANUS) Varro lib. de L. L. *Bonum antiqui dicebant manum*. Festus Pompejus in MANARE. *Dictum mane putant ab eo, quod* MANUM *bonum dicebant*. Si plura exempla requiras, adi eruditissimum Franciscum Sanctium in Minerva sua, *pag.* 609.

CERUSES DUONUS.

Varro lib. VI. de L. L.

OMNIA VERO ADPATULA COEMISSE IAM CUSIATII MUSES RUSE DUMQUE IANUS VENET.

NOTÆ.

Hic locus omnium fere in Varrone corruptissimus est, ideoque eruditos deterreret ab emendatione, cum oleam & operam se perdere putarent. Divinus vero Scaliger hunc locum tentavit, & legit. *Ennio vero ac Pacuvio*, *misesia*, *incusia*, *mesidie*, *onese*, *rudesumque*, *venese*. Hanc conjecturam ipse magnus heros postea frivolam appellat, cum e vestigiis libri antiqui veram, uti putat, lectionem eruit, quæ talis exstat in appendice conjectan. ad Varron. lib. de L. L. *pag.* 188.

——— 1 OMNIA
2 DAPATILIA 3 COMISSE IANI
4 CUSIONES
5 DUONUS 6 CERUSES 7 DIVIUS
IANUSQUE VENIT.

Putat Scaliger, duos versus Saturnios esse; quo genere, inquit, conscriptum fuit carmen Saliare, unde & *carmen Saturnium* a Festo in *Navali corona* vocatur, ex Scaligeri sententia, nam ante Ennii tempora nullum aliud genus carminis tractarunt Romani.

(1) OMNIA) illa vox *Omnia* in primo versu non est ipsius versus, fortasse est præcedentis. Hæc SCALIGER.

(2) DAPATILIA) significat omnia opipara, oritur enim a *daps*, hinc *dapsilis* & *dapalis*, unde *dapatilis*.

(3) COMISSE) est *comedisse*, ab eo quod *comest*, non *comedit* dicebant. *Comisse* igitur quod postea *comesse*, neque aliter invenitur apud Plautum. SCALIGER.

(4) CUSIONES) sunt *Curiones*, nempe ii qui curialia sacra faciebant. Hic vero etiam pro ministris sacrificiorum, ut sæpe. SCALIGER. Cæterum idem vir magnus ad Festum in *Curiales* per *Cursiones* intelligit *calatores*, cum ait: *Calatores* ipsos

„ antiquitus vocabant *Curiones*, ut in carmine
„ Saliari:

——— omnia
Dapatilia comisse Jani Cusiones.

„ Hoc est *Calatores* vel *praecones sacrorum*. Illi, „ ut dixi, erant servilis conditionis. Hæc ibi „ SCALIGER.

(5) DUONUS) est *bonus*, Festus, *Duonum*, *bonum*; & glossæ lat. gr. *Duonus*. ἀγαθὸς, DU enim postea mutatum est in B, sic *Duellum* in *Bellum* *Duiga* in *Biga*.

(6) CERUSES) est prisca lingua *creator*. Nam *Cerus* in carmine Saliari erat *creator*, quod alibi notamus, ut a *gnarus* factum *gnarures*, ita a *Cerus* factum *cerures*, quod veteres dicebant per S. *Ceruses*. SCALIGER. Notandum autem S pro R a veteribus poni, & quidem frequenter in carmine Saliari, Varro lib. VI. de L. L. *In multeis verbeis, in quo antiqui dicebant* S, *postea dicunt* R, *ut in carmine Saliorum sunt hæc, Cosauli, Dolosi, Eso*. Et deinde. *Post melios, melior: fœdesum, fœderum: plusima, plurima: asena arena: Janitos, Janitor*.

(7) DIVIUS) *Divius* & *Divianus* qui postea *Janus*, ut *Divia* & *Diviana*, quæ postea *Jana* & *Diana*, auctore etiam eodem Varrone. SCALIGER.

Vidimus Scaligeri sententiam de hoc loco, & idcirco non abs re erit, si depromo, quæ Dionysius Gothofredus ad hoc carmen scripsit, quæ sic se habent: „ Tentabo ut potero hunc locum restituere, verbis Varronis paulo altius repetitis, „ ad pleniorem intellectum, ad hunc itaque modum restituo. *Ut in multis verbis antiquis dicebant*, S. *postea dicunt* R. *ut in carmine Saliorum sunt hæc. Cosauli, Dolosi, Eso, osnamenta, arbosem, quæsere. item Cusiatii, Muses, Ruse, itemque lases, fesiæ* & cæt. pro *Corauli, dolori, ero, ornamenta, arborem, quærere, Curiatii, mures, rure, lares, feriæ*. Rem ita esse deprehendet lector exacta collatione, Festi, „ Varronis, ac veterum adhibita. An hæc ingeniosa sint doctioribus judicandum relinquo, dum interim ad Turnebi emendationem pergo, scribit vir doctus lib. XXIII. *Adversar.* cap. 15. hunc in modum: „ Lego: *Cosiulo dolosi eso. Omnia vero ad epulum coemisse jam Cusiones: Duonus e ruse Divius Janusque venit*. Ne quem fallam, aut circumveniam pro *ad patula*, scripsi *epulam*, „ ne quis quantum juris mihi sumserim ignoret: „ alii sane quam ingeniose legunt *omnia ad patula*. „ Sed quod interpretari commode non possim: legi tamen aliquando *in templis captata omina*, ut „ etiam fortasse sub dio captarentur. Verbum tamen *coemisse* non convenit sensui. In libro antiquo reperio: *omnia ad patula*: & *duones cerules*. *Cusiones* sunt Curiones, *ruse*, rure. „ *Duonus* autem *Divius* & *Janus* videri possunt „ vocabula Curionum: quod tamen in re tam prisca & obliterata affirmare non ausim.

Hæ sunt sententiæ eruditorum de corrupto Saliari carmine; quis vero illorum optimus fuerit Apollo, non nostrum est decernere, ideoque verbum non amplius addo.

CUME & cæt.

Terentius Scaurus *de Orthograph.* pag. 2261.

Antiqui pro adverbio quom CUME *dicebant, ut Numa in Saliari carmine*: 1 CUME PONAS LEUCESIAE PRAETEXERE MONTI 2 QUOTIBET CUNEI DE HIS CUM TONAREM.

NOTÆ.

(1) CUME) sic veteres dicebant *quare*, pro quo postea omisso *e* usurparunt *quor*, unde recentiorum *cur*, quemadmodum CUME & deinde *cum* absque E.

(2) QUOTIBET) Dausquius in *Orthograph. Lat. Serm.* tom. II. pag. 100. legit QUOTLIBET, & carmen hoc modo disponit. An recte dubito.

CUME. PONAS. LEUCESIAE.
PRAETEXERE. MONTI. QUOT-
LIBET.
CUNEI. DE. HIS. CUM. TO-
NAREM.

De cæteris non habeo, quæ dicam, dum verba illa corrupta non uno loco mihi videntur, nullum enim sensum ex istis elicere potui, ideoque nec conjecturis indulgere volui, sed carmen hoc castigandum relinquo illis,

Queis meliora luto finxit præcordia Titan.

CAPUT XXIII.

Percurritur litera E. EXANCLARE. *In litera* I. INSICIA: *etymon ejus vocis*. *In litera* L. LUCETIUS. *Glossæ emendantur*. *Jovis antiquus nominativus*. *Percurritur* M. MAMURIUS VETURIUS *quid?* MANUI. MOLUCRUM: *ejus vocis variæ significationes*. *Ælius Stilo quis*. *Varro corrigitur*.

EXANCLARE.

Quintilianus lib. I. *Instit. Orator.* cap. 6.

NOTÆ.

Hoc vocabulum e Saliaribus carminibus citat Quintilianus, significationem vero non addit; at Festus eam docet. *Exanclare*, *exhaurire*. cum hoc convenit Nonius, & glossarium vetus. *Exanclat*, ἀρύεται. Si originem spectemus, legendum erit *exant lare*, oritur enim ab haustris, quæ Græcis ἄντλια dicuntur.

INSICIA.

Varro lib. IV. de L. L.

1 INSICIA, *ab eo quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est: quod in exteis dicitur nunc profectum*.

NOTÆ.

(1) INSICIA) Veteres dicebant *insicare* pro *insecare*, ut *prosicare* pro *prosecare*, hinc *insicium* ab *insicando*, ut *prosicium* a *prosicando*. Macrobius l. VII. Saturnal. c. 8. *insicium* ab *insectione* deducit, & simul indicat, posteriores extrita litera N *isicia* dixisse. Flavius Caper vero in lib. *de Orthograph.* pag. mihi 2246. hoc damnat, dum ait: *Insicia* (pessime in Putschii editione *inscitia* legitur) *dicendum, non Isicia, quia nusquam sine* N *pronuntiatur*. Cæterum de his isiciis elegans locus est apud Apitium, lib. II. rei culinariæ. *Isiciorum varia sunt genera, marina fiunt de scylla seu cammaris & astacis, de loligine, de sepia, de locusta, de pectine, de ostreo*. Medii ævi scriptores dixerunt *esicium* & *esiciatum*.

LUCETIUS.

Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 15.

Jovem accipiamus lucis auctorem, unde & 1 LUCETIUM *Salii in carmine canunt*.

NOTÆ.

(1) LUCETIUM a *luce* appellatum esse auctor quoque est Festus. Glossæ Lat. Gr. Cyrilli. *Lucerius*, Ζεύς. sed puto, rectius esse τὸ *Lucetius*, quoniam sic a Festo, Gellio, Lactantio, Macrobio, aliisque nominatur. Accedit, quod ipsa Juno appelletur *Lucetia* apud Martianum Capellam lib. II. *de Nupt. Philol.* cap. 5. Porro Jupiter *Lucetius* alio nomine *Diespiter* dicitur, quasi diei pater; hinc glossæ Philoxeni. Ζεύς, *Jupiter*, *Lucerius*, *Diespiter*, *Jovis*. Notandum, τὸ *Jovis* heic esse antiquum nominativum, ut in nummo apud Oudanium in *Rom. Magnit.* tab. XXXVIII. num. 9. cujus ἐπιγραφὴ est JOVIS CVSTOS.

MAMURIUS VETURIUS.
Varro lib. V. de L. L.

Salii qui cantant MAMURIUM VETURIUM *significant veterem memoriam.*

NOTÆ.

Consentit cum Varrone hac in re Plutarchus; alii hæc verba pro nomine proprio fabri anciliorum accipiunt, quemadmodum cap. XX. demonstravi, & id melius cum historia convenit.

MANUI.
Festus in *Manuos*.

1 MANUOS *in carminibus Saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos.*

NOTÆ.

(1) MANUOS) Vide quæ supra notavimus in *Cerus manus*: hinc & Dii *manes* pro bonis dicuntur a suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, & *immanes* pro valde non bonis dicuntur, secundum Festum. Cæterum in Festi fragmento e bibliotheca Farnesiana male scribitur *carminibus sæcularibus*, pro *Saliaribus*.

MOLUCRUM.
Festus in *Molucrum*.

1 MOLUCRUM 2 *Ælius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur.*

NOTÆ.

(1) MOLUCRUM) varia significat. Primum *scopas molarias*, ut Festus testatur, cujus verba ex emendatione Salmasii hæc sunt. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græci μυλήκορον vocant.* Græcum hoc Pollux in Onomast. a μύλη *mola* & κορεῖν *verrere* derivat. Præterea τὸ *molucrum* significat *tumorem ventris*, qui virginibus solet evenire, quod Festus his Afranii versibus probat:

——— *ferme virgini*
Excrescit uterus, tanquam gravidæ mulieri.
MOLUCRUM *vocatur, transit sine doloribus.*

Denique Cloatius ait, *molucrum* esse *lignum quoddam quadratum, ubi immolatur*. Lege cum Scaligero *molatur*, quam lectionem Ælii Stilonis verba a me producta confirmant, nam *molucrum*, inquit, est id *quod sub mola supponatur*.

(2) ÆLIUS) prænomen ipsius erat *Lucius*, at duplex cognomen habuit, nam & *Præconinus*, quia pater ejus præco fuerat, & *Stilo* cognominabatur, eo quod orationes nobilissimo cuique scriberet. Magister Varronis & seculi sui eruditissimus, scripsit hic Lucius Ælius Præconinus vel Stilo *explanationem carminum Saliarium* juxta Festum, quem librum Varro laudat lib. VI. de L. L. *Licet multum legerent C. Ælii hominis imprimeis in littereis Latineis exercitati interpretationem carminum Saliorum. Videbis & exili litera expeditam & præterita obscura multa.* In Varrone tribus locis habetur *C. Ælius*, corrupte pro *L. Ælius*, quo prænomine ab aliis auctoribus appellatur. Præterea scripsit *commentarium de proloquiis*, cujus meminit Aulus Gellius lib. XVI. Noct. Attic. cap. 8.

CAPUT XXIV.

Percurritur litera P. PA *&* PO *quid.* PENNATÆ ET IMPENNATÆ AGNÆ. *Nonnus explicatur.* PESCIA: *ejus vocis etymon.* PILUMNOE POPLOI *quare dicti Romani. Romulus Pilumnus.* PRÆCEPTAT. PROMENERVAT. *Fruterius laudatur.* PROSAPIA ἐνικῶς. *Glossæ notantur.*

PA & PO.
Festus in PA.

PA, *pro parte, &* PO, *pro populo positum est in Saliari carmine.*

NOTÆ.

De hoc fragmento non habeo, quæ dicam, cumque satis clarum sit, pergo ad alia.

PENNATÆ & IMPENNATÆ AGNÆ.
Festus in *Pennatas*.

PENNATAS IMPENNATASQUE AGNAS *in Saliari carmine spicas significat cum aristis; & alias sine aristis agnas novas volunt intelligi.*

NOTÆ.

Idem tradit Alexander Neapolitanus lib. I. *Gen. Dier.* cap. 26. & ad rem maxime facit, quod observavit hic magnus Scaliger, nempe Theophrastum in lib. de plantis scribere, teneriores spicas a rusticis ἄρνας, *agnas*, vocari. Locus est in l. VIII. cap. 7. Καὶ οἱ στάχυες μικροὶ καὶ τούτους οὓς καλοῦσιν ἄρνας. Christianus Daumius in epist. ad Reinesium, pag. 92. observat hoc carmen apud Nonnum *Paraphr. in Joann.* cap. XV. vers. 6.

Εἰ δέ τις ἡμετέροισιν ἐν ΑΡΝΕΣΙ μηκέτι μίμνων
Ἀμπελόεν μίμημα χυτῇ χθονὶ βάλλεται ἔξω
Si vero quis nostros inter AGNOS *non manens*
Vitis instar in terram ejicitur extra.

In hoc versu, putat Daumius, illud ἄρνεσι significare non *agnos* proprie dictos, sed *spicas teneriores*, ut apud Theophrastum & Festum, & proinde errare Joannem Hartungum *Dec.* II. *cap.* 2. §. 12. & Nicolaum Abrahamium in *not. ad Nonnum*, pag. 68. qui emendant ἐν ἔρνεσι, *in ramis* aut *germinibus*, & hanc lectionem adoptavit Nansius. At Lucas Fruterius lib. I. *Verisimil.* cap. 8. magistri sui Joannis Aurati sententiam depromit, qui volebat, *Agnas* istas Saliorum a Græcorum fontibus accersendas; ἄχνη enim apud illos *Acus* sunt & *paleæ*, minutissimum illud, quod excutitur in tritura.

PESCIA.
Festus in *Pescia*.

1 PESCIA, *in Saliari carmine Ælius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Græci vocent pelles πέσκη, neutro genere pluraliter.*

NOTÆ.

(1) PESCIA) fons hujus vocis est verbum πέκω *tondeo*, a quo πέκος & inserto Σ, πέσκος vel πέσκον,

κον, *vellus*, *pellis tondenda*. Hesychius. Πέσκον, ἢ κώδιον, ἢ δέρμα. & Phavorinus. Πέσκον, τὸ πέκος, κώδιον, δέρμα.

PILUMNOE POPLOE.
Festus in *Pilumnœ*.

PILUMNOE POPLOE, *in carmine Saliari, Romani, velut pilis uti assueti: vel quia præcipue pellant hostes*.

NOTÆ.

(1) PILUMNOE POPLOE) Observandum est, OE. loco I. poni. Quod sæpe fit, & quidem maxime in nominativis pluralibus Græcæ terminationis. Sic legimus apud Festum. DEMOE *apud Atticos sunt, ut apud nos pagi*. Similiter OLOE pro *Oli* & hoc pro *Illi* in lege Regia. SEI. PARENTES. PUER. VERBERIT. AST. OLOE. PLORASIT. PUER. DEIVEIS. PARENTUM. SACER. ESTO. Si igitur Romani dicti fuerint *Pilumni populi*, quia *pilis* in bello pugnabant, jure meritoque poterant quoque appellari *Pilani* populi, quoniam Festus alicubi scribit. *Pilani, pilis pugnantes*. Pareus vero in *Elect. Plautin.* pag. 215. in diversam sententiam abit, & e Meursii Animad. Miscell. tradit, „ *Pilumnum* quidem Romulum esse, ex Saliorum „ carminibus cognosci potest: quibus *Pilumni populi* appellantur Romani: non quod *pilis* uti „ assueti, ut vult Festus (nam sic omnes Pileni „ *Pilumni* dicendi essent) nec quia præcipue *pellant* hostes (tum enim *Pellumni* nuncupari debebant) sed tamquam Romuli nepotes. Nam *Pilumnæ* ibi secundus casus est, numeri singularis, non primus pluralis: ut ille existimavit.
„ Est vero *Pilumnus* idem cum Romulo Quirino. Ut enim Sabini sua lingua a Quiri Quirinum: ita Salii obscuritatis studiosissimi, vocumque ignotarum usurpatores & formatores „ Latina a pilo *Pilumnum* indigetabant.

PRAECEPTAT.
Festus in *Præceptat*.

1 PRAECEPTAT, *in Saliari carmine, sæpe præcipit*.

NOTÆ.

(1) PRAECEPTAT) a *Præcepto*: quod vero significat *sæpe præcipit* inde est, quia *Præcepto* verbum frequentativum est, ut Grammatici loquuntur, de quibus Priscianus lib. VIII. de art. grammat. pag. 825. *Est alia species derivatorum in* TO, *quæ frequentiam actus significant*. Paulus qui Festum in epitomen coegit: *Præceptat, sæpe præcipit*.

PROMENERVAT.
Festus in *Promenervat*.

1 PROMENERVAT, *item pro monet* (*in Saliari carmine*.)

NOTÆ.

(1) PROMENERVAT) de hac voce Lucas Fruterius lib. I. *Verisimil.* cap. 16. sequentia scribit: „ *Promenervat* quid originis habeat, possum cum „ Festo intelligere. Nam ille alio loco, *Minervam a bene monendo* dictam scribit. Hoc illud „ est, quod in Saliari carmine *promenervat* pro „ *monet* accipi debere ait Festus. Ac sane *Menervam* veteres dixisse non dubito, ut *Deana*. „ Optime mehercule! Ceterum verba *in Saliari carmine* desunt in Bibliothecæ Farnesianæ fragmento.

PROSAPIA.

Quintilianus lib. I. *Instit. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Fuit & hoc, teste Quintiliano, inter Saliaria; usus tamen illo est Tullius, sed *vetus verbum* appellat, quoniam in carminibus Saliorum occurrebat. Festus *Prosapiam* explicat *progeniem*, & consentiunt Glossæ: *Prosapia* ἐκ προγόνων εὐγένεια καὶ συγγένεια. Errat glossographus Cyrillus, quando postea dicit: *Prosapia, singulariter tantum declinatur*. εὐγένεια, γένος. Cato enim apud Nonium in *prosapies* in plurali numero utitur, dum lib. I. Orig. ait: *Veteres prosapias, & multa alia apud multos*. Præterea hanc vocem usurpat Apulejus lib. X. Metamorph. *Ut ejus prosapia atque dignitas postulabat*.

CAP. XXV.

In litera R. REDAMPTRUARE: *ejus vocabuli etymologia. Nonius corrigitur. Litera S percurritur*. SATURNUS: *unde dictus*. SESOPIA *quid?* S. *pro* R. *Varro sæpius tentatur*. SONIVIUS. *Tripudium sonivium*.

REDAMPTRUARE.
Festus in *Redamptruare*.

REDAMPTRUARE *dicitur in Saliorum exultationibus, cum* [2] *præsul* AMPTRUAVIT, *quod est, motus edidit, & referuntur invicem iidem motus. Lucilius*.

[2] *Præsul ut* AMPTRUAT, *inde & volgu'* REDAMPTRUAT *olli*.

Pacuvius, promerendæ gratiæ.

Simul cum videam Graios nihil mediocriter
[3] REDAMPTRUARE, *opibusque summis persequi*.

NOTÆ.

Adscripsimus verba ex Scaligeri emendatione, qui locum pristinæ sanitati restituit.

(1) PRÆSUL) vide de illo quæ diximus c. VIII.

(2) PRÆSUL UT AMPTRUAT. & cæt.) hic Lucilii versus varie a variis tentatur. Scaliger ad Varronem, *pag.* 55. legit:

Præsul ut amburvat, sic volgu redandruat inde

Postea vero ad Festum, *p.* 162. conjecturam prætulit, quam dedimus, illamque recepit etiam Douza in Lucilii fragmentis, *p.* 48. Paulus Merula ad Ennium, *p.* 266. sic corrigit:

Præsul ut amtruet hinc, ut Vulgu redamptruet inde.

(3) REDAMPTRUARE) oritur ab *Antruare*, & hoc a *truare* id est κινεῖν, *movere*, cum illud, quod in olla coquitur, movetur *trua*. *Amptruare* itaque est *circumvolvere*, *circummovere*, & hinc *redamptruare* est *rursus circummovere* quod Salii faciebant, quando præsuli saltando respondebant. Nonius Marcellus *Redamptruare* exponit *redire*, sed sine dubio legendum cum doctissimo Merula *resilire*, quod optime cum *redamptruare* convenit. Ex hac mendosa Nonii lectione ortus est error istius hominis, cujus epistolam produxit Vorstius in lib. *de La-*

Latin. mer. suspect. pag. 5. ubi *redandruare* pro *redire* utitur. Porro *amptruare* dicitur pro *antruare*, ut *temptare* pro *tentare*, *sumptus* pro *sumtus*. Hinc igitur discimus, Saliorum præsulem saltando præivisse, aliosque sacerdotes eosdem motus fecisse, sive, ut proprio vocabulo utar, *redamptruasse*.

SATURNUS.
Festus in *Saturnus*.

Qui Deus in Saliaribus [1] SATURNUS *nominatur, videlicet a sationibus*.

NOTÆ.

(1) SATURNUS) vocabulum hoc corruptum esse nullus dubito, quoniam si eo modo Salii hunc Deum nominassent, a vulgari loquendi consuetudine non aberraverant; alia vero lectio SATIRNUS mihi quoque non placet, etsi satis proba esse possit, nam sæpe I pro V a veteribus ponitur, ut in antiquis inscriptionibus habemus MANIBIIS, CONTIBERNALIS, RECIPERATIS, pro *Manubiis*, *contubernalis*, *recuperatis*. At sequimur nos Lipsium, qui lib. I. *Saturnal.* cap. 2. Festi verba sic corrigit: *Hic Deus in Saliaribus* SATURNUS *nominatur, videlicet a sationibus*. Ut enim a *portu* Portunus, a *nuptu*, Neptunus, sic a *satu*, Saturnus, ut Salii hoc nomen indigetabant, alio proinde modo quam vulgus. In etymo nobiscum consentit Varro lib. IV. de L. L. At in diversas partes abeunt Scaliger in conjectan. Varron. & Franciscus Junius in notis ad Tertullianum de spect. cap. 8. qui τὸ *Saturnus* deducunt ab Hebræo sive Syriaco סתר, *celare*, *abscondere se*, *latere*. Quoniam Saturnus cœlo profugus in Latio latuit, unde & regio *Latium* dicta, & ipse aliquando *Deus Latius*.

SESOPIA.
Festus in *Sesopia*.

[1] SESOPIA *in Augurali & Saliari carmine appellantur, quæ alias Esopia pro sedilibus dicere habemus nunc adhuc in consuetudine*.

NOTÆ.

(1) SESOPIA) Videmus heic in Saliari carmine *Sesopia* dici quæ vulgo *esopia*, id est *sedilia* juxta Festum; S ergo voci in fronte apponitur, quemadmodum sæpe fit, ut in *tritavus*, *stritavus*, *cælum*, *scælum*, plura exempla congessit Popma de *Usu antiq. locut.* cap. 4. Hoc vocabulum in Plauto invenit Meursius, quando sequentem versum in Truculent. Act. II. Sc. 8. tali modo legit:

Quo pacto excludis quæso ESOPIIS *plenius*.

De origine res incerta. Martinius ab ἐς & ὀπὴ *foramen*; ut sit vacuum foramen, seu locus ad sedendum, aut a sessionis ope.

S pro R.
Varro lib. VI. de L. L.

In multeis verbeis, in quo antiqui dicebant [1] S, *postea dicunt* R. *ut in carmine Saliorum sunt hæc*, [2] COSAULI, DOLOSI, ESO.

NOTÆ.

(1) S pro R antiquitus in usu erat, testis est Quintilianus lib. I. cap. 4. *Valesii*, inquit, *& Fusii, in Valerios Furiosque venerunt. Ita arbos, labos, vapos etiam & clamos ac lases ætatis fuerunt.* Idem tradit Pomponius in *l.* 2. §. 36. D. *de origine Jur.* Sic *dossum* antique pro *dorsum*, & hinc *jumenta dossuaria* apud Varronem lib. II. de R. R. cap. 10. Immo & *Mascellus Mascellinus* in monumento sequenti pag. CXI. num. 2. thesauri Gruteriani.

GENIO. NORI
CORVM
MASCELLVS
MASCELLINVS
ET
SECVNDINIVS
VIBIANVS
V. S. L. L. M.

(2) COSAULI, DOLOSI, ESO) hæc variis modis tentantur. Scaliger conjicit *Cæsuli* pro *Cæruli*, vel *Cosaullæ* pro *corollæ*, ut *aula*, *olla*. In vetusto Pauli Merulæ codice legebatur, ORCULO, DOLOSI, ESO, pro *osculo*, *dolori*, *ero*. Turnebus lib. XXIII. *Advers.* cap. 15. emendat. *Cosculo*, *dolosi*, *eso*. Sed transeamus hæc dumeta & properemus ad alia.

SONIVIVS.
Festus in *Sonivio*.

[1] SONIVIO *significat in carmine Saliari & augurali sonanti*.

NOTÆ.

(1) SONIVIO) Servius ad Æneid. III. ver. 90 scribit *Sonubium*, & a *sono* dictum ait; hinc *tripudium sonivium*, quod *sonet*, Festus ex edit. Santandreana: *Sonivium tripudium, ut ait Asipius Pulcher, quod sonet, cum pullo excidit puls, quadrupedive ex ore*. Pro *Asipius* ex aliis edit. lego *Appius*, nam in *Solistimum tripudium* Festus mentionem facit Appii Pulchri, & quædam ex ipsius libris *de augurali disciplina* profert, in quibus hæc de *Sonivio tripudio* procul dubio scripta fuerunt, quoniam ad auguralem disciplinam pertinebant.

CAP. XXVI.

Litera T *percurritur*. TAME *pro Tam. Perizonius laudatur*. TINTINNARE. *Nigidii fragmentum illustratur & emendatur*. *Tintinnire*. TOPPER *quid?* Z *in Saliari carmine*. *Isidorus notatur*. *Anna Fabra laudatur*.

TAME.
Festus in *Tame*.

TAME *in carmine* ([1] *Saliari*) *positum est pro tam*.

NOTÆ.

(1) Præstantissimus Scaliger optime vidit, deesse heic τὸ *Saliari*, cujus auctoritate illud etiam adjecimus. Sicut enim CUME pro *cum*, de quo antea egimus, sic TAME pro *tam* in Saliari carmine, ut etiam monuit vir varia eruditione celeberrimus Jacobus Perizonius, quo duce & auspice hisce studiis operam dedisse me glorior, in Addend. ad Sanctii Minerv. *pag.* 50. Lipsius *Epistol. Quæst.* lib. III. *epist.* 20. pro TAME legit TAMDE, & dictum

putat eo exemplo, quo *Quamde* apud Lucretium aliosque.

TINTINNARE.

Nonius Marcellus in *Tintinnire*.

Nigidius lib. XVIII. *Itaque ex aere in* [1] *Saliaribus* [2] *Altanus* [3] TINTINNAT.

NOTÆ.

Hoc Nigidii fragmentum desumtum esse e libris ipsius de Diis, conjicit Rutgersius lib. III. *Var. Lect.* cap. 16. quod & mihi arridet.

(1) *In Saliaribus*) subintellige *carminibus*, vel, quod forsan verius, *saltationibus*. Ita ut Nigidius dicat, Altanum in Saliaribus saltationibus pulsare ancile æreum, & proinde *Tintinnare*, id est sonitum excitare, vel, ut cum auguribus loquar, *verberare anciliorum æerimen*; vid. Festum in *Rumentum*, & ibi Scaligerum.

(2) *Altanus*) Rutgersius *Altunus* habet, Lipsius vero lib. V. *Antiq. Lect.* cap. 14. reposuit *Albanus*, & intelligit montem Albanum, quem Nigidius ait resonare ex crepitu æris in Saliaribus. Quid si per τὸ *Albanus* intelligamus *Salium Albanum*, de quibus Saliis Albanis cap. VII. disserui. Ita ut Nigidius dicat, Salium illum *Albanum ex aere tintinnare*, hoc est, æreo clypeolo sonitum dare. Judicent peritiores in his obscuris.

(3) TINTINNAT.) Nescio quid Nonium moverit, ut in voce *Tintinnire* hunc Nigidii locum citaret, cum in illo τὸ *Tintinnare* occurrit, quæ lectio proba est; Nonius procul dubio legit TINTINNIT, cujus vocis exemplum ex Afranio profert, ubi τὸ *Tintinnare* restituendum. Cæterum Nonius τὸ *Tintinnat* explicat per *sonat*; dicitur proprie de sonitu tintinnabulorum, ut Festus in *Tintinnare* ostendit; hinc Glossæ vetustæ. *Tinnitus*, ἦχος ἐπὶ χαλκῦ καὶ σιδήρυ. Et ad alia transfertur & quidem ad auditum a Catullo epigram. 52. —*sonitu suopte Tintinant aures*.

TOPPER.

Quintilianus lib. I. *Inst. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Refertur hoc vocabulum inter Saliaria verba a Quintiliano; Festus *Topper* explicat per *cito*, *fortasse*, *celeriter*, *temere*, plurimisque auctorum locis id probat, quæ videre operæ pretium erit.

Z.

Velius Longus in *Orthograph.* pag. 517.

Mihi videtur nec aliena sermoni fuisse (Z nempe) *cum inveniatur in carmine Saliari, & esse aliud* Z, *aliud sigma*, καὶ σδ, *nec eandem potestatem, nec eundem sonum esse, si secundum diversas dialectos id est linguas enuncietur*.

NOTÆ.

Si verum est, Z in Saliari carmine extitisse, falsus est Isidorus, quando lib. I. Orig. cap. 4. scribit: *A Græcis duas literas mutavit Latinitas* Y. *&* Z. *propter nomina Græca. Et hæ apud Romanos usque ad Augusti tempus non scribebantur, sed pro* Z SS *ponebant, ut hilarissat*. Sic quoque *pytissare* duobus SS apud Terentium in Heautont. reperitur, ubi Faernus notat in Bembino codice modo unum S extare, male; cum Græcis scribatur per Z *pytizo*, ut ad Terentium observat Anna doctissima. Sic veteres Latini scribebant *crotalisso*, *malacisso*, pro quibus postea adoptato Z. dicebant *crotalizo*, *malacizo*, Cassiodorus de Orthograph. p. 2286. Z. *in antiquis libris modo scripta est, modo non: sed pro illa duæ SS, ponebantur, ut Crotalizo, crotalisso, Malacizo, malacisso, & bis similia*.

CAP. XXVII.

Cænæ Saliares: Suetonius illustratur: Festus explicatur & tentatur: Saliares cænæ pro opiparis: Convivia inauguralia Saliorum.

Absoluto fere hoc libro tempus est, ut cum Saliis genio indulgeamus; illi etenim, postquam per totam urbem ancilia circumtulerant, & ad Martis sacrarium redierant, cænam parabant, ut largiter epularentur in Martis æde; Suetonius de Claudio cap. 33. narrat: *Cognoscens quondam in Augusti foro, ictusque nidore* PRANDII, *quod in proxima Martis æde* SALIIS *apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, unaque discubuit*. Immo ipse Claudius aliquando curam Saliaris cænæ habuit, sic enim Augustus apud Suetonium in vita Claud. c. 4. ad Liviam scribit: *In præsentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum* (Claudium) *ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis*. Ludi Martiales hoc in loco sunt festi dies, quibus ancilia circumferebant. Cæterum hoc die, quo ancilia pristino loco condebantur, non tantum convivia celebrabant, sed omnibus illis diebus, quibus anciliorum circumgestatio fiebat, Festus in *Salios*: *Quibus* (Saliis) *per omnis dies, ubicunque manent, quia amplæ ponuntur cænæ, si quæ aliæ magnæ sunt, Saliares appellantur*. Per *omnes dies* non intelligendi omnes dies totius anni, sed festi anciliorum, id diserte indicant verba *ubicunque manent*, nempe nocte in extructis mansionibus tempore festi; hoc clarius patet, si correctionem celeberrimi Cuperi admittamus, qui pro *omnis* legit *ominis*; omnes enim festi sollennis dies ominosi erant. Saliarium cænarum quoque meminit Horatius lib. I. oda 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc SALIARIBUS *Ornare pulvinar Deorum*
Tempus erat DAPIBUS, *sodales*.

Ad hæc pseudo-Acron & Porphyrio: *Saliares cænæ, quas Salii sacerdotes faciebant, dicuntur amplissimi sumtus fuisse; unde & in proverbio erat Saliares cænas dicere, opiparas & copiosas*. Ultima hæc verba confirmat Cicero lib. V. ad Attic. epist. 9. *Cum*, inquit, *opipare Saliarem in modum epulati essemus*. Sic & Apulejus pro opipara cæna usurpat lib. IV. Metam. *Equus meus tanta copia, & quidem solus potitus* SALIARES *cænasse* CÆNAS *crederet*. & lib. VII. *pag.* 139. edit. Pricæanæ. *Proximum castellum petam, inde vobis* EPULAS SALIARES *comparaturus*. Hinc Ausonius epist. IX. v. 13. ad Paulum.

Nam mihi non Saliare epulum, non cæna dapalis.

Elegans de hac Saliorum cæna locus reperitur apud Symmachum lib. I. epist. 23. *Quid si ego cænas dapales, & SALIARE CONVIVIUM postulavissem, tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres?* Porro Dacerius observat, Salios

etiam liberalius sibi indulsisse, quando aliquis in illorum collegium inaugurabatur, & ad illa convivia inaugurationis refert Horatii verba lib. II. oda 14.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus
Et mero tinget pavimentum superbum
PONTIFICUM *potiore* CÆNIS.

CAP. XXVIII.

Saliæ Virgines: Cincius Alimentus, ejusque scripta: Conductitiæ quæ? Glossæ corriguntur. Virgines Paludatæ: Virgines Saliæ sacrificant in Regia & in comitio: Festus corrigitur: Onuphrius Panvinius notatur: Regia Numæ ubi sita.

QUandoquidem de Saliis deque eorum saltationibus, vestitu, & carminibus satis superque disserui, non ἀπροσδιόνυσον erit, si hoc ultimo capite Salias Virgines describam; ex omni itaque antiquitate solus Festus mentionem Virginum Saliarium facit, dum ait: [1] SALIAS VIRGINES.[2] *Cincius ait esse* [3] *conductitias*, [4] *quæ ad Salios adhibeantur*, [5] *cum apicibus* [6] *plaudatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere* [7] *in regia cum Pontifice plaudatas cum apicibus in modum Saliorum.* Locus elegans, & qui dignus est, ut notis illustretur, sequentes igitur elucidationes adjicere placuit.

NOTÆ.

(1) SALIAS) Onuphrius Panvinius de Civit. Rom. cap. 31 legit *Saliares*, quod tamen non necessarium mihi videtur, cum lectio *Salias* ab omnibus Festi commentatoribus retineatur.

(2) CINCIUS) vocabatur Lucius Cincius Alimentus, celebris fuit auctor, quique varia scripsit, inter quæ liber *de Fastis*, a Macrobio lib. I. Saturnal. cap. 12. citatus, ex quo forsan hæc verba a Festo desumpta sunt; in illo enim libro in nomina mensium inquirebat, & quales dies festi in menses singulos incidebant; proinde de Saliorum festo in mense Martio agens procul dubio hæc de Virginibus Saliis scripsit. Præterea Cincii librum *de re militari* laudat Gellius lib. XVI. Noct. Attic. cap. 4. & *Suasionem Legis Fanniæ* Macrobius lib. II. cap. 9. si modo lectio bene se habet, nam Meursius pro *Cincius* mavult *Titius*.

(3) CONDUCTITIAS) quæ conducuntur ab aliis certa mercede *conductitiæ* appellantur, sic Varro lib. I. de R. R. cap. 17. *Operis conductitiis majores res administrare*. Glossæ Cyrilli: *Conductitius*, Μισθωσιμαῖος, μισθωτὸς. & Glossarium Philoxeni: Μισθωσιμαῖος. *Conducticius*, *Locatorius*. Μισθωτὸς, *mernarius*. lego, *mercenarius*. Sic enim alio loco Cyrillus: *Mercenarius*. μισθωτὸς, μισοφόρος.

(4) QUÆ AD SALIOS ADHIBEANTUR) Onuphrius Panvinius l. c. *Quæ ad Salios coibant*. Præfero nostram lectionem.

(5) CUM APICIBUS) quemadmodum Salii, de hoc tegumento capitis dixi cap. XI.

(6) PALUDATÆ) a *paluda* verbum *Paludare*, teste Varrone lib. VI. de L. L. hinc Imperator paludamento indutus dicitur a Varrone *paludatus* proficisci. Unde *paludati* Festo etiam sunt *armati*, *ornati*, nempe *paluda* vel *paludamento*. Virgines Saliæ *paludatæ* in hoc Festi loco sunt Virgines *paludamento indutæ*, æque ut Salii, quod optime monuit præstantissimus Grævius in præf. Tom. I. *Thes. Ant. Rom.* præfixa; Octavius Ferrarius vero in Analect. de re Vestiar. cap. 5. & 39. negat, Salios fuisse *paludatos*, & illud Festi *in morem Saliorum* adjungit *cum apicibus*, non vero ad præcedens *paludatas* refert.

(7) IN REGIA) heic enim Pontifex sacrificaturus populum convocabat, Festus in *Regi sacrorum*: *Regia dicta, vel quod sacrorum causa tanquam in fanum a Pontifice convocati in eam convenirent, aut quod in ea sacra a rege sacrificulo erant solita usurpari.* Porro Virgines Saliæ non tantum in regia sacrificabant cum Pontifice, sed & cum Saliis regi sacrorum sacrificanti in Comitio adsistebant, docuit hæc me Festus, *Regifugium*, inquit, *dies notatur in Fastis.* VI. *Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit; quod falsum esse arguit Contius in libro Fastorum, & Tullius de feriis, qui* SALIARES VIRGINES *&* SALIOS *adesse dicunt Regi Sacrorum cum facit sacrificium in comitio.* In his verbis sine dubio corrigendum *Cincius* pro *Contius*, Cincius enim *librum Fastorum* composuit, ut mox dixi. Miror, hunc Festi locum Onuphrio Panvinio non in mentem venisse, quando de Virginibus Saliis locum Festi, quem illustramus, produceret, hic enim diserte lectionem *Saliares* ἀντὶ *Salias* adstrueret. Redeo ad Regiam, quæ alias domus Numæ dicta in sacra via proxima templo Vestæ fuit, ut tradit Asconius in Orat. Ciceronis pro Milone, & pluribus adstruit Ovidius lib. I. Trist. eleg. I. v. 27.

Paruit; & ducens, hæc sunt fora Cæsaris, inquit:
Hæc est a sacris quæ via nomen habet.
Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat & ignem:
Hic fuit antiqui regia parva Numæ.

Fragmentum ichnographicum hujus Regiæ exhibet Bellorius in *Vestig. Vet. Rom.* tab. XVI.

FINIS.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS,
DE
MILITIA NAVALI
VETERUM
LIBRI QUATUOR.
AD
Hiſtoriam Græcam Latinamque utiles.

SERENISSIMÆ. AUGUSTISSIMÆQUE. PRINCIPI.

CHRISTINÆ.

DEI. GRATIA.

SUEDORUM. GOTTHORUM. VANDALORUM.

CONTRIBUTARUMQUE. PROVINCIARUM.

REGINÆ.



Uos de Militia Navali, ſtudio fortaſſis ampliore, quam ſucceſſu, Græcis ac Latinis ex Autoribus conſcripſi libros, ſi fas nomen tantæ Principis exiguis operibus præfigere, Majeſtati Tuæ, Sereniſſima Regina, dico conſecroque. Et cui jure meliori debeam, aut velim? Nati ſunt in terris Tuis; voluntate Tua, quantum potuerunt, expoliti; autoritate editi. Non igitur aliunde, quam a feliciſſimo conſpectu Tuo, benignioris apud alios favoris vel habere cupiunt auſpicia, vel poſſunt. Quid? quod nutu Tuo arbitratuque, quicquid comprehendunt argumenti ſui ambitu, regatur. Tu es, cujus cura providentiaque militia, etiam navalis, inſtituitur. Tu es, per quam textrina ſtrepunt numero induſtriaque operantium. Per quam creſcit quotidie multitudo optimarum navium. Per quam claſſes ſelectiſſimis militibus, mare claſſibus pulcherrimis complentur. Stupet Oceanus, quotiens ſuperinducta ſibi cernit novorum iſta velut montium miracula. Quotiens emicantia cum tremore fugaque undarum, ex diſpoſitis per latera Tuarum galearum machinis, ut ex Æthnis, cernit fulmina. Mirantur Venti novos labores, in implendis tot linteis, quibus longe lateque per Te pelagus eſt conſtratum. Neptunus ipſe, & ſi quid aliud in profundo latet, horrere videntur, cum demiſſa ad ſe copiarum hoſtilium, quotiens exſtiterunt, auſpiciis Tuis depreſſarum, cogitant naufragia. E quibus adhuc hodie memorandum prætervehentibus ſpectaculum proræ alicubi, aut pupes, aut ſumma malorum carcheſia, per fluctus, in honorem decuſque Tuum latiſſime hiantes, prominentia præbent. Scilicet non Terras magis poteſtate Tua contines, quam Maria. Elementum utrumque obſequio mirabili, fideque ſumma cœptis Tuis ſe accommodat; reverentia Fortunæ, quam e cœlis poſſides. Tempeſtates denique, Hyemeſque, & quicquid ſævuum eſt, ſucceſſus rerum Tuarum cura ſumma, per opportunitates incredibiles promovent ac tuentur. Itaque ſecurus orbis hic, Septentrioque Tuus ad miraculum & invidiam circumjectarum gentium. Tuoque, ceu Palladis alterius, auſpicio non tantum Pontus, ut eſt in fabulis, ſed uterque Oceanus, & quicquid gentium terrarumque cingit, uſibus noſtris patet. Creſcit rerum copia; Excoluntur ingenia; Nova, vetera, quibus temporum noſtrorum ineffabilem poſteritati conteſtemur felicitatem, proferimus. Ex quibus & hoc opus olim futurum

ſperari fas eſt, ſi ea, qua ſoles aliorum, Clementia abs Te ſuſcipietur. Ad quam Clementiam, ut ad ſacram aram, ſumma cum devotione animi hoc, quicquid eſt, deponimus. Fiducia certiſſima, fore, ut adverſus iniquorum aſſultus Numinis Tui Majeſtate tutum, quam a ſe ipſo habere nequit, Tua gratia conſecuturum ſit favorem.

Ubſaliæ a. d. 8. Jan.
An. MDCLIV.

MAJESTATI TUÆ
Subjectiſſimus
JOHANNES SCHEFFERUS.

JOAN-

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
MILITIA NAVALI
LIBER PRIMUS.
Qui est de
ORIGINE ET PROGRESSU NAVIGATIONIS.


Argumentum.

Navigationis usus multiplex ac varius. Initia quemadmodum incerta, sic exigua. Donec usus & experientia accessit: quibus & per partes, & dein in universum, quod ad perfectionem arti deesse videbatur, absolutum est.

CAP. I.

Quid navis, quid navigatio, & quos ad usus vel inventa sint, vel exculta.

Navis unde, & quid, & quam diversis nominibus olim sit vocata: currus, auriga maris: equus marinus. Nessus cur centaurus fingatur, & quis fuerit: quid navigatio & ubi navigetur: orariæ, littorariæ naves: quod mare primo navigatum: de mari rubro quædam: mare Atlanticum. Quod navigationis opus, quis finis ejus. De diversis navigandi caussis & generibus. Vectoria, Piratica, Mercatoria, deque auctoribus ipsorum. Mare Creticum. Jupiter Cretensis, & de eo Festi locus, lectioque vetus defensa. Effigies navis quid: quid φόρτος, de navigatione quæ ad valetudinem aut voluptatem pertinet.



NAvis nomen, unde mei operis initium capesso, apud Latinos Græca consuetudine invaluit. Græcis ναῦς est, παρὰ τὸ νέω, νήχομαι, ut Etymologus testatur. Hinc hodieque Germanis *nee* vel *næbe* navis latiore alveo, qua vehicula trajiciunt: item *nachen*, scaphæ. Æschylus alioquin ἄμαλα vocavit, ἀπὸ τῦ ἀμᾶν τὴν ἅλα, ut Hesychius ait: quamquam hoc magis ad maritimas pertineat. Est autem nihil aliud, quam ex uno pluribus lignis fabricatum aut compositum vehiculum. *Currum* appellarunt veteres, præcipue poetæ. Æschylus, de Prometheo

A —— εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Oppianus lib. 1. de piscatione, versu 190.

Ἀμφιπερισκαίροντες ἔυζυγον ἅρμα θαλάσσης.

Circumsilientes bene junctum currum maris.

Catullus:

Ipsa levi fecit volitantem flamine currum.

Nescio an ad imitationem Homeri, cui guberna-
B tor, auriga navis φθέγξατο δ' ἡνίοχος νηὸς κυανοπρώροιο. Certe vetus ille fecisse videtur apud Charisium hoc versu:

Typhin aurigam celeris fecere carinæ.

Alias Homero equus.

Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι.

Similiter Philosopho Secundo, in sententiis. Ubi cum interrogatur, quid putaret esse navigium?
C respondet: ἐπιπλέων μόρος, πελάγιος ἵππος. *res*, vel, quod propius ad Græcum, *mors fluitans*, *equus marinus*. Scilicet quæ curruum equorumque, eadem & navium est ratio; nam & hæ exiguo remorum flexu velut freno aut habenis quaquaversum diriguntur: uti longe elegantissima oratione ostendit Theodoretus: (de prov. Or. IV.) Hinc fabulæ de Pegaso Bellerophontis & Persei equo, alis, id est remis, ad volandum instructo: deque Nesso centauro, postica sui parte deformato in equum, cum portitor ac nauta esset. Pausanias lib. x. Οἱ δὲ λέγουσιν Νέσσον πορθμεύοντα ἐπὶ τῷ Εὐήνῳ τρωθῆναι μὲν ὑπὸ Ἡρακλέους, οὐ μὲν

τοι καὶ αὐτίκα μὴ ἀποθανεῖν. *Narrant alii Nessum, qui portitoris ad Evenum amnem operam navabat, non statim accepto ab Hercule vulnere occubuisse.* Strab. l. x ὁ Νέσσος ἐνταῦθα λέγεται πορθμεὺς ἀποδεδειγμένος, ὑφ' Ἡρακλέους ἀποθανεῖν. *Nessus portitor ibi constitutus, dicitur interfectus ab Hercule.* Ac navis quidem istiusmodi vehiculum, quo utimur in aquis. Aquas intelligimus, sive flumina sint, sive maria; nam in utrisque navigatur. Licet, si commoditatem spectes, melius ac tutius in illis. Flumina enim minus violenta, minus tempestatibus obnoxia. Unde fit, ut prius in fluminibus, postea demum in mari navigatum arbitrentur. Claudianus in præfat. Raptus Prof.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens.
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela noto.
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Jam vagus irrupit pelago, cœlumque secutus
Ægæas hyemes, Joniumque domat.

Quando ait, *littora summa legens*, monstrat propter oram, seu in vicinia littoris navigare primum consuevisse, quia ibi minor fluctuum vis, & a terra propinqua major spes, in periculo. Unde & deinceps genus hoc retentum, navesque, in quibus sic ad littus navigabant, *orariæ* vocatæ. Plin. lib. x. epist. 16. *Nunc destino partim orariis navibus, partim vehiculis pronunciam petere.* Isidorus has easdem naves *littorarias* vocasse videtur lib. XIX. cap. I. *Trabariæ*, ait, *amnicæ naves, quæ alio nomine littorariæ dicuntur.* Quod autem ex fluminibus maribusve primum cæterorum pervium sit factum, in incerto est. Eratosthenes antiquus author negat *priscos vel Euxinum mare, vel quod inter Syriam Ciliciamque est, vel quod Lybiam cingit, adire ausos.* Negat & Apollodorus, Pontumque Trojanis adhuc temporibus *Axenon* vocatum ait, non aliam ob causam, quam quod ob sævitiam accolentium nemo eum navigaret. At hæc utriusque sententia de Græcorum tantum navigationibus accipienda videtur. Constat enim Arabes & Phœnices diu ante tempora Trojana ista maria navigasse, urbesque post in eorum oris condidisse multas, imo ultra Gades in Oceanum progressos esse. Strabo lib. I. Θρυλλεῖται καὶ οἱ φοινίκων ναυτιλίαι, οἳ καὶ τὰ ἔξω τῶν Ἡρακλείων στηλῶν ἐπῆλθον, καὶ πόλεις ἔκτισαν κἀκεῖ, καὶ περὶ τὰ μέσα τῆς Λυβύης. *Celebratur & Phœnicum navigatio, qui & extra columnas Herculis progressi urbes ibi, & in medio Africæ condiderunt.* Sed nec Indicus Oceanus ante ista tempora Phœnicibus ignotus fuit. Indicum intelligo non ejus Indiæ, quæ ultra Gangem est, sed quæ sic laxe antiquissimis temporibus dicebatur, omnemque fere regionem trans mare internum versus Orientem positam, teste Vossio de Idol. I. cap. 30. comprehendebat. Apparet vel ex auro gemmisque, quas ex Ophir, insula illius, in Arabiam detulisse, testis Jobus, unus ex Divinis scriptoribus, qui vixit diu ante Jasonem, per cujus navigationem Græci primum re navali celebres esse cœperunt. Quid? quod inde is Oceanus nomen suum acceperit, & *mare rubrum* appellatus sit. Nam rubrum mare, quid est aliud, quam Phœnicium vel Puniceum? a Pœnis vel Phœnicibus, qui suis classibus coloniisque illud frequentarunt. Livius lib. XLII. cap. 52. de Macedonibus & Alexandro. *Non ante vincere desierunt, quam rubro mari inclusis, quod vincerent defuerit:* & lib. XLV. cap. 9. *Fama Macedonum superfudit se in Asiam, & tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, quæ Persarum prope immenso spacio imperium fuerant, suæ ditionis fecit. Arabes hinc Indiamque, qua terrarum ultimus finis, rubrum mare amplectitur, peragravit.* Seneca lib. VII. de Benef. cap. *Omnia illius sunt, non sic quemadmodum Alexandri fuerunt, cui quanquam in littore maris rubri steterat, plus deerat, quam qua venerat.* Eodem sensu in præfatione lib. III. Quæst. Nat. *Quid præcipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complesse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficiente terra ad injurias aliorum errasse in Oceano.* Victorinus etiam mare rubrum dixit, quod est juxta Indiam, ut notat Servius lib. IV. Georg. Quemadmodum & Aristophanes in Avibus p. m. 547. cujus loci sensum interpres parum assecutus est. Hæc cum ita sese habeant, ex aliis quam Græcorum commentariis res petenda est. Plane, si, quæ nostra sit sententia, pronunciandum, Cilicium mare primo navigatum diceremus. Nam quo alias, ex Armenia in Cyprum, vicinasque insulas trajicientibus, nisi per sinum Issicum aditus & iter patuisset? Sed de hac re postea. Nunc illud tantum addimus, quod ante de Oceano a nobis dictum est, sic oportere accipi, ut nihilominus sciamus, aliis quam Phœnicibus illius navigationem vix fuisse notam. Et iccirco plerosque veterum sibi habuisse persuasum, Oceanum ut Indicum, sic maxime eum, qui est extra Herculis columnas, non esse navigabilem. Avitus Rhetor apud Senec. Suasor. lib. I Sua. I. *Facile ista finguntur, quia Oceanus navigari non potest.* Oscus de eodem: *Immensum est, & humanæ intentatum experientiæ pelagus, inagitata remis vastitas.* Sic *Pedo* ad Germanicum

Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortaleis oculos: aliena quid æquora remis,
Et sacras violamus aquas.

Pertinet huc suo modo, quod mare circa Orcades *pigrum & grave remigantibus* vocavit Tacitus, Vit. Ag. x. 7. quodque est trans Suiones *immotum prope* dixit. Ger. XLV. I. Nam & Græcis τὰ Ἀτλαντικὰ πελάγη (*maria Atlantica*) τὰ ἄπλωτα, (*quæ navigari non possunt*) Et quia Oceanus ex ipsorum sententia navigari non potest, hinc Atlanticus est dictus. Suidas: Ἀτλαντὶς θάλαττα, ὁ ὠκεανός. *Mare Atlanticum, Oceanus:* & Polybius lib. XVI. ἐκ τοῦ παρὰ μὲν τισιν Ὠκεανοῦ προσαγορευομένου, παρὰ δὲ τισιν Ἀτλαντικοῦ πελάγους. *Ex Oceano, ut quidam vocant, ut alii, mari Atlantico*, per Atlanticum indicat non solum, quod est extra fretum Herculis, sed in universum omne, quomodo Diodorus Siculus lib. III. Indicum vocavit: adde Merulam de maribus. Cicero in somnio Scip. *Omnis terra circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris.* Reliquus tamen Oceanus Taciti tempestate pluribus in locis navigabatur. Cœpitque primum id fieri Cæsaris auspiciis Britanniam petentis, deinde & Augusti, de quo Plinius lib. I. cap. 69. *A Gadibus columnisque Herculis Hispaniæ & Galliarum circuitu totus hodie navigatur occidens. Septentrionalis vero Oceanus majore ex parte navigatus est Augusti auspiciis, Germaniam classe circumvecta, ad Cymbrorum promontorium, & inde immenso mari prospecto aut

A *fama cognito ad Scythicam plagam, & humore nimio rigentia.* Porro ipsa navigatio, cujus ope & subsidio vehiculum, quod ante diximus, per aquas ducitur, inter artes merito refertur. Easque non faciliores aut abjectiores, sed egregias, & nobilissimas, quas si comparare tibi velis, magnum studium industriamque adhibeas, necesse est. Thucydides lib. I. *τὸ ναυτικὸν τέχνης ἐστὶν ὥσπερ καὶ ἄλλο τι, καὶ οὐκ ἐνδέχεται, ὅταν τύχῃ ἐκ παρέργου μελετᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον μηδὲν ἐκείνῳ πάρεργον ἄλλο γίγνεσθαι. Res nautica arte opus habet, quemadmodum res aliæ, nec talis est, quam cum temere ac negligenter te exerceas, adipisci* B *queas, sed quæ creberrimum usum postulant.* Opus ejus est, non quale vel sutoriæ, vel alterius ex sellulariis, quod manibus tractari queat; sed quale medicinæ vel equestris artis, quod non diutius, quam quando fit, ostendi potest. Nimirum flectere gubernacula, remos concitare docet, cumque usus exigit, vel in rectum vela dare, vel in obliquum, atque ita cursum navis bene moderari. Nam hoc qui facit, recte & ex arte navigare dicitur. Seneca Epist. LXXXV. *Qui hoc potuit dicere, Neptune, nunquam hanc navim nisi rectam, arti satisfecit.* At, quid? inquis, si tempestas ingruit, si navis fertur non ex navigan- C tium arbitrio, sed pro libidine ventorum, qualis isthæc ars est? Num deterior, quam medicina, cum morbo non liberat ægrotum, vel statuaria, cum saxum durius & asperius eburneæ Veneri Phydiæ non assimilat? Haud profecto opinor. Nam *χρεία τῶν τεχνῶν οὐχ ὑπὸ τέχνης γίνεται τέχνη. τούτων γὰρ ἑκάστη ἄλλο τι παρὰ τὴν τέχνην, τέχνης τέλος, καὶ οὐ τέχνη*, ait Maximus Philosophus, Dissert. XVII. *Usus artium non est ars, ab arte profecta: earum enim quælibet aliud quid habet propositum præter artem, quod est finis artis, non ars ipsa.* Igitur Seneca: *Ars gubernatoria deterior nulla tempestate fit, nec ipsa administratio artis.* D *Tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum.* Et paulo post: *Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed utilem operam & navis regendæ scientiam.* Verum, ais, nonne isthoc fine navigat, ut navim salvam deducat in portum? Fateor, & docet Aristoteles lib. III. Pol. cap. 4. *ἡ σωτηρία*, inquit, *ἐστὶν ἔργον τῆς ναυτιλίας καὶ πάντων τῶν πλωτήρων, τούτου γὰρ ἕκαστος ὀρέγεται. Omnium nautarum navigationisque ipsius opus est & munus, salus navigationis, hoc enim singuli eorum expetunt.* At hic observandum, quod a Seneca notatur præcedente loco, duas scilicet habere per- E sonas nautam vel gubernatorem: alteram communem cum omnibus, qui eandem conscenderunt navim, qua ipse quoque vector est, alteram vero propriam, qua est nauta sive gubernator. Felicitatem ergo & salutem expetit, non tanquam nauta vel gubernator, sed ut vector, & qui alias in terras navigare cupit. Deinde etiamsi malum patiatur, ejus rei culpam esse non ab arte, sed a re, in qua versatur. Illa dubia & anceps, illa est incerta. Quid enim quæso inconstantius, quid imo violentius natura edidit, quam maria & ventos? Quare nihil mirum, si humana imbecil- F litas interdum eis cedat: si ars egregia non vincatur, sed vincendo fatigata quandoque succumbat. Habes opus artis, habes ejus scopum. Causa sequitur, quæ triplex: Necessitas, utilitas, voluptas. Necessitatem primo loco posui, & merito. Ea enim est, quæ navigationes produxit. Nam ab initio, cum adhuc pauci essent homines in terris, una eis regio, tametsi parva, ad alimenta resque necessarias sufficiebat. Verum postea, quando numerus ipsorum augebatur, non modo non alere illos, sed ne capere quidem omnes potuit. Novæ ergo sedes extra solum patrium quærendæ fuerunt. Ad quas quo minus perveniri posset, flumina & maria objecta faciebant. Nec audebant ea ingredi, ob memoriam recentis adhuc cladis per diluvium acceptæ, ac exinde metum. Venit ergo Deus in curarum partem, dubias & incertas mentes hominum firmavit, uti colerent terrarum orbem crebro adhortatus est, denique vi quadam arcana ineffabilique animos ipsorum ad cupiditatem hujus rei accendit. Ita *φορτηγία* nata est, quam Latina voce *vecturam* appellare possumus. Hac effectum, ut sicut nulla terra beneficentiæ divinæ expers fuit, ita nec incognita hominibus (quod oportebat) maneret. Josephus lib. I. cap. 5. *ἐκέλευσε Θεὸς εἰς πολυανθρωπίαν στέλλειν ἀποικίας, ἵνα μὴ στασιάζοιεν πρὸς ἀλλήλους, ἀλλὰ γῆν πολλὴν γεωργοῦντες ἀφθονίας ἀπολαύοιεν τῶν καρπῶν. Jussit eos Deus ad propagationem generis humani mittere colonias, ne dissidentes inter se, sed terram undique colentes, fructus ejus perciperent.* Et paulo post: *καὶ γῆν ἕκαστος κατελάμβανεν τὴν ἐντυγχάνουσαν καὶ εἰς ἣν αὐτοὺς ἦγεν ὁ Θεός. & terram eam quisque occupavit, quam casu inveniebat, & in quam a Deo ducebatur.* Notanda sunt postrema verba, ut occurramus veterum aliquibus, qui vehementer in hanc artem invehuntur. Nam si providentia Divina deducti, quisque suam occupavit sedem, fieri non potest, quin illi, quibus insulæ, vel ultra mare ac Oceanum remota loca fuerunt destinata, singulari voluntate Numinis eo accesserint, navibusque usi sint. Quod si verum, uti est profecto, merito Propertium rejicimus, cum canit lib. II. vers. 561.

—— pereat quicunque rates & vela paravit
Primus, & invito gurgite fecit iter.

Sed & Plinium, quando *nullam* scribit lib. XIX. *execrationem sufficere contra inventorem hujus rei, cur satis non fuit hominem in terra mori, nisi periret & insepultus.* Falsum enim, quod existimarunt lucri causa primum inventam navigationem. Inter quos & Servius est, qui ad Eclogam Virgilii IV. *avaritiam homines navigare compulisse* scribit, sicuti & Libanius in Progym. ubi ait: *Navigandi studium & cursus maritimos in vitam introduxit avaritia: Nam ut navigare vellent, ad hoc adegit homines cupiditas adquirendi plura.* Cæterum quia navibus fere institutæ migrationes, hinc naves inter insignia peregrinitatis, ut navis in denario Romanorum, quæ Saturnum denotat peregrinum. Ovidius lib. I. Fastorum:

Et bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Sic Tacitus de Iside apud Suevos culta: *signum ipsum in modum liburnæ figuratum docet advectam religionem.* Liburna est navis. Etiam apud Athenienses, qui non erant indigenæ, scaphas gestabant in sacris Panathenaicis, peregrinitatis insigne, sicut Ælianus noster docet lib. VI. cap. I. *σκάφας* vocat Harpocration: de quibus cum dubitet Stephanus in Thesauro quid significent, Meursius autem in Panathenaicis ligones exponat, nos rectius Gyraldum sentire arbitramur, quando simpliciter pro quibusdam quasi navigiolis accipit, lib. de Navig. Revera enim vasa fuerunt, navigiis similia, quæ & lintres vocantur, in quibus (ut & hoc non ante ob-

servatum addam) favos aliquot gestabant. Ammonius in ἰσοτελής, de ea re: ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων πομπῇ σκάφας ἔφερον κηρία ἔχουσαι· ὅθεν καὶ σκαφηφόρους ἔλεγον τοὺς μετοίκους. Aliter olim sensimus in indice nostro ad prædictum Ælianum, Meursium sequentes. Sed hæc magis vero consentanea. Etiam in Eretriorum veterum sepulchris incisæ naves non tam vitæ genus quondam ipsis usitatum, ut vult Apollonius apud Philostratum lib I cap. 17. quam peregrinitatem ipsorum, quia navibus advecti erant, significasse videntur. Occupato ita, uti diximus, terrarum orbe, penetrare homines in interiora regionum, pars agros colere, ac ex illis vitam tolerare, pars exercere pecuariam, nec ultra navigare. Ex quo factum, ut multi, etiam qui insulas incolerent, non advectos, sed ex ea, quam inhabitabant, terra, genitos se arbitrarentur. Cæsar de Britannis lib. v. Bell. Gall. *Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in ipsa insula memoriæ proditum dicunt.* At postquam & ipsi propter multitudinem in extremas oras marique vicina littora procedere cogerentur, navigatio velut de integro incœpta est: sterili plerumque terra, nec idonea satis ad culturam, propter arenas illic jacentes, aut frequentiam paludum. Extititque alterum & tertium necessariæ navigationis genus, piscatura nimirum & piratica, quæ Aristoteli & aliis ἁλιευτικὴ & λῃστεία nuncupantur. Justinus lib. XLIII. cap. 3. *Phocenses exiguitate ac macie terræ coacti, studiosius mare, quam terras exercuere: piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris vitam tolerabant.* Strabo lib. XIV. de Jassiis: *Victum incolæ fere e mari quærunt, nam locus piscibus abundat, & agrum habent sterilem.* Notandum est, quod de piraticæ origine admonui. Quippe ob hanc causam apud plerosque veterum, qui in locis sterilibus incultisque degebant, non modo non indecora fuit, sed & gloriosa. Scholia Homeri: τὸ λῃστεύειν οὐκ ἄδοξον, ἀλλ' ἔνδοξον παρὰ τοῖς παλαιοῖς. *Piraticam facere non turpe, sed honestum fuit apud veteres.* Thucydides lib. I. de antiquis Græcis: ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν, οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς· καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον, καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο. οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. *Ad latrocinia conversi sunt, ductu virorum haud vilium, idque tum quæstus sui causa, tum etiam, ut victum quærerent egentioribus: atque adorti urbes nullis mœnibus munitas, & pagorum more ædificatas, diripiebant, maximamque vitæ partem ita transigebant. Non enim ignominiosum habebatur hoc genus, sed gloriæ potius & honori erat.* Ideo non ignominiosam illis temporibus piraticam fuisse dicit, quia victus causa eam exercebant. Sed & ideo, quia neminem lædebant, nec abigebant boves aratores, nec de nocte vel ex insidiis in incautos grassabantur: sed exigua contenti stipe, secus atque nostris temporibus, sine injuria cujusquam iterum discedebant. Scholia Thucydidis prædicto loco: οὔτε βοῦν ἀροτῆρα ἐλεηλάτουν ἢ ἔκλεπτον, οὔτε νυκτὸς, οὔτε μετὰ φόνων ἐποίουν τὴν λῃστείαν: *non bovem aratorem surripiebant, nec de nocte, aut cum cædibus prædabantur.* Ergo &, cum obviam cui fierent in mari, interrogari eos mos fuit, num latrones essent, nec abnuebant ipsi, aut erubescebant fateri. Extat testimonium apud Virgilium & alios, imprimis vero antiquissimum Homerum, Hymno Apollinis, ubi nescio quis advenas affatur hoc modo:

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
Οἷά τε λῃιστῆρες, ὑπεὶρ ἅλα; τοί τ' ἀλόωνται.

O hospites, qui estis? unde per mare navigatis? an ad rem gerendam, num temere vagamini? quemadmodum latrones, qui in mari errant. Thucydides lib. I. δηλοῦσι καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν, τὰς πύστεις τῶν καταπλεόντων, πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες εἰ λῃσταί εἰσιν. ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι, οὐκ ὀνειδιζόντων. *Hoc declarant etiam veteres poetæ, apud quos illi ultro citroque navigantes, ubique eodem modo interrogantur, numquid sint piratæ: quod neque illi, quos interrogant, factum, ut se indignum inficiantur, neque hi qui scire desiderant, id ipsis exprobrant.* Imo constat, omnes fere gentes mari vicinas piraticam olim exercuisse. De Græcis ex Thucydide est notum: de Cilicibus Eusthatius ad Dionysii Peri. *Piraticam olim exercebant Cilices.* Idem de Tyrrhenis. *Tyrrheni olim piraticam exercentes, illic prædas coacervabant.* Phœnices etiam piraticam exercuisse, Herodotus in primo, aliique docent: de Phocensibus paulo ante dictum est, de Saxonibus testatur præter Sidonium Car. VII. etiam Isidorus: de Norvagis habemus passim apud Saxonem, & imprimis lib. III. ubi de Horrvvendillo: *per summam rerum gloriam piraticæ incubuerat.* Posidonius similia de Cimbris narrat. Liburnorum veterum eadem vita: Appianus lib. de bell. Illyr. *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Ionicum mare, & quæ in eo sunt insulas prædabantur celeribus, & levibus navigiis.* Ægyptios piratas in paludibus Nili memorat Heliodorus lib. I. Æth. Idem & in aliis mari vicinis populis observari potest. Quid? quod dii ipsi, veterum opinione, quamvis sceleratius, hanc navigationem exercuerint? Nam quæ de Europæ raptu legimus, annon Jovem & ministros ejus arguunt piratas? Ecce Festum: *Europam*, inquit, *narrant a prædonibus raptam, & nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri habuerit, in eam regionem esse delatam.* Retinenda isthæc lectio, tentata antehac ab erudito Senecæ interprete, qui pro *tutela Jovis*, *cujus tutela* emendarat. Sed nequidquam. Nam *effigies* hoc loco, quod παράσημον a Græcis dicitur: *tutela* vero *Jovis*, est ex fabula, qua Europam raptam a Jove ferebant. Ovidius:

Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri.

Atque hactenus de necessaria piratica. Quæ vero postea exercebatur, scelerata fuit. Nam & ad pecora furtivas convertebat manus, & alienas invadebat subigebatque regiones, & insidias hominibus, fœminino præsertim sexui faciebat. Apparet ex exemplo proxime allato de Europa. Item Iside & Ganymede, quorum raptus piratarum opera fuisse, dubitari non debet. Testantur enim Lucianus, Diodorus Siculus, Herodotus & alii. Fulgentius lib I. Mytolog. *Raptus Ganymedes, aquila non vere volucri, sed bellica, præda.* Et paulo post: *Rapuit Jupiter Isidem in vacca similiter, in navi hujusmodi picturæ, ut hoc certius esse cognoscas, navigium Isidis Ægyptus colit.* Sic legendus est hic locus. Vulgati, *volucris*, &; *rapuit & is idem*, quorum verborum sententia nulla est. Ad Isidem Europamque addere & Helenam licet, quum & ipsam a pi-

ratis raptam testetur non modo Herodotus, sed & alii ex veteribus. Unde ad postremum Servius lib. I. Æn. de Trojanis temporibus: *Illo tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, ut Sallustius meminit; facili tum mutatione sedium*, & non ita multo post: *Hæc apud veteres erat maxima navigandi caussa, ut popularentur terras*. Igitur hac piratarum sævitia tandem homines commoti, primum odiisse ipsos, se suaque defendere, mox & obviam procedere, armisque vim eorum coercere cœperunt. Ita quartum navigationis genus, militare scilicet, exortum, quo piratas, ut homines sceleratos publicosq; generis humani hostes prosequebantur. Ostendit Jasonis exemplum, quem exscensionem facere prohibuerunt Colchi, non ob aliam causam, quam quia prædatum venisse arbitrabantur. Orosius lib. I. cap. 12. *Tantalus rex Phrygiorum Ganymedem Trois, Dardaniorum regis filium, cum flagitiosissime rapuisset, majore conserti certaminis fœditate continuit; sicut Phanocles poeta confirmat; qui maximum bellum excitatum ob hoc fuisse commemorat*. Quod hic Dardanorum rex contra unum Tantalum fecisse memoratur, id primum omnium Castor & Pollux fecisse dicuntur, Nigidio teste. Commentator vetus in Aratea Germanici: *Castorem dicit Nigidius & Pollucem Tyndaridas Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur, quod mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidissent*. Similia de Hercule narrat Hyginus. Etiam postea Minos rex Cretensium adversus omnes Græci maris prædones facere instituit. Thucydides lib. I. Μίνως παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν ναυτικὸν ἐκτήσατο, καὶ τῆς νῦν ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε καὶ τὸ λῃστικὸν, ὡς εἰκὸς καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφόσον ἠδύνατο. *Minos eorum quos auditu cognovimus antiquissimus classem comparavit, maximamque partem maris, quod Græcum nunc vocatur, in suam potestatem redegit, & latrones, ut est verisimile, quoad potuit, e mari sustulit*. Post Minoem hoc egerunt Corinthii, deinde Athenienses, tum Lacedæmonii, ut quisque populus præ cæteris mari plurimum valebat. Et hæc prima navigandi causa. Quæ deinde populis haud paucis maximorum origo imperiorum ac potentiæ fuit. Recte Casaubonus in Comment. ad Polybium: *Quam necessaria res sit ad magnum imperium sive parandum, sive firmandum, habere in sua potestate mare, etiam mediocriter periti, verumpublicarum & eorum, quæ nunc cum maxime geruntur ἐν αἰῶνι, non ignorant. Omnino magnæ potentiæ præsidium & quasi pignus est, semperque fuit, Mari dominari*. Thucydides de Græcis lib. I. *Qui classibus operam dederunt, ingentem potentiam sibi compararunt, tam ipso pecuniarum reditu & vectigalibus, quam imperio, quod in alios exercebant: Nam huc illucque navigantes, insulas subigebant*. Sequitur secunda, quam utilitatem esse diximus. Ex hac primum nata est ἐμπορικὴ, quæ non solum omnium terrarum commoda inter se permiscet, sed & societatem humanam, qua nihil suavius in vita, nihil naturæ convenientius, perpetuo conservat. Cicero lib. II. de nat. Deor. *Navigiorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiæ, plurimisque rebus maritimis fruimur atque utimur, propter nauticarum rerum scientiam*. Theodoretus Orat. II. de provid. *Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea, quibus indigemus, a nobis invicem petimus, simulque aliis, quæ ipsis necessaria sunt, rependimus. Nec enim aliquam terræ partem summus ille rerum administrator cultoribus suis omnia simul ad usum victumque necessaria proferre passus est, ne nullius indigens copia mutuæ amicitiæ noceret*. Est autem ipsa quoque antiquissima, & sæpe a veteribus una cum piratica exercita. Declarat Hymnus ex Homero antea adductus, & Thucydides aliquibus in locis. Josephus lib. I. contra Appion. *Nihil nobis fuit priscis temporibus, quo Græcis innotesceremus, sicut Ægyptiis merces, quæ ab eis exportantur & ad eos rursus importantur, itemque habitatoribus Phœniciæ maritimæ, contractibus negotiisque incumbentes, lucri cupiditate. Sed nec latrocinio maris, ut aliæ gentes, majores nostri operam dedere, nec ad bella conversi sunt, licet regio nostra multa millia fortium virorum aleret*. Reperiuntur, quibus origine habita est tam vetusta, ut non aliam navigandi causam existimarent. Servius: *Necessitate quærendarum rerum, quæ ante sponte sua cunctis proveniebant, homines navigandi peritiam & studium repererunt*. Maximus Tyrius diss. XL. Οἱ πρῶτοι ἀνθρώπων ἔπω ναῦν εἰδότες, ἐρῶντες ἐπὶ μιξίας ἀγόμενοι μὲν ὑπὸ τῆς χρείας, εἰργόμενοι δὲ ὑπὸ τῆς θαλάσσης, εἶδον ὄρνιν ἐξ ἀέρος καταπτάντα νηχόμενον, εἶδον δὲ καὶ φόρτον φερόμενον, κοῦφως ὑπὲρ τοῦ κύματος, σχεδίαν τινὰ φαύλην ἐξηργάσαντο. *Primi mortalium, cum inventæ nondum essent naves, & commerciorum tamen amore ducerentur, quæ & necessitas exigebat, & prohibebat mare, avem forte fortuna e cœlo delapsam viderunt, quæ aquis innataret, aut aliam materiam, quæ in summo aquæ ferebatur, & ita navim quandam exædificarunt*. Nota, perperam in versione φόρτος explicari rem *e navi delapsam*, quum ex Maximi sententia naves eo tempore nondum fuerint inventæ, nec quidquam aliud indigitari possit, quam res (ut nos reddidimus) quæ summis innatare fluctibus solet, naturali sua levitate. Verum, ut ex diverticulo in viam revertamur, falsa hæc eorum, quam prædixi, sententia. Qua enim quæso ratione commerciorum desiderio potuissent teneri, qui sciebant orbem universum necdum esse occupatum, ideoque nec reperiri, quibuscum negotia contraherent. Quid? quod & historia hoc docet, quæ Phœnices, & ex ipsis Tyrios auctores hujus navigationis facit. Pomponius Sabinus, lib. I. Æn. *Phœnices condidere Tyrum in mari propter merces, primi mortalium negotiatores in marina alea*. Dionysius Afer de iisdem:

Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

primi negotiationem maritimam excogitarunt. Isthoc sensu capiendus Plinius, cum ait, lib. VII. c. 56. *Mercaturas Pœni repererunt*. Polydorus Virgilius ad quamcunque mercaturam retulit, invito Plinio, nisi eum suimetipsius oblitum esse arbitramur. Nam paulo ante emptionis & venditionis, hoc est alterius mercaturæ, quæ fit quotidie & inter quosvis homines, authorem Liberum tradiderat. Etiam Catullus eo animo de Tyriis:

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Porro quod superius de societate adjeci, facile experientia probatur. Thucydides quoque, cum ante ob latrocinia crebra Græciam incultam & a paucis habitatam ostendisset, Græcosque ipsos dispersos hic illicque per agros dixisset victitasse, subdit deinde: *Cæterum posteaquam Minos classe valuit, homines qui prope mare degebant, constantius habitabant: quin etiam ditiores quam ante facti, urbes circumdederunt muris*. Maritima igitur ista negotiatio occasionem constantioris, & in civilem societatem conjunctioris vitæ Græcis præbuit. In quo potissimum notandum est, quod de constantia tradit. Quam enim ægre deferantur urbes rebus maritimis opportunæ, vel Carthaginensium docuerit exemplum, qui mori citius, quam recedere a mari voluerunt. Ex societate ista fluit claritas,

nobilitasque, ut ostendit Josephus suæ gentis ac Phœnicum exemplis, quarum hæc ubique cognita & clara, illa vero vix vicinis satis nota fuit. Diodorus de melite lib. v. postquam ostendisset Phœnices crebro in eam navigasse: *Hæc causa fuit, ut loci ejus habitatores mercatorum beneficio statim & nomine inclarescerent*. Strabo lib. III. ex Turdidaniæ urbibus, eas demum testatur esse nobilissimas, quæ fluminibus, æstuariis, aut mari vicinæ, καὶ τὰς χρείας, *propter commercia*, frequentiamque ultro citroque commeantium. Apud eundem Strato quoque, cogitans celebritatem Ammonis, delubrum ejus dei aliquando mare vicinum habuisse arbitratur, additque: *Non probabile, tantam ejus apud omnes gentes gloriam & famam esse potuisse, si omni tempore tam longe a mari abfuisset*. Confert ergo talis navigatio non ad societatem tantum, sed & celebritatem famæ atque gloriam; quam longe melius faciliusque hujus, quam alius cujuscunque rei ope, non modo acquirimus, sed & conservamus. Nam neque Græci celebres fuere, antequam navigationibus incumberent: neque Romani, antequam Imperium suum ultra mare transferrent, crebrisque commerciis nomen suum late per orbem universum ostentarent. Sic & in Ægypto Alexandria, in Africa Carthago, in Europa Byzantium, & ut ad recentiora veniamus, Venetiæ, Genua, in Italia; Massilia in Gallia; Antuerpia, Amstelodamum in Germania ad summam nominis claritatem pervenerunt. Non omittendum est, quod & cultiores redditæ sint gentes, si non per eam ipsam, occasione saltem ejus artis. Strabo lib. II *Romani multas gentes in potestatem redactas, feras ob locorum naturam, quod vel aspera essent, vel importuosa, vel ob frigus aliisve de causis habitando incommoda, commerciis ante ignotis docuerunt uti, & de feris civilem vitam agentes redegerunt*. Diodorus lib. v. de Siculis: *Per commercia vero, & multitudinem Græcorum eo navigantium factum est, ut & linguam Græcorum discerent, & eundem vitæ morem adepti, barbaram etiam loquelam simul & nomen mutarent*. Ita nemo ignorat nostris etiam temporibus barbaras Indorum nationes, postquam navibus ad eas iri, commerciaque institui cum ipsis cœperunt, factas esse mitiores. Nimirum artes & scientias pro se ipsa postulat, alias invenit, alias jam jam inventas alia in loca transportat. Testis syderalis rei scientia, & notitia ventorum, quam utramque huic arti ferimus acceptam. Virgilius Georg. I.

Postquam mella Jupiter
—— decussit foliis ignemque removit,
tunc alnos fluvii primum sensere cavatas,
Navita tum stellis numeros & nomina fecit,

Seneca Medea versu 309.

Nondum quisquam sydera norat,
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Typhis pandere vasto
Carbasa Ponto, legesque novas
scribere ventis ——

Etiam alias artes hac occasione accepimus. Neque gens est, navigationi modo dedita, quæ non simul variarum artium notitia floruerit. Documento sit Sidonia, de qua Strabo lib. XVI. Σιδόνιοι πολύτεχνοί τινες παραδέδονται, καὶ καλλίτεχνοι καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ· πρὸς δὲ καὶ φιλόσοφοι περὶ τε ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικὴν ἀπὸ τῆς λογιστικῆς, ἀρξάμενοι, καὶ τῆς νυκτιπλοΐας. Ἐμπορικὸν γὰρ καὶ ναυκληρικὸν ἑκάτερον. Sic & Tyriorum nomen diversarum artium inven-

A tis celebratum; e quibus purpuræ tingendæ rationem Strabo, auri conflaturam Plinius, scientiam fundendi æris in Hiramo Salomonis architecto, item gemmarum e cavernis montium exscindendarum artem in Giblim, ut vocabantur, Sacer Codex commendat. Nam de reliquis nil addo artis hujus commodis. Ut præsertim, quod per eam omnia commodius, minore sumptu ac labore, majore celeritate nobis comparemus. De qua re præclare B. Theodoretus in Orat. II. de providentia. *Quia profectiones, quæ per terram fiunt, plenæ laborum sunt, quia non modo laboriosum, verum etiam impossibile erat, ut per has omnis inopia sarci-*
B *retur, maris dorsum extendit Deus, quod tam magnarum, quam parvarum navium capax est, quæ multam necessariarum rerum copiam indigis hominibus advehunt. Nam unius navis onera vix aliquot millibus jumentorum vehi posse videmus*. Atque hæc prima utilis navigationis ratio, de qua & Plutarchus in Solone; Ἐμπορία δόξαν εἶχεν, οἰκειουμένη τὰ βαρβαρικὰ καὶ προξενοῦσα φιλίας βασιλέων καὶ πραγμάτων ἐμπείρους ποιοῦσα πολλῶν. Altera ad sanitatem pertinet. Nam & hæc per navigationes recuperatur, & recuperata custoditur. Docet frequens usitataque apud Romanos navigatio in Ægyptum
C hoc præcipuo fine instituta. Plin. lib. XXXI. cap. 6. *Principalis navigandi usus phthisi affectis, aut sanguinem egerentibus, sicuti proxime Annæum Gallionem fecisse post consulatum meminimus. Neque enim Ægyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi. Quin & vomitiones instabili volutatione commotæ pluribus morbis capitis, oculorum, pectoris, medentur, omnibusque propter quæ helleborum bibitur*. Plinius alius, hujus nepos, lib. v. Epist. 19. *Ante annos, dum Zosimus libertus meus intente instanterque pronuntiat, sanguinem rejecit, atque ob hoc in Ægyptum missus a me, post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper*.
D Celsus lib. III. c. 22. de tabe, & curatione ejus. *Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione; Ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur*. Item: *Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodissimum est*. Alexander Trallianus lib. IX. cap. 3. Κίνησις δὲ εἴπερ τι ἄλλο τοῖς ὑδεριῶσι συμβάλλεται, καὶ μάλιστα ἡ διὰ θαλάσσης. *Motus si quid aliud hydropicis conducit, præcipue qui fit per mare*. Avicenna tertia primi lepræ, hydropisi, apoplexiæ, frigiditati stomachi, necnon inflatibus navigationem mederi testatur. De conservanda valetudine testatur Aristoteles Problem. Sect. XV. prob. 12. *Qui in navibus degunt, quamvis in aqua,*
E *coloratiores tamen sunt, quam qui in paludibus. Nam aura, si commode adspirat, coloris hilaritatem præbere potest*. Quare Seneca Epist. LXXVIII. *Medicus tibi quantum ambules monstrabit, quantum exercearis, & naviges, & viscera molli jactatione concutias*. Et Symmachus lib. VII. Epist. 18. *Fuerit benignitatis tuæ disquirere, utrum crebra vectatio campi ac maris valetudinem meam juverit*. Postrema navigandi causa superest, quam voluptatem fecimus. Ea fit, cum navigiis ad luxuriam instructis per lacus fluminaque oberratur. Talis navigatio in sinu Bajano Senecæ temporibus, ut ipse docet Epist. LI. *Videre ebrios per littora errantes,*
F *& comessationes navigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus quid necesse est*. Et mox: *Habitaturum tu putas unquam fuisse in Utica Catonem, ut prænavigantes adulteras dinumeraret, & aspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam, ut audiret canentium nocturna convivia?* Talis ista in fossis Alexandrinis, de qua Strabo: *Super omnia memorabilis est turba eorum, qui ad festivas illic dies per fossam Alexandria navigant. Quæ fossa diebus ac*

noctibus navicularum plena est, viros pariter ac mulieres vectantis, qui cantant ac tripudiant cum extrema lascivia, ac impudentia. Nec absimilis Cleopatræ & Julii, cujus mentio apud Suetonium cap. 52. Item aliorum Regum apud Ægyptios, quam Appianus in prœmio, lex 2. ff. de Capt.& Postlim. commemorant. Pertinet huc illud Grypi apud Plautum in Rudente

Animi causa mihi navem faciam, atque imitabor
Stratonicum,
Oppida circumvectabor.

Nec mirum navigationem aliquando inter instrumenta luxuriæ esse, cum ipsa luxum ferme gignat. Strabo lib. VII. de Nomadibus: *θαλάττης ἁψάμενοι, χείρυς γεγόνασι. Maritima re tentata, facti sunt pejores.* Idem paulo post, de navigationibus: *Hæc quanquam videntur ad exuendam ferociam facere, tamen mores corrumpunt.* Quare & divinus Plato *mare, ut magistrum malorum, quam longissime fugere eos præcipit, quibus Reipublicæ bene constitutæ forma cordi est,* sicut Autor idem testatur. Etiam Dicæarchus, teste Cicerone, reprehendit Græcos in eo, quod mare tam cupide essent secuti. Verba Ciceronis extant lib. VI. ad Attic. epist.2. *Dicæarchus multis nominibus in Trophoniana Chæronis narratione Græcos in eo reprehendit, quod mare tam secuti sunt.* Quanquam non deterior iccirco navigatio, cum & bona afferat plurima, nec noxia sit, nisi eis, qui bonis ejus prave utuntur. Ut proinde ii, qui agunt *ἡγεμονικὸν καὶ πολιτικὸν βίον, vitam ejusmodi, ut aliis imperare velint; vel communi libertate frui,* possint, imo debeant habere *καὶ ταύτην τὴν δύναμιν πρὸς τὰς πράξεις σύμμετρον, etiam hanc vim actionibus convenientem & respondentem,* uti ait Aristoteles lib. VII. Cum præsertim rationes extent plurimæ, quibus cavere morum rectitudini, probitatemque incorrupte servare valeamus. Adscribam de iis verba Aristotelis, quæ extant dicto lib. c. 6. ut ea latine sonant. De commercio autem, inquit, & usu maritimo, utrum civitatibus, quæ bonis legibus reguntur prosit, an obsit, magna est controversia Nocere enim ajunt, quo minus probis legibus vivatur, consuetudinem cum peregrinis, qui aliis legibus, atque moribus fuerint educati; obesse etiam variam hominum multitudinem. Fieri enim ex usu maris permultos mercatores, qui partim res exportent, partim importent: adversarique immensam eam turbam, quominus respublica bene regatur. Verum sublatis his incommodis palam est præstare, ut urbs atque regio maritima sit, cum ut tuto ibi degatur, tum ut rerum necessariarum copia affatim suppetat. Nam ad hostium impetum facilius sustinendum eos utrimque auxilio commode juvari posse oportet; qua mari, qua etiam terra hostium periculo sunt liberandi. Cum vero ingruentibus hostibus clades est inferenda, si utrimque id fieri nequeat, certe ex altera parte id facilius assequentur, quibus participatio est utriusque commercii. In rebus etiam necessariis censenda facultas est, ea aliunde accipiendi, quibus civitas caret, quæque superflua sint, ea alio exportandi. Sibi enim civitas, non aliis, mercaturam exercere debet. Qui vero omni hominum generi forum, mercatumque apud se instituunt, eo videlicet spectant, ut reditus & vectigalia inde parent: qua immoderati quæstus cupiditate cum civitas libera & vacua esse debeat, hujusmodi mercatum in ea institui nihil est necesse. Porro quia multis locis & urbibus navalia & portus etiam nunc opportune adsitos esse videmus, ita ut neque oppida ipsa occupent, neque ab iis admodum longe distent, sed mœnibus muniantur, & aliis ejusmodi propugnaculis: perspicuum est, si quid forte commodi

A ex mutuo hominum usu accidat, id ad civitatem esse perventurum; sin quid detrimenti, id evitari posse legibus, quibus sancitum, quos homines non oporteat, quos oporteat inter se versari. Alias navigatio & naves inter pœnas, ac supplicia. De noxiis ad naves remosque damnatis res est nota, nosque alibi dicemus. De iisdem vetustioribus navigiis impositis extat apud Plinium in Paneg. c. 34. ubi de delatoribus; *congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti.* Refert similia Suetonius in Cæsare c.66. ubi plura Casaubonus. Apud Persas quoque inclusos sontes scaphis, ut extarent capite, cætera tecta a sordibus, inde-
B que orientibus vermibus consumerentur, apud Plutarchum vita Artaxerxis legimus. Contra apud gentes quasdam ædium vicem præstant. Sallustius de Numidia: *cum illuc Persæ navibus appulissent, incultaque foret regio, navium illi carinis domicilia struxerunt.* Addæus loco, quem infra adducemus, de navi Diotimi piscatoris: *τὴν αὐτὴν οἶκον ἔχων πενίης. eandem habebat domum paupertatis suæ.* Similiter alii, de aliis piscatoribus, ut hoc frequens ipsis fuisse appareat. Moschus v. Idyll. de piscatore: — *ᾧ δόμος ἁ ναῦς, cui domus est navis.* Adde Lucanum lib. v. p. m. 133. Heliodorus de pastori-
C bus, seu piratis Ægyptiis paria narrat lib. I. Æth. *ὁ δὲ ἐπὶ τοῦ σκάφους βιοτεύει, πορθμεῖον τὸ αὐτὸ καὶ οἰκητήριον ἔχων. nonnulli vivunt in navigiis, eademque re ad vectationem utuntur & habitationem.* Denique & sepulchrorum vice servisse naves observamus, præsertim nautis ac piscatoribus. Antiphilus Byzant.in Floril. Epig. lib. I. tit. de nav. sic de Glauco:

Τὸν δὲ κέλυφος ἔκλεισαν ἐπ' ἀνέρι, τόφρα γεραιὸς
Πλώσῃ ἐπ' οἰκείης εἰς ἀΐδην ἀκάτου.

Hunc tabulato navis incluserunt virum, ut senex navigaret propria ad inferos nave. Eadem Mæcinus habet ibi, de nave Hieroclis piscatoris: *εἶτα*
D *θανόντα* inquit

Ἐπέρισεν συνέπλω δ' ἄχρι καὶ εἰς ἀΐδην

deinde mortuum humavit, cumque eo navigavit usque ad inferos. Nempe & alias in nautarum tumulis aliquid additum ex nave, ut observamus ex Lycophronis Cassandra vers. 881. Dicitur enim ibi in sepulcro Mopsi Argoæ navis tabula fuisse suspensa. Sic in monumento Palinuri remum memorat Virgilius. Aliquando naves etiam cum mortuis comburebantur, sicut arma cum militibus defunctis. Discimus & hoc ex Florilegii lib. III. c. 4. ubi Julianus Ægyptius Mygdonem piscatorem sic crematum scribit. Memorat similia Addæus Mitylenæus
E lib. eodem c. 21. cui & plures alii consentiunt.

CAP. II.

A quo, & quando navigatio sit inventa.

Inventionem navigationis fabulæ diis, historiæ Phœnicibus attribuere. Phœnices qui, & unde ita dicti, quis rex Eritræus Plinii, & Usous Eusebii. Lacuna in Plinio monstrata. Trogi & Justi-
F *ni sententiæ de conditore Sidoniorum rejecta. Item Plinii de Cypro insula. Demsterus refutatus, quia navigationis inventum tribuit Britannis. Quæritur, an & ante diluvium navigarint. Græcorum de Neptuno, Danao, & Jasone sententia partim rejicitur, partim explicatione illustratur.*

NAvigandi sicut aliarum artium initium a Diis esse veteres crediderunt. Aliqui Prometheum fecerunt ejus auctorem, alii Janum,

plures etiam Minervam, ut cæterarum artium inventricem. Qui rem a fabulis ad liquidum perducere voluerunt, Phœnicibus hanc laudem tribuere. Plin. lib. v. cap. 12. *Gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis & syderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Mela lib. I. cap. 12. *Phœnicen illustravere Phœnices, solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Literas & literarum operas, aliasque etiam artes, mare navibus adire commenti.* Sic Diodorus lib. XII. *Magna Phœnices in rebus nauticis gloria celebrantur, tum multitudine navium, tum singulari navigandi peritia a superioribus suis accepta, assiduoque deinceps usu exculta.* Accedit his & Strabo lib XVI. & Aristoteles, vel nescio quis alius περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, nisi quod in derivatione nominis Phœnicii a recto aberret. Verba hæc sunt τὰς φοίνικας ὑπὸ τῶν ἑλλήνων φασί τινες προσαγορευθῆναι, διὰ τὸ πρώτους πλέοντας τὴν θάλασσαν, ᾗ ἂν ἀποβαίνωσιν, πάντας ἀποκτείνειν καὶ φονεύειν. καὶ κατὰ γλῶσσαν δ' ἐστὶ τῶν περῥαιβῶν, τὸ αἱμάξαι, φοινίξαι. *A Græcis ajunt quosdam Phœnices appellatos, quod primi mare navigarent, & quicunque appellerent, omnes internecioni darent. nam Perrhæborum lingua* φοινίξαι *notat occidere.* Falsum hoc & Græculum commentum est, cui genti usitatum, peregrinas voces ex suæ linguæ originibus deducere, & ita non sibi tantum, sed & aliis imponere. Quod hic quoque factum si quis dubitat, vel inde discat, quod ex ipsis Græcis alii plæriq; Phœnicen quendam hujus gentis commenti sint authorem. E quibus hodie adhuc extant Strabo, Stephanus, Herodotus, & poetarum plurimi, quique sequi ipsos solent ex Latinis Plinius & Hyginus. Sed quis iste Phœnix? alii enim Lybiæ & Neptuni filium, alii Neptuni & Eryphiles, rursum alii Agenoris & Semeles progeniem tradidere. Quorum ego quidem nullum eum duxerim, quem hic indagamus. Quare? quia gens Phœnicum reliquarum omnium est vetustissima. Philo apud Eusebium Præpar. I. Οἱ παλαιότατοι τῶν βαρβάρων ἐξαιρέτως φοίνικες. *Phœnices inter Barbaros sunt antiquissimi.* Jam autem necessarium est, si Agenorem parentem ejus facimus, Mosis tempestate circiter vixisse, adeoque inter vetustissimos haud oportere referri. Si Neptunum Lybiamque, nihilo vetustiorem haberi posse, cum & Agenor matrem Lybiam habuisse dicatur. Quem ergo faciemus? Non profecto alium, quam Esauum, Isaaci filium, Abrahami nepotem. Quod facile colligitur hoc modo. Phœnicis appellatio a Græcis est, quorum linguam gens Phœnicum nunquam usurpavit. Designat autem rubrum, sive rutilum, quem & alias Romani Græcæ vocis imitatione Pœnum sive Punicum appellant. Hunc si Pœnorum vel Phœnicum lingua, quæ non alia istis temporibus quam Hebræa fuit, nominare velles, Edomeum diceres. Edomeus autem, qui in sacris monumentis est Esauus. Stephanus in Ἐδουμαῖος. Ἄδομα οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν, ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ αὐτῷ ὁ ἀδελφὸς τὰ πρωτεῖα εἰλήφει. *Adoma Hebræi rubrum vocant, quoniam cibo rutilo ei concesso, frater primatum ei præripuit.* Ab Esauo igitur Phœnicia vocata est, Græca nominis translatione, cum sermone Phœnicio diceretur Edomea. Josephus lib. II. Antiq. cap. I. Ἄδωμα ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν, τὴν δὲ χώραν οὗτος πόλεως ἐγχωρήσας τῷ ἀδελφῷ ἐν Σαείρᾳ διητᾶτο, καὶ τῆς Ἰδουμαίας ἦρχεν οὕτω καλέσας τὴν χώραν ἀπ' αὐτοῦ. *Adoma Hebræi rubrum vocant, id nomen postea in regionem ipsam translatum. Esau enim Hebrone fratri concessa habitavit in Saira, & Idumææ imperavit, a se ipso denominatæ.* Nec est, ut dubites, nam & ipsa regio hoc docet; cujus termini quoniam cum Idumæa vetere conveniunt, diversam designare non possunt. Josephus lib. II. Ant. cap. I. πολλὴ γενομένη ποτὲ ἡ Ἰδουμαία, τότε πάσης αὐτῆς ἀπέσωσεν ὄνομα, καὶ τοῖς μέρεσι, τὰς ἀπὸ τῶν οἰκητόρων προσηγορίας διεφύλαξεν. *quondam late patentem terram Idumææ nomen complectebatur, cujus partes a primis colonorum deductoribus denominatæ, appellationes eas postea retinuerunt.* Per partes hic Judæam intelligit, & Gazæorum, item Azotiorum regionem, aliorumque populorum omnium, qui Syriæ tractum littoralem inhabitant. Sed hæc ipsa vetus Phœnicia. Scylax scriptor antiquissimus: Ἐν τῇ Συρίᾳ οἰκοῦν τὰ παρὰ θάλατταν φοίνικες. *Syriæ tractum littoralem habitant Phœnices.* Procopius Vandal. II. Η ἐπιθαλασσία χώρα ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων, φοινίκη ξύμπασα ὠνομάζετο. *Littoralis omnis tractus a Sydone usque ad limites Ægypti Phœnicia vocabatur.* Consentit Plinius, nisi quod lacuna sit in verbis ejus, quam nunc indicamus. *Qui suptilius* (inquit lib. v. cap. 12.) *dividunt, circum Euphratem Syriam .... Phœnicem esse volunt, & esse oram maritimam Syriæ.* Codices vulgati *Syriam Phœnicem* conjunctim præferunt, quam, si Plinium ipsum consuleres, se ignorare fateretur. Describitur hic regio, quæ Ortosiam & Pelusium interjacet, & mari est vicina. Jam vero Euphrates ad mare non pertinet, imo longissime a Judæa & Idumæa, quam partes hujus Phœniciæ constituit, recedit. Intercesserunt ergo aliqua in textu, forsan ista: circa Euphratem Syriam, *circa Chersæum* aut *Eleuterum* Phœnicen esse volunt. Hæc vetustate deleta negligentior typographus cum assequi non posset, sine admonitione prætermisit. Cæterum si veteres Phœnices ab Esauo, ut profecto sunt, quis eos primos artis hujus crederet authores? quis quæso diu ante occupatas insulas non objiceret? Sic igitur tenendum est, Phœniciæ gentes reperisse quidem navigationes, verum longe ante, quam hoc nomine venirent. An, cum adhuc Cananæi dicerentur? Eo enim tempore Sidona condidere, celebrem per navigationes urbem, ductu & auspicio Sidonis Cananæi filii, ut testatur Hieronymus contra Trogum & Justinum. Etiam hoc non arbitror, quamvis fatendum sit, ad famam hujus rei illam urbem populo Pœnorum plurimum profuisse. Imo ne tum quidem arbitror, cum non ab Edomo, sed Canaane ipso, ut vult Scaliger ad Num. Euseb. MCIV. dicti sunt Phœnices. Censet enim cognomentum hoc fuisse Canaanis, vocatumque Phinisen, quomodo & in Sacris filius Sacerdotis Heli appellatur. Quod verisimile, quia Sanchuniathon, qui ante bellum Trojanum scripsit, ex Phœnicum Theologia docet, quendam χνᾶ, quem eruditi Chanaanem exponunt, Phœnicis cognomentum habuisse. Sic enim Philo Biblius, qui Sanchuniatonem transtulit in Græcum apud Euseb. lib. I. Præp. Evang. ὧν εἷς ἦν καὶ Ισιρις τῶν τριῶν γραμμάτων εὑρετὴς, ἀδελφὸς χνᾶ τοῦ πρώτου μετονομασθέντος φοίνικος. *quorum unus fuit & Isiris, inventor trium litterarum, frater Chna, qui primus cognomento dictus est Phœnix.* Sed cum Sanchuniathon, vel ii, a quibus ipse habuit, sua hauserint ex Mose, Moses vero nullum Chanaani cognomentum, sed Esaui, & hujus primi memoret, adhuc dubia res esse videtur; cum præsertim Ισιρις, vel *Isiris*, qui hujus Chna dicitur fuisse frater, vocabulo non multum differat ab *Israele*, id est Jacobo, Esaui frater: Imo, non Ισιρις, sed Ισιρις Sanchuniathon scripsisse videri possit. Neque pugnat quod vocatur Chna, cum hoc Chananæum denotare possit, qualis Esau fuit, cum propter occupatam Chananæorum terram, tum propter duplex matrimonium a Chananæis sumptum, arctamq; cum iis amicitiam, ac societatem. Quo etiam factum esse potuit, ut gens

gens una alterius vocabulo uti haud gravaretur. Nec Chananæi recusarent se vocare Idumæos, Græce Erythræos vel Phœnices, propter Idumæorum potentiam, de qua prædixerat Esaui pater, eamque in mari, ut Idumæorum, ipsiusque Esaui urbes Elath, & Asiongabor, in mari rubro sitæ, indeque navigationes in Ophir abunde testantur. Quas cum memoret Jobus, unus ex divinis Scriptoribus, qui vel Mosis temporibus, vel, quod eruditis magis placet, ante vixit, antiquissimis ibi populis notissimas fuisse apparet. Adde, quod is ipse Sanchuniathon Usoum, quem eruditi omnes Esauum interpretantur, in insulam Tylum navigasse; Agatharchides (nam idem Erythras & Usous) mare de se appellasse, Philostratus, etiam imperium ejus instituisse ferant, ut in sequentibus ostendetur. Adde, quod hunc ipsum Usoum, id est Esauum, Phœnices habuerint pro Deo, ut ex Sanchuniathone discimus. Et Eusebius clarissime: *φοίνικες δὲ Μελακαύθωρον καὶ Ουσωρὸν, καί τινας ἄλλους πάλιν ἄνδρας θεοὺς ἀνηγόρευσαν.* Nam *ὔσωρος* hic, ille ipse Ουσωὸς Sanchuniathonis, ut recte a Scaligero in Commentariis ad Eusebium notatur. Adde denique, quod posteri Usoi, qui ab altero ejus nomine Erythræi dicti sunt, re navali semper claruerint, & ut Damasthes testis est, biremes primum excogitarint. Contra Phœnices ante tempora Josuæ nil in mari nobile fecisse videantur. cum & pauci ad id habitarent, & piscationes potius, quam mercaturas exercerent, ut vel ex vocabulo Sidonis manifestum est. Rectissime enim se habere censeo, quæ Vir eruditionis admirandæ, nec humanitatis minoris Samuel Bochartus refert in præfatione Partis alterius Geogr. sacræ de Phœnicibus, *paulo post ætatem Mosis a Josua & Israelitis e patrio solo pulsos, primo in Phœnices littora, mox per totum mare Mediterraneum cœpisse se diffundere.* Et quicquid de Phœnicum navigationibus memorabile reperitur, id aut post Trojana tempora est factum, aut brevi ea antecessit. Notandum & hoc est, quod apud Græcos nihil differant Erythræi, quomodo vocatos esse posteros Esaui omnes consentiunt, & Phœnices; quod tamen necessum foret, si Phœnicum nomen esset Hebræum, & non Græcum. Eustatius ad Iliad. & ex eo, sicut puto, Phavorinus: *φοῖνιξ ὁ πυῤῥός. ὅθεν καὶ φοίνικες ἡ ὀπώρα, διὰ τὸ ὁμοιόχροον. ἤδη δὲ καὶ τὸ ἐθνικὸν, ἐπεὶ καὶ οἱ ἐρυθραῖοι ἀνέκαθεν οἱ αὐτοὶ. ὡς ταυτὸν ὂν οὕτως αὐτοὺς ἢ οὕτω καλέσαι. ἐπὶ καὶ ὅμοιόν ἐστιν ἐρυθρὸν εἰπεῖν χρῶμα καὶ φοινικοῦν. ἴσως δὲ, ἐντεῦθεν καὶ φοῖνιξ τὸ κύριον ὄνομα, διὰ τὸ ὡς εἰκὸς ἐν αὐτῷ φοινίκεον τῆς χροίας, ὁ καὶ τὸν ἐρύθραν τὸ ἐπενοήσατο. Phœnix, rutilus. unde & poma in autumno Phœnices, quia talem habent colorem. Est & gentis vocabulum, quæ origine eadem cum Erythræa, ut sit indifferens, hoc aut isto modo eam appellare, cum sit idem erythræum dicere colorem, aut phœnicium. Nam & Phœnix nomen proprium est a rutilo, ut videtur, unde & Erythras dictus est.* Observa eosdem facere non tantum Phœnices & Erythræos, sed Phœnicem ipsum, atque Erythram. Similiter Isidorus lib. XIX. c. 7. Phœnicium mare vocat *rubrum*, id est erythræum. & Nonnus lib. XVIII. Dionys. Perseum ait occidisse cetum Andromedæ *ἐρυθραίῳ παρὰ πόντῳ, juxta mare erythræum*, cum tamen teste Plinio lib. V. cap. 13. occisus sit prope Joppen, civitatem Phœniciæ. Ptolomæus quoque *ἐν πρώτῳ περὶ Ηρώδου τοῦ βασιλέως* Idumæos sive Erythræos nominat Phœnices, ut est apud Ammonium in libello de Diff. *Ιδουμαῖοι*, ait, *τὸ μὲν ἀρχῆθεν φοίνικες καὶ Σύροι. Idumæi origine Phœnices & Syri.* Ita Servius *Idumen*, urbem ab Edomo conditam, *Phœniciæ civitatem*, nominat ad III. Georg. Unde satis patet, Idumæos, Erythræos, & Phœnices pro iisdem apud veteres habitos fuisse. E quibus etiam Herodotus dictos asserit ab illis, qui mare Erythræum primo coluerunt, quod in nullos alios, quam Idumæos, a quibus mare illud Erythræum dictum est, convenire potest. Et Dionysius Geogr. clarissime, p. m. 757.

οἱ δ᾽ ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες, ἐπωνυμίην φοίνικες
Τῶν δ᾽ ἀνδρῶν γενεῆς, οἱ ἐρυθραῖοι γεγάασιν.

Illi vero qui mari sunt vicini, cognomento Phœnices, eorum hominum originis, qui Erythræi nati sunt. Ortos ait ab Erythræis, quia idem nomen habuerunt, ab Erythræis acceptum, quos iccirco contrario modo Phavorinus Phœnices nominat. *φοίνικες*, ait, *ἔθνος οἰκῆσαν περὶ ποταμὸν ἐρύθραν, ἢ περὶ ἐρυθρὰν θάλασσαν.* Nec elevat fidem rei, quod Herodotus se ista dicat accepisse a Persis. Persæ enim isto tempore potentissimi, hujus rei laudem, ut fit, suæ genti tribuebant. Hinc Phœnix, id est Esauus vel Erythras, Persa dicitur ab Agatharchide, & Persei filius ab Eustatio in Comment. ad Dionysium, quod aliter accipiendum non est, quam ut diximus. Sane in re non usque quaque clarissima nobis hæc sententia maxime probabilis videtur, qua Phœnices ab Idumæis, voce idem significante dicti asseruntur. Nam quod viri eruditissimi a purpura, inventa a Phœnicibus factum existimant, id putamus contra se habere, purpureumque colorem phœnicium a gente, non gentem a colore, dictum esse; sicut non ab Indico Indi, sed contra ab Indis Indicum vocatur. Cum præsertim eo tempore, quo inventa est purpura, rex quidam Phœniciæ imperaverit, qui jam habuit nomen Phœnicis, ut ex Palæphato & Cedreno constat. Quicquid tamen sit, sive a Chanaane dicti fuerint, quod vult Scaliger, sive a certa quadam inter eos gente *Bene-Anakim*, contracte *Benanakim*, & mox Phœnices, ut conjectat in prædicto opere doctissimus Bochartus, sive denique ab Esauo, quod nos putamus, certissimum est, ut tandem ad nostra revertamur, iis temporibus, quibus Phœnices dici cœperunt, navigationem non esse inventam. Quo ergo, inquis, tempore id factum est? Illo opinor, cum Chittim Japhanis filius, Japeti nepos, transiret in Cyprum, eamque insulam cum suis occuparet. Id quod annis paucis factum post diluvium. Meminit ut antiquissimus, sic omnium verissimus Historicus Hebræus: *Filii Javanis; Elischa, Tarschich, Chitthim, Dodanim. Ab his divisæ sunt insulæ gentium per terras earum.* Prolixius Josephus lib. I. cap. 7. Postquam enim ob diversitatem linguarum homines dispersos docuisset, subdit: *εἰσι δὲ οἳ καὶ περαιωσάμενοι ναυσὶ τὰς νήσους κατῴκησαν. nec defuere, qui conscensis navibus in insulas trajicerent.* & mox de Chettimo: *χεθιμὸς δὲ χεθιμὰ τὴν νῆσον ἔνθεν Κύπρος αὕτη νῦν καλεῖται. Chethimus Chetimum insulam occupavit, quam nunc Cyprum vocant.* Quod vero is, quem dixi, filius Japhanis primus omnium in insulam transgressus, mare navigabile reddiderit, etiam ex eo adparet, quia insulis reliquis ab hac postea nomina sua Cananæi vel Hebræi indidere, & Chitthim vocarunt. Josephus iterum: *διὰ τοῦτο νῆσοί τε πᾶσαι καὶ τὰ πλείω τῶν παρὰ θάλασσαν χεθὶμ ὑπὸ Εβραίων ὀνομάζονται. Ideo insulæ in universum, ut & plæraque maritima Hebræis Chethim vocantur.* Observandus est hic locus contra Plinium, qui Cyprum quondam continentem Syriæ putavit. Verba extant lib. II. capit. 90. *Et hoc modo insulas rerum natura fecit. Avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Euboeam Beotiæ*, &c. Sane si Chitthim vel Cyprus eo tempore insula non fuisset, quo pacto

cæteræ ab ea suum accepissent nomen. Nec contemnenda est authoritas Josephi, periti utique vernaculæ suæ. Cum præsertim codex sacer de insulis expresse testetur. *ἐκ τούτων ἀφωρίσθησαν νῆσοι τῶν ἐθνῶν; divisæ sunt insulæ gentium.* Ut si quis in continentem venisse putet prius insulas ab ipsis occupatas concedere necesse habeat, maxime (quod naturæ rationique est conveniens) vicinas proximasque. Qualem ipsis non Cretam, de qua conjectat Ben. Arias Montanus lib. de gentium Regionibus, sed Cyprum fuisse, negare nemo potest. Consentiunt, quæ habet Grotius ad Ezechiel. cap. XXVI. 6. *χιττιείμ. proprie sic vocatur Cyprus, deinde translate alia loca transmarina.* Habemus itaque Chethimum insulam; habemus etiam Chittim Javanis filium, Japeti nepotem, præcipuum navigationis authorem. Cum quo Dodanus frater una ex Cypro profectus, postea in Rhodum transmisit, illamque insulam occupavit. Isidorus lib. IX. cap. 2. *Filii autem Japhet septem nominantur: Gomer, ex quo Galatæ, Magog, a quo arbitrantur Scythas & Gothos traxisse originem, &c. Filii Gomer, nepotis* (scribe, *nepotes*) *Japhet: Ascanaz, a quo Sarmatæ, Cethim, a quo Cithei, id est Cyprii, a quibus hodieque urbs Scythia. Dodanim, a quo Rhodii.* Vide, num in ultimis legendum sit: *urbs Cypri Citium.* Sic enim habet Hieronymus, vel Author quæst. in Genes. e quo libro plæraque in suum transtulisse Isidorus videtur. *Cetim*, inquit, *sunt Cithii, a quibus hodie quoque urbs Cypri Citium nominatur. Dodanim, Rhodii. Ita enim septuaginta interpretes transtulerunt.* Ex Rhodo primum omnium coloniæ in Europam deductæ, sub auspicio cujusdam ex Dodani filiis, quem Phaanath vocatum ferunt. Philo de Interp. nom. Heb. *Et ascendit Phaanat, Dodani filius, præcepitque naves maris fieri, & tunc divisa est pars orbis tertia.* Tertia pars orbis procul dubio hic est Europa, quam Japeti filiis a Deo destinatam nemo est, qui ignorat. Et quia non filii modo Japeti, sed & Japetus ipse navigationem primus post diluvium usurpavit, factum ut Neptunus diceretur. Clariss. Gerh. Vossius lib. I. Theol. Gent. cap. 15. *Japeto obtigere maris mediterranei insulæ, & continens Europa: ut in quam ex insulis ulterius veniretur. Hujus igitur posteris duplici scientia opus fuit: nautica ad transmittendum vastum mare, & equestri, ut in loca venientes longe lateque patentia, sed inculta, & sæpe sylvestribus, efferis, ac venenatis animalibus obsessa, celerius tutiusque quam maxima spatia conficerent; donec de locis maxime sibi idoneis satis despicere possent, eaque inter se partirentur. Hanc esse causam existimo, cur Neptunum quem Japhetum interpretor, non nauticæ solum rei, sed equestri etiam præfecerint.* De hoc Neptuno capiendi Græci apud Eusebium in Præp. x. licet ipsos aliter interpretetur. Item ex Latinis Cicero, Hyginus, reliquique, qui navalis rei curam ei tribuere. An & Diodorus Siculus? ut censet Polydorus lib. III. cap. 15. Ambigo; & diversum suadet locus ipse, quem propterea adscribo. *Τῶν ἄλλων θεῶν*, inquit, *τῶν ἐκ Κρόνου καὶ Ῥέας γενομένων φασὶν οἱ Κρῆτες Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χείσασθαι ταῖς κατὰ θάλασσαν ἐργασίαις, καὶ στόλους συστήσασθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην τοῦ Κρόνου. Inter alios deos e Saturno & Rhea genitos ajunt Cretenses primum maris negocium tractare cœpisse Neptunum, classemque instituisse, hanc præfecturam a Saturno adeptum.* Hic sane Neptunus Cretensis est. Deinde navigationes non instituit, sed classem, & maris aliquod imperium comminiscitur. Denique Saturnum patrem habet, eumque ipsum insularem, qui sine navibus eo venire non potuit. Videtur ergo verior Lactantii sententia, lib. I. de falsa Rel. quam ita concipit: *De Neptuni sorte manifestum est, cujus regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ potestatem Senatus decreverat, ut prædones persequeretur, ac mare omne pacaret. sic Neptuno maritima omnia cum insulis obvenerunt.* Firmat Euhemerus, antiquus author, apud eundem Lactantium lib. I. de fals. Rel. cujus verba Ennius servavit, cum inscriptione prisca columnæ, in Triphilii Jovis aliquo delubro apud Cretenses positæ, cujus sententia hæc fuit: *Imperium dat maris Neptuno, ut insulis omnibus, & quæ loca sunt secus mare omnibus regnaret.* Porro si, quod ante dictum est, Japetus illiusve filii Cyprum primo, tum deinde Rhodum, cæterasque insulas occupavere, patet vera esse, quæ de Cilicio mari præcedenti capite disputavimus. Ex adverso autem labi Demsterum, & dum Britannis popularibus suis navigationis originem & inventum adsignat, contra rationem ipsam facere. Nam quod ex Plinio ab eo adfertur ad Lib. VII. Rossin. cap. 32. quomodo quæso sententiam ipsius stabilire potest? Verba ipsa audiamus: *Quoniam mentio navigationis incidit, non erit alienum, de prima navigandi origine navigiorumque inventione disserere. Præter ea, quæ satis frigide congessit in libris suis de rerum inventoribus Polydorus Virgilius, dicendum hic, non Jano, non Herculi, ut est in fabulosis poetarum narrationibus, non Ægynetis, Phœnicibus, aut Tyriis, ac ne Jasoni quidem, ut video historicis quibusdam placuisse, deberi navium excogitatarum usum, sed Britannis, easque constat omnino futiles fuisse.* Frigida profecto hæc sunt, nescio annon & ridicula. Sed amor patriæ transversum egit hominem, ut a veritate deflecteret, & popularibus suis pulchro commento blandiretur. Ac vellem ipse solus hoc egisset, & non alius, cujus nomini nunc parco. Qui dum ipse quoque nimium affectibus indulget, non potuit, quin repertæ navigationis gloriam absque ulla causa, etiam in speciem probabili, Gallis assignaret. Verum hactenus de Japeto, filiisque illius. Quos si sub Phœnicum nomine Authores dicas comprehendere, non advorsum me habebis. Licet vero videatur propius, cum Phœnicis, hoc est Esaui soboles a mari rubro longius progressa Tyrum condiderit, ut Solinus cap. XXVI. Plinius lib. IV. cap. 22. Herodotus in Urania, aliique referunt, creberrimisque navigationibus sibi maris aliquod adquisiverit imperium, accidisse ut ipsorum navigationes quasi primæ antiquissimæque, maxime a Græcis celebrarentur. Venio ad eos, quibus Noa navigationis author visus est. *Non injuria*, dicit Polydorus, Lib. III. de Inv. Rer. cap. 15 *& navigandi, & condendarum navium usum primum a Noe ante quem, quod memoriæ proditum sit, nemo mare tentaverat, fluxisse credere convenit.* Consentit huic Gyraldus, Kekermannus, & quis non ex nostri aut superioris sæculi hominibus? Ego vero non tam artem navigandi invenisse arbitror, quam navigiorum melius extruendorum rationem. Sane illa ejus navigatio in universi inundatione nullo pacto dici potest istiusmodi fuisse, qualem hic describimus. Nec enim navigantis manu ac arbitrio dirigebatur, sed vectura potius erat, quam sola Dei providentia, nullo navigantis vel consilio, vel facto gubernabat. Quanquam hæc sententia id dubitationis habeat, quod si tantum navium extruendarum commodam rationem auctore Deo generi mortalium monstrasse dicamus, etiam ante usus navium, licet infrequentior minusque commodus extitisse videatur. Quod sane ut per omnia negarem, meo animo persuadere nunquam potui. Quid enim? Nonne credimus etiam ante diluvium orbem ab hominibus

fuisse occupatum? nonne flumina & maria etiam tunc extitisse Sacer codex docet? Itaque in tanta diuturnitate temporis quis est, qui semel iterumque navigatum, qualicumque denique scientia negare queat? Et innuere videtur Josephus, quando primas Japetarum navigationes sine ulla admonitione, curiosus alioquin harum rerum indagator, commemorat. Quid? quod aliæ artes minus utiles, minus necessariæ, tunc fuerint usitatæ, quis ergo navigationem ignoratam credat? Neque obstat, si quis beneficio illius aliquos servari potuisse dicat in diluvio, cumque id factum non sit, ne ipsam quidem cognitam fuisse oggerat. Nam forte ratibus tantummodo aut acatiis utebantur, quod genus contra imbrium violentiam valere non potuit. Deinde temporis diuturnitas obstabat, qua, si vel maxime valuisset, fatigati tamen ad postremum succubuissent. Accedebat denique divina voluntas, contra quam nullam vim humanam satis esse validam nemo ignorat. Manet ergo meo animo persuasum, non ex vano ducendum, quod a Platone traditur, etiam ante diluvium notitiam hujus artis habuisse homines, sed una cum instrumentis ipsius per diluvium perdidisse. *Primo*, ait Lib. III. de LL. *propter paucitatem & infrequentiam non libenter alii alios aspiciebant, nec certe ulla tunc videtur apud illos ratio fuisse ultro citroque aut per mare, aut per terram commeandi, deletis scilicet una cum ipsis artibus commerciorum instrumentis*. Idem censuit Ovidius. Hinc lib. I. Metam. Fab. IV. qua statum aurei sæculi, & temporum sequentium exsequitur;

Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita: quæque diu steterant in montibus altis
Fluctibus ignotis insultavere carinæ.

Et Fab. VII. ejusdem Libri, ubi de ipso diluvio:

Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.

Cæterum ut Noa, de quo loqui cœpimus, navigationis author haberi non potest, ita neque Janus, sub cujus appellatione apud Græcos veteres & Latinos Noa Hebræorum latebat. Sed nec Prometheus, cum & ipse alius non fuerit, ut egregie demonstrat Summus vir, Gerhardus Vossius lib. I. de Theolog. Gentili. Quid de Danao dicam? qui quum post hos omnes vixerit, quo pacto author hujus rei dici posset? Eusebius Præp. X. *Cum diu ante Neptunum & Danaum Noa fuerit, gloria inventæ navigationis Græcis immerito tribuitur*. Recte, quanquam secundum ea, quæ de Danao dicuntur, Ægyptiis potius, quibus etiam alias Dionysium Punicum tribuere compertum habemus, laus ista conveniret. *Navem* enim *Danaus ex Ægypto advexit in Græciam*, ait Plinius Lib. VII. cap. 56. Danaumque in Ægypto primum fuisse, indeque expulsum esse, præter Scholiastem Apollonii, & Homeri interpretes, etiam Strabo lib. V. & Plutarchus de Amore prolis testantur. Verum & is ipse Plinius ostendit, apud Phœnices, de quibus primo disputatum est, diu ante Danai ætatem navigationes in usu fuisse. Jasonem vix addo, quem Lucanus lib. III. vers. 193. Ovidius Amor. lib. II. Eleg. II. Metam. lib. IV. Fab. ult. Seneca Medea vers. 335. Sallust. Histor. II. & plures alii primum navigasse statuerunt. Diodorus enim manifeste docet, illius temporibus navigatum, etsi parvis tantum ratibus & acatiis. Καὶ πρῶτον, ait, περὶ τὸ πήλιον ναυπηγήσασθαι τὸ σκάφος, πολὺ τῷ μεγέθει καὶ τῇ λοιπῇ κατασκευῇ τὴν τότε συνήθειαν ὑπερβάλλον, διὰ τὸ σχεδίαις πλεῖν τοὺς τότε ἀνθρώπους, καὶ μικροῖς ἀκατίοις. *Constat primum sub Pelio monte navem, mole cæteroque apparatu longe majorem, quam consuetudo tunc ferret, ædificasse. Quia ratibus illa tempestate & parvis acatiis homines navigabant.*

CAP. III.

Navigatio primum rudis, ut exculta, & quibus authoribus exculta sit.

Prisci rati usi pro navigio, Phœnices imprimis & Gerrhæi & Æthiopes & Siculi & Ligures. Etiam recentiores in navium defectu. σχεδίαι. utres. Ratariæ. Ratium porro usus antiquior, quam ut Erythra earum auctor dici debeat, cujus Historia ex Agatarchide & Philone Biblio fusius exponitur, & monoxylon potius invenisse ostenditur. Plinius forte emendatus. Quid monoxylon sit, & quomodo a Latinis nuncupetur, quibusque gentibus in usu fuerit. Scapha unde. Lintres, Alvei, quid. Bayfius notatur. Trabariæ, Caudicæ. Plinius a glossa liberatus. Canones. Gandejæ. Ploea. Polydorus & Gyraldus notati. Quid sint naves sutiles, διφθερινὰ πλοῖα vel ῥαπτὰ, & quis invenerit. Plinius emendatur. Navis, certum genus navigii. Herodotus expositus. De εἰκοσόρῳ & πεντηκοντόρῳ, eorumque authoribus. Plinius, Diodorus Siculus, & alii explicati. Quis triremem, quatriremem, cæterasque naves excogitarit. Quis denique navibus malum, vela, remos, gubernacula adjecerit. Diodorus contra Bayfium exponitur.

NAvigationem rudem ac incultam ab initio fuisse, aliarum artium exemplis credimus. Quæ enim est, quæ non in processu demum creverit? Igitur & ipsam paulatim & cum tempore excultam putabimus. Consistit autem perfectio ipsius in duobus: structura navium, & navigatione ipsa. Ambo ab initio simplicia fuere. Ac de structura quidem Isidorus lib. XIX. cap. I. & Annius Viterbiensis docent, nil in ea primis temporibus magis observatum, quam ne asseres & trabes, quibus rudi quodam vinculo inter se connexis navigabant, solverentur, utque magnitudine sua stantes superne, vel sedentes caperent. *Rates* (Isidori verba sunt) *primum & antiquissimum genus navigii, e rudibus lignis asseribusque consertum*. Maximus Tyrius Dissert. XL. *Solebant primi homines e levi materia* (σχεδίαν τινὰ φαύλην) *ratem subitariam contexere, quam firma tignorum compages inter se committeret*. Hinc Quintilianus lib. X. cap. 2. *Si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur, ratibus adhuc navigaremus*. Utebantur autem hisce ratibus antiquissimi populorum, Phœnices, Æthiopes, Gerrhæi. Testes Plinius lib. VII. cap. 56. & Strabo lib. XVI. qui *Gerrhæos* ex Aristobulo (τὰ πολλὰ σχεδίαις εἰς τὴν βαβυλωνίαν ἐμπορεύεσθαι) *frequenter ratibus in Babiloniam mercatum ire* refert. Idem auctor est, *in Æthiopiæ angustiis, quæ Dira vocantur, iis merces ultro citroque vehi*. Ratibus Siculi ex Italia in Siciliam primo mari placido transivere, ut Thucydides testatur lib. VI. Ligures

ratibus occupaverunt insulam Corsicam, si fides est Sallustio, cujus verba ex Histor. II. servavit Isidorus lib. XIV. cap. 6. Nec ad transmigrationes solum, vel mercaturas, sed & bella usurpabant. Unde Cicero in Verrem V. *Obstitisti, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiæ possent. ubi? quando? qua ex parte? cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere*. Rates navibus conjungit, quia in illorum defectu istas adhibebant. Florus lib. IV. cap. 2. *Missæ quoque a Basilio in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat*. Ast alterum confirmat Strabo: *Insula*, inquit, *ante Nabatæam regionem sitæ ab hominibus tenentur, qui olim quieti, postea ratibus deprædari cœperunt eos, qui ex Ægypto navigabant*. Ita *Baleares ascendere inconditas rates & prænavigantes sulinde inopinato impetu terrere consueverunt*. Florus lib. III. cap. 8 Σχεδίας hoc genus Græcos appellasse, sicut ex adducto ante Maximi & Strabonis loco, ita etiam Euripide intelligi potest, cujus Scholiastes: σχεδία, ναῦς ἀκατασκεύαστος, ἀπὸ ξύλων μόνων ἀπερίττως συντεθημένη. Additur: καὶ δὲ τὰς παλαιὰς ἢ σὺν τάχει γενομένην ναῦς ὅτω καλεῖται. Perite: nam & utres, fœno paleisque repletos, quibus ad trajicienda flumina in necessitate utebantur, Xenophon σχεδίας vocat lib. I. de Exped. Cyri. Cujusmodi utribus, vel ratibus ex utribus factis thus deferebatur ad emporium nomine Canen in Arabia. Arrianus in Perip. maris rubri: *deferunt thus omne camelis*: καὶ σχεδίαις δερματίναις ἐκ ἀσκῶν. Nonnus lib. XXIII. Dionys. v. 148. etiam solo vento inflatos usurpasse docet

ἀσκοῖς οἰδαλέοισι νέων ποιητὸν ἀήτην
Δέρματι φυσαλέῳ διεμέτρεεν Ἰνδὸ. Ὑδάσπην.

aerem sive ventum ποιητὸν i. e. *factitium* eleganter vocat, quia fiebat certis instrumentis. Hinc in Ascogefro, ponte ex hujusmodi utribus, pictos in Notitia Imp. videas folles, quibus scilicet inflari eos utres mos erat. Meminit iterum Arrianus lib. V. Exp. Alex. οὐδ' αὖ ἔτι πρόσθεν, inquit, μεῖναι ἐπὶ τῶν διφθερῶν κατὰ τὸν πόρον, ἀλλ' ἐκπηδᾶν γὰρ ἐς τὸ ὕδωρ ἀφορῶντες πέραν τοὺς ἐλέφαντας. de equis loquitur, non mansuris in διφθέραι, h. e. utribus ex corio pellibusque tabernaculorum tum confectis, structisque ex iis ratibus, sed desulturis in flumen, quod Interpres eruditus parum intellexit. Notandum autem, quod & equos aliquando transvexerint in ejusmodi ratibus, vulgo enim juxta eas ligati natabant. Ammianus lib. XXX. de Armeniorum rege fugiente: *lectulos in villis repertos binis utribus suffulciens, quibus singuli proceres insidentes, & regulus ipse, jumenta trabebant*, Euphratem transmisit. Utrium loco etiam Clypeis usi in militia, sive scutis, quia scuta apud veteres ex corio, simul concava, & huic negotio apta. Notavit Stevechius ad Vegetium; testanturque epigr. Floril. titulo de naufragio, Anaximenem & Myrtilum talibus navigiis in naufragio servatos esse. *Ratarias* appellavit Gellius X. cap. 25. & Isidorus lib. XIX. cap. 1. Quamquam hic certum genus, ad similitudinem ratium factum, potius sub hoc vocabulo intellectum velit. *Schedia* Lucilius, in Satyr. hoc versu:

Qui schedium facit inconditum & inelaboratum.

Schedia, dicit Festus, *genus navigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt*. Porro de auctore ratium ita Ethicus, ut testis est Gyraldus de Navig. *Pyrrhonus magus antiquissimus ratem primam in Lydia fabricavit*. Et certe etiam Isidorus Lydos *primum pervium mare usibus humanis fecisse* asserit, verum *fabricata navi*, quam hic male Gyraldus cum ratibus confundit. Ut ideo aut de hoc, aut de isto dubitandum sit. Nam & Plinius dissentit, qui de ratibus sic scribit, lib. VII. cap. 56. *Navigabatur iis inventis in mari rubro inter insulas a rege Erythra. Sunt tamen qui Mysos & Trojanos prius excogitasse in Hellesponto putent*. Sed utrumque falsum. Hausit quidem, quod de Erythra vel Erythreo scribit, absque dubio ex Agatharchide, cujus apud Strabonem lib. XVI. verba sic se habent: Πέρσης τὶς Ἐρύθρας ἱπποφορβίου τινὸς ὑπὸ λεαίνης οἴστρῳ κατεχομένης ἐξελαθέντος μέχρι θαλάττης κἀκεῖθεν εἰς νῆσόν τινα διάραντος, σχεδίαν πηξάμενος πρῶτος περαιωθῆ πρὸς τὴν νῆσον. *Persa quidam Erythra nomine, cum aliquando grex equorum leænæ asylo exagitata usque ad mare compelleretur, atque inde in quandam insulam transmitteret, constructa rate primus in eam transivit, advertensque commode habitari posse, gregem iterum in Persas abegit, missis autem in eam aliasque insulas & maritimam oram coloniis, pelagus de suo nomine vocavit*. Insula cujus hic fit mentio, Nearcho & Orthagoræ Τυρρίνη est. Ajunt enim apud prædictum Geographum, *insulam Tyrrbinem in alto mari versus Austrum jacere, duobus Mistadiorum a Carmania distantem, in qua Erythræ sepulchrum ostenditur. Ingentem esse tumulum, & sylvestribus palmis consitum, atque hunc in iis locis regnasse, & de se mari nomen imposuisse*. Unde apud Plinium prædicto loco pro *inter insulas*, *in tirina insula* legendum alicui videri posset. Maxime cum haud consentaneum sit vero, Plinium (ut harum rerum curiosus indagator esse solet) *inter insulas* simpliciter, nullius facta mentione scripsisse, in ejusmodi præsertim capite, quod accuratam harum rerum explicationem profitetur. Nisi forte quis pro *in Tirina* vel *Tyrrbina*, *Tiro* legere velit, de qua insula mentionem facit Sanchuniathon, antiquissimus Phœniciarum rerum scriptor, quique eum Græce transtulit, Philo Biblius apud Euseb. lib. I. Præp Ev. cap. 10. εἶτα, inquit, φησὶ τὸν Ὑψουράνιον οἰκῆσαι Τύρον, καλύβας τε ἐπινοῆσαι ἀπὸ καλάμων καὶ θρύων καὶ παπύρων, στασιάσαι δὲ πρὸς τὸν ἀδελφὸν Οὔσωον, ὃς σκέπην τῷ σώματι πρῶτος ἐκ δερμάτων ὧν ἴσχυσε συλλαβεῖν θηρίων εὗρε, ῥαγδαίων δὲ γενομένων ὄμβρων καὶ πνευμάτων παρατριβέντα τὰ ἐν τῇ Τύρῳ δένδρα πῦρ ἀνάψαι καὶ τὴν αὐτόθι ὕλην καταφλέξαι. δένδρου δὲ λαβόμενον τὸν Οὔσωον ἀποκλαδεύσαντα πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι. *Jam Hypsuranium tradit in Tyro domicilium suum collocasse, ac tuguriorum ex calamis cum junco papyroque contextis efficiendorum artem excogitasse, gravesque cum Usoo fratre inimicitias exercuisse. Ac princeps quidem Usous pellibus, quas feris a se captis detraxerat, corpus tegere instituit. Cumque turbulenta imbrium ventorumque tempestate coorta ex Tyri arborum collisione ignis exarsisset, quæque ibi erat sylvam accendisset, arbore cujus ante ramos amputaverat, navigii loco usus primus sese ausus mari committere*. Sane Tyrus illa ipsa Orthagoræ Tyrrhina. Nec *Usous* (quem Gyraldus male *Usonem* nominat) alius, quam Erythreus. Patet vel ex nominis convenientia. Quis enim Erythræus, nisi Phœnix? Quis autem Phœnix, nisi Esauus? uti antecedenti capite ostensum est. Jam Usous & Esauus, quantum est, quod a se differunt? Deinde studium venandi, odiaque quæ exercuisse dicitur cum fratre, Esauum, id est Erythræum facile demonstrant. Cultus quoque habitusque corporis eum docent. Nam pelles ferinæ quales? nisi eæ

quarum odor, sicut odor agri? ut divinus auctor loquitur. Itaque si Erythræus rex in navigatione quid invenit, id (nisi nudus fuit truncus, ut vult Philo, quemque interdum usurpari consuevisse ad trajiciendas aquas Nonnus testis lib. XXIV. Dionys. v. 133. ubi ξύλον αὐτόπρεμνον appellat.) existimandum est fuisse, quod μονόξυλον appellavere. Cum præsertim Agatharchides non absolute πρῶτος σχεδίαν ἐπήξατο, ut est apud Strabonem, scripserit, sed πρῶτος τῶν ἐκεῖσε, sicuti ex Photio colligimus. Necesseque sit, secundum ea, quæ de prima navigatione supra disputavimus, longe ante omnes eos, quos hucusque nominavi, rates extitisse. Adeoque nec Chrysora, vel ut legit Trapezuntius in suo Codice Chusora, quod ex annalibus Phœnicum prodidit Sanchuniaton *primum* invenisse, multoque minus πρῶτον πάντων ἀνθρώπων, *primum omnium mortalium* navigasse, ut quem etiam ipse longe post Usoum, id est Erythram extitisse dicat. Est autem μονόξυλον nil aliud, quam parvulum navigium ex una arbore excavatum. De quo Virgilius lib. I. Georg.

Et passim rivis currentia vina repressit,
Ut varias usus meditando extruderet artes.
Tunc alveos fluvii primum sensere cavatas.

Heliodorus σκάφος ἀπὸ μόνου ξύλου καὶ πρέμνου κολόμενον appellat. Ita enim de Ægyptiis prædonibus lib. I. cap. 3. ἐπιβαίνει τὸ τοῦ σκάφος αὐτὸς καὶ ὁ Θέρμουθις, καὶ τρίτος ὁ ἐρέτης, οὐ γὰρ πλείονας οἷα τε φέρειν τὰ λιμναῖα σκάφη ἀπὸ μόνου ξύλου καὶ πρέμνου παχέως ἑνὸς ἀγροικότερον κοιλόμενα. *Adscendit in scapham, ipse cum Thermute & tertio, qui remigis munere fungebatur, nec enim plures capiebant navigia ista fluviatilia, ex unico ligno & trunco agrestius excavata.* De hac capacitate ipsorum etiam Xenophon testatur lib. VI. *Postera die*, ait, *monoxyla adducunt, quibus singulis terni homines continebantur.* Ergo Plinius cum admiratione lib. XVI. cap. 41. *Germaniæ prædones*, inquit, *singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam & triginta homines vehunt.* Quod autem σκάφη nuncupavit Heliodorus, observandum est: Nam σκάφος, ἀπὸ τοῦ σκάπτεσθαι, quod significat cavare. Est ergo scapha proprie hoc genus: unde Polyænus lib. V. in Tyanicho: δεξάμενος σκάφας ἢ μονοξύλους, ἑκάστην ἕνα ἄνδρα δέξασθαι δυναμένην: *capiens scaphas vel monoxylos, quorum quisque unum virum capiebat.* Lintres alias dixere. Glossæ veteres: *Lintres*, μονόξυλα. Livius lib. XXI. cap. 26. *Ingens coacta vis est navium lintriumque temere ad vicinalem usum paratarum, novasque alias primum Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus, deinde & ipsi milites, simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alveos informes, nihil dummodo innare aquæ, capereque onera possent, curantes faciebant.* Sidonius Apollinaris in Panegyricis:

Prædæ præda fuit, cum concitus agmine toto
In pugnam pirata coit, pars lintre cavata
Jam dociles exponit equos ——

Etiam *alvei* vocabulum hoc genus designat: Vellejus lib. II. cap. 107. *Unus e Barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans ad medium processit fluminis.* Et talis, in quo Romulus & Remus expositi fuerunt. Ovidius lib. II. Fastor.

Sustinet impositos summa cavus alveus unda.
Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo sylvis appulsus opacis,
Paulatim fluvio deficiente sedet.

Livius lib. I. cap. 4. *Tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destitisset.* Propertius

Aut quid nam fracta gaudes Neptune carina,
Portabat sanctos alveus ille viros.

Locus clarior, quam ut a Baysio in dubium vocari possit: cum quo convenit etiam Plutarchus, quando ait, fuisse qui dicerent, cum alii cum suis navibus periissent, Romulum ac Remum in sua scapha (ἐν σκάφῳ ἐν [illegible] οἱ παῖδες) servatos esse. Alias *trabarias* has naves vocavere. Isidorus: *Trabariæ amnicæ naves, quæ ex singulis trabibus cavantur, quæ alio nomine littorariæ dicuntur.* Hinc Virgilius III. Æneid.

—— *vastumque cava trabe currimus æquor.*

apud Isidorum etiam *caudicæ* vocantur, verum falso, uti alias docebo. Cypriis sunt *adrya*, forrasse a δρῦς, *drys*, quod quamcumque Græcis arborem significat. Celtis similiter *deru*, Suecis *dræ*, aut *træ* vocatur. Hesychius: ἄδρυα, πλοῖα, μονόξυλα κύπριοι. Camarani maris rubri accolæ *sangara* appellant, ut ex Arriano discimus. Cæterum & hoc genus valde usitatum fuit antiquis; Phœnicibus cum primis, Ægyptiis, Germanis, Gallis, Italis, ut ex adductis testimoniis apparet. De Hispanis etiam testatur Strabo lib. III. *ad Cordubam*, ait, *navigant scaphis fluviatilibus, quas nostra ætate primum fecere*, τὸ παλαιὸν δὲ καὶ μονοξύλοις, *antiquitus vero etiam monoxylis.* Et alio loco de Lusitanis: *Nunc monoxylis utuntur.* Ita Plinius de Indis: *Regio, ex qua piper monoxylis lintribus* (interpretis, non Plinii τὸ *lintribus* videtur) quanquam retinuerit Solinus, qui haud dubie Plinium exscripsit *Baracen convehitur, vocatur Cottonare.* Duravit in his ad nostra usque tempora: Nam Pontanus de insulis S. Laurentii lib. II. Hist. Amstel. cap. 24. *Navigandi artificio carent, lintres tamen, cujusmodi Arrianus in periplo Rubri maris μονόξυλα vocat, piscationis gratia habent, ipsi canonas appellant.* Nota *canonarum* vocem, qua ut aliæ gentes, ita & Germani nostri ad designandum hoc genus utuntur. Neque alia videtur *canna* Micipsarum, cujus mentio est apud Juvenalem Satyra V.

—— *illud vestris datur alveolis, quod*
Canna Micipsarum prora subvexit acuta.

Canna, inquit Scholiastes, *genus navis, quod gandeia dicitur, ut sit gandeia Micipsarum, id est Afrorum. Gandejam enim soli Afri id est Zamæi, vel ut alii Byzanceni, ut alii Parcæ invenerunt.* Certe cannam idem esse cum arundine post alios Agrætius nos docet. Jam vero supra naves istiusmodi ex arundinibus confici ostendimus. Forte & apud Gellium lib. X. cap. 25. pro *catta*, *canna* scribendum est. Nam catta, quod & MS. meus retinet, ego quidem alibi legisse non memini. Satis de monoxylis; ad illud genus venio, quod Græci πλοῖα vocavere. Nam cum itinera majora homines susciperent, vel etiam ad bella venirent, tum in unaquaque navi plures requirebantur, quam quot hi lintres capiebant. Ergo vel ratem fecere, lateraque ejus cratibus munivere salignis, exemplo Ulyssis, de quo scribit Homerus Odyss. E. vel tabulas plures in veram navigii formam com-

binarunt. Idque factum paulo post Phœnicis tempora, ex invento Samothracum. Philo Biblius ex Sanchoniatone apud Euseb. lib. I. de Præp. Evan. cap. 10. *ἐκ δὲ τοῦ Συδὺκ Διόσκουροι, ἢ Καβειροὶ, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμοθρᾶκες· οὗτοι φησὶ πρῶτοι πλοῖον εὗρον. Ex Sydyc Dioscuri, seu Cabiri, seu Corybantes, seu Samothraces orti, hi dicuntur ploeum (πλοῖον) invenisse*. Polydorus Vergilius lib. III. cap. 15. de rer. invent. & Gyraldus I. de navig. hunc locum de quacunque navi explicant. Nobis secus visum est, vel ideo, quia paulo ante de Usoo loquebatur, cujus navigationis tam cito dememinisse non potuit. Quale vero id Dioscurorum navigium fuerit, haud constat. Nam cymbam, quæ & ipsa *πλοῖον* est, Phœnices, lembum Cyrenæi, celocem Rhodii excogitarunt. Myoparonem invenere Tyrrheni, Phaselum Campani, scapham Illyrii. Quæ cuncta *πλοῖα* a scriptoribus vocantur. Fuerit ergo aliud quoddam genus, specie sua magnitudineque ab his omnibus diversum. Nec a prædictis modo, sed & illo *πλοίῳ*, quod Artabanus apud prædictum Eusebium Moysen invenisse testatur: Cujus forma Britannorum illis similis esse potuit, quæ Cæsar sic describit: *Carinæ primum ac statumina ex levi materia fiunt, reliquum corpus viminibus contextum coriis integitur*: & Lucanus lib. IV. ver. 134.

Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum supernatat amnem.

Sane navibus hujusmodi Æthiopes, Ægyptii, Sabæi utebantur, id est illi populi, apud quos Moyses primis temporibus vivebat. Agatharchides apud Photium: *τῶν Σαβαίων τοῖς δερματίνοις οὐκ ὀλίγοι πορείοις χρῶνται. Sabæorum non pauci navibus coriaceis utuntur*. Strabo lib. XVI. *Ἐμπορεύονται Σαβαῖοι τὰ ἀρώματα ἀπὸ τῆς Αἰθιοπίας, πλέοντες ἐπ' αὐτὰ διὰ δερματίνοις πλοίοις. Δερματινα πλοῖα* hic illa ipsa *coriacea*, quia e pellibus ac coriis fiebant. Nam & Xiphilinus ita Britannorum navigia nominavit. Straboni alias *διφθερινά. Διφθερίνοις τε πλοίοις ἐχρῶντο* (de Lusitanis loquitur lib. III.) *ἕως ἐπὶ Βρούτου διὰ τὰς πλημμυρίας καὶ τὰ τενάγη*. Nempe *διφθερα* idem est, quod *Δέρμα*. Latinis sunt *sutilia*. Virgilius lib. VI. Æneid.

—— gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

Sidonius Apollinaris Car. VII. vers. 375.

—— pelle salum sulcare Berinnem
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

Causa, quia coria & pelles circumsuebantur. Plinius lib. VII. cap. 56. *Etiamnum in Britannico Oceano vitiles naves corio circumsuto fiunt*. *Sutiles naves* legendum est, uti Ms. innuunt, in quibus *utiles* reperitur. Nisi quis illud *vitiles* a viere; quod apud priscos est suere, vel ligare, derivare velit. Quanquam hoc magis videatur probum. Plinius lib. XXIV. cap. 9. *Genista vinculi usum præstat. Dubito an hæc sit, quam Græci auctores sparton appellavere, & numquid hanc designaverit Homerus, cum dixit: Navium sparta dissoluta. Nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum spartum in usu certum est. Et cum sutiles fierent naves, lino tamen non sparto unquam sutas*. Observa quæ de lino tradit. Consentit enim Festus, cujus verbis ex collatione præcedentium lux adfundenda est. *Serillia*, inquit, *Verrius appellari putat navigia Histrica & Liburnica, quæ lino ac sparto condensantur, a conserendo & contexendo dicta, quia dixit Pacuvius in Niptris: Nec ullam subtus cohibet compagem alvei, sed suta lino & sparteis serillibus: cum περιφραστικῶς & ficto usus sit, pro funiculis, quæ sparto conseruntur*. Cæterum ut lino, ita loris quoque circumsuebantur. Varro apud Gellium lib. XVIII. cap. 3. *Liburni plærumque naves loris suebant*. Et quia suebantur, *ῥαπτὰ πλοῖα* nominata sunt. Strabo lib. VII. de Putri palude: *ἑλώδης δὲ ἐστὶ σφόδρα, καὶ ῥαπτοῖς πλοίοις μόγις πλώϊμος*. Meminit ejusmodi navicularum etiam Arrianus in periplo maris Eryt. & in B Ommanis, Persidis emporio ait confici, inque Arabiam deferri, ab ipsis autem *madaratas* appellari. Nonnus lib. XXIII. v. 129. *πολέρδεμα* nominavit. Porro circa illa ipsa Moysis tempora navis inventa est ab Atlante in Libya. Clemens lib. I. Strom. *Ἄτλας ὁ Λίβυς πρῶτος ναῦν ἐναυπηγήσατο. Atlas Libycus navim primus ædificavit*. Per *navim* iterum hoc loco non intelligo quamcunque, verum talem, cujus & magnitudo *πλοῖα* superabat, & remi certo ordine disponebantur. Cujusmodi apud Græcos fuere, quæ *εἰκόσοροι* sunt dictæ. Nam hoc genus singulari navium vocabulo venire, tam ex Græcis, quam Latinis aliqui C ostendunt. Curtius lib. IV. cap. 5. *Traduntur & duodecim triremes, cum suo milite ac remige, præter eas triginta naves, & piratici lembi*. Hic profecto aliud sunt lembi, aliud naves, aliud triremes. Lembi minima navigia, id est *πλοῖα*, triremes maxima, media vero inter ista, naves. At talia non sunt, nisi ea, de quibus diximus. Livius lib. XXXVII. cap. 9. *Livius a Cannis cum triginta navibus, & septem quatriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat, Hellespontum petebat*. Diodorus Siculus Hist. II. *Αἰχμαλώτους δὲ ἔλαβε τριήρεις τριακοσίας, καὶ τετταράκοντα ναῦς. Cæ*D*pit triremes trecentas, naves quadraginta*. Apparet quoque ex his locis, verba Plinii de Danao (quibus eum aliqui navigiorum repertorem in commune asserunt) pariter non de omnibus, sed singulari genere, tali scilicet, accipienda esse. Et confirmat Apollodorus lib. II. Biblior. istis verbis: *Γίγνονται δὲ ἐκ πολλῶν γυναικῶν Δαναῷ θυγατέρες πεντήκοντα, ὃς καὶ ναῦν πρῶτος κατεσκεύασε, τὴν κληθεῖσαν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ, πεντηκόντορον, ἐν ᾗ τὰς κόρας ἐνθέμενος, ἔφυγε*. Sic hic locus legitur in editis, & plerisque Ms. Palatinus quidem codex verba illa, *τὴν κληθεῖσαν*, & sequentia non agnoscit: agnoscit tamen E Scholiastes vetustissimus Homeri, ut de iis, mihi quidem, dubitandum nihil videatur. Pentecontorum autem invenisse scribit, hoc est navem quinquaginta remorum. Quod verum esse docet Phavorinus: *φεύρει*, ait de Danao, *πρῶτος ναῦν κατεσκευάσας. Ἀθηνᾶς ὑποθήκῃ, κληθεῖσαν πεντηκόντορον, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν αὐτοῦ θυγατέρων*. Hinc & navem ipsam Argon quidam appellarunt. Commentator vetus ad Aratea Germanici: *Danaus cognita malitia Minervam invocavit adjutricem: tunc primum Minerva dicitur navim fecisse, quæ Argos appellata est, cum qua Danaus ex Africa Argos profugit*. Scholia F Eurip. in Medea de Argo nave: *καὶ πρωτόν γε αὐτὴν ναυπηγηθῆναι φασίν, ἄλλοι δὲ ὑπὸ Δαναοῦ γεγενημένην*. Ut ergo Atlas Libyæ viginti remis aliquam instruxit, ita hic postea numerum remorum magnitudinemque auxit, & decem insuper ac quinque ab utroque latere adjecit. Secutus inde Jason, & similis formæ navim primus in Græcis extruxit. Quemadmodum ante in Ægypto Sesostris. Herodotus: *Τοῦτον ἔλεγον οἱ ἱερέες πρῶτον μὲν πλοίοισι μακροῖσι ὁρμηθέντα ἐκ τοῦ Ἀραβίου κόλπου τοὺς περὶ τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν κατοικημένους*

κατασρεύεσθαι. *Hunc ajunt sacerdotes primum longis navibus Arabicum sinum prætervectum, populos rubri maris accolas in potestatem suam redegisse.* A Sunt qui Herodotum adversari aliis existimant, & τῶν μακρῶν auctorem, id est earumpse pentecontororum Jasonem facere conantur. At hi parum circumspecti. Non enim primum reperisse hasce naves ait, sed primum ex Ægyptiis, & regibus, cum iis navigasse in Arabiam, primum eas usurpasse ad bellum. Diodorus lib. I. de eodem: Επί τ' εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ἀπέστειλε στόλον νεῶν τετρακοσίων πρῶτος τῶν ἐγχωρίων μακρὰ σκάφη ναυπηγησάμενος. Τῶν ἐγχωρίων, inquit, quod profecto satis monstrat, nil adversum oportere B videri, si qui aliis in locis eadem navigia excogitasse ferantur. Quo etiam respectu verum esse potest, quod de Liparo, qui ante Æolum Jasonemque vixit, traditur. Nam & ipse longis istiusmodi navibus, sed in Italia navigasse videtur. Λίπαρον, inquit Diodorus, Αὔσονος ὄντα τοῦ βασιλέως υἱὸν ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν καταστασιασθῆναι. Κυριεύσαντα δὲ νεῶν μακρῶν καὶ στρατιωτῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας φυγεῖν, εἰς τὴν ἀπὸ τούτου Λιπάραν ὀνομασθεῖσαν. *Postea vero Liparum Ausonis regis filium dissidentem a fratribus insulam occupasse ferunt. Longis enim navibus & ex Italia in eam fugit.* C Quanquam triacontoris potius hic Liparus, quam pentecontoris usus esse potuit. His videlicet nondum a Jasone in Græcia repertis, adeoque nihil adhuc notis in Italia, istis temporibus. Cæterum nec numerus remorum, nec navigiorum magnitudo satis adhuc creverat Itaque cum hactenus una tantum serie dispositos haberent remos, Erythræi alteram adjecere. Plinius, ex Damasthene, vel Demasthene ut alii, ut ego censeo ex Damasthe, qui vixit tempore Herodoti: *Erythræi primum biremem invenere.* Non ita multo post plures etiam ordines accedebant. Nam annis circiter trecentis post excidium D Trojanum, totidemque ante Cambysen, Aminocles Corinthius triremem reperit, si Herodoto, Thucydidi, & Diodoro, magnis sane viris, fidem adhibemus. Dissentit enim Clemens lib. I. Strom. & Sidonius eam primos extruxisse scribit. Quanquam in latina versione scriptoris ejus, a Gentiano Herveto adornata, & Basileæ Anno MDLXVI. edita observem adjectum in margine τρήροτον. forte quia ita reperit in suo codice, & quale genus esset ignoravit. Unde credo plane scribendum τρίκροτον, ut est in editione Commelini, & non trium ordinum, sed trium remorum navim exponendum esse. *Quadriremem*, pergit E Plinius, *Aristoteles Carthaginensis, quinqueremem Nesichthon Salaminius invenere.* Diodorus aliter. Ἀκούων, inquit lib. XIV. ὁ Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ ναυπηγηθῆναι τριήρη πρῶτον, ἔσπευδε κατὰ τὴν ἀποικισθεῖσαν ὑπ' ἐκείνων πόλιν αὐξῆσαι τὸ μέγεθος τῆς τῶν νεῶν κατασκευῆς. ἤρξατο οὖν ναυπηγεῖσθαι τε τριήρεις καὶ πεντήρεις καὶ σκάφη, πρῶτος ταύτην τὴν κατασκευὴν τῶν νεῶν ἐπινοήσας. *Dionysius cum accepisset Corinthios triremes primum ædificasse, in deducta illinc urbe structuram navium amplificandam esse censuit. Triremes igitur & quinqueremes cum scaphis primus ejusmodi structuram commentus, ædificare cœpit.* F Et paulo ante clarius: *Fabricari instituit* ναῦς τε τετρήρεις καὶ πεντήρεις, οὐδέπω κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους σκάφους πεντηρικοῦ νεναυπηγημένου. *Triremes ac quinqueremes, nemini ad id tempus cognita quinquereme.* Porro Sex ordinum Zenagoras Syracusius, eodem Plinio testante, ab ea ad deceiremem Nesigiton fecere. Alexandrum Magnum ferunt instituisse ad duodecim ordines. Philostephanus Ptolemæum Soterem ad quindecim. Demetrium Antigoni ad triginta. De quo etiam Plutarchus apud Photium. Μέχρι Δημητρίου Ἀντιγόνου παιδὸς, ὅς πολιορκητὴς, οὐδεὶς εἶδεν οὔτε πεντεκαιδεκήρη ναῦν πρότερον, οὔτε ἑκκαιδεκήρη. Ptolemæum Philadelphum ad quadraginta. Ptolemæum Philopatorem ad quinquaginta. Potest ex hoc loco æstimari, quantis incrementis navium extruendarum artificium ad fastigium suum acceleraverit. Nec in navigatione ipsa quid omissum, quod usui esse videbatur. Et quia rudis ab initio fuit, Germanorum more, quorum navigia nec velis ministrantur, nec remos in ordinem adjunctos habent: Annis circiter viginti post adventum Danai in Græciam, Dædalus malum, filius ipsius Icarus vela invenere, sæpe dicto Plinio authore. Pausanias in Bœoticis. Ἡνίκα ἔφευγεν ὁ Δαίδαλος ἐκ Κρήτης πλοῖα οὐ μεγάλα αὐτῷ καὶ τῷ παιδὶ Ἰκάρῳ ποιησάμενος, πρὸς δὲ καὶ ταῖς ναυσὶν (ὁ μήπω τοῖς τότε ἐξεύρητο) ἱστία ἐπιτεχνησάμενος, ὡς τοῦ Μίνω ναυτικοῦ τὴν εἰρεσίαν φθάνοιεν ἐπιφόρῳ τῷ ἀνέμῳ χρώμενοι. *Fugit tunc e Creta Dædalus, sibique & filio non magna ædificavit navigia, iisque (quod tum adhuc erat incognitum) vela imposuit, sicque Minois classem, quippe quæ remis tantum uteretur, facile effugit, secundo vento utens.* Hinc locus factus poetarum fabulis, quibus alis cereis utrumque volasse tradiderunt. Nam navibus fuisse usos, præter Cidemum apud Plutarchum, vita Thesei, & Heraclitum lib. de Rebuspubl. Varro etiam testatur. Icariumque mare dictum asserit, quod ibi Icarus naufragio perierit. Quod de Iside consignavit Cassiodorius, de alio velificationis genere, vel regione tantum ista accipiendum est. *Vela*, inquit lib. V. Var. *Isis rati primum suspendit, cum per mare Harpocratem filium suum audaci fœmina pietate perquireret: ita dum materna charitas suum desiderium festinat explere, mundi visa est ignota reserare.* Hyginus idem Fab. CCLXXVII. *Velificia primum invenit Isis. nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Extat quoque ejus rei monumentum, in emblematibus Auctarii, quod Pignorius expositioni tabulæ Isiacæ subjecit, Isis insistens rati, tenens sistrum, & velum utraque manu. Sane quia Dædalus non vero velo, sed pallio extento navigavit, ut vult Servius, plane incognitam tunc, saltem in Græcia velificandi rationem ex hoc exiguo initio extitisse credendum est. *Dædalum*, inquit ad VI. Æn. *propter supra dictas causas fugientem navem conscendisse, & cum imminerent, qui eum sequebantur, intendisse pallium ad adjuvandos ventos, & sic evasisse ferunt.* Ventorum rationem, quam & ipsam primo habuere nullam aut exiguam, Æolus edocuit, indeque de se vulgo fecit opinionem, quasi rex ipsorum esset. *Poetæ*, ait Servius, *Æolum fingunt esse regem ventorum. Sed ut Varro dixit, rex fuit insularum, ex quarum nebulis, & maxime fumo Vulcaniæ insulæ prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis visus est ventos in sua potestate retinere.* Strabo. *Polybius recte interpretatur ea, quæ de erroribus Ulyssis Homerus habet, Æolum nempe, quia prædiceret, quomodo per fretum navigari possit, cum iis locis ob affluxum & refluxum maris cursus difficulter teneri, fretumque superari queat, ventorum promum dictum fuisse, ac regem.* Cæterum sive hanc ventorum notitiam didicerit aliunde, id quod nobis videtur, sive princeps ipsam invenerit, quod Plinius lib. VII. cap. 51. existimavit, levis sane fuit ac exigua. Licet ob hanc causam Diodoro lib. IV. cap. 3. celebretur, quasi nautas velis uti docuerit. Cujus verba male Baysius sic est interpretatus, ac si ante ipsum vela non fuissent usitata. Verum perperam, ut vel ipsa Diodori verba demonstrant. Πρὸς δὲ τούτοις inquit, τῶν ἱστίων χρείαν τοῖς ναυτικοῖς εἰσηγη-

σαϑαι ϰ̀ διδάξαι λέγουσιν. Non ait, τὰ ἱςία, sed χρείαν τῶν ἱςίων: velut diceret: Cum ante necdum cognita ventorum lege casu magis, quam consilio, vel ex arte vela facerent. Æolus vicissitudine ipsorum indicata, rectam velorum rationem ostendit, & quando vel in rectum, vel in obliquum dari deberent, demonstravit. Patet idem & ex tempore, quo quisque vixit. Nam Dædalum Minois tempore fuisse constat. Æolum vero Ilii temporibus floruisse, quis est, qui ignorat?

CAP. IV.

De navium miraculis, & diversa navigandi ratione.

Prisci navim magnopere admirati sunt, & ex ea equos, aves, pisces fecere. Pegasus, Phœnix, Gryphi. Aliquando in piscibus navigatum. Sæpius in crustis piscium, navibus fictilibus ac papyraceis, quorum utilitas demonstratur. Arundinum quoque usus loco navium. Lapsus Gyraldi. Navigia solubilia, ex cortice, plumis, vitro, marmore, auro, ære. Navigationis varietas & locus quidam Actorum examinatus: χαλᾶν τὸ σκεῦος. ἀνακοχεύειν. *Arbor quando cæsa. Arma quæ, quando & quomodo solis velis navigatum, quando remis solis, aut utrisque conjunctim: remi ut religati ad latus: velificandi ratio varia. Hirtius exponitur: ventus suus. Donatus reprehenditur.* ἀμφοῖν ποδοῖν. ἱςιοκώπη.

NAvim primum homines conspicati, tantopere obstupuerunt, ut qui ea navigabant, nescio quibus belluis ac monstris uti arbitrarentur. Auctor Apollonius & Scholiastes ejus. Sic ex Persei navi factus Pegasus, non enim equum, verum navim fuisse docent Palæphatus & Artemidorus. Aristophanes in Θεσμοφ.

> Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυςολῶν τὸ Γοργόνος παρακομίζων.

Perseus ad Argos navigat, Gorgonis caput ferens. Nec etymon, inquit Vossius lib. III. Idol. c. 99. *adversatur. Nam est* πήγασος *a* πήγω *sive* πηγνύω, *hoc est compingo, quia navis e multis componitur lignis. Et favet quoque quod Pegasus fingatur Neptuni proles: nempe quia eo maria sulcamus.* Sic ex navi Triptolemi factus serpens. Euseb. in Chron. ὑπονοεῖσϑαι δὲ πτερωτὸν ὄφιν εἶναι τὴν ναῦν. putaverunt, inquit, homines, cum primum id navigium viderent, esse serpentem alatum. *Alatum*, ait Scaliger, *propter remigium, serpentem propter figuram longam. Erat enim* μακρὰ ναῦς. *quemadmodum meminimus navigium longum Anguillam a nostris Aquitanis dictum fuisse a figura.* Sic Olaus Rex Norvagiæ suam quandam navim appellavit serpentem. Sturlesonius: *dat Skib var baade langt oc bret oc hoit paa borde, oc sterk af timmer, oc Kongen Kallede det orm hin lange*; id est: *navis erat longa lataque, & alta habebat latera, firmasque tabulas, vocabatque Rex nomen ejus Serpentem magnum.* Sic quoque Phœnix, avis habitus, cum navis esset. *Cinnamomum*, ait Fullerus lib. IV. Miscella. Sac. cap. 20. *& casiam in avium nidis, & privatim phœnicis apud Arabes tradunt reperiri. Quod occulte innuere videtur Tyriorum (nam & hi Phœnices sunt) navigia ex remotissimis Indiæ insulis aromata in sinum Arabicum deferentia.* Possemus eadem de Gryphis credere. Nam & ipsi quando aurum Scythicis ac Indicis in oris custodire dicuntur, quid nisi naves auro aliisque rebus pretiosis ex India onustas significant? Neque inepta ista navium mutatio in aves. quam enim alæ rationem habent in avibus, eandem ordines remorum in navigiis. Unde Virgilius lib. VI. Æn. de Dædalo.

> *Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,*
> *Redditus his primum terris tibi Phœbe sacravit*
> *Remigium alarum.* ——

Servius ad I. Æn. *Est ista reciproca translatio navium & avium: legimus enim &, velorum pandimus alas, & contra de apibus, nare per æstatem liquidam, quum natatus navium sit, alæ vero avium.* Nec forte alia est ratio, cur naves & in pisces mutarint. Nam & illi pinnis suis velut remis utuntur, & tanquam gubernaculi, sic caudæ levi in utrumque momento velocitatem suam flectunt. Mutatas autem scimus exemplo ceti, cui Andromedam objectam fabulantur. Navigium enim fuisse vel ex eo patet, quod a Neptuno, id est insulari regulo missus dicitur. Deinde quia, Hygino teste, devorare ipsam debuit. Quam enim capere & abducere debebat cetus ille, veluti in ventrem, ita in concavitatem navis erat receptura. Quid? quod aliquando veteres in ipsis piscibus navigarint. Docet non fabula, Philippo teste in Ανϑολ. sed historia de Arione citharœdo, a Delphino in Laconicam per ingens maris spatium devecto, quam cum multis aliis describunt Plinius & Gellius. Item alia & gemina de quodam puero, quem Appion testatur se Puteolis vidisse a Delphino, a quo amabatur, dorso etiam per stadia ducenta in mari cum ingenti admiratione omnium gestatum. Plures habet Plinius, de puero in Jasso urbe, item alio in Naupacto, & rursum alio Tarentino, quas enumerare supersedeo. Aliquibus in locis crustis piscium navigiorum loco utebantur. Prædictus auctor lib. IX. cap 10. *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut inter insulas rubri præcipue maris his navigetur cymbis.* Diodorus Siculus lib. III. de Chelenophagis: *Habent testudines eximia magnitudine, nihil quidquam piscatorum lembis minore, quarum crustis, ut quæ scaphæ formam habent, commodum utuntur, & in continentis oras aquandi causa iis navigant.* Strabo lib. XVI. *Chelenophagi crustis testudinum domorum vice utuntur, quæ & ejus magnitudinis, ut vel navigare in iis liceat.* De iisdem inter Sporades degentibus Agatharchides apud Photium. *In circumfuso pelago testudinum copia nascitur. Gurgustia in editis locis inde coagmentant, ad navigationis præterea usum & aquationis transferunt. Quo fit ut res eadem navis, domus, vasa, & alimenti hominibus illis usum præbeat.* Tanta scilicet ingenio humano indita cupido navigandi, omniumque regionum perfruendi commodis, ut & cum terra non habet, mare ipsum instrumenta, quibus navigetur, suppeditare faciat. Ægyptii testaceas naves quondam fecere, & finxerunt ex luto, quo superarent mare. Juvenalis Sat. XV.

> —— *imbelle & inutile vulgus*
> *Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,*
> *Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.*

Fidem pene dixerim excedit. Sed confirmat Strabo, gravis auctor lib. XVII. Αἱ κατὰ ῥᾳςώνην πλέονται τοσαύτην, ὥςε ϰ̀ ὀςράκινα ἐνίοις πορϑμεῖα. *tanta facilitate ibi navigatur, ut nonnulli testaceis utantur navibus.* Alias & ex Papyro, quo illa re-

la regio abundat, habuere. Lucanus lib. IV. var. 135.

> —— *sic cum tenet omnia Nilus*
> *Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.*

Et lib. III. verf. 222.

> *Nondum flumineas Memphis contexere biblos*
> *Noverat* ——

Idem præter alios consignavit Plinius lib. VIII. cap. 56. & lib. VI. cap. 22. Græci has naviculas πλέγματα βίβλινα vel παπύρινα, Latini *Niliaca* & *Ægyptia* vocaverunt. Strabo διαπλόκινα, ut refert Cl. Salmasius, interpretatus est. Ac ne auctoritas deesset, Isidem finxerunt eas principem commentam, indeque factum esse, ut, qui iis uterentur, tuti manerent a crocodilis. Plutarchus lib. de Iside & Osiride. Τὴν Ισιν λέγουσι πυθομένην ἀναζητεῖν ἐν βάριδι παπυρίνῃ τὰ δὲ ἕλη διεπλέυσαν. ὅθεν οὐκ ἀδικεῖσθαι τοὺς ἐν παπυρίνοις σκάφεσι πλέοντας ὑπὸ τῶν κροκοδείλων ἢ φοβουμένων ἢ σεβομένων διὰ τὴν θεόν. *Ferunt Isidem re comperta paludes papyraceo lembo pernavigasse & frustra quæsivisse. Hinc esse, quod qui papyraceis navigiis vehuntur, non infestentur a crocodilis, aut metuentibus aut venerantibus eos, propter Deam.* In quibusdam gentibus navigiorum vicem *barundinis præstant singula internoda*. Plinius lib. XVI. cap. 37. quæ in India *tantæ sunt proceritatis, ut singula alveo na-*

A *vigabili ternos interdum homines vehant.* Idem lib. VIII. cap. 2. Fabricam eorum descripsit Heliodorus lib. X. cap. 27. atque tam facilem dixit esse, ut *arundo in duas partes fissa, ex qualibet sectione navigiolum præbeat.* Diodorus notavit, durabiles esse has naves, nec facile putrescere. *In India*, inquit lib. II. Ant. *magna vis est arundinis, quarum crassitudinem vix ulnis homo complectitur. Ex quibus factæ naves eximium dicuntur habere usum, quoniam carie non infestentur.* Atque tales habuit Stabrobates rex Indorum, cum ei Semiramis inferret bellum, non Semiramis ipsa, quod Gyraldus, memoria credo lapsus, prodit. Hujus enim
B *solubiles* fuere, quas διαιρετὰ πλοῖα nominavit Diodorus lib. II. Dictæ autem solubiles, quia in partes dividi, cumque usus postularet, iterum conjungi poterant. Curtius lib. VIII. cap. 10. *Jussit ad flumen Indum procedere, & navigia facere, quis in ulteriora transportari posset exercitus. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent, rursusque conjungi.* De iisdem Strabo lib. XVI. *Navigia in Phœnicia Cyproque construxit*, διαλυτὰ τε καὶ γομφωτὰ, *partim solubilia, partim clavibus compacta.* De prædictis Semiramidis Diodorus: *Cum*
C *juxta flumen materia non esset, ex Bactriana pedestri itinere naves ad Indum flumen transvehi necessum erat. Ergo naves solubiles effecit, camelisque imposuit, a quibus terrestri itinere eo deportarentur.* Figuram ipsarum Stevvechius hanc fuisse suspicatur.



Aliud est genus, quod *plicatiles* appellant. Plinius lib. V. cap. 9. *Elephantis insula, ibi Æthiopicæ conveniunt naves. Namque eas plicatiles humeris transferunt quoties ad cataractas ventum est.* Fit ex pellibus, lignisque quibusdam circularibus quibus expandi pelles, exemtisque rursum complicari possunt. Tales Babyloniorum illæ fuisse videntur, quas Herodotus describit in hunc modum: *Navigia illis sunt omnia circulari forma, eaque ex aluta vel corio. Ubi enim ligna circularia e salice coaptarunt, obtendunt extrorsus tegumenta e pellibus, quibus soli vice utuntur, carinæque loco: nulla neque puppis neque proræ forma discreta, verum scuti instar in orbem composita, deinde stipula referciunt, illudque navigium flumini permittunt. Singula ex his vivos intus habent asinos. Et postquam Babilonem pervenerunt, lignis navigii, atque omnibus stramentis venundatis, pelles asinis imponunt, eosque in Armeniam agunt.* Meminit Pontanus lib. II. Hist. Amst. cap. 21. navigii ex arborum corticibus consuti contextique, quo Pitzorienses (India gens est) utuntur. Apud Lilium Gyraldum *matteas*, hoc est junceas naves legimus, nullo auctore indicato. Plinius tamen lib. VII. cap. 56. *In Nilo*, scribit, *fiunt & ex scirpo.* Sunt qui existimant Jesaiæ Prophetæ tales fuisse, quarum mentio fit cap. XVIII. Item illam, in qua Moyses expositus in Nilo proditur. Ex pennis avium resina conglutinatam, affabreque

D factam ipsi Leidæ quondam vidimus. Boterus, teste Stypmanno lib. II. c. 3. jur. nav. etiam ex vitro se vidisse asserit Venetiis. Marmoreas habemus in quibusdam regionibus urbis Byzantii, ad indicium & monumentum rei maritimæ bene gestæ. Zonaras Annal. III. æneam describit prorsus admirabilem. Quæ cum aliquando per incuriam fracta esset, accidit, ut nulla oneraria portum Byzantinum subire valeret, sed adversis acta procellis, retro meare cogeretur. Donec re studiose explorata, partibusque summa diligentia conquisitis navigium reficeretur. Tum demum pristino more navigare poterant. Aurea navi vehebatur
E Jupiter Ammon. Diodorus lib. XVII. ἐπὶ νεὼς τῆς περιφέρεται χρυσῆς, *circumfertur in navi aurea.* Aureas alias habemus in notitia Imperii, & descriptione Urbis Byzantinæ, signa victoriarum navalium. Ex ebore fecit Myrmecides, teste Plinio lib. VII. cap. 21. quam apicula pinnis absconderet, tam minuta erat. Autor vetus de Rebus bellicis navigium describit, nullis velis remisve instructum, *sed in cujus alveo vel capacitate bini boves machinis adjuncti, adhærentes rotas navis lateribus volvunt, quarum supra ambitum vel rotunditatem extantes radii currentibus hisdem rotis in mo-*
F *dum remorum aquam conatibus elidentes miro quodam artis effectu operantur, impetu parturiente discursum*, ut de eo auctor ipse loquitur. Boterus lib. VIII. Pol. cap. 3. meminit quorundam in

Italia constructorum, quibus navigari potuit in terra. Excogitarunt non absimile Batavi, quo in glacie utuntur. Hactenus de navium miraculis, diversisque materiis. Veniamus ad diversitatem navigandi. Ea vero triplex est, vel remis solis, vel solis velis, vel utrisq; simul. Remis solis utebantur, quando mare tranquillum, nullique spirarent venti. Heliodor. lib. v. Æthiop. ἐπειδὴ τὴν θάλασσαν ἐστόρεσεν ἡ γαλήνη, τὰς κώπας ἡ χρεία παρεκάλει. *Postquam mare factum est tranquillum, necessitas remos advocabat*: Maximus Tyr. dissert. v. *Non velles imitari agiles vectores, qui interdum etiamsi nautæ non sint* (προσάψασθαι κώπης ἐν γαλήνῃ) *remos si magna sit tranquillitas in manus sumere solent*. Hoc est, quod intellexit Cicero lib. xvi. Ep. ad Attic. ep. 6. *Ego adbuc magis commode, quam strenue navigavi; remis enim magnam partem, prodromi nulli*. Obtinuit hæc consuetudo, cum & venti in adversum flarent. Pomponius Sabinus. *Cum ventus contra spirat, vela colliguntur, & remis navigatur*. Itaque ex more ille apud Lucanum lib. ix. vers. 148.

Præcipitate rates e sicco littore nautæ,
Classis in adversos erumpat remige ventos.

Nam & apud Flaccum lib. ii. vers. ii. tali casu

—— reduntia vento
Vela legunt, remis insurgitur ——

Præcipue hoc observatum in tempestatibus. Credo quod in ista ventorum violentia velum periculo magis, quam usui esse notum erat. Petronius: *Dum hæc taliaque jactamus, inhorruit mare, nubes undique obductæ obruere tenebris diem. Discurrunt nautæ ad officia trepidantes, velaque tempestati subducunt*. Claudianus in Eutropium lib. ii. vers. 5.

Cautior ante tamen violentum navita Corum
Prospicit, & tumidæ subducit vela procellæ.

Calaber lib. v. ver. 80.

Εσσυμενὰς φοβέοντο καταιγίδας ἑτερόν περ
Λαίφεα λευκ' ἐρύοντες, ἵν' ἐκ θανάτοιο φύγωσιν:
Οἱ δ' ἕζοντο ἐπ' ἐρετμὰ πονεύμενοι ——

Imminentes formidant procellas, atque quasi jam jam personarent, candida vela detrahunt, ut discrimen mortis elabantur, aliiq; ad remos sedent occupati. Græci hanc navigationem δεύτερον πλοῦν vocare solent, uti Suidas docet. δεύτερος πλοῦς, ait, ὅτε ἀποτυχών τις οὐρίου, κώπαις πλεῖ. *Altera navigatio est, cum vebementiore vento flante, remis navigatur*. Cujusmodi forte fuit illa Beati Pauli, de qua Lucas Act. xxvii. vers. 17. χαλάσαντες τὸ σκεῦος, οὕτως ἐφέροντο. Est, qui locum de arbore cæsa interpretatur: nam τὸ σκεῦος, inquit, *velum dici, unde patet?* Verum frustra. Idem enim & de malo quis interroget. Nec in χαλᾷν hic difficultas. Suidas clare in voce Δόλωνες. χαλάσαντες μεγάλα ἄρμενα. & alibi χαλάσαι σχοινίον. Sic in lege Rhodia §. 36. *Si navis velificans impulerit in aliam* ὁρμοῦντα, ἢ χαλάσαντα τὰ ἄρμενα. Quid? quod ipsa ratio hoc evincat. Quis enim prima die cæsum malum, tertia demum cum armamentis reliquis ejectum, vel hunc solum ejectum, cætera vero per integrum biduum servata credat? Fatemur equidem in summis id, quod ait, factum periculis, & a Græcis ἀποσκευάζεσθαι, Suida teste, vocatum esse. At tale prima die extitisse, nec nos conjectare possumus, nec ex Lucæ verbis intelligere. Is enim ita: Σφοδρῶς δὲ (de secunda die loquitur) χειμαζομένων ἡμῶν. *Cum tempestas vebementius nos affligeret*. Ergo prima die vehemens quidem fuit, sed vehementior secunda, vehementissima vero tertia, qua demum facta est jactura. καὶ τῇ τρίτῃ αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐρρίψαμεν. Jam autem ante jacturam rerum aliarum arbor nunquam cæsa. Scholiastes Juvenalis Sat. xii. ver. 54. *Post ejectionem rerum omnium facias navem minorem, fiet autem minor navis, sublata arbore*. Igitur χαλᾷν τὸ σκεῦος hoc in loco idem, quod apud Livium lib. xxi. cap. 10. & lib. xxxvi. cap. 44. *demere armamenta*. Id est demittere antennas, contrahere vela & subducere, quemadmodum a Palinuro factum canit Virgilius lib. v. Æn.

—— inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quidnam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis.

Arma, inquit Donatus ad hunc locum, *vela dixit, quod ipsum sequentia docent, ait enim; validis incumbite remis, ut niterentur remis contra vim tempestatis & pelagi*. Sed cum tempestas urgeret vehementius, etiam a remigatione abstinebant, perque omnia obsequebantur vento, quod ἀνακωχεύειν Græci appellabant. Suidas: ἀνακωχεύειν λέγεται, ὅταν χειμῶνος ὄντος ἐν πελάγει στείλαντες τὰ ἄρμενα σαλεύουσι αὐτόθι, μὴ διαμαχόμενοι τῷ πνεύματι. hoc est: ἀνακωχεύειν *dicitur, cum exorta tempestate in mari demptis velis navigium ventis sine repugnatione permittitur*. Hoc genere vero similius est usum D. Paulum, in prædicto loco. Additur enim οὕτως ἐφέροντο, *ita ferebantur*, quod de remigantibus dici commode vix potest. Et confirmat Arabs, qui hæc verba, Junio interprete, sic reddit: *Quo ita abripiente navim, ut non posset obniti adversus ventum, dimisimus eam quocumque deducturus esset turbo*. Remis porro solis etiam utebantur, quotiens portum subituri erant. Donatus iterum hoc libro: *Nullus nauta plenis velis venit ad terram, sed cum adbuc in alto est, deponit vela, & navigium ad littus remigando perducit*. Vela vero sumebant, si quando nihil horum, quæ prædiximus, obstabat: unde Naso lib. i. Trist. eleg. 9.

Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram:
Sive opus est remo, remige carpit iter.

Nonnunquam & ad requiem nautarum, & laboris sublevationem adhibebant. Statius Sylvar. iv. ver. 218.

Tunc velocior acriorque cursus,
Tunc ipsas juvat impetus jugales:
Ceu fessis ubi remigum lacertis
Prima carbasa ventilantur aura.

Et ita capio, quæ extant apud eundum Achill. ii. ver. 331.

Tu potius, dum lene fretum, Zephyrisq; feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli
Ede.

Maxime vero fiebat de nocte, somnum capturis remigibus. Flaccus lib. iii. Argon. ver. 33.

Nox erat, & leni cedebant æquora sulco,
Et jam prona leves spargebant sydera somnos,
Aura vehit, religant tonsas, veloque Proneson
Legunt.

Nota quod ait, *religant tonsas*: sic enim solebant, funibus ac loris religando ad latus. Ovid. Metam. lib. xi.

Obvertit lateri pendentes navita remos,

Cornuaque in summa locat arbore. ——
Cæterum velificandi ratio fere quadruplex, pro conditione ventorum. Solent enim nautæ

—— nunc lina sinu
tendere toto: nunc prolato
pede transversos captare notos,
nunc antennas medio tutas
ponere malo, nunc in summo
religare loco ——

Uti Seneca testatur in Medea, vers. 320. Vento flante secundo, at invalido, in summum mali vela subducebantur. Lucanus lib. v. ver. 428.

—— Summaque pandens
Suppara, velorum perituras colligit auras.

Et Seneca prædicto loco: Solent vela

—— in summo
religare loco, cum jam totos
avidus nimium nauta flatus
optat ——

Nempe *cum in summo cacumine antennæ subductæ sunt, tum navis vehementiori progreditur impetu, quod non proxime calcem mali, quod est loco centri, sed in summo longius, & ab eo progressa recipiunt in se vela ventum.* Vitruvius lib. x. cap. 8. Et Seneca Epist. LXXVII. *Nulla res æque adjuvat cursum, quam summa pars veli, illic navis maxime urgetur.* Cum autem validior est ventus, quam expedit, vela paulum submittuntur, collocanturque in medio. Prædictus auctor: *quotiens ventus increbuit, majorque est, quam expedit, antemna submittitur, minus enim habet virium flatus ex humili.* Vitruvius. *Vela cum sunt per medium temperata, minorem habent virtutem.* Intelligitur hinc sive Hirtius, sive alius quis belli Alexandrini scriptor, quando ait: *Tempestas erat turbulenta, & nulla suspicio hostis, cum repente adversam ad se venientem navem, antennis ad medium malum demissis, animadvertit.* Nec tantum submittunt, sed & contrahunt, eorumque partem convolvunt. Macrobius Saturn. VII. c. 5. *In mari gubernatores vento suo, etiamsi nimius sit, contrahendo in minorem modum vela, prætervolant, & flatum, cum major est, coercent.* *Suo vento* ait, hoc est Secundo. Virgilius lib. v. Æneid.

—— ferunt sua flamina classem.

Ovidius lib. I. Trist. Eleg. penult.

Vos facite ut ventos, loca cum diversa petamus,
Illa suos habeat, nec minus ista suos.

Unde & Horatius lib. II. Od. 10. Ad prædictæ consuetudinis imitationem

—— Sapienter idem
Contrahens vento nimium secundo
turgida vela.

Manifesta ex his locis sententia Cydippes, in epistola, quæ extat apud Ovidium in hæc verba:

Quam sæpe, ut tardis, feci convitia remis,
Questaque sum vento lintea parca dari.

Querebatur quippe, non totis velis ventos excipi, quos tamen viderat esse prosperos & secundos.

Jam si ex obliquo flabat, modo hic, modo ille veli sinus porrigebatur in ventum. Quod Græcis *ὑφιέναι τὶ τῆς κεραίς*, vel, *βραχὺ τῆς κεραίας*, teste Polluce. Credo, quia semper major ea pars antennæ, quæ erecta ultra malum, prominet in ventum, ut & hodie in galeis videmus. Virgilius lib. v.

Obliquatque sinus in ventum ——
Et mox
Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus, una ardua torquent
Cornua detorquentque ——

Lucanus lib. VIII. ver. 195.

Justo vela modo pendentia cornibus æquis
Torsit, & in lævum puppim dedit ——

Vela hic non colliguntur, sed cum æquali antenna modo pependissent, nunc ex una parte tolluntur in altum, ex adversa vero premuntur. Haud ergo accurate Donatus Virgilium de priore ratione interpretatus est, quæ non nisi prospero, sed validiore vento flante usurpabatur. Deinde nec antennam detortam, sed æqualem habebat. Virgil. lib. IV. Æn.

Vidit & æquatis classem procedere velis.

Statius lib. III. vers. 195.

Antennæ gemino consistite cornu
Oebalii fratres ——

Græci hoc *ἀμφοῖν ποδοῖν* dixere, ut a Suida notatur, quia funis utriusque anguli in velo pari modo laxabatur. At denique si ventus flabat, secundus quidem, sed parum ad implenda vela validus, tum non jam velis solis, neque solis remis, sed utrisque simul navigabant. Seneca in Agamemnone vers. 432.

—— adjuvant ventos manu,
Sulcata vibrant æquora ——

Ovidius lib. III. Metam. Fab. 9.

Illi admirantes remorum in verbere perstant,
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant.

Sic Statius Achill. lib. III. vers. 18.

—— totos emittit puppe rudentes
Dux Laertiades, sociosque resumere Pontum
Imperat, & remis Zephyros supplere cadentes.

Fiebat idem, quando festinandum erat. Probat Cicero, multique alii. Plautus Asin. Act. I. scen. 3. vers. 5.

Remigio veloque, quantum poteris, festina & fuge.

Græcis *ἱστιοκώπῃ* isthæc navigatio. Meminit Pollux lib. I. cap. 9. ubi *περὶ ἐξουρίας πλοῦ*, id est ea navigatione agit, quæ fit vento secundo: *εἴρηται δὲ καὶ ἱστιοκώπῃ πλεῖν*. Interpres ejus Gualterius Græcam vocem retinuit: potuisset reddere hoc modo: *dicitur & velis remisque navigare*. Subjungit Pollux: *ἀλλὰ βέλτιον εἰρεσίᾳ*. Nempe quia hoc navigationis genus tunc magis fuit in usu, ideo & vocabulum erat usitatius. Contra apud veteres, qui frequentius remis velisque simul navigabant, velut Servio notatum. *Antiquis*, ait lib. I. Æn. *velis remisque navigabant.*

A Confirmatur Homero, apud quem ubique videas navigaturos primum deducere navim, post erigere malum & pandere vela, denique remos alligare scalmis, atque ita navigare.

CAP. V.

De structura navium in commune.

Navis neque magna nimis esto, neque parva. Levis maxime probatur, & quæ ex lignis aridis extructa est. Quibus arborum generibus prisci usi legantur, ad navium ædificationem. Sapinus & de ea Servius notatus. De sylvis publicis huic rei destinatis, earumque autore. Tempestiva materia. De compactione navium vel per clavos, vel per funes & stuppam. De ipsarum ceratura, ejusque autore. Zopissa. τὸ ναυτικὸν νάος. Lubinus notatur. Dedicatio navis recentis. Additur probatio, & Græcis Latinisque usitata fuisse ostenditur: ἀναπειρεῖν. Circenses navales. Piscatorii ludi.

B

UT naves, bellicæ cum primis, bonæ sint, tria observavimus requiri, magnitudinem decentem, levitatem, & robur. In magnitudine attenditur, ne vel nimia sit, vel nulla. Nam utrumque est inutile, quia minima navigia a fluctibus persacile subvertuntur, maxima vix regi possunt. Persæ apud Curtium lib. VI. cap. 11 ad Alexandrum. *Videsne, ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeunt*. Aristoteles Polit. lib. VII. *Navis palmi unius prorsus non erit navis, ut nec duorum stadiorum aliqua, quia altera propter parvitatem, altera propter magnitudinem cursum sive navigationem impedire solet*. Et probatur exemplo navium Antonii ac Cleopatræ, quibus, cum, ut Florus ait, *non sine gemitu maris & labore ventorum* veherentur, nihil magis exitio fuit, ea ipsa mole. Post magnitudinem observatur, ne sint graves, sed ut flecti facile, ut celeriter circumagi queant. Ita enim Florus lib. II. cap. 2. de Romanis. *Romana classis prompta, levis, & quodam genere castrensis, sic remis, quasi habenis agebatur*. Et apud Livium lib. XXXVI. cap. 43. Polyxenidas se gloriatur omnibus rebus esse superiorem & *celeritate navium*, & varietate auxiliorum. Romanas autem naves inscite factas, propterea que immobiles esse. Causa primum, ut hosti profligato promptius instemus, adeoque melius prosequamur victoriam, quod fieri non potest, si navigia sint graviora. Appianus de Bell Syr. *Romana classis alacritate superabat & robore, sed quia gravioribus utebantur navibus, non poterant agiles adversariorum fugientes assequi*. Deinde ut, si fugam suadeat vel usus, vel necessitas, melius servari queamus, vel ex media fuga naves circumagere, & hostes incomposite subsequentes adoriri. Quo respectu Græcas commendavit Lucanus lib. III. vers. 553.

—— Habiles pugnamque capessere ——
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.

Ad hanc levitatem vero impetrandam pertinet, ut nec subito, cum cæsa sunt, nec indiscriminatim quævis ligna capiantur. Arida enim primum esse oportet, e quibus debent fieri. Cæsar lib. I. Bell Civ. *Nostri gravitate & tarditate navium impediebantur; factæ enim subito ex humida materia, non eundem usum celeritatis habebant*. Hinc & Ulysses, ut erat prudens, omniumque rerum peritus, ratem ædificaturus, non obvias quasque capit arbores, sed eas tantum, quæ, ut Homerus canit, Od. I.

αὖα πάλαι, περίκηλα, τά οἱ πλώοιεν ἐλαφρῶς.

Dudum arefactæ, quo navigarent leviter. Prodest hæc res eo quoque, ne navigia dehiscant. Nam *si virides tabulæ compingantur, cum nativum humorem exsudarunt, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil est periculosius navigantibus*, inquit Vegetius lib. IV. cap. 36. Deinde etiam non quævis ligna capienda sunt, cum alia ob nativam gravitatem, alia propter causas alias, non sint idonea. Silvestrem laricem, & pinum domesticam, & abietem Vegetius commendat lib. IV. cap. 34. item Virgilius isto versu

Nascitur & casus abies visura marinos.

C

Servius non quamvis, sed singularem quandam vult intelligi, quam *sapinum* appellant. At sapinus nihil aliud, quam abies ad hos usus certo tempore corticibus nudata, ne (quod alioquin fieri affirmant) aquis corrumpatur. Docet præter Plinium lib. XVI. cap. 40. & 42. etiam Vitruvius lib. II. cap. 9. Ubi simul de larice dubitat, eamque propter pondus ait ab aqua non sustineri. Plinius quoque notat, *in maritimis navibus obnoxiam esse teredini*. De pinu certum est, nisi quod vulgo alnum præferant. Lucanus lib. III. vers. 440.

Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Silvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus.

Statius lib. VI. Theb. vers. 105.

Alnus amica fretis ——

D

Credo quia levior; nam propter levitatem etiam a Virgilio commendatur lib. II. Georg. vers. 451.

Nec non & torrentem undam levis innatat alnus.

Ex persica quoque bonas fieri naves censet Plinius lib. XIII. cap. 9. Cletram & populum laudat Homerus Odys. E. Theophrastus cedrum. Ex qua priscis temporibus Sesostris, Diodoro teste, navem fecit ducentos cubitos & octoginta longam. Quanquam Theophrastus cedrum scribat non adhibitam, nisi in defectu abietis vel alni lib. II. Hist.

E

Plant. cap. 8. *triremes*, inquit, *faciunt οἱ κατὰ Συρίαν καὶ Φοινίκην ἐκ κέδρου. σπανίζουσι γὰρ πεύκης*. Plinius testatur in Ægypto ac Syria reges inopia tantum abietis ex ea classes fabricare lib. XVI. cap. 41. Alexander Magnus hoc casua etiam ex cupressis horrorum & lucorum naves ædificari jussit, uti ex Strabone discimus lib. XVI. Quanquam cupressum etiam vulgo adhibitam, ex Plutarcho, Vegetio, & Cassiodoro doceat Bochartus lib. I. cap. 4. Geogr. ubi ipsam quoque arcam Noe ex cupresso ædificatam fuisse ait. Consentiunt Plinius & Arrianus, ut Gyraldo jam notatum est. Etiam Ennius inter materias idoneas ad naves retulit lib. VII. Annal. Item Paulus JCtus ut videre est ex lib. 26. de A. R. D. Existimo interim frequentius usurpatam in vectoriis navigiis, quam bellicis, propter pondus. Nisi forte proceritatis, roborisque causa ex ea facti fuerint mali, ut de navi, qua captus est Bacchus, refert Nonnus lib. XV. Dionys. v. 142. Theophrastus sane nullam ejus inter ναυπηγήσιμα fecit mentionem: unde dubitari potest saltem de Græcis, cum præsertim arbor ea sit feralis. *In Tylo* (Τύλον vocat Arrianus lib. VII.

F

quam, mea sententia, innuit Ovidius per *ultimam Tulen*) *rubri maris insula arbores esse prodiderunt Alexandri comites, ut refert Plinius, ex quibus naves fiunt, quas CC. annis durantes invenerunt, easque si mergantur incorruptas*. Cæterum ut hæc cuncta in navibus sunt utilia genera, ita quædam carinis, alia remis gubernaculisque aptiora. Claudianus ita canit lib. III. rapt. Pros. A

Quæ longa est, tumidis præbebit cornua velis,
Quæ fortis, clavo potior, quæ lenta favebit
Remigio, stagni patiens aptanda carinæ.

Quo autem cuncta essent paratiora, Romani publicas habuere sylvas, in hos usus destinatas. Livius lib. XXVIII. cap 45. de Scipione: *Abiete ex publicis sylvis est usus*. Eas Ancus Martius Rex primus ad hos publicavit. Auctor de Viris Illustrib. *Ancus Martius, Pompilii ex filia nepos, æquitate & religione avo similis, Latinos bello domuit, sylvas ad usum navium publicavit*. Aliquando sociorum munere accipiebant. Discimus ex Livio lib XXVIII. cap. 45. ubi ait: *Perusini, Clusini, Rusellani abietem in fabricandas naves promiserunt*. Idem factum apud Græcos. Nam & Rhodiis promittit Ptolemæus ~~apud~~ Polyb. lib. v. cap. 89. & Excerp. leg. 60. materiam ad fabricandas quinqueremes decem, triremes totidem, & trabes e picea, ad mensuram cubitorum quadraginta. Et Perseus iisdem navalis materiæ ad classem ædificandam vim ingentem largitus fuerat. Et hæc de levitate navium. Sequitur jam robur, sive firmitudo. Quæ obtinetur, cum & materia certo tempore cæditur, & naves bene compinguntur, & obliniuntur studiose. Nam materia intempestive cæsa, facile a vermibus perforatur Servius ad Virg. I. Geor. *Tempore importuno cæsæ arbores cito teredines faciunt*. Imo etiam *eodem anno interna vermium labe exesæ in pulverem vertuntur*. Veget. lib. IV. c. 35. *Cædenda* igitur *materia justo tempore, hoc est, a primo autumno, ad id tempus, quod erit antequam flare incipiat Favonius*. Vitruvii sunt verba lib. II. cap. 9. Nec tamen omnibus, sed *octo tantum diebus, in istis mensibus*, ut vult Vegetius lib. IV. cap. 35. Qui numerantur a quinta decima lunæ, ad tertiam usque & vicesimam. Alii nisi *vicesima in tricesimam* cædi nolunt, Plinio auctore lib. XVI. cap. 4. & Columella lib. XI. cap. 2. Sed quicquid sit, hoc plane certum, ex Plinii prædicto loco, *infinitum referre lunarem rationem, adeo ut, si in coitu illius cædatur, qui competat in novissimum diem Brumæ, illa æterna sit materies*. Cato ita præcipit: *Materiam omnem cum effodies, luna decrescente eximito, post meridiem, sine vento Austro*. Cæsa in hunc modum materia, *tempestiva* dicebatur. Cato: *Tunc erit tempestiva materies, cum semen suum maturum erit*. Virgil. lib. I. Georg.

Aut tempestivam sylvis evertere pinum.

Plinius lib. XVI. cap. 40. *In subere tempestive quoque cæso evenit*. Quod compactionem attinet, ea quondam clavis ferreis fiebat. Pro quibus æreos adhibendos censet Vegetius lib. IV. cap. 34. quia æs non ita facile rubigine consumitur in aquis, sicut ferrum. Et sic ista Neronis apud Athenæum erat compacta. Tacitus Hist. III. cap. 47. de Barbarorum cameris: *Sine vinculo æris, aut ferri connexa sunt*. Similiter Antiphilus lib. I. Epigr. tit. de Navi, ubi de navigiis subtilibus:

Γόμφος δ' ὐκ ἔτι χαλκὸς ἐν ὁλκάσιν, ὐδὲ σίδηρος
ἀλλὰ λίνῳ τρίχων ἁρμονίη δέδεται.

Sic scribendum est, non χαλκὸς, ut habent editi, sine sensu *clavus*, ait, *non amplius æreus in navibus, aut ferrum, sed lino tabularum commissuras contexunt*. Observa ἁρμονίην τρίχων nominare, quod Plinius lib. XVI. cap. 36. *commissuras navium* appellat. Loquitur autem de navibus sutilibus, quæ suebantur ῥάμμασι. Sic enim Græce vocata docet Hesychius ea vinula, quibus conserebantur, quæque erant facta ex lino, sparto, loris etiam, uti ex Varrone constat. Similia iis, quibus Moschi hodie in suis navibus utuntur, ut quotidie videmus. Ῥίπεσιν οἰσυΐνοις. hoc fieri Nonnus ait lib. XL. Dion. v. 466. Indi & Æthiopes non contextas ferro, sed laqueis arctatas habuere, teste Cælio lib. XVIII. *Ita Bandæ incolæ ligna aptata funibus colligant, intus lineis retinaculis committunt*. Pontanus Hist. Amstel. At commissuras tabularum stuppa firmabant. Plinius lib. XIX. cap. I. *Stuppa, ea lini pars, quæ proxima cortici malleo stuppario contusa, stipatur inter tigna, & rimas navium dehiscentium*. Meminit &. Curtius lib. X. c. I. *Cypriorum regibus imperatum, ut æs, stuppamque, & vela præberent*. Græci στυππεῖον appellant. Sed apud hos frequentior sparti usus. Docet Varro apud Gellium. lib. XVI. c. 4. Item apud Liburnos. Verrius Grammaticus apud Festum. *Serilla, navigia Histrica ac Liburna, quæ lino ac sparto condensantur*. Forsitan & crines apti ad hos usus. Video enim Seleucum Rhodiis apud Polyb. lib. v. præter materiam ad naves & resinam, τριχὸς quoque id est *crinis* donare vim non exiguam. Quanquam & ad cilicia usurpari potuerint. Belgis *coma peniculi ex calamis aquaticis contusa, & interjecta navium commissuris, ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice*: ait Plinius lib. XVI. cap. 37. Bandæ vero incolæ *corticem arborum, ab ipsis clappus nominatum, malleo contundunt, quoad mollescit. Eo stuppæ non multum dissimili commissuras inferciunt, deinde calcem ita præparatam, ut aquæ vi non solvatur, illiniunt*. Pontanus. Stipata hunc in morem navis ungebatur cera liquida. Hinc Ovidius Epist. Oen. vers. 42.

Cærula ceratas accipit unda rates.

Aliquando pice. Unde Argo apud Flaccum lib. I. curæ sibi ait futurum, *ne qua*

parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
vel pice, vel molli concludere vulnera cera.

Plinius lib. XVI. cap. 12. *Pix liquida in Europa e tæda coquitur, navalibus muniendis*. Hinc jocus Aristophanis in Acharnens. ad nautas

—— ὐκ ἀρέσκυσί μ' ὅτι
ὄζυσι πίττης, καὶ παρασκευῆς νεῶν.

Invenerunt autem hoc genus Phæaces, si Suidæ credimus. Sic is enim voce Ναυσικάα: Φαίακες, ἐπὶ ναυτικώτατοι ὄντες, ἐπέκαιον ταῖς ναυσὶ πίσσαν πρὸς ἀσφάλειαν. *Phæaces cum essent rerum nauticarum studiosissimi, naves pice accensa perungebant*. Sed & resina quandoque accedebat. Vegetius lib. IV. cap. 44. *Unctas cera, & pice, & resina tabulas succendunt*. Num seorsim, an cum cæteris confusa? Posterius videtur. Certe Plinius *Zopissam* dixit hanc derasam navibus maritimis picem cum cera, lib. XVI. cap. 13. Resinæ non absimile bitumen, quo ad hanc rem usos veteres, ipsumque adeo Noam, Deo monente, monstrat Bochartus lib. I cap. II. Geogr. Cæterum quia resinæ usus in navalibus, hinc forte Israelitæ deferunt Tyrum

apud Ezechielem Prophetam cap.27. 17. & Ismaelitæ in Ægyptum, Genes. 37 24. quanquam & ad vulnerum medicamenta adhibitam Propheta scribat. Addebatur denique & colos, id est liquefacta ista cum resina & pice, cera, colore quodam rubro, vel alio tingebatur. Unde Polyænus lib. v. de Nicone: τὴν ἀλοιφὴν τῆς αὐτοῦ νεὼς ὁμοίαν κατέχρισε ταῖς πολεμίαις τριήρεσι. *ceraturam navis similem colore fecit hostium triremibus*. Porro omnem prædictarum rerum curam, in navigio adhibitam τὸ ναυτικὸν ναὸς Hippocrates vocare videtur in epistola ad Demagetam. ἐπήνεις, ait, καὶ τὸ ναυτικὸν αὐτῆς ὡς ὀξὺ, καὶ ἀσφαλὲς. καὶ εὔτεχνον ὑπουργῆσαι. Lubinus reddidit *navale ædificium*, de quo sermo hic esse nullus potest. Nam τὸ ναυτικὸν nil aliud, quam quod etiam Latini *navalia* appellant. Servius ad XI. Æn. ver. 329. *Navalia hoc loco ipsæ res navales sunt, id est pix, cera, funes, vela, & alia hujusmodi. de Græco autem transtulit, & navalia posuit pro trabibus, de quibus naves fiant. nam Homerus* νηὸν *dicit navale lignum*. Vocantur hæc navalia interdum & Ζωμεύματα. Phavorinus: Ζωμεύματα, τὰ τῶν νεῶν χρειώδη. λέγεται δὲ ξύλα, καὶ κηρὶς, καὶ πίσσα. & hucusque navis ac structura ejus. Sequitur ut aliquantum relinquamus, quo melius coalescat. Nam & veteres sic faciebant. Plutarchus lib. de Fort. Rom. *Triremis ictibus multis, & vi magna compingitur, malleis, clavis, cuneis, serra, securibus adhibitis. Compactam autem ad certum tempus stare oportet, & coalescere, dum vincula roborentur, & firmentur clavi, quod si recenti adhuc, & lubrica compage in mare deduceres, omnia concussa fatiscerent, & aquam essent admissura*. Postquam omnia coaluere, tum egregie coronatam sertis, & conspersam floribus, nautæ, & ipsi coronati, magna cum lætitia, multoque clamore deducunt in mare, ut ex Athenæo discimus lib.v. Primum quidem, uti dedicetur Deo, cujus simulacrum referebat. Id quod certis sacris, certis ritibus fiebat. De quibus Apuleii verba accipio, quæ leguntur in dedicatione navis, Isidi consecratæ lib. XI. Asin. *Inter hæc*, ait, *& festorum votorum tumultum paulatim progressi, jam ripam maris proximamus, atque ad ipsum illum locum, quo pridie meus stabulaverat asinus, pervenimus. Ibidem simulacris rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris circumseptis variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure, solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam deæ nuncupavit, dedicavitque*. Hæc verba licet privatim ad Isidis navigium pertineant, debent tamen & de aliis intelligi, cum & dedicari & lustrari suevisse satis constet. Dein, ut etiam probetur. Mos enim fuit cum apud Græcos, tum apud Latinos, nuper ædificatas naves non conscendere, vel adhibere ad bellum, nisi antea probatas, ut sciretur, quam agiles essent, quidque remis valerent. Hirtius de bell. Alex. *Paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes XXXII. quinqueremes V. confecerunt. Ad has minores apertasque complures adjecerunt, & in portu periclitati remigio, quid quæque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, seque ad confligendum omnibus rebus paraverant*. Livius lib. XXXV. cap. 26. *Comparaverat & tyrannus modicam classem, tres tectas naves, & lembos pristesque. Harum novarum navium agilitatem ut experiretur, simul & omnia satis apta ad certamen essent, quotidie in altum proficiscitur*. Græci hoc negotium, ut discimus ex Athenæo, lib. v. ἀναπειρᾶν vocare consueverunt. Pollux lib. I. cap. 9. προσαναπειρᾶσθαι. Et meminit Polybius Excerpt. Leg. LX. *Acciderat*, ait, *paulo ante, ut Rhodii cum insigni & magnifico apparatu omnium, quas habebant, navium experimentum agerent. Perseus enim navalis materiæ ad classem ædificandam ingentem copiam illis fuerat largitus*. Dixi ideo institutam hanc probationem, ut sciretur quantum unaquæque valeret remis. Inde est, quod passim invenimus apud veteres τὰς ἄριστα πλεούσας *celerrimas*, ut apud Polyæn. lib. IV. φίλιππος ἐπιλεξάμενος τῶν νεῶν τέσσαρας ἄριστα πλεούσας, ἐπλήρωσεν ἐρετῶν ἀρίστων. *Philippus quatuor celeberrimas ex navibus eligens, optimis remigibus complevit*. & lib.v. προσέταξε τὰς ἐν τοῖς ἄριστα πλεούσαις τριήρεσιν ἡσυχάζειν. Innuit & Cicero in Verrem v. quando ait: *Hæc centuripina navis erat incredibili celeritate velis, nam scire isto prætore nemo poterat, quid quæq; navis remis facere posset*. Observandum est quod de Prætore dicitur. hoc enim munus ac officium ipsius fuisse videtur. Nescio num apud Romanos postea Circenses ad hanc rem pertinuerint, quos Navales appellavere. Constat enim, & in his de agilitate navium certatum. Alexander Genial. dier. lib. v. sic describit. *Post hos numerantur circenses Cereales & Seculares, atque alii Navales, ubi in circo maximo immisso Euripo, naves metis appositis, ne illas contingerent, cursu præcipiti currebant*. Virgilius ita lib. v. Æn.

Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor ex omni delectæ classe carinæ.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Littora ——
Hic viridem Æneas frondenti ex Ilice metam
Constituit, signum nautis pater, unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.

Quo die fuerint celebrati, parum cognitum. Nisi quis eosdem existimet cum Neptunalibus ludis, qui mense Julio fiebant, uti docent prisca Kalendaria. Meminit Ausonius Eclog. de feriis. *Vis*, inquit, *dicam*

—— *duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,*
Et quem de Conso, consiliisque vocant?
Festa hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos finitimosque duces

At vero prioribus illis similes fuere, quos in Panathenaicis parvis celebrabant. Ostendit Lysias in ἀπολογίᾳ δωροδοκίας. Καὶ παναθηναίοις τοῖς μικροῖς, ait, νενίκηκα τριήρει μετὰ ἁμιλλώμενος ἐπὶ Σουνίῳ. *Et in Panathenaicis parvis vicit triremium certamine prope Sunium*. Alias & Junio mense, singulari festo Romani navium agilitate inter se certabant in Tyberi. Ovid. lib. VI. Fast.

—— *Ite Deam læti fortem celebrate Quirites*
In Tyberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cimba.

Concertantes, piscatores erant. Festus: *Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tyberim fieri solent a Prætore urbano, pro piscatoribus Tyberinis.*

CAP. VI.

De partibus navium, earumque nominibus.

Ostendit hoc caput, quid sit στεῖρα *navis &* τρόπις. *quid carina & unde. Item quid* δρύοχοι, *quorum occasione explicatur Aristophanes & Plautus. quid* φάλκις, λέσβιον, ἀντλία, χελύσματα, *cunei. Quid testudo navis,* ἐγκοίλια, *statumina, sponda,* ὑποζώματα, ζωστῆρες, ζωμεύματα. *Quid* θάλαμος, ζυγὰ, θρανὸς, *fori,* τοῖχοι, *ordines, versus. Item quid* τράφηξ, *quæ sint* τρήματα, ὀφθαλμοὶ τρώγλαι, *columbaria. Quid* ἐγκωπον. *Ubi vectores. quid* πάροδος, *aditus, agear, & de hac voce Ennius explicatus, & correctus Isidorus. Quid* στόλος, προεμβολὶς, περικεφαλαία *&* κέφαλος, πτυχὶς, ὀφθαλμός. *Quæ sit* παρεξειρεσία, μέτωπον. *naves prora duplici, earumque inventor. Denique quid puppis sit, quæ ipsius dignitas & religio. quæ diæta in ipsa.* δίπρυμνα πλοῖα.

PArtes navium sunt tres prora, puppis, venter. In ventre est *carina*, quam partem imam navigii, cui cætera velut fundamento superstructa sunt, vocamus. Ovidius:

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Origo vocis a currendo, veluti currina, si Gyraldum sequimur. Mihi a Græco κάρα esse videtur, quod τρόπιν, hoc est carinam denotat. Etymol. Mag. voce κάραβος. κάρα, ἡ τρόπις. Jam τρόπις est, ut docet Schol. Homeri, Odyss. M. τὸ κατώτατον ξύλον περὶ ὃ σχίζεται τὸ κῦμα. Glossæ veteres Cypriani τρόπις. *carina*. Observa, quod supra adjectum est, περὶ ὃ σχίζεται τὸ κῦμα. h. e. *qua scinduntur fluctus*. Id enim lignum proprie carina est, tenue, ac longum. Nec reperitur nisi in longis navibus, id est iis, quarum alveus est angustus & acutus; Quæ latum & planum habent alveum, quia non tam scindunt fluctus, quam supernatant, carinam non habent. Hinc Isidorus lib. XIX. cap. 1. de portemia. *Navicula est, lata, & sine carina*. Alio nomine στεῖρα dicitur. Schol. Homer. Iliad. A. & ex eo Eustathius, ut opinor. στείρῃ τῇ τρόπιδι τῆς νεώς. ἐπεὶ στερεώτερα τῶν ἄλλων ὑπάρχει. ἐπὶ γὰρ τῷ ξύλῳ τούτῳ, ὥσπερ ἐπὶ θεμελίῳ τινὶ, ἐπικοδομεῖται τὰ ἄλλα ξύλα τῆς νηός. Hæc pars ut curvari, & recte in navigii speciem formari posset, palis quibusdam firmabatur subjectis, & per intervalla circumcirca rite dispositis ab utroque latere, quos δρυόχους appellavere. Eustat. Od. T. δρύοχοι, πάτταλοι ἐκ δρυὸς, ὅ ἐστιν ἁπλῶς ξύλου, καθιστῶντες τὴν τρόπιν, ἐν τῷ πέριξ αὐτὴν συνέχειν. Item: δρύοχοι κυρίως πάσσαλοι, ἐφ' ὧν στοιχηδὸν διατεθειμένων, ἡ τρόπις ἵσταται τῶν καινουργουμένων πλοίων διὰ ἰσότητα. Clarius, ut solet, licet brevius Homeri Schol. δρύοχοι κυρίως πάσσαλοι. ἐφ' ὧν τὴν τρόπιν τῶν καινουργουμένων πλοίων ἑξῆς ἢ μάλιστα ἔποι τίθενται. ἕνεκα τοῦ ἴσην γενέσθαι τὴν ναῦν. Hinc eleganter Polybius lib. I. αὖθις ἐγνωσαν ἐκ τῶν δρυόχων, εἴκοσι καὶ διακόσια ναυπηγεῖσθαι σκάφη. quæ verba Casaubonus ita reddit: *iterum naves ædificare CXX. ab ipsis carinis ac statuminibus constituunt*. Clare profecto satis, licet non satis ad intellectum vocabuli, quo usus est Polybius. Nam δρύοχος, non pars navigii, velut carina, sed curvandæ carinæ instrumentum. Quod ex Aristophane apparet, qui aliunde lucem capere non potest. Verba sunt in Θεσμοφ.

Δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς,
Κάμπτει δὲ νέας ἁψῖδας ἐπῶν,
Τὰ δὲ τορνεύει. τὰ δὲ κολλομελεῖ
καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει
καὶ κηροχυτεῖ, καὶ γογγυλίζει
καὶ χοανεύει —

A Eludit in his versibus Agathonem poetam. Argumentum joci est, prava ejus ratio scribendi. figura, consuetudo naupegorum. *Pulcher*, inquit, *erit ad disponenda fulcra, quibus carinam novæ fabulæ imponat, deinde verborum quasi costas incurvabit, alia tornabit, alia conglutinabit sententiis & antonomasiis formabit, denique ceram illiniet, & rotunda cuncta velut in onerariæ effigiem* (huc alludit verbo γογγυλίζει) *conficiet*. Hic verborum sensus, quem alii non assecuti sunt. Quod autem antea interpres inquiebat, hæc instrumenta esse ἕνεκα τοῦ ἴσην γενέσθαι τὴν ναῦν, *quo navis recta fiat*, ex eo manifesta fit sententia Plauti Mil. Glor.
B Act. III. sc. 3. his versibus

— cogitato, ubi probus est architectus,
bene liniatam si semel carinam collocavit,
facile esse navem facere, ubi fundata & constituta 'st

Nam *carina bene liniata & fundata, & constituta* nihil aliud, quam διὰ δρυόχων καθ' ἴσον ἱσταμένη. Putat Laurenbergius in utilissimo Antiquario, hæc similiaque instrumenta *cuppas* a Latinis dici. *Sunt*, ait, *cuppæ navium reficiendarum sustentacula*. Sed decepit, ut opinor, virum eruditum Calepinus, & adducta illi auctoritas Lucani, qui
C in IV. Pharsaliæ:

Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ.

Sane, si Lucanum ipsum inspexisset, deprehendisset facile, nil hujusmodi ibi dici. Fuit ista vera ratis, cuppis superstructa, sicut usurpabant in festinatione. Vegetius lib. III. cap. 7. *Navigeri amnes tumultuario opere colligatis inanibus cuppis, additisque trabibus transitum præbent*. Ad quem locum Stevelchius rectissime illum Lucani adducit. A carina pergimus ad φάλκιν, quæ est illa pars, qua sentina continetur. Pollux: τὸ τῇ στείρᾳ προσηλωμένον, φάλκις. ἀφ' οὗ ἡ δευτέρα τρόπις. *quod carinam excipit, Phalcis: inde pavimentum, seu carina*
D *secunda*. Imprudenter aliqui cum δευτέρα τρόπιδι confundunt. Hæc enim pavimentum seu constratum est, quod sentinæ imponitur, & ut Pollux testatur, Græce alias λέσβιον, & χαλκλών, & κλειτοπόδιον vocatur. Aristophani est ἔδαφος; tametsi & ad alteram carinam designandam Demosthenes hoc vocabulo utatur. At concavum, quod est inter utramque carinam ἀντλία. Ἀντλία inquit Schol. Aristoph. in Equit. λέγεται τόπος τις τοῦ πλοίου, εἰς ὃν τὸ ὕδωρ σωρεύεται εἰς τὴν ναῦν. Latinis est *sentina*. Carinæ autem quondam, ut & hodie, affigebantur ligna quædam crassiora, quo minus, si in saxa incurreret, attereretur, rimasve contra-
E heret. Ea Græci χελύσματα nuncuparunt. τὸ ὑπὸ τὴν τρόπιν τελευταῖον προσηλωμένον, τοῦ μὴ τρίβεσθαι τὴν τρόπιν, χέλυσμα καλεῖται. Pollux. *quod extremæ carinæ, ne atteratur, conglutinatur, cheleusma est*. Ovidio *cunei* esse videntur lib. XI. Metam. vers. 516.

Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet —

Sunt, qui cheleusmata Græcorum ideo tantum ferunt adhibita, ne cum in aquam navis deducitur, carina damni quid accipiat. Etiam Ovidii cuneos Scaliger V. Poet. cap. 12. ait esse, quos Pacuvius
F vocet *subscudes*. Festus *tabellas* exponit, *quibus ligna coartantur*. Figura inquit est, quasi cum duos cuneos obtusi mucronis componas, hac, existimo, effigie ▭ Pollux σύστοιχα vocasse videtur. Sequitur nunc κοίλη τῆς νηός, ut appellavit Herodotus. Pollux κύτος καὶ γαστέραν reddidit. Estque ima pars navigii, supra sentinam, in quam, qui abscondere se volunt, descendunt. Polyænus lib. I. ἐλθὼν Μενέλαος εἰς κοίλην ναῦν κατέκρυψε. & lib. IV. ὁ μὲν δὴ Δημήτριος ἐν κοίλῃ νηὶ κατεκέκρυπτο. Sabinus Latine *testudinem* interpretatus est. Hanc conti-

nent *νομεῖς*, ut nominat Hesychius, vel ut alii, ἐγκοίλια. ut Latini, *costæ*. Sunt autem ligna quædam ex carina sursum ascendentia, in quibus tabulæ suffiguntur. Cæsarem *statumina* vocasse arbitrantur lib. I. B. C. istis verbis: *Carinæ primum ac statumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur.* Nobis statumina & carinæ eadem, aut certe minimum inter se diversa fuisse videntur, ita ut statumina significarent ligna singularia, quæ per medium navium, velut per corpus animalium spina, transeunt. Quo etiam respectu Ovidius lib. XIV. Metam. f. 6. de carina.

—— mediisque carina
subdita navigiis, spinæ mutatur in vasum.

Et certe distinguuntur ab ἐγκοιλίοις, sive costis. Moschion apud Athenæum lib. V. γόμφος, καὶ ἐγκοίλια, καὶ σταμῖνας, καὶ τὴν ἄλλην ὕλην. *paxillæ, & costas, & statumina, & aliam materiem.* Cæterum de ἐγκοιλίοις Theophrastus lib. IV. c. 3. ubi de spina arbore agitur. ἡ μέλαινα ἰσχυρότερα τε καὶ ἄσηπτος, διὸ καὶ ἐν ταῖς ναυπηγίαις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ. Aristophanes ἐντερωνείας, vel, ut habent alii libri, ἐντερωνίδα vocavit. Plinius dixit *ilia*, Strabo μήτρας, ut ostendit Cl. Salmasius in admirandæ eruditionis opere uberrimo pag. 1117. Hinc ἀμφιμήτριον, ut puto, quod Pollux idem esse ait, ac γαστραν, cavum navis. Hesychius pro costis ipsis accepisse videtur, quando ait: ἀμφιμήτρια, τὰ μετὰ τὴν τρόπιν τῆς νεὼς ἐξ ἑκατέρου μέρους ἐπιτιθέμενα. puto enim ξύλα, vel quid simile subaudiendum esse. Latinis similiter fere aliquando sunt *cavernæ*, si Servio fidem adhibemus. Sic enim is ad Virg. II. *fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulæ adfiguntur, cavernas appellarunt.* Succedunt latera, Græce πλευραὶ, eaque duplicia dextra & sinistra. In his sunt *spondæ*. Sidon. Apollin. Epist. XVI.

Verberant puppem, quatiunt carinam
Ventilant spondas laterum rotundas.

Observa spondas hic non dici latera, sed laterum. Partes igitur eorum fuere, credo eas, quæ Græcis ὑποζώματα, id est ξύλα, ἁπᾶσαν συνέχοντα τὴν περιφοράν, ut Plato explicat, lib. X. de Reb. Meminit & Athenæus lib. V. in descripta navis a Philopatore extructæ. ὑποζώματα inquit ἐλάμβανε δώδεκα. ἑξακοσίων δ' ἦν ἕκαστον πηχῶν. Interpres ibi *costas* reddit, sed perperam. Nam costæ, quæ a στείρα per transversum laterum utrinque adscendunt in altum; τὰ ἀπὸ τῆς τρόπιδος ἀνερχόμενα ξύλα, ut inquit Schol. Aristoph. Jam autem ejus navis latera, quam describit, octo tantum & quadraginta cubitos alta fuerunt, cum hypozomata sexcentorum cubitorum longitudinem haberent. Fuerunt ergo ligna rotunda, a prora ad puppim ambitu suo navem continentia. Heliodoro Ζωστῆρες appellata lib. I. τὸ ἄχθος, ἄχρι καὶ ἐπὶ τρίτον ζωστῆρα τῆς νεὼς τὸ ὕδωρ ἀνέθλιβεν. *Onus ad tertiam usque Zonam navis aquam premebat.* Observa tanto altiorem fuisse navem, quando plures Zonas istiusmodi habebat: quod & ex Athenæo discimus. Aristophanes Ζωμεύματα vocavit, in Equit. Scholiast. Ζωμεύματα, τὰ λεγόμενα ὑποζώματα, εἰσὶ δὲ ξύλα τῶν νεῶν. Porro ista latera in tres dividebantur partes: quarum ima dicebatur θάλαμος, media ζύγα, suprema θρανος. Pollux: καλεῖται δ' αὖ καὶ θάλαμος, οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι, τὰ δὲ μέσα τῆς νηὸς ζύγα, οὗ οἱ ζύγιοι κάθηνται, τὸ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα, θρᾶνος, οὗ οἱ θρανῖται. *Dicitur autem thalamus, ubi thalamitæ remigant, medium vero navis Zyga, ubi sedent Zygitæ, quod vero circa Catastroma, Thranus, ubi Thranitæ sunt.* Postremæ meminit & Scholiastes Aristoph. θρᾶνος inquit, ὑποπόδιον, καὶ νηὸς θρᾶνος, ὅθεν καὶ θρανίτης, ἐτυμολογεῖται δὲ παρὰ τὸ θορεῖν ἄνω. *Foros* dici a Latinis arbitrantur. Et sane apud Silium foros lego summos & infimos. lib. XIV. v. 424.

Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros, trepidatur omisso
Summis remigio, sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetravit ad imos.

Lucanus lib. III. vers. 29.

At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, descendit in undas.

Gellius lib. XVI. cap. 19. in fabula Arionis: *Stans in summo puppis foro carmen voce sublatissima cantavit.* Plutarchus, quando hæc exponit, ita loquitur: καταστὰς παρὰ τὸν τοῖχον ἐν πρύμνῃ, ᾆδει τὸν ὕμνον. Ex quibus verbis manifestum τοίχους etiam vocari eos foros. Herodotus ἑδώλια nominavit. Aliquibus, & ex his Savilio præsertim, *catastromata*. Sed falso. Catastroma enim nunquam imam, semper summam navis partem denotat, ut alibi firmabitur. Jam & in singulis hisce partibus inerant foramina, per quæ remi exerebantur. Nescio an τράφηξ uno vocabulo a Græcis dicta. Etymolog. Mag. τράφηξ λέγεται τὸ τῆς νεὼς χεῖλος, ἐφ' οὗ οἱ σκαλμοὶ τίθενται. *traphex est concavum navis, ubi scalmi reponuntur.* Plane similiter Hesychius. Videtur tamen unum potius foramen indicare. At ejusmodi non cernitur in priscis navium imaginibus, sed singuli remi suum proprium habent. Quid vero si dicamus non eandem omnium fuisse rationem? Certe Argo navis, cujus antiquam effigiem habes in Arato Grotii, quid ejusmodi præfert. Et Corcyrensis nummus, quem sequentis libri cap. 5. proponimus, apertissime ostendit. Cujus navis cum sit ex monerum genere, ut Argo fuit, has solas traphex habuisse crediderim. Alias τρήματα vocantur, vel τρυπήματα, ut Aristophanes & Pollux affirmant. Sed Aristophanis interpres notat ὀφθαλμοὺς quandoque nominari. Κώπης ὀφθαλμὸς λέγεται τὸ τρῆμα. & alibi: ἐπειδὴ μεγάλαις ταῖς τριήρεσιν ὀφθαλμοὶ γίνονται, δι' ὧν τὰς κώπας ἐμβάλλοντες ἐκωπηλάτουν. Ignoravit vir doctus, & hunc locum perperam de tabella navis exposuit, de qua postea dicetur. Glossarium antiquum, titulo de Navigatione τρώγλα reddidit. Festus vertit *columbaria*. *Columbaria*, inquit, *in navi appellantur ea, quibus remi eminent.* Habebant & ipsa certa sua nomina, ex partibus, quibus inerant. Sic θαλάμια dicebantur, quæ erant in Thalamo. Scholiastes Aristoph. in pace. κυρίως ἡ κάτω τῆς νεὼς τρώγλη, θαλάμια λέγεται. *proprie foramina inferiora, thalamia dicuntur.* Similiter & Zygia, & Thrania vocata, quæ in zygis, aut thranis, maxime triremium. Num & in reliquis, puta quadriremibus, quinqueremibus, & cæteris forte dubitari potest. Sed tollit dubitationem Polybius, quando de decere, seu navi decem ordinum Philippi: *plagam accepit* ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμόν, *sub ordine thranitarum.* in excerpt. lib. XVI. Si deceris habuit thranitas, ergo & quadriremis, & quinqueremis, & hexeris: ergo & triginta ordinum, & quadraginta ordinum naves. Quemadmodum tessaraconteris Ptolomæi θρανιτικὰς κώπας apud Athenæum habuisse legitur. Nec alia ratio in his navibus fuisse videtur, quam in triremibus. Quod in summo erat tabulatum, thranus dicebatur, quod in imo, thalamus: reliqua in medio zyga fuerunt, divisa pro numero remigum in certos versus ordinesque. Erant autem distincti ordines a versibus, si non vocabulo, re saltem ipsa. Et certe *versus* proprie significare videntur series istas remigantium, ἐλασίας: quæ cum sint duplices, etiam versus fuisse duplices, & dici posse consentaneum: dextros nempe, & sinistros. *Ordines* vero non tam significare videntur quod dextrum est, aut sinistrum, quam quod superius ac inferius, ut potius sint στοῖχοι, οἱ ἐπ' ἀλλήλοις, ut vocat Scholiastes vetus, subjunctus Æliano.

liano. Sic distinguere videtur Virgilius, quando de triremi lib. V. Æn.

—— triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Apollodorus apud Phavorinum, & Apollonius apud Etymologum voce διήρης, vocant στέγας istos ordines, alii στοίχους, ut jam diximus, lego & τοίχους ἐρετῶν apud dictum Phavorinum, si modo edita se recte habent. Sane στοίχους dixit quoque Apollonius, quanquam τοίχους Etymologus retineat. Hababet ergo quisque ordo versus duos, dextrum & sinistrum: navis vero tot ordines: quadriremis, puta, quatuor, quinqueremis, quinque. Ita ut triremis tres quidem haberet ordines, sed sex versus; quinqueremis, quinque ordines, sed decem versus. Quod diligenter observandum est. Sed revertor ad foramina, de quibus amplius notandum, quod is locus, ubi erant, & exerebantur remi, ἔγκωπον appellaretur, id est. *locus in quo disponuntur remi*. Meminit Athenæus lib. V. τὸ δὲ ἔγκωπον, inquit, ἅπαν μέχρι τῆς τρόπης κισσίνην φυλλάδα ϗ θύρσους εἶχε πέριξ. Fuit autem ἔγκωπον in utroque latere, & in medio spatium, quod in interiore navi erat, nec a remis occupabatur. Id locus, credo, ubi vectores sedebant. Hinc Theodoretus Or. 7 de provid. οἱ δὲ λοιποὶ, δίκην πλωτήρων, ἐν μέσῳ τούτων (ναυτῶν) εἰσί. *reliqui tanquam vectores in medio horum* (sc. nautarum) *consident*. Athenæus locum eis tribuit ὑπὸ τὰ ζύγια, *sub transtris*; puto tamen eundem locum intelligere. Sic autem lib. v. p. 204. postquam de militibus & remigibus, quos navis capiebat, egisset, subjungit: ϗ χωρὶς ὑπὸ τὰ ζύγια πλῆθος ἀνθρώπων ἕτερον. *Et extra reliquam multitudinem hominum, sub transtris*. Jam in summo navis aliquid, quod πάροδος. Pollux lib. 1. capit. 9. sic describit. ἡ δὲ περὶ τοὺς θρανίτας ὁδὸς, πάροδος, παράθρανος. *via circa Thranitas, parodus vel paratronus*. Fuit haud dubie spatium in medio, ubi navis est latissima. Hinc enim Athenæus latitudinem illius, cujus supra mentio injecta est, definiturus, ait fuisse ὀκτὼ ϗ τεσσάκοντα πηχῶν ἀπόδου ἐπὶ πάροδον. Dicebatur ita, ut opinor, quia per hoc intervallum, quasi per fores, navim intrabant. Unde & Latini *aditum* appellavere. Ovid. lib. III. Metam.

—— pars hic mihi maxima juris.
Inque aditu obsisto ——

Priscis, *Agear*. Glossæ veteres. *Agear* παραμένων, ϗ πάροδος πλοίου. Scaliger hæc verba sic existimat legenda: παρ' ἐννίον, πάροδος. Subtilius forte, quam verius, certe cum scriptura parum convenit. quid? si παρὰ μέσον. ut his verbis illud indicetur, quod ante diximus, istos aditus in medio navium fuisse. Quanquam magis positum videatur pro παραμονῇ. h. e. *mansione*, significareque interstitia quædam navium seu tabulata superiora inferioraque, in quibus sunt vectores. Apud Athenæum profecto Hieronis navis est τριπάροδος, ob triplicia ejusmodi tabulata, quæ ab eodem in descriptione thalamegi στέγαι dicuntur. Ad quæ quia scalis quibusdam descendebatur, ideo factum, ut navem ejusmodi Hippocrates diceret habere διάβασιν πολλὴν, in epistola ad Demagetem: licet & hoc possit accipi de conclavibus, seu mansionibus diversis in eadem στέγῃ. Phavorinus: παρόδους, διαβάσεις. Habebant nempe in navibus, maxime onerariis, aliquot tabulata, & in iis certa conclavia, in quibus servabant res ad navalem usum necessarias, aut alias ad navigantium commoda pertinentes. Hinc in Glossario titulo de navigatione ἀνδρὼν, μαγειρεῖον, σιτοβολὼν, loci in navibus, ubi degunt, coquunt, annonam recondunt. Sane πάροδος id proprie in tabulatis ipsis videtur esse foramen; per quod ab uno descenditur in alterum, etiam in iis navibus, quæ hodie ædificantur. Interim agreariorum mentio apud Ennium lib. VII.

Multa foro ponunt, agearia longa replentur.

Sic corrigendus est hic versus, quem hactenus eruditi varie tentarunt. Emendandus quoque Isidorus in hac voce: & scribendum, *agearia sunt loca in navi, per quæ ad remiges hortator accedit*. Ante *agiavia* legebatur. Glossarium meum Latino-Germanicum Ms. *Agi.iria, loca quædam in navibus, quæ per remos hortator accedit*. Desumpta videntur, ut alia plura, ex Isidoro. Quare minus dubito, de emendatione mea. Dictum autem agear, antiqua terminatione, sicut torcular, & alia sexcenta, ab agendo, quia ducere & agere per istos aditus cuncta nautæ solebant. Et hic venter, illiusque partes, & vocabula earum. Venio ad proram. In hac primum στόλος. de quo Schol. Apollonii lib. I. στόλος λέγεται τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης ϗ διῆκον ἄχρι τῆς πρώρας ξύλον. Eadem hæc verba, verum misere corrupta, repetit Etymologus. Fuit medium spatium inter proembolidem & stiram. Pollux: τὸ μεταξὺ τοῦ ἐμβόλου καὶ τῆς προεμβολίδος, ὁ στόλος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν στεῖραν. περικεφαλαία quoque dictum est. Sequitur enim, ὃ ϗ περικεφαλαία καλεῖται. περικεφαλαίας nomen habuit a galea, quam hæc pars in navibus plerumque referebat. Hesychius κέφαλον vocasse videtur. κέφαλον ait μέρος ἐν τῷ πλοίῳ, ἢ κόσμος. Supra stolum fuit ἀκροστόλιον, Latine *aplustre*, in quo tabella, velut oculus in fronte. Unde & a Græcis ὀφθαλμὸς vocata est. Pollux, τὸ ὑπὲρ τὸ πρῶχον ἀκροστόλιον πτυχὶς ὀνομάζεται ϗ ὀφθαλμός. Sub στόλῳ, στεῖρα fuit, de quo Pollux: μέσον τῆς προεμβολίδος καὶ τοῦ ἐμβόλου, ἡ στεῖρα καλουμένη. Hanc partem auctor tabularum, quibus nomina stellarum consignata nobis exhibuit Hugo Grotius ad Aratum, *partem sub scutulo* vocasse videtur. Nam *scutulum* navigii apud Latinos nihil aliud, quam quod modo πτυχὴν ϗ ὀφθαλμὸν vocavimus. At Argo navis scutulum non habet, ut cujus tantum puppis, non & prora conspicitur. Imo vero habet, etsi non habeat oculum. Nam ut scutulum in prora, ita & in puppi, licet illud tantum πτυχὶς seu oculus vocaretur. Ostendit Hesychius, qui ἀσπιδεῖον appellat. ἀσπιδεῖα, inquit, τὰς πτυχὰς τῶν ἀσπίδων, ϗ μέρος τῆς νεὼς τὸ πρὸς πρύμναν. In asterismis Græcis ἀσπιδίσκη nominatur. Sequitur παράσημον. Id Pollux singulari nomine δελφὶν vocavit, a navigio, quod erat δελφινόφορον. Huic succedit ἔμβολον seu rostrum, & est ima pars in fronte, sicut alibi monstrabitur. Latera proræ παρεὶα vocantur & πτερά. In his παρεξειρεσία. & est spatium a remigibus primis ad acrostolium usque, remis vacuum. Scholia Thucydidis lib. IV. παρεξειρεσία τόπος, καθ' ὃ μέρος οὐκέτι κώπαις κέχρηνται. ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἀκρότατον τῆς πρύμνης ϗ τῆς πρώρας. Observa etiam in puppi fuisse. Meminerunt hujus partis, præter alios, Plutarchus, & Hesychius. Fuitque ea paulo altior, quam ubi positi erant remi. Observo cum ex imaginibus vetustis, quæ a nobis proponuntur in sequentibus, tum ex loco Arriani in Perip. Pont. Euxini, ubi ait: *Mare intumuit*, ὡς μὴ κατὰ τὰς κώπας μόνον, ἀλλὰ ϗ ὑπὲρ τὰς παρεξειρεσίας ἐπεισρέρρει, ut non modo per remos, sed & parexiresias aqua irrumperet. Proram porro, cujus partes prope jam absoluimus, e Græco, in quo πρῶρα est, translatam asserunt. Alias & μέτωπον appellant. Scholia Thucyd. lib. II. τὸ μέτωπον τῆς νεὼς, ἡ πρῶρα ἐστί. Est autem *frons* Latine; ideo fortassis, quod vel cujusque rei pars anterior sic appellari possit, vel revera nonnunquam frontem, vel effigiem animalium prætulerit. Artemidorus l. II. c. 23. ἀντιπρόσωπον, Horatius Od. 4. *os* navis, Avienus *faciem* vocavit, ut puppim ex adverso, *tergum*. Versus sunt in descriptione Argus.

—— neque enim se Thessala cymba
solemni in faciem monstrat more: extima puppis
surgunt Oceano: velut alto a gurgite nautæ
Cum portum tenuere, avidi volitantia raptim
Sipara convertunt, tergoque incurva remulco
littora certatim subeunt simul ——


Sic hos versus Grotius emendat, qui & pro *tergoque* legi vult *tergumque* ut littora dicantur subire tergum, id est puppim navis, propter remulcum, quoad littus ducitur. Extitere naves apud veteres duplici cum prora, quas Minervam primum commentam esse dicunt. Hyginus Fab. CCLXXLII. *Minerva prima navem briporam Danao ædificavit, in qua Ægyptum fratrem profugit*. Ac ne in scriptura vitium putetur, etiam ante id legi Fabula CLXVIII. notandum est. retineturque in Codicibus Ms. ut ex Barthio intelligimus. Meminit & Athenæus lib. V. δίπρωρως δὲ, inquit, ἐγεγόνη καὶ δίπρυμνος. de Philopatoris navi loquitur, cui hac in parte similis fuit alia, ab eodem descripta. Qualis forma earum fuerit, fingitur facilius, quam scitur: cum omnino rara sit, nec ullibi, quod sciam, in antiquis monumentis exposita. Barthius l. X. Adver. c. 20. non a duabus proris, sed firmitate unius, alteri subtentæ navim ita dici existimat. Transeo ad puppim, πρύμναν Græce, quam & οὐρὰν poetæ appellaverunt. Summitas ipsius ἄφλαστον vocatur, ut Pollux docet. Latinis est *aplustre*, de quo plura suo loco adferemus. Huic subjectum est ἀσάνδιον, cujus pars interior ἐνθέμιον. Quod vero velut in domunculam curvatur, ἐπισείων. Sequitur τὸ περιτόναιον, quod est lignum ambitu suo puppim cingens. Pollux. τὰ περὶ τὴν πρύμναν προὔχοντα ξύλα, περικόναια καλεῖται. Post hæc *locus inter gubernacula*, ut ab iis dicitur, qui syderum cœlestium figuras, nominaque exponunt. Videtur autem curva magis hæc pars fuisse, quam prora. Hinc enim Ovidius lib. XI. Metamor. ver. 465.

—— stantemque in puppe recurva.

Neque istud tantum, sed & magis alta & conspecta. Virgilius lib. X. Æneid.

Stans celsa in puppi ——

Igitur & gubernator in ea locum suum habebat, & Imperator ibi sedebat sub tabernaculo, quod σκηνὴ ab Athenæo vocatur. Pollux σκηνὴ ὀνομάζεται, τὸ πηγνύμενον στρατηγῷ ἢ τριηράρχῳ. Hinc Arrianus lib. VI. Exp. Alex. ὡς δ' ἐπέλαζεν ἡ ναῦς ἤδη τῷ στρατοπέδῳ τὸν βασιλέα φέρουσα κελεύει δὴ ἀφελεῖν τὴν σκηνὴν ἀπὸ τῆς πρύμνης, ὡς καταφανὴς εἶναι πᾶσιν. *Mox ubi navis quæ regem vehebat, castris appropinquavit, tentorium e navis suæ puppi auferri jussit, ut ab omnibus conspiceretur*. Latinis alias *diæta*, sicut observavit Janus Dousa ad Petronium, cujus hæc sunt verba: *Audimus murmur insolitum, & sub diæta magistri, quasi cupientis exire, belluæ gemitum*. Glossæ Petronianæ *cubile* interpretantur, *in quo navicularius quiescit*. Erat porro hac in parte tutela, coloribus plærumque depicta, eo genere picturæ, quod encausticen appellant. Hinc credo est, quod etiam *cautel* vocata legatur. Grotius in notis ad Aratum. *In iisdem tabulis puppis cautel vocatur. Hoc quid sit nescio*. Sane cautel antiqua terminatione, velut capital, & puteal, & alia hujusmodi formatum videtur. Derivatum autem a Græcorum καῦσις, quod inustionem significat. Nisi a cavendo magis quis existimet descendere, quia illic omnibus cavetur. Est enim sacrosancta & inviolabilis hæc pars navigii, adeo ut & supplices ad eam confugiant. Livius lib. XXX. cap. 36. ubi de Carthaginensium legatis pacem oraturis. *Cum ad puppim prætoriæ navis accessissent, velamenta supplicum porrexerunt, orantes implorantesque fidem Scipionis*. Germanicus hinc *venerandam puppim* dixit. Est & autoritate dignitateque cæteris præstantior. Innuit non semel Cicero ut locis aliis, sic in Epistolis ad Atticum his verbis: *Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim*. Fronsbergius testatur utrumque etiam hodie in navibus observari, inque classe Christiana, quæ in mediterraneo mari excubare solet, puppim asyli loco esse, e qua neminem, nisi palam sontem, & atrocioris sceleris convictum, vi abstrahere liceat. Sed ecce tibi veterem triremem, cum præcipuis partibus, earumque explicatione, ut omnia sint manifestiora, facilioraque intellectu.



TRIREMIS PRISCÆ EFFIGIES. A LAZARO BAYFIO PRIMUM EX MARMORE ANTIQUO COLUMNÆ TRAIANI DELINEATA.

A. ... vel *spondæ*. B. *Thalamus*. C. *Zygon*. D. *Thranus*. E. *totum spacium his litteris inclusum Græcis est* ... F. *Parodus vel* ... G. *Stoi* ... H. *Acrostol* ... *locus, nam ipsum abest*. I. *Oculus vel scutulum*. K. *Aplustre*. L. ... M. *Lucerna, in qua faces seu lumina nocturna*. N. *Peritoneum*. O. *Gubernaculum sinistrum, dextrum non conspicitur*. P. *Parasemi locus ipsum abest*. Q. *Rostrum*. R. *Parexiresia*. S. *Tutela*. T. ... V. *Velum complicatum ... antenna*. X. *Dieta*. Y. *Stylus cum tenia*.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
MILITIA NAVALI
LIBER SECUNDUS.
Qui est de
APPARATU BELLICO.

Argumentum.

Agitur hoc libro de militiæ navalis antiquitate primum, postea & dignitate, tum earum navium generibus, quæ ad ipsam requiruntur. Item de militibus ac nautis: & eorum delectu. Sequuntur arma navium, & militum, cum ad iter, tum ad pugnam pertinentia, & instrumenta nautica, quæque alia sunt idonea ornandæ classi.

CAP. I.

Classis quid, quisque eam primus instituerit.

Quid sit classis, & unde ejus vocabulum. classis, de una navi. Quot ad eam requirantur naves. Lazius rejicitur. quis classe primus conflixerit. de Ægyptiorum classibus Fulleri error. Αἰγύπτιος παιδεία, *pro arte navigandi. Classes apud Græcos quis instituerit.* θαλασσοκρατία *quid. Plinius explicatus, & Solinus. Plinius iterum conciliatus Melæ. Quæ gentes* θαλασσοκρατίᾳ, *seu maris imperio floruerint. Classes Romani quando cæperint habere. de fæminarum quarundam virtutibus in hoc genere militiæ. de dignitate prælii navalis, & opinione divinitatis, quæ ipsam sequebatur.*



Lassis seu exercitus navalis justa ordinataque navium expeditarum, id est, armis, viris, nautis, ac remigibus probe instructarum multitudo est, quæ fines hostium non furtim latrocinantium more, sed palam & aperte audet invadere. Græcis στόλος dicitur, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, quod aliquando idem est ac πλεῖν, auctore Schol. Eurip. in Hecuba. Pollux lib. I. cap. 9. ait, etiam ἀπόστολον vocari. Sed usitatius est ναυτικοῦ vocabulum. A Latinis classis dici cœpit ab equitibus, cum primum stipendia in eam contribuerent. Servius lib VI. *Classem hinc dictam volunt, quod apud majores nostros stipendium terrestri prælio miles pedester dabat, equites vero dabant in navali certamine, nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde jam quod ab Equitibus dabatur stipendium, tractum est, ut diceretur classis. Proprie enim classes equitum dicimus.*

A Sunt, qui ἀπὸ τῶν κάλων, hoc est a lignis dictam volunt, eodem teste ad Poetæ I. Unde & interdum unam tantum navim, classem veteres appellavere. Virgilius lib. I.

— *Pallasne exurere classem.*

Horatius lib. III. Carm. Od. 11.

Me vel extremos Numidarum in agros
classe releget,

Nec id Latini modo, sed & Græci fecerunt. Apollonius Argon. I. vers. 704.

Ἡμέτερον δὲ μολεῖν ὅστις στόλου ἡγεμονεύει

Scholiastes: στόλος ἐστὶν ἐπὶ πρᾶξιν τινὰ πορευόμενον πλῆθος, εἴτε ἐπὶ νεῶς, εἴτε καὶ πεζῇ. ἐνταῦθα δὲ, στόλον τὸ τῆς μιᾶς νηὸς πλῆθος εἶπε.

B Alias vix usurpatur, nisi de exercitu multarum navium. Adeo quidem, ut Lazius lib. VI. de Rep. Rom. cap. 5. non aliam, quam quæ quinquaginta navibus constaret, intellexerit. Livii, ut accipio, quibusdam locis permotus, quibus aliquæ tot navium describuntur. Verum falsa hæc ipsius sententia. Nam apud eundem etiam triginta quinque, triginta, imo viginti navium classes reperimus. Arbitramur ergo justam classem non ex nostris viribus, sed hostium potius esse metiendam. Leo Imperator Tact. Cap. XIX. *Triremium singularum, militumque qui in eis vehantur, numerum definire, facile non est, temporum enim ipsorum opportunitas ad copias hostium expugnandas, tum triremium numerum, tum militum etiam, omnesque res præterea ad bellum necessarias, indicabit.*

C Quanquam si & numerus definiendus esset, vix pauciores, quam decem naves ad justam classem requireremus. Sex profecto non constituunt. Florus lib. I. cap. 11. *Extant & parta de Antio spolia, quæ Mœnius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit. Si tamen illa classis, nam sex fuere rostratæ.* Ita Livius lib. XXXII. cap. 32. *Rex ab Demetriade cum quinque lembis & una nave venit*, non, cum classe quinque lemborum. Cæterum quis auctor justæ classis fuerit, quis primus navibus conflixerit, in incerto est. Antiquissimam

tamen pugnam navalem, quarum ad nos pervenit memoria, Diodorus Siculus commemoravit, lib. II. Antiq. cap. I. hisce verbis. *Semiramis, ubi ad Indum flumen pervenit, inventa regis classe ad certamen parata, & ipsa suas naves electis militibus instruxit. Ibi durum certamen commissum, ac diu magnis utrimque viribus pugnatum est. Tandem superata Indorum classe, qua in pugna ad mille naves submersæ sunt, multique mortales capti, pontem, quo facilior esset transitus, supra flumen construxit*. Vixit hæc Semiramis, Eusebio ac Augustino numerantibus, circum Abrahami tempora, id est, trecentis prope annis post diluvium, & mille octingentis ante natum Christum. Ut proinde haud immerito antiquissima dicatur classis hæc, ac pugna. Nec de fide Diodori dubitandum est, quando ea multis aliorum testimoniis firmetur. E quibus non postremum Nearchi apud Strabonem lib. XV. Plutarchi lib. de Fort. Alex. item Plinii, Trogi, & ex eo denique Justini lib. I. cap. 2. Suidas: ναῦς δὲ ἐν Βάκτροις ναυπηγεῖσθαι τρισχιλίας μακρὰς χαλκεμβόλους, πληρώματα δὲ αὐταῖς ὁμοίως ἐκ τε Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Αἰγύπτου καὶ Κύπρου καὶ Κιλικίας. *Ferunt in Bactris Semiramidem curasse fieri naves longas rostratasque ad tria milia, paremque numerum nautarum in eas coegisse ex Syria, Phœnicia, Ægypto, Cypro & Cilicia*. Post illam Semiramidis, etiam alias, ne ipsas quidem contemnendas classes, Ægyptiorum reges paraverunt. Ex his una Amenophis, quem Moysis temporibus regnasse scribit Manethon, antiquus Ægyptiacæ historiæ conditor: Alia Sethosis, filii ipsius, a Theophilo Antiocheno celebratur. Josephus lib. I. contra Appionem, verbis Manethonis. *Sethosis comparatis equestribus navalibusque copiis fratri Armai Ægypti procurationem mandavit, ipse autem exercitum in Cyprum Phœniciamque ducens contra Assyrios Medosque, ferro alios, alios minis subegit*. Ac Sethosis alias Ægyptus, frater ejus Armais, Danaus sunt appellati. Sicut vult Josephus Apionem sequens. Et Josepho hic auscultans Eusebius in Cronicis. Hos medio tempore secutus Sesostris classem quadraginta navium coegit. Quanquam non alius hic Sesostris, quam ille ipse Sethosis Josephi, ut ostendit Scaliger ad Num. Eus. 534. cujus proinde frater Armais, Danaus esse non potuit. Item Apries, qui etiam cum Tyriis, quorum ea tempestate res florere cœperant, navali prælio conflixit. Sicut Diodorus & Herodotus testantur. Ex quo fit, ut mirari satis nequeam commentum magni alioquin viri, Nicolai Fulleri, qui lib. IV. Miscel. Sac. cap. 10. de Ægyptiis prodidit, *nunquam maritimarum expeditionum & lustrationum nomine celebratos, aut ulla rerum earum scientia claros habitos* fuisse. Nam refellunt eum sicut ista, quæ jam modo attuli, sic alia innumera scriptorum loca, quibus Ægyptii, ut maritimarum rerum peritissimi laudantur. Et quis omnino ignorat Xerxis illam classem? in qua ex Ægypto naves etiam trecentas habuit. Cui non veterani illius in exercitu Antonii vox nota est, apud Plutarchum? qua Imperatorem monuit, Ægyptios & Phœnices fineret in mari pugnare, sibi suisque terram servaret. Quid? quod *artem* ipsam navigandi, *Ægyptiacam* appellent. Euripides in Troade Act. I.

Πρῷραν ναῶν ὠκεῖαι
Ἴλιον ἱερὰν αἱ κώπαις
δι᾽ ἅλα πορφυροειδέα, καὶ
λιμένας Ἑλλάδος εὐόρμους
αὐλῶν παιᾶνι στυγνῷ
συρίγγων τ᾽ εὐφθόγγων φωνᾷ
βαίνουσαι πλεκτὰν Αἰγύπτου
παιδείαν ἐξηρτήσασθαι.

A Hæc profecto cuncta dici nequivissent, si Ægyptii maritimarum rerum nullam habuissent peritiam. Apud Græcos classem Minos primus instituisse legitur. Ad hos enim, non qualescunque populos, referenda verba Plinii, lib. VII. cap. 56. cum ait: *Minos princeps classe depugnavit*. Videntur etiam huc pertinere, deque ipso hoc Minoe capienda esse ea, quæ de Neptuno dicuntur. Nam verba Diodori Cretensem faciunt, classem quoque ipsi, & maritimum imperium assignant. Fuere tamen etiam ante istum Minoem, qui pugnaverunt classibus. Ut Phorcas res Corsicæ & Sardiniæ, item Liber Pater, sive Bacchus. Imo ex Cretensibus B ipsis Taurus rex, qui vixit tempore Agenoris, cujus & urbem Tyrum in Phœnicia occupavit. Cedrenus lib. I. *Ea tempestate traditur Taurum Cretæ regem classe Tyrum tentasse, Agenore cum suis copiis alibi bellum gerente, ac sub vesperam capta Tyro cum alias multos captivos tum Europam quoque Agenoris filiam abduxisse*. Habet eandem historiam Eustatius, comment. ad Dionysium, ubi & *navali prælio expugnasse* Tyrum refert. Quare ea, quæ de Minoe produntur, ad θαλασσοκρατίαν potius pertinere existimari possunt. Is enim vere depugnasse dicitur, qui hostes vi ac armis vicit, C imperioque suo subjecit. Nisi quis utrumque factum esse, illasque Phorci Liberique classes prædatorias fuisse arbitretur. quod & ipsum credi potest. De maritimo certe imperio Minois, præter Thucydidem, cujus verba alibi laudavimus, etiam Strabo memorat lib. X. Ἱστορεῖται, ait, ὁ Μίνως νομοθέτης γενέσθαι σπουδαῖος, καὶ θαλαττοκρατῆσαι τε πρῶτος. *Memoriæ proditum est, Minoem bonum fuisse legislatorem, primumque in mari imperium obtinuisse*. Item Nicolaus Damascenus: Κρῆτες πρῶτοι Ἑλλήνων νόμους ἔχον Μίνωος θεμένου, ὃς καὶ πρῶτος ἐθαλασσοκράτησεν. *Cretenses primi inter Græcos leges habuerunt, a Minoe rege conditas,* D *qui & primus maris imperio potitus est*. Hinc illud πέλαγος Μινώϊον, ut vocat Apollonius Arg. IV. quod Scholiastes τὸ περὶ τῆς Κρήτης interpretatur. Nec aliam ob causam de Creta Solinus, *prima mari potuit, navibus & sagittis*. cap. XVI. Strabo lib. X. Καὶ γὰρ ναυκρατεῖν πρότερον τοὺς Κρῆτας λέγουσιν. ὥστε καὶ παροιμιάζεσθαι πρὸς τοὺς προσποιουμένους μὴ εἰδέναι, ἃ ἴσασιν. ὁ Κρὴς ἀγνοεῖ τὴν θάλασσαν. *Prius Cretenses maris tenuerunt imperium, adeo ut proverbium in eos usurpatum sit, qui dissimulabant eorum, quæ sciebant, notitiam. Cretensis mare ignorat*. Quod Solinus *navibus posse* dixit, id Strabo ναυκρατεῖν interpretatus est. Isidorus lib. XIV. Or. E cap. 16. *Prima hæc insula (Creta) remis & sagittis claruit*, hoc est, ἐθαλασσοκράτησε. Sed quid? obstare Mela hic videtur, & Phœnicibus hujusmodi imperium, ejusque primum inventum tribuere. lib. I. cap. 12. *Mare*, inquit, *navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque Phœnices commenti*. Consentit ei Athenæus, primosque omnium hos ipsos θαλασσοκρατίαν habuisse confirmat. Verum neuter alteri adversatur. Nam & ante Minoem Phœnices valuere classibus in suo mari, & post a memorato Minoe navale aliquod imperium in mari Cretico, seu Græco institutum est. Testatur clare Diodo- F rus lib. V. κτίσασθαι δὲ λέγουσιν καὶ δύναμιν ναυτικὴν μεγάλην, καὶ τῶν τε νήσων τὰς πλείστας καταστρέψασθαι, καὶ πρῶτον τῶν Ἑλλήνων θαλαττοκρατῆσαι. *Dicitur magnam habuisse classem, qua subactis Insularum plurimis, Græcorum primus maris imperium sibi vendicavit*. πρῶτος τῶν Ἑλλήνων, ait, quod cum eis, quæ a Mela dicuntur, facile componi potest. Atque ita Scholiastes Apollonii: Μινωΐδας νήσους λέγουσιν τὰς Κυκλάδας, ἐπεὶ Μίνως, Κρὴς ὤν, ἐβασίλευσε τῶν νήσων θαλασσοκρατῶν, τοὺς Κᾶρας

σχεδάσας. Antea nimirum Græcum mare latrociniis infestabatur, quibus tollendis Minos classem comparaverat, disjectisque piratis, sibi aliquod imperium illius maris servaverat, ad majorem ultro citroque commeantium securitatem. Thucydides: καταστάντος δὲ τοῦ Μίνω ναυτικοῦ, πλωϊμώτερα ἐγένετο παρ' ἀλλήλους. Aristoteles II. Polit. cap. 8. Τὴν θαλάσσης ἀρχὴν κατέσχεν ὁ Μίνως, καὶ τὰς νήσους, τὰς μὲν ἐχειρώσατο, τὰς δ' ᾤκισε, τέλος δ' ἐπιθέμενος τῇ Σικελίᾳ τὸν βίον ἐτελεύτησεν ἐκεῖ περὶ Κάμικον. *Maris imperium Minos habuit, & insularum quasdam subegit, alias colonis frequentavit, tandem aggressus Siciliam prope Camicum vita excessit.* Non ergo circumspecte satis, qui primum θαλασσοκρατίας inventum, imperiumque non in Græco tantum, sed & reliquo mari, Ponto puta, & Oceano, ipsi tribuerunt. Inter quos Franciscus est Stypmannus, opere prolixo, quod de Jure Navali ante annum unum alterumve publicavit. Sed nimirum hic, ut alias, vestigia præeuntium legit, recentiorumque exscribere commenta mavult, quam veterum opera intimius scrutari, cumque cura & sollicitudine excutere. Ex quo fit, ut in multis labi necesse habeat. Certe, si Thucydidem consuluisset, vel ex eo solo Phœnicum ante Minoem potentiam in mari potuisset discere. Quippe quam tunc afferat fuisse tantam, ut plerasque occupatas tenuerint insulas, mareque, etiam Græcum, creberrimis latrociniis infestarit. Unde & vi summa, nec nisi justa classe, a Minoe coerceri debuerunt. Quanquam amplius ex aliis sit cognitum, eandem gentem annis minimum quinquaginta ante tempora Minois, Tyrum condidisse. Cujus quanta omni tempore in mari fuerit potentia, non ex uno scriptorum loco manifestum est. Ac ne quis post Minoem demum accepisse eam arbitretur, etiam urbes condidisse, regionesque integras frequentasse coloniis, ante ejus tempora, ex historiis monstrari potest. Primus enim apud Tyrios imperasse dicitur Agenor, Gedeoni apud Hebræos æqualis, cujus filios, Cadmum Phœnicemque, cum non exigua quemque classe dimissos, alterum Thebarum arcem in Beotia, alterum Bithyniam in Asia extruxisse, urbibusque coluisse ex Eusebio aliisque fide dignis veterum monumentis compertum habemus. Post hos autem omnes demum natus est is Minos, de quo loquimur, ut qui Europam, sororem Cadmi, matrem habuerit. Quanquam sint, qui Minoes duos asserant fuisse, huncque θαλασσοκράτορα, Lycesti filium, nepotem Minois prædicti, Cadmi vero pronepotem extitisse ferant. Quod si verum, ut sane videtur, adhuc recentius hoc ejus dominium fuerit, quam nos prodidimus. Et profecto tempore tam exiguo in tantum crescere potuisse Tyrum, ut tot mittere colonias per mare in terras peregrinas, proculque dissitas valuerit, credibile vix est. nisi forte cum aliquibus dicamus, non conditam ab Agenore, sed restauratam amplificatamque fuisse. Quomodo eandem urbem Alexander quoque *condidisse* dicitur apud Justinum lib. XVIII. cap. 4. quem multis postea sæculis vixisse notum est. & verbum κτίζειν apud Græcos, a quibus sua forte hausit Curtius, sæpissime usurpatur, ut ad Chronicon Eusebii Scaligero notatum scimus, non pro *ab initio exstruere*, sed *reficere*. Quicquid horum sit, abunde interim de Phœnicibus constat, quod res maximas in mari ea tempestate, per orbem prope universum, quatenus tum notus fuit, navibusque adiri potuit, summo cum successu gesserint. Memineruntque Eusebius in Chronico, & ad ipsum Scaliger, Lelegum a Phœnicibus subactorum, Chaldæorumque cum iisdem bella gerentium, non paucis annis ante Minoem. Neque mirum, cum tanto ante tempore floruerit Sidon, vera, antiquissimaque sedes Phœnicum. Cujus ex eo colligitur antiquitas, quia mentionem ejus facit Moses, qui ad minimum centum quinquaginta annis ante Agenorem scripsit. Quodque majus est, non ipse tantum ejus mentionem facit, sed & apud ipsum patriarcha Jacob, quando vaticinium filio suo Zabulon in hæc verba edit: *Zabulon ad portum marium habitabit, ipse, inquam, ad portum marium, latusque ejus versus Sidonem erit.* Vixit autem Jacob etiam ante Mosen annis amplius ducentis, ut propterea necesse sit, Sidonem longe plus, quam trecentis annis ante Minoem θαλασσοκράτορα floruisse. quod si ergo tanto ante tempore floruit, si Tyrum interim cum aliis non paucis urbibus condidit, quæ & ipsæ ante Minoem multas per orbem versus Indiam Græciamque dimiserunt colonias, quis est, qui negare possit, longo ante eum, quem jam sæpe nominavi, maris aliquod imperium Phœnices habuisse? cum præsertim constet, ipsum etiam Erythram, Phœniciæ gentis auctorem, atque fors illustratorem Sidonis, ἄνδρα κυριεύσαντα τῆς θαλάττης, *virum maris dominium obtinentem*, teste Agatarchide dictum: propositasque fuisse leges de Mari sive Erythreo, seu Phœnicio, vel Rubro, quas βασιλεὺς Ἐρυθρᾶς ἐνόμισε, ὅτε τῆς θαλάσσης ἐκείνης ἦρχε, *rex Erythreus proposuerat, cum mari illi imperaret*, uti loquitur Philostratus lib. III. vitæ Apoll. cap. 2. Præterea illa omnia, quæ de θαλασσοκρατίᾳ prodidit Eusebius, autorem habent Castorem Rhodium, Græcum hominem, moreque Græcorum omnia inventa suæ genti tribuentem, imo, si verum amamus, Græcorum, non & aliarum gentium, θαλασσοκρατίαν in opere suo *de Imperio maris* describentem. Quod & Casaubonus innuit, quando ad Polybium de hoc similibusque scribit: *Antiqui Chronicorum apud Græcos scriptores, quum nullum extaret summum imperium Græci populi, cujus factis ante Olympiadum institutionem doctrina temporum inniteretur, inter alia tempora, quibus ad seriem temporum designandam sunt usi, istud non prætermiserunt, sed populos diligenter recensuerunt, penes quos imperium maris quondam fuisset, atque omnes mutationes, quæ in ea re contigerunt, accurate in suis Chronologiis adnotarunt.* De Græcis scriptoribus, seriem temporum ab imperio hujus illiusve populi in Græco mari imperantis, cum apud Græcos non aliud imperium esset, desumentibus loqui manifestum est. Indicat id ipsum & Herodotus quodammodo, quando ita Minoi primam θαλασσοκρατίαν tribuit, ut interim dubitet, an non alii habuerint ante ipsum. Ita enim is in Thalia. Πολυκράτης γάρ ἐστι πρῶτος τῶν ἡμεῖς ἴδμεν Ἑλλήνων, ὃς θαλασσοκρατέειν ἐπενοήθη, πάρεξ Μίνωός τε τοῦ Κνωσσίου καὶ εἰ δή τις ἄλλος πρότερος τούτου ἦρξε τῆς θαλάσσης. *Polycrates enim primus, quos nos quidem scimus, Græcorum maris imperium tenuit post Minoem Cnossium, aut si quis alius ante ipsum Mari imperavit.* Ut proinde certius nil sit, quam quod ab initio dixi, Minois θαλασσοκρατίαν de, non apud alias simul gentes, verum Græcos solos, tum primum instituto maris imperio accipiendam esse. Apud quos Græcos cum id primi opera Minois tenuissent Cretenses, deinde accidit, ut anno decimo & quinto ferme, post eversam Trojam, Lydi id sibi subactis Cretensibus vendicarent. qui & Meones ea tempestate dicebantur, sicut Græcus Eusebii codex testatur. Neque obstat, ut putavit Scaliger, Herodotus, quando post Minoem, Policratem imperium maris tenuisse scribit. Ait enim τῶν Ἑλλήνων, i. e. *Græcorum* neminem ante eum, post Minoem habuisse. Quod

ſane verum eſſe poteſt, quia poſt Minoem non Græci, ſed Lydi aliæque gentes in Græco mari imperium tenuerunt. Regnarunt Lydi, & imperium in Græco mari habuerunt annos XCII. Secuti poſtea ſunt Pelaſgi, qui & ipſi imperium illic tenuerunt per annos LXXXV. uti Græcus codex docet. Latinus enim aliter hæc cuncta tradit. Pelaſgos ejecerunt Thraces, & imperio Græci maris præfuerunt annos LXXIX. Thraces exceperunt Rhodii, imperaruntque annis XXIII. Hos Phryges, qui regnarunt annos XXV. Dein ſecuti alii ignoti, qui habuerunt annis XL. Poſt eos imperium ad Phœnices perveniſſe dicitur. Nempe antea ejecti a Minoe, id altera vice in mari Græco tunc recuperarunt. Imperarunt & illi longo tempore, annis fere XL. Poſt hos Ægyptii, annis XXXV. Dein Mileſii, annis XIX. Tum id imperium Cares recuperarunt, qui id ante Minois tempora tenuere cum Phœnicibus, eodemque cum Phœnicibus nomine ſunt vocati, ſubacti, ut opinor, una cum Lelegis a Phœnicibus. Athenæus lib. V. *ἡ Καρία φοινίκη ἐκαλεῖτο, ὡς παρὰ Κορίννῃ καὶ Βακχυλίδῃ ἐςὶν εὑρεῖν. Caria dicta eſt Phœnice, ut apud Corinnam & Bacchylidem legi poteſt*. Non huc pertinent verba Diodori, quæ ex libro ejus quinto adducit magnus Caſaubonus. De prima enim eorum *θαλασσοκρατίᾳ* agunt, tempore Trojano. Ita namque Diodorus: *μετὰ τὰς Τρωικὰς χρόνους κατέσχον τὴν νῆσον Κᾶρες, καθ' ὃν καιρὸν ἐθαλαττοκράτουν. Temporibus Trojanis occuparunt Inſulam* (Lesbum) *Cares, quibus & imperium maris tenuerunt*. Oſtendunt tamen iis temporibus eſſe factum, ut dominium maris haberent; quod de nullo alio poteſt accipi, quam de eo, quod cum Phœnicibus habuere tempore Minois, cum nullius ante mentio in hiſtoria Græcorum extet. Et quia clare Diodorus de imperio Carum in mari temporibus Trojanis teſtatur, verum eſſe apparet, quod ſuperius de Phœnicibus, quos eoſdem eſſe cum Caribus demonſtratum eſt, prodidimus. Confirmaturque amplius a ſcriptore vetere apud Suidam, qui id ipſum de Caribus, hoc eſt, Phœnicibus: *τὰς Κᾶρας θαλασσοκρατῆσαι λέγεται μετὰ Μίνω τὸν Κρήσιον. Caras maris imperium tenuiſſe temporibus Minois Cretenſis*. Ita enim exponendum puto illud *μετὰ*, ut ſupra. non *poſt* tempora Minois, cum hoc nulla unquam hiſtoria prodiderit: nec de his ſecundæ *θαλασσοκρατίας* temporibus poſſit accipi, ut inter quæ, & Trojana tempora anni ad minimum quadringenti quinquaginta interceſſerint. Imperarunt autem Cares annis LVI. Poſt Cares mare obtinuerunt Lesbii, per annos LXIX. Tum Phocæenſes, per annos XLIV. de quorum potentia quondam in mari præter Thucydidem etiam Juſtinus lib. XLIII. eſt teſtis. Secutæ aliæ gentes duæ, quarum nomina cum temporibus imperii perierunt. Poſt eas imperarunt Naxii, per annos X. quod & Diodorus firmat lib. V. ut a Caſaubono demonſtratum eſt. Dein Eretrienſes, annis VII. Tandem ſecuti Æginetæ, qui cum imperaſſent annis XX. temporibus Xerxis Perſicique adverſus Græcos belli, in quo Athenienſium præcipue virtute Xerxes ſuperatus eſt, imperium Athenienſibus cedere coacti ſunt. Cujus quoque rei mentionem facit Strabo lib. VIII. temporumque ratione optime cum Euſebio convenit. Atque hæc quidem Græcorum, aut in Græco mari aliorum, *θαλασσοκρατία*. In aliis maribus alii imperarunt. Ut in mari rubro, quod ad Indiam uſque protenditur, Phœnices, ſicut ante dictum eſt. In Italiæ vicino mari Spinetæ, teſte Strabone lib. V. & Dionyſio Halicarnaſſenſi, qui eos lib. I. cap. 18. diu maris imperio potitos eſſe teſtatur. Meminit eorum etiam Stephanus, de *θαλασσοκρατίᾳ* tamen nihil addit.

Floruerunt in eodem mari etiam Tyrrheni, diuque, teſte Diodoro, ejus tenuerunt imperium, denique de ſe Tyrrhenum appellarunt. Quod nomen longo tempore ſervaſſe Plinius, & Scholiaſtes Apollonii, autores ſunt. Poſt Tyrrhenos, ut Caſaubonus cenſet, *θαλασσοκρατίαν* habuere Carthaginenſes, in Italiæ vicino mari: obſtantibus nequicquam Græcis, Macedonibuſque; donec victis iis primo & ſecundo bello Punico, ſuperatoque rege Antiocho, ad Romanos pervenit. Quam rem Polybius lib. I. confirmat. Similiter & apud Gentes alias fuerunt, qui mare ſibi vendicarent. De Haraldo Hyldetand teſtatur Saxo lib. VII. Hiſtoriarum, quod *maris dominationem, abſque ejus nutu uſurpare nemo præſumſerit*. Teſtatur & de Olo, quod a Patre *recepta pelagi dominatione* LXX. *maritimos reges nauticarum virium certamine conſumſerit*. De Britannis idem docet Selden. lib. II. Mar. Clauſ. cap. 2. & 3. quem exſcribere hic non neceſſe puto. Romani ſero admodum, ut dixi, ad hujus rei curam adplicuere. Scilicet terreſter populus non ante mare adire potuit, quam circumcirca omnibus pacatis, ad id perveniret. Ornaverunt autem claſſem primo bello Punico, ſi Polybium audimus. Livius & ante ea tempora nonnullarum fecit mentionem. Nam lib. IX. cap. 30. Duumviros ornandæ claſſis commemoravit. Niſi aliæ hæ claſſes fuerint, quod alibi diſpiciemus. Florus certe, qui alias cum cura Livium ſequendum ſibi propoſuit, hic magis cum Polybio conſentire videtur. Sic enim ait lib. II. cap. 2. quo deſcribitur id bellum, de quo dixi: *Appio Claudio conſule, primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuque violentum. ſed adeo non eſt exterritus, ut illam ipſam ruentis æſtus violentiam pro munere amplecteretur. ſtatimque ac ſine mora Hieronem Syracuſanum regem tanta celeritate vicit, ut ille ipſe ſe prius victum, quam hoſtem videret, fateretur. Duillio Cornelioque Conſulibus, etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ auſpicium fuit. Intra enim ſexageſimum diem quam cæſa ſylva fuerat, centum ſexaginta navium claſſis in anchoris ſtetit*. Hæc de claſſium autoribus. Venio ad fæminas, quarum ſtudia in re navali enituere. Ex his Arthemiſia, conjux Mauſoli, Halicarnaſſi regina, de qua ſic Juſtinus lib. II. cap. 12. *In auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat: quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres*. De pugna Xerxis loquitur & Athenienſium ad Salaminam. De qua & Pauſanias in Laconicis his verbis. *Ἀρτεμισίαν φασὶν ἑκουσίως ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα συστρατεῦσαι Ξέρξῃ, καὶ ἔργα ἐν τῇ ναυμαχίᾳ ἐν Σαλαμῖνι ἀποδείξασθαι*. Pugnavit & cum Rhodiis navali certamine, in quo quum virtus ejus & prudentia præcipue enituerit, non pigebit rem prolixius, ut a Vitruvio commemoratur, exſcribere. *Poſt mortem Mauſoli*, ait, *Artemiſia uxore ejus regnante, Rhodii indignantes mulierem imperare civitati, Cariæ totius armata claſſe profecti ſunt, ut id regnum occuparent. Tum Artemiſia cum id eſſet renunciatum, in minore portu* (vulgo æque bene, *in eo portu*) *abſtruſam claſſem cœlatis remigibus & epibatis comparatis, reliquos autem cives in muro eſſe juſſit. Cum autem Rhodii ornatam claſſem in portum majorem expoſuiſſent, plauſum juſſit ab muro bis darent, pollicerique ſe oppidum tradituros: qui cum penetraſſent intra murum, relictis navibus inanibus Artemiſia repente foſſa facta, in pelagus eduxit claſſem ex portu minore, & ita invecta eſt in majorem. Expoſitis autem militibus & remigibus, claſſem Rho-*

dorum inanem abduxit in altum. Ita Rhodii non habentes, quo se reciperent, in medio conclusi, in ipso foro sunt trucidati. Ita Artemisia in navibus Rhodiorum suis militibus & remigibus impositis, Rhodum est profecta. Rhodii autem, cum perspexissent suas naves laureatas venire, opinantes cives victores reverti, hostes receperunt. Tunc Artemisia Rhodo capto, principibus occisis, tropæum in urbe Rhodo suæ victoriæ constituit. Hæc virorum opera res præclaras mari navibusque gessit. Nunc ecce aliam, quæ non minora, sed fœminino exercitu confecit. Aluilda est Gothorum regis filia, de qua Joannes Magnus Upsaliensis Episcopus his verbis, lib. VII. Hist. *Ne annos suos otio inertiaque labefactari pateretur, vestem fœmineam animumque muliebrem in virilem audaciam commutavit, & quæ pridem puella fuerat pudicissima, deinceps in piratico exercitio virorum fortitudinem superare aut æquare videbatur. Nec parvus erat virginum numerus, quæ se a voluptatibus abstractas, ad id militiæ propositum paratissimas offerebant.* Eadem de ipsa ejusque exercitu refert Saxo lib. VII. Histor. Dan. Extitere adhuc aliæ, quæ famam sui nominis, maritimarum rerum usu, & experientia bellorum navalium illustrarunt. Sed enumerare ipsas supersedeo, memor instituti mei, quod historias non profitetur. Potius ad dignitatem hujus rei venio, & ostendo tantam apud veteres habuisse autoritatem, ut & divinitatis opinionem aliquibus conciliaverit. Sic enim Phorcus, sic Liber pater in deorum numerum pervenere. Alter quia Tyrrhenos prælio navali superatos præcipitavit in mare. Alter quia delapsus e navi, nec amplius inter homines deinde visus est. Servius: *Phorcus, deus est marinus. Hic autem dicitur Thoosæ nymphæ & Neptuni filius. ut autem Varro dicit, rex fuit Corsicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuisset victus & obrutus, finxerunt socii ejus, eum in Deum marinum esse conversum.* Lucianus de Baccho sive Libero: *Καὶ μέμφομαι γε τῷ Διονύσῳ, ὅτι ὑμᾶς καὶ ναυμαχήσας μετέβαλε, δέον χειρώσασθαι μόνον, ὥσπερ τοὺς ἄλλους ὑπηγάγετο. Atque quidem ob id reprehendo Bacchum, quod vos navali prælio superatos ita transformavit, cum deberet captivos solum in deditionem accipere, quemadmodum & cæteros in potestatem redegit.* Quid? quod navis ipsa certo modo facta sit divina, & inter sydera relata. Sic enim Hyginus Fab. 14. *Hæc est navis Argo, quam Minerva in sideralem circulum retulit, ob hoc, quod a se esset ædificata, ac primum in pelagus deducta est.* Aratus in Phœnom.

> Ἡ δὲ κυνὸς μεγάλοιο κατ᾽ οὐρὴν ἕλκεται Ἀργὼ
> πρυμνόθεν. οὐ γὰρ τῇ γε κατὰ χρέος εἰσὶ κέλευθοι,
> ἀλλ᾽ ὄπιθεν φέρεται τετραμμένη.

Veterum tamen nonnulli, maxime Romani, deteriorem hanc militiam putavere, terrestri. Hinc apud Tacitum legas, Hist. I. cap. 87. de classiariis, *facta & cæteris spes honoratioris in posterum militiæ.* Et apud Livium lib. XXXII. *Navales socii, relictis classibus, ad spem honoratioris militiæ transgressi.* Caussa forte, quia videbant plus hic efficere fortunam, quam virtutem, sæpeque vincere, qui mereatur vinci. Diodorus certe ita differit lib. XX. *In pugnis*, inquit, *navalibus multæ variis modis causæ eveniunt, quæ faciunt, ut qui virtutis suæ jure optime victoriam alias reportarent, nec opinato succumbant.* An &, quia putabant minui gloriam militum, ob auxilium nautarum? Profecto enim in conflictus præliive navalis opere *lacerti remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam præstat*, ut Vegetius testatur. Etiam ignaviam prætextus invenire in hac militia, ex vi fluctuum & ventorum, animadvertebant. contraque fieri in terrestri, ubi culpam rei male gestæ frustra referas in quid aliud, quam proprium timorem. Denique mors ipsa displicebat, ut in aquis, quibus non eripi tantum, sed extingui plane animam putabant. Hinc forte Vegetius lib. IV. 44. *Alii ferro interimuntur, & saxo, alii ardere coguntur in fluctibus, inter tanta tamen mortium genera (qui acerbissimus est casus) absumuntur a piscibus, & insepulta sunt corpora.* Nisi potius eo hæc acerbitas pertineat, quod insepulto corpore, quiescere animum non posse, sed vagam errare veteres putarent, sicut & in notis ad Pacatum diximus. Quomodo tamen iterum hæc militia deterior videri poterat terrestri. Sed hæc cuncta vana. Nulli loco adstringitur virtus, imo quo plus in mari fortuna potest, hoc majori animo, meliorique consilio eam trahit in partes suas. Neque obscurant nautæ militum gloriam, sed promovent, ac illustrant. Itaque non est deterior militia navalis, præsertim apud eos populos, qui mari sunt vicini, ut vel ex Carthaginensium Græcorumque rebus gestis disci potest. Pertinet huc quod ait Aristides apud Photium in Or. Miltiadis pro Themistocle: *Equidem non intelligo, cur terrestris victoria pulchra sit, turpis marina; vel cassis atque corium magni sint pretii, rudentis ac remi nullius.*

CAPUT II.

Quæ, qualesve naves ad classem requirantur.

Explicatur hic varietas bellicarum navium. ut, quid sit navis longa, quid πλοῖον. Naves duorum pluriumve scalmorum, dicopon, dieris, biremis. Baysius notatus. Celoces quales, & triremes, deque iis explicatus Isidorus, atque alii. τελήρον πλοῖον, acatia, lembi, cymbæ, scaphæ, phaseli. Quæ leves naves, & celeres. Quæ præcursoriæ, piraticæ, speculatoriæ, hypireticæ. Gyraldus, Vultejus, aliique plures notati. Scapha, ἐφολκίς, carabus, ῥινοπίεια. Sequuntur εἰκόσοροι, pentecontori, item Actuariæ naves, de quibus Livius explicatur, & Polybius. Interpres vero Herodoti, Savilius & alii erroris convincuntur. Naves longæ, quales, & ut differant ab iis, de quibus supra mentio injecta est. Sequuntur biremes, triremes, quadriremes. Quarum structura auxilio Athenæi contra Baysii, Savilii, Rivii & reliquorum sententias ostenditur, eaque occasione innumera pene scriptorum loca explicantur. De triremium significatione apud recentiores quædam docentur. propompæ, præsidiariæ, lusoriæ. Thalamegi, prætoriæ, & plures aliæ quales fuerint longa disputatione monstratur.

De autore classium abunde hactenus, ni fallor, actum. naves ipsas, cujus vulgo una-

A quæque generis habuisse videtur, dispiciamus. Dividemus autem commode in duo velut agmina; unum earum, quæ administrantur velis, alterum earum, quæ aguntur remis. Illud *onerariarum* est, & ad prælia ineptarum: hoc *militarium* & bellicarum. Nam quia olim in conflictu non ventis impellebantur naves, verum remis, ut tanto obedientiores essent nautis, faciliusque huc ac illuc, pro necessitate rationeque negocii agi possent; iccirco remis instructas esse militares oportebat, inque iis summam ponere fiduciam, sicut onerarias in velis. Quanquam & hæ non raro adhiberent remos, & illæ uterentur velis, sicut suo loco indicabitur. B Ac de onerariis quidem nil jam differemus, sed de solis militaribus, quas Græci naves πολεμικὰς appellant. Στρατιωτίδων enim vocabulum potius ad onerarias pertinere alibi monstratum est. Πολεμικαὶ igitur seu militares quia remis agebantur, dictæ sunt ἐπίκωπα a Græcis. Diodorus lib. XIV. εἶχον σὺν ταῖς ὁλκάσι, καὶ ταῖς ἐπικώπαις ἁπάσαις χαλκεμβόλοις, ναῦς οὐκ ἐλάττους πεντακοσίων. *Habebat cum onerariis, ceterisque aliis, quæ remis aguntur ac rostratæ simul sunt, naves haud pauciores quingentis.* Vides, ut ἐπίκωπα opponat onerariis, & ne dubites, militares intelligere, rostratas simul appellet. Sic Polybius, quem laudat Si- C mon Bosius in notis ad Epist. Cic. pag. 62. ἐπὶ τούτοις συνθήκας ἐποιήσαντο Ῥωμαῖοι καὶ Καρχηδόνιοι, μὴ ἔχειν μήτε κτᾶσθαι Καρχηδονίους πλοῖον ἐπίκωπον πλὴν δέκα τριήρων, καὶ τῶν ἁλιευτικῶν, καὶ περιχώρων, ὧν οὐδὲν ἦν δεκασκάλμου μεῖζον. *Per Publium fœdus inierunt Romani & Carthaginienses, quo cautum erat, ne Carthaginienses haberent, aut possiderent navem, quæ remis agatur, præter triremes decem, & piscatorias, & quibus alias ad vicinales usus navigatur, quarum tamen nulla major sit, navigio decem scalmorum.* Utitur hac voce de quocunque genere navigii, majore minoreque, onerariis exceptis. Quemadmodum & Athenæus D de cercuro usurpavit, lib. V. Dipnos. πᾶς δ' ἦν οὗτος (nempe cercurus) ἐπίκωπος, *totus erat remis instructus*. Aliquando & κωπήρη vocabantur, uti Bayfio ex Thucydide & Plutarcho observatum est. Hinc Didymus loro quem & postea citabo: διαφέρουσιν αἱ νῆες τῶν πλοίων. τὰ μὲν γάρ ἐστι στρογγύλα, αἱ δὲ κωπήρεις καὶ στρατιώτιδες. Hic enim cum στρατιώτιδες sint bellicæ quæcunque id est longæ, quia tamen oppositæ στρογγύλοις sive onerariis, κωπήρεις tamen esse dicuntur, id est tales, quæ aguntur remis. Fortassis etiam μακραὶ seu *longæ*, præsertim quando non de singulis, sed universis sermo est. E Ulpianus ad Orat. Demosthenis πρὸς Λεπτίνην. Πλοίῳ στρογγύλῳ. φορτηγῷ δηλονότι. μακρὰ γὰρ τὰ πολεμικὰ ὀνομάζεται. Scholiastes Aristophanis: Μακραὶ νῆες, πολεμικαί. Sic Polybius lib. III. pro eo, quod simpliciter in fœdere primo inter Romanos ac Carthaginienses cautum est, *ne Romani navigent ultra pulcbrum promontorium, aut vi delati Carthaginem quicquam emant*, πλὴν ὅσα πρὸς πλοίου ἐπισκευήν, *præter necessaria reficiendæ navi* (quibus verbis quamcunque navem bellicam, sive magnam, sive parvam intelligi, ex sequentibus palam est) sic interpretando ait: *Noluerunt ultra pulchrum promontorium navigare Romanos* μακραῖς ναυσί. Quæ ergo πλοῖον est simpliciter in fœdere, F & quamcunque bellicam significat, eam Polybius μακρὰν appellat. Diodorus Liparum scribit usum μακραῖς ναυσί. Vixit autem Liparus ante Jasonem, qui alias primus μακρὰν invenisse dicitur. quod sic potest colligi, quia eodem Diodoro teste Liparus filiam habuit Cyanen, cui matrimonio junctus fuit Æolus, quem aut antiquiorem, aut æqualem faciunt prædicto Jasoni. Diodori verba sunt in V. de jam dicto Liparo: Κυριεύσαντα δὲ νεῶν μακρῶν καὶ στρατιωτῶν, ἐκ τῆς Ἰταλίας φυγεῖν εἰς τὴν ἀπὸ τούτου Λιπάραν ὀνομασθεῖσαν φασί. *Ajunt navibus longis exercituque potitum ex Italia in insulam fugisse, quam de nomine suo Liparam vocavit.* Sunt ergo μακραὶ Diodoro, quæcunque deinde militares. Vel ad minimum non penteconteri, quæ alias accuratiore acceptione vocis μακραὶ, seu longæ. Sed quia dubitari potest de ætate Lipari, dabo alium vetustiorem, Triptolemum nempe, quem Philochorus μακρᾷ navi usum fuisse testatur. Verba extant apud Eusebium in Chronico num. DCX. Τριπτόλεμόν φησιν ὁ Φιλόχορος μακρῷ πλοίῳ προσβαλόντα ταῖς πόλεσι τὸν σῖτον διαδοῦναι. Triptolemi pater fuit Rharus, uti vult Pausanias in Atticis, filius Cranai, Cecropis vero nepos, unde satis de antiquitate ejus judicari potest. Tali sensu nominat μακρὰς Diodorus Eclog. lib. XXIV. ἔφθασε δὲ καὶ Καρθάλων στρατηγὸς ἐκ Καρχηδόνος μετὰ νεῶν μακρῶν καὶ στιγμῶν ἴσων. & Polybius lib. XV. in fœdere Romanorum cum Carthaginensibus: τὰ μακρὰ πλοῖα παραδοῦναι πάντας, πλὴν δέκα τριήρων. Non tantum pentecontoros (quæ alias μακραὶ speciatim dicuntur, uti mox ostendam) aut triremes quadriremesve hic intelligit, sed in universum omnes militares, majores minoresque, cujuscunque generis, Livius hoc sensu appellavit *longas*. Sic enim lib. XXV. cap 27. *Bomilcar centum triginta navibus longis, & septuaginta onerariis profectus est.* Similiter Cæsar Julius lib. V. Bell. Gall. cap. 25. *Quod ubi animadvertit, naves longas paululum removeri ab onerariis navibus, & remis incitari jussit.* Metaphrastes ejus verba hæc sic reddidit: τοῦτο δὲ κατιδών, τὰς μὲν μακρὰς ναῦς ὀλίγον ἀπὸ τῶν φορτικῶν νεῶν ἀπάγεσθαι ἐκέλευσεν. Hæc causa est, cur Scaurus in libello de Ortographia scripsit: *De navi dicimus, cum longa sit, an oneraria, rogamus.* Nempe his vocabulis, omnia navium genera comprehendi ostendit. Credo & Justinum ideo de Hercule scripsisse lib. II. cap. 4. quod *longis novem navibus* contra Amazones profectus sit. Pentecontororum enim iis temporibus tam frequentem fuisse usum vix putaverim. Phavorinus Hemiolam μακρὰν appellat, id est longam, quæ tamen fuit infra magnitudinem triacontori, ut deinde apparebit. Et sic recentioribus temporibus longas vocarunt bellicas quascunque, etiam quæ octodecim agebantur remis, non Latini tantum, sed & Norvagi, qui earum appellationem a Latinis accepisse videntur. Sturlesonius in Chron. Norvagico: *Kongen fik hannem & lang Skib met* 18. *aarer*. h. e. *Rex ei dabat navem longam remis octodecim instructam.* Similiter alibi navim triginta remorum, id est triacontorum, longam appellat. Quia vero militares omnes, cujuscunque essent generis, dicebantur longæ, hinc factum est, ut Egesias Parhalum longæ navis inventorem, Ctesias Samirem, Saphanus Semiramin, Archimachus Ægeonem tradiderint, ut Plinius lib. VII. cap. ult. ostendit. Nam alias de Semiramide notum, quod non pentecontoros, sed solubiles habuerit naves, quas σύλλυτα πλοῖα Strabo nominavit. Et æquidem pentecontori non fuerant, nondum scilicet inventæ illa tempestate, multo minus triremes, quadriremesve, sed his omnibus minora navigia. Unde patet, talia quoque usurpasse veteres ad bella, & ex sequentibus amplius apparebit. & quia usurparunt, longas dictas esse, quoniam ut ajebat Scholiastes Aristophanis πολεμικαὶ μακραί, *quæ bellicæ, eæ longæ*. Porro longæ vel μακραὶ sic dictæ sunt, quoniam revera longiores fuerunt, quam onerariæ. Isidorus l. XIX. c. *Longæ naves dictæ, eo quod longiores sint cæteris.* Thucydidis interpres: τὰ πολεμικὰ μακρό-

μακρότερα. Naves bellicæ sunt longiores: ταῖς στρογγύλαις scilicet, de quibus ante disseruerat, & quarum species in comparatione cum his orbiculata & rotunda fere erat. Longarum vero genera sunt duo, unum *Actuariarum*, alterum *longarum*, sic in specie dictarum. De Actuariis primo dicemus, dividemusque iterum in duo genera, quorum primum erit minorum, alterum majorum. Minores actuarias Cicero *actuariolas* vocavit, lib. XVI. ep. 6. ad Atticum. *Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum*. Sed frequentius a scalmis nomina sua sortiuntur. (quanquam & in lib. X. ep. 13. *quid duro tempore anni actuariolo fore censes?* dixerit) Idem Cicero lib. XVI. Epist. 3. ad Atticum: *Hæc ego, conscendens e Pompejano tribus actuariolis decem scalmis*. Vides a scalmis actuariolas hic definiri, atque ita ad actuariolas pertinere, quæ a scalmis nomen habent. Ut illa duorum scalmorum, cujus meminit idem Cicero de Orat. I. his verbis: *Citius is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit?* Naviculam dicit, ut de minimo genere sermonem esse dubium non sit. Sic ante ista verba, quæ supra ex lib. X. adduxi, præmiserat: *de pueris quid agam? parvone navigio committam?* quo id ipsum indicatur. Etiam Græci sic appellant. Unde apud Plutarchum δωδεκάσκαλμος. Verba sunt in vita Cæsaris: ἐς πλοῖον ἐμβὰς τὸ μέγεθος δωδεκάσκαλμον. *conscendit naviculam duodecim scalmorum*. Loquitur de navigio, quo Cæsar Brundusium navigare solus tentaverat. Suetonius parvulum navigium appellat. *Clam noctu*, ait, *parvulum* navigium solus obvoluto capite conscendit. Alias appellant πλοῖα. Thucydides in IV. Ἀθηναῖοι τοῖς τε πλοίοις, καὶ ταῖς ναυσὶ τῷ τρόπῳ ἐκλιπόντες τὸ χωρίον ἐς παλήνην διεκομίσθησαν. per πλοῖα, minima hic navigia intelligit, sicut dixi. Scholiastes, πλοῖα τὰ μικρά, ἃ δὴ καὶ λεπτὰ ἄλλοθι εἶπεν. *Ploea sunt parva, quæ & ali-*

A *bi levia vocat*. Quanquam hæc vox non raro pro onerariis usurpetur. Ammonius: Νῆες, πλοίων διαφέρει. Δίδυμος ἐν δεκάτῳ ῥητορικῶν ὑπομνημάτων φησὶν οὕτως. ὅτι διαφέρουσιν αἱ νῆες πλοίων. τὰ μὲν γὰρ ἐστι στρογγύλα, αἱ δὲ κωπήρεις καὶ στρατιώτιδες. *Naves differunt a ploeis. Didymus in decimo Rhetoricorum hypomnematum sic ait. differunt naves a ploeis. Hæc enim sunt onerariæ, illæ actuariæ & militares*. Tali sensu Suidas: πλοῖα διαφέρει νηῶν, ὡς οἱ παλαιοὶ παρασημειοῦνται. Sunt alias navigia, de quibus ante dixi, rursum duplici in differentia: quædam ita comparata, ut in iis nautæ singuli duos simul remos moveant, a dextra unum, alterum a sinistra;
B quædam ita, ut in ipsis singuli tractent singulos, vel in hac, vel in ista parte. Illa *Ampheres* a Græcis appellantur, hæc *celoces*. De ampheribus Scholia Thucydidis: Ἀμφηρικὸν, πλοιάριον ἐστὶν ἑκατέρωθεν ἐρεττόμενον, ἐν ᾧ ἕκαστος τῶν ἐλαυνόντων δικωπίας ἐρέττει. *Amphericum, navigiolum est, quod impellitur ab utroque latere, remigibus quibusque duos simul concitantibus remos*. Observa hic δικωπίας vocabulum. Ostendit enim ipsa sua similitudine, etiam *dicopa* vocari, a duobus nempe remis, quos quisque agebat. Et patet ex Strabone lib. I. ubi de captura tynnorum. ἐν δικώποις σκαφιδίοις πολλοῖς,
C δύο καθ᾽ ἕκαστον σκαφίδιον ἐρέττουσι, καὶ ὁ μὲν ἐλαύνει, ὁ δὲ ἐπὶ τῆς πρώρας ἕστηκε δόρυ ἔχων. Remigat hic unus tantum, & tamen δικωπίαν facit, quod profecto de duobus remis simul concitatis, neque aliter, accipiendum est. *In scaphis*, inquit, *biremibus multis, in quibus singulis duo navigant, quorum alter remigat, alter stat in prora cum tridente*. Sic apud Lucianum Charon solum se duobus remis ait navigare, quod intelligi non potest, nisi de hoc genere. verba sunt in dialogo εἰδότες. ἐγὼ πρεσβύτης ὢν, τὴν δικωπίαν ἕλκων ἐρέττω μόνος. *Ego quamvis sum senex, & duos remos concito, navigo tamen solus*. Figura istiusmodi navigiorum talis fuit.



Meminit alias & Euripides in Alceste: ὁρῶ δίκωπον, ὁρῶ σκάφος. Vocantur & διήρεις. Monstrat primum nominis convenientia: deinde Pollux, dum in medio Ampherum, & eorum, quæ jam exposuimus, interserit, hoc modo: δίκροτον, ἀμφηρικὸν, ἀμφήρης, διήρης, δίκωπον. Consentit & Apollodorus, ut est testis Phavorinus voce διήρης. Verba Phavorini hæc sunt: Ἀπολλόδωρος δὲ καὶ τὰς ναῦς τὰς ἐχούσας δύο καὶ τρεῖς στέγας, διήρεις λέγει ἢ τὰς ὑπὸ δύο ἐρετμῶν ἐλαυνομένας. Sic legenda ista verba, non ἐρετῶν, ut est in vulgatis. Ostendit Apollodorus vocabulum διήρης duo genera navium significare, alterum quod habet duos ordines remorum, alterum quod duos tantum remos. A remorum numero dicta est διήρης, non a numero remigantium, a quo nulli navi nomen inditum reperimus. Atque hoc διῆρες πλοῖον, quod se apud neminem probatum, præter unum Suidam, Bay-

D sius legisse memorat, & perperam cum illo genere, quod ordinibus duobus agebatur, confundit. Latini pariter *biremes* nominarunt. Lucan. lib. VIII. v. 562.

—— quem contra non longa biremi
Appulerat scelerata manus ——

Non longa, inquit, ergo de alio genere accipi non potest. Et lib. X. vers. 56.

E *—— se parva Cleopatra biremi,*
Corrupto custode Phari, laxare catenas,
Intulit Emathiis, ignaro Cæsare, tectis.

Quam supra dixit *non longam*, nunc *parvam* appellat. At quæ ordinibus duobus fuerunt instructæ parvæ dici non possunt. Plutarchus factum hoc commemorans in vita Cæsaris ἀκάτιον μικρὸν,

parvulum acatium fuiſſe ſcribit. De ſimili navigio Horatium accipio, quando canit lib. III. Carmin. Oda 29.

Tunc me biremis præſidio ſcaphæ
tutum per Ægeos tumultus
aura feret ——

Non ſicut Acro exponit de navi *binos remorum ordines* habente: neç enim aliud vult Poeta, quam ſe, cum imminet rerum omnium jactura, & naufragium, etiam minimo navigio, ſcaphaque majori annexa tutum per quantumvis procelloſum mare evaſurum. Quod ſperarunt nautæ Pauli Apoſtoli, ut eſt Actorum cap. XXVII. 30. contigitque gubernatori apud Ciceronem lib. II. de Inventione. Ita namque in ultimo periculo ſolebant, ut ex Æthiopicis Æliodori cognoſcimus. Celoces autem dicebantur, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractant remos. Docet Suidas, quando ait; Κέλης ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ κέλητος ἵππου, ᾧ εἷς ἀνὴρ ἐπικάθηται. *Celox per tranſlationem a celete equo, dicitur cui vir unus inſidet*. Mens Suidæ hæc eſt. Quemadmodum celetes, vel ut Latini nominabant, ſingulares equites ex equis tantum ſingulis pugnabant, quemadmodum in prælio ſingulis tantum utebantur, ita & celoces dicebantur eæ naves, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractabant remos. Patet hoc ex Amphippis equitibus, qui celetibus opponuntur. Sicut enim ex amphippis, qui duobus ſimul utuntur equis, dictæ ſunt ampheres, in quibus quiſque duos remos agitat; ſic ex celetibus dictæ ſunt celoces, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractant remos. Quod & tum fiebat, cum etiam unicus navigaret, ut in *celotio*, cujus in altero latere appoſitam habes figuram. De eo enim Scholia Thucydidis lib I. κελήτιον μικρὸν πλοιάριον, ὑπὸ ἑνὸς ἐρεττόμενον. *celotium parvum eſt navigium, in quo unus remigat*. Alias pluribus impellebantur. Plautus, vel ut arbitrantur alii, Turpilius:

Remulis ſenſim celox ab oppido proceſſerat.

Remulis, ait: ut ne ſic quidem, niſi parvum navigium fuiſſe, conſtet. Quare errant, qui cum pentecontoris confundunt. Quod & ex eo patet, quia, cum hæ eſſent longæ naves, celoces contra longis opponuntur. Appianus lib. VII. de bell. Pun. ἐς Λιβύην ἀνήγετο ἐπὶ νεῶν μακρῶν μὲν δύο καὶ πεντήκοντα, φορτίδων δὲ τριακοσίων. κέλητές τε καὶ λέμβοι πολλοὶ συνέπλεον αὐτῷ. *Profectus eſt in Lybiam cum navibus quidem longis duo & quinquaginta, onerariis vero triginta ſequebantur eum celoces, & lembi plurimi*. Polyb. lib. V. ἐκύρωσε δύο μακρῶν πλοίων αὐτάνδρων, ἔλαβε δὲ καὶ κέλητα. *duas naves longas cum viris ipſis cepit, cepit & celocem*. Ita Livius lib. XXI. cap. 17. *Naves longæ centum ſexaginta, celoces duodecim*. Celoces ergo cum non ſint longæ, ne pentecontoris quidem ſimiles eſſe potuerunt. Quanquam non negemus, potuiſſe aliquando pluribus remis inſtruis, atque ſic ad actuarias majores interdum pertinere. Priore ſenſu Iſidorus *celones vel celoces* dixit eſſe *biremes triremeſque agiles*. Nec enim tot ordinum naves, quod de celocibus nuſpiam reperitur, ſed quæ tot remis impelluntur, intellexit. Quemadmodum & apud Syneſium Epiſt. 4. eſt κελήτιον δίσκαλμον, *celox biremis*: Et apud Euſtatium quidam κέλητας πεντασκάλμους appellat, quos imitatione Iſidori *celoces quinqueremes* nominaret. Ammonius quoque κέλης, ait, ἐστὶ πλοιάριόν τι μικρόν. Sic enim cenſeo legendum, non πηδάλιον, ut eſt in editis ſine ſenſu. celox eſt parvum navigiolum, & quia parvum ideo Thucydides a triacontoris diſtinguit lib. IV. ubi ait: ἐκ λῃστρικῆς Μεσσηνίων τριακοντόρου καὶ κέλητος. At vero, ajunt, triremis nulla unquam extitit, cum tribus tantum remis. Imo vero extitit, ut ex



Plutarcho apparet. Ita enim ait, vita Theſei: Δόγμα κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, μηδεμίαν ἐκπλεῖν τριήρη μηδαμόθεν ἀνδρῶν πέντε πλείονας δεχομένην. *Decretum communi Græcorum concilio, ne quo navigaret triremis ulla, quæ plus quinque viros caperet*. Si triremis, de qua loquitur Plutarchus, non plus debuit, quam quinque viros capere, non poteſt eſſe ejus generis, quod tribus inſtructum eſt ordinibus. Ne jam dicam, eo tempore triremes alias nondum fuiſſe inventas. Intelligit igitur ejuſmodi navigium, quod in vita Æmilii τρίσκαλμον, id eſt, *trium ſcalmorum* appellavit. ubi ita ait: τὰς ναῦς ἁπάσας ἀφείλετο, καὶ πλοῖον οὐδὲν αὐτοῖς τρισκάλμου μεῖζον ἀπέλιπε. *naves omnes ademit, navigiumque quod non eſſet majus trium ſcalmorum reliquit*. Triſcalmi mentionem etiam Gyraldus facit, ſecutus itidem idonei ſcriptoris, ut exiſtimo, autoritatem. Sed & τριήρην eo ſenſu, quo jam dixi, & Plutarchus poſuit, uſurpare Zetzes videtur, quando de Bellerophonte, cujus ætate nulla alia triremis extitit, ſic canit:

Τριήρης τὴν ἁλιάς κύφη, λαίφη, πτερά, λαχοῦσα
Καὶ ὑδάτων τρέχουσα θαλάσσης πηγαζόντων.

Item Palæphatus, quando de Scylla: ἦν δὲ ναῦς τριήρης ταχεῖα τότε, ὄνομα Σκύλλα: *erat navis triremis velox, cui nomen fuit Scylla*. Heſychius non τριήρην, ſed τριήρον nominavit, ad differentiam, ut exiſtimo, cæterarum. τριήρον, ait, πλοῖον ἐστιν μικρόν.

trierum, parvum est navigium. Sed quid? ergo hæ naves remos inæquali numero habere potuerunt? duos in uno latere, unum in altero? Omnino: nihilque hodie frequentius in Rheno flumine. Et confirmant veteres. Apud Polybium enim lib. VIII. σκάφην πεντηρικὸν, scapham cum remis quinque, apud Diodorum Siculum, lib. XX. σκάφην τεσσαρεσκαιδεκηρικὸν, scapham cum remis tredecim invenias. Quanquam ibi sermo potius de navibus tot ordinum. At apud Eustathium extare veterem, qui πεντασκάλμους κέλητας dicat, h. e. *celoces quinque remorum*, observavimus apud Stephanum in Thesauro voce κέλης. Unde etiam apparet, nimium confidenter eos agere, qui Plutarchi τρίσκαλμον in δίσκαλμον immutant. Grotius ad Esaiam cap. 33. 22. *Aliud trieris, aliud triremis: triremes tribus remis aguntur, trieres ternis remorum ordinibus, sed sæpe in libris latinis inscitia librariorum hæc confudit*. Vides, ut Vir doctissimus statuat naves cum tribus remis, id est τρισκάλμους, imo has proprie triremes dici putet. Quod tametsi non persuadeat, cum & Græci promiscue hac voce sic utantur, tamen ibi saltem in Prophetæ verbis *trierem magnam* cum addito, *parvæ triremi*, cujusmodi parva biremis apud Lucanum est, opponi manifestum est. Est autem inæqualis sæpe numerus remorum in his navibus, quia remi non perpetuo fixi in uno loco, sed modo in hoc, modo illud latus transferuntur. Quod genus *fossioni* simile, unde & de remigatione Hebræi usurpant, sicuti *arationem*, teste Grotio ad Jonæ primum, Græci. Unde & in Epigr. lib. I. Glaucus πόντου ἀροτροδότης, *arator Ponti* dicitur, & Ovidius lib. I. Trist. el. 2. *arare æquor* usurpavit. Contra fit in ampheribus, quæ semper in utroque latere habent remos, etiam cum unus remigat, ut supra diximus, unde & ampheres appellantur. Hesychius. ἀμφήρεις, νῆες ἀμφοτέρωθεν ὁρμώμεναι ἢ ἐρεσσόμεναι. *ampheres, quæ ab utroque latere impelluntur*. Cæterum hæc ipsa navigia, celoces dico & ampheres, aliis etiam vocabulis appellabantur. Ut primum *Scaphæ*, quod vel ex Horatio apparet, item Diodoro, & Polybio, prædictis locis. Deinde *cymbæ*. Sic enim appellant Ovidius aliique, quam supra Lucianum δίκωπον vocare demonstravimus. Virgilius lib. VI.

Et ferruginea subvectas corpora cymba.

de ea ipsa Charontis navicula sermo est. Dicebantur & *Acatia*. Nam quæ Suetonius de Cæsare his verbis refert, *Alexandriæ circa oppugnationem pontis eruptione hostium subita compulsus in scapham desiliit*: ea Plutarch. sic exposuit: κατεπήδησεν ἀπὸ τοῦ χώματος εἰς ἀκάτιον, *desiliit, ex aggere in acatium*. Scapha Suetonii, Plutarcho est acatium. Sic Diodorus lib. XVII. quas ante Acatia dixerat, deinde scaphas nominat. καὶ πλέοντος μετὰ τῶν φίλων ἔν τισιν ἀκάτοις, ἐφ' ἡμέρας μέν τινας ἀποσχισθείσης τῆς νεὼς ἀπὸ τῶν ἄλλων σκαφῶν ἐπλανήθη μόνος, *cum Amicis ergo, comitatus aliquot acatiis navigationem instituit, verum accidit, ut ipsius navi a reliquis scaphis avulsa, solus per aliquot dies vagaretur*. Etymologus Sylburgii. Ἄκατος, τὸ μικρὸν πλοιάριον. ἐξ οὗ τὸ ὑποκοριστικὸν, ἀκάτιον. ὅ τινες μὲν ἐπακτρίδα, τινὲς δὲ πορθμίδα, τινὲς δὲ κάραβον ὀνομάζουσιν. *Acatus, parvum est navigium, ex quo acatium. quod quidam epactridam, quidam porthmidam, quidam carabum appellant*. *Carabum* ait a quibusdam dici, quod idem est ac scapha, sicut postea docebo. Hesychius ampheribus annumerat, quod observandum est. Ἀμφήρικα, inquit, ἀκάτιον ληστρικὸν, ἐν ᾧ εἷς ἐλαύνει δύο κώπας. Ita est in editis, sed absque dubio legendum, ἐν ᾧ εἷς ἐλαύνει id est in quo unus duos remos agit. Pertinent & *lembi* ad has naves: κελήτιον enim Fulgentius lembum interpretatur. *Celocium*, ait, *genus naviculæ modicissimæ, quod lembum dicimus*. Etymologus prædictus: λέμβος, τὸ ἐφόλκιον παρὰ τὸ λίαν βαίνειν, ὅ ἐστι πορεύεσθαι διὰ σμικρότητα. *Epholcion* appellat, quod cum scapha carraboque idem est. Glossæ Vulcanii Arabico-Latinæ. *Lembus, navicula brevis, dicta & capulus, & cumba, & lintris*. *Cumbam* nominat, quam supra cymbam diximus, usitata Latinis scribendi consuetudine, qua υ Græcorum, in u suum vertunt. A *capulo* vero credo esse *capulicos*. per diminutionem, apud Gellium lib. X. cap. 25. quæ hactenus quales essent, ignorabantur. Apud Stephanum in Glossis λέμβος, *alveus* exponitur. est autem alveus, μονόξυλον, quod *lintrem* appellare Latinos alibi monstravimus. Notandum interim, quod supra ostendebat Etymologus, lembum dictum παρὰ τὸ λίαν βαίνειν. Nam quia a λίαν, hinc apud Isidorum *limbus* scribitur, non *lembus*. *Limbus*, ait lib. XIX. cap. I. *navicula brevis, quæ alia appellatione dicitur & cymba, & caupalus, sicut & lintris, id est carabus*. Conveniunt hæc verba plane cum iis, quæ ex glossis antea a me adducta sunt. Unde & pro *caupalus*, *capulus* legendum esse apud Isidorum apparet. Cæterum cum videam adhuc quosdam dubitare, an minimi fuerint lembi, addam & Hesychium, qui sic ait: Λέμβος, τὸ μικρὸν πλοιάριον, τὸ ἐφόλκιον. *Lembus parvum navigiolum, epholcium*. Latini tam parvum lembum, *lemnunculum*, vel *lenunculum* appellaverunt, cujus mentio est apud Nonium, & Ammianum Marcellinum, item Tacitum, ut Gyraldus indicavit. Apud Gellium quoque ita scribunt lib. X. cap. 15. ubi vulgo legitur *remunculi*. Sed forte retinenda est vulgata lectio, cum & Mss. (saltem meus) servent, & remunculus velut κωπηρίδιον dicatur. At paulo majores lemborum nomen obtinebant, quorum nonnulli plus, quam remis sexdecim agebantur. Livius lib. XXXIV. cap. 24. in fœdere cum Nabide: *Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet: neve ipse navem ullam, præter duos lembos, qui non plus, quam sexdecim remis agerentur, haberet*. Ex hoc ipso genere etiam *phaseli* sunt, quorum mentio fit apud Gellium prædicto loco. Hinc Horatius:

Fragilemque mecum solvat phaselon.

Fragilem appellat, quia parvus erat. Admiscent porro his navigiis, quas *Triereticas*, *Myoparones*, & *Hemiolas* appellant. Appianus enim lib. V. B.C. τριηρητικοὺς φασήλους *triereticos phaselos* nominat. & Livius passim *lembos* & *myoparones*, velut parum inter se differentes, conjungit. Sed adscribam Appiani locum, ut de singulari hoc navigiorum genere nonnihil clarius proponam. Ἐδωρήσατο δὲ καὶ Ὀκταουία, inquit, τὸν ἀδελφὸν αἰτήσασα παρ' Ἀντωνίῳ δέκα φασήλοις τριηρητικοῖς, ἢ μικτοῖς ἔκ τε φορτίδων νεῶν, καὶ μακρῶν. *Octavia decem phaselos triereticos fratri dono misit, id est mixtos ex longarum forma, & onerariarum*, Ostendunt sane hæc verba, cujusmodi fuerint trieretici, mixti scilicet ex longis, atque onerariis. Igitur & Myoparones ejusmodi fuere. Nam quas Appianus nominat φασήλους τριηρητικοὺς, eæ Plutarcho sunt μυοπάρωνες. Verba Plutarchi sic habent, in Antonio. Ὀκταουία τῶν ὡμολογημένων χωρὶς ᾐτήσατο τῷ μὲν ἀδελφῷ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς εἴκοσι μυοπάρωνας. *Octavia, præter ea, quæ pacta fuerant, a marito imperavit, ut fratri viginti myoparones concede-*

ret. Sed quæ illa mixtura onerariarum & longarum? Appianus enim non indicat. Scimus sane onerariarum proprium fuisse, ut essent latæ, rotundæ, planioreque alveo, neque remis, nisi in necessitate agerentur: longarum contra, ut essent instructæ remis, haberentque alveum angustiorem acutioremque. Puto igitur Phaselos istos triereticos, cum myoparonibus, in prora fuisse longiores, ibique longarum more dispositos habuisse remos, in puppi vero latiores altioresque, sine remis, oneribus accipiendis idoneos. Certe, cum & trieretiçæ, & myoparones prædatoriæ fuerint, ut suo loco indicabitur, longæ, ad celeritatem persecutionis, & deinde latæ, ad capacitatem spoliorum, esse debuerunt. Sed triacontoros fuisse ajunt: causam ego non video. Cicero profecto eis tribuit remos non triginta, sed tantum sex. Locus est in Verrina V. observatu dignissimus; *Interea*, inquit, *Syracusani habebant rationem omnes quotidie piratarum, qui securi ferirentur; quam multos esse oporteret ex ipso navigio, quod erat factum sex remorum numero, conjiciebant*. Deinde addit: *Hæc igitur est gesta res, hæc victoria præclara, myoparone piratico capto*. Sex remorum *numero* ait, non *ordinibus*, ut sine caussa Bayfius hunc locum de hexere interpretetur. Et quis quæso myoparonem unquam, non dicam cum sex, sed vel tribus ordinibus, apud veteres autores legit? Imo contra minimis navigiis annumerant. Isidorus lib. XIX. cap. I. *Myoparo, quasi minimus paro, idem & carabus, est enim parva scapha ex vimine facta, de qualibus Historia: gens, inquit, Saxonum myoparonibus, non viribus, nituntur, fugæ potius, quam bello parati*. Parvam ait fuisse scapham, & ut hoc probet, addit verba veteris alicujus, qui ab bella negabat esse utilem, & tribuebat Saxonibus. Scimus autem, Saxones naviculis prorsus exiguis prædas agere in mari consuevisse. Sidonius Car. VII.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum.
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

e quibus verbis sane patet, naves Saxonum plane parvas, & e corio confectas fuisse. Appianus de Bel. Pun. κερκούροις δὲ, καὶ μυοπάρωσι, καὶ ἄλλοις βραχυτέροις πολλοῖς ἐξέπλεον. *cercuris & myoparonibus, & aliis parvis quamplurimis enavigarunt*. Idem lib de bell. Mith. quas ante minimas naviculas appellat, mox myoparones reddit: οἱ μὲν πρῶτον ὀλίγοις σκάφεσι, καὶ μικροῖς οἷα λῃσταὶ, περιπλέοντες ἐλύπουν. *primum paucis scaphis, iisque parvis, ut latrones, in mari errabant*. subjungit deinde, eadem recensens: ἐκαρποῦντο τὴν θάλασσαν μυοπάρωσι πρῶτον καὶ ἡμιολίαις, εἶτα δικρότοις καὶ τριήρεσι. *quæstum faciebant e mari, myoparonibus primum ac hemiolis, mox biremibus triremibusque*. Vides ex his, adeo myoparones non hexeres esse, sive naves sex ordinibus, ut ne biremes quidem sint, sed parva atque modica navigia. Unde & prædictus Cicero quadriremem urbis instar, in earum comparatione habuisse scribit. *Princeps*, inquit, *Cleomenes in quadriremi Centuripina. erat illa navis constrata, & ita magna, ut si in prædonum pugna versaretur, urbis instar habere, inter illos piraticos myoparones videretur*. De *Hemiolis* res paulo est obscurior. Observo tamen primum, non easdem fuisse cum myoparonibus. Recenset enim velut alias diversasque dicto loco Appianus. Deinde nec ad id pertinuisse genus, quod ordinibus quibusdam est instructum. nam & his opponit. Nec tamen apertæ fuerunt. Idem Auctor: ναυσὶ δ' ἐφέροντο, πεντήκοντα μὲν πεντήρεσι, ἑκατὸν δὲ ἡμιολίαις, ἀφράκτοις δὲ, καὶ κερκούροις, καὶ στρογγύλοις πολλοῖς. *Ferebantur autem navibus quinqueremibus quidem L. hemiolis C. apertis vero, & cercuris, & onerariis compluribus*. Quanquam etiam non tectæ. Phavorin. τριημιολία ναῦς μακρὰ ἄνευ καταστρώματος. *triemiola navis longa, absque catastromate*. Si triemiola non tecta, multo minus hemiola, quæ minor fuit. Polybius lib. V. καταρτίσας δώδεκα μὲν κατάφρακτους ναῦς, ὀκτὼ δὲ ἀφράκτους, τριάκοντα δὲ ἡμιολίους ἔπλει διὰ Εὐρίπου. *duodecim itaque tectis navibus, octo apertis, triginta autem hemiolis per Euripum navigabat*. Nec tectas facit, nec apertas. unde fas est conjectare, medias fuisse. In prora forsan, ex qua pugnabatur, tectas, de cætero apertas, sicut apud veteres in usu fuit. Sed ne sic quidem satis constat, quales fuerint. Putes tamen triacontoros fuisse, quod & nonnulli prodiderunt, vocabulo permoti, quod totam navim quasi, cum dimidia significat. Sed primo parum constat, quæ sit illa ὅλος, sive *tota*, in cujus comparatione dicitur *hemiola*. Quomodo hic enim magis pro εἰκοσόρῳ, quam quacunque alia, argumentari liceat? Sunt equidem triginta totum cum dimidio, respectu numeri vicenarii: Sed quis ideo εἰκόσορον, seu viginti remorum navim ὅλον dictam asserat? Et potuit esse navis sexaginta remorum, quæ sic hemiola fuisset in respectu ejus, quæ quadraginta habuit. At hoc nemo dixerit. Deinde clare Hesychius de hemiola: ἡμιόλιον πλοῖον, μικρόν. *Hemiola parvum navigium*. Item Appianus in prædictis verbis, μικροῖς σκάφεσι περιπλέοντες ἐλύπουν, id est, ut dein ostendit, ἡμιολίαις. Triacontoros vero μικρὰς σκάφας, aut μικρὰ πλοῖα, id est *parvas scaphas* & *navigia* vocari, nuspiam observo. Hemiolæ ergo non sunt triacontori. Quod ut firmius credatur, dabo ecce locum Arriani, quo diversæ ostenduntur, & opponuntur triacontoris. Verba sunt in Sexto Expedit. παρεσκευάσθησαν αὐτῷ ἐπὶ τῷ Ὑδάσπῃ ταῖς ὄχθαις πολλαὶ μὲν τριακόντοροι καὶ ἡμιόλιοι. πολλὰ δὲ καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα. *paraverunt ei ad Hydaspis ripas multos triacontoros & hemiolas, multas etiam hippagines*. Verba clarissima, quibus nihil est, quod opponi queat. Nisi forte dixeris, unum locum non sufficere. Addam igitur & alterum, ex eodem libro. αὐτὸς δὲ τὰς μάλιστα τῶν νεῶν ταχυναυτούσας ἀναλαβὼν, ὅσαι τε ἡμιόλιαι, καὶ τὰς τριακοντόρους πάσας, καὶ τῶν κερκούρων ἔστιν ἃς ἔπλει κατὰ τὸν ποταμόν. *Ipse delectis navibus, quæ velociores erant, ut hemiolas, & triacontoros, & cercuros omnes, navigavit in flumine*. Vulcanius utroque loco reddidit *biremes*, Hesychium secutus, ut opinor. Is enim ita de hemiola: ἡμιολία, ἡ δίκροτος ναῦς. *hemiola est dicroton*, vel *biremis*. Sed existimo plane Hesychium minimam naviculam intelligere, quæ binis remis a singulis ampherum more agitatur. Non quasi omnes fuerint ejusmodi, sed quia aliquæ ex iis, quæ sic agerentur. Ordinibus certe binis intelligere non potuit, quibus supra vidimus ab Appiano apertissime opponi. Quanquam & hoc casu triacontorus non fuisset, quod hucusque a quibusdam traditum prædiximus: Sed δυηρημιολία potius, eo modo structa, sicut τριηρημιολία. Id est hemiola cum duobus ordinibus: quæ præter cætera, in eo quoque differebat a biremibus, quod nec tam longa esset, nec tot remis ageretur. Quemadmodum & τριηρημιολία talis fuit, sed cum tribus ordinibus. Vellem ad hoc genus etiam referre *lembos biremes*, quorum mentionem facit Livius. Nam & lembi inter prædatorias, quemadmodum hemiolæ, & myoparones. Verba Livii sunt lib. XXIV. c. 40. ut ex priscis, omnium consensu, edidit eruditissimus Gronov. *lembis biremibus centum viginti profectus*

est. Certe cum hic lembi classem faciant, & ad bellum adhibeantur, aliter inteligi vix possunt. Imo credo lemborum nomen sæpe actuariarum majorum significatum habere, navesque cum viginti, triginta, pluribusque remis innuere. Livius profecto actuarias vocavit, quæ a Polybio lembi dicuntur. *Ab actuariis*, ait decadis tertiæ libro I. *aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur*. Polybius autem: *οἷς ἔμελλον οἱ λέμβοι ῥυμουλκοῦντες ἐκ ἐάσειν*, quod & Baysio notatum est. Sed de Actuariis majoribus deinde dicam. De trieremiolis interim, hemiolisque constat, non fuisse triacontoros, in specie sic dictas, sed navigia minora; & modo minima, sicut inter ea referuntur etiam a Polluce istis verbis: *πορθμὶς, ἁλιὰς, δίκροτον, ἀμφήρικον, ἀμφήρης, διήρες, δίκωπον, ἡμιολίς, ἡμιολία, σκάφη, πλοῖον, μονόξυλον:* modo paulo majora, sic extructa, ut ab onerariis haberent quandam latitudinem altitudinemque, præcipue ut existimo in puppi, a longis vero remos ordine dispositos, serie plerumque simplici, interdum duplici, triplicive; item catastromata, si non in puppi etiam, saltem in prora, de cætero aperta erant. Etymologus Sylburgii plane convenit cum his, quæ diximus, rationemque nominis accuratissime indicat, non quia tota cum dimidia fuit, in comparatione cum eicosoro, sic vocatam, sed quia partem habebat sine remis, a qua pugnabatur. *ἡμιολία δὲ πάλαι ἐλέγετο λῃστρικὸν πλοῖον, ὧ τὸ ἡμιόλιον μέρος ψιλὸν ἐρετῶν ἐστι, πρὸς τὸ ἀπ' αὐτοῦ μάχεσθαι*. Sic scribendus est hic locus, non *ψιλῶν*, ut sine sensu est in vulgatis. *Hemiola*, inquit, *olim dicebatur piraticum navigium, cujus pars una & dimidia erat sine remigibus, ut ex ea pugnari posset*. Cujusmodi forte ea est, quam Onuphrius exhibet lib. II. cap. II. de Ludis, & nos olim in dissertatione nostra de Varietate Navium vulgarem biremem exposuimus. Id enim spacium, quod in medio vacuum, existimo ostendere *τὸ ἡμιόλιον μέρος ψιλὸν ἐρετῶν*, ut ab Etymologo vocatur Nescio, an non ea quoque hic referri debeat, quam depictam Baysius pro heptere habuit. Nam & ipsa tantum in prora remos habuisse videtur. Etiam Myoparonum hanc existimo fuisse structuram. Et ex verbis Appiani, antea adductis, manifestum esse potest. Ut proinde hæc ipsa fuerint navigia, quæ Arrianus *ὅσα στρογγύλα* nominet in Indicis, ubi ait: *νῆες δὲ αἱ σύμπασαι αὐτῷ ὀκτακόσιαι, αἵτε μακραὶ καὶ ὅσα στρογγύλα πλοῖα, καὶ ἄλλα ἱππαγωγὰ, καὶ σιτία ἅμα τῇ στρατιῇ ἄγουσαι*. *Erant ei in universum naves octingentæ, quædam longæ, quædam velut onerariæ, aliæque vehendis equis & commeatui idoneæ*. Credo *cercurorum* quoque similem fuisse structuram. Conjungunt enim ferme hemiolis & myoparonibus, ut vel ex Arriano vidimus. Deinde idonei sunt vehendis oneribus, unde Plautus in Mercatore: *Ædificat navem cercurum, & merces emit:* quas nempe cercuro imponat. Ita apud Athenæum lib. V. ingens legitur cercurus, *qui gestabat tria millia talentorum*. Et tamen dispositos habebant remos, velut actuariolæ. Constat ex Lucilio, cujus versus ex lib. VIII. Satyrarum, emendati opera Hadriani Junii, sic sonant:

Verum flumen uti, atque ipso divortio aquarum,
Ilignis pedibus cercurum concinit aquis.

pedes poetarum more hic pro remis posuit. Non tamen per navim totam, sed, ut censeo, in prora tantum, sicut supra de myoparonibus ostendi. Hinc Athenæus de prædicto cercuro tanquam aliquid inusitatum refert, quod fuerit *πᾶς ἐπίκωπος*, *totus* remis instructus. Quia igitur habebant remos, sed nec multos, nec per navim totam dispositos, proinde plane, sicut myoparones, aut hemiolæ, ad triacontoros referri non possunt. Quod observari a veteribus, vel ex Arriano intelligitur, loco adducto. Cui nunc jungo Herodotum, qui similiter a triacontoris distinguit. Verba extant lib. VII. *τριακόντεροι δὲ, καὶ πεντηκόντεροι, καὶ κέρκουροι, καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα μικρὰ συνελθόντα ἐς τὸν ἀριθμὸν, ἐφάνη τρισχίλια*: *triacontori vero, & pentecontori, & cercuri, & hippagines cum convenissent, expleverunt trium millium numerum*. Verum satis de hoc genere, medio quasi inter actuarias rotundasque; revertendum enim ad prædictas minores, ostendendumque quibus alias nominibus sint appellatæ. Desumuntur ea vel ab officio, quo fungebantur, vel ab armatura. Ab armatura vocantur apertæ, quia catastromata non habebant. De cymbis, scaphis, lintribus res clara est: de celocibus Polybius testatur lib. V. *κατάφρακτα μὲν*, inquit, *εἴκοσι, διαφέροντα ταῖς κατασκευαῖς τριήρεις, καὶ δίκροτα, καὶ κέλητες*. *tectæ quidem viginti, reliquæ vero diversæ formæ, triremes, dicrota, & celoces*. Idem & de lembis lib. XVI. *διεφθάρησαν κατάφρακτοι μὲν δέκα, λέμβοι δὲ περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν*. *Perierunt tectæ naves decem, lembi ad quadraginta*. Livius lib. XXXV. cap. 26. *Comparaverat tyrannus tres tectas naves, & lembos pristesque*. Etiam rostris destituebantur, exceptis lembis majoribus, & medio isto genere myoparonum ac hemiolarum. Itaque *sine rostris speculatorias* vocavit Livius lib. XXXVI. cap. 41. De myoparonibus contra Valer. Maximus lib. II. cap. 3. *Probentur nunc, qui ex myoparonum piraticis rostris laureæ ramulos decerpunt*. De hemiolis quoque lembisque, item trieremiolis Polybius testatur lib. XVI. quando vulnerasse naves adversariorum, deterſisse remos, aliaque id genus, quæ rostrorum fiunt ope, perfecisse ostendit. Dicebantur & *leves*, quia nempe apertæ erant. Livius lib. XXXVII. cap. 27. *Apparuit piraticas celoces & lembos esse, qui posteaquam viderunt ex alto classem, in fugam verterunt: & celeritate superabant, levioribus, & ad id fabrefactis navigiis*. Ita Florus lib. III. cap. 6. *leves & fugaces myoparones, gravi & martia classe turbaret*. Ab officio hæ naves *præcursoriæ*, vel *speculatoriæ*, vel *hypireticæ* dicebantur. Præcursoriæ vocabantur, quia classem martiam præire solebant. Thucydidi, sunt *πρόπλοι*. Polybius Hist. I. *Romanis quæstoribus, qui Syracusis fuerant, lembis classem præire soliti* (*οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι*) *imminere significant*. Seneca *tabellarias* vocavit, sed in classe non martia, quod notandum. *Subito*, inquit epist. LXVII. *hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nunciare venturæ classis adventum: tabellarias vocant*. Intelligitur hinc jocus Plauti in ancillam Acroteletii, Milite Glor. ubi ait:

Hæc celox illius est, quæ hic egreditur, internuncia.

Adventum, ait, ejus annuntiat, ut celoces & id genus, quæ præire justam classem solent. Præibant enim, ut adventum hostium, vires, consilia, indagarent, & renunciarent suis. Unde & *exploratoriæ* appellabantur. Vegetius lib. IV. cap. 37. *Scaphæ majoribus Lyburnis exploratoriæ sociantur, per has & superventus fieri, & commeatus adversariorum aliquando intercipi solent, & speculandi studio adventus eorum, vel consilia deprehendi*. Item *Speculatoriæ*, propter speculandi studium, ut est in prædictis verbis. Livius lib. XXXVI. cap. 42. *Cæteram classem Polyxenidam pa-*

rare & deducere jussit, speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit. κατάσκοπα a Græcis nominantur. Plutarchus in Pompejo: ἡ μὲν Πομπηΐε ναυτικὴ καὶ παντελῶς ἀνανταγώνιςος. ἦσαν γὰρ αἱ μάχιμοι πεντακόσιαι. Λιβυρνίδων δὲ, καὶ κατασκόπων ὑπερβάλλων ἀριθμός. *erant*, inquit, *militares quingentæ. Liburnicarum vero speculatoriarumque ingens numerus. Liburnicas* hic refert inter speculatorias, quod notandum. At Liburnicæ sunt dicrota: Appianus in bell. Illyr. ἐγένοντο λίβυρνοι γένος ἕτερον ἰλλυριῶν, οἳ τὸν ἰώνιον καὶ τὰς νήσους ἐλήστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις. ὅθεν ἔτι νῦν ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα, λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν. *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Jonium mare, & quæ in eo sunt, insulas prædabantur celeribus & levibus navigiis: unde etiam nunc celeres levesque biremes Romanis Liburnicæ vocantur.* Sic Lucianus in dialogo, qui ἔρωτες inscribitur, ut Baysio ostensum est. Etiam Lucanus lib. III.

Ordine contentæ gemino crevisse liburnæ.

Miror, inter parvas, speculatoriasque, & piraticas referri, si geminos habuerunt ordines. Biremes certe, quæ sic vulgo nominantur, tales non sunt, cum pertineant ad longas. Longæ autem speculatoriæque inter se oppositæ. Cæsar lib. IV. B. G. *Quod cum animadvertisset Cæsar, scaphas navium longarum, item speculatoria navigia militibus compleri jussit.* Hic aliud longæ, aliud speculatoriæ, junctæ scaphis, id est minimis navigiis. Si igitur non longæ, multo minus biremes vulgo ita dictæ, quod mox clarius patebit. Quid igitur dicemus? Ego plane censeo ejusmodi fuisse, quales supra lembos biremes appellari diximus. Nam & lembi inter speculatorias, sicut ante vidimus. Et Liburnicæ inter prædatorias, cujusmodi nullæ binis, iisque justis ordinibus fuerunt instructæ. Nisi plane dicamus Appianum Lucianumque ex sui temporis consuetudine loquendo, liburnas intellexisse quascunque militares, sicut & Vegetium fecisse infra ostendetur. *Scaphas* vocat Stephanus de urbibus: εὕρηται ait, τὰ λιβυρνικὰ σκάφη. *inveniuntur scaphæ Liburnicæ.* Eustatius ad Dionysium Perieg. ubi & autorem earum nominat: *Liburni sunt in interioribus Adrii partibus, a Liburno quodam dicti, qui Liburnicas scaphas invenit.* Acron apud Horatium *vimine contextas* asserit: quo nomine reprehenditur a Gyraldo: verum perperam, ut puto. Certe si fuerunt scaphæ, ex vimine esse potuerunt, non quidem omnes (nec enim hoc credibile) sed minores. Quales a Suida carabi exponuntur. Ita enim ipse: Λίβερνα εἶδος πλοίου. καράβια. Et Varro apud Gellium lib. XVIII. cap. 3. de Liburnis: *Liburni plerumque naves loris suebant.* Suebantur autem carabi, ex vimine contexti, sicut præcedenti libro demonstravimus. Inter minora navigia retulit & Commentator Cruquii, ad prædictum locum Horatii: *Liburna*, inquit, *navis est minor, a Liburniæ regione, seu Lybia; bis enim navibus Lybici mercatores vehuntur: quibus etiam utuntur, qui ordinant navale prælium, discurrentes inter naves minores, & militiam ordinantes.* De postremo consentit Appianus lib. V. ubi de Octavio ante prælium cum Pompejo: Λιβυρνίδος δὲ αὐτὸς ἐπιβαίνει καὶ περιέπλει, πάντας παρακαλῶν. *Ipse Liburnica conscensa circumvolitans, omnes hortabatur.* Si liburnicæ ad hoc negocium usurpatæ, aut biremes tales, quales diximus, esse debuerunt, aut plane sine ordinibus: similes minimis. Forte myoparonibus: cum præsertim mercatores etiam his usos esse navigiis prædictus commentator testetur. Observandum autem de liburnicis minimis aut minoribus nos loqui, non majoribus, quarum alia fuit ratio, ut deinceps apparebit. Quanquam & ex his existimem fuisse non paucas, quæ viginti & triginta remis agerentur, quales ad actuarias majores pertinebant, sicuti de lembis majoribus, acatiis, scaphiis, supra indicavi. Et profecto de exploratoriis ejusmodi scaphis Vegetius, lib. IV. cap. 37. *Scaphæ tamen majoribus liburnis exploratoriæ sociantur, quæ vicenos prope remiges in singulis partibus babebant.* Si vicenos in singulis, majores etiam, quam triacontori fuerunt, ut merito ad actuarias majores referantur. Cæterum quæ Plutarcho sunt κατάσκοπα, ea Polybio κατασκεψάμεναι. Verba extant l. III. προαπέστειλε κατασκεψαμένας δύο ναῦς ταχυπλοούσας Μασσαλιωτικάς. Etiam Cicero Græca consuetudine *catascopia* vocavit, in Verrina V. *Aphracta Rhodiorum, & dicrotum Mitylæneorum, & aliud catascopium.* Interdum & *piraticæ* hæ naves appellantur. De lembis ac celocibus testis Livius lib. XXXVII. cap. 27. *Apparuit inde*, inquit, *piraticas celoces & lembos esse.* de acatiis Strabo lib. XI. ζῶσι ἀπὸ τῶν κατὰ θάλασσαν ληστηρίων, ἀκάτια ἔχοντες: *vivunt a latrociniis, quæ in mari factitant, acatia habentes.* De Amphericis Hesychius: ἀμφηρικὸν ἀκάτιον λῃστρικὸν, ἐν ᾧ εἷς ἐλαύνει δύο κώπας. *amphericum est acatium piraticum, in quo unus trahit remos duos.* Observa piraticum hoc vocari navigium, & in eo tamen singulis duos tribui remos. Confirmat enim id, quod de Liburnis triremibus, hemiolis, lembis diximus in præcedentibus. Magis hoc nomine celebrantur myoparones. Nonius: *Myoparo, est navicula piratarum.* Item hemiolæ, sicut supra ex autore Etymologici didicimus. Græci λῃστρικὰς appellant. Etymologus: ἐπακτοκέλης. εἶδος πλοίου λῃστρικοῦ, ὅ ἐστι γαλία. Locus notabilis, qui nobis alia piratica navigia, præter jam dicta ostendit, nempe *epactoceletem*, & *galiam*. Sed vitiosa Etymologi est scriptura, ut puto. emendandum ἐπακτροκέλης. Idem alibi: ἐπακτροκέλης συνετέθη ἐκ τοῦ κέλητος καὶ ἐπακτρίδος, πλοῖα δὲ ἦν βραχέα λῃστρικά. ἡ μὲν ἐπακτρὶς ἐκ τοῦ κατάγειν τὰ συλώμενα, ὁ δὲ κέλης, εἰς τὸ διώκειν καὶ φεύγειν. κυφότατος γὰρ ἦν. πρῶτος δὲ δοκεῖ εὑρηκέναι τὴν ἐπακτρίδα Μίνως. *Epactrocelis compositus est ex celoce & epactride. Sunt autem parva navigia piratica: & epactris quidem est, quia vehit spolia. celox autem, quia celeriter elabi & fugere potest: est enim valde humilis. Putatur autem primus Minos epactridem invenisse.* Est & hic locus observatu dignus, quippe qui & *epactridem* piraticum navigium fuisse ostendit, & autorem ejus Minoem prodit. De quo quia Plutarchus ait vita Thesei, quod contra decretum Græcorum Dædalo fugienti instans navigaverit μακραῖς ναυσί, patet verum esse, quod supra diximus, longas etiam quandoque vocari minimas has naves. Videtur & non nihil confirmare posse ea, quæ de Myoparone, duplicique ejus forma, ex onerariis longisque mixta, in superioribus disputavimus. Ipsius navigii alias & Suidas meminit. Ἐπακτροκέλης. πλοῖον λῃστρικὸν μεταξὺ ἐπακτρίδος καὶ κέλητος. *Epactroceles est navigium piraticum compositum ex epactride & celoce.* Meminit & Aristoteles, in primo de Interpretatione. Apud Hesychium perperam ἐκπακτροκέλης scribitur, in ἐπακτὶς. nec enim *ecpactris*, sed *epactris* navigium alterum vocabatur, uti ex prædictis constat. Porro video & λῃστικὰ vocari hæc navigia. Etymologus in γαῦλος. λέγεται δὲ καὶ τελώνης γαῦλος, διὰ τὸ πλεῖστα δέχεσθαι, ὡς φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν. ἔστι δὲ εἶδος πλοίου λῃστικοῦ, ἥτις καὶ λίβυρνος καλεῖται ἢ γύαλος τις ὤν,

τουτέστι κοῖλος. *Dicitur & triremis gaulus, quia ferre multa potest, ut ait Herodotus in tertio historiarum. est autem species navigii piratici, quod & liburna dicitur, quia est capax & concava*. Triremis gaulus non hic dicitur, quasi tribus fuerit cum ordinibus, sed quia triremem sequebatur, & ad eam pertinebat, ut scapha. Ostendit Herodotus ipse, cujus hæc sunt verba; *αὐτίκα μὲν τριήρεας δύο ἐπλήρωσαν, ἅμα δὲ αὐτοῖσι καὶ γαυλὸν μέγαν παντοίων ἀγαθῶν. confestim quidem duas triremes, simulque cum ipsis ingentem gaulum impleverunt varia multiplicique præda*. Observa etiam *gaulum*, etsi sit piraticum navigium, ferendis oneribus fuisse aptum: confirmat enim id, quod jam sæpius de piraticis indicavimus. Ad quas & Liburnæ pertinent, sive diversæ fuerint a gaulis, sive eædem, uti Etymologus testatur. Alias ad quævis ministeria adhibebantur. Ejusmodi enim navigiis Imperatores ordinabant acies. Commentator vetus Horatii, cujus supra meminimus: *Liburna navis est minor, qua utuntur, qui ordinant navale prælium, discurrentes inter naves majores, & militiam ordinantes*. Græci ὑπηρετικὰς appellant, ab his ministeriis. Appianus lib. v. Ἄλλαι δὲ ἀλλήλαις διεξέπλεον, βάλλουσαί τε, καὶ ἀκοντίζουσαι, καὶ τὰ ὑπηρετικὰ τοὺς ἐκπίπτοντας ἀνελάμβανεν. *Aliæ in transcursu telis velitabantur, minoribus in mare delapsa recolligentibus*. Lucanus lib. III. vers. 691. hoc ministerium earum sic exponit.

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant.

Rates nominat, quas Appianus ὑπηρετικὰς, non quia tales revera fuere, sed quia ex minuto viliorique genere. Sic apud Xenophontem lib. I. Histor. κέλης ὑπηρετικὴ, *celox hyperetica* occurrit. Et Isidorus lib. XIX. cap. I. de celocibus: *Celoces sunt biremes, vel triremes agiles, ad ministerium classis*. Talis fuit ista Cæsaris, qua usus est in oppugnatione pontis, prope Alexandriam. Plutarchus acatium vocavit, Suetonius scapham. Credo quia scaphæ alias sociatæ erant longis navibus ad hos usus. Cæsar in IV. B. G *Quod cum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia compleri jussit*. Loquitur de scaphis speculatoriisque, tanquam non multum inter se diversis. Religatæ autem erant funiculo ad longarum puppes. Cicero lib. II. de Inventio. *Postea ipsos tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset in scapham confugeret, & inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim quod posset, moderaretur*. Hinc Petronius: *quin potius ad temeritatem confugimus, & per funem lapsi descendimus in scapham, præcisoque vinculo reliqua fortunæ committimus*. Et quia trahebantur fune, ideo ἐφόλκια a Græcis dicta. Docet Scholiastes Aristophanis in Vespis, quando ἐφολκὶν interpretatur λέμβον καὶ μικρὰν ναῦν, ὑφ᾽ ἑτέρας μεγίστης ἑλκομένην. h. e. *lembum seu parvum navigium, quod pone trahitur a majore*. *Lembum* hic exponit, quod notandum est: apparet enim lembos sæpe esse inter minima navigia. Phaselum appellavit Statius lib. III. Sylv. hoc versu:

Quæque secuturam negligent post terga phaselon.

Suidas: ἐφόλκια, καράβια μικρὰ, παρὰ τὸ ἕλκεσθαι ὑπὸ τῶν κωπηλατῶν, ἢ τῶν μεγάλων πλοίων. Recte per καράβια exponit. Glossæ Isidori: *Carabus, parva scapha*. Vulgo erant coriacea. Glossæ Novi Testamenti, quarum meminit Vir Summus, Daniel Heinsius in Exercit. Sacr. σκάφη, *scapha sive catascopus, est navicula levis ex vimine facta, crudoque corio contecta*. Isidorus lib. XIX. cap. I. *Carabus, parva scapha ex vimine facta, quæ contexta* (legendum est, *contecta*) *crudo corio genus navigii præbet*. Hæc causa est, quare a Græcis ῥινωτήρια appellabantur, nempe παρὰ τῶν ῥινῶν, a pellibus. Pollux. ἐνδοτέρω δὲ ἐστιν ἑκατέρωθεν ἡ ἐφολκὶς, ἣν καὶ ῥινωτηρίαν ὀνομάζουσι. *Intus ab utraque parte est Epholcis, quam & rhinoteriam vocant*. Sed ἐφολκὶς sic dicta, quoniam a puppi trahebatur, sicut indicavi. Quomodo igitur est in ipsa navi? Forte ἐκδοτέρω legendum, ut sensus sit, ab utroque latere annexam fuisse aliquam. Sed recta lectio Pollucis. Habebant enim scaphas istiusmodi etiam in ipsis navibus, ad fortuitos quosque casus. Imo illas ipsas, quas funiculo religatas trahebant post se, quando nullus earum esset usus in mari, recipiebant in navim. Hinc in Actis Apost. cap. XXVII. ver. 17. legimus, ἄραντες τὴν σκάφην βοηθείαις ἐχρῶντο, quod recte Heinsius de subducta in navim scapha interpretatur. Nam & post, ver. 30. sequitur: χαλασάντων τὴν σκάφην, quia e navi rursum in mare demittebant. Isidorus de barca: *Hanc navis in pelago propter nimias undas suo suscipit gremio. ubi autem appropinquaverit portui, reddit vicem barca navi, quam accepit in pelago*: Quæ verba ex dictis exponenda sunt. Et quoniam in navi erat, inter instrumenta navis numeranda, ex sententia Labeonis lege ult. ff. de fundo inst. Quam sine ratione conantur evertere Paulus, Pomponius, JCti alii. Nam quod ajunt, instrumentum ideo non videri, quoniam & ipsa fuit navis, tanti non putandum, cum & homo hominis sit instrumentum, ut ex Aristotele scimus: & quotiens majori jungebatur, non sua, sed majoris caussa adhiberi solebat. Itaque & lex Rhodia inter instrumenta navis numeravit. §. 2. istis verbis. ἐὰν δέ τις κλέψῃ σκεύη πλοίου, ἤ τι τῶν ἐν τῷ πλοίῳ χρηματιζόντων, τουτέστι σχοινίων, καὶ καραβίων, ἢ διφθέρων. *Si quis autem instrumenta navis, aut eorum aliquid, quod in navi adhibetur, furatus fuerit, ut rudentes, carabos, pelles*. Vulgati habent κανναβίων. Sed rectius καραβίων legimus, ex Ms. Nicolai Heinsii. Sic enim lex eadem §. 11. Quum autem mercatores navim conducunt, diligenter interrogent alios mercatores, ἐὰν ἔχῃ τὸ πλοῖον πᾶσαν τὴν ἐπιχειρίαν πλέως· ἱστὸν, κεραίαν ἰσχυρὰν, ἄρμενά τε καὶ διφθέρας, ἀγκύρας τε καὶ σχοινία κανάβινα διάφορα, καὶ καράβους ἐξηρτισμένους, καὶ αὐχένας ἐπιτηδείους. *an videlicet omne instrumentum navis plene habeat: malum, validas antennas, vela, segestria, ancoras, diversos funes canabinos, carabos instructos, idonea gubernacula*. Plane, si quid in superiore loco est, mutandum, quod cui, forte non inepte, videatur, legerem, ut hic, σχοινίων καναβίνων, καραβίων. Fieri enim potest, ut scriba idem vocabulum propter similitudinem putaverit, & alterum ut supervacuum omiserit. Cæterum & hic locus inter instrumenta navis carabos referendos ostendit, nec ea levia, sed qualia malus, vela, gubernacula; hoc est summe necessaria. Quemadmodum fit etiam §. 43. ubi hæc leguntur verba: ἐὰν ἐκβολὴν ποιήσῃ τοῦ γόμου, καὶ κεράτων κλάσιν, καὶ καταρτίας, καὶ ἐφολκίων &c. Nisi quod ἐφόλκια hic nominet, quæ ante κάραβοι appellabantur. Nescio, an ideo inter partes navis retulerit Hesychius: ῥινωτηρία, inquit, μέρος τι τῆς νεώς. Certe partem aliam hoc nomine legisse non recordor. Figuram coriacei ejusmodi celocis, vel carabi hanc reperi in Ms. quodam codice Vegetii. Forsitan huc quoque pertinent, quæ *musculi* dicebantur. Nam ut ait Val-

turius, & ex eo Gyraldus, *genus* fuit curvum navigii. Reperio autem in Notis, quæ vocantur Senecæ, & Tyronis, inter alia navigiorum vocabula eorum mentionem. Vetuſtiones nil de ipſis ſciunt.




Sed ſatis de minori actuariarum genere: ad majus veniamus, quod proprie *Actuarias* vocabant. Quæ enim ex priori genere viginti, triginta, quadraginta remis inſtructa, non amplius actuariola, vel tot ſcalmorum, ſed actuaria dicebatur. Græcis εἰκόσορος & τριακόντορος. Illa, quæ agebatur remis viginti, decem in uno latere, decem in altero. Suidas: εἰκόσορος ναῦς, εἰκοσάκωπος. *Eicoſorus, navis quæ viginti remis agitur.* Hæc, quæ remis agebatur triginta. Schol. Thucyd. in IV τριακόντορος, ἡ ὑπὸ τριάκοντα ἐρεσσομένη. *triacontorus, quæ a triginta impellitur.* Erat &, quæ quadraginta remis impellebatur: meminit Scholiaſtes Æliani hiſce verbis, ἡ τριακόντορος καὶ τεσσαρακόντορος λέγεται, κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. *triacontorus, & teſſaracontorus dicitur ex multitudine remorum.* Sic Vegetius ſcapharum meminit, *quæ vicenos prope remiges in ſingulis partibus habent*: id eſt quadragenos in univerſum, quæ proinde fuerint τεσσαρακόντοροι. Obſerva interim illud *prope* in Vegetio; monſtrat enim non exactum ſemper eum numerum remorum in his navibus fuiſſe. Habebant & quæ remis quinquaginta agebantur, verum iſtæ non ad hoc, ſed ſequens genus pertinent, ut mox indicabo. Dixi, ad has actuarias pertinuiſſe, quæ plus quam octodecim impellebantur remis. Hinc apud Livium lib. XXXVIII. cap. 38. actuariæ triginta remorum. Verba hæc ſunt: *tradito & naves longas armamentaque earum, neve plures, quam decem naves actuarias, nulla quarum plus, quam triginta remis agatur habeto, neve minorem ex belli cauſa, quod ipſe illaturus erit.* Polybius eandem rem commemorans ſic ait, ἀποδότω καὶ τὰς ναῦς τὰς μακρὰς, καὶ τὰ σκεύη καὶ μηκέτι ἐχέτω πλὴν ι καταφράκτων. μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδ' αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ αὐτὸς κατάρχει. Quam τριακοντάκωπον, hoc eſt triacontorum Polybius appellat, ea Livio eſt *actuaria, quæ triginta remis agitur.* Ut plane actuariæ hoc genus apud Græcos ſignificent. Sed locus Livii corruptus eſt, & paulo accuratius nunc exponendus, Polybii ſubſidio, quem forte eadem opera interpretabimur. Sumuntur apud Livium Antiocho primum omnes naves longæ. Deinde conceduntur ei actuariæ, minores interim quam triacontori, vel certe non majores, etiam cum bellum geret. Cur poſtremum additur? quia vulgo majoribus, pentecontoris videlicet, ac hecatontoris belligerabant. Sed quid? ergo & hæ naves actuariæ? Exiſtimo, ſaltem hoc in loco, etſi non vulgo. videtur enim actuarias uſurpaſſe pro iis generatim, quæ aguntur remis: quales & alibi pro longis poſuit: cum primis lib. XXX. cap. 43. ubi ait: *Naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt. Naves provectas* (ita lego, non *profectas*, ut eſt in vulgatis) *in altum incendi juſſit: quingentas fuiſſe omnis generis quæ remis agerentur, quidam tradunt.* Vides, ut naves *quæ aguntur remis* ſint hic eæ ipſæ, quas paulo ante longas appellavit. Fuit igitur ea Romanorum ſententia, ut non uteretur, niſi minimis navigiis, & ne diverſum faceret belli prætextu, laxiuſque actuariarum nomen interpretaretur, quam ipſi vellent, adeoque ſecuritatem Romanorum turbaret, ſpeciatim hoc caverunt. Actuarias tamen voluerunt eſſe, ne plane inutiles exiſterent ad bellum. Hic verus ſenſus Livii, qui in eo differt ab ipſius verbis, quod hæc triacontorum concedant, imo minorem eſſe nolint, quam triacontorum, qua ad bellum utatur. Atqui non hoc actum a Romanis, qui ſecuritati ſuæ per omnia conſulebant, quæ haud dubie periclitabatur, ſi Antiochus magnarum navium claſſem validam, ſub titulo peregrini alicujus belli, comparare ſibi potuiſſet. Itaque ea quidem ita emendarem: *tradito & naves longas armamentaque earum, neve plures quam decem naves: Actuariam (nulla plus, quam triginta remis agatur) habeto, eave minorem ex belli cauſa.* τὸ *naves*, referendum eſt ad antecedens *longas*, quas Polybius καταφράκτους appellat, non ad ſubſequens *actuarias*, quarum vulgo nulla κατάφρακτος fuit, uti poſtea monſtrabitur. Deinde illud *habeto*, non ad *actuariam* tantum, ſed & *decem naves* referendum eſt. Interim illud *plus quam* Polybio repugnat, qui triacontorum ſcribit negatam. Quid ergo, ſi & ea deleremus? Sed reluctantur libri, qui conſtanter retinent. Itaque parum abeſt, quin & ipſum dicam eſſe vitioſum, & ſic emendandum: καὶ μηκέτι ἐχέτω πλὴν ι καταφρακτῶν, μηδεὲ. (ſubaudi, πλοῖον.) Τ[ριακ]οντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδ' αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ αὐτὸς κατάρχει. Sane veroſimilius, hunc in Græco, quam illum in Latino errorem a librario committi potuiſſe. Quod vero porro aliqui pro *minorem*, ſubſtituunt *monerem*, id quare faciant, conjicere non poſſum. Certe in Polybio de monere nihil eſt: nec ratio, cur, quæ clare ſimpliciterque tradiderat Polybius, Livius obſcure, verbiſque ſententiam Polybii minus accurate proponentibus, explicaret. Utique ſi moneris etiam eicoſoros, ſeu viginti remis actuaria (quod eruditi volunt) fieri non poteſt, quin quod in priore membro fœderis Romani conceſſerant, in poſteriore negaſſe videantur. Fuerunt itaque, ut ad inſtitutum veniam, actuariæ, quæ ex priori genere viginti, triginta, quadraginta remis agebantur. Dico ex priori genere. Hinc quas Polybius lib. III. lembos vocat, eas Livius actuarias exponit. Polybii hæc verba ſunt, ubi rationem, qua Elephantos Annibal trajecit, explicat: ῥύματα δὲ καὶ πλείω ταύταις ἐνῆψαν, οἷς ἔμελλον οἱ λέμβοι ῥυμουλκοῦντες, μὴ ἐᾶσειν φέρεσθαι κατὰ τοῦ ποταμοῦ. *Funes ductarios plures alligaverant, quorum ope lembi remulco trahentes im-*

tes impedituri erant, quo minus secundus fluvius eas deferret. Livius ita lib. XXI. cap. 28. *Ea extemplo resolutis, quibus leviter annexa erat vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur*. Dictæ autem *Actuariæ*, teste Nonio, *ab agendo, quia cito agi possunt*. Bayfius sic putat nominatas, *quia remis agebantur*. Sed & aliæ agebantur remis, & ipsæ vela sæpe habebant. Docuerit vel unicus Homerus, apud quem plerasque naves viginti & triginta remorum esse actuarias, dubitare nemo potest. At apud ipsum semper vela sustollunt, & in ventum dirigunt, quando navigandum. Igitur plus placet, quod est apud Isidorum lib. XIX. cap. I. de his navibus. *Actuariæ naves sunt, quæ velis simul aguntur, & remis*. Remos velaque *simul* adhiberi ait, in navibus actuariis. Quod & Servius quodammodo confirmat, quando *apud veteres* (quibus εἰκόσοροι & τριακόντοροι præcipue in usu fuerunt) *velis remisque simul navigatum* scribit. Gellius clarissime lib. X. cap. 25. *Actuariæ, quas Græci ἱστιοκώπους vocant, vel ἐπακτρίδας*. Ita enim legendum est, non ἰσοόπους, ut habent veteres, vel ἰσόποδας, ut recentes emendarunt. Decepit vetus scriptura Mosellanum Gellii Scholiasten, ut prodigiosum genus navigationis comminisceretur, quo qui navigat, pede utitur pro malo. Dictum enim ait hoc navigium, *quia pes hominis navigantis in id genus navibus pro malo arbore sit. Siquidem ἱστὸς Græci malum significat, & πῦς pedem*. Savilius in erudito alioquin de Militia Romana libello, *chordis funibusque tractas* putavit, interque ὁπλιταγωγοὺς, στρατιωτίδας, & id genus graviora navigia recensuit. Sed nimirum non inspexit locum Sisennæ, ubi hisce opponuntur. Verba sunt a Nonnio adducta voce *Oneraria* ex Historiarum IV. *Quibus occisis actuarias ad viginti, naves item complures onerarias incendunt*. Vel Sallustii, qui alicubi sic ait: *Actuariæ circiter triginta, decem onerariæ erant*. Indicavimus hunc dicti viri lapsum ante annos plusculos, in dissertatione quadam, de Varietate Navium. Itaque mirari satis non possumus, quid in mentem venerit Francisco Stypmanno, quando nuper in lib. II. de Jure Navali cap. 3. sic scripsit: *Nec juvatur Savilius a Joh. Scheffero in Dissert. de Navibus, quod ex Livii cap. 38. lib. XXXVIII. possit evinci, esse alias actuarias, quæ pluribus remis aguntur*. Quasi hoc a nobis actum esset, aut verba nostra voluissent, aut Savilius non concessisset. Sed donabimus hoc viro, cujus in jure occupata professio, sicuti non aliena, ita nec nostra permisit accuratius in omnibus vel inspicere, vel examinare. Nam & quod de longis, ex alio potius, (quod sine indicio omittere non debebat) quam suo ingenio addit, id est ejusmodi, ut jam ante expositum videatur. Et quid? Nonne actuaria, si vim verbi cogites, idem ac ἐπίκωπος, vel κωπήεις? At hoc de quocunque genere militarium usurpatur. Potest ergo & Latinum actuaria usurpari. Quanquam non negem frequentius opponi iis, quæ vocantur longæ. Polyænus lib. V. ἰδὼν τοὺς πολεμίους προσορμηθέντας νηὶ μακρᾷ, καὶ τριακοντόροις δυσίν. *videns adnavigare hostes navi longa, & duobus triacontoris*. Cæsar lib. V. B. G. *circiter sexcentas ejus generis, cujus supra* (ubi actuarias, quanquam nonnihil diversas a vulgari genere, fuisse ait) *demonstravimus, naves, & longas duodeviginti invenit instructas*. Hirtius, vel alius Alexandrini belli scriptor cap. 44. *Navibus actuariis, quarum numerus satis erat magnus, magnitudine quanquam non satis justa ad præliandum, rostra imposuit: his adjunctis navibus longis, profectus est in Illyricum*. Observa actuarias non æquare magnitudinem longarum, quia nempe non tot remos habebant per subsellia: & ideo non inter vere martias referebantur naves, sed potius piraticas, ut ex dictis constat. Sallustius Historiarum lib. II. apud Nonium: *Ad hoc pauca piratica actuaria navigia*. Scilicet & piratica non ejusdem semper magnitudinis fuere, modo minora, modo majora, ut adeo & ad actuariolas, & ad actuarias referri debeant. Actuariarum porro nomina alia, ab officio vel armatura desumpta, eadem sunt, quæ præcedentium. Nec enim differebant fere, nisi magnitudine, remorumque numero, ut indicatum. Itaque apertæ vulgo erant, rostrisque destitutæ, quorum posterius vel ex Hirtii prædicto loco notum esse potest. Prius indicat Polybius in similiter allatis supra verbis, in quibus τριακοντάκωπον, καταφράκτοις opponit. Item Thucydides lib. I. quando de Trojanis Græcisque ad Trojam classibus, quas ante partem maximam ex hoc genere constitisse ait, ita loquitur: οὐδ' αὐτὰ πλοῖα κατάφρακτα ἔχοντας, ἀλλὰ τῷ παλαιῷ τρόπῳ λῃστρικώτερον παρεσκευασμένα. *non habebant tectas naves, sed prisco potius more piraticoque constructas*. Effigies earum hæc a Bayfio proponitur, quam habes in adverso latere. Ab actuariolis & actuariis ad *longas* veniendum est. Erant & hæ in duplici differentia; aliæ cum ordinibus, aliæ sine ordinibus. Hæ, quæ serie simplici per utrumque latus dispositos habebant remos; illæ, quæ duplici, triplici, quadruplici, & deinceps, uti postea ostendam. Longæ naves sine ordinibus erant, dicebanturque, quæ quinquaginta & plures, usque ad centum habebant remos, dimidiam partem in uno, dimidiam in altero latere: similes εἰκοσόροις, aut τριακοντόροις. Unde & a Græcis πεντηκόντοροι & ἑκατόντοροι appellabantur. De Pentecontoris testis Pherecides in Commet. ad Apollon. quando de Argo nave: ταύτην δὲ φασὶν πρώτην ναῦν γενέσθαι μακράν: *hanc ajunt primam fuisse longam*. Nam Argo fuit Pentecontorus. Papinius Theb. V. vers. 423.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis,
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.

Pentecontoros ergo prima, quæ strictiore sensu longa dicta est. Quod & Plinius confirmat, quando de *Jasone*, qui Argo navem habuit, testatur, eum *primum longæ navis* fuisse autorem. Longas Græci nominant μακρὰς, ut ex Pherecide adpa-



ret. Thucydides in Primo: τριήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δ' ἔτι, καὶ πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα ὥσπερ ἐκεῖνα. *paucis utebantur triremibus, multis autem pentecontoris, & longis navibus instructi erant ut illi*. Non opponit hic pentecontoros & longas, sed interpretationis caussa addit, reliquaque porro genera intelligit longarum. Erant autem longæ, mediæ quasi inter actuarias, & quæ ordines habebant. Illæ minores erant, hæ majores. Itaque & inter genus utrumque interponuntur. Polybius in primo: παρεσκεύαζον δὲ καὶ τὰ περίλοιπα τῶν πλοίων, τριήρεις, καὶ πεντηκοντόρους, καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀκατίων. *Parabant autem reliqua navigia, triremes, pentecontoros, & maxima acatia*. Quanquam non perpetuum hoc fuerit. Reperimus enim longas triremibus majores, apud Diodorum lib. XVIII. ubi Commentariis Alexandri scriptum ait repertum, χιλίας μὲν ναῦς μακρὰς, μείζους τριήρων ναυπηγήσασθαι: *ut mille naves longæ, triremibus majores compaginarentur, ad expeditionem in Carthaginenses, & cæteros, qui Africæ & Hispaniæ regiones littorales incolerent*. Sed hic, mea sententia, per longas non id genus, de quo nunc disserimus, verum sequens intellexit, & quadriremes quinqueremes, pluriumve ordinum voluit ædificari. Respectu armaturæ *Aphracta* appellabantur quia erant sine catastromatis, & in prora tantum puppique habebant quasdam tabulas, in quibus stabant pugnaturi. Polybius lib. I. de Roman. οὐχ οἷα κατάφρακτος αὐτοῖς ὑπῆρχε ναῦς, ἀλλ' οὐδὲ καθόλου μακρὸν πλοῖον. *adeo non habebant tectas naves, ut ne longam quidem*. Cic. lib. VI. ad Attic. ep. 8. *Nos Rhodiorum aphractis, ceterisque longis navibus tranquillitatem auspicaturi eramus*. Aphracta hic refert inter longas, non quasi longæ omnes essent aphracta, aut ex adverso aphracta longæ, sed quia ex aphractis nonnullæ, quæ ad longas pertinebant, ea nempe, quæ nunc diximus. Itaque & actuariis opponit, ut non quascunque apertas, sed hoc genus velle intelligas. Sic enim lib. X. ep. 14. *Recordor enim, æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτω navigans, quam fuerim sollicitus. Quid duro tempore anni actuariolo fore censes*. Etsi autem essent aphracta, rostra tamen habebant, unde *rostratæ* dicebantur. Livius lib. XXX. c. 24 *Cn. Octavio ducentis onerariis, triginta longis navibus ex Sicilia trajicienti, non eadem fortuna fuit. In conspectum ferme Africæ prospero cursu vectum, primo destituit ventus, dein versus in Africum turbavit, ac passim naves disjecit, ipse cum rostratis per adversos fluctus ingenti remigum labore enixus est*. Vides, ut rostratas nominet, quas paulo ante longas appellavit. Verum dicas, posse sequens

A genus longarum intelligi, tectarum, & non apertarum. Dabo igitur locum clariorem. Is est apud eundem lib. XXXVI. cap. 42. *Livius*, ait, *una & octuaginta rostratis navibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum trajecit*. Hic profecto apertæ rostratæ non aliud, quam hoc genus indicant, de quo loquimur: quemadmodum speculatoriæ minus, simpliciter rostratæ majus, de quo nunc videndum est. Biremes, triremesque, ac deinceps nominarunt. Ita patet ex Thucydide, quando reliquis opponit: φαίνεται δὲ, inquit, ταῦτα πολλαῖς γενεαῖς ὕστερα γενόμενα τῶν τρωϊκῶν, τριήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δ' ἔτι καὶ

B πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα. Sic Polybius lib. V. de Censorino: Classem habuit, quæ constabat πεντήρεσιν, ἑκατὸν ἡμιολίαις, ἀφράκτοις καὶ κερκούροις καὶ στρογγύλοις πολλοῖς. *Quinquaginta quinqueremibus, centum hemiolis, apertis, cercuris, & onerariis multis*. Meminit alias Hirtius de bello Alex. *Vatinius capit ex eo prælio penterem unam, triremes duas, dicrota duo*. Qualis harum navium primis temporibus, & ante Augustum, fuerit structura, nemo accurate hactenus, quem ego sciam, viderimve, explicavit. Illud quidem satis constat, non

C tam ex remorum numero, sicut præcedentes, quam ex versibus quibusdam, vel potius ordinibus, sua nomina sortitas esse. Isidorus lib. XIX. cap. I *Biremes, naves sunt, habentes remorum ordinem geminum, triremes, & quadriremes, trium & quatuor ordinum*. Livius lib. XXXVIII. *Quinqueremis Romana seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes suppressit*. Apparet quinqueremem plures non modo remos habuisse, quam triremis, sed & ordines remorum: & ex his ordinibus non quinqueremem tantum, sed & triremem, & cæteras omnes naves, quarum no-

D mina hac ratione formantur, esse vocatas. Quas quia Græci ἐννήρεις, ἑπτήρεις, ἑξήρεις, πεντήρεις, τριήρεις, διήρεις, μονήρεις appellant, harum quoque nomina ex his originibus provenire palam est. At vero quales illi fuerint ordines nunc paulo diligentius considerandum. Reperiuntur enim, qui in longum, id est a prora in puppim, alii qui in altum, hoc est a carina in catastroma, rursum alii, qui in transversum, id est in puppi prope catastroma, in prora proxime carinam, aut contra, intelligi oportere contendunt. Qui in longum eos numerant, autorem habent, nescio quem Aristophanis Scholiastem, cujus verba ita sonant: θρανίτης ἐστὶν, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, ζυγίτης, ὁ μέσος, θαλαμίτης, ὁ θαλάμιος, ὁ πρὸς τὴν πρῶραν. *Thranitis est qui in puppi, Zygitis qui*

qui in medio, *Thalamitis qui in prora remigat*. Hic, inquiunt, diversi generis remiges describuntur, quorum alii in primo, alii in medio, alii in ultimo sunt ordine. Qui quia partim ad proram, partim in medio, partim in puppi remigare dicuntur, satis apparet, ordines sicut remigum, sic & remorum, non in altum, sed in longum numerari oportere. Sequuntur autem hanc sententiam Bayfius, Castilionius ad Vitruvium, Stevvechius, & plures alii: nec aliud opinionis hujus, quam quod dixi, argumentum adducunt. Et quoniam in longum tantum numerant hos ordines, non multum ab eo genere, quo Veneti hodie utuntur, id, de quo nos loquimur, diversum fuisse arbitrantur. Furnerius recens scriptor lib. I. de Architect. Naval. Gallice excuso: *Galeasse c'est le plus grand voisseau de ceste espece. De present on n'en void guere qui passent cinquante bancs, & autant de rames, de chaque bande, pour revenir a peu pres a celles, que les anciens nommoyent deceris & deciremis*. h. e. *Galeasse maxima est bellicarum navium: paucæ autem hac ætate reperiuntur, quæ ultra quinquaginta juga habent, totidemque remos singulis in lateribus: ut adeo proxime ad earum magnitudinem accedant, quas deceres prisci appellarunt*. Stevvechius sic scribit lib. IV. cap. 37. Vegetii: *Interdum quinos remigum ordines fuisse Flavius ait. Sed illi ordines non in altum, sed in latitudinem considerandi sunt, ab hisce ordinibus si bini erant, biremes, si terni triremes & sic deinceps nomen sortitæ sunt. In biremi latus utrumque binis ordinibus, positis ibi sedilibus in triremi tribus, in quinqueremi quinis, & sic deinceps. Et quia in singulis ordinibus remi septem, ad triremem agendam remigibus opus fuit quadraginta*. Hactenus Stevvechius ad Bayfii eorumque mentem, qui primam sententiam tuentur. Sequitur secunda eorum, qui hos ordines non in longum, sed in altum cogitant. Autor ejus est Josephus Scaliger in Comment. ad Chronicon Eusebii: ubi argumentis validissimis opugnat Bayfium, & in altum istos remos habuisse ostendit. Inter cætera firmandæ sententiæ suæ, Lucanum quoque adhibet, qui ita canit lib. III. vers. 536.

—— *Summis longe petit æquora remis*.

Nam hic, inquit, *summis remis*, & quidem *longe* petiisse æquora Bruti navis traditur: unde facile apparet, alios etiam habuisse remos, aquis viciniores. Ac profecto veram esse, quoad remos, hanc Scaligeri sententiam, etiam ex aliis scriptorum locis comprobari potest. Nam & Silius Italicus sic canit lib. XIV. vers. 424.

Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros, trepidatur omisso
Summis remigo, sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Quibus verbis nescio an quid apertius ad roborandam hanc sententiam adduci queat. Nam qui summos remigum & imos hic pro primis ultimisque, vel iis, qui ad proram puppimque remigant, accipiunt, ii sicut sensum Latinarum vocum non retinent, ita & rem ipsam intellectu parum assequi videntur. Non enim hic de igne in puppi tantum agitur, de tali, qui dispersus totos foros impleverat, id est per omnes in summo tabulas vagatus, necdum tamen ad eos, qui in imo erant, penetrare poterat. Extat quoque apud Arrianum locus, lib. VI. Exped. Alex. in quo ista remorum in altum & supra se invicem positorum ratio osten-

A ditur. Αὐτῶν (de biremibus est sermo) τὰς κάτω κώπας οὐκ ἐπὶ πολὺ ἐξέχουσι τοῦ ὕδατος. *ipsorum remi inferiores parum admodum supra undas erant dispositi*. Manifestum utique ex his verbis, naves, quas describit, alios habuisse remos aquæ vicinos, alios remotiores, adeoque non secundum longitudinem tantummodo, sed & altitudinem dispositos. Accedit denique interpretum auctoritas, & Scholiorum, in quibus sicut semper τοίχων fit mentio, quando hoc genus explicant, ita & de remigibus docetur, fuisse aliquos ex illis κάτω, vel inferiores; quosdam ἄνω, vel superiores, quemadmodum & apud Silium videmus. Fecit etiam
B (quod notandum) ille Aristophanis, sub cujus nomine ista verba, quæ a nobis adducta sunt, circumferuntur. Ut proinde non immerito suspecta habeat Vir supra laudatus, & ut sordes inepti rejiciat. Ergo, inquis, vera est Scaligeri hac de re sententia, quam tot testimoniis confirmas. Ignoro, quid potissimum respondeam. Sancta certe mihi tanti viri est auctoritas; sed difficultates oriuntur prope infinitæ, quæ animum in varia distrahunt. Jam primum enim, si in altum, & supra se invicem, isti ordines numerantur, obstare videntur ipsæ naves, quarum nulla tantæ altitudinis vel picta, vel descripta reperitur apud vete-
C res, ut statim constet, quomodo tot ordines supra se positos valuerit comprehendere. Deinde & hoc parum liquet, quomodo tam breves remos naves tot ordinum habuerint, cujusmodi tamen habuisse, ex scriptoribus certum est. Nam Ptolemæi navis, quam ex Callixenis libro I. describit Athenæus, cum esset quadraginta ordinum, remis instructa fuit octo tantum cubitos & triginta longis. Quæ res eo majorem difficultatem habet, quoniam navis ipsa alta octo cubitos & quadraginta fuisse memoratur. Adscribam verba Athenæi, uti extant lib V. Τεσσαρακοντήρη ναῦν κατε-
D σκεύασεν ὁ φιλοπάτωρ, τὸ μῆκος ἔχουσαν διακοσίων ὀγδοήκοντα πηχῶν, ὀκτὼ δὲ καὶ τριάκοντα ἀπὸ παρόδου ἐπὶ πάροδον, ὕψος δὲ ἕως ἀκροστολίου τεσσαράκοντα ὀκτὼ πηχῶν. πηδάλια δ' εἶχε τέτταρα, τριακοντάπηχη. κώπας δὲ θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τριάκοντα πηχῶν τὰς μεγίστας, γενομένης δὲ ἀναπείρας ἐδέξατο ἐρέτας πλείους τῶν τετρακισχιλίων. εἰς δὲ τὰς ὑπηρεσίας τετρακοσίους. *Ordinum quadraginta navim Philopator ædificavit, longam ducentos octoginta cubitos, octo autem & triginta ab aditu in aditum. Altitudo ejus ad acrostolium usque octo & quadraginta cubitorum. Gubernacula habuit quatuor, cubitorum triginta: remi thranitici maximi octo &
E triginta cubitorum fuere: cum autem eam experiri vellent, remiges capiebat plus quam quater mille: quadringentos autem ad varia ministeria destinatos*. Si hæc navis alta fuit octo & quadraginta cubitos, quomodo remi octo & triginta cubitorum, ab ea altitudine demissi, ad aquam pertingere potuerunt? Sed & hoc difficultatem auget, quod dispositis illis quater mille remigibus, ab utroque navis latere, in ordines quadraginta tantum quinquaginta deprehendantur in unoquoque ordine: cum tamen tot vel hecatontoros, quæ brevior triremi fuit, habuerit. Unde sequitur & illud,
F quod, si supra se invicem hi ordines fuerunt, navis vero longa octoginta & ducentos cubitos, plus quam quinque cubitorum spatium inter remiges singulos intercesserit: atque ita navis ista cum triremibus comparata, prope vacua extiterit. Moverunt hæc similiave Thomam quoque Rivium, virum eruditum, ut aliunde, quam ab ordinum versuumve in altum surgentium multitudine, hoc genus appellatum traderet, libro III. Histor. Nav. cap. 49. Nam & conterranei, Henrici Savilii sententia displicuit, qui nec in longum, nec

in altum, sed transversum istos ordines numerari oportere judicavit. Vidit nempe conjecturam illam esse, parique, qua fingitur, facilitate revelli posse, denique nullam, vel minimam, ex Scriptoris alicujus loco fidem sibi mutuari. Quare a remigum, qui singulis summorum jugorum remis inter navigandum adhibebantur, numero, dictas esse contendit. Statuitque triremem fuisse, cujus summi remi, vel, ut Græci dicerent, θρανιτικοὶ a tribus; quadriremem, cujus illi ipsi a quatuor; quinqueremem, cujus a quinque nautis vel remigibus impellebantur. Quam sententiam ex ea ipsa Ptolemæi navi ita probat, ut in ejus imo ordine quemque remum a decem, in medio quemque a triplo majore numero, in supremo deniq; quemque a quadraginta viris tractatum affirmet asseratque. Adjecta ea ratione, quod, facta ad hanc regulam divisione, is quater mille nautarum numerus proveniat, qui fuisse dicitur in navi Ptolemæi. Sed nimirum parum animadvertebat vir doctissimus, primum quidem hoc autorum omnium testimoniis adversum esse, qui ex ordinibus, non remigibus, appellatas hasce naves asserunt, ut supra indicavimus. Deinde istam rationem in sola Ptolemæi navi, non & in aliis procedere. Ut in quinqueremi, quæ, Plinio teste, quadringentos remiges habebat. Nam si in summo ejus ordine ad unumquemque remum destinamus quinque remiges, quoniam quinqueremis est, ibi ducentos & quinquaginta fuisse necesse erit. Ait enim, quemque ordinem quinque & viginti remos habuisse, Leonis autoritatem, verum perperam, secutus, uti postea monstrabo. At quinquies quinque & viginti, centum faciunt viginti quinque, quod, ob duo latera navis duplicatum, facit quinquaginta cum ducentis. Superfunt ergo centum remiges & quinquaginta. Ex his si in imo ordine ad unumquemque remum unicum relinquamus, remanebunt centum. At ex sententia Rivii imi tabulati numerus remigum in medio triplicandus est: quare quinquaginta adhuc remiges desiderantur, ut ratio constet, quam accurate sibi vir disertus in his navibus iniisse videbatur. Leonis verba, quorum mentionem supra fecimus, hæc sunt: Ἑκάστη ἐλασία ἐχέτω ζυγοὺς τὸ ἐλάχιστον πέντε καὶ εἴκοσι, ἐν οἷς οἱ κωπηλάται καθεστήσονται. ὡς εἶναι ζυγοὺς τοὺς ἅπαντας κάτω μὲν εἴκοσι καὶ πέντε, ἄνω δὲ ὁμοίως εἴκοσι καὶ πέντε, ὁμοῦ πεντήκοντα. καθ' ἕνα δὲ αὐτῶν δύο καθεζέσθωσαν οἱ κωπηλατοῦντες· εἷς μὲν δεξιᾷ, εἷς δὲ ἀριστερᾷ. ὡς εἶναι τοὺς ἅπαντας κωπηλάτας ὁμοῦ τούς τε ἄνω, καὶ τοὺς κάτω ἄνδρας ἑκατόν. Quibus verbis, mea quidem opinione, nihil est, quod universam Rivii de hac re sententiam evidentius subvertat. Nam & a singulis superiores remos ostendunt agitatos, cum tamen ex ejus sententia naves fuerint plurium ordinum; & *ad minimum* quinque & viginti remiges, interdum vero, imo frequentius, plures in unoquoque ordine postulatos testantur. *Unusquisque*, inquit, *versus ad minimum* (observa) *juga sive transtra quinque & viginti habeat, in quibus remiges sunt. Ut sic transtra & in summo quinque & viginti sint, & in imo totidem, inque universum quinquaginta. In utroque vero dextro & sinistro latere navis sic instructa esse debet, ut omnes remiges centum numero efficiant.* Postea nec illud observavit, quod & tantæ longitudinis navim, quantam hanc fuisse demonstratum est, in unoquoque ordine quinque tantum, & viginti remos habuisse, vero minime sit consentaneum; &, si ad eum, quem præscribit, modum remi numerentur, in tota illa Ptolemæi non amplius, quam centum quinquaginta reperiantur, cum quinqueremis quadringentos habuerit. Illud vero prope est ridiculum, quod addit, *non incredibile alicui debere videri, si quadraginta remiges membris vigentes quadraginta septem pedum (tot enim illos octo & triginta cubitos ait efficere) remum apte tractasse* memorantur. Nec enim hoc cui incredibile videri potest, verum illud potius, quomodo tot viri simul tenere manibus remum, non quadraginta septem pedibus longiorem, & tamen ex eo tantum demittere in aquam potuerint, quantum ad navigationem requirebatur. Non dicam non constare, quomodo, qui longius a scalmo steterunt, demissum in aquam remum, ac proinde ab altera parte, ubi manubrium est, surgentem, tangere valuerint, aut impellere. Multo minus, quomodo tot homines ab utroque navis latere sine mutuo impedimento consistere, vel navis octo tantum & triginta cubitos lata, octoginta remigibus, transverse per latitudinem sedentibus, spatium sufficiens præbere. Quæ omnia pridem apud me effecerunt, ut nec hujus quidem viri de hoc navium genere sententiam amplectendam arbitrarer. Denique de hoc toto negotio sic existimarem: Primum, habuisse omnes istiusmodi naves triplices plerumque ἐλασίας, uti Leo vocat, seu remorum versus, surgentes in altum, aliquando plures, si major esset navis, sæpe tantum duplices. Deinde singulos hos versus fuisse divisos in certos ordines, ita ut quadriremis quatuor haberet ordines, quinqueremis quinque, atque sic deinceps, modo plures, modo pauciores, pro ipsius navis longitudine. Ex versibus vocatos fuisse remiges, ex versuum ordinibus naves. Ut biremis diceretur, quæ quidem tres haberet versus, summum Thranitarum, medium Zeugitarum, infimum Thalamiorum, sed simul in singulis his versibus tres iterum ordines in longum, a quibus navis sortiretur nomen suum, appellareturque triremis. Videbatur hanc sententiam firmare Virgilius, quando de triremi ita canit lib. V.

—— triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Distinguit enim velut versus ab ordinibus, inque versibus nautas numerat, in ordinibus remos. Accedebat nummus Goltii a Lepido cusus, cujus remi quia latissime depicti sunt, speciem non remorum singulorum, sed ordinum præferre videbantur, ac propterea ordines non in altum, sicut versus, sed in longum numerandos ostendere. Nummi effigies hæc est.



Nec parum juvabat navis unius pictura, in Naumachia Onuphrii Panvinii, quam se ex lapidibus vetustis, nummisque delineasse testatur. Ea enim expresse duos ordines in longum, satis magno spatio inter se distinctos exhibet. Ex quo evenit, ut & alias picturas nummorumque effigies non aliter exponerem, sed remis singulis, ob spatii angustiam, ab artificibus ordines singulos indicatos arbitrarer. uti constat ex dissertatione de varietate Navium, quam ante hoc decennium publicavimus. Sed

quando cuncta nunc accuratissime examino, etiam hanc sententiam deprehendo istiusmodi difficultatibus involutam, e quibus extricare sese nemini sit promptum. Nam primum spatia longitudinesque navium adversantur, nec tot ordines distinctos capiunt. Non enim navis ordinum triginta, decuplo fuit longior triremi, ut vel ex Ptolemæi navi constat, quæ ad cubitos quingentos longa debuisset esse, cum triremis quinquaginta cubitos longa ad minimum extiterit. Eam vero octoginta tantum, & ducentos longam prodidisse Callixenem, supra ex Athenæo didicimus. Dein & hoc repugnat, quod, si pro longitudine navium numerum remigum æstimamus, eumque partimur in suos ordines, ordines fere existant minores in majoribus navigiis, propter ipsarum brevitatem, quam in minoribus. At hoc verosimile non est. Existimavi quidem posse occurri huic difficultati, si in majoribus navigiis dicamus plures remiges sedisse in eodem jugo, singulosque singulos tractasse remos, parum a se invicem distantes. Videbaturque quid istiusmodi innuere Athenæus, quando in prædicta navi scribit: *κώπας θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν*, *thraniticos remos octo & triginta cubitorum* fuisse, verum *τὰς μεγίστας*, id est *maximos*. Id enim ostendebat, alios thraniticos in ea navi fuisse breviores, quos non, nisi ejusdem versus, esse posse putabam. Sed hæc omnia deprehendi dici facilius, quam sufficienter probari. Denique nummis, marmoribus, picturis, apud veteres plerisque repugnare, præsertim illis a Baysio nobis exhibitis, quas durum erat sic interpretari, ut ob angustiam spatii, singulos ordines remis singulis diceremus indicatos. Cum præsertim spatium in libro, multo magis vero in columna, unde desumptæ sunt istæ picturæ, non sit tam angustum, ut peritus sculptor ordines remis pluribus, si fuissent, quales primum opinati sumus, illic effigiare nequiverit. Igitur cum isthæc omnia sic sese habeant, etiam hanc sententiam deserere non dubitavi. Nimirum veri studium inesse nobis debet, nec erubescere deteriora, licet priora, posterioribus & melioribus permutare. Quod utinam simplicius hodie facerent viri magni, non profecto tantum ubique rixarum, & conviciorum foret. Sed utantur illi suo ingenio, nos nostro vivamus. qui nunc plane reverti decrevimus ad eos, quorum sententia in altum isti ordines, de quibus sermo est, numerantur. Quanquam quæ de tota re nostra sit opinio, paulo accuratius exponi debeat. Habet enim revera difficultates non exiguas, ut ab initio ostendimus. Quas nescio an illi ipsi, qui primi in altum cogitari oportere censuerunt, satis accurate examinaverint. Certe non explicuisse constat, unde in hunc diem usque res obscura, multisque, etiam non contemnendis ingeniis, visa fuit prorsus vana incredibilisque. Igitur ut cuncta fiant clariora, sciendum ante omnia, id, quod de altitudine harum navium opponi potest, oriri ex falsa intellectione seu acceptione formulæ, qua hi ordines vulgo *supra se* fuisse dicuntur. Scilicet existimant sic supra se fuisse, ut nauta unius ordinis sedem suam habuerit in vertice alterius, atque ita, velut tabulato quodam, ordines singuli a se mutuo extiterint divisi. Quomodo profecto si fuerunt, fieri plane non potest, ut id octo & quadraginta cubitorum spatium in navi Ptolemæi cœperit quadraginta ordines. Sed res longe fuit alia. Sedebant enim nec tabulatis a se invicem distincti, nec tantis in altum spatiis, quantum pro se quisque seorsim stans sedensve capit. Nempe primum in ordinibus dispositi per juga sua erant, distinctique inter se duorum, trium, quatuor, pluriumque, prout requirebat navis longitudo, cubitorum spatiis. Vocabanturque ea spatia *interscalmia*, ut ex Vitruvio vir admirandæ eruditionis Cl. Salmasius, in Observationibus ad Jus Atticum, & ante eum Philander ad Vitruvium ostenderunt. Quanquam cum Vitruvius *διπηχαικὴν* appellat, vulgarem triremium structuram tantum respexit, in quibus scalmi cubitis duobus a se invicem abfuerunt, non & reliquarum majoris formæ navium. In his enim majus spatium requirebatur, sicut dixi, quod vel ipse Autor ostendit, quando *ex interscalmio inveniri symmetriæ ratiocinationem* in navibus scribit lib. 1. cap. 2. Nec enim constare ista ratiocinatio potest, nisi simul cum navi, etiam partes fiant majores, adeoque scalmi quoque majus ampliusque spatium accipiant. Sedebant igitur, ut dixi, remiges justo inter se spatio distincti, quod eo pertinebat primum, ne remi ob vicinitatem mutuo se impedirent, dein, ut remiges superioris ordinis haberent, ubi ipsi sedere possent. Id enim spatium, quod fuisse dixi inter duos remiges inferioris ordinis, paulo altiore gradu occupabat is, qui in superiore ordine navigabat. quemadmodum id, quod inter hunc vicinumque, is, qui adhuc in superiore præstare suam operam cogebatur. Testantur hoc (ne quis fingere nos talia existimet) triremes, biremesque veteres, a Baysio ex marmoribus depictæ, quarum & in fine libri primi unam, & hic duas apposuimus. (Figura N. 2.) In iis enim clare observari potest, inferioris ordinis remos non perpendiculari linea subjectos esse superioribus, sed fere in medio duorum ex iis prominere, & modo ad dextram plus, modo sinistram inclinare. Non igitur aliter etiam remiges sedere potuerunt, sed in medio fere duorum ordinis inferioris, locum suum unus habebat in superiori ordine. Distabant quoque ordines inter se non tanto spatio, ut vulgo existimatur. Neque id necesse erat, propter illud inter duos spatium, quod ab aliis occupari poterat, in superiori ordine. Ac forte vix cubitus inter duos ordines intercedebat, ut cum reclinandum cui esset in inferiore versu, fieret id versus genua pectusque, si proclinandum, versus dorsum remigis ex superiore versu. Cujus rei iterum habemus testimonium apud veteres. Ita enim Aristophanes in Ranis pag. mihi 262.

Νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ προσπαρδεῖν γ' ἐς τὸ στόμα τοῦ θαλάμακι.


Ita per Phœbum: inferiori remigi in os oppedere. Non potuisset sane hoc dedecus committi, nisi & sedissent eo modo, sicuti dixi, & ordines plus, quam cubiti altitudine a se mutuo distassent. Perit igitur & altera difficultas, quam altitudo navium faciebat. Neque remi obstant, brevitasque ipsorum. Nam cum in majoribus navigiis majus spatium extiterit inter remiges unius ordinis, facilius sedere illi ordinis superioris potuerunt, ex quo accidebat, ut tantum inter ordines interstitium non requireretur. Faciamus igitur in navi Ptolemæi remos versus infimi quinque cubitos fuisse longos, (nec enim opus fuit longioribus, proxime ab aqua distante eo ordine, ut Arrianus docet) cur non in supremo ordine, qui ab infimo non multum supra, ac nescio an non infra triginta cubitos absuit, remis octo & triginta cubitorum pertingere valuerint in aquam? In trireme vero quadriremeve minor difficultas est, quarum remos maximos non ultra decem, vel duodecim cubitos longos existere necesse fuit. Quod de remigum numero objectum est, in singulis versibus, id se bene habet. Etsi enim vulgo quinquaginta fuerint in singulis, tamen & plures interdum habuerunt, sicuti & pauciores, ut cum Tacticis Leonis, docet quinqueremis apud veteres,


de qua Plinius lib. XXXII. cap. 1. *Cum e tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id* (torpedinem) *quærerent, circa navim invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Cajo indignanti hoc fuisse quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet.* & Silius lib. XIV. Bell. Pun. vers. 388. de quinqueremi alia:

A

Sed quater hæc centum numeroso remige pontum
Pulsabat tonsis ——


Nam si quinqueremis quadringentos tantum remos habuit, non nisi quadraginta tantum singulis in versibus fuerunt. Quemadmodum & triremes






legimus cum ducentis remigibus, id est paulo plus, quam triginta in unoquoque ordine. Et tamen ideo naves vacuas fuisse non putandum est. Scilicet, ut dixi, id quod inferiores relinquebant spatium, a superioribus occupabatur, ponentibus, ut opinor, pedes contra juga inferiorum, ut validior nisus esset inter remigandum. Nulla ergo difficultas superest, possuntque ad hanc expositionem nostram omnium Autorum loca facillime intelligi. Nam & in nummo Goltzii sculptor errasse videtur, quod verisimile fit, si cum Ursini nummo conferatur: & Virgilius ordines tantum a versibus distinxisse, ut distinctos fuisse ex eo ipso alibi ostendimus. Quod etiam quidam movent, de tribus remigum vocabulis, id tanti non est. Potuerunt enim & in plurium ordinum, supra se existentium, navi remiges in summo ordine suum peculiare, & in infimo suum habuisse nomen, reliqui omnes commune aliquod vocabulum retinuisse. aut & ipsi in tres divisi fuisse classes, quarum prima Thranitarum, secunda Zeugitarum, tertia Thalamiorum fuit. Sed de hac re alibi. Id non omiserim, cum ad declarationem rei per se obscuræ non parum visa sit pictura facere, me hic studiose omnia delineasse. (Figura N. 3.) Fuerunt igitur in altum ordines, ut diximus, inque iis remiges, certis inter se, nec tamen magnis spatiis divisi. Nonnunquam quinquaginta, nonnunquam quadraginta, vel triginta, ut nunc vidimus, etiam quinque & viginti, ut ex Tacticis Leonis observamus, singulis in versibus. quorum duo simul versus, dexter & sinister, unum faciebant ordinem, ut alibi ostensum est. Infra quinque & viginti non fuerunt in uno versu, si prædicto Leoni fidem adhibemus, id est, quinquaginta in uno ordine. Ex quo sequitur, monerem quoque (contra, quam hucusque traditum a viris doctis) extitisse nullam, quæ non pentecontoros extiterit. Infra hanc magnitudinem non moneres dicebantur, sed vel a remorum numero *εἰκόσοροι*, & *τριακόντοροι*; vel a ratione navigandi, Actuariæ. Pentecontori minimum erat genus *μονήρων*: sequebantur *ἑξακόντοροι* (nam & tales extitisse nil repugnat, & arguit quodammodo triremis, cum triginta remigibus in singulis versibus) item Theocritus, quando Argo navim vocat *τριακοντάζυγον* in Hyla; id enim idem est, ac *ἑξακόντορος*. Scholiastes vetus ejus poetæ: *τριακοντάζυγον, τὴν τριάκοντα ἔχουσαν καθέδρας ἑκατέρωθεν, ὡς ἑξήκοντα εἶναι τοὺς πλέοντας* & denique *ἑκατόντοροι*. Ultra hanc magnitudinem hecatonterorum, vel quod idem est, quæ centum remis impelluntur, moneres existebant nullæ. Ex his deinde moneribus, sive pentecontori essent, sive hecatontori, quando duplicabantur, id est, duos in altum accipiebant ordines, duplicemque numerum remorum, fiebant biremes, quando triplicabantur, triremes, quando quadruplicabantur, quadriremes, atque sic deinceps. Ita Ptolemæi *τεσσαρακοντήρης* nihil fuit aliud, quam quadragecuplex hecatontorus. Quinqueremis Plinii, nil aliud, quam quintuplex octacontorus. Hinc Ethicus Ister, citante Gyraldo, de *triere*, ait, esse navem magnam, *ex tribus navibus fabricatam*. quæ verba Gyraldus non satis intellexisse videtur. Observo autem hecatontoros frequentius auctos ordinibus, factosque triremes, quadriremesque, longe magis, quam pentecontoros. Scilicet cum hæc tantum remos haberet viginti quinque in singulis versibus, non sufficiebat is remorum numerus reliquarum navium longitudini. Igitur vel plures capiebant, ut in quinqueremi videmus, vel dictum numerum duplicabant. Plane Romanorum primæ naves, quum remiges habuerint trecentos, uti testis est Polybius lib. I. pag. m. 27. & tamen quinqueremes (ut ad quarum exemplum omnes ædificasse, quibusque totum primum bellum Punicum gessisse, is idem confirmat, dicto lib. pag. m. 21. & 64.) fuerint, ex quintuplicibus hexacontoris factos fuisse necesse est, non triremes, ex triplicibus pentecontoris, ut nonnemo differit. In fragmentis Memnonis apud Photium octeris est, quæ in versibus singulis centum remos, in ordinibus vero singulis bis tantum habet. Ea facta videtur ex duplici hecatontoro in longum, cum rationem vulgarem retineret in altum. Quod commodius fuisse credi potest. Numerus enim remigantium auctus in longum, magis ad celeritatem faciebat, quam si in altum id fuisset factum. Verba Memnonis hæc sunt. *Inter Ptolemæi naves erat una octeris, leonis nomine insignis, quæ magnitudine & elegantia in admirationem veniebat. In hujus enim unoquoque versu centum erant remiges, ut ex una parte viri fuerint octingenti, ex utraque mille & sexcenti.* vel si Græca mavis: *ἐν ταύτῃ ἑκατὸν μὲν ἄνδρες ἕκαστον στοῖχον ἤρεττον, ὡς ὀκτακοσίους ἐκ θατέρου μέρους γενέσθαι, ἐξ ἑκατέρων δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους*. Fuerunt autem omnes hæ naves vel majoris formæ, vel minoris. Hujus moneres, biremes, triremes, quadriremes: alterius penteres, hexeres, & quæ plures ordines habebant. Livius lib. XXXVIII. cap. 23. *Regia classi septem & triginta majoris formæ navium fuit, in quibus tres hepteres & quatuor hexeres habebat. præter has decem triremes erant.* Et capite 31. *Hostium classis undenonaginta navium fuit, & maximæ formæ naves, tres hexeres habebat, duas hepteres.* unde intelligitur quid lib. XXXVI. cap. 43. voluerit, quando scripsit. *Centum navibus, quarum septuaginta tectæ, ceteræ apertæ, minoris omnes formæ erant, profecti Phoceam petierunt.* Triremes enim & id genus indicavit. Minores Græci *κουφοτέρας*, majores *βαρείας* vocavere. Appian. lib v. Bell. Civ. *διεφθάρατο δ' αὐτῷ νῆες βαρεῖαι μὲν ἕξ, κουφότεραι δὲ ἓξ καὶ εἴκοσι, λιβυρνίδες δὲ ἔτι πλείους. Perierunt naves graviores sex, leviores viginti sex. Liburnicæ vero plures.* Κουφότεραι dicebantur, quia latera ipsarum magis erant depressa, nec tot versus habebant, quot aliæ majoris formæ. Opponuntur autem *βαρείαις*, quia celeriores fuere, sicut & alibi ostensum est. Itaque & a posteriorum temporum scriptoribus *dromones* sunt appellatæ. nam dromones, cursorias significant. Quomodo & a Sidonio vocatæ sunt lib. I. ep. 5. *Ticini* (ita recte, non ut Gyraldus legit, *tiphys*, ideoque multa incassum de gubernatore Argus differit) *cursoriam, sic navigio nomen, ascendi.* Isidorus: *Longæ naves sunt, quas dromones vocamus, dromon autem a currendo dicitur.* Per longas non hic penteconteros intelligit, aut hecatonteros, sed ejusmodi, ut nunc diximus. Testis Leo in Tacticis, cap. 19. Μάχεσθαι, ait, *διὰ τῶν ποτὲ λεγομένων τριηρῶν, νῦν δὲ δρομόνων καλουμένων. pugnare navibus, quæ olim triremes, nunc dromones vocantur.* Nimirum & hæ naves, triremes dico, quadriremes, similesque, longæ fuerunt; & quia fuerunt, etiam sic nominatæ sunt. Polybius Excerp. lib. XV. pag. 705. *τὰ μακρὰ πλοῖα παραδοῦναι πάντα, πλὴν δέκα τριήρων. Naves longas omnes, præter decem triremes, traderent.* triremes hic inter longas naves. Sic Livius, quas ante *quinqueremes* nominat, mox *longas* appellat. Ita enim lib. XXI. cap. 17. *naves CCXX. quinqueremes, celoces viginti deductæ*, & statim post, de iisdem: *naves longæ CLX. celoces duodecim.* Peccat Beroaldus, quando Frumentarias sic dictas scribit, in comment. ad Apulejum. Nisi forte ad structuram earum animum intendit. quæ isto tempore, quo dromones vocatæ sunt hæ naves, paululum a prisca illa recessit, & ad onera gestanda pariter ac bellum cœpit accommodari. Quemadmodum ex Cassiodoro notum es-

se potest, qui lib. v. Var. epist. 16. ita de dromonibus. *Mille dromones fabricandos assumere decrevimus, qui & frumenta publica possint convehere, & adversis navibus, si necesse fuerit, obviare.* Facta est hæc immutatio post prælium Actiacum ab Augusto, ut Vegetius testatur lib IV. cap. 33. *Augusto*, ait, *dimicante Actiaco prælio cum Liburnorum auxiliis præcipue victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo similitudine & nomine usurpato, ad earum instar classem Romani principes texuerunt.* Observa, quod de nominum mutatione dicitur. Nam ab isto tempore raro quadriremes, quinqueremes, & similiter, sed Liburnæ vocabantur. Hinc Eutropius, æqualis Vegetio de bello Punico primo. *Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani Cajo Duilio & Cajo Cornelio CSS. in mari dimicaverant, paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant.* Quas hic Liburnas nominat, eas Polybius quinqueremes fuisse ostendit, ut Eutropium ex sui ævi consuetudine locutum esse, facile appareat. Sic & Plutarchus naves, quibus usus est Augustus in prælio Actiaco, Λιβυρνικὰς appellat. Neque aliter hoc nomen usurpavit Florus, quando scripsit de Catone: *Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium invexit.* Nam Plutarchus hexeres triremesque eum habuisse demonstrat. Et hæc causa, quare Eustatius in comment. ad Dionysium se *in Latino Lexico Liburnicas naves dici longas* reperisse scribat. Bayfius non observavit, & ideo Liburnas omnes scripsit esse biremes. Cum tamen Vegetius *minores tantum Liburnas* singulos aut binos ordines, idoneæ mensuræ ternos, vel quaternos, imo plures habuisse ostendat. Sed quæ isthæc veteris formæ immutatio? Innuit Suidas hisce verbis: Λιβυρνικά, νῆες ἦσαν, οὐ κατὰ τὸν τριηραρχικὸν ἐσχηματισμέναι τύπον, ἀλλὰ λῃστρικώτεραι, χαλκεμβολοῖται, καὶ ἰσχυραὶ καὶ κατάφρακται, καὶ τάχος αὐτῶν ἄπιστον. *Liburnicæ naves erant non ad triremium formam ædificatæ, sed magis piraticarum more extructæ, fortes, constratæ, & celeritate incredibili.* Clarius agit Zosimus, & simul diu ante sua tempora triremium usum obsolevisse ostendit. Δοκοῦσι δὲ, inquit, πῶς Λιβυρνικὰ τὰ πλοῖα ταχυναυτεῖσθαι, πεντηκοντόρων οὐχ ἧττον, κατὰ πολὺ δὲ τῶν τριηρικῶν ἐλαττούμενα πλείστοις ἔτεσι τῆς τούτων ἐκλιπούσης δημιουργίας. *Videntur naves Liburnicæ æque celeres in navigando ac pentecontori, sed triremibus esse minores, qui jam multis annis extrui desiere.* Pentecontoris & piraticis similes factas inquiunt, hoc est humiliores, nec tot ordinibus ac tabulatis in altum surgentibus fuisse instructas, quot antea habuerunt: sed vel unum tantum habuisse ordinem, vel ad summum duos. Id quod cum dromonibus, quemadmodum a Cassiodoro describuntur, pulchre convenit. Quos dum ab Argonautis primum ait fabricatos, a pentecontororum specie (nam pentecontoro fuisse usos, alibi ostensum est) non multum abfuisse demonstrat. Ita autem scribit lib. v. Var. ep. 17. *Dudum magnitudini Vestræ ex Italiæ littoralibus officia jussimus præparare nautarum, ut dromones, quos industria fabricare voluisset, manus remigum provisa susciperet. Obtulisti ergo subito nostris oculis trireme vehiculum, remorum tantum numerum prodens, sed hominum facies diligenter abscondens. Hoc primum instituisse legimus Argonautas.* Fuit ergo dromonum structura, velut Liburnarum, utrarumque vero, velut pentecontororum, uti etiam ex Leone apparet, nisi quod in majoribus Liburnis duos versus retinerent. Et mansit isthæc ratio ad nostra usque tempora. Neq; enim aliæ Galeæ nostræ, quam veterum dromones. Leo imperator in Tacticis. κατασκευάσεις δρόμονας ἐλάστας, οἱονεὶ γαλαίας ἢ μονήρεις λεγομένους. Hic expresse dromones, galeas nominat. Et figura ostendit. Ecce enim veterem Liburnam. Bayfius hanc pro bireme habet sive dicrota, sicuti ab Appiano nuncupatur. Mihi est Liburna, non autem ex vetusto genere, sed recentiore, de quo hactenus. Nunc ecce aliquam ex nostris Galeis. Nihil pene inter utramque interest. Nisi quod nunc frequentius sublatis intervallis remos serie continua disponant, & ad unum plures nautas collocent. Non autem Liburnæ tantum, sed & triremes vulgo hæ naves sequioribus temporibus appellabantur. Manifestum est ex Zonara: qui Duilii naves, quas Polybius quinqueremes asserit fuisse, τριήρεις nominat. Ita Tom. II. inter leges pacis, quas Romani cum Philippo rege sanciverunt, etiam hanc fuisse scribit, ut τὰς τριήρεις traderent. Συνηλλάγησαν, inquit, ἐπὶ τῷ ἀποδοῦναι τὰς ἐλέφαντας, τάς τε τριήρεις, πλὴν πέντε καὶ τῆς στρατηγίδος αὐτῆς, ἥτις ἑκκαιδεκήρης. At hæc Livius lib. XXXIII. cap. 16. sic explicat: *Convenerunt ut naves omnes tectas traderet, quin & regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sexde-*





sexdecim versus remorum agebant. Patet tectas, id est militares Livii naves cujuscumque formæ esse Zonaræ τειήρεις. Et alio loco idem de Pompejo scribit: πρὸς πόλεμον ἡτοιμάζετο, ναυπηγῶν τειήρεις, καὶ τοὺς αὐτομολοῦντας δεχόμενος. *Paravit se ad bellum, ædificatis triremibus*, h. e. quibuscunque navibus ad bellum & militiam idoneis. Credo autem ideo sic dictas, quia apud veteres triremes ad militiam præ cunctis aliis fuerunt aptæ. Unde & Hesych. τειήρης, πλοῖον, πολεμικόν. *triremis militare navigium*. Et Suidas τειήρεις, πλοῖα πολεμικά, ἃ καλεῖται λέβερνα. *triremes, naves militares, quæ liburnæ dicuntur*. Et Scholiastes Aristophanis, posteaquam longas naves πολεμίας esse ostendit, subjicit, τὰς τειήρεις δὲ φησί. *triremes intelligit*. Cedrenus recentior autor, κουμπαρίας appellavit, aliquot in locis. Μετὰ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι κουμπαρίων, inquit, ἃ δὴ γαλέας κατονομάζειν εἰώθασιν, *cum septem & viginti cumpariis, quas & galeas vocant*. Dictæ autem sic videntur a cumbis, quas easdem cum cymbis esse ostendimus. Priscis temporibus, ut jam ante dictum est, hæ omnes naves, pro numero ordinum, moneres, biremes, ac deinceps vocabantur. Ac *moneres* quidem, quæ simplices habebant ordines: pertinebantque, seu potius eæ ipsæ erant; quæ alias peculiariter appellabantur *longæ*. Græcis aliquando, maxime posterioribus temporibus γαλαῖαι, uti ex Leone vidimus, unde sine dubio *Galearum* nomen apud nostros ortum est. Strabo μονοκρότας dixit, in septimo. Tacito sunt naves, *quæ simplici ordine aguntur*. lib. v. Hist. cap. 23. Quæ duplices habebant ordines, Latinis sunt *biremes*, Græcis δίκροτα. Apud Ciceronem tamen in epistolis ad Atticum, item A. Hirtium videas retenta Græca voce, *dicrota* vocari. Quæ triplices ordines, *triremes* appellantur. *Quadriremes*, quæ quadruplices. *Quinqueremes*, quæ quintuplices. Hirtio *penteremes*. Quæ sextuplices, & septuplices, non Seremes, aut Septiremes, sed Græca imitatione *Hexeres*, *Hepteresque* dictæ sunt, credo; quia magis apud Græcos, quam Latinos in usu fuerunt. Sequentes apud Latinos non unico vocabulo, sed circumlocutione quadam ab ordinum numero desumpta efferebantur, vocabanturque *naves octo*, *novem*, *decem ordinum*, *aut versuum*. Sic navim, quæ Polybio est ἑκκαιδεκήρης, Livius sic reddit lib. XXXIII. cap. 16. *Regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sedecim versus remorum agebant*. Secundum armaturam pleræque hæ naves *tectæ* dicebantur, seu *constratæ* a Latinis, a Græcis κατάφρακται. Cæsar lib. III. Bell. Civ. *Illæ triremes omnes, & quinqueremes aptæ instructæque omnibus rebus ad navigandum, præter has viginti duæ erant, quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant, constratæ omnes*. Nimirum quia hæ solæ propriæ ad prælia idoneæ. unde Polybius lib. I. cap. 17. ἦν μὲν τῷ ὁ τοῦ

A φιλίππου νεῶν τὸ πλῆθος τὸ συγκαταστὰν εἰς τὸν ἀγῶνα, κατάφρακτοι τρεῖς καὶ πεντήκοντα, σὺν δὲ τούτοις ἄφρακτα. Meminit tamen triremium non constratarum, sed apertarum, Hirtius vel alius Alexandrini belli scriptor. *Cæsar*, ait, *Rhodias naves IX. habebat, Ponticas IIX. Lycias V. ex Asia XII. ex his quinqueremes quinque erant, & quadriremes decem, reliquæ infra banc magnitudinem & pleræque apertæ*. Polybius lib. v. ubi de rebus, quas Antiochus invenit Tyri: ἦν καὶ πλοῖα τετταράκοντα. τούτων κατάφρακτα μὲν εἴκοσι, τὰ δὲ λοιπὰ τειήρεις, καὶ δίκροτα, καὶ κέλητες. *Aderant & naves quadraginta. Harum tectæ quidem viginti, reliquæ triremes, dicrota, & celoces, erant*. & in excerpt. lib. XVI. τὰ δὲ τῶν πολεμίων σκάφη, κατάφρακτα μὲν ἦν ἑξήκοντα καὶ πέντε. μετὰ δὲ τούτων ἐννέα τειημιολίαι, καὶ τειήρεις τρεῖς. *Hostium vero naves erant, tectæ quidem quinque & sexaginta, & cum bis triremioliæ novem, & triremes*. Diodorus Siculus lib. XIX. αἱ πᾶσαι περὶ αὐτὸν μακραί, εἰσὶν διακόσιαι τεσσαράκοντα, πεντήρεις δὲ δέκα. ἄφρακται δὲ τριάκοντα. nisi quis has forte habeat pro apertis actuariis. Deinde & *rostratæ* vocabantur, Græcis χαλκέμβολαι. Patet non ex unius scriptoris loco, sed vel trecentis, qui rostrorum in his navibus meminerunt. Diodorus Siculus lib. XIII. *quotiens triremes ad feriendum irruebant, totiens magistri navium ita eas obvertebant, ut rostris ictus exciperent*. Ita Livius majores facit rostratas. Majores autem non sunt aliæ, quam hæ ipsæ naves. *Profectus*, inquit lib. XXXVI. cap. 42. *una & octoginta navibus rostratis, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ erant, aut sine rostris speculatoriæ*. At vero ex officiis προπομπαί, *præsidiariæ*, *lusoriæ*, appellabantur, quæ minoris formæ erant προπομπαὶ vocatæ, quæ infirmiores, onerarias præcipue, præsidii causa per mare comitabantur. Appianus de bellis Pun. non uno loco. Et de bell. Civ. lib. IV. τὰς ὁλκάδας ἐφύλασσεν αἱ δὲ προεπέμποντο μὲν ὑπὸ τειηρῶν. *onerarias animadvertit, quas triremes præsidii causa prosequebantur*. Ita Cicero hunc locum redderet. Sic enim loquitur in Verrem v. *Navem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur*. Etiam προφυλακίδες dicebantur, quia, quotiens in salo stabat classis cætera, hæ, tanquam vigiles, ante ipsam erant in perpetua statione, sicut in alio loco demonstrabitur. Neque ideo tantum, sed & quia locorum custodiam habebant. Ita apud Appianum lib. IV. B. C. de ejusmodi quibusdam ad Peloponnesum legimus. Latinis hæ naves *in statione esse* dicuntur. Hirtius de bello Africano: *Cæsar L. Crispium cum classe XXVII. navium Thapsum versus in stationem, præsidii gratia commeatus sui, mittit*. Et paulo post: *Conspicatæ naves Cæsarianos, quæ in statione apud Thapsum stabant*. Item: *Cæsar commotus eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiæ causa in salo esse jusserat, ut suis one-*

rariis longisque navibus præsidio essent ob negligentiam dimittendos ab exercitu curavit. Neque aliter Livius. ut lib. XXXII. cap. 22. *Placuit Romanam Rhodiamque classem redire Samo, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moveret*. Male ergo Valla hæc Thucydidis: ὅπως ναυμαχίας τε ἀποπειράτωσι, πρὸς τὴν ἐν τῇ Ναυπάκτῳ φυλακὴν sic reddidit; *ut pugnam navalem experiretur adversus speculatorias illas, quæ stabant ad Naupactum*. Diversæ enim ab his antiquorum speculatoriæ. Sed interpretum errores non consectamur. Alias *Lusorias* has naves recentiore sæculo vocatas esse, docuit me Vir & eruditione quondam, & humanitate magnus Jacobus Gothofredus, ex Theodosii legibus & Codice, quem tum, cum apud ipsum essem, sub manibus habebat. Et consentit Flavius Vegetius. *De lusoriis*, inquit lib. IV. cap. ult. *quæ in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto*. Ita Lipsius ad lib. VII. Senecæ de Benef. cap. 20. *Ætas sequens lusorias etiam, pro bellicis & excubitoriis navibus dixit*. Epiphanius; ὁ Αντίνοος ὁ ἐν Αντινοείῳ κεκηδευμένος καὶ σὺν λυσωρίῳ πλοίῳ κείμενος ὑπ' Αδριανοῦ οὕτω κατετάγη. ubi nota Lusorias etiam a Græcis, Romana imitatione dictas θαλαμηγοὺς. Quod recentiore sæculo si vocatas dixi, eo pertinet, ut Valentiniani atque Theodosii temporibus demum id vocabulum hoc sensu usurpatum observemus. Nam ante ea tempora vere pro lusoriis, & ad regum principumque voluptates comparatis sumebatur. Hinc Seneca æratis, sive bellicis adversum ponit, & ab iis distinguit. *Cui*, inquit, *æratas & triremes non mitterem, ei lusorias, & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari lascivientium mittam*. Observa & *cubiculatas* dici. Græci θαλαμηγοὺς vocavere. Strabo lib. XVII. ἐν Σχεδίᾳ ναύσταθμον τῶν θαλαμηγῶν πλοίων, ἐφ' οἷς οἱ ἡγεμόνες εἰς τὴν ἄνω χώραν ἀναπλέουσιν. Græca imitatione Suetonius in Julio cap. LII. *eadem nave thalamego pene Æthiopia tenus Ægyptum penetravit*. Causa utriusque appellationis, quia thalami in illis, & cubicula, & horti, & cœnacula, item balnea, & alia, quæ voluptatibus inserviunt. Exemplo esse potest illa Maximi, Tyrii Philosophi, quæ dissert. XXXI. describitur; ea enim hortos & lavacra, gymnasia quoque, & triclinia, & gynecæa habuit. Etiam ab Athenæo aliquæ hujusmodi commemorantur, quarum species facilius ex ipso intelligitur. Appianus in proœmio Ægypti reges octingentas paratas scribit habuisse. Utebantur & Galli, ac *paradas* nominabant, sicuti Ausonius, & Sidonius testantur. Quanquam Vossius in Glossis lib. III. cap. 32. non navigium ipsum, sed tectum, sub quo jacebant, sic dictum ostendat. Quod cur ita nominatum sit, ipse cum Scaligero Martinioque varie disputat. Videtur interim esse a Gallorum *pario*, hoc est tego, pro quo Latini *opperio*, unde & *paries*, quia tegit ac cingit. Simile Celtarum *hærjen*, h.e. condere, custodire, contegere. Sane *paramentum*, apud Gallos tectum signare sive mansionem ex Hincmaro discimus, & *paratura*, vel, ut hodieque loquuntur, *parament*, id est, quo ornatus causa in oris teguntur pallia cæteraque vestimenta. Hinc *baret* operimentum capitis, & forte *pareda*, vel *parada* tectum navigii. Licet etiam de navigio dubitari possit, annon & ipsum ita fuerit vocatum, sicut *camera* navigium, a *camera*, quod proprie Nonio teste *tectum* significat *in curvitatem formatum*. Græcis καμάρα. unde καμάρης ἅμαξα, *vehiculum tectum*, vel *constratum*, sicuti Lucanum appellare ostendemus amplius in opere de Re Vehicularia, si vitam Deus dederit. De καμάραις navibus, unde & Camaritarum gentis nomen, disserit Eustatius ad Dionys. *Isthmo adjacet magna Camaritarum natio, sic dictorum a navibus piraticis rotundis, quibus utebantur vocabanturque Camaræ a Græcis. Erant vero naviculæ tenues, angustæ, & leves, viros viginti quinque raro triginta recipientes*. Etiam Germani tectas ejusmodi naves cameras vocarunt, a *kammer*, quod ipsis adhuc hodie aliquod tabulis clausum significat. Tacitus Hist. lib. III. c. 47. *cameras vocant, artis lateribus lata alvo, sine vinculo æris aut ferri connexa. summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudatur*. At vero quæ majoris formæ erant, illæ Prætoriæ dicebantur, Lucanus lib. III. vers. 535.

Celsior ast cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit ——

Hexeris hic describitur. Prætoriarum nomen ex eo est, quia Prætor, hoc est summus classis præfectus eis utebatur. Sic apud Tacitum Hist. V. cap. 22. *Germanos* videas *prætoriam abripere* iccirco, *quia illic ducem esse credebant*. Et apud Livium Æmilius totius classis præfectus, cum prætoria navi primus in altum evehit. Græci ναυαρχίδα, item στρατηγίδα vocavere, nec maximam tantum, sed optimam firmissimamque ad hoc munus elegerunt. Id quod a Romanis quoque factum est. Sane apud Græcos hoc notabile, quod Imperator sibi ipsi navim eligeret, quam præstantissimam in omni classe putaret, sicut ex Demosthenis non uno loco observare licet. Testatur & Leo in Tacticis cap. 19. ubi quoque πάμφυλον sequioribus temporibus ejusmodi navem vocatam ait, si modo vera lectio, quam habent editi, de qua alias videbimus.

CAP. III.

Quot genera militum ac nautarum fuerint in classibus.

Milites fere tales, quales in terrestri militia, sed classiarii vocati, & propugnatores, & epibatæ, quod nomen a Græcis obtinuere. An epibatæ semper milites significent, & qui proprie fuerint. Nautæ qui. quid αὐτερέται. Nautæ a remigibus distincti. Remiges Græcis κωπηλάται, & πληρώματα, & ὑπάρχοντες. Latinis Socii, & an semper. Remiges quotuplices. qui Thalamitæ, Zygitæ, Thranitæ, μεσόνεοι. An plures remiges ad unum remum sederint apud veteres. Quis τελυρέτης & στρογγυλοναύτης. Pollucis interpres castigatus. Nautæ qui vocati, & quæ officia ipsorum fuerint. Qui mesonautæ, anchorarii, urinatores, κυβισταὶ, carabitæ, scaphitæ, lintrarii, navicularii. Nautæ apud veteres contempti. Mulieres in navibus.

NAvium varietatem vidimus; ad militum & nautarum genera veniamus. Milites habuere velut in terrestri militia, plus tamen gravis armaturæ, quoniam stataria hic pugna. Plutarchus in Themistocle: *quælibet navis propugnatores e catastromatis pugnaturos habuit octodecim, ex his quatuor fuere sagittarii, reliqui gravis armaturæ milites*. Latini *Classiarios* nuncupaverunt hosce milites. Nepos in Miltiade cap. VII. *Utrisque venit in mentem, signum a classiariis regiis datum*. Hirtius, vel quisquis est Alexandrini belli scriptor: *In his rebus occupato Cæsare, militeque hortante, remigum magnus numerus & classiariorum, ex lon-*

gis navibus nostris in molem se ejiciunt. Ita Tacitus Annal. XV. cap. 51. *Primores classiariorum Misenensium labefactare connixa est*. Sed aliquando nautæ sunt. ut apud Hirtium non procul ab allato loco. *Non jam virtute propugnatorum, sed scientia classiariorum se victos vident*. Hic scientia classiariorum ea est, quam Cæsar lib. I. B. C. artificium nautarum & scientiam gubernatorum nominat. *Propugnatorum* nomine, quod habet Hirtius, pro classicis militibus, Livius quoque utitur lib. XXXII. cap. II. *Navis*, inquit, *rostris icta supprimitur, telis obruuntur propugnatores*. Etiam *Epibatæ* vocantur, sicut apud Græcos, ita etiam Latinos. Suidas. ἐπιβάτης. οὕτως ἐκάλουν τοὺς ἐν τῇ τριήρεσι στρατευομένους. *Epibatas vocant militantes in triremibus*. Etymologicum Sylburgii. ἐπιβάται λέγονται οἱ μὴ ἐρέσσοντες, ἀλλὰ μαχόμενοι. *Epibatæ dicuntur, qui quidem non remigant, sed pugnant*. Ita Vitruvius lib. II. c. 8. milites interpretatur, quos paulo ante epibatas appellaverat. Forte quoniam in pugna tabulata, si catastromata conscendere consueverant, & inde adversus hostes pugnare. Ita enim Thucydides in VII. τοξόται καὶ ἀκοντισταὶ ἐπιβήσονται. Non tamen omnibus in locis justos milites significant. Quod ex eo manifestum, quia subito armatos, leviumque militum loco habitos reperimus. Nam si justi fuissent milites, quid armatura ista opus erat? At Hirtius ita, bello Africano: *Cæsar interim remigum epibatarumque partem ex classe Gallorum Rhodiorumque armare, & in castra evocare, uti si posset eadem ratione, qua adversarii, levis armatura interjecta inter equites suos, interponeretur*. Et Thucydides in VII. καὶ ὁ μὲν Γύλιππος ἀναλαβὼν τῶν τε σφετέρων ναυτῶν τοὺς ὡπλισμένους ἑπτακοσίους, μάλιστα ἐχώρει πρὸς τὰς Συρακούσας. *Gylippus e suorum nautarum epibatarumque numero, quos armaverat, sumtis pergit Syracusas*. Remiges tamen non fuere. Patet inde, quia ut diversi ab ipsis ponuntur. Hirtius superiore loco: *Remigum epibatarumque partem*. Junius apud Stobæum Serm. CXIII. οὐδ' αὖ νεὼς ἐρέτης τὶς ἢ ἐπιβάτης. Videntur itaque epibatæ ex nautis dicti, qui, cum necessitas requireret, vice militum pugnabant. Hinc enim Suidas in superiori loco adjicit, καὶ μὴ κωπηλατοῦντας μὲν, ἐπιτηδείους δὲ πρὸς τὸ μάχεσθαι. quorum verborum hic videtur sensus. Omnes quidem milites epibatas vocatos, at præter hos etiam μὴ κωπηλατοῦντας μὲν, hoc est, qui non quidem remiges, nautæ tamen essent, & ad pugnam præliumque adhiberi possent. Hæc de militibus. Nautæ sequuntur; quos antiquis quidem temporibus, non alios quam milites habuere, si excipias gubernatores. Autor Thucydides in I. ex Homero, cujus de hac re hos versus legas.

—— ἐρέται δ' ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα
Ἐμβέβασαν τόξων εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι.

Hinc Seneca in Agamemnone, de Græcis ad Trojam Act. III. vers. 417.

Jamque ense fessum miles exonerat latus,
Neglectaque summas per puppes scuta jacet,
Ad militares remus aptatur manus.

Græcis hoc genus αὐτερέται dictum est. Pollux lib. I cap. 9. Αὐτερέτης. οὕτω Θουκυδίδης ὠνόμασε τοὺς καὶ ἐρέττοντας καὶ ἀπομαχομένους. *Auteretes. Sic Thucydides vocavit, qui & remigant, & pugnant*. Suidas. Αὐτερέται οἱ ἐλαύνοντες καὶ μαχόμενοι. οἱ αὐτοὶ καὶ ἐρέται καὶ ὁπλῖται. *Auteretæ, qui remigant, & pugnant; qui simul & remiges, & milites*. Meminit & Constantinus Imperator Novella III. a Leunclavio emissa. αὐτόστολοι καὶ αὐτερέται βαρείας μετιᾶσι τὰς ὑπη-

ρεσίας. Postea cum naves melius ad bellum instrui ceperunt, præter milites, certos etiam legerunt nautas, iisque curam navium commiserunt. E quibus alii fuerunt *remiges*, alii aliis muneribus destinati, qui iccirco specialiori nomine *nautarum* appellati sunt. Cæsar lib. III. de bell. Gall. *Interim naves longas ædificari, remiges ex provincia institui, nautas gubernatoresque comparari jubet*. Vegetius lib. IV. cap. 43. *In nautis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur*. Ambo nautas a remigibus distinguunt. Sic & apud Græcos nautæ aliquando, remigesque sunt diversi, ut apud Plutarchum in Demetrio: Ναύταις δὲ χωρὶς ἐρετῶν ἐξηρτυμένην τετρακοσίοις, ἐρέταις δὲ τετρακισχιλίοις. Appianus lib. de Bell. Pun. οὐδενὸς ναύτου παρόντος, οὐδ' ἐρέτου ὅλου αὐτοῦ τοῦ ναυστάθμου κρατῆσαι. Observavit hoc & Pollux, diligentissimus Grammaticus. itaque hoc ordine recensuit lib. I. c. 9. οἱ ἐμπλέοντες, κυβερνήτης, πρωράτης, ναύτης, ἐρέτης. Et lib. VIII. cap. 33. Κυβερνῆται, πρωρᾶται, ἐρέται. ναῦται. Sunt autem remiges, qui remis utuntur, iisque naves impellunt. Græcis κωπηλάται, vel ἐρέται. Etymologus. Ἐρέτης, ὁ κωπηλάτης. παρὰ τὸ ἐλῶ, τὸ ἐλαύνω, ἐλέτης καὶ ἐρέτης. Dicuntur etiam πληρώματα. Polybius Hist. I. οἱ δὲ τὰ πληρώματα συναθροίζαντες, ἐδίδασκον ἐν τῇ γῇ κωπηλάττειν τὸν τρόπον τοῦτον. Tribuitur hoc loco τοῖς πληρώμασι, τὸ κωπηλάττειν: unde manifestum est, de remigibus accipiendam eam vocem. Sic Plutarchus in Antonio, segnes Antonii, minusque expeditas naves fuisse refert, propter paucitatem πληρωμάτων, quod intelligit non potest, nisi de remigibus. Et Polybius Hist. I. quando de Pœnorum classe illiusque tarditate agit, etiam hanc reddit caussam. τὰ δὲ πληρώματα, inquit, τελέως ἦν ἀνάσκητα, καὶ πρὸς καιρὸν ἐμβεβλημένα. Xenophon Hist. I. Κόνων δ' ἔφευγε ταῖς ναυσὶν εὖ πλεούσαις διὰ τὸ ἐκ πολλῶν πληρωμάτων, ἐς ὀλίγας ἐκλελέχθαι τοὺς ἀρίστους ἐρέτας. Polyænus lib. I. Τοὺς ἀρίστους ἀπὸ τῶν πληρωμάτων ἐρέτας ἐμβιβάσας, ἐκέλευσε ἐν τοῖς σκάφεσιν ἡσυχάζειν. Notant tamen Scholia Thucydidis, quandoque omnes, qui in navibus, hac voce significari. τὰ ὄντα δὲ, inquit, καὶ τὰ ἀπαναλισκόμενα καλεῖ, οὐ μόνον τὰς πολεμικὰς παρασκευὰς, ἀλλὰ καὶ (ὃ καὶ μάλιστα νοητέον) αὐτοὺς τοὺς ἀνθρώπους, οἳ καὶ τὰ τῶν νεῶν κυριώτατα πληρώματα καλοῦνται. Polybius ὑπάρχοντας vocavit, lib. X. Hist. τοὺς δὲ ἐργαστάτας, inquit de captivis a Scipione opificibus, προσέμιξε τοῖς αὐτοῦ πληρώμασι ἐποίησε διπλασίους εἶναι τοὺς ὑπάρχοντας τῶν προγενομένων. A Latinis *Socii* nominantur. Clare Livius lib. XXVI. cap. 35. *Senatum postero die habuerunt de remigum supplemento, ubi cum multa disseruissent, cur æqua plebis recusatio esset, verterunt orationem eo, ut dicerent, privatis id, seu æquum, seu iniquum onus, injungendum esse. nam unde, quum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios*. Vides, socios navales appellare, quos paulo ante remiges vocaverat. Sic lib. XXI. cap. 50. *Eludere Pœnus, & arte, non vi rem gerere, naviumque, quam virorum aut armorum malle certamen facere. Nam ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebat*. Hic sane socii navales nihil aliud, quam remiges. Ideo enim navibus potius certare voluerunt, quia remigio prævaluere. Idem auctor lib. XXII. capit. II. a militibus distinguit: *Consul*, ait, *Hostiam proficisci jussus, navibus, quæ ad urbem Romam aut Hostiæ essent, completis milite ac navalibus sociis, persequi hostium classem*. Servius ad lib. I. Æn. *Quidam socios pro remiges accipiunt, sed illi socii navales appellantur*. Et retinent hoc nomen etiam hodie apud Batavos, quibus *Bootsgesellen* nuncupantur. Observa tamen aliquando sicut a militibus, sic & remigibus distin-

gui, & haud dubie id genus denotare, de quo ante actum eſt. Livius lib. XXXVI. cap. 16. *Non milites ſolum, ſed etiam navales ſocios, remigum turbam, quibus quiſque poterat, telis armatos in prælium eduxit*. Et præcedente cap. 10. *Non remigem, non ſocios navales ad claſſem frequentes habiturum.* Licet hoc in loco ſocii, milites navales ſignificare videantur. Quemadmodum & lib. XXVI. cap. 48. ubi quos antea ſocios vocavit, poſtea claſſicos interpretatur. Verba hæc ſunt: *Duo coronam muralem profeſſi ſunt. Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Seg. Digitius, ſocius navalis. Nec ipſi tam inter ſe acriter contendebant quam ſtudia excitaverant uterque ſui corporis hominum. Sociis C. Lælius præfectus claſſis, legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat*. Contendunt igitur hic ſocii navales inter ſe, & milites legionarii. Sed mox Lælius, *ſtare*, inquit, *hinc legionarios milites, hinc claſſicos, per omnes deos paratos jurare, magis quæ velint, quam quæ ſciant, vera eſſe*. Sunt ergo ſocii hoc loco iidem, qui claſſici: milites nimirum, & non remiges. Niſi hic per claſſicos non quidem remiges, ſed nautas intellectos velis, quod a vero alienum non videtur. De iis autem, qui naves in navalibus parabant, cogitare, cum hæc vox occurrit, nihil attinet: nunquam enim iſtos homines, ut perperam in magno opere Vir eruditus tradidit, ſignificat. Porro reliquis in navibus unum genus remigum, at in iis, quæ ordinibus quibuſdam fuerunt inſtructæ, verſuſque habuerunt in altum, triplex fuit. Primum *Thalamiorum*, ſecundum *Zygitarum*, tertium *Thranitarum*. Thalamii in ima navis parte remigabant, Zygitæ in media, Thranitæ in ſuprema. Scholiaſtes Ariſtoph. in Batrach. τῶν ἐρεττόντων οἱ μὲν ἄνω θρανῖται λέγονται, οἱ δὲ μέσοι, ζυγῖται, οἱ δὲ κάτω, θαλάμιοι. *Remigantium quidam in ſummo remigant, & Thranitæ vocantur, quidam in medio, & dicuntur Zygitæ, quidam in imo, & appellantur Thalamii.* Et alibi. ἦσαν τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν. καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμῖται, ἡ δὲ μέση ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται. *tres erant ordines remigum, infimus in quo thalamitæ, medius in quo zygitæ, ſummus in quo thranitæ*. Ita Etymologicum Magnum. ὁ κατώτατος ἐρέτης, θαλάμιος λέγεται, ὁ δὲ μέσος, μεσοζύγιος, ὁ δὲ ἀνώτατος, θρανίτης. *Imus remigum thalamius dicitur, medius vero meſozygius, ſupremus, thranites.* Suid. Τῶν ἐρεττόντων οἱ μὲν ἄνω, θρανῖται λέγονται, οἱ δὲ μέσοι ζυγῖται, οἱ δὲ κάτω θαλαμῖται. Meminit & Pollux clare: καλεῖται δ' αὖ καὶ θάλαμος, οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι, τὰ δὲ μέσα τῆς νεὼς, ζυγὰ, οὗ οἱ ζυγῖται κάθηνται, τὸ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα, θρᾶνος, οὗ οἱ θρανῖται. *dicitur autem thalamus, ubi thalamii remigant, mediæ vero navis partes Zyga, ubi Zygitæ conſident, quod autem prope cataſtroma, thranus dicitur, & ibi thranitæ ſunt*. Obſerva ultima verba, quibus thranitæ prope cataſtroma fuiſſe demonſtrantur. Perſpicue enim oſtendunt, remigum hos ordines non in longum, quod factum eſt a Bayſio, ſed in altum numerari oportere. Idem etiam confirmat Appianus, quando in prælio apud Actium roſtro perforata nave aliqua in prora, thalamitas quidem, id eſt imi verſus remiges in aqua ſcribit periiſſe, reliquos autem rupto cataſtromate ſervatos eſſe. Verba hæc ſunt. ὁ δὲ Ἀγρίππας ἵετο μάλιστα δι᾽ εὐθὺ τῆς Παπίου, καὶ αὐτῇ κατὰ τὴν ἐπωτίδα ἐμπεσὼν, κατέσεισε τὴν ναῦν, καὶ ἐς τὰ κοῖλα ἀνέρρηξεν, ἡ δὲ τούς τε ἐν τοῖς πύργοις ἀπεσείσατο, καὶ τὴν θάλασσαν ἀθρόως ἐδέχετο, καὶ τῶν ἐρετῶν οἱ μὲν θαλαμῖται πάντες ἀπελήφθησαν, οἱ δ᾽ ἕτεροι τὸ κατάστρωμα ἀναρρήξαντες, ἐξενήχοντο. *Agrippa navim Papiæ petebat maxime, ictamque ſub prora & concuſſam perfregit circa carinam: qui in ejus turribus ad propugnandum conſtiterant, excuſſi ſunt, & mare in navem admiſſum obruit thalamitas omnes, reliqui perfracto cataſtromate enatarunt*. Et ita de Thranitis Polybius libr. XVI. ταύτῃ δοῦσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τὸ κύτος ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν ἐδέθη. *in hoc violento impetu impacta circa medium alveum, ſub ſcalmo Thranitarum illapſa hæſit*. Ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, aut κατὰ μέσον dicere non potuiſſet, ſi thranitæ non fuiſſent in ſummo. Θαλαμίων porro ſeu Thalamiorum etiam ſeorſim meminit is Ariſtophanis interpres, quem dixi, idque in Ranis, ubi τῷ θαλάμακι interpretatur τῷ κωπηλατοῦντι ἐν τῷ κάτω μέρει τῆς τριήρους. Θρανιτῶν vero, ſive thranitarum in Pluto, quando ait: νηὸς θρᾶνος, ὅθεν καὶ θρανίτης. ἐτυμολογεῖται δὲ παρὰ τὸ θορεῖν ἄνω. Jam Ζυγῖται, quia in medio navis fuerunt, etiam μεσόνεοι vocati putantur. Ita enim vult ad Vitruvium Caſtilionius ex Ariſtotele, cujus tamen locus nobis non ſatis arridet. Alii quippe fuiſſe videntur, ut deinde dicam. Sed hic quærat aliquis, an ſinguli ex his remigibus ſuos apud veteres habuerint remos, num plures potius ad unicum agendum fuerint conſtituti. Sunt enim, ſicut ante indicatum, qui ad noſtrarum Galearum formam antiquarum triremium, & quadriremium ſtructuram metiuntur. Notum autem in his noſtris vulgo quinque remiges ad quemque remum ſedere. Quare & in illis totidem, vel plures etiam, ut in majoribus, cuique remo aſſignant. Et modo quinque, modo quindecim, modo quadraginta remiges, eoſque non imbecilles, ſed robuſtos membriſque vigentes, ad remos ſingulos attribuunt. Verum ut hæc facile dicuntur, ita difficillime probari poſſunt. Neque enim quenquam ſcio ex veteribus, cujus teſtimoniis ſuffulciantur. Equidem, ut de minoribus navigiis primum dicam, certum eſt, nec a quoquam dubitatum, remiges in iis ſingulos, vel unum remum, ſi navis eſſet ex celocium genere, vel duos ſimul, ſi ex amphericarum, habuiſſe. Idem conſtat & de actuariis. Nam Scholia Thucydidis de triacontoro, quæ remos habuit triginta, τριακόντορος ἡ ὑπὸ τριάκοντα ἐρεσσομένη. *triacontorus, quæ a triginta viris impellitur*. Etiam de longis ambigi non poteſt, cum Etymologus de pentecontoro, quem quinquaginta remos habuiſſe demonſtratum eſt, πεντηκόντορος ναῦς, ἡ ἔχουσα πεντήκοντα ἐρέτας. *Pentecontorus, navis eſt, quæ habet quinquaginta remiges.* & Homerus Philoctetæ navibus, quas interpretes, & omnes eruditi pentecontoros fuiſſe teſtantur, non amplius quam quinquaginta remiges attribuit. Nec in poſtremo genere rem aliter ſe habuiſſe puto. Quinqueremem certe remos quadringentos habuiſſe Silius nos docet. At eandem quadringentorum remigum opera incedere Plinius dicit. Unde non plures remiges, quam remos habuiſſe, manifeſtum eſt. Jam ſi hoc in quinquereme fuit, quid de quadrireme, aut trireme, vel bireme exiſtimandum? Quid? quod qui in ſupremo verſu remigabant, amplius ſtipendium acciperent, quam qui in imis, ſicut alias patebit. Idque ideo, quia longioribus & gravioribus remis, quam cæteri, utebantur. At ſi non ſinguli, ſed plures ſimul unum remum agitarunt, quæ quæſo cauſa fuiſſet, cur plus acciperent mercedis, quam ii, quorum pro ſe quiſque unum ſolum concitabat. Labor certe horum ſi non major, æqualis ſaltem fuit. Itaque in cunctis navibus unumquemque remigem unum, eumque proprium remum habuiſſe credendum eſt. Fieri tamen potuit vel ob feſtinationem, vel per alias neceſſitates, ut interdum plures adhiberentur. At ordinarie id factum eſſe, niſi forſan in ingenti aliqua, ex nullo veterum probabitur. Porro ſicut remiges ex ordinum diverſitate certa habuerunt nomina, ſic & ex varietate navium alia aliaque accipiebant.

Nam τειηρέται dicebantur, qui in triremibus, στρογγυλοναῦται, qui in onerariis remigabant. Pollux lib. VII. cap. 33. ἐρέται, ναῦται, καὶ στρογγυλοναύτας Ἀριστοφάνης λέγει. Nullo sensu, ac ne Latina quidem voce, *nautas turbinarios*, interpres reddidit. Idem auctor alio loco, ναύτης, ἐρέτης, τειηρέτης. Apud eundem legimus & πρόκωπον, & ἐπίκωπον. quorum nominum alterum eum remigem significat, qui in versu suo primus sedet ad proram, alterum illum, qui postremus est ad puppim. Baysius, & qui cum eo faciunt, θρανίτας & θαλάμακας appellant. Nisi potius invertendum sit, primusque dicendus ille qui in puppi, postremus qui in prora navigabat. Nam & puppis pars navis dignior, & vultum obversum habebant puppi, non proræ, sicut vides in biremi veteri, ex Baysio capite antecedenti proposita. Legimus & Μονερέτην apud Philippum, & Antipatrum in Antol. Epigram. cujusmodi est is, qui solus remigat, exemplo Charontis, de quo dictum est in præcedentibus. Posset etiam sic appellari, qui monerem agit. Et hæc quidem de remigibus. Nautæ vero sunt, qui malos scandunt, qui per foros cursitant, qui sentinam exhauriunt, quemadmodum a Cicerone describuntur. Ex his quisque suum habuit officium, quo cuncta meliore ordine, & sine turba expedirentur. Unde Heliodorus lib. V. de prædonibus navigationum imperitis: *Quælibet navigationis pars a quovis obvio extempore & inconsulte tractabatur*. Et apud Flaccum in Argonauticis, ut & Apollonium, alius velis explicandis destinatus est, alius erigendo malo, alius antennæ suspendendæ, & quæ alia sunt hujus generis. Eum qui vela administrat, lex Rhodia §. 36. ἀρμενιστὴν appellat. Qui malum scandere solebat, Lucianus sic describit, in πλοίῳ. Ἐπὶ πολὺ παρὰ τὸν ἱστὸν ἕστημεν ἀναβλέποντες, ἀριθμοῦντες τῶν βυρσῶν τὰς ἐπιβολὰς, καὶ θαυμάζοντες ἀνιόντα τὸν ναύτην διὰ τῶν κάλων, εἶτα ἐπὶ τῆς κεραίας ἄνω ἀσφαλῶς διαθέοντα, τῶν κεροιάκων ἐπειλημμένον. *Juxta malum aliquandiu stetimus sursum spectantes, numerantes vela alia aliis imposita* (coria interpres perperam reddidit) *& mirantes ascendentem per rudentes nautam, deinde per antennam superne tuto adeo currentem, apprehensis antennarum cornibus*. Ovidius Metamor. lib. III. Fab. 9.

—— pro nobis mitte precari
Dyctis ait, quo non alius conscendere summas
Ocyor antennas, prensoque rudente relabi.

Hinc Sidonio *Schoenobatæ*, si Savaroni credimus. Munus eorum fuit, partim ut aptarent vela, partim ut adventus hostium specularentur, locorumque conditiones significarent. De priore Silius testatur lib. III. Bell. Pun. ver. 128.

Jamque adeo egressi steterant in littore primo.
Et promota ratis pendentibus arbore nautis,
Aptabant sensim pulsanti carbasa vento.

Sic Lucanus lib. II. vers. 697.

Strictaque pendentes deducunt carbasa nautæ.

De posteriore Livius lib. XXX. cap. 25. *Annibale jam terræ appropinquante jussus e nautis unus ascendere in malum, ut specularetur quam tenerent regionem*. Et Hieronymus in Epist. ad Rusticum. *Navigantes rubrum mare multis difficultatibus ad urbem maximam perveniunt, latentibus saxis vadisque durissimis, ita ut speculator doctus in summa mali arbore sedeat, & inde regendæ & circumflectendæ navis dictata prædicet*. Patet ex hoc lo-

A co etiam de flectenda navi in periculosis locis admonuisse gubernatorem, & *Speculatores* Latinis dictos esse. Festus *Corbitores* appellavit, quoniam in corbe mali speculabantur. In lege Rhodia §. 36. βιγλίων φρουροὶ appellantur. Eorum quoque qui per foros cursitant distinctum genus est a cæteris. Maximus Tyrius: Non tantum Gubernatoris, sed ne remigis quidem fungi velles munere, οὐδέ τις τῶν διαθεόντων καὶ ξυνεπιλαμβανόντων τῆς σωτηρίας τῆς νεώς, *imo nec javare eos, qui discurrunt, & aliquid ad salutem navis conferunt*. Patet ex hoc loco illos fuisse, qui ad omnia parati erant ministeria. Quos *mesonautas* alias vocabant. Cœlius
B Rhodiginus lib. XXV. cap. 40. *Mesonautæ leve quoddam servitii genus in navibus, quorum una functio est, ut omnibus pareant*. Stephanus: Μεσοναῦται, *medii inter nautas & vectores, quales fere sunt mediastini in domo*. Meminit & Ulpianus lege I. ff. Nautæ, Caup. Non debet (inquit Pomponius) per remigem aut *mesonautam* obligari, sed per se, vel per navis magistrum. Quanquam alia hic ejus vocis videatur esse sententia, accipique pro hortatore vel Celeusta, uti docet Gothofredus, eumque sequens Vinnius in notis ad Tit. Naut. Caup. a Peckio illustratum. At ex illis
C alii quidem sentinam exhauriebant, quorum mentio fit a Valerio lib. I. cap. 6. & Ovidio in fabula Halcyonis. Alii anchoræ demittendæ levandæque habebant curam. Leo. Τῶν δὲ πρωρέων ἐλατῶν, οἱ τελευταῖοι δύο, ὁ μὲν ἔσω συφωνάτωρ, ὁ δὲ ἕτερος ἀγκύρας βάλλων κατὰ θάλασσαν. Observa proprium quidem suum quemque ex nautis habuisse munus, sæpe tamen unum quendam plura. Nam proretæ munus alias diversum est. Jam si anchora hæsisset pertinacius, *Urinatores* habuere, quorum hoc erat officium, ut sub aquas se demitterent, & anchoram liberarent. Lucanus lib. III. vers. 697.

D *—— pugna fuit unus in illa*
Eximius Phocæus animam servare sub undis
Scrutarique fretum, si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,
Adductum quotiens non senserat anchora funem.

De his intelligendus Statius lib. III. sylv. ver. 208. ubi ait: Pars

Uncaque submersæ penitus retinacula vellent.

E Dicebantur autem Urinatores ab *urinare*, quod est mergi in aquam inverse, ut mox convertare, sicut urnæ solent, quibus aquas e puteis haurimus, quæ & hinc dictæ videntur. Varro lib. IV. de L. L. *Urnæ dictæ, quod urinant in aqua haurienda, ut urinator. Urinare est mergi in aquam in urbum, fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus*. Solebant nimirum, cum se immittebant aquæ, capite primum id facere, non pedibus, & dein sub aquis se erigere. Unde & a Græcis κυβιστῆρες dicebantur. Etymologus. Κυβιστᾶν τὸ ἐπὶ κεφαλῆς πηδᾶν. ἐξ αὐτοῦ κυβιστὺς, καὶ κυβιστὴρ, ὁ κολυμβητής. *Κυβιστᾶν est capite primo de-*
F *sultare, unde κυβιστὴς est dictus, hoc est, urinator*. Observa etiam κολυμβητὰς vocatos. Pollux lib. VII. cap. 31. ὑδροκολυμβηταὶ, ὕφυδροι, κολυμβηταί. Jam ut facilius se erigerent, majoreque celeritate corpus sub aquis jactarent, spiritum continebant. Reddit enim spiritus compressus corpus levius, & ad superiora propellit. Aristoteles apud Ælianum lib. XII. cap. 12. Anim. *Quemadmodum urinatores animam continent, sic Delphinus primo comprimit; deinde corpus sicut sagittam*

A *nervo expulsam jaculatur. Nam spiritus intus compressus, & illum, & urinatores compellit, ac jaculatur.* Hoc est, quod ait Seneca de Ira lib. II. cap. 12. *didicerunt quidam in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi vice perpeti maria.* Interim, ut melius sub aquis viderent, cum quid mersum esset extrahendum, oleum, quo plenam habere buccam solebant, difflabant. Plutarchus in Quæst. Nat. *Urinatores dicuntur oleum in os sumere, eoque efflato lucem in fundo habere, ac perlucidam reddere aquam, ubi lapsum spiritum adducere non est integrum.* Quomodo hoc olei ope fiat, ostendit Plinius lib. II. cap. 106. *Mare omne*, inquit, *oleo tranquillatur. Et ob id urinantes* B *ore spargunt, quoniam mitigat naturam asperam, lucemque deportat.* Habet sua Plinius ex Aristotele, ut ex prædicto Plutarchi loco apparet, qui sic de hac re ajebat. *Spiritus a levitate delabens, ictum nullum infert, neque fluctum ciet.* Ne vero infestarentur a piscibus (quod non raro factum docet casus Tharsi Charmidis, quem describit Leonidas lib. III. Epigr. Titul. de Naufr. car 66.) volas manuum, & vestigia pedum denigrabant, quia illæ partes præ cæteris in aquis lucentes, pisces alliciunt. Ælianus lib. XV cap. II. *Cum plerique pisces carnivori sint, urinatores,* C *qui maris interiora scrutantur, manuum volas, & pedum vestigia denigrant, ut partium istarum splendor obscuretur. Hæ enim præ ceteris humani corporis partibus in aqua lucere, & pisces ad se allicere solent.* Nimirum sæpe longo tempore sub aquis delitescebant, unde ejusmodi remediis opus fuit. De Scyllia Sicyonio res nota est ex Herodoto, potuisse eum per octoginta ferme stadia sub undis, ut a nemine conspiceretur, natare. Memorat similes Alexander Genial. dier. II. cap. 21. Maffejus lib. II. Hist. Indic. de tota gente Brasiliensium: *Natandi arte ad miraculum usque præcellunt. Sub aquis totas interdum horas, ubi quippiam in imo* D *quærendum est, patentibus oculis urinantur.* Hi ergo urinatores anchoras tollebant, aut res etiam alias aquis submersas educebant. Unde de iis Manilius Astronom. V.

Exportantque maris prædas, & rapta profundo
Naufragio, atque imas scrutantur arenas.

Pretium erat pars tertia ejus, quod extrahebatur, sive aurum foret, sive quid aliud, si eductum esset e profundo octo cubitorum: si e profundo cubitorum quindecim, pars dimidia, ex Legis Rhodiæ E §. 47. cujus hæc sunt verba: *Si aurum vel argentum, vel aliud quidpiam ex profundo sursum latum fuerit a cubitis octo, tertiam partem accipiat is, qui conservat: sin a quindecim cubitis, semissem consequitor, qui conservat, propter periculum profunditatis.* Nec in his tantum usus eorum erat, sed vel maxime in bello. Sic apud Thucydidem lib. VII. vallum Syracusanorum latens sub aquis proscindunt ferris. Apud Arrianum lib. II. de Exped. funes anchorarios sustinentes hostium naves dilacerant. Solebant & hostiles naves terebrare clam sub aquis. Testatur, ut alii, sic Matthæus Paris. A. 1191. *Tandem*, ait, *a quibusdam* F *Regis Richardi mersoribus ipsam subtus aquam invadentibus, locis quamplurimis terebratur.* Citat locum Vossius lib. III. Gloss. cap. 25. ubi mersores vocatos esse sequiori ævo pulchre observat. Etiam in ipsis præliis operam suam præstabant, prehendendo adversarios, eosque secum mergendo in profundum. Uti de Phocæo, quem jam supra memoravimus, refert Lucanus, quando ita canit:

Hic, ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor, & incolumis summas remeabat in undas.

Itaque nec paucorum hæc ars fuit, sed publice etiam apud Romanos exculta est. Hinc in lapidibus vetustis corpora urinatorum legimus. Gruterus in Inscrip. p. 391.

PATRONO. CORPORIS. PISCATORUM. ET. URINATORUM.

Patet piscatores ferme se exercuisse in hac arte, quod ex alia inscriptione apud eundem confirmatur, quæ extat Romæ ad Portam Portuensem

FL. ANNIO. ANNÆO. LEMONIA. FORTUNATO. PISCAT. URINATORI. Q. Q. III.

Præter hos & *carabitas* habuere, qui carabis præerant. De his est caput legis Rhodiæ, quod de mercede carabitæ agit. Alias *Scaphitæ* dicebantur, ut apparet ex Demetrio Phaleræo, a Gyraldo laudato. Munus ipsorum nemo melius Petronio docuerit. Sic autem ait: *Miror tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque jacere in scapha, nec posse inde custodem nisi aut cæde expelli, aut præcipitari viribus.* Scilicet, si quid forte nuntiandum prætervehentibus, si quid aliud agendum fuit in mari, id hi faciebant. Propterea Glossarium Novi Testamenti, cujus alias meminimus, *scapham in qua excubabant, catascopum* interpretatur. Ulpianus l. I. ff. Caup. Stab. *lintrarios* vocavit. Reperiuntur quoque *helcyarii* in navibus, qui onera & alia hujusmodi in naves trahebant, & ex iis rursum educebant. Mentio eorum, apud Martialem, Firmicum, & alios. Apud Sidonium ep. 10. lib. II. videntur potius significare eos, qui fune per adversum flumen trahunt naves: verba hæc sunt:

Curvorum hinc chorus helciariorum
Responsantibus alleluja ripis.

Atque ita exponit Savaro, itemque Laurenbergius in utilissimo Antiquario. Notandum autem, quod *curvorum* ait, videtur id enim esse a labore, quia cernui trahebant; & forsan pœna fuit in aliquibus. Ausonius profecto in Mosella I. vers. 41.

Et cum per ripas nunquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.

Ita est in editione Scaligeri. Sed versus exigit, ut mulorum legamus, quomodo mulorum ope hoc factum in fossa Appia alibi ex Strabone vidimus. Apud Ambrosium *thalassometras* legimus, & ii videntur, qui plumbo maris altitudinem explorabant. Denique & fabros navium ad hoc genus referimus. Nam & ipsos veteres in navibus habuere, ut si quo casu navis pateretur damnum, ipsi præsto essent. Ναυπηγὸς appellavere Græci. Latini imitatione hujus vocis, *naupegos*. Leo Imperat. ἐχέτω καὶ ναυπηγὸν μετὰ πάντων τῶν ἐργαλείων αὐτοῦ, ἕνα τῶν ἐλαττόνων. Sic Argonautæ Argum habuere. Flaccus lib. I.

Arge tuæ tibi cura ratis, te mœnia doctum
Thespia Palladio dant munere, sors tibi ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
Vel pice, vel molli concludere vulnera cera.

Idem etiam affirmat Apollonius in Primo, & Hy-

ginus in fabulis. Alias eorum Silius quoque meminit lib. VI. Bell. Pun. his versibus.

—— Jam nautica pubes
Aut silvis stringunt remos, aut abiete secto
Transtra novant ——

Cæterum hos omnes prisci pro vilissimis & abjectissimis habuere: unde Juvenalis Sat. VIII.

Invenies aliquo cum percussore jacentem
Permixtum nautis, aut furibus, aut fugitivis.

Et Horatius ex persona Canidiæ.

Dedi satis superque pœnarum tibi,
Amata nautis multum, & institoribus.

Vetus hic interpres: *Ex nimia Canidiæ libidine vilem significat eam fuisse meretricem, siquidem adamatam vilissimis, & cujusque sortis hominibus.* Quæ Cruquius hoc loco de nautis & institoribus disputat, supervacua sunt. Num & feminas in navibus secum habuerint, dubium est. Reperio tamen in antiquo lapide *Focariam* militis cujusdam *classiarii*. Extat ea apud Gruterum p. 1107.

D. M.
L. AURELI. VITA
LIS. MILITIS. CL.
PR. ANTONIAN.
RAVENN. VALERIA.
FAUSTINA. FOCARIA.
ET. HERES. EJUS.

CAP. IV.

De comparatione navium, militum, & nautarum.

Classis duplex, civium & sociorum. Civium quando Romæ instituta, quales naves, quove exemplo primum fabrefactæ. Polybius expositus. Duumvirorum navalium officium. Quo sumptu Romani naves ædificarint. Quando primum sumptu privato. Sociorum classes unde & quales. Græcorum classis domestica quando primum & a quo instituta: quot navium fuerit: quomodo comparata. Socia classis, a quibus habita. Classes voluntariorum. Milites apud Romanos an ex legionariis: quando proprii in classibus esse cœperint. Suetonii locus discussus. Milites classici minus honorati. Scripti e civibus Rom. vel a Sociis coacti. Idem factum apud Græcos. Nautæ vel conducti, vel ex libertinis scripti. Aliquando servi fuere, quod & ad nostra tempora permansit.

MUltiplex ac varium non navium modo, verum & nautarum genus veteres habuisse videmus. Ergo quibus modis sibi comparaverint dispiciamus. Primum autem observandum, Græcos pariter & Latinos duplicem plerumque habuisse classem; civium aliam, aliam sociorum. Civium classis apud Latinos Romæ fuit, in navalibus; ubi suo sumptu semper habuere præparatam jam inde a bello Punico primo, quo princeps animum, Polybio teste, ad hanc militiam appulere. Nam cum commodato navibus quibusdam acceptis ab amicis milites suos Messanam transportare cuperent, casu quinqueremis aliqua Carthaginensium in eos illata, capta est, quæ postea fabris exemplo fuit, ad quod classem integram ædificarent. Fuit ergo prima Romanorum classis quinqueremium potissimum, triremium paucarum. Numero centum & viginti navium. Quinqueremis autem illa, cujus usi sunt exemplo, Hannonis fuit. Zonaras in An. de Claudio Romano, *συνέλαβε Ἄννωνα τὸν καρχηδόνιον ἐκπλέοντα πεντήρει, καὶ παράδειγμα τοῖς Ῥωμαίοις τῆς κατασκευῆς τῶν νεῶν ἐγένετο. Claudius Pulcer Lilybæum prope abiit, & militibus in naves impositis Hannonem Carthaginensem in quinqueremi navigantem comprehendit, unde Romani exemplum fabricandarum navium petiverunt.* Cæterum quod Polybius tum primum ad rem navalem Romanos animum appulisse scribit, id non sic intelligendum, quasi nunquam ante usi fuissent classibus. Nam & ipse, & Zonaras classes Romanorum memorant, quibus in Siciliam trajecere, quæque aliquoties, priusquam ista Claudii, vel potius Duilii, efficeretur, tempestate deletæ sunt. Et duumvir ante cum decem navibus tectis explorasse littus Græciæ; Tarentinisque diu ante fœdus cum Romanis, quo cautum fuit, ne Romani ultra Promontorium Lacinium navigarent, intercessisse apud Appianum legitur. Igitur tunc ita animum ad classem adjecere, ut in posterum perpetuo in navalibus essent habituri. Ideo enim navalia instituerunt, ut ex iis, quotiens necessitas efflagitaret, naves deducerent. Hinc Livius lib. XLI. cap. 9. *Decem quinqueremes naves Prætori decernuntur, si deducere ex navalibus vellet.* Et lib. XLII. cap. 27. *C. Licinio negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus, in navalibus Romæ subductis, quæ possent usui esse, reficeret.* Fuisse in navalibus paratas naves, indeque, si necesse erat, deduci consuevisse ostendit. Paratas autem habebant opera fabrorum, quorum ibi stipendia perpetuo procedebant. Quemadmodum & Carthaginenses, de quibus Hirtius, vel alius, quisquis est, Alexandrini belli conditor. Et certe duo illi, quos Duumviros appellant, inter cætera vel præcipue hanc curam habuisse videntur, ne quid temere inordinateque fieret in navalibus. Cur enim alias *ornandæ reficiendæque* classis duumviri vocati fuissent? Livius lib. IX. cap. 30. *Duumviros navales classis ornandæ reficiendæque causa idem populus juberet.* Quanquam postea hæc cura Prætoribus Urbanis demandata sit, quotiens classe opus fuit. Livius lib. XXXIV. cap. 24. *M. Fulvio Prætori Urbano negotium datum est, ut quinqueremes novas quinquaginta faceret.* Et l. XXVII. cap. 24. *P. Licinio Varo Prætori urbis negotium datum est, ut naves longas triginta veteres reficeret.* Sic antedicto libro XXXIV. cap. 20. *Prætoribus Fulvio & Scribonio, quibus ut jus dicerent Romæ, provincia erat, negocium datum, ut præter eam classem, cui Atilius præfuturus erat, centum quinqueremes pararent.* Idem patet ex libri XXXVII. cap. 4. & libri XLII. cap. 27. ubi L. Arunculejus & C. Licinius, quibus cura parandarum & reficiendarum quinqueremium data, ambo Urbani Prætores fuere. Postulabat autem ista navium refectio pecuniam haud exiguam, cum etiam ad pentecontori unius structuram talentum fuisse impendendum, Polybius ostendat in Excerpt. Leg. 57. ubi ait: *Rex Ptolemæus legatum misit decem naves pollicens penteconteros. Achæi, quod esset munus dignum cui haberetur gratia, promissum cupide acceperunt. Accedit enim sumptus earum navium ad summam talentorum ferme decem.* Bonis igitur reipublicæ temporibus ex ærario eam desumebant. Si vero per calamitates bellorum exhaustum esset, privati onus illud in se recipere cogebantur. Id

A quod primum factum anno primi belli Punici octavo. In eo namque Polybius: *Erat autem conatus ille maxima ex parte quædam animorum contentio. Nam necessarii sumptus ad id propositi reipublicæ non erant, verum privatim cives pro suis quisque facultatibus contribuentes, plures unam simul quinqueremem ædificabant, & necessarios ad eam sumptus subministrabant.* Et Zonaras: *Sequenti anno bello navali propter crebras clades & impensas publice abstinuerunt. Sed quidam privatim navibus postulatis quos restituerent & prædam sibi vendicarent, varias clades hosti intulerunt.* Repetitum postea id aliquoties, quemadmodum apud Livium videmus. B Sociorum vero classem ex fœderibus habuerunt. Nam cum societatem cum gente aliqua vel civitate faciebant, ipso fœdere solebant constituere, ut hi unam darent navim, alii plures: ut in regione quidam sua darent, alii Romam deducerent: ut vacuam aliqui, quidam vero rebus omnibus instructam exhiberent. Cicero in Verrem v. *In ipso fœdere, quod cum Mamertinis ictum erat, sancitum atque perscriptum, ut navem dare necesse sit.* Et mox. *Quod a majoribus nostris fœdere assequi non potuerunt, id tot annis post, jure imperii nostri quotannis usurpatum ac semper retentum, summa in difficultate navium a C. Verre pretio* C *confecuti sunt.* Vides hic quotannis navem exigi consuevisse. Interdum autem fœdus tale fuit, ut quotiens Senatui & Populo placeret, naves mittere cogerentur. Appianus lib. de bell. Syr. *tradite elephantos quotquot habetis, naves quotquot imperabimus.* Aliquando tale, ut vel usque ad Oceanum, si imperassent, sumptu periculoque suo armatam ornatamque mitterent. Cicero prædicto loco. *In fœdere Mamertinorum cautum, ut navem vel usque ad Oceanum, si imperatur sumptu periculoque suo armatam ornatamque mittant.* Et ad hanc Romanorum consuetudinem D respexit Livius, cum ait lib. XXXVI. cap. 4. *de classe Carthaginensibus remissum, præterquam si quid navium ex fœdere deberent.* Et lib. XLII. cap. 40. *Frater Lucretii jussus ab sociis ex fœdere acceptis navibus, ad Cephaleniam classi occurrere.* Tenebantur autem istiusmodi fœderibus, præter illos, quorum nomina jam modo retulimus, etiam Rhegini, Locri, Urites, Velienses, Pestini, Neapolitani, Tarentini, & fortasse cuncti, qui oram maritimam habitabant, nisi quorum in fœderibus speciatim cautum esset, ne darent. Posterioribus temporibus integræ etiam regiones oneri huic subjectæ. E Nominatque Cicero Phil. XII. Syriam, Asiam, Bithyniam, Pontum, exque eis jus potestatemque naves imperandi Pompejo dari oportere decernit. Ita factum, ut non contemnendas classes, quotiens necessitas exigebat, ornare possent. Nam bello primo Punico centum viginti, ut vult Polybius, vel centum sexaginta navium, ut Florus ait, instruxerunt. Circa ejusdem belli finem Regulus trecentarum quinquaginta, Æmilius trecentarum sexaginta habuit. Bello Punico secundo minoribus viribus res in mari gesta, omnibus in terram adversus Annibalem, aut Carthaginenses ipsos versis. Legimus tamen apud Li- F vium lib. XXI. cap. 17. classem ducentarum quadraginta navium, quodque hic notandum, quinqueremium. Apparet enim ex earum comparatione cum triremibus, æqualem viribus & magnitudini Romanæ fuisse; atque non Græcorum modo, vel Macedonum, sed & Persarum classes celeberrimas superasse, sicut & Polybius testatur. Sequentibus temporibus majores classes habuere. Nam Appianus lib. I. Civil. Pompejum ait imperasse navibus sexcentis. Xiphilinus eundem in bello piratico mille naves habuisse, proindeque Agamemnonem vocatum esse scribit. Et hic forte maximus numerus, qui in Historia Romana reperitur. Athenienses vulgo classem habuere trecentarum triremium. Cicero in Verrem v. *Hic, te prætore, prædonum naviculæ pervagatæ sunt, quo Atheniensium classis sola post hominum memoriam trecentis navibus, vi ac multitudine invasit.* Isocrates in Panegyrico ait habuisse duplo plures naves, aliis Græcis universis, unde & de reliquorum classibus conjectari potest. Lycurgus tamen Rhetor, uti autor est Plutarchus in ipsius vita, effecit, ut deinde triremes quadringentas haberent. Quas & ipsas ab initio non multum aliter, quam Romani suas naves, comparavere. Nam proprias ædificarunt ipsi domi suæ. Idque primum omnium suasu & autoritate Themistoclis, sumpta pecunia ex vectigalibus & Fodinis, quam ante inter se partiri consueverant. Plutarchus in ipsius vita: *Primum vectigal Laureoticum ex argenti metallis partientibus inter se de more Atheniensibus, solus sustinuit ad populum ferre, ut hac omissa divisione, triremes ea pecunia ad bellum Ægineticum pararent. Exque ea pecunia centum triremes paratæ sunt, quæ cum Xerxe depugnaverunt. Mox deducens & detrahens paulatim civitatem ad mare pro statariis peditibus, ut ait Plato, nauticos eos & pelagicos reddidit.* Nepos cap. 2. *Cum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ex pecunia classis centum navium ædificaretur.* Observa primam horum classem centum navium fuisse, quem numerum deinde sic auxere, ut quadringentas haberent in navalibus, sicut dixi. At ista e vectigalibus triremium extruendarum ratio deinde mutata, Demosthene potissimum suasore, a quo res sic instituta legitur. Divisus erat universus populus in certas classes ratione opum, ita ut in unam conjicerentur, qui alios facultatibus longe antecederent. His pro necessitate temporum imperabatur publice, ut vel duodeni, vel seni, vel etiam terni, si respublica in summo discrimine esset, unam triremem instruerent, eamque suo sumptu, sua impensa reficerent. Quique ad hoc munus legebantur, eos τριηράρχους appellabant. Schol. Aristoph. & ex eo Suidas. Τριηραρχία λειτουργία παρ' Ἀθηναίοις δαπανηρά. ἔδει γὰρ τὴν τριήρη πάντα ἔχειν πρὸς πόλεμον εὐτρεπῆ. ἅπερ παρεσκεύαζεν ὁ εἰς τὴν λειτουργίαν ταύτην προβληθείς. *Trierarchia munus publicum est apud Athenienses, & sumptuosum: oportebat enim triremem habere per omnia ad bellum instructam, quam parare cogebatur is, cui hoc muneris imponebatur.* Demosthenes Orat. advers. Mid. κἀγὼ μὲν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐτριηράρχουν, ὅτε σύνδυο ἦμεν οἱ τριήραρχοι, καὶ τὰ ἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων οἴκων καὶ τὰς ναῦς ἐπληροῦμεν αὐτοί. *Ego illis temporibus fui trierarcha, quibus bini triremem instruebamus, & sumptus omnes e privatis nostris ædibus promebamus, & naves ipsas complebamus.* Docent hæc verba, sicut dixi, non eundem semper numerum fuisse illorum, quibus unam triremem reficere præcipiebatur. Deinde eos ipsos, qui reficiebant, non & complendæ ornandæque ejus habuisse onus, sed rempublicam. Hinc is ipse orator, paulo ante: τὰ σκεύη τοίνυν ὅσα δεῖ παρέχειν τὴν πόλιν τοῖς τριηράρχοις, ἐγὼ μὲν ἐκ τῶν ἰδίων ἀνήλωσα, καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδέν. *Armamenta, quæ publice præbenda sunt trierarchis, ego privatis sumptibus comparavi, nec e publico accepi quidquam.* Quod ultimo adjectum est, ostendit eos, qui sua opera præcipue rempublicam volebant adjutam, nil a civitate cœpisse, sed suo sumptu cuncta comparasse. Aliquando hæc a cæteris civibus solebant exigere, facto ea de re Sena-

A Senatusconsulto. Declarat idem in Orat. in Evag. ψηφισμάτων δ' ὑμετέρων δήμου καὶ βουλῆς, καὶ νόμου ἐπιτάξαντος εἰσέπραξα τοῦτον, ὀφείλοντα τῇ πόλει σκεύη τριηραρχικά. *Decretis vestris, populo, senatu, legibus mandantibus, exegi ab eo navalia instrumenta, quæ reipublicæ debebat*. Apparet, certos quosdam etiam huic rei exhibendæ ex civibus fuisse destinatos. Quorum nomina, si necessitas exigeret, in tabulis consignata, præfectis navalium dabantur a Senatu, ut scirent, a quibus instrumenta capere deberent. Vulgo enim, non trierachi, sed præfecti navalium, instrumenta ista cogebant,
B ut in promptu essent, si respublica indigeret. Idem auctor paulo post: παρέδωκε τοὺς ὀφείλοντας τὰ σκεύη τῇ πόλει τοῖς νεωρίων ἐπιμεληταῖς. *Dedit nomina eorum, qui instrumenta navalia civitati debent, navalium præfectis*. Quod dixi de Demosthene, id ex integra oratione ejus de Trierarchia constare potest, & nos alio loco plura de hac re scribemus. Jam Sociorum classem fere pariter obtinuere, quemadmodum Romani. Nam quicunque societatem cum ipsis inibant, statim naves aliquas se præstituros pollicebantur. Quocirca Thucydides de Chiis, sociis Atheniensium, lib. VII. *Tributorum quidem immunes sunt,*
C *sed navibus præstandis obnoxii*. Xenophon lib. I. Histor. *Athenienses, audita suorum clade, triginta diebus centum ac decem instruxere naves. Cum his Samum appulerunt, ubi decem acceptis Samiis navibus, plures quam triginta ab aliis collegere Sociis, nam omnes sequi cogebant*. Meminit & Diodorus Siculus, ut aliis in locis, ita præsertim lib. XIII. ubi ejusmodi societate Atheniensibus devinctos memorat fuisse Samios, Cnidios, Rhodios, Corinthios, Leucades, Ambracios, Eleos, Zacynthios, Achajos, Epidaurios, Troezenios, & alios quamplurimos. Cæterum hæc navium a so-
D ciis exigendarum ratio eo pertinebat, ut sub specioso auxilii nomine, vires ipsorum coercerentur. Testis est Thucydides in I. ubi sic de Atheniensibus. *Captantes hac occasione principatum Athenienses liberius, propter sociorum odia in Pausaniam, statuunt quas quæque civitatum pecunias, quas naves adversum Barbarum præbere deberent. obtenderant autem se ulturos populationem Græciæ, contraria populatione*. Idem quoque Cicero ostendit. Nam cum Verres consuetudinem prætorum omisisset, qui naves civitatibus imperare solebant, *isto tuo*, inquit, *quemadmodum prædicas beneficio, ut res indicat, pretio ac mercede, minuisti*
E *majestatem Reipubl. minuisti auxilia Pop. Rom. minuisti copias, majorum virtute & sapientia comparatas, sustulisti jus imperii, conditionem sociorum, memoriam fœderis*. Et paulo post: *In illo ipso*, inquit, *fœdere societatis inerat nescio quomodo quasi quædam nota servitutis*. Habemus classes ordinarias. Præter has nonnunquam voluntarias habuerunt ex sociis apud Romanos, apud Græcos etiam ex civibus. Hi privato quodam studio naves aliquas ornabant, iisque suam publico præstabant operam. Et talis fuit classis Hieronis, de qua passim apud Scriptores Romanos, item Rhodiorum. Etiam Attali regis. Unde & responsio Senatus,
F cum is peteret, ut ad sua defendenda cum classe redire se paterentur, *se Attali auxilia non retenturos ultra, quam regi commodum esset. Semper P. R. alienis rebus arbitrio alieno usum, & principium & finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adjutos Romanos, esse*. Livius lib. XXXII. cap. 8. Talem etiam Carthaginenses offerebant apud eundem lib. XXXVI. cap. 4. item Philippus & Ptolemæus. Apud Græcos exemplum est Pericles: de quo Plutarchus: *Jam sexaginta triremes, quoque anno emittebat. Magnus numerus in his civium navigabat, octo menses ære merens, meditansque simul & discens navalem disciplinam*. Idem & de Clinia, patre Alcibiadis testatur, ὅτι ἰδιοστόλῳ τριήρει περὶ Ἀρτεμίσιον ἐνδόξως ἐναυμάχησεν. De Phayllo memorat Pausanias in Phocicis, his verbis: Ἐναυμάχησε δὲ Φάϋλλος ὁ Κροτωνιάτης ἐναντία τοῦ Μήδου ναῦν τε παρασκευασάμενος οἰκείαν, καὶ Κροτωνιατῶν ὁπόσοι ἐπεδήμουν τῇ Ἑλλάδι ἀνεβίβασε. *Phayllus Crotoniata navali prælio cum Persis conflixit, cum propriam sibi navem ædificasset, & in eam Crotoniatas omnes, qui in Græcia tunc peregrinabantur, imposuit*. Venio ad milites, qui in navibus pugnando suam operam præstiterunt. Hos Romani primis temporibus ex legionariis habuere. Testis est Polybius in historia primi belli Punici, ubi post alia, etiam hoc de Claudio Romano CS. refert: *veteres novosque remiges e vestigio navibus imponit, cum selectis epibatis, qui ex universis legionibus ultro se offerebant*. Et in secundo bello ait de Scipione: *Parata quinque & triginta navium classe ex omni exercitu optimum quemque militem, & ad navalem usum aptissimum delegit, quibus in naves impositis, ire obviam hosti pergit*. Posteaquam vero res Romana crescere, exterique & potentes in mari hostes paratam semper, instructamque classem postulare videbantur, non amplius e terrestri & legionario milite desumpti, sed certi quidam, iique perpetui, in classem scripti. Quod nescio an non belli Punici secundi temporibus primum fuerit institutum. Livius profecto lib. XXII. cap. 56. M. Claudium Marcellum tradit ab Ostia mille & quingentos milites, quos *in classem scriptos* habebat, dimisisse. Id quod facere potuisse non videtur, nisi eo tempore seorsim aliquos in classem scribi consuevissent. Ac hi quidem postea *classiarii militesque classici* vocati. quorum vocabulorum etiam Livius meminit lib. XXVII. cap. ult. *Remigio*, ait, *classici militis in altum evecti sunt*. Sic & *legiones classicæ* deprehenduntur iis temporibus. Et in numis M. Antonii apud Goltzium est, qui Legionem XVII. Classicam appellat. Magis hoc firmatum, cum Augustus vagas antea classes certis locis distribuit, unamque Miseni, alteram Ravennæ, ad tutelam maris superi & inferi, collocavit. Tunc enim nomen classiariorum Misenensium & Ravennatium inventum. Tacitus Annal. XV. cap. 51. *Primores classiariorum Misenensium labefactare connixa est*. Lapides, & prisca marmora. MIL. CL. PR. R. *Miles classis prætoriæ Ravennatis*. Sicut autem legiones certas ad classes, maxime Prætorias, ita & milites certos ad unamquamque navim, ex illis classibus, modo plures, modo pauciores, pro navium magnitudine, habuerunt. In quinqueremibus, quibus usi sunt primo bello Punico, Polybius fuisse ait centum viginti. Liv. lib. XXI. cap. 49. in viginti ejusdem generis navibus tantum mille numerat armatos, hoc est, quinquaginta in singulis. Ita enim ait: *viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ a Carthaginensibus missæ*. Sed credo vitium in numero esse. Nisi forte rectum ideo asseras, quia non ad prælium, sed populationes venerant. In triremibus tamen apud Græcos tantum video octodecim fuisse, secundum quod non mirum esse potest, si quinqueremes quiquaginta habuerunt. Plutarchus in Themistocle: *Atticæ triremes centum octoginta erant: singulæ habebant* τοὺς ἀπὸ τοῦ καταστρώματος μαχομένους, ὀκτωκαίδεκα, h. e. *octonos denos pugnantes ex foris*. Leo contra in dromonibus suis ait esse oportere mi-

nimum ducentos. Quamquam ibi sermo sit de prælio, in quo auctum numerum vulgarem singulis in navibus ostendere videtur. Cæterum hos milites Romani in classe propria habuerunt e civibus, nescio an iis, qui & alias pedibus merebant. Videtur sane res ipsa hoc ostendere, quoniam ex legionariis interdum fuerunt, & deinde legiones classicæ dictæ sunt, licet hic autorum testimoniis destituamur. Potest tamen quis viliores tantum lectos existimare, propter ipsam hujus militiæ vilitatem. In sociorum vero classe habuerunt e sociis. Testatur Cicero in Verrem V. *Superiorum*, ait, *prætorum cum ea fuisset consuetudo, ut certus numerus militum civitatibus imperaretur, maximæ & locupletissimæ civitati Mamertinæ nihil horum imperasti*. Et Livius lib. XXXVI. cap. 3. *In comparanda impigre classe C. Livium prætorem contentio, orta cum coloniis maritimis, paulisper tenuit. Nam cum cogerentur in classem, tribunos plebis appellarunt, ab iis ad Senatum rejecti sunt, Senatus ita ut ad unum omnes consentirent, decrevit vacationem rei navalis his colonis non esse*. Nisi forte ex maritimis hisce coloniis potius in suam classem milites scripserunt difficilioribus reipublicæ temporibus. nam alias sacrosanctam habuere vacationem, ut a prædicto autore alio loco memoratur. Græci pariter in propria classe habuerunt milites ex civibus; in Socia, ex sociis. Prius docet Isocrates orat. de Pace. *κ̀ τότε μὲν τριήρεις πληρεῖν τὰς πολίτας μεθ' ὅπλων ἐξέπεμπον. & tunc quidem triremes civibus armatis complebantur*. Quod τότε ait, eo pertinet, quia postea nonnunquam mercenarios alebant, loco civium. Subjungit enim: *Νῦν δὲ τοῖς μὲν ξένοις ὁπλίταις χρώμεθα. nunc vero peregrinis militibus utimur*. Posterius testatur Thucydides, cum lib. VIII. de Atheniensibus scribit, milites habuisse *ἐκ καταλόγου κ̀ τῶν ξυμμάχων. ex catalogo & sociis*. *οἱ ἐκ καταλόγου*, sunt *ἐκ τῶν αὐτοχθόνων*, ut interpres inquit, id est cives ac indigenæ, sic dicti, quoniam ex tabulis, in quas publice nomina & numerum civium referri mos fuit, nominatim citabantur per *δημάρχους*, ut testatur in orat. adversus Polyclem. At *socii ἐς τὰς ξυμμάχους στρατιὰ ἐπαγγέλλεται*, ut loquitur Thucydides in VII. hoc est *indicitur, ut milites præbeant*. Atque sic Charicles missus legitur Argos ab Atheniensibus, *κατὰ τὸ ξυμμαχικὸν παρακαλεῖν τε ὁπλίτας ἐπὶ τὰς ναῦς*. Quod si longinqua expeditio suscepta esset, socii, loco militum, pecuniam interdum dedisse videntur, qua peregrini conduci possent. Xenoph. Hist. Græ. lib VI. *Αἱ πολλαὶ τῶν πόλεων ἀργύριον ἀντὶ τῶν ἀνδρῶν αὐτῷ ἔπεμπον, ἅτε διαποντίου τῆς στρατείας οὔσης. plurimæ ex urbibus ei pecuniam miserunt pro militibus, quoniam ultra mare militandum erat*. Sed nautas quo nam pacto sibi compararunt? Romani quidem ex civibus, in Romana classe. Hinc Cato apud Festum voce Portisculus: *C. Licinio Pr. remiges scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti*. Primum quidem ex iis, quorum census infra quaterna millia æris fuerat. Sic enim Polybium intelligo, cum ait lib. VI. cap. 17. *Qui infra quaterna millia æris censi essent a stipendiis quidem reliquis* (peditum vel equitum intellige, de quibus præmiserat) *immunes, at in usus nauticos servatos esse*. Nisi hos potius milites in classe factos arbitreris. Sane libertinos in usum remigationis magis adhibitos invenio. ut apud Livium lib. XXXVI. cap. 2. *M. Iunio negotium datum est, ut in classem socios navales libertinos legeret*. & lib. XL. cap. 16. *Duumviros consules creare jussi, per quos naves sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur, ingenui tantum in iis præessent*. Et hi quidem sicut milites scribebantur. Idem auctor

A lib. XXXVII. cap. 2. *L. Æmilius, cui provincia maritima erat, viginti naves longas, & socios navales a M Iunio prætore superioris anni accipere jussus, & scribere ipse mille navales socios*. & lib. XLII. cap. 27. *Socios navales libertini ordinis in viginti & quinque naves, ex civibus Romanis C. Licinius prætor scribere jussus*. Iurabant & hi in verba Consulis, ut milites, & exercitus terrester. Sic enim prædicti autoris verba accipio lib XXII. cap. 11. *Consul Hostiam proficisci jussus, navibus quæ ad urbem Romam aut Hostiæ essent, completis milite, ac navalibus sociis, persequi hostium classem ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta erat,* B *Libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba juraverant. Ex hoc urbano exercitu qui minores quinque & triginta annis erant, in naves impositi*. At postea gravioribus reipublicæ temporibus, cum pecunia non esset in ærario, qua civibus stipendia darent, & alias respubl. virorum multitudine exhausta esset, Romani servos in hoc munus imperarunt privatis. Idque primum bello Punico secundo institutum est. Livius lib. XXIV. cap. 11. *Factum Senatusconsultum, ut qui L. Æmilio C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset, usque ad* C *centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret, qui supra centum millia ad CCC. millia, tres nautas cum stipendio annuo, qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas cum annuo stipendio darent. Ex hoc edicto dati nautæ, armati, instructique ab dominis. Et tum primum est factum, ut classis Romana sociis navalibus privata impensa paratis compleretur*. Eadem res & postea est repetita, notante hoc ipso autore lib. XXVI. cap. 35. *Scripto exercitu de remigum supplemento agi cœptum, in quam rem, cum neque hominum satis, nec ex qua pararentur, stipendiumque acciperent, pe-* D *cuniæ quicquam ea tempestate in publico esset, dixerunt Consules, ut privati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent. nam unde, quum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios*. Respexit huc Valerius lib. XXXIV. cap. 6. cum ait. *Non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus, servos ad remum ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus*. Videtur postea hæc consuetudo mansisse, maxime sub Cæsaribus. Augustum certe constat accepisse *ἐρέτας τὰ μὲν πρῶτα παρὰ τῶν φίλων, ὡς κ̀ ἑκόντων διδόντων, ἔπειτα δὲ κ̀ παρὰ τῶν ἄλλων τῶν τε δημοτῶν τῶν εὐπόρων δούλους.* E *remiges primum ab amicis, tanquam sponte conferentibus, dein a reliquis senatoribus equitibusque, & plebejorum locupletissimis servos*. Dio lib. XLVIII. Et Zonaras tom. II. *Navigia multa ædificavit, remiges vero a Senatoribus & equitibus, & plebeiis collegit*. Sic de Cassio Appianus lib. V. Civil. *Remigum quoque delectus faciebat e nexis, & mancipiis*, Suetonius tamen auctor est, Augustum manumisisse prius, & tum demum fecisse remiges. *Viginti* ait in Octav. cap. XVI. *servorum millibus manumissis, & ad remum datis, portum Iulium effecit*. Alias prædictus Appianus etiam Poenos e servis remiges fecisse scribit lib. de B. P. F *δούλους*, inquit de Asdrubale, *ἠγόραζε πεντακισχιλίους τὸν ναυτικὸν ἐρέσσειν Eruit & servorum millia quinque ad remigium*. Sane ultimis temporibus vix alii, quam servi, ad hoc munus adhibiti: Unde Cassiodorus, vel potius Theodoricus Rex apud ipsum: *Si is, qui nobis necessarius existimatur, servus fuerit alienus, aut conducat eum classibus serviturum, aut si hoc ipse magis elegerit, accepto pretio rationabili cedat sui jura dominii*. Et hodie vel

captivi, hoc est mancipia, ad remum dantur, vel scelerati, & facinorosi hoc munus, velut pœnam & supplicium subire coguntur. Quod ne priscis quidem plane ignotum fuit. Val. Max. lib. IX. cap. ult. de quodam, qui se fecit filium Octaviæ: *Sed cum plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est*. Cæterum in sociorum classe habebant a sociis. Cicero in Verrem V. *Deinde alii quæstus instituuntur, ex uno genere navali videte quam multi, accipere a civitatibus pecunias, ne nautas darent*. Et paulo post: *Superiorum Pr. ea consuetudo fuit, ut civitatibus certus numerus nautarum imperaretur*. Idem in Orat. pro L. Flacco. *Eo ipso tempore, cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat*. Ita Livius lib. XLII. cap. 27. *Socios navales libertini ordinis, in viginti & quinque naves, ex civibus Romanis C. Licinius Prætor scribere jussus, in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret*. Ostendunt hæc loca, apud Romanos Prætores peregrinos sicut milites, sic & remiges sociis civitatibus, ac populis imperare consuevisse, ipsorumque hoc fuisse munus. Apud Græcos quando opus fuit remigibus, eodem modo eos e civibus minimæ fortunæ legebant. Apparet ex exemplo Periclis, de quo supra memoravimus. Xenophon quoque, vel Cephisodon potius ostendit in oratione ad Athenienses, quæ est lib. VII. Innuit & Aristoteles, cum ait in Politicis, *πλήθους δὲ ὑπάρχοντος περιοίκων καὶ τῶν τὴν χώραν γεωργούντων, ἀφθονίαν ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ναυτῶν*. Sæpe & ex municipiis legebant. Demosthenes orat. advers. Polycl. *Ἐγὼ δ' ἐπειδὴ μὴ οὐκ ἦλθον οἱ ναῦται, οἱ καταλέγοντες ἀπὸ τῶν δημοτῶν, ἀλλ' ἢ ὀλίγοι ἢ οὗτοι ἀδυνάτοι, τούτους μὲν ἀφῆκα*. *Ego vero cum mihi nautæ a municipibus delecti non nisi pauci, iique imbecilles venissent, eos quidem missos fecit. Oppigneratis autem rebus meis, pecuniam mutuatus primus implevi navem, μισθωσάμενος ναύτας ὡς οἷόν τ' ἦν ἀρίστους, conductis nautis, quam fieri poterat, lectissimis*. Apparet aliquando sub mercede conduxisse, quod genus *ἐντελομίσθους* appellabant. Vetus auctor apud Suidam. *Ὁ δὲ ἔπλει νηὶ οἰκείᾳ ναύτας ἔχων ἐντελομίσθους, οἴκοθεν Κρῆτας. τουτέστι ἐντελῶς μεμισθωμένους*. Nec privatim modo sed & publice nonnunquam hoc fiebat. Nam & Thucydides in Primo ait: *ex Peloponneso quidem cogebant, ex reliqua vero Græcia mercede conducebant remiges*. Præsertim autem Gubernatores ita sibi comparabant. Unde Cæsar lib. III. de Bell. Gall. *Naves longas ædificari, nautas, gubernatores comparari jubet*. Olim, cum adhuc incognita istorum ars esset minimeque vulgata, reges principesque dono sibi invicem mittebant. Testis Strabo lib. II. & in Divino codice Hyramum Tyriorum regem Salomoni navium gubernatores dono misisse legimus.

CAPUT V.

De armis navium & instrumentis.

Quid sint rostra. Metaphrastes Cæsaris & Glossarii auctor notati. Quando & a quo inventa. Paschalius notatus. ex qua materia fuerint. in qua navis parte. Polybius & Polyænus explicati. δεκεμβόλης navis. æratæ naves, navis ænea Herculis qualis, usus æris in prora. Rostrorum figura. Rostra quibus navibus affixa. Ἐπωτίδες, quid. a quibus inventæ, ubi in navibus. quæ ipsarum species, quis usus. Catastromata, constratum navis. Fori ubi. κατάφρακται. Wolfius notatus. usus catastromatum. in quibus navibus fuerint. περιφράγματα, παραβλήματα, προκαλύμματα, παραπετάσματα. muri in navibus, propugnacula, ἐπάλξεις. Turres, & ubi in navibus. Quales & quomodo & a quo inventæ. turres ad oppugnationes pertinentes. usus turrium. Δελφὶς, quid fuerit. & in qua navis parte. Instrumenta sequuntur. transtra, ἑδώλια. Metaphrastes Cæsaris notatus. lecti navigantium ubi. dextri remi & sinistri θρανίτιδης, θαλαμίδιοι. aptare remos quid. τρόποι, τροπωτῆρες. Scaliger notatus. emendatus Lucianus, ἀσκώματα. ἱππηρέσιον. Gyraldus reprehensus. Vela, tumices, φώσωνες ἄρμενα, Artemon, acatus. Procopius & Theophilus notati, dolon, lipadum, epidromus, sypparum. Casaubonus notatus. vela e qua materia. Lucianus expositus. vestimenta velorum vice. velorum colores. Malus. ubi suum habuerit locum. μεσόδμη. ἱστοδόκη. Apollonii scholiastes reprehensus. casteria, modius. mali partes. carchesium, antenna, κεραῖα, cornua. maleola. Isidorus emendatus. Funes, rudentes, chalatorii. Turnebus & Stevechius notati. ceruchi, hyperæ, opiferæ, pedes, mesuriæ, protones. ex qua materia fuerint. Gubernacula, plectra, pinnæ. Gubernacula quot in navibus. Beroaldus, Beza notati. ubi suum habuerint locum, ἀμφιπρύμνους naves. Anchora a quo inventa, lapidea, lignea, e cratibus contexta, κεφαλὶς. ferrea. ἑτερόστομος. ἱερὰ, sacra. Bolis, catapirates, linea. ἄντλον, tolleno, haustrum. Funes anchorarii, parolcones, ῥύματα, remulci, & hac occasione aliquot auctorum loca explicata. ὁλκοὶ, spiræ, retinacula, ἀπόγεια, πρυμνήσια. δακτύλιον. tonsilla. tormentum. Lucas & Horatius expositi. Conti eorumque usus multiplex. Saburra. Pontes, ἀποβάθραι, κλίμακες, διφθέραι. Segestra.

UT probe navis sit instructa, alio armorum genere ad navigationem, alio ad prælium & conflictum opus habet. Inter ea arma quæ ad prælium requiruntur, præcipua sunt rostra, & catastromata. Sequuntur inde propugnacula & turres & epodites, & alia. *Rostra* Græcis *ἔμβολα*, Trojanis temporibus adhuc incognita fuere. unde nec Homero memorantur. Licet apud Euripidem lamentetur Iphigenia.

Μή μοι ναῶν χαλκεμβολάδων
Πρύμνας ἅδ' αὐλὶς δέξασθαι
Τοὺς δ' εἰς ὅρμους ——

Et Æschylus Nestoris navem *δεκέμβολον*, appellat, *ἐν μυρμιδόσιν*, hoc est, quæ *decem rostra habet*. Meminit ipsorum Cæsar lib. III. cap. 14. *Rostro noceri non posse cognoverat*. Metaphrastes ibi *ἀκρωτήρια* interpretatur. *τῷ ἀκρωτηρίῳ μὴ δύνασθαι βλάπτειν εἰδέσαν*. Sed perperam. confundit enim ornamenta navium cum armis. Idem & in Glossis factum, *Ἔμβολον ἐπὶ νεώς*. *Hæc rostra, singularia non habet*. Falso. confunduntur locus Romæ, Rostra dictus, qui in singulari non usurpatur, & arma navium, de quibus Græca loquuntur. Melius aliud Glossarium. *Νεῶν ῥάμφοι, ἤγουν ἔμβολοι*. *Rostra, singulare non habet*. Sed de hisce rostris alio loco. Ista de quibus primo diximus, Piseus princeps reperit. Plinius lib. VII. cap. 57. *Rostra navibus Piseus addidit*. Fuit hic is ipse, quem & Tyrrhenum nominat hoc capite, & tubam invenisse tradit. Nobilis pirata, qui circa Sylvii Latini tempora Italiæ imperavit, si Manethon, & Annius Viterbiensis fidem aliquam merentur. Manethon sic scribit. *Anno. CLXVI. Piseus Thuscus pirata imperat Italiæ annis LII.* Non dissentit a Plinio, quando Thuscum appellat. Nam & ipse Plinius lib. III. cap. 5. Tyrrhenos a

sacrifico ritu, lingua Græcorum, Thuscos scribit esse cognominatos. Scilicet ἀπὸ τοῦ θύειν, uti Servius Æn. II. nos docet. Dicebantur rostra, ob similitudinem usumque, quia & mare iis primum finditur, & naves hostiles petuntur. Existimat Paschalius lib. X. de coronis. cap. 5. etiam cornua vocata, quia apud Æschylum legit νῆες κερωτυπούμεναι, item alibi εὐκέραοι. Verum falso; nec enim de rostris, sed antennis ita dictis, ibi sermo est. Fuerunt autem ἔμβολοι seu rostra in navibus, trabes prominentiores ære munitæ. Hinc Græcis χαλκώματα νεῶν ut est apud Diodorum lib. XX. & naves χαλκέμβολαι. Petronius. *In postibus triclinii fasces erant cum securibus, fixi quorum imam partem, quasi embolum navis æneum finiebat*. Interdum ferro muniebantur, loco æris. Vitruvius lib. X. cap. 21. *Is aries habuerat de ferro duro rostrum, ita uti naves longæ solent*. Plinius lib. XXXII. cap. 1. *Heu vanitas humana, cum rostra illa ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inbibere possit pisciculus*. Hinc ferramenta navium apud Sallustium lib. III. Histor. *Qui*, inquit, *enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis navium, postremo periere*. Locus eorum in prora. Suidas. Ἔμβολος, χάλκωμα πεπυκνωμένον περιτιθέμενον κατὰ πρώραν ταῖς ναυσί. *Rostrum æneum firmum circa proram*. Proprie ad carinam. Pollux lib. I. cap. 9. τὸ δὲ καταλῆγον αὐτοῦ (puta τρόπιος τῆς δευτέρας) ἐπὶ τὴν πρώραν προεμβολίς, τὸ δὲ ὑπ' αὐτὴν ἔμβολον. *Ejus* (carinæ) *juxta proram terminus est, quod proembolum vocatur, quod autem sub ea parte, rostrum dicitur*. Fuerunt ergo juxta aquam, imo in ipsa aqua, quando navis incedebat. Virgilius lib. V. Æneid.

—— totumque dehiscit
Convulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.

Lucanus lib. III. vers. 700.

—— nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare ——

Silius Italicus lib. XIV. Bell. Pun. ver. 356.

Adnabat centum late Sidonia velis
Classis subsidio, & scindebat cærula rostris.


Nempe ut sic gravius hostiles naves vulnerarent, aqua succedente per rimam. Quemadmodum ab Attalo est factum apud Polybium lib. XVI. cap. 2. *Attalus cum octere congressus primo statim impetu cum exitiali ictu infra eam partem, quæ extabat ex aqua, navem vulnerasset, tandem eam demersit*. Et capite sequenti: *Quotiens a fronte concurrebant, non id faciebant sine arte, qui suarum navium proras, hostium continenter obvertentes, vulnera semper extra aquam accipiebant, cum contra hostes sub aqua faucientes eos ipsis infligerent ictus, quibus nullum adhiberi poterat remedium*. Et testantur prisca monumenta, nummi maxime, quorum ecce hic primos duos e Strada in Octavio Augusto, & unum e Goltzio in Julio.



Vides, ut tigna, quibus præfixa sunt rostra, longe infra carinam descendant. Primis tamen temporibus minus depressa fuere. Nam qui alias Scyronem Silius Italicus lib. XIV. ver. 402. percussum rostro, media tamen sui parte extra aquas extasse diceret? in hæc verba

Transfigitur valida medius dum se allevat alvi
Cuspide Marmarides Scyron, pars subnatat unda
Membrorum, pars extat aquis, totumque per æquor
Portatur rigido miserandum immortua rostro.

Et confirmant nummi alii antiquiores, tempore bellorum Punicorum a Romanis cusi. Habes eos ecce ex Gorlæo, & Ursino.



Et de talibus rostris accipiendum est, quotiens apud Scriptores legimus thranitas, quorum locus in summo navis fuit, rostris esse excussos. Cujusmodi est hic Polybii lib. XVI. *philippi deceris, quæ prætoria tunc erat, casu quodam mirabili in hostium potestatem venit. Subierat ipsam trieremiola, in hanc ictu violento impacta circa medium alveum sub scalmo thranitarum illigata hæsit*. Nisi malis hoc factum, quia elata & erecta paulo prora ictus inferebant, uti alias docebitur. Utut sit, hanc rostorum rationem Aristo Corinthius princeps immutasse, depressioraque ea fecisse videtur. Ita enim Diodorus Siculus lib. XIII. de eo. *Aristone Gubernatore navis Corinthio suadente, ut proras navium breviores facerent & depressiores, Syracusani consilio obtemperant. quod magno in conflictibus deinde ad victoriam ipsis emolumento fuit. Atticæ enim triremes infirmioribus erant proris & elatis, quo fiebat, ut rostris suis nil nisi eminentes super mare navium partes vulnerarent, nec magno hostem detrimento afficerent. At naves Syracusiorum firmis instructæ proris ac depressis, uno sæpe ictu hostium triremes supprimebant*. Jam etiam non singula tantum rostra, sed & plura naves quædam habuere. Apud Athenæum lib. V. Philopatoris est navis, septem embolis sive rostris armata. Δεκέμβολος est apud Æschylum. quinque rostris in nummo præcedente medio. Hinc C. Balbus in Arg.

—— volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque solum, & spumas vorat ære tridenti.

Creduntur & effigies brutorum animantium quandoque prætulisse. Ita enim videmus in columna rostrata Duilii, quam exhibuit Onuphrius Panvinius. Extant quoque nummi apud Fulvium Ursinum libro de Familiis Romanis, & Hubertum Goltzium in Magna Græcia, qui id ipsum testantur. Cujusmodi hic ecce duos, unum Aburiæ gentis, alterum Cæcinæ.





Potest addi his apud eundem Goltzium nummus Augusti pag. 30. itemque alius pag. 20. 33. aliusque pag. 44. Et consentit Cælius Rhodiginus lib. XXIX. Antiquarum Lectionum, cap. 7. *In ratione carentibus*, inquit, *est proprie protome, unde in summis navium rostris quadrupedum protomas deformatas æreque circummunitas*, διὰ τὸ τῶν ἐμβολῶν χρειῶδες, *id est propter embolorum necessitatem*. Quanquam hic potius per summa rostra illud aduncum atque retroflexum intelligere videatur, quod in proris navium conspicimus. Nam & ibi aliquid hujusmodi deprehendimus. Ecce alios nummos.





Primum exibet Gorlæus in nummis, Strada secundum. Et sane illa quoque pars sic vocabatur. Vetus quidam interpres Horatii: *Rostra dicuntur summæ partes navium, ære & ferro munitæ*. Glossæ veteres Cyrilli. Ακροςόλιον. *Rori*. Scribe, *rostra*. Scholia Juvenalis sat. X. ver. 135. *Aplustra, tabulatum ad decorandam superficiem navis appositum, alii dicunt, rostra navis*. Sed forte pro isto *rori* emendandum *fori*, cum sint fori in puppe, ubi sedet gubernator, ut alibi ostensum est. quamquam alterum magis probum videatur. Forte hæc ςόλοι χαλκῆρες sunt, de quibus Æschilus in Persis. Constat enim totam hanc navigii partem ςόλον nuncupari. Hinc interpres poetæ illius: λέγει δὲ χαλκήρη, τὸν χαλκῷ περιβεβλημένον. Plane sicut is Horatii. Virgilius lib. IX. Æn.


Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur,
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ

Statius Theb. V.

Ecce autem ærata dispellens æquora prora.

Aliqui non proris æratis, sed *æratas* nude vocavere hasce naves, ut ex Flacco, aliisque constat. Atque talis fuit illa Herculis, quam ideo antiqui æneam finxere. Servius lib. VIII. Æn. *Ad Geryonem navi ænea navigavit, tergo leonis velificans*. Hoc

A lib. VII. sic explicat. *Hercules fingitur ad Geryonem olla ærea transvectus, quod habuit navem fortem, & ære munitam*. Per ære munitam, hoc in loco, non debemus intelligere rostratam. Rostra enim Herculis temporibus adhuc incognita fuere, uti supra indicatum est. Quare vero proras navium ære munieverint, Isidorus explicat his verbis. *Prisci ferro aut ære proras navium armabant, propter scopulos, ne scilicet feriantur, aut collidantur*. Unde satis manifestum est, diversa hæc fuisse rostra ab illis, quorum usus tantum ad prælia, & conflictum pertinebat. Quanquam cum nemine pugnaverim, qui & hæc non tam in summo (quomodo tamen B autores loquuntur) quam in imo navis, circa carinam fuisse contendat. Cæterum ista rostra, quæ ad bella requirebantur, triquetra ut plurimum fuerunt, ac in capite acuminata. Suidas in Κυμοτόμος. περὶ τὰς γεφύρας οἰκοδόμημα τρίγωνον τὸ ὀξὺ ἔμπροσθεν ἐν τριγώνῳ σχήματι ὃ δὴ οἱ μηχανοποιοὶ κυμοτόμον καλοῦσιν. Εμβόλῳ νηὸς μακρᾶς, ἀπεικασμένον. *Ædificium in pontibus triangulare, quod ab anteriore parte acumen habet, trianguli figuræ simile, quod machinarum fabri vocant* κυμοτόμον, *hoc est, fluctus secans. Navis longæ rostro simile*. Docent quoque prisca marmora & monumenta Romæ reC perta, e quibus ecce partem proræ, cum prominente trabe, cui rostra præfixa sunt.




D

Non omittendum est hoc loco, rostra bellicis ac militaribus tantum navibus imponi consuevisse. Iccirco ut insolitum ab Hirtio notatur, quod Vatinius etiam minoribus navigiis imposuit. Verba hæc sunt. *Vatinius quum paucas in portu naves longas haberet, navibus actuariis, quarum numerus satis erat magnus, magnitudine quanquam non satis justa ad præliandum, rostra imposuit*. Et apud Livium speculatorias sine rostris legimus, loco, qui jam alibi a nobis indicatus est. E Secundum armaturæ genus est in navibus, quod a Græcis Epotides ἐπωτίδες vocatur. Neque enim ornamenti, verum armamenti causa navibus apponi consuevisse, docet Suidas. Ἐκ φορτίδων, ait, πολεμιστηρίας νέας κατασκεύασε ταῖς ἐπωτίσι καὶ τοῖς στερίφοις ἀποφλώας ἐυρώστους. *Ex onerariis navibus bellicas effecit epotidis robustas reddens atque firmans*. Hic onerariæ ad bellum non idoneæ, idoneæ redduntur, epotidibus adaptatis. Excogitasse has epotides Corinthii videntur, Syracusani postea imitati esse. Thucydides lib. VII. *Instruxerunt autem classem Syracusani cum aliis rebus, ita ut ex F superiore navali prælio didicerant se fore meliore conditione, tum etiam navium proris, quas decurtarunt, & firmiores reddiderunt, & proris imposuerunt crassas epotidas, iisque tigna junxerunt, & intus & extra, quæ usque ad navium latera spatio fere senum cubitorum pertingerent, ad majorem eorum firmitudinem. quo modo & Corinthii adversus naves, quæ ad Naupactum erant, suarum proris instructi pugnaverant*. Patet ex his verbis trabes fuisse, tabulasque crassiores ab utroque proræ latere prominentes, ad eludendos rostrorum ictus.

Sic Scholiastes ibi. Επωτίδες εἰσὶ τὰ ἑκατέρωθεν πρῴρης ἐξέχοντα ξύλα. *Epotides ligna sunt, ab utraque proræ parte prominentia*. Falsus ergo Etymologus, quando in puppi ponit, εἰσὶ δὲ, inquit de χηνίσκῳ, οἱ τῆς πρύμνης ἔφασαν ἄκρον πρὸς ὃ ἐπιζεύγνυνται αἱ ἐπωτίδες τῆς νεώς. *Sunt autem, qui puppis ajunt esse summitatem, cui affiguntur epotides*. quod & integer Thucydidis locus, quem adduximus, ostendit. Diodorus Siculus lib. XVII. τὴν μὲν κρηπῖδα χρυσαῖ πεντήρεις πρῷραι συνεπλήρουν, ἐπὶ δὲ τῶν ἐπωτίδων ἔχουσαι δύο τοξότας. *In imam ejus partem auratæ quinqueremium proræ explebant, in quarum epotidibus duo stabant sagittarii*. Nescio annon circa rostrum fuerint. Ita certe ex Strabone in mentem venit, quando ait lib. III. de Hispania. Τὸ ἄκρον Ἀρτεμίδωρος εἰκάζει πλοίῳ, προσλαμβάνειν δὲ τῷ σχήματι νησίδια τρία, τὸ μὲν ἐμβόλου τάξιν ἔχον, τὰ δὲ ἐπωτίδων ἐφόρμους ἔχοντα μετρίους. *Promontorium Artemidorus navi assimilat, & ad figuram accedere tres insulas, quarum rostri vicem una gerat, reliquæ epotidarum, quæ portus habent mediocres*. Quam apud Latinos habuerint appellationem, legisse non memini. unde & in usu apud eos fuisse hactenus non nihil dubitavi. Sane neque nummi, neque marmora effigiem ipsarum exhibent, nisi quis hunc Valentiniani nummum simile quid habere putet, quem ex Strada hic proponimus. & forsan Senecæ *ceratas* lib. VII. de benef. cap. 20. sic exponat, ut dictæ sint Græca quadam imitatione a κέρας, id est, *cornu*, quia velut cornua in fronte hæc ligna prominebant. Sane si ceratæ a cera, ut Eruditi eo loco volunt, vix est causæ, cur lusoriis opponat, quæ non minus hoc respectu fuerunt ceratæ, quam triremes, aut id genus aliæ naves. At apud Græcos invenimus, in quibus haud dubie effigies epotidum expressa est. Ut in uno Corcyreorum quem



in Græcia sua habet Lazius. Sicuti & in gemmis, quarum figuras e Gorlæi Dactiliotheca, habes in ista pagina. Trabes supra rostrum prominentes in prora, epotidas interpretamur. Quas & Dimocharis naves validissimas habuisse, ac proinde præliis fuisse utiles, testatur Dio lib. XLIX. *Erant*, inquit, *alteri peritia rei navalis, alteri navium multitudine superiores. Atque alteris navium altitudo, crassities epotidarum, turresque proderant, alteris agilitas*. Athenæus lib. V. memorat istam Philopatoris, de qua alibi, etiam rostra in epotidibus habuisse: *Rostra*, inquit, *septem habuit, præcipuum quidem unum, extans præter cætera: alia breviora & contractiora, quædam ad epotides*. Et circa has epotides impetus plerumque fiebant a rostris, uti videmus apud Appianum de bell. civil. *postea & naves ipsæ concurrerunt. aliæ ad latera, aliæ ad epotides, aliæ ad rostra impetu facto*. Et alio loco, *Impetuque in illum facto ad epotidem, navem conquassavit*. *Catastromata* sequuntur. Ea erant tabulæ, quibus consternebatur navis ac contegebatur, ut in hoc veluti tecto stare propugnatores, inque hostem tela



emittere possent. Petronius *constratum* navis reddidit, in Satyrico. Unde & naves, quæ catastromata habebant, *constratæ* dicebantur. Cicero in Verrem V. *Erat enim sola illa navis constrata*. & Hirtius: *Magno impetu quatuor ad eam constratæ naves, & complures apertæ contenderunt*. Vulgo *tectæ* sunt. Cæsar lib. I. B. C. *Domitii consilio naves longas expediunt numero XVII. quarum erant undecim tectæ*. Græcis κατάφρακτοι. Igitur hæc verba Polybii ex IX. Excerpt. de leg. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰς καταφράκτους ναῦς, Livius lib. XXXIII. cap. 16 ita reddit: *& naves omnes tectas*. pro καταφράκτοις, Arrianus dixit πεφραγμένας, lib. VII. Exp. κελεύσας ναυπηγεῖσθαι ναῦς μακράς, ἀφράκτους τε καὶ πεφραγμένας. κατάφρακτοι autem sunt a καταφράγμασιν. quia Græci hæc constrata non tantum καταστρώματα, sed & καταφράγματα vocabant. Alios & κιβωτοὶ vocantur; ita enim appellatum Noæ navigium a septuaginta, Matthæo, atque aliis. Id autem sine dubio primum fuit constratum. Sunt & λάρνακες Græcis hæ naves, ut ex Apollodoro, Luciano, Josepho notat magnus vir H. Grotius in comment. ad cap. 6. Gen. ubi & Danai navigium a Simonide λάρνακα vocatum ait. Ita λάρνακα Δευκαλίωνος dixit Nonnus lib. XII. Dionys. ver. 62. Quæ naves constrata ejusmodi non habebant, *apertæ* dicebantur, ut ex Hirtio videmus: Græcis ἄφρακτοι. Apparet ex eo, quia cataphractis opponuntur. Polybius in V. καταρτίσας δώδεκα μὲν καταφράκτους ναῦς, ὀκτὼ δὲ ἀφράκτους. Invenerunt autem catastromata, si Plinio (lib. VII. cap. 57.) est fides, primum Thasi, cum antea ex prora tantum & puppi pugnaretur. Thucydides lib. I. de temporibus Trojanis. οὐκ αὐτὰ πλοῖα κατάφρακτα εἶχον, ἀλλὰ τῷ παλαιῷ τρόπῳ λῃστικώτερον παρεσκευασμένα. *Non contectas naves habebant, sed veteri ac magis prædonum more constructas*. οὐκ ἦν, Scholiast. ait, σεσανιδωμένα τὰ πλοῖα, ὥστε κάτω μὲν τιθέναι τὰ ὅπλα, αὐτοὺς δὲ ἄνω διάγειν. τὰ γὰρ τῶν λῃστῶν πλοῖα οὐκ ἦσαν σεσανιδωμένα, ἀλλὰ δὲ κάτω ἐκαθέζοντο, διὰ τὸ μὴ φαίνεσθαι αὐτοὺς πλέοντας, ἦν οὖν διὰ τοῦτο κοιλότερα. *Naves non constratæ erant tabulis, ut in inferiore quidem parte arma habere, ipsi autem superius agere possent. piraticæ enim naves non habent tabulas, sed in ipsa carina piratæ sedent, quo navigantes minus conspiciantur. quocirca & ipsorum naves magis concavæ & altiores sunt*. Recte λῃστικώτερον παρεσκευασμένα dixit Thucydides. Neque enim prorsus nullas habuerunt tabulas, sed in prora tantum & puppi, sicut Plinius testabatur. Hinc Ulysses prælium cum Scylla commissurus apud Homerum

—— εἰς ἴκρια νηὸς ἔβαινον
Πρῴρης ——

in tabulas navis ascendit, quæ in prora sunt. Odyss. M. & Iliad. O. Ajax defensurus naves ab incursu hostium


—— Νηῶν ἴκρι᾽ ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων.

Per tabulata navium late incedebat. Scholiastes in utroque loco ἴκρια, τὰ καταστρώματα τῶν νεῶν, τὰ σανιδώματα interpretatur. Mansit hæc ex parte tantum naves contegendi consuetudo ad Themistoclis usque tempora. Nam illæ, quibus adversus Æginetas, Corcyræos, Xerxem denique pugnavit, non aliter fuerunt armatæ. Καὶ αὐταὶ γὰρ οὔπω εἶχον διὰ πάσης καταστρώματα, inquit Thucydides. *Et ipsæ necdum totæ erant constratæ.* Etiam hodie quid simile habere videntur naves majores, quibus utuntur in Rheno. Id nempe, in quo stat gubernator, & vulgo *die brugg* vocatur. Nam & Eustatius ad Odyss. I. fere sic exponit illa apud Homerum ἴκρια, quæ prædixi. Ἴκρια, inquit, λέγονται καὶ τὰ ἐγκοίλια τῆς νηός, καὶ τοῦ καταστρώματος δὲ τὸ ἐν τῇ πρύμνῃ μέρος, ἔνθα ὁ τοῦ κυβερνήτου τόπος. *Icria dicuntur costæ navis, item pars catastromatis in puppi, in qua locus gubernatoris.* Sic Hesychius in Ἀπ᾽ ἰκριόφιν. λέγεται καὶ τοῦ κυβερνήτου καθέδρα ἰκρίον. Hinc est, quod Glossæ veteres modo tabulum, modo pergulam exponant. ἰκρίον *tabulum.* ἰκρία *pergula.* Quamquam, mea sententia, in priori vocabulo vitium sit ex abbreviatione, scribendumque *tabulatum*. Nam in tabulis ea pergula, quam & diætam nominari antea indicavimus. Cæterum a καταφράγμασι res ipsa καταφράττειν Græce, Latine *contegere* vocabatur. Zonaras Anal. II. καὶ ὁ Ἀγρίππας τὰς ναῦς κατέφραττε. hoc est, *instruxit ad prælium, easque contexit.* Wolfius in interpretatione hujus loci lapsus est. Nam *refecisse* naves scripsit, cum tamen ex præcedentibus constet, de integro tum ab Octavio fuisse exædificatas. Usus earum fuit, ut, quemadmodum prædiximus, in iis starent milites, si quando cum hoste prælium committendum erat. Pollux lib. I. cap. 9. Οἱ ἐπὶ τοῦ καταστρώματος, μάχιμοι. *qui in catastromate, propugnatores sunt.* Hesychius: καταστρώματα, τῆς νεὼς μέρος, ἐν ᾧ ἑστῶτες ναυμαχοῦσιν. *catastromata, pars navis in quo stant, & prælium navale committunt.* Thucydides in I. Πολλοὺς μὲν ἀμφότεροι ὁπλίτας ἔχοντες ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων. *utrinque multos in catastromatibus habebant armatos.* Polybius in I. *In ipsis faucibus portus adnavigabat, habens armatos propugnatores, paratos ad pugnam viros in catastromatibus.* Caussa, ut ex alto pugnarent facilius, hostemque peterent & certiore ictu, & validiore. Nam in summo navis hæ tabulæ fuerunt. Quod ostendit Thranus, catastromati vicinus, teste Polluce. τὸ δὲ, inquit, περὶ τὸ κατάστρωμα, θρᾶνος, *quod est prope catastroma, est thranus.* fuit enim thranus in summo navis, unde & a thrano dictus thranites, ὁ ἀνώτατος, id est, *summus* dicitur, ab Etymologo. Si autem thranus in summo, etiam catastroma ei conjunctum, in summo fuisse, necesse est. Quapropter & Themistocles apud Plutarchum ἀπὸ τοῦ καταστρώματος ἄνωθεν τῆς νεώς, *ex catastromate, quod in summo navis est,* concionem habuisse legitur. Falsi igitur illi, qui ex Gellio & Cicerone etiam foros dici posse existimant. Nam ut de summis forte non magnopere repugnandum, de imis certe usurpari non potest. Quanquam & fori magis ad remiges nautasque, catastromata contra ad milites solos pertinuisse videantur. Baysio notatum, etiam minores aliquando naviculas ob periculi celeritatem sic fuisse contectas. Adduciturque ab eo testis hujus rei Cæsar, qui lib. II. de bell. Civil. sic scribit. *Massilienses piscatorias naves adjecerant, atque contexerant, ut essent ab ictu telorum remiges tuti.* Et in III. *Scaphas navium magnarum circiter LX. cratibus pluteisque contexit, eoque milites delectos imposuit.* Ego vero has naviculas non in summo catastromatis, sed a lateribus sepimentis quibusdam arbitror fuisse munitas. Quod munitionis genus Thucydides in Septimo παραφράγματα, interpres ejus παραπετάσματα appellant. Apud Suidam περιφράγματα vocatur. Πλάτην, inquit hic postremus, ex vetusto quodam, μυριοφόρον πύργοις τε καὶ περιφράγμασι παντοίοις κοσμίσας ἄνωθεν καὶ ῥεῦμα ἀφίης. *Navem decem M. capacem turribus, & pluteis superius instruxit.* Et alibi. περιφράγματα, ξύλινοι θώρακες, διαφράγματα, ἢ τὰ περιτειχίσματα. *Periphragmata thoraces lignei sunt, sepimenta, vel murorum ambitus.* Casaubonus ad Polyæni III. scribit, etiam παραβλήματα, vel προκαλύμματα vocari, fuisseque pelles, aliaque id genus, ab utroque navis latere ad arcendam vim fluctuum, obtensa. Latinos *pluteos* vocasse. In qua interpretatione illum ipsum Cæsaris locum in animo habuisse mihi videtur. At Polyænus ipse, ad quem Casaubonus ista observat, ita scribit: Χαβρίας πρὸς ἐπιβολὰς τῶν κυμάτων ὑπὸ τὴν παρεξειρεσίαν ἑκατέρου τοίχου δέρρεις κατελάμβανεν. καὶ κατὰ μόνας ἀρτίως τῷ καταστρώματι κατὰ τὸ ὕψος φράγμα κατελάμβανεν αὐτὸ πρὸς τὰς παρεξειρεσίας. τοῦτο δὲ ἐκώλυε τὴν ναῦν ὑποβρύχιον φέρεσθαι καὶ τὰς ναύτας ὑπὸ τῶν κυμάτων βρέχεσθαι. Quod hic ad arcendam vim fluctuum, id nihil prohibet, quo minus Cæsarem ad sustinendum impetum telorum, non e pellibus, sed alia re aptiore, adhibuisse credamus. Ut exempli causa ex funibus tortis, e quibus pluteos ejusmodi habuit navis Hieronis apud Athenæum lib. V sicut egregie, ut omnia, Casaubonus ostendit. Ubi simul ait, propter tuitionem παραρρύματα sive παραρύματα vocatum esse. vel etiam παραρτήματα, quia suspendebatur ante machinas in navibus, seu, ut ex Cæsare videmus, ante milites in tabulis pugnaturos. Prioris tamen munimenti etiam a Plutarcho mentio est facta, in descriptione navium piraticarum, quas Pompejus superavit, & cæpit. ubi non ad usum modo, sed & pompam e purpura confectum legimus. Nam παραπετάσματα ἁλουργέα appellat. Differebat porro hoc munitionis genus a priore, quod in illo quidem starent, ab hoc vero velut muro quodam tegerentur. Et hinc *propugnacula* vocatum. Nam de his, Vegetium accipiendum puto, quando ait lib. IV. cap. 44. *In majoribus Lyburnis propugnacula constituit, ut tanquam de muro facilius vulnerent.* Et Florum, quando scribit lib. II. cap. 2. *Commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi tota Carthago.* Scio esse, qui turres ista propugnacula exponunt. Sed hi non videntur observare, quod turres iis temporibus nec dum fuerint cognitæ, aut usurpatæ. Meminit & poeta Horatius horum propugnaculorum istis versibus.

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

Scholiastes: *Propugnacula in navibus dicuntur loca altiora quasi muri, unde milites suos hostes propugnant aut manu, aut telis.* Recte dicit, *quasi muri*: hinc enim Græci τεῖχος appellavere. Patet ex descriptione Hieronis illius, quæ est apud Athenæum lib. V. τεῖχος δὲ ἐπάλξεις εἶχον, καὶ καταστρώματα διὰ νεὼς ἐπὶ κιλλιβάντων κατεσκεύαστο. *Mari præterea propugnaculum quoddam & catastroma in navi erat.* Vides ut hic τεῖχος ἐπάλξεις a catastromatis distinguatur, quod sine observatione prætermittendum non est. Polybius lib. VIII. absolute ἐπάλξεις nominavit. ὁ Μάρκος inquit ἑξήκοντα

σκάφεσι πεντηρικοῖς ἐποιεῖτο τὸν ἐπίπλεν. ὧν ἑκάςον πλῆρες lῶ ἀνδρῶν ἐχόντων τόξα κ̀ σφενδόνας κ̀ γρόσφες, δι' ὧν ἔμελλον τὲς ἀπὸ τῆς ἐπάλξεων μαχομένες ἀνασέλλειν. Heſychius: ἐπάλξεις, οἱ προμαχῶνες τῆς τειχῶν. *Epalxes, propugnacula murorum*. Suidas ἐπάλξεις, προμαχῶνες, *Epalxes, propugnacula*. Porro propugnacula ſic apud Flaccum accipi oportere, etiam Acron docet: *ut in muro*, ait, *ita & in navibus fiunt propugnacula, poſt quæ dimicantes armati conſiſtunt*. Propugnaculis his additæ nonnunquam cuſpides ferratæ, quæ tranſcenſum hoſtium impedirent. Meminit Sturleſonius in Chronicis: *Ericus comes*, ait, *magnam habebat navem, qua utebatur in prædationibus, munitam undiquaque ab imis foris uſque ad ſummos ferreis cuſpidibus, valloque ferreo circum circa in ſummo, vocabatque eam* Ieernbarden, h. e. *barbam ferream*. Facit hujus navis nomen, ut credam ejuſmodi fuiſſe, quas *Barbotas* appellarunt. Voſſius in Gloſſis a roſtris ferreis ſic dictas putat. Sed rem omnem, id eſt cataſtromata, inque iis milites armatos & inſtructos ad prælium, tectos mediam partem a propugnaculis, ecce in his nummis.



Quod autem Bayſius ex Cæſare de minoribus navigiis probare voluit, hoc clarius feciſſet ex Diodori lib. XX. ubi ait: ἀθροίσας τὲς ἀδροτάτες τῆς λεμβῶν, κ̀ τέτες καταφράξας σανίσι ἐλάμβανεν. *capit lemborum validiſſimos, & tabulis contexit*. Legimus & apud Libanium Declam. XXXVIII. piratica navigia cum cataſtromatis, ubi ita, ὁρῶμεν πλοῖον ἐπιφερόμενον λῃςρικόν. οἱ δὲ κ̀ δὴ πλησίον ἦσαν, κ̀ παραχρῆμα μεςὸν τὸ κατάςρωμα τοξοτῶν, ὁπλιτῶν. *vidimus navigium prædatorium in nos irruens: prædones autem prope admodum aberant: & confeſtim plenum fuit cataſtroma ſagittaris, & armatis militibus*. Quanquam veroſimile, hæc cataſtromata fuiſſe ejuſmodi, qualia Trojanis temporibus habuiſſe ſupra diximus. Quod & de ſcaphis intellectum volo, apud Appianum in Macedonic. ubi ait: χωρὶς ἐξήρυς μιᾶς, κ̀ σκαφῶν πέντε καταφρακτῶν. *præter hexerem unam, & ſcaphas quinque tectas*. Cataſtromata porro non ratione tertii, ſed primi ordinis inflectendi uſurpavit vetus Commentator German. in Araticis: *Habet*, inquit, *navis in cataſtroma ſtellas quatuor*. Hygino eſt *rejectum*, pro quo Grotius in Arateis mallet *retectum*. Quanquam non videatur opus, cum ſic dici poſſit, ut in ædificiis *projectum*, aut *projectura*. Sane in aſteriſmis Græcis eſt κατάςρωμα τῆς πρύμνης, quod antiquiſſimis temporibus in ſola puppe, prominens nonnihil a navis tergo, ut videmus in picturis, e quibus extat una apud Lipſium in Poliorceticis ex libro veteri Ducis Urbinatium, in qua vere eſt *rejectum*, ubi funis machina in malo deſcendens alligatus eſt. Apud Gellium in fabula Arionis *ſummum puppis forum dici* alias oſtenſum eſt. Venio ad turres. His Romani potiſſimum uſi ſunt in navibus, ut ex Vegetio, libr. IV. capit. 44. & Dione lib. XLIX. apparet. Plinius lib. XXXII. capit. I. *Armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris*. Pollux lib. I. ἐπιναυπηγῦνται δὲ πυργῦχοι, κ̀ ἐπ' αὐτῷ πυργίδια δύο, δεξιόν κ̀ εὐώνυμον. *Extruuntur etiam in navibus ſingularia quædam tabulata, quibus duæ imponuntur turriculæ, dextra & ſiniſtra*. Patet, diu in uſu fuiſſe, nam ſub Commodo hæc ſcripſit. Imo Leo etiam earum meminit, ut poſtea videbimus. Cæterum ab utroque latere excitari ſolitas oſtendere videtur Pollux, quando dextram & ſiniſtram appellat. Notat tamen Appianus lib. V. Bell. Civ. habuiſſe πύργυς ἐπὶ τῆς νεῶν κατὰ τὲ πρῶραν κ̀ κατὰ πρύμναν. id eſt, ad proram & puppim. Quales & in priſcis monumentis obſervamus. E quibus navim ſic munitam alio fortaſſis in loco proponam. Vel potius hic ſubjiciam.



Plutarchus turres has ξυλίνυς nominat. Nempe quoniam e tabulis, in earum prope morem, quibus in munitionibus caſtrorum uti conſueverunt, ſtruebantur. Non tamen ante, quam in prælium iretur, & jam acie decernendum eſſet. Clare Servius ad hunc Virgilii:

Tan-

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

De tabulis subito eriguntur, ait, *simul ac ventum est in prælium, turres hostibus improvisæ*. Primus autor harum turrium Agrippa fuisse dicitur, nobilis iste sub Augusto imperator, & maritimarum rerum scientissimus. Idem Servius prædicto loco *Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulis subito erigerentur*. Sic Cælius Rhodiginus, ex ipso, ut videtur. *Quod ad Agrippam attinet, sunt qui ab eodem genus id turrium adinventum scribant, ut de tabulis subito erigerentur, simul ac in prælium ventum foret*. Innuit & Zonaras, cum ait de Augusto, cujus tunc Agrippa fuit summus classis præfectus lib. II. *Cæsar primo vere in Siciliam trajecit & multitudine & magnitudine navium fretus, turribus præsertim, quas gerebant, unde tanquam de muro ex superiore loco pugnarent*. Meminit tamen Cæsar turrium in navibus l. III. Bell. Civ. *Alteram*, inquit, *navem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut ex superiori pugnans loco, facile vicit*. Et lib. III. de Bell. Gall. *Neque satis Bruto, qui classi præerat, neque tribunis militum centurionibusque, quibus singulæ erant attributæ, constabat, quid agerent, aut quam rationem pugnæ instituerent. Rostro enim noceri non posse cognoverant. Turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat*. At diversi generis fuisse videntur. Nam turrium in navibus, cum obsidiones fiunt, etiam Livius mentionem facit lib. XXIV. cap. 34. *Junctæ*, inquit, *binæ quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur: quum exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas machinamentaque alia, quatiendis muris portabant*. Silius lib. XIV. Bell. Pun.

—— nam textam robore turrim
Appulerant nexæ ferri compage triremes.


Quin & Cyrum iis aliquibus usum prodidit Herodotus in Clio. Neque aliæ fuere, quarum mentio est apud Tacitum Annal. XV. cap. 9. ubi ait: *Ne ponti injiciendo impedimentum hostiles turmæ afferrent, naves magnitudine præstantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem*. Inter has autem illasque turres id interfuisse arbitror, quod hæ quidem firma compage, opereque durabili navibus affixæ, illæ vero tantum ad tempus, & novo plane artificio essent impositæ, ita, ut ex improviso erigi pariter, ac deturbari possent. Sic enim prælio finito factum legimus apud Dionem. Forte & quibusdam machinis intus erigi ac sublevari poterant, cum in prælium descendebatur, quæ alias inter navigandum manebant occultæ. Innuit is ipse locus Servii, quem antea laudavimus, qui ex editione Danielis, integer se ita habet: *Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improvisæ, in navigando essent occultæ*. Effigies earum nescio an sit in hisce nummis: Goltzius sane credidit, & Ursinus. Cæterum colorari turres hasce reperimus, quo facilius amicæ naves, ab hostilibus discernerentur. Appianus lib. V. Bell. Civ. *Vix tandem e turrium coloribus, quod solum discrimen erat, plures Pompejanas naves periisse intelligens, cohortatus est proximos, quasi jam victores*. Usus ex Plinio intelligitur. Solebant nempe sagittarios & alios armatos iis imponere. Xiphilinus in Antonio: πύργυς τε ὑψηλὺς ἐπικατεσκεύασε, ϗ πλῆθος ἀνθρώπων ἐπανεβίβασε. Et apud Dionem lib. XLIX. Pompejani *de turribus in* conflictu jaculis petuntur. Ergo Leo Imperator cap. XIX. Tact. ad Præfectum suæ classis. *In majoribus dromonibus etiam lignea quædam castella & contabulata excitentur. In his stent aliquot propugnatores, indeque lapides molares, & id genus alia in naves hostium dejiciant*. ξυλόκαστρα appellat, voce semigræca, quæ prioris ævi scriptores πύργυς ξυλινυς vocavere. Superest illa machina, quam Δελφὶν appellant. Huc enim referendam arbitrati sumus, quoniam & ipsa partem navium quodammodo constituebat. Suidas sic de ea: Δελφὶς, πρὸς ναυμαχίαν πολεμιστήριον ὄργανον. *Delphinus bellicum est instrumentum pertinens ad pugnas navales*. Fuit autem massa ponderis ingentis, e ferro, vel plumbo in delphini fortassis effigiem formata, quam ex antenna, sive malo navis pendentem, funibusque & rotulis religatam, in hostiles naves dejiciebant, easque ita vel mergebant in aquam, vel perforabant. Scholiastes Aristophanis, & ex eo Suidas: δελφὶς ὄργανον ναυτικόν. μετεωρίζυ δὲ, ϗ πέσιν εἰς ὕψος αἴρε. ἐπεὶ ϗ τὰ θαλασσίων δελφίνων πηδήματα μετεωρᾶ. Et paulo post. Δελφὶς, σιδηρῦν κατασκεύασμα, ἢ μολίβδινον εἰς δελφῖνα ἐχηματισμένον. τῦτο δὲ ἐκ τ̃ κεραίας τῦ ἱςῦ αἱ ναυμαχῦσαι ἠφίεσαν εἰς τὰς τῶν πολεμίων, ϗ κατεδύοντο. Δηλῦται δὲ ὑπὸ φερεκράτυς ἐν τοῖς ἀγροῖς, ὅταν λέγει. ὁ δὲ δὴ δελφὶς ἐστιν μολιβδῦς. δελφινοφόρος τε κέρδος διακόψει τῦδαφος ἀυτῶν ἐμπίπτων ϗ καταδύων. *Delphinus, ferreum est instrumentum aut plumbeum, in delphini effigiem formatum: hoc in antenna mali prælium commissuri suspendunt, dejiciuntque in navem hostilem, eamque submergunt. Apparet ex Pherecrate in Agris quando dicit: Delphinus est plumbeus, quem gestat antenna, hic perforat carinam cum in navim incidit, navimque submergit*. Sed verba Pherecratis & mutila & corrupta sunt. Itaque Vir Summus, sæculique nostri eruditissimus, Salmasius sic ea restituit Exerc. Plin. pag. 541.

Ο δὲ δὴ δελφὶς ἐςὶ μολυβδῦς δελφινοφόρος τε κεραῦχος
Ο διακόψει τῦδαφος ἀυτῶν ἐμπίπτων ϗ καταδύων.

Scholiastes Thucydidis lib. septimo, id est eo loco, quem interpres Aristophanis innuebat: ἐκ τῶν κεραιῶν προσπλευῦσαις πολεμίαις ναυσὶν οἱ τ' ἐμπίπτοντες ἀυταῖς διέκοπτον τῦδαφος ἀυτῶν ϗ κατέδυον. Et hæc de armis navium ad pugnam. Sequuntur *armamenta*, sive instrumenta potius navalia. Ea sunt triplicia, alia ad remigationem, alia ad velificationem, alia ad utrumque necessaria. Ad *remigationem* pertinent transtra, remi, lora, pelles, auctor Pollux lib. I. c. 9. Ac *transtra* quidem sedilia sunt, in quibus remiges consident, sic dicta, quoniam a latere in latus per transversum ponebantur. Virgilius lib. V. Æn.

Considunt transtris ——

Græcis, & inter eos maxime poetis, sunt ζυγὰ



A ϗ σέλματα ϗ ἑδώλια. Cæsaris Metaphrastes καταστρώματα pro iis dixit, lib. III. cap. 13. quod non probo. Alias & *juga* a Latinis nuncupantur. Erant autem, quod notandum est hoc loco, transtra ista remigibus lectorum vice. Nam in iis somnum capiebant. Seneca in Agam. ver. 437.

—— credita est vento ratis
Fususque transtris miles

Virgilius lib. v. Æn.

—— placida laxarunt membra quiete
B *Sub remis, fusi per dura sedilia nautæ.*

Recte ait, per dura sedilia. Neque enim lectum, vel quid aliud somni causa debebant substernere, quippe quod mollius haberetur, quam ut militibus remigibusque conveniret. Gubernator tamen vel centurio in strato quodam viliore recumbebat. Leo Imper. Ο τοῦ ναυάρχου ἤτοι τοῦ κεντάρχου κράβατος ἐπὶ τῆς πρύμνης ἵδρυται. Theophrastus περὶ ἀνελευθερίας. Καὶ τριηραρχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστρεύεσθαι. Observa locum ejus, catastroma videlicet in puppi. Illic degebat, C illic capiebat somnum. Sic & apud Homerum Ulysses. Odyss. N.

Κὰδ δ' ἄρ Ὀδυσσῆι στόρεσαν ῥῆγός τε λίνον τε
Νηὸς ἐπ' ἰκριόφιν γλαφυρῆς (ἵνα νήγρετον εὕδοι)
Πρύμνης. ἂν δὲ ϗ αὐτὸς ἐβήσατο ϗ κατέλεκτο
Σιγῇ ——

Sed Ulyssi straverunt culcitramque lineumque navis in subselliis concavæ, ut molliter recubaret. In puppem autem ingressus est ipse, & recubuit silentio. D Et quoniam in iis ipsis tabulis impositum habebant lectum, vitio datum legimus Alcibiadi, quod per mollitiem in fasciis quibusdam haberet suspensum, inter illas tabulas, quemadmodum Plutarchus refert in vita ipsius. *Remi* perticæ sunt longiores, in latitudinem quandam desinentes, quibus navis vel impellitur, vel stabilitur. Poetæ tonsas appellarunt, quod & Isidorus firmat, sed in ejus codice lacuna est. Quid enim volunt ista? *Remi a removendis, & decutiendis fluctibus dicti, sicut tonsores, a tondendis & decutiendis capillis.* Quomodo, ut tonsores, ita remi dicuntur? scribendum utique, *Remi a removendis,* E *& tonsæ a tondendis & decutiendis fluctibus, sicut tonsores a tondendis & decutiendis capillis.* Scriba imperitus illud *tondendi*, & *decutiendi* bis positum esse videbat, itaque alterum, ut supervacuum, omiserat. Etiam *palmulas* dixere, Græci κώπας, ab auctoribus opinor. Copas enim eas invenisse ferunt. Festum putant ex Attio docuisse, quod & *rates* appellentur. Ita enim supplent lacunam in Schedis Farnesianis. Sed hic ego nil pronuntio; certe ex Attii verbis nil ejusmodi aperte constat, ut si Festus ita scripserit, ne ipsi quidem sit assentiendum. Quanquam nec Germa- F norum *roder*, vel *ruder* multum abludat, quo remum significare solent. De priore ipsorum usu, quem diximus, notum est. Posteriorem ostendit Appianus lib. V. B. C. οὔτε κῶπαι, inquit, κατεῖχον, οὔτε ἄγκυραι αἱ νῆες. *naves neque remis sistebantur, neque ancboris.* Fiebat hoc autem remis in aquam demissis. Thucydid. lib. II. αἱ μὲν τινες τῶν νεῶν καθεῖσαι τὰς κώπας ἐπέστησαν τοῦ πλοῦ. *naves demissis remis cursum inhibuere.* Livius libro XXXVI. cap. 44. *Demittere in aquam remos ab utroque latere remiges stabiliendæ causa navis jussit.*

Intelligitur hinc locus Dionis lib. L. ubi ait: *Quum ne sic quidem vel ad pugnam exirent, vel recederent, sed eodem loco manerent, ordinesque magis & magis densarent,* ἐν ἀπόρῳ ἔσχετο, ϗ τὰς κώπας ἐς τὸ ὕδωρ τοῖς ναύταις καθεῖναι κελεύσας, ἀνέσχε χρόνον τινά. *hæsitans Cæsar remigibus, ut remos demitterent jussit, ac paululum cunctatus est.* Nimirum classis stabiliendæ caussa fieri hoc a remigibus voluit. Cæterum latitudinem ipsorum Græci πλάτας nominant, eratque apud veteres ære inducta, si Sabino fidem adhibemus: *Prora*, inquit ad v. Virgil. *ærata est, & palmulæ remorum æratæ erant.* Credo, ut aut longius durarent in aquis, aut vim fluctuum majore impetu, ac robore evincerent. Minora navigia non raro, in uno tantum latere habuerunt remos, majora vero semper in utroque. E quibus hos vocabant *dextros*, illos autem *sinistros*. Hinc Ovidius lib. III. Metam. fab. IX.

Forte petens Delon, Chiæ telluris ad oram
Applicor & dextris adducor littora remis

Et lib. XV. fab. 50.

Linquit Japigiam, lævisque Amphrysia remis
Saxa fugit ——

Jam in illis navibus, quæ versus aliquos habebant, ex his ipsis remis pars breviores erant, pars longiores. Nam & minimos habuerunt, & medios, & maximos. Unde Lucanus:

—— summis longe petit æquora remis.

Maximi fuere, quibus Thranitæ navigabant. qui & iccirco θρανιτικοὶ, vel θρανίτιδες appellabantur. Polyænus lib. III. κατὰ τὰς θρανίτιδας κώπας παρετίθη. Plumbum nonnunquam manubriis habuere infusum, quo propter pondus facilius moverentur. Athenæus lib. v. αἱ δὲ θρανῖται ϗ κῶπαι διὰ τὸ μολυβδον ἔχειν ἐν τοῖς ἐγχειριδίοις ϗ γεγονέναι λίαν. εἴσω βαρεῖαι κατὰ τὴν ζύγωσιν εὐήρεις ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς χρείας. *Hi remi, quia manubriis additum habebant plumbum, & introrsum versus transtra graviores erant, faciles in remigii usum erant.* Medios habebant Zygitæ: hinc Ζυγίας nominabant. Ultimos Thalamitæ, unde θαλαμίων nomen habebant. Meminit omnium Polyænus lib. v. elegantissimo loco, Τοῖς δὲ, inquit, ἐρέταις παρήγγειλε ἀνὰ μέρος, ὁτὲ μὲν τὰς θαλαμίας, ὁτὲ δὲ τὰς ζυγίας, ὁτὲ τὰς θρανίτιδας κώπας ἀναφέρειν, ϗ τινὰ τῶν σκαφῶν προσάγειν ἐπειρᾶτο. Pro θαλαμίοις, θαλαμιδίας dixit Suidas, & qui Etymologicum composuit. Alligabantur autem apud priscos loris ad scalmos, hoc est paxillos quosdam, quos singuli habebant proprios. Vitruvius lib. x. cap. 8. *Etiam remi circa scalmos strophis religati.* Livius Andronicus apud Isidorum lib. XIX. cap. 4. *tum remos jussit religare struppis.* Scholiastes Æschinis in Persis. Πᾶς ἀνὴρ ναυτικὸς τὴν εὐήρετμον κώπην ἐδέσμευεν ἀμφὶ τὸν σκαλμὸν ϗ τὸ ξύλον ἐν τῷ τροπωτῆρι, ϗ τῷ λώρῳ. Curtio hæc res, *aptare remos* dicitur lib. IX. cap. 9. *Hi*, ait, *dum consident, remos aptari probibebant.* Lora τρόποι Græce, item τροπωτῆρες. Homerus Odyss. Δ.

Ἠρτύναντο δ' ἐρετμὰ τροποῖς ἐν δερματίνοισι.

Scholiastes: Δηλοῖ τοὺς τροπωτῆρας, περὶ οὓς αἱ κῶπαι τρέπονται ϗ στρέφονται ἐν ἱμᾶσι τοῖς περιδεδεμένοις ταῖς κώπαις. Etymologicum. Τροπωτῆρες οἱ

ἱμαύτες ἐν τοῖς πλοίοις, ἐν οἷς αἱ κῶπαι περὶ τὰς σκαλμὰς περιδέονται. tropoteres lora ſunt in navibus, quibus remi ad ſcalmos ligantur. Et ſic Scholiaſtes Æſchyli & Euſtathius. Emendandus ergo codex Luciani in dialogo Mercurii & Charon. ubi pro *καὶ τροπωτῆρα δύο, προπωτῆρα* legitur. Heſychio etiam ſunt *ἐπικωπητῆρες*, uti diſcas in hac voce. Latinis *ſtrophi*, vel ſtruppi, ut ex præcedentibus apparet, ad quas voces alludit Germanorum *ſtropp*, quod & ipſis vinculum ſignificat: Gloſſæ veteres: *Strepus, τροπωτῆρες*. Corrigit Scaliger: *Stropus*. Sed fortaſſe nihil opus, cum a *τρέπεσθαι*, quod apud Scholiaſten antea laudatum extat, derivari poſſit. Addit: *Gloſſæ aliæ, ſtrupus, σκαλμὸς ἔνθα ἡ κώπη δεσμεῖται*. Non admitto. Nam *σκαλμὸς*, non ſtruppus, ſed paxillus eſt. Et illæ ipſæ Gloſſæ aliter, hoc modo. *σκαλμὸς ἔνθα ἡ κώπη δεσμεῖται. Scalmus, Strurus*. Præmittunt Græca, atque explicant, non poſtponunt. Sane, quid Strurus ſit ignoro, at hic ſtrupum pro eo emendari poſſe non perſuadeo mihi, cum id *σκαλμός* latine non ſignificet. Scalmum enim notat, ut jam dixi, h. e. paxillum, ad quem remus firmatur, ab eo ipſo Græco *σκαλμὸς*, ut exiſtimo. Etymologicum Magnum: *σκαλμὸς, περὶ ὃ δεσμεύουσι κώπας πάσσαλον. Scalmus paxillus, ad quem alligant remos*. Non vero navigia, ut ex perperam intellecto Ciceronis loco e lib. III. Off. vult Valturius XI. de Re Milit. cap. 5. Eſt autem *σκαλμὸς* pro *σκαρμὸς*, ſi prædicto credimus. Heſychius etiam *κωπητῆρα* vocavit. *Κωπητὴρ*, ait, *ὁ σκαλμὸς τῆς κώπης. copeter, remi ſcalmus*. Forſitan & *κώπη* dicitur. Ita enim Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnenſ. *τροπωτήρων*, ait, *τῶν ἱμάντων, τῶν συνδεόντων τὸν πάτταλον. λέγω δὲ τὸν σκαλμὸν, τὴν κώπην*: ſed mallem legere, *τῆς κώπης* cum apud neminem hoc ſenſu uſurpatum obſervaverim: ut & ſupra, *τροπωτὴρ*. Non omittendum eſt hoc loco, quod obſervaverimus nonnunquam ſcalmum, non paxillum remi unius, verum verſum plurium notare. Sic enim apud Polybium: *θρανίτης σκάλμος, verſus Thranitarum eſt*: *ταύτῃ*, ait Excerpt. lib XVI. *δοῦσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τοῦ κύτους ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, ἐδέθη*. Sic apud Æſchylum in Perſis *τρίσκαλμος*, triremis eſt, tres verſus habens remigum, ut eruditi volunt. Porro loris iſtiuſmodi non remos tantum, ſed & gubernacula religare conſueverant. Apparet ex Vegetio lib. IV. cap. ult. quando inquit: *Secreto incidunt funes, quibus adverſariorum ligata ſunt gubernacula*. S. Lucas *ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων* appellat XXVIII. Actor. v. 40. Interpres vetus *juncturas*: nempe quia iis gubernacula junguntur navi. Ait autem tum laxaſſe, quoniam, ut puto, jactis anchoris gubernacula ligabant altius, ne confringerentur a pulſu fluctuum, præcipue in tempeſtate, ſicut & remos ſuſpenſos ex Ammiano infra oſtendemus. Sed quæ iſta *ἱμάτια* ſive pelles, quarum paulo ante Scholiaſtes Homeri fecit mentionem? an quæ *aſcomata* vocantur? Pollux ſane *ἄσκωμα, τὸ πρὸς αὐτῷ τῷ σκάλμῳ δέρμα* interpretatur, id eſt *pellem, quæ ad ſcalmum ipſum eſt affixa*. Suidas, voce *διφθέρα. ἀσκώματα λέγεται, τὰ ἐν ταῖς κώπαις σκεπαστήρια ἐκ δερμάτων, οἷς χρῶνται ἐν ταῖς τριήρεσιν καθ' ὃ τρῆμα ἡ κώπη βάλλεται*. Fuerunt ergo munimenta quædam in foraminibus iis, per quæ remi exeruntur, ne frequenti circumactione remorum cito attererentur. Unde Scholiaſtes Ariſtophanis, *ὁ τῆς κώπης ὀφθαλμὸς ἔχει τὸ ἄσκωμα. In foramine remi eſt aſcoma*. Fuit & alia pellis in navibus, quam ſibi ſubſternebant remiges. Græce *ὑπηρέσιον* vocatur. Scholia Thucydidis *ὑπηρέσιον ἐστι τὸ κῶας ᾧ ἐπικάθηνται οἱ ἐρέσσοντες, διὰ τὸ μὴ συντρίβεσθαι αὐτῶν τὰς πυγάς. Hypereſium eſt pellis, in qua conſident remigantes, ne conterant nates*. *Ὑπαγκώνιον*, vel potius *ὑποπύγιον τῶν ἐρετῶν* a Suida dicitur, ut proinde recte a Polluce inter arma remigum referatur. Male vero a Gyraldo modo *remus*, modo *id quod remis ſubjacet*, explicetur. Habes inſtrumenta remigationi neceſſaria. Alia & plura poſtulat velificatio. Ut primum vela ipſa, dein antennas, poſtea malum, funes multos, & id genus alia. *Vela, tumices* Latine, Græce *φώσσωνες* dicuntur, *παρὰ τὸ φωσᾶσθαι ὑπ' ἀνέμων*, hoc eſt, *quia vento intumeſcunt*, uti Scaliger, & Rhodiginus Cælius obſervant. Etiam *ἄρμενα* vocantur. Gloſſæ. *ἄρμενον, velum*. Suidas in *Δόλωνες*: *χαλάσαντες μεγάλα ἄρμενα*. Unde *ἀρμενίζον πλοῖον, navis velificans*, in legis Rhodiæ §. 36. Vulgo ſunt *ἱστία*. Olim ſingula tantum ſingulis in navibus habuere, deinde plura. Plinius lib. XIX. in præfat. *Jam vero nec vela majora ſatis eſſe cœperunt navigiis. Sed quamvis amplitudine antemnarum ſingulæ arbores ſufficiant, ſuper eas tamen addi velorum alia vela, prætereaque alia in proris, alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem*. Nomina eorum ex Polluce hæc ſunt. *Artemon*, quod in fuſo ſupra antemnam ſuſpenditur, &, ut ait Iſidorus, dirigendæ potius navis commendatur. Mentio illius eſt in Actis XXVII. v. 40. *ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν*. Et quia velo neceſſario ſuperadditur, hinc Labeo non partem navis, ſed adjectamentum eſſe contendit l. 242. ff. d. V. S. *Acatus* (veteres Gloſſæ Iſidori *achateon* appellant) maximum ac proprium velum. Plutarchus: *τοὺς μὲν ἐπαραμένους τὰ ἀκάτια φεύγειν ἀπ' αὐτῶν κελεύουσιν. jubent illic effugere paſſis velis majoribus*. Heſychius: *Ἀκάτια, τὰ μεγάλα ἄρμενα*. Obſerva utrumque ſcribere *ἀκάτια*, non *ἀκάτιοι*, ac proinde apud Pollucem pro *ἀκάτιος, ἀκάτιον* emenda. Sic & apud Iſidorum *acation* mallem legere, quam quod præferunt vulgati. Licet hanc ſcripturam retineat & Gloſſarium noſtrum vetus Mſ. Latino-Germanicum. Male cum dolonibus confundunt Procopius, & Theophilus, quorum verba extant apud Lylium Gyraldum. *Dolon* enim, quod & *Lipadum*, minimum eſt velum, & ad proram defixum, ut teſtatur Iſidorus. Suidas, *δόλωνες τὰ μικρὰ ἱστία, Dolones, parva vela*. Utitur & Livius hac voce multis locis, quibus fere omnibus Appianus *τοῖς βραχέοις τῶν ἱστίων* habet. Quanquam, ne quid diſſimulem, apud Xenophontem videor inveniſſe acatia pro dolonibus lib. VI. Hiſt. *εὐθὺς γὰρ*, ait, *τὰ μεγάλα ἱστία, αὐτοῦ κατέλιπεν, ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν πλέων, καὶ τοῖς ἀκατίοις δὲ, καὶ εἰ εὔφορον πνεῦμα, ὀλίγα ἐχρῆτο*. Opponit hic ſane acatia velis majoribus, quæ domi relicta ſcribit. *Epidromus*, ſecundæ magnitudinis velum eſt, quod ſuſpenditur in puppi, teſte Iſidoro, & Heſychio. Poſterior hoc modo: *Ἐπίδρομον τὸ ἱστίον τὸ ἐν τῇ πρύμνῃ κρεμάμενον. Epidromus velum eſt, in puppe ſublatum. Suppara* vero dicuntur ea vela, quæ in ſummo mali collocantur. *Velum*, inquit Lipſius, *ſummo malo appenſum ſic vocabant, id eſt minuſculum velum, & quod in venti faventia nautæ ſolent extendere*. Quanquam magis eſt, ut in prora credamus extenſum, cum dolone, a quo quia ſeparari potuit ſuparum, vel, ut alii, ſiparum eſt dictum. Sane cum unum tantum habuerit pedem, uſus ejus in malo eſſe non potuit. Iſidorus: *Siparum genus veli unum pedem habens, quo juvari navigia ſolent in navigatione, quotiens vis venti langueſcit, quod ex ſeparatione exiſtimant nominatum*. Fuit ergo potius ſimile ei, quod hodie *Foke* appellant. Id ſi verum, Schedæ Feſti aliter ſupplendæ erunt, hoc modo: *Siparum junctum ei, quod*

appellant dolonem, quod est velum minus in navi, ut acation majus. Siparum autem dictum ait Sinnius Capito velut separatum quod sit a dolone interioris mali velo. Seneca Ep. LXXVII. *Solis licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves.* De Alexandrinis illic sermo est, quibus solis isto velo uti permissum fuit, cum cæteræ velo contentæ esse juberentur, ait Casaubonus ad Suetonium. Quod autem addit, *Supparum non ad usus, sed ad indicium gaudii rebus secundis sublatum a nautis*, id mihi vellem aliquo scriptoris testimonio probasset. Videtur enim aliud docere Seneca, cum id cunctis tribuat in alto. Cui consentiunt Lucanus, atque alter Seneca Tragœdus in Medea, vers. 337. Lucani verba hæc sunt lib. V. vers. 429.

—— summa pandens
Suppara velorum, perituras colligit auras.

Non ergo gaudium tantum indicabant, sed vel maxime ad velificationem adhibebantur. Cæterum an eadem hæc fuerint cum artemone, alii dispiciant. Nobis certe non multum diversa videntur. Himerius quoque apud Photium ἱστίον ὑψηλὸν vocavit, *μετάρσιον οἷον καὶ λαμπραῖς αὐγαῖς, καὶ πελαγίοις πετάννυσθαι. velum supremum sublime, quale radiis claris & in tranquilliore cœlo expandi solet.* Conficiebantur porro vela ex lino, cannabe, scirpo, sparto, corio. Ex corio pellibusque primum facta videntur. Nomen indicare potest, est enim velum a vellere, id est pelle, uti Varro docet. Hinc & Lucianus βύρσας nominavit. ἐπὶ πολὺ, ait, παρὰ τὸν ἱστὸν ἕστημεν ἀναβλέποντες, ἀριθμοῦντες τῶν βυρσῶν τὰς ἐπιβολάς. *Diu juxta malum stetimus sursum spectantes, numerantes vela alia aliis imposita.* Interpres ibi *coria* scripsit, quod nullum habet sensum. Hoc vult, spectasse vela, & ex eorum numero æstimasse mali altitudinem. His velis coriaceis adhuc Cæsaris temporibus Veneti utebantur, Cæsare ipso notante lib. III. de bell. Gall. *Pelles*, inquit, *pro velis, alutæque tenuiter confectæ, sive propter lini inopiam, atque ejus usus inscitiam, sive quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis, non satis commode arbitrantur.* Strabo lib. IV vela ista σκύτινα, Dio lib. XXXIX. δερμάτινα appellant. At apud Homerum omnia navium armamenta sunt ex lino. Sic enim spartum eruditiores apud eum interpretati sunt, quoniam *cum sparta dixit, significaverit sata*: verba Plinii lib. XIX. cap. I. Et talia quoque apud Ovidium. Hinc ille versus in Epist. Briseis. *Fama est*

Te dare nubiferis linea vela notis.

Fuit autem singulare genus lini, *carbasus* vocatum, unde pleraque hæc talia fiebant. Virgilius lib. III.

—— tumidoque inflatur carbasus austro.

Niliaccolæ καὶ ἱστία ποιοῦσι καλάμινα, ψιάθοις, ἢ ῥιψὶ παραπλήσια: inquit Strabo lib. IV. *vela e calamo efficiunt, storeis & cratibus similia.* Hujusmodi videtur illud, quod Antonius Bosius ex Sarcophago in Vaticano reperto exhibet in Roma subterranea, ubi Jonæ Prophetæ historia est depicta. Idem Strabo docet libro decimo & sexto. Βύσσινον ἱστίον Philopatoris navis habuisse traditur ab Athenæo lib. V. sed ad luxum magis, quam ad usum. Apud Indos *palma* arbor est, e cujus foliis vela & carbasa texuntur, ut memorat Pontanus lib. II. Hist. Amstelod. cap. 24. Nonnunquam vestimentis navigabant, passis velorum vice. Tacitus Hist. V. cap. 23. *captæ lintres sagulis versicoloribus, haud indecore pro velis juvabantur.* Nempe in defectu velorum fieri hoc solitum. Juvenalis Sat. XII.

—— modica non multo fortior aura
Ventus adest, inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extensis. ——

Tacitus Annal. II. cap. 24. *claudæ naves raro remigio, aut intentis vestibus revertere.* Hinc fabula de Hercule intelligitur, apud Servium VIII. qua *tergo leonis* velificasse fertur, pellis enim leonina ipsi pro veste fuit. Color velorum apud veteres albus. Ovid. Epist. Phillis.

—— sæpe putavi
Alba procellosos vela referre notos.

Idque ominis fortasse caussa. Rebus enim lætioribus hic color proprius: sicut in adversis, niger. Unde mater Thesei apud Catullum ver. 146I.

Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ,
Sed infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine bibera.
Sed simul ac nostras invisent numina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Postea tentatum est tingi linum, & vestium infaniam accipere, in Alexandri Magni primum classibus, Indo amne navigantis, cum duces ejus ac præfecti in certamine quodam variassent insignia navium, stupentibus littoribus flatu versicoloria implente. Plin. lib. XIX. cap. I. Itaque & purpurea, & hyacinthina vela legimus, ut alibi constabit. Cæterum hæc vela pertica quadam extendebantur, quam Latini *antennam* nominant. Hirtius in quarto. *Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet.* Græcis sunt κεραῖαι. Scholiast. Homeri Iliad. Σ. κεραία καλεῖται τὸ ἐπάνω τῷ ἱστῷ δεδεμένον πλάγιον ξύλον, ᾧ ἐξάπτεται ἡ ὀθόνη. Glossæ veteres. *Antenna*, κέρας. Achill. Tatius lib. V. ἐπὶ τὸ κέρας ἧξα. Ignoravit interpres Æliani. Itaque pessime lib. II. Anim. cap. 48. *rostrum* reddidit. Melius, si *cornua* dixisset. Nam & ita Græca imitatione vocantur. Silius Ital. l. XIV.

—— veloque superba capaci
Cum rapidum hauriret boream, & cornibus omnes
Colligeret flatus ——

Partes ejus, ἄμβολα & σύμβολα, hæc circa malum sunt: post ἀγκῶλαι, latine, *brachia*: ultimo ἀκροκέραια, *cornua*. Suspendebantur autem ita, ut extra malum, versus proram prominerent. Quare Plinius de piscatore Africo lib. XVI. cap. 38. *Præpostero more intra malos vela suspendit.* Jam, quo facilius antenna cum velis elevaretur, malum ligna quædam orbicularia, pomorum instar circumdata habebat. Isidorus: *Malus dictus, quia quasi quibusdam malleolis* (lego, *maleolis*, & malorum vel pomorum similitudines, quas referebant, interpretor) *ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius elevantur.* Meminit & Servius, si eum recte intelligo ad Poetæ V. vers. 828. ubi Poeta: *jubet ocyus omnes attolli malos. Vela*, inquit, per malorum volubilitatem levari. Certe aliam in malis volubilitatem ego nescio. Se-

quitur *malus*, in quo vela cum antennis ſuſpenduntur. Græce eſt ἱςὸς. Hunc unicum antiqui habuere, in medio navis collocatum. docet Ariſtoteles in VI. Quæſt. Mach. c. 2. *Navis conſtruitur ex circuli hypotheſibus, ita nimirum ut malus ſit ſemidiameter, qui exſurgat ex ipſo navis centro.* Et Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium in Præparat. lib. XIII. cap. 24. *Dum navis compingitur,* ὐχ ὁ κτ̀ μέσην ἑαυτὸν ἱςὸν ὤρθωσε, *malus non ſe ipſum e medio navis erigit.* Et quia in medio erigebatur, foramen cui inſerebatur, μεσόδμη Græce dictum eſt. Schol. Homeri ad Odyſſ. B. Μεσόδμη ἡ ὀπὴ, δι' ἧς ὁ ἱςὸς ἐνείρεται, παρὰ τὸ ἐν μέσῳ τ̃ νηὸς δεδομεῖσθαι. At Apollonii interpres hanc eandem facit cum ἱςοδόκη. Sed erroris convinci poteſt, etiam ex Poeta ipſo, qui de μεσόδμη ita:

—— μέγαν ἱςὸν ἐνέςησαν μεσόδμη,
Δῆσαν δὲ προτόνοις τανυσσάμενοι ἑκάτερθεν.

Malus hic erigitur, & μεσόδμη inſertus, rudentibus firmatur. At de ἱςοδόκη contra, Homerus Iliad. A.

Ιςία μὲν ςείλαντο θέσαν δ' ἐν νηῒ μελαίνῃ
Ιςὸν δ' ἱςοδόκῃ πέλασαν προτόνοισιν ὑφέντες.

Hic inclinatur malus, atque ponitur. Ita enim fiebat in exſcenſione cum appulſum eſſet ad littus, quod poeta hic deſcribit. Lucanus lib. III. v. 45.

Et poſito remis petierunt littora malo.

Fuit ergo ἱςοδόκη ille locus, quem *caſteriam* Latini appellarunt. Nonius Marcellus. *Caſteria locus, ubi cum navigatio conquieſcit, remi & gubernacula conquieſcunt.* Plautus Aſinar. *Quin pol ſi repoſui remum, ſola ergo in caſteria.* Sane apud Suidam ἱςοδόκη, ἡ ὑποδεχομένη τ̃ ἱςόν. hoc eſt, *theca quæ malum recipit.* Euſtathius ξύλον interpretatur, κτ̀ πρύμναν ἐξέχον, καθ' ὃ κλίνεται ὁ ἱςός. *lignum in puppi, cui inclinatur malus.* Μεσόδμη vero, *modius* Latine. Quæ ipſa vox ſicut Græca, dicta videtur quaſi medius, a medio. Cum & modus ſit a medio, id eſt eo, quod cum præſcribat virtus, verum modum in ſe continet. Iſidorus: *Modius eſt, cui arbor inſiſtit, ob ſimilitudinem menſuralis vaſis dictus.* In Gloſſis Stephani eſt *pergula*. *Pergula*, μεσόδμη. Ammonius alias & ἱςοπέδην Græce vocat, clareque ab ἱςοδόκη diſtinguit. ἱςοπέδη ὁ ἐν μέσῳ τ̃ νεὼς κοῖλος τόπος. τινὲς δὲ ληνίδα καλοῦσι, εἰς ὃν ὁ ἱςὸς ἐντίθεται. Porro partes mali, quem & *arborem* vocare ſolent; prima πτέρνα, quæ foramini, vel modio inſeritur. ſecunda λινὰς, vel ut habet Athenæus, λινὸς, circa quam velum ſuſpenditur. ſicut quidem expoſuit Gualterius apud Pollucem: ſed in Græco eſt τ̃ ἱςὸν ἐναρμοζόμενον. Non igitur pars mali, ſed navis, a qua malus recipitur, eaque ipſa quam modium vocavimus. Quod & Ammonius oſtendit. Aſclepiades Myrleanus, quem Macrobius, ut oſtendam, citat v. apud Athenæum lib. XI. τοῦ ἱςοῦ τὸ μὲν κατωτάτω πτέρνα καλεῖται, ἣ ἐμπίπτει εἰς τὴν ληνὸν dicitur τράχηλον. Summa, ἠλακάτη vel θωράκιον. & ea eſt, in qua dolon nonnunquam & καρχήσιον vocatur. Retinet hæc nomina Macrobius in Saturnalibus, *Aſclepiades*, inquit, lib. X. *vir inter Græcos apprime doctus ac diligens, carcheſia a navali re dicta exiſtimat. Ait enim, navalis mali partem inferiorem pternam vocari. At circa mediam ferme partem,* τράχηλον *dici. Summam vero partem carcheſium nominari, & inde diffundi in utrunque veli latus ea, quæ cornua vocantur.* Carcheſii etiam Apulejus mentionem fecit in Aſino. *Malus*, inquit, *inſurgit, pinus rotunda,*

A *ſplendore ſublimis, inſignis, carcheſio conſpicua.* Verſatilia fuiſſe iſta in ſummo carcheſia obſervamus ex Vitruvio, unde non tam partem mali, quam aliud quoddam inſtrumentum in ipſius ſummitate fuiſſe arbitramur, ſimile fortaſſe corbibus noſtris, quas in ea parte nautæ collocare ſolent, & exinde procul in mare conſpiciunt, naveſque adventantes obſervant. Galenus τὸ ἐπ' ἄκρῳ τοῦ ἱςίῳ τοῦ ἔχοντι τροχηλίαν exponit. Pollux ita habet: Ορθίαξ τὸ κάτω τ̃ ἱςοῦ καλεῖται, ὡς τὸ ἄνω καρχήσιον. Euſtatius Od. T. τὰ ἄκρα τῶν ἱςῶν καρχήσια. Iſidorus. *Carcheſia, ſicut in cacumine arboris.* Sed quid Scholiaſti Apollonii faciamus, qui quartam adhuc mali
B partem nominat ex Eratoſtene? Μέρη ait, ἱςοῦ. πτέρνη, θωράκιον, ἠλακάτη, καρχήσιον, κεραία, ἰκρίον. An & in malo ἰκρία habuere? hoc eſt, alia quædam ligna, ſupra carcheſium erecta, velut parvas arbores, ut hodie in navibus quandoque fieri videmus? an potius cornua quædam in ea parte denotant, qualia & in noſtris ſunt? Ignoro enim, annon Flacci verſum huc referre debeam, qui ita habet lib. VIII. Arg.

Ultimaque agnoſcunt Argoi cornua mali.


C Sed omnino ἰκρίον lignum fuit rectum, prominens ſupra θωράκιον, in cujus ſummitate ἠλακάτη. Ηλακάτη pars fuit ſumma, deſinens in mucronem, cujus veriſſimam effigiem habes in navi antiqua apud Bayſium pag 165. quam & nos expreſſimus in ea, quæ huic libro ſubjecta eſt. Vel in rotunditatem inſtar pomi, ut eſt in alia apud Bayſium pictura p. 151. unde Iſidorus: *Malus dictus, quia habet inſtar mali ſummitate.* Ικρίον Pollux etiam ἄτρακτον vocare videtur, in quo fuit ἐπισείων, id eſt tænia, ſeu velum, ludens in aere, cujus iterum imaginem habemus apud Bayſium pag. 151. Forte hoc eſt, quod *Artemona* Iſidorus appellari ait, quia ἀπαρ-
D τῶσι τ̃ ἀτράκτου, ut Pollux loquitur. Dirigit ſane navim, quia ex ejus ſitu gubernatores ventura cognoſcunt. At Iſidorus ait, *non celeritatis, ſed dirigendæ potius navis cauſa commendari*: quæ verba aliter intelligi non poſſunt. In navigatione Pauli tamen veli loco fuiſſe ſupra diximus θωράκιον vero eſt quod Latini *corbem* vocant. Euſtath. ἱςοῦ τὸ πρὸς τῷ τέλει, καρχήσιον: ᾧ ἐπίκειται τὸ λεγόμενον θωράκιον, τετράγωνον ὄν, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἀνήκουσα εἰς ὕψος ὀξεῖα, ἡ λεγομένη ἠλακάτη. *In ſummitate mali eſt carcheſium; cui ſuprapoſitum, quod thoracion dicitur, & eſt quadratum, quodque ſupra id in altum deſinit in acumen, dicitur elacate.* θωράκιον diſtin-
E ctum quid a carcheſio, & quod obſervandum, figura quadrata, inſtar turriculæ, cum propugnaculis, unde & θωράκιον, quod Suidas τεῖχος exponit. Stabantque in eo milites, pugnantes in hoſtes ſaxis ac lapidibus, ut Apud Athenæum lib V. in deſcriptione navis Hieronis videre eſt. Exhibet navis alia apud Valturium, & antiquiſſima apud Bayſium pag 151. quam neſcio cur captivam vocet. Stant ſane ibi milites in thoracio cum telis, pugnantque, ipſius quoque thoracii vera effigies, niſi quod rotundum quod tamen ignorantia pictoris factum puto, prominentque nonnihil ejus ſuperiora inferioraque, plane ut ab Aſclepiade deſcribi-
F tur. ἐπίκειται τὸ λεγόμενον αὐτῷ θωράκιον, τετράγωνον πάντη, πλὴν τ̃ βάσεως καὶ τῆς κορυφῆς. αὗται δὲ προέχουσι μικρὸν ἐπ' εὐθείας ἐξωτέρω. At vero carcheſium infra thoracium fuit in ipſo malo, machina quædam oblonga, verſatilis, in medio ſinuata, in qua trajecti funes volvebantur. Servius ad lib. v. Æn. verſ. 77 *Carcheſium dicitur & ſummitas mali, per quam funes trajiciuntur.* Venio ad funes quos hæc omnia requirunt. Nam funibus malum erigitur, funibus religatur antenna, funibus ſub-

ducuntur vela, funibus explicantur. Est autem valde intricata eorum expositio, cum ne veteres quidem ipsi in omnium nominibus conveniant. Sequemur ergo id, in quod pars maxima consentit. Quibus antenna sustollitur vel demittitur cum velis, *rudentes* appellantur. Hieronym. advers. Jov. in 1. *Rudentibus vela sustollam*. Ita Seneca in Agamemnone, Horatius, & alii. Vegetio sunt funes *chalatorii* a Græco χαλᾶν, quod est demittere, ut alibi monstratum. Errant, Turnebus & Stevech. quando pro opiferis accipiunt. At Græci ἐπιτόνους nominant. Nisi potius ἐπίτονος is funis, quo circa medium religatur. Suidas. ἐπίτονος ὁ δεσμὸς ὁ πρὸς τὸν ἱστὸν τὸ κέρας. *epitonus, lorum quo antenna religatur ad malum*. Jam funis, quo antenna ex utroque cornu religatur ad malum, *Ceruchus* dicitur, & *anchonis*. Meminere Glossæ Isidori, & Marcellus. Sed apud hunc postremum aliqui *anquinas* legunt. Quanquam rectum sit utrumque. Hesych. ἀγκόλαι, ἀγκῶνες, ἀγκοῖναι, ἀγκάλαι· χεῖρες καὶ σχοινία τοῦ ἱστοῦ. *Anchones*, Hesychio ἀγκῶνες; *anquines*, ἀγκῶναι. vocat autem χεῖρες, quia iis velut manibus tenetur utrinque in malo. Sane *anquinas* habet ipse Lucilius, ut est editus a Dousa. In Isidori vero melioribus codicibus *anguina* reperitur. Quomodo & in Lexico veteri se scriptum vidisse ait Turnebus in quo per ἀγκύραν, & σινάγχην Græce exponitur. Quod efficit, ut non contemnam lectionem mei Nonii, quæ in Lucilio *ancora* non *anquina* habet. Lucanus

Transtraque nautarum, summique arsere ceruchi.

Homerus κάλωνας appellavit, quemadmodum & Latini aliqui *rudentes*; pendebant hi funes ex machinula quadam, erantque trajecti per foramen ejus machinæ, quod πέρθρον Græce dicebatur. Id quod pertinebat eo, ut antenna ab una parte tolli, unusque veli sinus dirigi in ventum, alter premi posset. Phavorinus voce πέθρον: τινὲς δέ φασι (πέρθρα) τὰ ἄνω τρυμμάτια τοῦ ἐπὶ τῷ ἱστῷ ὀργάνου, ἀφ᾽ οὗ ἤρτηται τοῦ ἱστοῦ ἡ κεραία. At quibus vel laxatur, vel intenditur antenna *hyperæ* dicuntur. Suidas: ὑπέρα, τὸ τοῦ κέρατος τοῦ ἱστοῦ σχοινίον, ᾧ ἀνίεται, καὶ ἐπιτείνεται. *hypera antennæ in malo funis, quo intenditur aut laxatur*. Scholiastes Homeri τοὺς ἐκ τῶν ἄκρων τῆς ὀθόνης ἐξημμένους κάλους interpretatur. Latinis sunt *opiferæ*, si Isidoro credimus lib. XIX. *Opifera, funes quæ cornibus antennæ dextra sinistraque tenduntur retroverso*. Velum quoque ipsum suos proprios habebat funes in utroque angulo, quos Latini *pedes*, Græci πόδας nuncupant. Testes sunt Virgilius, Ovidius, & alii quamplurimi. Aristophanis interpres ita: πόδας καλοῦσιν οἱ ναῦται τοὺς παρ᾽ ἑκάτερα τὰ μέρη κάλους ἐκδεδεμένους τῆς ὀθόνης. Sequuntur Scholia Homeri, Apollonii, atque aliorum. Phavorinus: τοὺς κατὰ τὰς γωνίας λέγουσι. ἐφεξῆς δὲ τούτων, πρόποδας, μεθ᾽ οὓς εἰσιν οἱ καλούμενοι πέρθροι. Nota *propedes* vocari junctos pedibus funes. qui non alii quam quibus, pedes adducuntur vel laxantur. Est & versoria funis, quo velum vertitur, apud Plautum in Mercatore, ut exposuit Turnebus lib. X. cap. 4. Adversariorum. Cæterum ii, quibus malus vel erigitur, vel demittitur, *mesuriæ*, ut docet Apollonii interpres; quibus ex utroque latere firmatur, *protones*. Quanquam mesuriæ magis ad velum pertinuisse videantur. Phavorinus sane eosdem facit cum chalatoriis, hos contra protones appellat, sicut quibus a lateribus firmatur malus, Calones. verba ejus hæc sunt: κάλωνας λέγουσι, τὰ σχοινία, οἷς ὁ ἱστὸς ἰσχυρὸς ποιεῖται ἀπ᾽ ἑκατέρων τῶν πλευρῶν τῆς νεώς, οἷς δ᾽ ἰσχυρὸς ποιεῖται ὁ ἱστὸς ἐξ ἑκατέρων μέρους, ἐπὶ τῆς πρώρας, προτόνους. Quanquam,

A quod addendum, non in prora tantum, sed & puppi fuerint religati hi funes, ne a ventis verteretur malus, sicut idem docet, voce πρότονα. ubi & cum in neutro hoc vocabulum effertur, funes sive lora scribit signare vel quibus tolluntur vela, vel potius quibus antenna religata est ad malum, quosque alias epitonos vocari diximus Et hi quidem, ut Homeri Scholiastes tradit, per machinulam seu trochleam trajiciebantur, quam in summo capite habebat malus, prope carchesium. Sunt qui *charchesium* ipsum pro ea rotula accipiunt: & recte sicut in præcedentibus ostensum est. Vitruvius *Antarios* funes nominavit, lib. X. cap. 3. a verbo ἀνταίρειν, ut vult Baldus, id est *attollere*, quod tamen magis ad mesurias pertinere videtur. Fiebant porro hi funes olim e loris pellibusque, postea e lino, cannabe, sparto, junco, palmæ foliis, philira, imo ex arborum corticibus, cerasi cumprimis, tiliæ, vitis, aceris, & carpini. Javæ incolæ e viminibus etiam hodie ducunt. Apud eosdem *Palma arbor est, ex cujus nucum exteriori cortice rudentes faciunt*. Pontanus Hist. Amst. II. cap. 24. Βύβλινα ὅπλα memorat Homerus, qualia sunt & Prasinæ gentis apud Plinium in sexto, cap. 22. Restant illa instrumenta, quæ ad totam navigationem pertinebant. Qualia sunt gubernacula, anchoræ, conti, & similia. *Gubernacula*, πηδάλια a Græcis dicta, remi longiores sunt, ad puppim religati, quibus cursum navis moderamur. Silio lib. XIV. *plectra* dicuntur. Horum partes apud Græcos his nominibus significantur. οἴαξ, φθεὶρ ἢ ῥίζα ἢ ὑπόζωμα, πτερύγιον, αὐχήν. Οἴαξ illud est, quod Latini *clavum* nominant. Isidorus. *clavus est, quo regitur gubernaculum*. φθείρ, pertica est gubernaculi πτερύγιον, utræque ejus latitudines, velut alæ, quas Latini *pinnas* appellarunt. Nonius in Bipennis: *Nonnulli gubernaculorum partes teruiores ad hanc similitudinem* (bipennis scilicet) *pinnas vocant eleganter*. Αὐχήν, pars reliqua. Vitruvius *ansam* gubernaculi vocavit. Effigies gubernaculorum apud priscos hæc fuit, uti eam exhibet Gorlæus in Dactyliotheca sua onychi incisam, & sardæ.



a. *pinnæ*. b. *rhiza*. c. *clavus*. d. *ansa*.

Habuerunt autem apud priscos quædam naves unum, pleræque duo, aliquæ tria etiam, & quatuor gubernacula. Unum minimæ habuere, paulo majores, duo. Heliod. lib. 5. Eth. c. 15. τῶν πηδαλίων θάτερον ἀποβαλόντες. *alterum gubernaculorum admittunt*. θάτερον, inquit, unde duo habuisse apparet. Itaque & Carthaginenses duos rectores singulis navibus præficiebant, inconveniens esse dictitantes, δύο μὲν πηδάλια ἔχειν, τὸ δὲ διευτελέσαντα τοῖς ἐμπλέουσι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἔχοντα τῆς νεὼς ἔρημον εἶναι καὶ μόνον ἐπιδέχου καὶ κοινωνοῦ. Ælianus lib. IX. Var. cap. 40. Petronius: *Nunc per puppim, per ipsa gubernacula dilabendum est*. Et alio loco: *Non arbor erat relicta, non gubernacula, aut funis*. Guber-

nacula ubique ait, ut plura habuisse intelligas. Sic Apulejus est intelligendus quando ait lib. II. de Asino. *Navis ipsa qua vehebamur, variis turbinibus procellarum quassata utroque regimine amisso, ægre ad ulterioris ripæ marginem detrusa, præcipitio demersa est.* Non ut accepit Beroaldus, qui *utrumque regimen*, *velum cum gubernaculo* interpretatus est. Quemadmodum & Beza male *Lucam* scripsit *figura usum*, quando Act. XXVII. ita ait: ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων. Nam de his ipsis duobus gubernaculis illic sermo est. Quid? quod Argo navis imaginibus probetur, quarum nulla est, quæ non duo gubernacula exhibeat. Et stellæ ipsæ non in uno tantum, sed duobus gubernaculis numerantur. Tria gubernacula quædam gentes Indiæ habere solent. Quatuor in ista Philopatoris fuere. Athenæus lib. V. At qua in parte ista gubernacula fuerint, non satis constat. Quæ uno regebantur, id in medio puppis videntur habuisse. Quæ vero duobus, in lateribus, non multum a medio. Docent prisca monumenta, & imprimis Oppianus lib. I. de piscat.

Τοίχους δ' ἀμφοτέρους περὶ δὲ πρυμναῖα γαλινὰ

Οἰήκων. Quæ quatuor, duo forsan in puppi, duo a lateribus istis. Singulare est, quod Chabrias, cum duo haberet a lateribus, duo alia curavit poni per parexiresiam, quibus uteretur in tempestate, uti docet Polyænus lib. III. videturque id inventum fuisse ejusmodi, quale usurpant hodie in galeis, & *schuvert*, id est enses appellant. Nempe in tempestate, cum est θάλασσα κοίλη ut Polyænus loquitur, h. e. cum dehiscit mare, gubernacula in puppi ad aquam non pertinent, quia puppis a præcedente cavitatem fluctu tollitur & hoc est, quod ait, ideo curasse ea duo apponi, ὡς τε ἐξαιρομένης τῆς πρύμνης, τούτοις τὴν ναῦν κατευθύνεσθαι. Est autem κοίλη θάλασσα proprie de fluctibus ex abrupto surgentibus labentibusque: ita enim usurpavit etiam Arrianus in Periplo Pon. Eux. Stukius ibi *mare tumescens* reddidit. Sed est aliud tumescens mare, quia non statim, quando tumescit, dehiscit. Melius *cavum* dixisset templo Ovidii lib. III. de Arte

Quisque cavum vastas in mare servet aquas.

Certe & nostri eo modo *bolluvater*, quando dehiscit appellare solent. Inveniuntur, quæ non in puppi tantum, sed & prora habuere. Ut Suionum apud Tacitum Ger. XLIV. Meminit & lib. II. Anal. cap. 6. *Properantur plures appositis utrinque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent.* Meminit & Suidas voce δίκροτα. τινὰ δὲ, inquit, καὶ ἐκ τῆς πρύμνης, καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδαλίοις ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι, καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τὰς ἐναντίας ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. *Sunt & quædam, quæ binis gubernaculis a prora & puppi instructæ sunt, ut non conversi & in hostes navibus ferrentur, & recederent, & eos tam progressu, quam recessu fallerent.* quibus verbis & usus hujus rei indicatur. Quia tamen gubernacula proprie ad puppim pertinebant, ideo credo eundem Suidam naves istiusmodi ἀμφιπρύμνας appellasse, quasi quæ nullas proras, duas puppes tantum haberent. Ἀμφιπρύμνης, inquit, εἶδος πλοίου. Addit postea locum veteris cujusdam. ἔμπαλιν διελθεῖν παρεσκεύασε τὸ ἴσχον ἐν ταῖς ἀμφιπρύμναις τῶν νεῶν. In Danubio usurpatas ait fuisse. Vidimus & nos in Reno, supra Basileam, quæ nullis remis, ipso tantum fluminis rapidissimi impetu agebantur, de cetero tria in prora, tria in puppi haberent gubernacula. Etiam apud Agathiam lib. V. mentio fiat

A harum navium, ubi male Vulcanius *bipuppes* reddidit. Hæ enim potius δίπρυμνοι, quæ ab istis multum differebat. Potuit enim una eademq; navis esse δίπρυμνος ac δίπρωρος, ut ex illa Philopatoris apparet, ἀμφίπρυμνος vero simul, & ἀμφίπρωρος (si sic loqui liceret) non potuit. Hesychius: ἀμφίπρυμνον, πλοῖον ἑκατέρωθεν πρύμνας ἔχον. Addit, καὶ τὰ ἐπὶ σωτηρίᾳ πεμπόμενα πλοῖα, h. e. ea, quæ in salutem & auxilium mittuntur, sic vocari. Ex istis autem duobus gubernaculis movebant modo hoc, modo illud, prout in hanc aut istam partem erat navigandum. Ita intelligo verba Theodoreti in Orat. II. de providentia, quando ait: καὶ τὸν

B κυβερνήτην ὁρῶν κινοῦντα, νῦν μὲν τὸ δεξιὸν φέροντα, νῦν δὲ τὸ εὐώνυμον μεταφέροντα. Interpres non ad gubernacula, sed navigium retulit. Ita enim reddidit: *cernens gubernatorem quidem clavum tenere, & gubernacula prout opus est movere, & nunc quidem in dextrum nunc vero in sinistrum latus declinare.* sed aliam fuisse mentem Sancti Patris existimo. *Anchora* jam sequitur, ἄγκυρα Græce. Est id instrumentum, quo navis sistitur. Tyrrheni primum invenerunt, teste Plinio lib. VII. cap. ult. At Pausanias in Attic. id Midæ tribuit, Gordii filio. Ἄγκυρα δὲ, inquit, ἣν ὁ Μίδας ἀνεῦρεν, ἦν ἔτι καὶ ἐς ἐ-


C μὲ ἐν ἱερῷ Διός. *Anchora, quam Midas invenit, est etiam nunc in templo Jovis.* Sed nimirum nec materiæ ejusdem, neque formæ semper fuit apud veteres, ut proinde hic illam, iste aliam invenisse potuerit. Antiquissimæ e lapide fabrefactæ erant, ut ostendit Apollonius in Argonauticis. Hinc Arrianus in Periplo Ponti Euxini. ἐνταῦθα καὶ ἡ ἄγκυρα δείκνυται τῆς Ἀργοῦς, καὶ ἡ μὲν σιδηρᾶ, οὐκ ἔδοξέ μοι εἶναι παλαιά. καίτοι τό μέγεθος οὐ κατὰ τὰς νῦν ἀγκύρας ἐστὶν, καὶ τὸ σχῆμα ἀμηγέπη ἐξηλλαγμένη. Ἀλλὰ νεωτέρα μοι ἐφαίνετο εἶναι τοῦ χρόνου. Λιθίνης δὲ ἄλλης θραύσματα ἐδείκνυτο παλαιὰ, καὶ μᾶλλον εἰκάσαι ταῦτα εἶναι τὰ λείψανα τῆς ἀγκύ-

D ρας τῆς Ἀργοῦς. *Ibidem* (in templo Deæ Phasianæ) *ancora navis Argus ostenditur. quæ quum sit ferrea, mihi parum visa est antiqua, licet magnitudine pariter, & forma nonnihil ab anchoris nostrorum temporum differat, tamen videtur esse recentior. at alterius lapideæ anchoræ fragmenta pervetusta ibi visuntur, quæ quidem verisimilius est antiquissimæ illius anchoræ Argonauticæ reliquias esse.* Et tales servant hodie in Calecuth. Ludovichus Romanus Patricius lib. X. cap. 12. *Ancoras jaciunt marmoreas, longas octonos palmos, ac quaquaversum binos, eas gemino fune appensas æquori induunt.* Postea fecerunt e ligno. Ex quo etiam hodie Japonenses facere dicuntur. Meminit Athenæus in nave Philopa-

E toris. Ἄγκυραι δὲ ἦσαν, ξύλιναι μὲν τέτταρες, σιδηραῖ δ' ὀκτώ. *Anchoras habebat ligneas quatuor, ferreas autem octo.* Sed hæ anchoræ acuminatæ fuisse non videntur, verum in capitibus affusum habuisse plumbum, cujus pondere navis sistebatur. Disco ex Diodori lib. V. Antiq. Ibi enim Phœnices cum in Hispaniam argentum emtum navigassent, quæstus cupiditate, cum navibus onustis cernerent argentum adhuc superesse, amovisse ab anchoris plumbum, argentumq; ejus loco substituisse dicuntur. Autor ipse ait, cœpisse ἐκκόπτειν τὸν ἐν ταῖς ἀγκύραις μόλυβδον, quod intelligi aliter, quam de

F plumbo cavis anchorarum capitibus affuso, non potest. Dissentit nonnihil Autor Auscultationum mirabilium, exque solido argento factas scribit istas anchoras. Sed alterum rectius videtur. Et hoc credo est, quod Donatus *pondera anchorarum* vocat, & *retinaculis* opponit. *Illic*, ait ad Poetæ I. *naves nec retinaculis tenentur, nec ponderibus anchorarum.* Plinius lib. XXXII. cap. I. *cogit stare navigia, quod non vincula ulla, non anchoræ, pondere irrevocabili jactæ.* Ponderis illius meminit & Leonidas, lib. III. Epigr. titulo de Naufrag. ubi

βάρος ἀγκύρης appellat. Pertinent ad hoc anchorarum genus corbes illæ, ad ſiſtendas naves lapidibus refertæ, quarum mentio fit a Joſepho & Eunapio, cujus poſterioris verba habet Suidas, voce Ζεῦγμα. Deſcribit quoque Arrianus lib.x. Exped. Alex. *Crates*, inquit, *vimineas in pyramidum modum contextas, & ſelectis ad id ſaxis oppletas ad proras ſingularum navium demittunt.* quorum loco ſaccis quoque, arena refertis utebantur. Obſervandum autem uſum harum non fuiſſe, niſi vel in aliarum defectu, vel in locis arenoſis, ubi aliæ obhærere nequibant. Hinc Iphicrates, cum in locum *ἀλίμενον* cum claſſe ſua veniſſet, nec inveniret quo pacto naves ſiſteret, trierarchis ſuis præcepit, *ut quilibet ſaccos arena repletos demitteret in aquam*, atque ita naves velut anchoris ſtabilivit. Et Leo jubet cap. xx. *Quando*, ait, *ad loca arenoſa & minime portuoſa claſſem tuam navalis prælii tempore applicaturus es, ſaccos multos arena complebis, & funibus eos, quot ſatis eſſe videbuntur, ex unaquaque triremi propendere facias, quaſi ferreæ anchoræ eſſent.* Polyænus, apud quem in III. exemp. 38. eſt iſta Iphicratis hiſtoria, hoc genus anchorarum *κεφαλίδας* vocat. Obſervat Caſaubonus, firmatque loco Heſychii cujus hæc ſunt verba: *Κέφαλον μέρος ἐν τῷ πλοίῳ, ἢ τὰ ἐρείσματα.* Ultimo e ferro factæ, ſed cum dente non in utraque ſed una ſaltem parte. Et hinc nomen *dentium* apud Poetas obtinent. Græci *ἑτεροςόμους* hoc genus appellarunt, uti ex Polluce diſcimus. Deinde Eupalamii ingenium acceſſit, & bidentem fecit. Plinius lib. VII. cap. ult. hanc *ἀμφίςομον*, vel *ἀμφίβολον* nuncupavere. Sunt, qui non Eupalamio, ſed Anacharſi, Scythico philoſopho, inventum hoc attribuunt, & inter eos ex antiquis Ephorus præcipue. Strab. lib. x. *καὶ τὸν Ἀνάχαρσιν ἄνθρωπον σοφὸν καλῶν ὁ Ἔφορος, εὑρήματα αὐτοῦ λέγει, τὴν ἀμφίβολον ἄγκυραν.* *Anacharſin hominem ſapientem vocans Ephorus, ait reperiſſe anchoram bidentem.* Et de tali anchora intelligendus Suidas, quando ait: *Ἀνάχαρσις ὁ σκύθης φιλόσοφος εὗρεν ἄγκυραν, ἦν δὲ ἐπὶ Κροίσου.* *Anacharſis Scytha Philoſophus anchoram invenit, fuit autem apud Croeſum.* Item Laertius. *εὗρε δὲ εἰς τὸν βίον ἄγκυραν.* Scholiaſtes tamen Apollonii lib. I. verſ. 1271. *Γελοῖος*, inquit, *ἔφορος νομίζειν πρῶτον Ἀνάχαρσιν τὴν διπλῆν ἄγκυραν εὑρηκέναι. πρεσβύτεροι γὰρ Ἀναχάρσιδος οἱ Ἀργοναῦται.* *Ridicule Ephorus putavit Anacharſim primo anchoram cum dente duplici excogitaſſe. antiquiores enim illo ſunt Argonautæ.* Quod an recte faciat, ignoro. Nam & poeta ipſe lapideam, non ferream habuiſſe docet, & aliud ex Arriano ſupra oſtenſum eſt. Habuerunt autem plures anchoras in unaquaque navi, e quibus una magnitudine & robore præſtantiſſima, Græce *ἱερά*, Latine *ſacra* vocabatur. Pollux lib. I. *ἄγκυρα ἱερὰ ἣ χωρὶς ἀνάγκης οὐ χρῶνται.* *Sacra anchora, qua extra neceſſitatis caſum non utuntur.* Eadem habet Tzetzes Chil. XI. cap. 363. ubi & in tempeſtate prius plures anchoras ejectas ſcribit, quam ad hanc perveniretur: indeque factum, ut diceretur de Sacra, *ἐπὶ μόνης ταυτησὶ τῆς ἀγκύρας σαλεύομεν.* Intelligitur hinc id, quod eſt in Actis cap. 27. *de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.* Sed figuras anchorarum ecce tales in antiquis nummis & Marmoribus.



Obſerva, nullis in tranſverſum lignis, ſicut hodie conſuevit, vulgo apud veteres inveniri inſtructas, ſive pictorum incuria, ſeu, quod magis credo, quoniam in uſu non fuerunt. Extat unicus apud Goltzium nummus in magna Græcia gentis Bruttiorum, aliuſque apud Gorlæum in Ælia familia.



quos raritatis cauſa hic appono. Poteſt addi nummus apud eundem Gorlæum in Petronia familia ſextus, & ex Incertis tabulæ quadrageſimæ undecimus. in quibus quid iis ſimile apparet, *Bolis* ſequitur, Græce etiam ſic dicta, a jactu, & eſt inſtrumentum, cujus ope maris altitudinem & conditionem terræ ſubjacentis ſolent explorare. Gloſſæ Nov. Teſtamenti, ſæpius laudatæ. *Bolis eſt, vaſculum æneum vel plumbeum cum catena; quod nautæ implent adipe & ſubmittunt in mare, ad explorandum, an loca petroſa, ubi navis poſſit ſtare, an arenoſa, quæ navim perdat.* *Catapirates* dicitur Lucilio. Cujus verſus emendandi ſimul explicandique ſunt ex hoc loco. Douſa eos ita edit:

> *Hanc catapiratem puer eodem deferat uncum;*
> *Plumbi paxillum rodus, linique metaxam.*

Sed legendum eſt *unctum*, ſicut habet Iſidorus meus, & Vulcanii duo, ut vel Douſa ipſe teſtatur. *Unctum plumbi paxillum* vocat, quia adipe inungebatur; *paxillum* vero, pro pauxillum, quia parva fuit maſſa. Niſi plane ex Woverio *paucillum* vis, quod minus placet, quia illud alterum magis convenit cum ratione veteri, retinentque Schedæ Farneſianæ. Pro eo etiam, quod ſequitur *rodus*, ſcribendum puto *rodi*, quomodo & Douſa reperit in aliquibus. vult plumbum illud rodum, id eſt raudum, ut Feſtus explicat, ſeu rude fuiſſe, quale & Germani noſtri *roo* appellant. *Lini* vero *metaxam* addit, quia in fune pendebat, qui circuibat lignum fixum in navi. Iſidorus: *metaxa a circuitu ſcilicet filorum.* Gloſſæ *metaxam* habent, exponuntque *σειρά*. Sunt vero *σειρά*, ut in duobus ſcribitur Gloſſariis, vel ut in Heſychio *σεῖρα, σπάρται μεγάλαι, καὶ πλεκτὸν ἱμάντωμα ἐν ταῖς ναυσίν.* Sic enim puto ſcribendum, pro *πάρθοι μεγάλα*, quod in editis ſine ſenſu legitur. Iſidorus lib. XIX. c. 4. *Catapirates* (male quidam *cataprorates* ſubſtituunt) *linea cum maſſa plumbea, qua maris altitudo tentatur.* Deſumptum eſt hoc nomen ex Herodoto, qui ſic in Euterp. *πρῶτα μὲν προσπλέων ἔτι, καὶ ἡμέρης δρόμον ἀπέχων ἀπὸ γῆς, κατεὶς καταπειρητηρίην, πηλόν τε ἀνοίσεις, καὶ ἐν ἕνδεκα ὀργυιῇσι ἔσεαι.* *Jamprimum*

quum

quum Ægyptum versus in alto cursum tenens, abes procul ab ea adhuc diurnæ navigationis spatio, demissa bolide cœnum erues, etiam in aqua undecim alta passus: legendum igitur *catapirates*, ut prædixi, a Græco καταπειρατήριον, quod & Hesychius bolidem exponit, oriturque a πειράζειν, i. e. tentare, explorare, non a *prora*, ut putavit Iunius in Nomencl. *quod de prora dimitti soleat*. Sunt, qui *lineam* a Plauto dictum arbitrantur, in Mostell. ubi ait: *Non extemplo ostendam meum sensum, lineam mittam*. Effigiem instrumenti hujus habes capite sequenti Aphlasto affixam. Est & *antlia* in navibus, qua sentina exhauritur. Martialis lib. IX.

Curta laboratas antlia tollit aquas.

Festus *tellonem* dixit, vel *tollenonem*, uti habent schedæ Farnesianæ. *Tolleno est genus machinæ, quo trahitur aqua, alteram partem prægravante pondere*. Lucretio volunt esse (quod tamen huc vix pertinet) *haustrum*, isto versu:

Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.

Græce ἄντλον & ἀντλίον dicitur. Eustath. Odyss. M. λέγεται ὁ γαυλὸς ἡ ἀντλία. ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὸ ἀγγεῖον ᾧ ἀντλεῖται τὸ τοιοῦτον ὕδωρ. ἀντλίον φασὶν ἐκάλεῖτο. Antliæ porro proprium in navi foramen, per quod egeritur sentina. Festus *exdicium* vocat. Sed legendum *eudiæum*. ita enim Pollux & Suidas appellant. Venio ad funes, ad hæc istrumenta necessarios. Ex his primo *anchorarii*, quibus anchora religatur. Livius lib. XXX. *anchoralia* vocavit. *Pesmata* sunt Græcis: vel, ut quidam volunt, κάμηλοι. Scholiastes sane Aristophanis: κάμηλος τὸ παχὺ σχοινίον διὰ τοῦ ι. *camelus funis densus cum per ι scribitur*. Eadem habet Suidas. Phavorinus scribit per. υ. Κάμηλος, ait, τὸ παχὺ σχοινίον, ἐν ᾧ δεσμεύουσι τὰς ἀγκύρας οἱ ναῦται. ὡς τὸ ἐν Εὐαγγελίῳ, κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν. Respexit locum Matthæi, qui est cap. 19. quem & Theophylactus de fune nautico, quo religandis anchoris utuntur, exponendum censet. Atque in Matthæo quidem similiter per η scribitur, non ut vult Scholiastes Græcus. Quare assentior iis, qui camelum ibi animal intelligunt, non funem: cum conveniat Syrus, usitatum quoque sit apud Arabes, imo sic locutus sit R. Jacob in Caphtor, mutato tantum camelo in elephantum, sicut Grotius eo loco ostendit. Veneti illorum loco catenas usurpabant. Cæsar Bell. Gall. *Anchoræ pro funibus, ferreis catenis revinctæ*. Succedunt *parolcones*, quibus navis, cum nec velis uti potest, neque remis, ducitur. Polybio in Primo ῥύματα vocantur. Hesychius. ῥύμα τὸ ἐλαφρὸν καὶ πυκνὸν ἕλκος. *rhyma levis densusque est funis*, quo cum convenit egregie nostrum *riem*, quod alias lorum interpretamur. Hinc apud Latinos *remulcorum* nomen derivatum videtur. Et patet ex loco ipso qui se ita habet. Ῥύματα δόντες ἐξ αὐτῶν ταῖς τῆς τρίτης στόλου ναυσὶν ἐρυμουλκεῖν τὰς ἱππηγοὺς ναῦς. *Post tertiam classem sigillatim ordinatæ erant naves, quibus equi vehebantur: hæ tertiæ classi funes præbebant*. vides Polybium usurpare verbum ῥυμουλκεῖν, quod profecto ipsum est Latinorum *remulcare*. Ita Strabo lib. V. *Appia fossa noctu maxime navigatur, ut qui navim vesperi intrant, mane egressi Appia via pergant*. Ἀλλὰ καὶ μεθ᾽ ἡμέραν ῥυμουλκεῖται δι᾽ ἡμιόνων, *sed interdiu a mulis remulcatur*. Hic remulcare nihil aliud significat, quam fune quodam trahere, illo modo, qui & hodie est usitatus in Batavia, cum per fossas navigatur, & apud nos, quando flumine adverso eundum est. Etiam Varro talem funem intellexit in Marcipore cum ait: *Hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loro*. Male in vulgatis pro *loro*, *loco* editur, nulloque sensu. Ausonius Epist. II.

——celerisque remulci
culpabam properos adverso flumine cursus.

de eodem navigationis genere. De remulco Livius quoque lib. XXV. cap. 30. *Navis oneraria cum armamentis remulco quadriremis trahitur*. hoc est, non incedit pro se ipsa, sed clauda & mutila, quadriremi alligata, fune, molli & leni tractu *ad progressum*, ut ait Festus, *mulcetur*. Nam hoc vult, quando remulcum explicat, *cum scaphæ remis navis magna trahitur*. Isidorus lib. XIX. cap. 4. *Remulcum, funis, quo deligata navis trahitur vice remi. de quo Valgius:*

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitiis.

Vice remi, ait; nempe in ea nave, quæ trahitur, non & illa, quæ trahit; nisi plane id genus intellexit, cujus ex Varrone mentionem fecimus. Videat ergo Vir doctissimus, quo pacto hastam suam, ferro uncato præfixam defendat. Neque enim ullibi remulcum hoc significare invenimus. Græce alias ὁλκοὶ vocantur. Etymol. Ὁλκοὶ, σχοινία τινὰ εἰς τὸ ἕλκειν ἐπιτήδεια. Item σπεῖραι. Scholia Homeri Od Σ. σπεῖραι οἱ μεγάλοι κάλοι, παρὰ τὸ σπεῖραι, δι᾽ ὧν ἕλκονται αἱ νῆες. Utitur hac voce etiam Pacuvius, citante Festo, hoc in versu:

Quid cessatis socii ejicere spiras sparteas.

Spiræ, ait, Isidorus, *funes sunt, quibus in tempestatibus utuntur, quas nautici suo more curcubas vocant*. At quibus naves religantur ad terram, *retinacula* Latine, Græce ἀπόγεια, vel ἐπίγεια, item πείσματα & πρυμνήσια nominantur; autor Pollux. Athenæus lib. XV. Λυσαμένους δ᾽ αὐτοὺς τὰ πρυμνήσια, καὶ τὰς ἀγκύρας ἀνελομένους εἰρεσίᾳ τε πάσῃ χρωμένους ἀπαίρειν μὴ δύνασθαι. Perperam interpres: *Solutis rudentibus anchorisque sublatis remorum summo conatu abire non potuerunt*. Debuisset, *retinaculis solutis*, scripsisse. Glossæ. Ἀπόγειον σχοινίον. *retinaculum*. Vel *solutis oris*: Livius lib. XXXII. *Vixdum omnes conscenderant, cum alii resolvunt oras, aut anchoram vellunt*. Religabatur autem hic funis antiquitus ad lapidem, annuli specie perforatum, unde quoque eum Græci δακτύλιον appellavere. Pollux lib. X. cap. 30. Postea anchoris utebantur, vel etiam palo, qui a Festo *tonsilla* dicitur. Est & *tormentum* funis nauticus ex mente Isidori, *qui a prora ad puppim extenditur, quo navis magis constringatur*. Usus ejus maxime in tempestatibus, cum tabulæ dehiscunt, illo enim coarctantur. Hinc Horat. I. Carm. od. 14.

Nonne vides ut
—— sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor ——

Idem Lucas voluit in Actis, ubi ait: ἣν ἄραντες,

βονθείας ἐχρῶντο, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον. qua ſublata adjutoriis utebantur, accingentes navem. Arabs hæc evidentius, ut ex verſione ejus, a Junio facta, intelligimus. Sic autem reddit: *Quam* (ſcapham) *ubi prebendiſſemus, fecimus adjumentum navi, & ſuccinximus eam.* Syrus interpres: *Ea* (ſcapha) *ſublata cingebamus & firmabamus navim.* Sic & Eraſmum intellexiſſe video, licet reliqua non ſit aſſecutus. Ita enim in Paraphraſi hujus loci: *qua tandem ſublata in navem & aliis utebantur, funibus ſubcingentes navim.* Conſentit quoque Grotius, & verba Eſaiæ cap. 33. 23. *laxati ſunt funiculi tui*, de ejuſmodi funibus exponit. Quanquam illa forte aliter exponi debeant, de quo nunc nihil addimus. Obſervavimus alias hanc rem expreſſam in pictura veteri, quam exhibet Boſius in Roma Subterranea, ubi Jonæ Prophetæ hiſtoria depicta eſt ex ſarcophago. Tranſeo ad *contos*. Hos Nonius *buſtas longiores & robuſtiores* interpretatur. Sunt autem perticæ, quarum ope ſaxis aut vadis inhærentem navim ſolent protrudere. Virgilius lib. V. Æn.

Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illiſaque prora pependit.
Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur.
Ferratoſque ſudes, & acuta cuſpide contos
Expediunt ——

Patet ex his verbis, cuſpidatos atque præferratos fuiſſe. Donatus: *contus eſt pertica oblonga, in capite ferrum habens, qua nautæ ad exploranda loca navibus opportuna utuntur.* Nota alium contorum uſum, quem & Feſtus clarius ſic explicat. *Percunctatio pro interrogatione dicta. videtur ex uſu nautico, quia conto pertentant cognoſcuntque navigantes aquæ altitudinem.* Sophocles πλῆτρα nominat has perticas, ut a Polluce refertur. Vulgo ſunt κοντρί. Unde nomen κοντωτῶν, quod id genus navium, quod ſolis contis protruditur. Meminit illius præter alios plures, etiam Diodorus lib. XX. & XIV. Autori veterum gloſſarum Arabicolat. apud Vulcanium, ſunt *trudes*. *Trudes*, ait, *conti, a trudendo: fuſtes ferrati.* Nimirum & protrudi ope ipſorum naves ſolent, & ſi quæ veniunt adverſæ, ne impetu damnum inferant, propelli. Sidonius I. epiſt. 5. *cuſpides nauticos* appellavit. Porro eſt & alius ipſorum uſus in pandendis velis, quem oſtendit Servius ad Poetæ III. ubi Poeta: —— *velorum pandimus alas. contis*, inquit, *intendimus*. Sic legendum eſt, non *contos*, uti habent editi, quum non conti intendantur, ſed contis vela, quemadmodum & hodie fieri videmus. Non omittenda eſt *ſaburra*, quæ & ipſa ad naves pertinet. Vilior harena eſt, pondere ſuo naves firmans, & ad rectam menſuram onerans. Græcis, ἀσφάλισμα πλοίου, ſicut eſt in Gloſſis, ab ἀσφαλίζεσθαι, munire, tutari, quia ponderis æqualitate, firmum, ac tutum facit navigium. Dicitur & ἕρμα, θεμέλιος, vel ἔρεισμα. Locus ejus in carina. Pomp. Sabin. *Ventres navigiorum ſaburra, id eſt harena replentur.* An & *pontes* addere debemus, quibus in aſcenſu deſcenſuque utebantur? Græci ἀποβάθρας, item ἐπιβάθρας vocant. Quod cum ignoraret Diodori interpres, perperam *foros* explicavit. Verba Diodori hæc ſunt; ὁ Βρασίδας ἐπὶ τὴν τῆς νεὼς ἐπιβάθραν ἐκ ταύτης ἠμύνατο τὸ πλῆθος ἐπ' αὐτὸν συνδραμόντων. hæc interpres ita: *Braſidas fixos in foris pedes habens, inde hoſtium in ſe incurſantium agmen propulſat.* Male. *pontem* reddere debuiſſet. Sic enim Thucydides eandem rem deſcribens lib. IV. καὶ ἑαυτοῦ κυβερνήτην ἀναγκάσας ὀκεῖλαι τὴν ναῦν, ἐχώρει ἐπὶ τὴν ἀποβάθραν, καὶ πειρώμενος ἀποβαίνειν ἀνεκόπη ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων. Scholiaſtes: ἀποβάθρα καλεῖται γέφυρα, δι' ἧς ἐκ τῆς γῆς εἰς τὰς ναῦς εἰσερχόμεθα καὶ ἀναβαίνομεν, καὶ ἐκ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἐξερχόμεθα καὶ ἀποβαίνομεν. *Apobathra dicitur pons, per quem ex terra aſcendimus in naves, & ex iis rurſum deſcendimus in terram.* Plutarchus in Pompejo, & ex illo Zonaras Tom. II. κλίμακας vocavere. Hirtius, *ſcalas* lib. de bell. Alex. *qui in navibus longis remanſerant, ſcalas rapere, naveſque a terra repellere properabant.* Reperio & διφθέρας inter inſtrumenta navium apud Pollucem. Eæ nihil aliud fuere, quam pelles, quibus inſtrumenta navium, & arma contegebant, ne ab aqua fluctibusque madefacta corrumperentur. Eclogæ Baſil. lib. LIII. lib. 34. ἐὰν πλοῖον ὀθόνην ἢ βέστην κομίζῃ, ὁ ναύκληρος διφθέρας καλὰς παρέχετο, ἵνα μὴ ὑπὸ χειμῶνος τῇ ἐπικλάσει τῶν κυμάτων τὰ φορτία ἀδικηθῇ. verba ſunt ex lege Rhodia: *Si navis lintea vehat, aut veſtes, exercitor bonas pelles præbeat, ne merces a tempeſtate fluctibusve corrumpantur.* Latini *Segeſtra* vocarunt. Gloſſæ Benedicti, titulo περὶ ναυτιλίας. *Segeſtrum*, διφθέρα. Aliud Cyrilli Gloſſarium: διφθέρα πλοίου. *Segeſtrum*, Lexicon Philoxeni. *Segeſtrum*: στέγαστρον, Τεραδερμον. Recte hic Vulcanius. Γεράδερμον. *vetus pellis*. talis enim ad hos uſus dubio procul fuit. Nam & *Stragula*, quibus lecticas involvebant, teſte Nonio, *Segeſtria* appellabantur. Et hæc etiam inſtrumenta, quæ una voce ὅπλα Græci appellant, Polluce & Phavorino teſtibus, quanquam id vocabulum ſtricte ad funes velaque pertineat, ut ex Heſychio Salmaſius demonſtrat. Latinis pariter ſunt *Arma*. docet Servius. Hinc Cæſar lib. III. B. G. *naves eorum omni genere armorum ornatiſſimæ*, id eſt inſtructiſſimæ erant, quales eodem libro *armatas* appellavit. Eſt & *Armorum cuſtos* inde dictus, qui in Navalibus curam gerit inſtrumentorum navalium. Inſcriptio vetus Ravennæ, ubi quondam fuerant Navalia.

C. IUL. PRISCI.
VIX. ANN. VI. M. X. D. VIII.
IULIUS. ROMANUS.
ARMORUM. CUSTOS.

CAPUT VI.

De ornamentis Navium.

Pictura navium qualis. E quibus coloribus. Plinius emendatus. Uriculum, ſtylus uſtorius, cauterium. colores uſti. ἀκρόνια, κορωνίδες, *corymbæ. Acroſtolia. Apollonii interpres explicatus, contra virum eruditum, Aphluſta. Apluſtria, Interp. Appiani notatus. locus ipſorum. Viri docti de eo opinio rejecta.* στυλίς, ταινία. *Cheniſcus. proræ auratæ. roſtra aurea, gemmiſque decorata. aurea acroſtolia. vela purpurea, cærulea, verſicoloria, litteris inſcripta. remi argentati.*

QUo naves militares ſpecioſiores eſſent, non armis modo ad terrorem, ſed & aliis rebus ad majeſtatem quandam venerationemque decorare veteres conſueverunt. Teſtis eſt Plutarchus, quando ait in Themiſtocle: ὑπὸ τῶν ἔργων διδαχθέντες ὡς οὔτε πλήθη νεῶν, οὔτε κόσμοι καὶ λαμπρότητες ἐπισήμων ἔχουσί τι δεινόν. *Re ipſa edocti ſunt, neque ſpeciem vel ſplendorem inſignium,*

neque multitudinem navium aliquid contra viros fortes posse. Ostendit enim, licet hæc virorum militarium animos non infirment, vulgo tamen, imperitioribusque spectaculo esse, ipsorumque mentibus arcanum aliquem injicere terrorem. Primum autem juxta & antiquissimum pictura est. Solebant enim prisci Trojanis etiam temporibus proras navium depingere. Homerus Odyss. I.

οὐ γὰρ Κυκλώπεσσι νέες πάρα μιλτοπάρῃοι.

Neque enim Cyclopibus ad manus sunt naves miniatæ. Scholiastes notat, μιλτοπαρήυς dici quod μίλτῳ pictas haberent τὰς παρήας, τυτέσι τὰς πρώρας. Hinc proras tantum sic depictas dixi. Nam & Iliad. B. μιλτοπάρηοι, ait, λέγυσι, αἱ μίλτῳ τὰς πρώρας ἔχυσαι βεβαμένας. Meminit & Plinius picturæ hujus velut antiquissimæ lib. XXXIII. cap. 7. ubi de rubrica. *Auctoritatem colori fuisse non miror. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in bonore erat Homero teste, qui naves ea commendat*. Herodotus in Thalia. τὸ παλαιὸν ἅπασαι νῆες ἦσαν μιλτηλιφέες. *Veterum naves omnes rubricatæ erant*. Fuit ergo hæc pictura e rubrica, quam μίλτον Græci, *minium*, Latini, Plinio teste, appellant. Sunt qui cinnabarim arbitrantur. Homeri Scholiastes πηλὸν ῥυσιώδην nominat, hoc est, *terram rufam*, quem Sinopidem nonnulli explicant. Volaterranus lib. XXVI. ἐρυθρὰν a Græcis dictam ait, aliamque a cinnabari, mediam inter species Sinopidis fuisse existimat. Non autem rubro tantum, sed & κυανῷ, hoc est *fluctibus simili* colore ad hoc utebantur. Quo coloris genere, quas Homerus κυανοπρωρείας nominat, fuerunt pictæ. Nam Scholiastes ita Κυανῷ πρώραν κεχρισμένας, hoc est eas, *quæ marino colore depictas babuerunt proras*, interpretatus est. Et hoc sensu quoque Aristophanes κυανεμβόλυς dixit, in Equitibus. Sunt enim κυανέμβολοι, ut interpres refert, αἱ τὰς ἐμβόλυς ἔχυσαι κυανῷ βεβαμμένυς. *quæ picta habent rostra cæruleo*. Ovidius lib. XIV. Metam. fab. 12.

—— *Antennæ brachia fiunt,*
cærulus, ut fuerat, colos est ——

Postea hic colos in exploratoriis præcipue retentus est. Vegetius lib. IV. cap. 37. *Ne exploratoriæ naves candore prodantur, colore veneto, qui maris est fluctibus similis, cera, qua ungere solent naves, inficitur*. Discimus ex hoc loco, quid voluerit Appianus lib. V. bell. Civ. cum ait: ὁ μὲν Καῖσαρ ἐς μὲν Στρογγύλην ἥ τῶν πέντε νησῶν ἐςὶ τῶν Αἰόλυ, παντὶ τῷ σόλῳ διέπλευσαν ἐξ Ἱππονεῖυ, προερευνομένης αὐτῷ τῆς θαλάσσης. Hic enim αἱ τῆς θαλάσσης, non aliæ naves, quam *exploratoriæ marino colore pictæ*. Observavit interpres, ac proinde locum sic exposuit: *Cæsar in Strongilen, quæ una est Æolidum e Hippone cum tota classe trajecit, præmissis exploratoriis Liburnicis*. Habebant & tertium colorem, candidum. Sic enim Plinius allato loco. *Est & colos tertius e candidis cerussæ, cujus rationem in plumbi metallis diximus. Fuit & terra per se in Theodoti fundo inventa Smyrnæ, qua veteres ad navium picturas utebantur. Nunc omnis ex plumbo & aceto fit*. Meminit & Vitruvius picturæ hujus lib. VII. cap. 7. Quarta quoque ratio accedit, quam *encaustum* sive κηρογραφίαν appellarunt. Plinius lib. XXXV. cap 11. *Tertium Genus* (encaustices) *accessit, resolutis igni ceris peniculo utendi, quæ pictura in navibus nec sole, nec sale ventisque corrumpitur*. Vitruvius hoc genus amplius describit, in hæc verba: *Si quis subtilior fuerit, & voluerit expolitionem miniacceam suum colorem retinere, cum paries expolitus & aridus fuerit, tunc ceram punicam igni liquefactam paulo oleo temperatam seta inducat. deinde postea carbonibus in ferreo vase compositis eam ceram apprime cum pariete calefaciundo sudare cogat, faciatque ut peræquetur. Postea cum candela linteisque puris subigat, uti signa marmorea curantur. Hæc autem* καῦσις *Græce dicitur. Ita obstans ceræ punicæ lorica non patietur nec lunæ splendorem, nec solis radios lambendo eripere ex his politionibus colorem* lib. VII. capit. 9. Meminit ejus picturæ Plinius iterum prædicti libri capite septimo his verbis. *In encaustice pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cera & ebore, cestro, id est viriculo, donec classes pingi cœperunt, hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi*. Alii in hoc loco *verriculum*, alii *uriculum* emendant. Ego locum integrum scribendum arbitror hoc modo: *Encaustice pingendi duo fuisse genera antiquitus constat, in cera & ebore; cestro & uriculo, donec* &c. Vult enim aliud encaustices fuisse genus in cera, aliud in ebore. In illa cestro pingi consuevisse, in hoc autem, uriculo. Patet ex ejusdem capite undecimo. Ibi enim ita loquitur: *Lala Gyzena perpetua virgo Martia M. Varronis juventa Romæ & penicillo pinxit, & cestro in ebore*. Quemadmodum ergo cestrum illud erat, quo in ebore pingebatur, sic uriculum, quo in cera. Grapaldus lib. II. de part. ædium, ex nescio quo veterum. *Arma pictoris spongia, peniculi, uriculum & encausticen*. Isidorus *stylum ustorium* lib. XX. cap. ult. Marcianus Jureconsultus, ff. de Instructo vel Instrum. leg. l. 17. *cauterium* appellant. Tali autem stylo ad picturas classium non utebantur, sed setaceo peniculo colori ceram superinducebant, uti a Vitruvio didicimus. Merito itaque hoc tertium encaustices genus fuisse dicitur. De quo accipiendus & Ovidius, cum ait lib. IV. Fast.

—— *picta coloribus ustis*
Cælestum matrem concava puppis habet.

Solebant autem non simplici tantum colore pingere naves, aut deorum tantum effigies, ut Ovidii locus indicat, sed & variorum animalium, florum, herbarum, aliarumque rerum exprimere. Ostendunt prisca monumenta, item illæ naves, quæ a Baysio exhibentur. Athenæus quoque refert Philopatoris navim *animantium effigies in prora & in puppi babuisse non minores cubitis duodecim, totumque illum locum ustis coloribus variegatum fuisse*. Idem & de Hieronis ista testatur. Et hoc primum ornamenti genus. Sequitur secundum, quod est ἐπὶ ταῖς ναυσὶν ἄκρας, ut loquar cum Pausania, quo summitates proræ puppisque decorari solebant. Suidas ἀκρόνεα, Homerus νεῶν κορωνίδας, appellant. Latini *corymbas*. Unde Flaccus Argon. IV.

Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis.

Apollonius lib. II. vers. 600.


Ἔμπης δ' ἀφλάςοιο παρέθρισαν ἀκρακόρυμβα.

Et hinc *corymbatæ* navis nomen profectum, quod in glossis Isidori legitur. Quum autem duæ navium sint summitates; proræ scilicet,

ac puppis, etiam ornamenta ista duplicia fuere. Ac Græci quidem etiam nominibus distinxere. Proræ quippe ἀκροστόλια, puppis autem ἄφλαστα nominarunt. *Acrostolia* Ilii temporibus fuisse cognita, præter Homerum, testis quoque Asclepiades Myrleanus, qui apud Strabonem lib. III. se in quodam Minervæ delubro affixa ἀκροστόλια καὶ ἀσπίδας, errorum Ulyssis monimenta, refert invenisse. Fuerunt autem acrostolia ἄφλαστα κατὰ τὴν πρῷραν. uti ait Apollonii interpres lib. I. Arg. ver. 1089. id est, *ejuscemodi ornamenta in prora, qualia in puppi ea, quæ ἄφλαστα vocantur*. Non autem ipsa aphlasta, quemadmodum vir eruditus locum hunc exposuit. Ea enim ad puppim tantum pertinebant. Etymol. Ἄφλαστα λέγονται, τὰ πρυμνήσια. Pollux lib. I. cap. 9. τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης, ἄφλαστα καλεῖται. *Summitates puppis, aphlasta dicuntur*. Hinc Athenæi ἄφλαστα πρυμνητικὰ lib. V. Homerus Iliad. O

ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν οὐχὶ μεθίει
Ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων.

Scholiastes: ἄφλαστον τὸ λεγόμενον ἀκροστόλιον τῆς νεὼς πρύμνης, ὃ εἴρηται κατ' ἀντίφρασιν, εὔθλαστον γὰρ ἐστί. At vero ista in prora, clypei nonnunquam effigiem, nonnunquam animalium aut cassidis referebant, sæpius in orbem, atque spiram flectebantur. hinc & coronæ dicebantur, seu corymbæ. Etymolog. Ἄφλαστα μὲν λέγονται τὰ πρυμνήσια, κόρυμβα δὲ τὰ πρωρήσια. Observa, *corymbas* proprie pertinuisse ad proram. Hinc & Lycophron ab aphlastis distinguit, ver. 299. Ἄφλαστα καὶ κόρυμβα, καὶ κλήδων θρόνους. Quanquam distinctionem hanc nec Flaccus adhibuerit, nec Apollonius, qui corymbas de puppe usurparunt, quomodo Aratus *corona*, ἐπιστρέψωσι κορώνην, ait: ubi male interpres, *invertunt rostrum*, pro *convertunt puppim*. rostrum enim non de prora, sed de puppi dicitur. Hesychius: ἀκρωτήρια (sunt hæc ea ipsa ἀκροστόλια) τὰ ἐπάνω τῶν νεῶν ζῴδια ἀνατιθέμενα δωρεῆς. Ecce speciem ipsarum, unam in marmore antiquo, alteram in nummo.




Etiam *rostra* nuncupabantur, sicut alibi docuimus. ubi & de animalium effigiebus, quas interdum referebant, disseruimus. Constatque effigies istas convenientes fuisse navium nominibus, etiam recentioribus temporibus, sæpeque decoratas auro. Sturlesonius Historicus Norvagus, de navigio regis Olai: *det var bygt for oc bag efter arage lingning, oc hofuedet for paaskibet, oc rumpen bag paa vare forgylt*. h. e. *structa erat navis a prora, & cauda in puppi erant inaurata* (alius navigii) *caputque in prora, & cauda in puppi erant inaurata*. Similiter accipio navem δελφινομορφον, qua salutem consecutum Arionem citharœdum scribit Tzetzes lib. I. Chil. f. 17. Ἄφλαστα vero, quæ in puppi erant, in pennarum formam fiebant. Eustathius. Ἄφλαστον, τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀναπεπταμένον εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένον. Theon Alexandrinus, vel quis alius Arati Scholiastes. τὸ τῆς πρύμνης ἐπικαμπές. Glossæ veteres. *Aplustria* πτερὸν πλοίου. Itaque Rutilius in Itinerario:

Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus.

Dousa ornamenta hæc in summitate mali collocat apud Ennium, pro suorum magis, quam veterum temporum consuetudine. ut ex præcedentibus satis apparet. A Latinis *aplustria* vocantur. ita enim Glossæ veteres jam modo, & Rutilius vocarunt. Interpres Juvenalis, quem Cornutum vulgo arbitrantur: *Aplustre, tabulatum ad decorandum superficiem navis adpositum, alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis*. Recte *tabulatum* vocat, nam ex tabulis erat confectum, itaque & iis pugnabatur. Lucanus lib. III. vers. 671.

Invenit arma furor, remum contorsit in hostem
Alter: at hi totum validis aplustre lacertis,
Avulsasque rotant excusso remige sedes.

Quanquam non puppis tantum, sed & proræ ornamenta hoc nomine apud Latinos veniant. Nam & Festus in commune ait: *Aplustria, navium sunt ornamenta, quæ quia erant amplius, quam essent necessaria usu, etiam amplustria dicebantur*. Et quod interpres antea laudatus etiam rostra navium sic appellari dixit, id ad proram pertinet. Male igitur interpres Appiani lib. de bell. Mith. *armamenta* reddidit hoc loco. ἀκροστόλια πολλὰ καὶ σκῦλα εἰς τὸν λιμένα φέροντες ἐπανελθεῖν. nisi forte *ornamenta* scripserit, eamque vocem negligentior typographus corrupit. Cæterum & harum cernitur effigies in antiquis mo-




numentis, isthac forma. Observa junctum his velut pennis ab initio quiddam instar scutuli. Sic enim habebant naves veteres, vocabaturque ἀσπιδεῖον, ἀσπιδίσκη, ut alibi docuimus. Reperiturque hoc aliquibus in navibus nudum, ac sine pennis, ut ostendit nummus Carini, supra pagina 871., & alius familiæ Fonteiæ pag. 879. exhibitus. Ex quo manifestum est, non aplustre ipsum ita dici, sed id, in quo aplustre est fixum. Forte & hinc Nonnus in Dionys. lib. XXXIX. ver. 321. ἄστατα ἄκρα κορύμβου, *instabiles summitates corimbæ*. ἄστατα enim, quia πτερά, quod de corymbis ipsis accipi vix potest, ut corymbæ sint illa ipsa ἀσπίδια. Quartum ornamentum baculus erectus fuit, in aplustri, e cujus medio fasciæ suspensæ erant, tæniaque versicoloria, quæ per aera ludebant. Pollux ἀφλάστῳ ἐντὸς ὀρθὸν ξύλον πέπηγεν, ὃ καλοῦσι στηλίδα, ἧς ἐκ μέσου κρεμάμενον ῥάκος, ταινία ὀνομάζεται. *Inter aphlastia vel aplustria rectum infixum est lignum, quod stelida vocant, e cujus medio cingulum dependens,*

fascia appellatur. Eustathius. Ἄφλαστον τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνανενευμένον εἰς ὕψος, ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένον, διήκοντος δι' αὐτοῦ πλατέως κανονίου, ὑπηρεισμένου τούτῳ στυλίσκου ὄπισθεν τοῦ κυβερνήτου. κρεμμάννυται δὲ ἐκ τῶν κανονίων καὶ τοῦ θρανίου ταινία εἰς παράσημον δηλαδὴ νηός. Erat præcipuus tæniorum hujusmodi usus, uti ex situ eorum cognosceretur ventus. Hinc apud Ciceronem in Epist. ad Att. lib. v. ep. 12. ἀκρωτηρίων ἄκρα, ut recte explicat vir eruditus, Simon Bosius. Nam ἀκρωτήρια, nil aliud, nisi hæc ipsa inter aplustria erecta cingula seu vexilla Meminit & Plutarchus in navibus piraticis, vita Pompeii. στυλίσι χρυσαῖς, καὶ παραπετάσμασιν ἁλουργοῖς, ὥσπερ ἐντρυφώντων τῷ κακουργεῖν. &c. *aureis stylidibus, purpureis pluteis, quasi sceleribus gestiebant*. Effigies ipsius extat in hac puppi apud Bayfium, una cum aplustri. Quintum ornamentum est, quod *Cheniscus* Græce dicitur. Anserculi



effigiem referebat. Lucianus in Navigio: ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. *puppis quidem paulatim insurgit inflexa, atque aureum anserculum superne habet impositum*. Et libr. II. Ἀληθοῦς ἱστορίας. ὁ ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος ἄφνω ἐπτερύξατο. *Cheniscus vel anserculus, qui in puppi erat, alas sustulit*. Etymologus ab aliquibus ait poni in prora. Quod fortasse non plane falsum est. Nam & apud Gorlæum in Dactyliotheca video sculptam onychem figura navis, cujus prora desinit in anserculum. Effigiem ejus forte dabo alibi. Interea ecce verba Etymologi, quibus & causa ornamenti hujus exponitur. χηνίσκος τὸ τῆς πρώρας μέρος. οὗ ἀπηρτῶνται αἱ ἄγκυραι, ὃ καὶ τῆς τρόπιδος ἐστὶν ἀρχή. εἰσὶ δ' οἱ μᾶλλον τὸ τῆς πρύμνης ἔφασαν ἄκρον, πρὸς ὃ ἐπιζεύγνυνται αἱ ἐπωτίδες τῆς νεώς. πλὴν ὁποτέρως ἔχει, χηνίσκος ἐλέγετο, ὅτι χηνὸς κεφαλὴν μορφοῦντες οἱ ναυπηγοὶ, ἐπίθουν τῷ ἄκρῳ, τάχα τὸ πλοῖον εἰς χῆνα ἀπεικάζοντες, ἢ τοῦ οἰωνοῦ χάριν, ὡς ἀβάπτιστος αὐτοῖς ἡ ναῦς διαπλοίη, τρόπον χηνὸς ὑπερνέουσα τῶν κυμάτων. *Cheniscus proræ pars est, cui aptantur anchoræ, quæ & tropidis est principium, Sunt, qui summitatem puppis potius esse contendunt, ad quam epotides navis firmantur. Dicitur autem Cheniscus vel anserculus, quia fabri navium caput anserinum deformant, & in ejus summitatem collocare solent, atque ita navium anseri quodammodo assimilant. Ominis fortasse caussa, ne navis submergatur, quemadmodum anseres, qui per fluctus nullo periculo navigant*. Meminit & Ptolemæus hujus ornamenti, sicut refert Grotius in Arateis. Nam stellam decimam ὑπὸ τοῦ χηνίσκου navis collocat. Apulejus, qui in multis Lucianum sequitur, de Isidis navigio: *Puppis intorta chenisco bracteis aureis vestita fulgurabat*, lib. XI. de Asino. Beroaldus, sicut nec alibi satis cautus est, ita & hoc loco *futilem hanc dictionem* appellat, *& illiteratam, dignam* denique, *quæ obelo figatur*. Ejusque loco *ceruchos* substituit. vel cheniscum retinet, & chœnicen, vas quoddam, cui nescio quis in prora locus similis sit, interpretatur. Verum frustra, sicut dixi, quod vel scriptura indicat. Nam cheniscus, ἀπὸ τῆς χοίνικος qui derivari possit? cum alterum vocali simplici, alterum cum diphtongo scribatur. Manet igitur cheniscus anserculus in puppe, cujus ecce tibi hanc effigiem in priscis monumentis.



Sunt & alia, quæ ornatus causa in navibus erant, maxime prætoriis, ut *auratæ puppes, auratæ proræ*. Seneca Agam. V. 422.

Aurata primas prora signavit vias,
Aperitque cursus mille quod puppes secent.

Sic prætoria Cleopatræ apud Plutarchum est χρυσόπρυμνος, vita Antonii. Etiam eæ, quarum usus fuit in divinis, isthoc more decoratæ. Discimus ex illa Isidis a Luciano descripta: item alia, qua sacerdotes Hammonem consulturi vehebantur teste Curtio lib. IV. Caligula *gemmatis puppibus* fabricavit, memorante Suetonio: ut Neroni (V. Tac. A. XV. 37.) ignoscendum videatur, quod suas *auro eboreque* distinxerit. Etiam *rostra* harum navium *ex auro* vel *argento*. Appianus in præfatione sui operis: θαλάμηγά τε χρυσόπρυμνα καὶ χρυσέμβολα ἐς πολέμου πομπήν, οἷς αὐτοὶ διαπλέοντες ἐπέβαινον οἱ βασιλεῖς. *thalamegi auratis puppibus rostrisque, quos ad ostentationem in bello reges ipsi conscendebant*. Respexit, ut opinor, Seneca ad hanc rem Epistol. LXXV. quando ait: *non illa navis bona est, cui argenteum aut aureum est rostrum, nec cujus tutela ebore cælata est*. Suidas memorat & *aurea acrostolia* in his navibus: Ἀρριανὸς, inquit, τά τε ἀκροστόλια τῆς βασιλίδος νηὸς χρυσᾶ. Sic & *vela* earum modo *purpurea*, modo aliis aliisque coloribus tincta, modo *litteris inscripta* fuere. Purpureo usus Alcibiades, testante Athenæo lib. XII. & Cleopatra, Plutarcho memorante in Antonio. Luciani navigium parasii, & flammei coloris quoddam habuit. Etiam veneto colore picta reperimus, maxime in speculatoriis. Versicoloria duces Alexandri habuere; sicut Plinius refert lib. XIX. capit. 1. Et Suetonius de Caligula capit. 73. *Fabricavit etiam Liburnicas versicoloribus velis*. Scriptum litteris velum fuit Isidis illud apud Apulejum lib. XII. *Hujus alvei felicis nitens carbasus lintea votum ingestans properabat. Ecce literæ votum instaurabant, de novi commeatus prospera navigatione*. Credo & Trajani, de quo Suidas ex Arriano. ἐπ' ἄκρου τῶν ἱστίων τὸ βασιλικὸν ὄνομα, καὶ ὁσίοις ἄλλοις βασιλεῦς γεραίρεται χρυσῷ ἐγκεχαραγμένον. *In sum-*

mis velis nomen imperatorium, reliquique ejus tituli auro intexti erant. Item velum navis Panathenaicæ, quod Athenienſes peplum appellabant. Neque litteras modo, ſed & clarorum virorum imagines, deorumque pugnas habuit intextas. Virgilius in Ciri:

—— Palladiæ texuntur in ordine pugnæ.

Nonnunquam *remi* quoque *argento* vel *auro* inducti. Nonnunquam & funes e lana pretioſa facti, variis coloribus picti. Sicut pro ſe ipſe quivis obſervare poteſt. Et exempla extant apud Plutarchum, Athenæum, Maximum Tyrium, Philoſophum, alioſque veteres ſcriptores.

CAPUT VII.

De ornamentis militum ac nautarum, eorumque armis.

Nautæ nudi vel ciliciis veſtiti. Cilicia qualia. Gubernatoris ornatus. Milites cataphractarii & ocreis muniti. Tela habent δόρατα ναυμαχά. Livii locus explicatus. Falx quid & ad quos uſus. Rhodomannus notatus. Aſſer. κεραῖαι & earum uſus. tolleni, ciconiæ. χεὶρ σιδηρά. manicæ. manus ferreæ. a quo excogitatæ. Plinius & alii auctores inter ſe conciliati. Harpagones. Corvi. γεράνια. Diſſenſus veterum circa hæc, quantum potuit, ſublatus. coria. ſiphones. ollæ carbonibus refertæ. Ignis Græcus a quo inventus. Remedia contra ignem. calx, ſerpentes, murices.

NAves hactenus ornavimus: itaque ad nautas militeſque progredimur. In iſtis veſtimenta, in his arma & tela conſideramus. Ac nautæ quidem nudi fere agebant. Victor de uxore Antonii. *In Campania ſedens, amœna littorum obſidebat ad legendo ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores.* Explicat hic locus verba Lampridii de Heliogabalo, cujus ob eandem cauſam ſimilis fuit obſervatio. Capitolinus de prædicta Antonii uxore: *Conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas, & gladiatorias elegiſſe.* Nempe quoniam ut gladiatores, ita & nautæ nudi in opere verſabantur. Reſpexit huc Virgilius:

Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit.

Atque hoc fiebat, cum ut promptius obirent ſua munia, tum maxime ut contra quaſvis cœli eariſque injurias corpus obfirmarent. Innuit Seneca lib. de provid. capit. 4. *Contemptum periculorum aſſiduitas periclitandi dabit. Sic ſunt nauticis corpora ferendo mari dura, agricolis manus tritæ* &c. Quod ſi quando veſtimentis utebantur, e pilis caprinis confecta habebant, quia hoc genus aptum contra fluctus aquarum, & ventorum impetum. Virgil. III. Georg.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Ciniphii tondent hirci, ſetaſque comanteis
Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Coſſinus apud M. Varronem lib. II. de R. R. *ut fructum ovis e lana ad veſtimentum, ſic capra pilos miniſtrat ad uſum nauticum.* Probus *cilicia* appellat hæc veſtimenta. *Cinyps*, ait dicto Poetæ loco, *oppidum eſt, & flumen Africæ regionis Garamantum. Apud eos hirci villoſiſſimi naſcuntur, quos tondent ad cilicia, quibus nautæ utuntur.* Nempe in Cilicia primum hoc genus creditur inventum. Servius Honoratus: *Celſus ait, retuliſſe Varronem, ideo ſic appellari, quod uſus eorum in Cilicia ortus eſt.* Pomponius Sabinus. *Nomen eſt ab eo, quod tonſura caprarum in Cilicia inſtituta fertur.* Cæterum hoc tegumento reliqui quidem nautæ frequentius, remiges rariſſime utebantur. Nam & in monumentis antiquis, qualia & ante propoſuimus, fere nudos eos reperimus. At gubernator pallium quoque humeris habebat injectum, adſtrictum nodo in ſiniſtra parte, ut brachium facilius moveret, in circumagendo gubernaculo. Plautus Act. IV. ſ. 4. verſ. 41. Mil. Glor.

Facito ut venias ornatus huc ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalaſſicu'ſt)
Id erit connexum in humero lævo, expapillato brachio
Præcinctus, atque aſſimilato quaſi gubernator ſies.

Intelligitur hinc habitus Charontis apud Virgilium hoc verſu:

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Vult pallium nodo in humero adſtrictum, gubernatorum ritu habuiſſe. Atque ita depinguntur in antiquis monumentis. quod vel unica moneta Valentiniani ſupra propoſita, demonſtrat. Venio ad milites, & arma. Ea ſunt duplicia: alia quibus ſe tegunt, alia quibus vulnerant. Illa tela ſunt, iſta tegumenta. De poſtremis Pollux ita. Τὰ τῶν ἐπιπλεόντων ὅπλα θώρακες, ἀσπίδες, κνημῖδες, κράνη. *Arma militum ſunt thoraces, clypei, ocreæ, galeæ.* Vegetius lib. IV. cap. 47. *Cataphracti, vel loricati, galeati etiam, & ocreis muniti ſint milites.* Apparet, eandem prope horum militum, & qui in terra pugnabant, fuiſſe armaturam. Niſi quod in commune hic major tegminum cura: nam & majora ferme ſumebantur, quam in reliqua militia, & validiora. Nimirum quia hic ſtataria eſt pugna, nihil diſcurritur; non verſus, non juga mutantur; quiſque illum tuetur locum, quem a principio nactus eſt. Unde Leo Tact. XIX. *Milites ad centurionem uſque omnes cataphracti ſint, aut loricis armati, & clibanariis, ſi non ex averſo, tamen ex adverſo, ii maxime, qui ad manum, &, quod ajunt, collato pede cum hoſte dimicaturi ſunt. Reliqui, qui nec loricas nec clibania habebunt, ad minimum iis tecti erunt, quæ neuricia vocamus, hoc eſt thoracibus e duplici centunculo confectis, & poſt reliquos armatos ſtabunt.* Scuta etiam ſumebant propter ictus lapidum validiora, ampliora vero propter falces, quemadmodum & ocreas hoc fine plurimum induebant, & manicas, uti ex Vegetio & Leone diſcimus. Et ob hanc cauſam depictas habet ocreas in nummo Bruttiorum juxta trophæum navale, quem ſupra capite quinto ubi egimus de anchora, propoſuimus. Accedamus ad tela, quæ & plura prælium navale poſtulabat, quam terreſtre, & validiora. Univer-

sa tamen possumus duobus quasi generibus comprehendere, ita ut in uno sint vulgaria, in altero huic militiæ propria, omniaque vel ad defensionem utilia, vel ad impugnationem. Vulgaria isthoc ordine recensent: *Enses, sagittæ, missilia, fundæ, fustibali, plumbati*. Leo addit σπαθία ῥικτάρια, σάγιττας ἐκ περιαστῶ, & similia. Propria sunt grandes & proceræ hastæ, quas Græci δόρατα ναύμαχα vocarunt. Hæ etiam Trojanis temporibus fuerunt in usu. Homerus Iliad. o.

> Οἱ δ' ἀπὸ νηῶν ὑψιμελαινάων ἐπιβάντες
> Μακροῖς ξυστοῖσι τὰ ῥα σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἐκεῖτο
> Ναύμαχα κολλήεντα ——

Et alio loco:

> Νώμα δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμησι
> Κολλητὸν βλήτροισι, δυωκαιεικοσι πήχυ. ——

Movebat contum magnum navalem in manibus, compactum ligneis clavis viginti duo cubitorum. Hinc etiam Flaccus lib. VIII.

> *Princeps navalem nodosi roboris uncum*
> *Adripit* ——

Et alibi:

> *Jamque alii clypeos, & tela trabalia dextris*
> *Expediunt* ——

Navales uncos, tela trabalia dixit, quæ Homerus ξυστοὺς ναυμάχους καὶ μακροὺς. Hinc Scholiastes: Μακρὰ δόρατα λέγει, τὰ πρὸς ναυμαχίαν ἐπιτήδεια, ἐκ πολλῶν συγγεκολλημένα. ἵνα γένηται μακρά. οἷον σύνθετα ἢ οὐ μονόξυλα. *longas hastas intelligit, ad prælia navalia idoneas, & ex pluribus lignis conglutinatas ut longiores fiant. non ex uno ligno, sed multis compositis fabrefactas*. Atque hæ sunt *hastæ longæ*, quarum Livius mentionem facit lib. XXVIII. cap. 45. *Aretini triginta millia scutorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cujusque generis numeros expleverunt*. Etiam Xerxis milites in classe tales habuerunt. Testis est Herodotus: *Phœnices, cum Syris, qui Palæstinam incolunt, præbuere naves trecentas hunc in modum ornati. In capite galeas ad Græcorum prope morem gestabant, pectus lineo thorace circumdati, scuta præterea umbonibus carentia. Palæstini circa tempora cassides habebant forcipiculatos, connexa autem scuta magnis umbonibus, ac grandes bastas nauticas* (δόρατα ναυμαχά) *& grandes bipennes*. Secundum teli genus est *falx longurio inserta*, cujus etiam a Livio fit mentio superiore loco, ubi pergit: *secures quoque sunt polliciti, rutra, falces, alveolos, quantum in quadraginta longas naves opus esset*. Usus harum falcium ad præcidendas funes antennarum hostilium, quo navibus aufugere nequeant. Vegetius cap. ult. lib. IV. *Falx dicitur acutissimum ferrum, curvatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum calatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit: collapsisque velis liburnam pigriorem, & inutilem reddit*. Julius Cæsar de bello Gallico libr. III. *Una erat magno usui res præparata a nostris, falces præcutæ, insertæ affixæque longuriis: bis quum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato prærumpebant, quibus abscissis, antennæ necessario concidebant*. Orosius: *Falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas paraverant, quibus cum opus esset, apprehensos eminus rudentes, subductis bastilibus per funem, falcem subtrahendo succiderent. His celeriter expeditis disrumpi hostilium antemnarum armamenta præcepit. Ita antemnis ruentibus, complures illico naves velut captas immobiles reddit*. Pollux in enumeratione telorum navalium δορυδρέπανα vocavit. Appiano δορυδρέπανα dicuntur, hoc est, *bastæ falcatæ*. Item Dioni lib. XXXIX. δορυδρέπανα, inquit, πόρρωθεν σφίσιν οἱ Ῥωμαῖοι ἐπέφερον, καὶ τά τε χοινία αὐτῶν διέτεμνον, καὶ τὰ ἱστία διέσχιζον. Diodoro sunt δρεπανηφόροι κεραῖαι. lib. XXII. quas inepte Rhodomanus *antennas falcatas* interpretatus est. Meminit & Polybius, sed in terrestri pugna, quam, interpres pene ejus, Livius lib. XXXVIII. cap. 5. describens, *asseres falcatos* nominat. *Bipennium* quoque usus est in hac militia singularis: iis namque funes gubernaculorum incidunt. Vegetius. *Bipennis est securis habens ex utraque parte latissimum, & acutissimum ferrum. Per bas in medio ardore pugnandi peritissimi nautæ, vel milites, cum minoribus scaphulis secreto incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula*. Et hæ credo sunt *secures*, a Livio paulo ante inter alia instrumenta memoratæ; & *bipennes* Herodoti. Sequitur nunc *asser*, quem Vegetius ita describit. *Trabs subtilis ac longa, ad similitudinem antennæ, pendet in malo, utroque capite ferrato. Hunc sive a dextra, sive a sinistra parte adversariorum se junxerint naves, pro vice arietis vi impellunt, qui bellatores hostium, sive nautas sine dubio prosternit ac perimit, ipsamque navem sæpius perforat*. Haud absimiles sunt κεραῖαι, quarum mentio est apud Athenæum in descriptione navis Hieronis. Usus, ut cum iis lapides dejiciantur in naves hostiles. Diodorus libr. XII. οἱ δὲ ἐπὶ τῶν μεγάλων πλοίων ἐφεστῶτες ἐπέρριψαν ταῖς τῶν πολεμίων ναυσὶ τοὺς ἀπὸ τῶν κεραιῶν λίθους. *in majoribus navigiis collocati ex antennis desuper lapidibus hostium naves impetebant*. Non est, ut de loco accipias; nam clare in sequentibus κεραίας λιθοφόρους nominat. πλοῖς οἱ, ait, ὑπὸ τῶν λιθοφόρων κεραιῶν ἔπιπτον, ὡς ἂν ἐξ ὑπερδεξίων τόπων βαλλόντων λίθους ὑπερμεγέθεις τῶν Ἀθηναίων. Livius lib. XXXVIII. capit. 5. *tollenones* reddidit, *quibus libramenta plumbi aut saxorum incutiuntur* in adversarios, ut apparebit ei, qui verba ipsius cum Polybii, ubi rem eandem describit, diligenter conferet. In glossis κηλώνιον hæc machina vocatur. κηλώνιον. *ciconia, tolleno* quanquam ibi magis de machina, qua e puteis hauritur aqua, intelligendum videatur. Est & *manus ferrea*, præcipue in hac militia probata, quam Græci χεῖρα σιδηρᾶν appellant. Ea non quidem hostes perimebant, navim tamen ita alligabant navi, ut cominus congredi, & si occasio ferret, in alterius navim transmeare possent. Lucanus lib. III. ver. 635.

> *Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos*
> *Affixit Lycidam* ——

Idem *manicam* vocavit præcedenti versu 565.

> *Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ*.

Primus has excogitavit C. Duilius apud Romanos. Autor de Viris Illustribus. Cui consentit Julius Frontinus lib. II. cap. 3. *C. Duilius*, inquit, *cum videret graves suas naves mobilitate Punicæ classis eludi, excogitavit manus ferreas*. Florus libr. II. cap. 2. de eodem Duilii prælio.

Injectæ ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen multum derisæ ab hostibus. Apud Græcos vero longe ante, credo & diversa forma, reperit Pericles. Plinius lib. VII. cap. 56. *Anacharsis harpagones, manus Pericles Atheniensis invenit.* Observa non ab uno manus atque harpagones inventas esse, adeoque non unius generis fuisse, sed diversi. Quod & Cæsar indicat his verbis. *Manus ferreas, atque harpagones paraverant.* Livius confundit, ut lib. XXXVII. cap. 10. *cum belli apparatu strepunt, ferreæ quoque manus, harpagones vocant, præparabantur.* Ita Curtius, lib. IV. cap. 2. *Ferreæ manus, harpagonas vocant.* Ac harpagones quidem Livius libr. XXX. cap. 11. ipse asseres fuisse scribit, unco ferreo præfixos, suspensos catenis, quos in naves hostiles dejicere solebant. Ita Dio libr. XXIV. Αἱ ἁρπάγας τε ἄκρας ἔχουσαι, ἀνεσπῶντο ἐξαπιναίως καὶ ἀνέσπων διὰ βραχέος. De machinis quibusdam loquitur, quibus saxa & similia conjicere in hostem poterant, & addit: *Inerant nonnullis hisce machinis harpagones, quas & demittebant subito, & rapta celeriter sursum trahebant.* Puto igitur harpagones proprie fuisse uncos ferreos, ex capite asseris cujusdam pendulos, quibus catena ex altera parte, qua malo navis forsitan, aut turri affixus erat, demissis, subito corripere hostilem navim, correptamque in sublime poterant attollere. Et sic fere Athenæus loco antea laudato. *In navi malis tres fuerunt, & horum singulis aptati asseres, e quibus harpagones plumbeæque massæ in hostem jacerentur.* ἐξ ὧν ἑκάστου κεραῖαι λιθοφόροι ἐξήρτηντο δύο. ἐξ ὧν ἅρπαγές τε πλίνθοι μολίβδου πρὸς τοὺς ἐπιτιθεμένους ἀφίεντο. Manus autem non tam injectæ ex alto, quam in teli modum emissæ per tormenta, quibus valide illigatis postquam navim comprehenderant, retro iterum revocabantur. Curtius lib. IV. cap. 3. *Corvi vero, & ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.* Et paulo ante: *Ad implicanda navigia validis asseribus corvos, & ferreas manus, ut cum tormento asseres admovissent, subito laxatis funibus injicerent.* Admovebant, ait, & adducebant funibus quibusdam in machina manum istiusmodi, laxatisque emittebant in hostilem navim, quo validius unci manus infererentur, tum per eosdem funes iterum revocabant, navimque hostilem velut captam manu attrahebant. Lucanus lib. III. vers. 574.

Et quos immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes.

Præcipuus ergo usus harpagonum, ut navim hostilem in sublime erigerent, rursumque demissam in fluctus præcipitarent. Manuum vero, ut eam tenerent veluti captivam, nec dimitterent, sed ex prælio navali, navibus inter se consertis, facerent terrestre. Diodorus Siculus lib. XIII. ἔνιοι σιδηρᾶς χεῖρας ἐπιβάλλοντες ἠνάγκαζον τοὺς ἀντιτεταγμένους ἐπὶ τῶν νεῶν πεζομαχεῖν. *Ferrearum nonnulli manuum injectu, pugnam terrestri similem facere secum congressos adigebant.* Cæsar lib. I. Bell. Civ. *Itaque dum locus cominus pugnandi daretur, æquo animo singulas binis navibus objiciebant, atque injecta manu ferrea, & retenta utraque nave, diversi pugnabant, atque in hostium naves transcendebant.* Livius lib. XXXVII. cap. 44. *Jussit in advenientes hostium naves ferreas manus injicere, & ubi pugnam pedestri similem fecissent, meminisse Romanæ virtutis.* Similiter Frontinus de manibus Duilii: *Excogitavit manus ferreas, quæ ubi hostilem apprehenderent navem, superjecto ponte, trans-*

A *grediebatur Romanus, & in ipsorum ratibus cominus eos trucidabat.* Jam quia harpagones anchorarum formam referebant, ideo opinor *anchoras* vocavit Zonaras lib. II. ubi de Duilio: μηχανὰς ἐπὶ τῶν τελήρων, ἀγκύρας τε καὶ χεῖρας σιδηρᾶς κατεσκεύασεν. Ab utrisque autem hisce machinis differebant, qui *corvi* vocabantur. Patet ex adductis supra verbis Curtii, ubi ait: *corvi, & ferreæ manus tormentis emissæ.* Appianus libr. V. b. c. καὶ κόρακας ἢ χεῖρας σιδηρᾶς εὐκολώτερον ἐπερρίπτουν. *Injectis corvis, aut ferreis manibus facilius retinebant.* Rectius ergo manu exarati codices Autoris de Viris Illustribus se habent, B quam excusi, ut in quibus eo loco, ubi agitur de Duilio, illa verba, *manus ferreas, quas corvos vocavere*, non reperiuntur. Neque κόρακες Polybii manus ferreæ, ut quidam opinantur, qui Duilium eas reperisse legerunt. Non enim manus tantum reperit, uti traditum ab illis, quos antea laudavimus, sed & corvos, &, ut Florus loquitur, *alias adhuc machinas*. E quibus unam describendam sumsit Polybius. Quæ autem ista fuerit inter manus corvosque differentia, reperire hactenus non potui. Videntur corvi ferramenta fuisse triquetra, & acuminata, C ad effigiem corvini rostri, inque summo capite habuisse annulum e ferro, cui inserebatur catena, sicque postea vel balista, vel alia machina conjectos, navim hostilem aliquando retinuisse, sæpius perforasse. Plutarchus certe sic appellat, ut exinde effigies ipsarum hæc fuisse videatur. Ita namque in Marcello: τὰς μὲν ναῦς χερσὶ σιδηραῖς, ἢ στόμασιν εἰκασμένοις γεράνων ἀνεβάπτιζε: *naves manibus ferreis, aut rostris veluti gruinis, aut corvinis demersit.* Leo Imp. δυνατὸν δὲ διὰ τινῶν γερανίων λεγομένων. Polybius describit ita: *Destituebatur in proris tignum rotundum, longum ulnas quatuor, latum in diametro palmas* D *tres, trochleam in fastigio habens: eidem scalam applicabant, atque inducebant e transversis tabulis latis pedes quatuor, longis ulnas sex, compactam clavisque confixam. Foramen tabulati erat oblongum, statim a primis duabus ulnis tignum ipsum circumplectens, ad latus scalæ erat utrinque lorica, per totam ejus longitudinem porrecta genus tenus alta: in extremo ferreum quasi pistillum in acutum desinens aptabatur, habens in vertice annulum: ita ut universa compages machinis esset similis, quibus farina conficitur. Porro isti annulo funis illigabatur, quo in commis-* E *sionibus navium trochleæ illius ope, quæ in tigno erat, corvos erectos in tabulatum alienæ navis demittebant, idque in proram naves circumagendo, ut in latera impetum darent. Postea vero quam infixi corvi tabulatorum asseribus admotas naves invicem constrinxissent, quotiens quidem obliquæ naves mutua latera conjunxerant, omni ex parte insiliebant, quotiens autem a prora erant commissæ, per ipsam machinam bini continua serie inruebant, quorum primi adversus ictus scutis objectis defendebantur, proximi his scutorum curvaturam super lorica imponentes latera tutabantur.* Habes ecce corvum a Duilio repertum. F A quo longe diversum invenere Tyrii, ut apud Curtium observamus. Sicuti & harpago diversam speciem habuit, quem Agrippa excogitavit, ab illo, quem invenit Anacharsis. Appianus istum sic describit: *Agrippa & harpagonem commentus est, cubitale tignum ferro indutum, in utraque extremitate habens circulum, & in horum altero harpagonem ferreum, in altero multas restes, quæ machinis attrahebant harpagonem, catapulta in hostilem navem immissum.* Et paulo post: *Maxime harpago probabatur e longinquo propter levitatem in naves*

ves involans inhærensque, præsertim cum retraheretur restibus, nec præcidi propter ferrum poterat, nec pertingi usque restes propter longitudinem, & ignotum erat genus machinæ. Unicum adversus hæc remedium apud veteres, extensa coria fuere. Thucyd. libr. VII. *Syracusii certiores facti sunt, etiam de ferreis manibus,* ἀλλὰ καὶ πρὸς τοῦτο ἐξηρτύσαντα. τὰς γὰρ πρώρας καὶ τῆς νεὼς ἄνω ἐπὶ πολὺ κατεβύρσωσαν, ὅπως ἂν ἀπολισθάνοι καὶ μὴ ἔχοι ἀντιλαβὴν ἡ χεὶρ ἐπιβαλλομένη. Pollux: χεῖρες σιδηραῖ. πρὸς δὲ τὰς ἐπιβολὰς αὐτῶν ἀντεσοφίζοντο, βύρσας προσηλοῦντες πρὸς τὰ τειχίσματα τῶν νεῶν, ὅπως ὁ σίδηρος ὀλισθάνῃ, πρὸς τὸ ἀντίτυπον ἀντιλαβὴν οὐκ ἔχων. *Manus ferreæ. At contra injectiones earum arte quadam utebantur. coria namque in tabulis navium suffigebant, ut ferrum nullam inveniens ansam, irrito decideret.* Cæterum ad impetendum hostem etiam *siphonibus* quibusdam utebantur, qui ignes cum fragore in adversariorum naves evomebant. Leo. *Multæ molitiones a veteribus repertæ sunt, ut ignis cum tonitru & fumo ignito per siphones emissus naves incendens.* Videntur hi siphones parum absimiles fuisse nostris tormentis, nisi quod ignem tantum, sine globis emitterent, atque ita vel terrerent naves propius adventantes, vel succenderent. Quo fine pridem apud Livium naves Rhodiæ contis in prora ollulas suspensas habuerunt, igne & carbonibus repletas. Verba extant lib. XXVII. cap. 11. *Quinque Rhodiæ naves cum duabus Cois effugerunt terrore flammæ micantis, via sibi inter confertas naves facta. contis enim binis a prora prominentibus trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant.* Idem tradit Suidas in πυρφόρος κῆμος. *Ignifer cadus,* ait, *est quo Pisistratus Rhodiorum navarchus usus est. Ab utraque proræ parte anchoræ binæ juxta interiorem parietem erant collocatæ, quibus inserebantur conti protensi in fluctus maris. In horum vero fastigio cadus ferrea catena suspensus erat, plenus ignis, ut in impressionibus & aggressionibus in hostilem quidem navem ignis excuteretur, a sua vero longius distaret.* Meminit & Appianus hujus rei, Pausimachumque usum scribit. Cæsar apud Actium ollulas *carbonum picisque* plenas eminus in adversas naves tormentis ejaculavit, teste Dione lib. LI. Leo præcipit, ut *calce viva* repleantur. pulvis enim e confractis vasibus emissus suffocare solet, spiritumque intercludere. Annibal *serpentes* in eis recondidit. Nam cum Ponticis initurus prælium omne serpentium genus in victiles lagenas conjici jussit, medioque prælio in naves hostium mitti. Quod ipsis primum ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeat. Sed ubi serpentibus repleri naves cœpere, ancipiti periculo circumventi, hosti vi-

A ctoriam cesserunt. Justinus lib. XXXII. cap. 4. Idem habent Julius Frontinus, & Nepos Cornelius. Serpentium loco aliqui alias feras venenatas adhibuere, quales *nepæ*, *scorpiones* & id genus. Jam ne incedere in navibus possent, etiam *murices* in eas conjectabant, uti Leo testatur. Sunt autem murices ferramenta cuspidata, & quocunque tandem modo jactes, mucronem sursum erigentia, & morantia cursum. Ultimum malorum fuit *ignis*, quem a gente, in qua primum innotuit, Græcum appellarunt. Auctor ejus Callinicus Syrus architectus, qui vixit tempore Constantini Pogonati. Zonaras. τότε καὶ τὸ B ὑγρὸν ἐπινενόητο πῦρ, Καλλινίκου τινὸς ἀρχιτέκτονος ἀπὸ συρίας ἐλθόντος πρὸς τὸ βασίλειον ἄστυ, καὶ τοῦτο κατασκευάσαντος. Tom. III. *Tum Græcus ignis a Callinico quodam architecto, e Syria in regiam urbem profecto, excogitatus est.* Hoc igne Cretensium naves viginti sine magno labore combussit Nicetas, præfectus classis Romanæ, uti memorat Cedrenus. Et sane quivis ignis summe hic periculosus, propter carinas pice & resina unctas. Hinc Lucanus lib. III. vers. 680.

C *Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades;*
Quam pelago diversa lues. Nam pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.

Nec remedium ab aqua marina, quæ si copiosius incendio ingeritur, non nihil quidem igni resistit: quum vero fieri id raro liceat, aut ob penuriam vasorum, aut ob periculum, & ex eo terrorem, non modo nullum fert auxilium, sed D & vires incendii auget, ut Dio testatur lib. LI. Lucanus paulo post:

Nec flammas superant undæ, sparsisque per æquor
Jam ratibus, fragmenta ferus sibi vendicat ignis.

Centones tantum aceto madefactos adhibuerunt, aut *viscus*, uti docent dictus autor atque Theophrastus. Hinc illud Sisennæ Historiarum lib. IV. E servatum a Nonio cap. 2. in centones. *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur.* Plinius lib. c.14.22. *alumen* addit, eoque madefieri materiam jubet.

Expoſitio literarum in ſequenti Figura.

a. *chalatorii funes.*
b. *epitonus.*
c. *ceruchi.*
d. *hyperæ.*
e. *pedes.*
f. *proto.*
g. *calones.*
h. *thoracium.*
i. *maleola.*
k. *antenna, cum acato, ſeu velo majore.*
l. *cornua.*
m. *dolon.*
n. *velum aliud, ſupra aliud.*
o. *anſerculus cum apluſtri.*
p. *ſtylus cum tænia, ubi & velum quod vocabatur Supparum ſurgens uſque ad thoracium, in malo.*
q. *propedes.*
r. *anchorale.*
s. *elacate, cui ſubjunctus fuit Artemon.*



JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
MILITIA NAVALI
LIBER TERTIUS.
Qui eſt de
USU HUJUS MILITIÆ

Argumentum.

Dantur hoc libro primum ſigna militi. tum exercitatus in terras peregrinas abducitur. Dein habetur in caſtris. mox in acie locatus, cum hoſte congreditur. Paulo poſt in obſidione eſt. Denique cuncta præſidiis auxiliiſque facit ſecura.

CAPUT I.
De Signis.

Paraſemon quid, & ad quem uſum. ubi. Cyrillus & Procopius conciliati cum aliis. Tutela quid. quæ ejus a paraſemo differentia. culta bonore divino & expiata. Suidas expoſitus. Materia & locus tutelarum. Lipſius excuſatus. Nomen navis ubi. ὀφθαλμὸς. *unde captum. Signa Prætoriæ navis, vexillum, aquila, an & lictor? turris, lumen vel ſingulare, vel duplex, vel triplex. Signa militarium, an galea? Onerariarum, corbis. Signa pro militibus ac nautis vexilla, clypei ſublati, pertica, tuba. Celeuſma, bortamentum, juſſus,* ἐνδόσημον. *Symphonia, cantilena nautica,* τριηρικὸν, νίγλαρος.



Laſſem præcedente libro rebus neceſſariis inſtruximus: ſequitur ut in aquam eam deducamus, noſque componamus ad iter. Quod ne inordinate fiat, ſigna proponenda ſunt, ſine quibus quis eſt, qui voce tantum tam ingentem regeret multitudinem? quis tot hominibus, ubi pro neceſſitate rerum ſæpe quædam extempore præcipienda ſunt, imperaret? Sunt autem ſigna iſta duplicia, alia quæ oculis, alia quæ auribus accipiuntur. Illa iterum vel cunctis navibus communia ſunt, vel certis quibuſdam propria. Cunctis navibus communia iterum ſunt vel in ipſis navibus, vel inter milites ac nautas. Quæ oculis percipiuntur, & in navibus ipſis ſunt, paraſemon vocantur, tutela, nomen. Quæ inter milites, vexilla; inter nautas, perticæ. A *paraſemo* incipiamus. Hoc nil fuit aliud, quam pictura, παράσημον a Græcis nominata, quæ effigiem animalis vel alterius rei, montis puta, item arboris, aut floris in nave referebat. ex qua deinde miles naves inter ſe diſcernere, ſuamque ab aliis dignoſcere valebat. Non enim promiſcue cuivis, quam primum occupaſſet, eam conſcendere licebat; ſed ſingulæ centuriæ, ſingula vexilla, proprias ſuas habebant naves. Unde Livius lib. XXXVII. cap. 29. *Concurſum ad naves eſt, vix ſuam quiſque noſcere, & adire præ tumultu poterat.* Vix *ſuam*, ait: unde propriam quemque claſſiariorum habuiſſe manifeſtum eſt. At unde inter ſe dignoſci potuiſſent, quum ad reliquam ſtructuram quantum attinet, ejuſdem generis pleræque fuerint, triremes ſcilicet, vel quadriremes, niſi ex paraſemo? Quare & a Græcis ſic vocatum eſt, quia quamque navim conſignabat, unamque diſtinguebat ab altera. Igitur apud Herodotum in Urania, cum Artemiſia in nobili ad Salaminam pugna ſuppreſſiſſet navim, & Xerxes re animadverſa circumſtantes rogaret, numquid Artemiſiæ hoc eſſet facinus? Illi affirmarunt, σαφῶς ἐπιστάμενοι τὸ ἐπίσημον τῆς νηὸς, *quia noverant inſigne navis ipſius.* Locus hujus ſigni proprius in prora erat, inter embolum & proembolida, ſicut alibi notatum. Pictum plerumque, unde & *pictura* vocatum a Latinis. Aliquando etiam ſculptum legimus. Referebat autem fere ſemper προτομὰς brutorum animantium, ut tauri, leonis, & ſimilium. Sic in illa prora, quam in ſuperiore libro cum roſtro dedimus, lupi eſt paraſia. In ea, quam Stevechio notante ſculptam Romæ in antiquis monumentis vidit Stephanus, ſuis ſive porci. In liburna, cujus ſpeciem Anonymus libelli, de rebus bellicis, oſtendit, canis. Atque hoc nonnunquam fiebat ad terrorem. Monſtrant verſus Propertii lib. IV. ver. 402.

Non te quod claſſis centenis remigat alis
Terreat ——
Tigna cava & pictos experiare metus.

Picti enim *metus* hoc in loco, qui ex ſignorum

A istis picturis. Secundum, de quo dixi, signum *Tutela* est, longe a parasemo diversum. Ut enim illud bestiæ plerumque, vel alterius rei, ita hoc dei deæve imaginem referebat. Silius Italicus.

—— tutelæque deum fluitant ——

Clarius adhuc Ovidius Trist. lib. 9.

Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ,
Navis & a picta casside nomen habet.

B Hic parasemon erat cassis, Minerva autem tutela, quemadmodum & in nave, qua vecta est Europa, tutela Jupiter, parasemon taurus fuere. Dicta vero tutela, quasi tutelare numen, cujus curæ commissum est navigium. Consueverunt nempe veteres diis quibusdam naves suas consecrare, eorumque tutelæ committere. Primum quidem hæc gens huic, alia alii Deo, quem & alias præcipue colebat. Disco ex Euripide, qui in Iphigenia sexaginta Thesei navibus eandem tribuit tutelam. Versus Latine sic se habent. *Sexaginta deinde navibus Thesei Filius habebat stationem, Deam Pallada in equestribus habens alatis curribus fixam.* Sic & Bœo-
C tias eodem loco ait Cadmum habuisse tutelam navium, tenentem aureum draconem. Nestorias vero naves Alpheum tauri specie effigiatum. De Achillis classe ita canit.

ναυτίαις δ' εἰκόσιν
Κατ' ἄκραν Νηρῆδες ἕστασαν θεοὶ
πρύμναις σῆμ' Ἀχιλλείου στρατοῦ

In navium summitatibus Nereidum Dearum aurea stabant simulacra, tutelæ puppibus Achilleæ classis. De Phœnicum navibus Hesychius testatur,
D cunctas habuisse simulacra quædam in puppibus Deorum patriorum. Πάταικοι, ait, θεοὶ φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. De Libicis Silius lib. XIV.

Hammon nomen erat Libicæ gentile carinæ,
Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte.

Postea vero singulæ naves suas proprias accipiebant tutelas, uti præter alios autorum locos, etiam Ovidii paulo ante a nobis abductus comprobare potest. Ac tum quidem observatum, ut ejusmodi eligerentur dii, qui cujusque instituto faverent. hoc
E est, ut mercatores haberent Mercurium, milites Martem, alii alios negotio suo convenientes. Unde Ovidius de Paride in Epist.

Qua tamen ipse vehor comitata cupidine parvo
Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

Et Euripides post versus antea allatos ait, illam Palladem fuisse εὔσημόν τε φάσμα ναυβάταις *pulcrum ostentum navigantibus*. Sicut autem pagani diis suis, ita Christiani postea Martyribus tutelam navium commiserunt, eorumque pictas circumfere-
F bant in iis imagines. Procopius in Esai. c. 12. ταῖς γὰρ πρώραις τὰς θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς ἐν νῦν ἁγίων μαρτύρων. Jam illi ipsi paganorum dii religiose habiti a navigantibus, sic ut & adorarent. Silius post adductos ante versus de Sabrata:

Fer pater afflictis, fer, ait, Garamantice vates
Rebus opem, inque Italos da certa effundere tela.

Horatius lib. 1. Carm. Ode 14.

—— non tibi sunt integra lintea,
Non Dii, quos iterum pressa voces malo.

Etiam fœdera ad ipsorum simulacra, veluti ad aras, sancire moris erat. Silius poeta lib. XIII.

—— dextras jungamque inertes,
Fœderis en hæc testis erit, veniamque precatus,
Trojanam ostentat trepidus de puppe Minervam.

Expiabantur quoque, cum quid accidisset in navi, quo violari poterant, & ad iram commoveri. Arbiter: *ut tutela navis expiaretur, placuit, quadragenas utrisque plagas imponi. Nulla ergo sit mora. Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque vilissimo sanguine tutelam placare.* Num & oleæ ramis ad hunc finem decoratæ. Sic videtur ex eodem: *data, inquit, acceptaque patrio more fide, protendit ramum oleæ a tutela navigii captum.* Certe coronatam vult Paschalius lib. IV. de coronis, cap. 18. ob hunc versum Flacci

Visa coronatæ fulgens tutela carinæ

Quanquam hic potius navigium coronatum fuisse ostendat, de quo alibi dictum est. Et hæc causa, quamobrem Suid. voce ἄκρα, τὰ τῶν νεῶν σεβόμενα nominavit. Porro isti dii picti plerumque fuerunt. Apparet ex Lucano lib. III. ver. 510. ubi ita canit:

—— non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas.

Ovidius Fastorum lib. IV.

—— picta coloribus ustis
Cœlestem matrem concava puppis habet.

Antiquitus tamen etiam sculpti, cum ex ligno, tum ex alia materia. Docet Herodotus in Thalia, quo loco Phœnices in triremibus τ' ἀγάλματα habuisse scribit. Et Seneca Epist. LXXVI. *Navis bona dicitur, non cujus aureum, aut argenteum est rostrum, nec cujus tutela ebore cælata est.* &c. Locus tutelarum proprius in puppe. Ovidius ostendit loco antea laudato. & in Epistola Paridis:

Accipit & pictos puppis adunca deos.

Persius Satyr. VI.

Ingentes de puppe dei ——

Ac eæ quidem naves, quarum tutelæ pictæ erant, in medio fere puppis habebant. Hinc Ovidius Tristium lib. I.

—— pictos verberat unda deos.

Quarum vero tutelæ erant sculptæ, illas habebant in Acrostoliis. Scholia ad Iliad. A. ἐπὶ τῶν ἀκροστολίων ἦσαν ἀγάλματα καὶ εἰκόνες τῶν θεῶν. & versus supra ex Euripide adductus:

Κατ' ἄκραν Νηρῆδες ἕστασαν θεοὶ.

Et hic quidem proprius tutelarum locus, in quo iterum a signis differebant, quippe quæ in prora pingebantur. Factum tamen est nonnunquam ut quod esset tutela in navi, id ipsum ei etiam pro signo poneretur, hoc est, ut parasemon quoque dei alicujus, aut herois effigiem referret. Procopius in Esaiæ c. 12.

ἐπιβῆναι τε φησὶν παῦλον ὁ Λουκᾶς ἐν πλοίῳ Ἀλεξανδρινῷ παρασήμῳ διοσκόροις. ταῖς γὰρ πρῴραις τὰς θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον. Cyrillus in Catena ad eundem Prophetam, a Daniele Heinsio laudata. Ὁ τὰς πράξεις τῶν ἀποστόλων συγγραφεὺς, ἐπιβῆναι φησὶν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ πλοίῳ Ἀλεξανδρινῷ, παρασήμῳ διοσκόροις. ἔθος γὰρ πως ἀεὶ ἐν ταῖς Ἀλεξανδραίων μάλιστα ναυσὶ πρός γε τῆς πρῴρης δεξιά τε καὶ εὐώνυμα γραφὰς εἶναι τοιαύτας. Hinc Latini promiscue hac voce usi, & tutelas etiam animalia, resque alias, quæ proprie picturæ & parasiæ, nominavere. Exemplum habes apud Lactantium lib. I. cap. II. ubi sanctus doctor ait: *Navis in qua Ganymedes est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam.* Ita Servius ad Virgilii lib. V. Æn. hunc versum.

Velocem Mnestheus agit acri remige pristin.

A tutela depicta sic vocata est. Glossæ veteres. *Tutela* παράσημον τοῦ πλοίου. Non ergo tantopere erravit Lipsius, ut a nonnemine eruditorum traditur, quando ad adductam supra Senecæ Epistolam, *tutelam* scripsit *esse locum in prora, ubi dii tutelares.* Nam & quod de diis tradidit, excusari potest, quatenus videlicet, ut dixi, etiam horum sæpe simulacra reposita sunt in proris, non ut tutelæ, sed ut signa & παράσημα. Scholiastes Aristoph. παλλάδια ἐν ταῖς πρῴραις τῶν τριήρων ἦν ἀγάλματά τινα ξύλινα τῆς Ἀθηνᾶς καθιδρυμένα. ὧν ἐπιμελοῦντο μέλλοντες πλεῖν. Nisi quis existimet fuisse isthæc signa peculiaria penitusque a superioribus diversa, & ad id tantum imposita navibus Atticis, ut eas ab aliis distinguerent. Polyænus sane ἀττικὰ σημεῖα, non alia, quam hæc ipsa appellare videtur lib. III. cap. II. ubi ait: οἱ τοῦ πολλίδος κυβερνῆται ταῖς ναυσὶ τῶν Ἀθηναίων ἀπαντῶντες, διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτοὺς τὸ ἀττικὸν σημεῖον ἀμφιγνοοῦντες παρέπλεον. sicut & l. VIII. σημεῖα περσικὰ, quæ Persarum naves ad aliarum differentiam imposita habuere; verba hæc sunt: ἡ δὲ καταλαμβανομένη προσέταξε τοῖς μὲν ἐπιβάταις ἀφελεῖν τῆς νεὼς τὰ σημεῖα τὰ περσικά. & paulo post. Ἀρτεμισία τριηραρχοῦσα νεὼς μακρᾶς οὐ μόνον τὸ τῶν βαρβάρων, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν ἑλλήνων σημεῖον εἶχεν. Idem forte apud alias quoque gentes usitatum fuit, & meminit Strabo ex lib. II. Herodoti equorum in proris navium Gaditanarum. Etiam illos πατρίκους, vel, ut habent codices alii, & Suidas, παταίκους θεοὺς Phœnicum, de quibus supra locum Hesychii adduximus, Herodotus lib. III. non in puppibus, sed proris ponit. *Est*, ait, *Vulcani statua, Phœniciis Patæcis simillima, quos in triremium proris* (ἐν τῇσι πρῴρῃσι τῶν τριήρεων) *Phœnices circumferunt.* Quo efficitur, ut & de his quid statuam hujusmodi, Phœniciarumque navium commune signum fuisse existimem, non hujus illiusque parasemon proprium. Sane sunt, qui cum equos Gaditanarum videant fuisse in prora, eos parasema exponant, maxime cum apud Strabonem dicantur ἐπίσημα ἐν ταῖς πρῴραις. Sed vix persuadent: cum verisimile non sit, totam gentem eodem parasemo usam in omnibus navigiis, quia navigia non alia re magis, quam parasemis a se dignoscebantur. Quid? quod sic naves omnes idem habuissent nomen, quippe quod cum parasemo conveniebat. At hoc absurdum: denique & Strabo ipse aliter in præcedentibus, ubi vocat ἀκρόπρωρον ξύλινον ἵππον ἔχον ἐγγεγλυμμένον. est autem ἀκρόπρωρον ipsum acrostolium quo proinde illi equi fuerunt insculpti, eo plane modo, sicut hominis alicujus aut Dei caput sculptum videmus in acrostolio, quod supra proposuimus. Tertium signum *nomen* navis est, quod unaquævis habebat proprium ac singulare, idque proræ inscriptum, circa acrostolium. Primum patet ex historia collectanea, cujus autor de Bellerophontis nave: ὄνομα ἦν τῷ πλοίῳ πήγασος, ὡς καὶ νῦν ἕκαστον τῶν πλοίων ὄνομα ἔχει. ἕκαστον inquit, quod hoc loco notandum est. Alterum nos docet Pollux hisce verbis: Τὸ ὑπὲρ τὸ πρῦχον ἀκροστόλιον πτυχὶς ὀνομάζεται, ὅπου καὶ τοὔνομα τῆς νεὼς ἐπιγράφουσι. *Pars supra acrostolium prominens ptychis vocatur, ubi & nomen navis inscribitur.* Ita Apollonii interpres lib. I. Arg. v. 1089. πτυχὶς λέγεται, ὅπου τὸ τῆς νεὼς ἐπιγράφεται ὄνομα. Videtur lignea fuisse tabula, acrostolio affixa, in qua scriptum fuit hoc nomen. Dydimus apud Eustathium. Ἀκροστόλιον ἤ ἐστιν ἄκρος στόλος. στόλος δέ ἐστιν τὸ ἀπὸ τῆς λεγομένης πτύχης ξύλον πλατύ. πτύχη δέ ἐστιν ὅπου καὶ τὸ τῆς νεὼς ὄνομα ἐπιγράφεται. Et quoniam rotunda erat, & in fronte navigii sita, ob similitudinem ὀφαλμὸς a Græcis, hoc est, *oculus* appellabatur. Eustathius dicto loco: πτυχὴ δέ ἐστιν ὅπου οἱ τε ὀφθαλμοὶ ζωγραφοῦνται. Pollux: πτυχὶς ὀνομάζεται καὶ ὀφθαλμός. Cæterum hoc nomen navis, semper ab insigni vel pictura ejus, nunquam a tutela, quæ tertia est inter tutelam ac parasiam differentia. Ovidius:

Est mihi sitque precor flavæ tutela Minervæ,
Navis & a picta casside nomen habet.

Nomen, inquit, habet, non a tutela Minervæ, sed a casside, pictura vel parasia. Cassis ergo vocabatur: sicut qua Europa vecta est, taurus, non Jupiter dicebatur, etsi Jovis tutelam haberet. Ad eundem modum apud veteres arietes invenias, & hircos, & Scyllas, & id genus alias navigiorum appellationes. Diodorus Siculus lib. V. de Phryxi nave, quam fabulæ arietem fuisse fingunt. Διαπλεῦσαι φασὶν τὸν φρύξον ἐπὶ νεὼς, προτομὴν ἐπὶ τῆς πρῴρας ἐχούσης κριοῦ. Pollux lib. I. ἔστι δέ τινα πλοῖα λύβια, λεγόμενα κριοὶ καὶ τράγοι. Silius Italicus lib. XIV. v. 5. 65.

At vinculis trahitur cognata in littora Anapus
Gorgoneasque ferens ad sidera pegasus alas,
Ducitur & Lybiæ puppis signata figuram,
Et Triton captivus, & ardua rupibus Æthna,
Spirantis rogus Emeladi, Cadmeaque Sidon.

Virgilius Æn. V.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim.

Servius: *pristim*, inquit, *a depicta tutela sic vocatam*: ubi nota, per tutelam non deum tutelarem, qualis nullus hujus cognomenti apud veteres reperitur, sed παράσημον, ut ante admonuimus, intelligere. Et hoc sensu ejusdem verba sunt accipienda ad Virg. X. Æn. hunc versum

Massicus ærata princeps secat æquora tigri.

quando ait: *Rostrum erat in similitudinem tigridis namque solebant naves vocabula accipere a pictura tutelarum.* Sabinus ita explicat. *Nomina navium sunt aut a tutela, aut a loco, aut a pictura, hic erat dicta tigris*: quæ ego verba sic intelligo, ut a pictura, quam hic a tutela notabiliter distinguit, & haud dubie pro parasia, vel παρασήμῳ accipit, navim nuncupatam putem, quando distinctam eam navis a tutela haberet, a tutela vero, quando pictura & tutela idem essent. Hoc enim est, quod adjicit; *hic erat picta tigris*. Et ad eundem modum etiam Græci: unde Lucianus in πλοίῳ. Καταντικρὺ δὲ, ἀνάλογον ἡ πρῴρα ὑπερβέβηκεν, ἐς τὸ πρόσω, ἀπομηκυνομένη τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα, τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. Vult, eandem

fuisse rem in hac navi, tutelam, & parasiam. Igitur a parasia quidem accepisse nomen, & vocatam esse Isidem, & hanc ipsam tamen deam habuisse tutelam. Atque hæc tria communia signa, quæ accipiuntur visu. Propria vero, quæ ad certas naves pertinent, prætoriarum, bellicarum, atque onerariarum signa sunt, cuncta iterum vel diurna, vel nocturna. A prætoriis incipiemus, quas propria quædam signa habuisse ex Herodoto colligimus, quando singulare quoddam tribuit prætoriæ Atheniensium, & ait: *ὡς δὲ ἐσεῖδε τὴν νῆα τὴν Ἀττικὴν ὁ Πολύκριτος, ἔγνω τὸ σημήιον ἰδὼν τῆς στρατηγίδος. Policrates ubi inspexit Atticam navem, signum prætoriæ cognovit.* Idem Appianus docet de Romanorum prætoriis: *Jamque*, ait lib. v. B. C. *e propinquo agnoscebant se invicem, & petebant naves prætoriæ, perspectis insigniis.* Ac illud quidem, quo interdiu utebantur, vexillum fuisse videtur. Ita enim Seneca de Agamemnonis prætoria

Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutæ mille vexillum naves.

& Tacitus Hist. v. c. 22. *Prætoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt*: colorem habuit purpureum plerumque: ita docet Plinius lib. XIX. c. 1. quando ait: *hoc* (velum purpureum) *fuit imperatoriæ navis insigne*: hinc Diodorus lib. XIII. de Conone Atheniensium prætore *ἦρεν ἀπὸ τῆς ἰδίας νεὼς φοινικίδα, puniceum e navi sua vexillum sustulit.* Leo Imperator in tacticis *σημεῖον εἶχον οἱ παλαιοὶ λεγομένην φοινικίδα. ἦν δὲ τὸ λεγόμενον καμελαύκιον ἐπὶ κονταρίου ὑψούμενον, ἐρυθρὸν τὴν χροάν: signum veteres habuere, quod phœnicidem appellabant: erat autem vexillum hasta longiore elevatum, rubro vel purpureo colore.* Locus ejus ordinarius in prora. Constat ex antiquis numismatibus, quorum habes aliqua lib. præcedenti cap. v. quibus adde hæc Antonii & Cæsaris.






Alias & in puppe visuntur, quemadmodum in nummo Carini, supra proposito, quando de propugnaculis agebatur. Item Julii quodam, apud Goltzium. Sed ii transvectiones militum ostendunt, non ad bellum instructas naves. Præter istiusmodi vexillum in prætoriis Romanorum erat *aquila legionis*, ut itidem ex appositis monumentis manifestum est. Etiam, ut non nemo ex eruditissimis putavit, lictor aliquis in prora. De quo lictore solus unicusque Appianus prodidisse quid videtur lib. v. B. C. iis verbis: *πλησίον τε ἦσαν ἀλλήλων ἤδη, καὶ αἱ ναυαρχίδες ἐκ τῶν σημείων ἐφαίνοντο, καὶ ἀλλήλαις προσέπλεον, καὶ τῶν ῥαβδούχων ὁ ἡγούμενος Ἀντωνίῳ κατὰ τὴν πρῷραν, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἑστὼς προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον. Jamque e propinquo agnoscebant se invicem, & petebant naves prætoriæ, conspectis insigniis, quum primarius lictor Antonii, stans in prora, ut mos est, imperavit, detraherent insignia.* Quanquam ego quidem ista verba, *ὥσπερ ἔθος ἐστὶν*, non tam ad antecedentia, cum Lipsio, referre possum, quam ad subsequentia, in quibus de summotione per lictorem ob præsentiam prætoris agitur. Id enim usitatum fuisse veteribus Romanis notum est: de nostra vero hac consuetudine ne minima quidem apud quenquam alium vestigia reperiuntur. Neque satis consentaneum vero, lictores perpetuo in prora, & non in puppi potius circa prætorem stetisse, cum tamen alias ubique circa ipsum esse solerent. Sed ad *turres* veniendum est, nam & has fuisse singulares in prætoriis observamus ex Lucani hisce versibus lib. III. v. 514.

Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis.


Proprias prætorianis navibus fuisse ac diversas ab illis, quibus in præliis utebantur, vel ex eo constat, quoniam longe ante illa tempora, quibus istæ innotuerunt, harum mentio apud idoneos autores reperitur. Ita Livius quandam memorat in prætoria Eudami lib. XXXVII. cap. 24. *e turri prætoriæ navis silentio facto, exsurgite inquit* &c. Apparet ex his verbis, cur prætorias potissimum turritas esse voluerint, sc. ut si quando signum dari necesse esset, id ex editiore loco sublatum, fieret conspectius, & naves longius remotæ melius viderent. Potuit & turris ista instar tribunalis fuisse prætori, cum quid imperandum classi, aut ad ipsam verba facienda forent.



Atque de hujusmodi, non alia turre accipiendus est Polybius, cujus in transcursu fulcra fracta scribit, lib. XVI. nam de Dionysodori nave sermo est, quæ prætoria fuit Attali: *ἀνέβαλε*, inquit, *τὸν δεξιὸν ταρσὸν τῆς νεὼς, ὁμοῦ συῤῥαγέντων καὶ τῶν πυργούχων. tignis simul confractis, quibus turris erat superstructa.* Effigiem porro eorum habes in hoc nummo Gorlæi. Jam insigne, quo de nocte prætoria a cæteris distinguebatur, *lumen*, sive fax fuit, cum apud Græcos, tum apud Latinos. De Græcis testis Diodorus lib. XX. ubi de Antigono: *gubernatoribus dein enunciavit, ut in faciem intenti prætoriam sequantur.* De Romanis Appianus lib. II. B. C. ubi pariter & Cæsar nuntiat *τοῖς λοιποῖς κυβερνήταις πρὸς τὸν λαμπτῆρα τῆς ἑαυτοῦ νεὼς, καὶ καθ' ἡμέραν πρὸς τὸ σημεῖον εὐθύνειν. nocte sequi ignem prætoriæ suæ, interdiu vero ejus signum.* Prætoriæ ignem, ait, sive facem, unde patet hanc solam aliquam ejusmodi habuisse, alioquin enim nequivisset ab aliis discerni, & confirmat Florus, cum de Sexto Pompejo, paulo ante CCCL. navium domino scribit, cum sex septemve fugisse, *extincto prætoriæ navis lumine*, non & cæterarum navium luminibus. Clarius adhuc Zonaras de eodem: *ἀποσβέσας τὸν πυρσὸν, ὃν αἱ στρατηγίδες τριήρεις ὡς καὶ αἱ λοιπαὶ αὐταῖς ἑπόμεναι φαίνουσιν, εἰς Κεφαλληνίαν κατέπλευσεν. extincto igne, quo prætoriæ triremes sequentibus navibus prælucent, in Cephaleniam appulit.* Nisi quis existimet singularia hæc lumina fuisse, diversaque quacunque deinde ratione ab aliarum navium luminibus. Sic enim hodie quoque prætorias duabus uti lucernis, quas farolas nuncupant, cum aliæ singulis

ſint contentæ, autor eſt Fronſpergius, & apud Livium legimus Scipionem edixiſſe ſuis, cum in Africam iter inſtitueret, *ut lumina in navibus ſingula roſtratæ, bina onerariæ haberent, in prætoria nave inſigne nocturnum trium luminum fore*. Sic Polyænus lib. VI. νυκτὸς γενομένης ἐκέλευσεν ἆραι τὰς λαμπτῆρας (de navibus duodecim, quas Ariſtides ſecum habuit, hic ſermo eſt) *cum nox appropinquaret, juſſit tollere lumina*. τὰς λαμπτῆρας, ait, non τον λαμπτῆρα, ut unamquamque ſuam habuiſſe palam ſit. Extinguebant hæc lumina, cum occultare navigationem vellent, ut ex prædicto loco Zoſimi apparet. Sæpius vero occultabant, tegumentis quibuſdam ab ea parte, quæ proſpiciebat ad hoſtes. Polyænus de Imilcone lib. V. λαμπτῆρα τὸ πρόσθεν πεφραγμένον, ὅπως μὴ γνωρίζοιεν ἀπὸ τοῦ φωτὸς οἱ πολέμιοι τὸν ἐπίπλουν. *lucernam ab anteriore parte obduxit, ne hoſtes ex ſplendore de adventu conjecturam facere poſſent*. Et hæc quidem prætoriæ ſigna. Cæteræ autem naves bellicæ pro inſigni *galea* interdiu utebantur, quam in ſummis malorum cacuminibus circumferebant: ſi quidem Lilio Gyraldo credimus, ita ſcribenti cap. XII. libelli de Navig. *Conſuevere antiqui in ſummis navium malis galeæ neſcio quid ſimile addere*: & paulo poſt: *quæ igitur bello paratæ erant naves, galeam inſigne habebant*. Sunt, qui hinc naves militares dictas putent galeas; de quo tamen dubitari poteſt. Certe prius apud Græcos, poſtea demum apud Latinos galearum mentionem factam inveniet, quiſquis animum ad id diligentius advertet. Nam & Leo galearum meminit in Tacticis, cum non niſi longe poſt id nomen apud Latinos reperiatur. Quid? quod de re ipſa ex nullo idoneo authore ſatis conſtet; neque priſca monumenta id teſtentur: ut proinde nulla, præter communia ea ſigna, haſce naves habuiſſe exiſtimari queat. Neque de nocturnis harum ſignis amplius quid extat, quam quod apud Livium reperitur, loco quem non ita diu ante laudavimus. Adeo ne ipſa quidem ſingularia habuiſſe certo affirmari poteſt. Poſterioribus ſane temporibus ne ipſæ quidem prætoriæ talia ſigna habuerunt, ut apparet ex Procopio, cujus verba ex Volaterrani expoſitione (Græcum videre nunc non licuit) hic apponam: *In magna claſſe par erat pelago longe diffundi, præſertim ſi adverſi irruerent venti diſſipari, nihilque propterea ad hoc utilius cogitanti ſubiit, quam aliquas præire, quas ceteræ per ſigna ſubſequerentur. Quapropter trium navium in quibus ipſe commeatuſque ferrentur, mala ſuperne triangulari forma conſtituit, minioque infecit, ac ſublicis in puppi erectis faces accendit, ut nocte ac die naves prætoriæ viderentur, quas cæteræ per ſigna ſubſequerentur*. Vides novum hoc fuiſſe Beliſarii inventum, ut certo quodam ſigno notarentur naves Prætoris, & Comitum, ſic enim pro *commeatus* legendum puto. Quod tum fuerunt tria mala ſeu poma minio picta in arbore; unum in ſummo, duo a lateribus, ſi modo verſio eſt recta, de qua valde dubito. Onerarias tamen corbes pro inſigni habuiſſe Feſtus teſtis eſt his verbis: *Corbitæ dicuntur naves onerariæ, quod in malo earum ſummo pro ſigno corbes ſolerent ſuſpendi*. Et Cicero lib. XVI. ad Attic. ep. 6. quam ante *corbitam* vocavit, ſtatim poſt *onerariam* appellat. Meminit autem corbitarum præter Lucilium, etiam Plautus in comœdia, quam Pœnulum inſcripſit. De nocte ſicut militares ſingulis, ita hæ binis luminibus conſueverunt uti, teſte Livio prædicto loco. Licet hoc perpetuum fuiſſe, & a Græcis pariter ac Latinis obſervatum, pertinacius affirmare nollem. Habuerunt & naves in legationem miſſæ ſua ſigna: caduceum in prora. Appianus B. P. *Carthaginenſes ubi audivere victum Annibalem, legatos in celoce mittunt ad Scipionem, quorum princeps erat Hanno Matius, & Aſdrubal Hædus*, οἳ τὸ κηρύκειον ὑψηλὸν ἔστησαν ἐπὶ τὰς πρώρας, *qui caduceum alte in prora defixerant*. Similia & apud Livium obſervavimus. Cornel. Nepos vita Hannib. cap. 11. *tabellarium in ſcapha cum caduceo mittit*: caduceum ad ſcapham referendum puto. Pacificationis hoc inſigne fuiſſe ſcribit Roſinus, ſicut petaſus celeritatis in celerioribus navigiis, quod ex Giraldo hauſit. Habet ante utrumque Eraſmus in Chiliadibus, Ariſtophaniſque Scholiis confirmat. Sed in iis nihil, quod huc faciat, nec proverbium Poetæ, ἢ πλοῖον, ἢ κυνῆ, inde ſumptum, unde putat, ſed a ludo puerili, cujus meminit Macrobius 1. Satur. c. 7. ubi ait: *pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim, luſu teſte vetuſtatis, exclamant*. Quod Macrobius *capita*, id Scholiaſtes κυνῆν appellat, quia ferme galeata capita in nummis maxime Athenienſium, in quibus Minerva cum caſſide. Atque hactenus de ſignis, quæ ad naves pertinent, & velut partem aliquam earum conſtituere videntur. Quæ vero ad milites, ea iterum vel ſingularia fuerunt prætoribus, vel communia quibuſvis navium ductoribus. Prætores vexillum ſuum habuere, de quo ſupra quoque actum eſt. Frequentius tamen *clypeum*: eumque vel auratum, ut Demetrius apud Diodorum lib. XX. *Demetrius propoſuit uſitatum pugnæ ſignum, clypeum auratum*. Δημήτριος ἦρε τὸ συγκείμενον πρὸς μάχην σύσσημον, ἀσπίδα κεχρυσωμένην. vel æneum, ut Lyſander apud Plutarchum, & Polyænum lib. 1. Habuerunt & reliqui præfecti navium ſigna ſua, modo clypeos, ut apparet ex adducto Polyæni loco, ubi ita ſcribit: *Trierarchi cum egreſſos eſſe Athenienſes cernerent, ſublime tollunt ſignum æneum ſcutum*: modo alia vexilla: uti Hirtius innuere videtur, quando ait: *Vexillo ſublato Vatinius, quæ primæ naves ſubſequebantur, idem ut facerent ſignificabat*. Vexilla hæc ſingulis cohortibus fuiſſe propria, tametſi nullis idoneis ſcriptorum locis comprobari poſſit, nummi tamen docent, effigieſque ipſorum accurate referunt. Fuerunt autem illa, præſertim Prætoriarum, equitum vexillis fere ſimilia, niſi quod paulo eſſent longiora. Ex Antonii hoc nummo putet aliquis roſtra quædam navium habuiſſe adjecta, quo ab aliis differrent; ſed id certo affirmari nequit, cum roſtra victoriæ indicia in nummis eſſe videantur. Aquilas profecto eaſdem, quales in terreſtri militia, fuiſſe ſatis conſtat ex Octavii numiſmate, quod libro præcedenti propoſuimus.





Venio ad nautas remigeſque, quibus & ipſis ſingulare quoddam ſignum dari mos fuit, quod oculis acciperent. Nam cum vox non ſemper exaudiri poſſit, in tanta hominum frequentia, remorumque pulſu, hortator pertica (ut fit in muſicis) ipſos admonebat, quæ *portiſculus* appellabatur. Nonius Marcellus: *Portiſculus proprie eſt hortator remigum, qui eandem perticam tenet*,

quæ portisculus dicitur, qua excursum & exbortamenta moderatur. Meminit hujus baculi Laberius Cithera apud prædictum istis verbis: *nec palmarum pulsus, nec portisculi*: cætera loca commodius de ipso homine intelliguntur. Apud Festum Ælius Stilo *malleum* exponit, *quo in portu modus datur classi*, qui profecto non est alius ab ista Nonii pertica. Hinc a Catone flagro jungitur, in dissuasoria de rege Attalo & vectigalibus Asiæ: *C. Licinio prætore*, ait, *remiges scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti, veniere passim.* Frustra sunt, qui hunc locum, alterumque Festi corrigunt. Nam & in nummis, antiquisque monumentis hortatores istiusmodi cum portisculis sive baculis inter remiges apparent: si modo recta sunt, quæ ab Onuphrio in Naumachia proponuntur. Egimus adhuc de iis lignis, quæ oculis accipiebantur, itaque ad ea nunc est accedendum, quæ auditum admonebant. Fuere illa iterum duplicia, alia propria militibus, alia remigibus. Milites habebant *tubam*. num eandem, quam & in terrestri militia, dubitari potest: videtur enim Martialis distinguere ab ista, dum navalem singulari cognomento nuncupat: versus isti sunt in Amphitheat.

Augusti laudes fuerant committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba.

Et apud Onuphrium in imagine pugnæ navalis intortam quasi, ac striatam animadvertas. Etiam lituis in classe utebantur. Claudianus de bello Gildon.

Incassum toties lituis navalibus arsit
Hispanum Siculumque fretum ——

Idem usitatum erat Græcis. Unde Tynnichus apud Polyænum: *δεξαμενος σαλπιγκτὰς τρεῖς ἐς σκάφας*, *canere* eos jussit, atque ita hostibus classis alicujus adventantis opinionem fecit. Remiges duplici signo excitari mos erat: *celeusmate* & *symphonia*. Celeusma, a Græco *κέλευσμα*, fuit nauticus quidam clamor, quo ab hortatore remiges modo remis incumbere jubebantur, modo fortius remigare, modo a remigando quiescere. Servius lib. VIII. Æn. *Celeusma est clamor nauticus ad hortandum, ut: nunc, nunc incumbite remis*. *Jussum* latine nominavit Salustius in historiis, si fidem adhibemus Merulæ, quod ego difficulter facio. Videtur enim illic potius scripsisse simile quid ei, quod est apud Curtium lib. IX. cap. 8. At in Glossis, quas Cyrilli vocant, ita explicatur *κέλευσις, jussio vel jussus*. Nonius *hortamentum* reddidit. Sic enim, non *exhortamentum* legendum esse, docet ante dictus Merula ad lib. VII. Ennii Annal. ex melioris notæ MSS. codicibus. Livius lib. XL. *hortamenta remigum*. Apud Ennium *signum* dicitur, ex quo, ut pleraque, in suum opus transtulit Virgilius. versus Ennii hi sunt:

—— *tonsam ante tenentes*
Parerent, observarent, portisculi signum
quum dare cœpisset ——

Virgilius vero ita:

Considunt transtris, intentaque brachia remis
Intenti expectant signum.

Græci etiam *ἐνδόσιμον* appellant, quod tamen, ut & præcedens, pro eo signo, quod illa pertica, quam supra exposuimus, dabatur, accipi potest. Vetus aliquis apud Suidam. *οἱ κηλευσαὶ τοῖς ἐρέ-*

A *ταις τὸ ἐνδόσιμον ἐνέδοσαν, οἱ δὲ ἐπὶ τῇ ἐνδόσει ἀθρόοι τῷ ῥοθίῳ ἐπιλάλαξαν. καὶ ἔνδοσις ἐπὶ τούτω*. Arrianus Ep. Alex. l. VI. *καθ' ἑκάστην ναῦν τὸ ἐνδόσιμον τοῖς ἐρέταις ἐνέδοσαν*. Celeusmatis porro vocem ipsam exprimit Aristophanes. Ac alteram quidem, qua remigare jubebantur, in Ranis Act. IV. scen. 2. isthoc versu.

οὐκ ἠπίσταντ' ἀλλ' ἢ μάζαν καλέσαι καὶ ῥύππαπαι εἰπεῖν.

Scholiastes: *τὸ ῥύππαπαι ἐπίφθεγμα ναυτικὸν παρασκευαστικὸν ἢ παρακελευσματικὸν κωπηλασίας*. B *Rhippape clamor nauticus est, quo jubentur navigare*. Alteram vero, qua desistere a remigando jubebantur, isto versu, qui est in eadem comœdia Act. I. sc. 4.

Πει. Ὠόπ. Κι. ἀλαδρόμον ἀλάμενος.

Scholiastes iterum hoc loco: *κέλευσμα τῶν ἐρεσσόντων τὸ ὠόπ παῦον τὴν κωπηλασίαν*. *Oop est clamor nauticus, quo remiges jubentur ab opere quiescere*. Sic apud eundem Comicum in Ranis Act. I. sc. 4. Charon, terræ navim applicans, clamat *Ὠόπ*. C Nescio tamen, num perpetuum hoc fuerit: nam in iisdem Ranis Poeta Charontem solventem oram & abnavigantem facit clamare *Ὠόπ, ὄπ. ὠόπ, ὄπ*. & Scholiastes ibi hoc simpliciter *ἐλαττικὸν ἐπίφθεγμα* interpretatur. Quicquid sit, hoc certe constat, varium diversumque illum fuisse clamorem. Unde & Rutilius in Itin. lib. I.

His mecum pigri solabar tædia venti
Dum resonat variis vile celeuma modis.

Nonnunquam pro voce, lapidum concussione utebantur. Xenophon lib. V. *λίθων φόβῳ τῶν κε-* D *λευστῶν, ἀντὶ φωνῆς*. *lapidum concussione hortatorum, pro voce*. *Ἀντὶ φωνῆς* ait, quia nempe alias hoc proprium ac solenne fuit. An & manus in hunc finem aliquando concutiebant? Affirmant Dionysius Gothofredus lib. I. §. 3. ff. Nautæ cap. & ante ipsum Alciatus lib. I. par. cap. 44. atque ambo illic græcam vocem *χειρέμβολον* hoc modo explicant. *χειρέμβολον*, ait Gothofredus *signum, a magistro navis manu datum: celeusma appellatur*. Laberius sane Cithera, cujus supra mentio est facta, *pulsum* aliquem *palmarum* nominat, eumque portisculo, quem perticam fuisse diximus, conjungit, uti ex ipsius verbis apparet. Ex E quo non omnino fictum hoc cui esse videatur. At non statim inde necesse est, ut & apud JCtum Græcam illam vocem sic interpretemur: quando signum istiusmodi, non ad pacta, vel conventiones, vel admissiones, de quibus tamen ibi sermo est, pertinuit. Ex hoc signo autem remiges intelligebant, sicut dixi, quomodo remigandum esset, & quando. Num tardius, an celerius. Pertinebat etiam eo, ne unus primo, alter postea, sed omnes uno momento remos concitarent. Hinc Ovidius:

F —— *requiemque modumque*
Voce dabat nautis animorum hortator Epopeus.

Modum, ait, quo scilicet in remigando uti deberent, celeriorem interdum, interdum tardiorem. dabat & requiem, nimirum quando quiescebat. Arrianus lib. VI. *Tantus fluminum concurrentium sonitus remigum aures pervasit, ut remos quietos tenerent*: *οὐκ ἐκ παραγγέλματος, ἀλλὰ τῶν τε κελευστῶν ὑπὸ θαύματος ἐκσιωπησάντων*, *non quod ita jussi essent, sed quia hortatores admiratione rei compulsi*

compulsi conticescebant. *Symphonia* vero cantilena fuit prolata voce, sæpe tamen tibiis aliisve instrumentis musicis, longe a celeusmate diversa, cum quo hactenus ab omnibus confundebatur. Nam cum celeusma vox esset simplex, hæc cum modulatione quadam fiebat, cumque istud profertur ore, hæc frequentius musicis quibusdam instrumentis edebatur. Pædianus apud Ciceronem: *Sciendum est cani remigibus per symphoniacos solitum, & per assam vocem, id est ore prolatam, & per citharam*. Hinc Charon apud Aristophanem in Ranis Baccho, cum remigare deberet, & se labori vellet subductum propterea, quod esset rudis & navigationis imperitus, nec Salaminius, respondet

—— *ῥᾷς. ἀκούσει γὰρ μέλη*
Κάλλιστ', ἐπειδὰν ἐμβάλῃς ἅπαξ ——

hoc est: *facile disces, audies enim cantus suavissimos, quamprimum remum immittes in aquam*. Sequitur deinde cantus, non quidem musicus, ut alias solebat, ranuncularum tamen, joco a poeta in istius locum substitutus, & distinctus a celeusmate, quod faciebat Charon. Versus hi sunt, post eos quos ante protuli

—— *Δι. τίνων;*
χα. Βατράχων, κύκνων θαυμαστά. Δι. κατακέλευε δή.
χα. Ὢόπ, ὄπ. ὢόπ, ὄπ.
Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ
Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ
Λιμναῖα κρηνῶν τέκνα
Ξύναυλον ὕμνων βοὰν
Φθεγξώμεθ' εὔγηρυν ἐμὰν ἀοιδὰν
κοὰξ, κοὰξ.

Hic postquam Charon celeusma intonuisset, & Bacchus remos immisisset aquæ, coaxabant ranæ, & symphoniam istam nauticam edebant: unde satis manifestum, diversa illa distinctaque a se invicem fuisse. Cicero hanc Symphoniam vocat *cantilenam nauticam*. Athenæus *τὸ τριηρικόν*. *χρυσόγονος* inquit lib. XII. *ηὔλει τὸ τριηρικόν*. *Chrysogonus cecinit cantilenam nauticam*. Polluci lib. IV. cap. 7. est *ἐρετικὸν αὔλημα*. Aristophani *νίγλαρος*. Locus est in Acharnensibus Act. II. sc. 5. ubi, cum de apparatu nautico egisset, subjicit:

Τὸ νεώριον δ' αὖ κωπέων πλατουμένων
Τύλων ψοφούντων, θαλαμίων τροπουμένων.
Αὐλῶν, κελευστῶν, νιγλάρων, συριγμάτων.

h. e. *navale plenum remigibus palmulas moventibus clavis sonantibus, thalamiis fugientibus, tibicinibus, hortationibus, carminibus navalibus, fistulis*. Interpres eo loco. *ὁ νίγλαρος, τρῆμα καὶ μέλος μουσικὸν παρακελευστικόν*. *Niglarus genus musicæ modulationis, quo remiges exhortamur*. Igitur & Pollux eruditissimus Grammaticus inter genera cantionum retulit lib. IV. cap. 10. *Μέλη αὐλημάτων*, ait, *κρούματα συρίγματα, τερετισμοὶ, τερετίσματα, νίγλαροι*. *Modi tibiarum sunt cantus, pulsus, sibilationes, fremitus, niglari*. Patet ex hoc loco, id quod diximus, tibia potissimum has cantilenas edi consuevisse, quam singulari nomine, ut fortasse singularem, & ab aliis distinctam, *τριηρικὸν αὐλὸν* Maximus Philosophus appellat Differt. XXXIII. *Ἀλλ' οὐδὲ*, inquit, *οἱ πόλεμοι τὸ σκυθρωπότατον, ἡδονῶν ἔρημοι, ἀλλὰ συντάττεται τούτοις ἡ τυῤῥηνὴ σάλπιγξ, ἡ αὐλὸς τριηρικὸς, ἡ ᾠδὴ ἐμβατήριος*. Interdum tamen cithara quoque utebantur. Sic enim supra Pædianus docuit: & exemplo est Orpheus, qui in Argo navi, teste Statio Theb. v. vers. 343. & Flacco Arg. I. cithara hanc cantilenam cecinit. Intelligitur ex his omnibus, quid voluerit Arrianus, quando lib. VI. Exp. Alexandri sic de Indis ait: *Quotquot vero Indi Alexandro amici e remotioribus locis remigum clamorem & remigiorum sonum exaudierant, hi ad ripam accurrentes barbaro ritu accinebant. Studiosi enim musices, si qui alii, sunt Indi*. Non sane clamoribus nautarum aut remigum accinebant, sed cantilenæ illi nauticæ, quæ in navibus singulis edebatur. Usus porro hujus musicæ primus ac præcipuus, ne diverso ac multiplici remorum ictu navis cursus impediretur, sed æqualis esset. Testis Maximus Diff. XXIII. *οὕτω*, ait *καὶ τριήρης ἐρεττομένη ὑπ' αὐλῷ, τὴν πολυχειρίαν συνάπτει τῇ ὁμοιότητι τῆς ἐρεσίας. ἐὰν δὲ ἀπαλλάξῃς τὸν αὐλὸν, διέλυσας αὐτῆς τὴν χειρουργίαν*. *Eodem modo & triremis, quæ ad tibiæ modos a remigibus impellitur, diversas manus pari studio conjungit remigandi, quod si tibiam tollis, opus illorum dissolvis*. Sic de Orpheo Flaccus:

—— *carmine tonsas*
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.

Deinde remigum labores solabantur. Stat. Theb. V. v. 343. de eodem

Acclivis malo mediis intersonat Orpheus
Remigiis, tantosque jubet nescire labores.

Censorinus c. 12. *quo facilius sufferant laborem, symphonia adhibetur*. Aristides Quintilianus, MS. bibliothecæ nostræ autor, lib. I. de Musica: *Ναυτιλίας τε καὶ ἐρεσίας καὶ τὰ χαλεπώτατα τῶν χειρωνακτικῶν ἔργων ἀνεπαχθῆ ποιεῖ τῶν πόνων γενομένη παραμύθιον*. Intelligitur hinc Maximus Philosophus, quando supra tibiam diversas manus pari studio conjungere affirmavit.

CAP. II.

De exercitatione & ludis navalibus.

Probata exercitationis inter remiges consuetudine, qualis ea fuerit docetur: tum de magistris ejus agitur gubernatorumq; exercitatio monstratur. Acceditur dein ad militum exercitationem & simulacra pugnarum navalium. Quando ea instituta, & ubi. De ludis navalibus in campo Martio & Naumachiis (quæ hac occasione quales fuerint ostenduntur) item in circubus & Amphitheatris agitur. Apparatus etiam ludorum docetur: ad postremum in venationibus navalibus, totiusque exercitationis ejus usu finitur.

QUi *navali prælio dimicaturi sunt, ante in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, disponuntque per tabulata militem, ut non pendente gradu, & labante vestigio stare firmiter consuescat, & quod in simulacro pugnæ didicerit, in vero certamine non perhorrescat*. verba sunt B. Hieronymi in vita Malchi, quibus satis manifeste illa, de qua nunc agendum, consuetudo comprobatur. Et profecto cæteræ quoque artes non sine prævia quadam exercitatione in usum adhiberi solent: quid de militia dicemus? in qua, ut ait ille, bis peccare non licet. Itaque Romani scriptis jam remigibus gubernatoribusque, per quotidiana exercitia omnis generis armorum usum demonstrabant. Testis Cæsar Julius lib. III. de bello Gall. ubi ipse *remiges ex provincia* jubet *institui*: & Dio lib. XLVIII. qui Augustum navibus parandis, colligendis *exercendisque remigibus* (*ἐς τὴν ἄσκησιν τῶν ἐρετῶν*) totum annum cum sequenti consumsisse scribit. Atque ita diu ante C. Luctatius CS. *quotidie remiges ea tentare, & in iis se exercere jussit, quæ suis inceptis conducerent*. Testis est Polybius Hist. I. qui & lib. X. Sci-

A pionem capta Carthagine *copias nauticas quotidie exercitaſſe* docet. Neque negligentiores Græci hac in parte fuerunt. Patet ex exemplo Philippi, quem Macedonas recens ſcriptos ita ἐν ταῖς εἰρεσίαις h. e. *in remigando exercuiſſe* lib. v. prædictus autor hoc affirmat. Idem & Lacedæmonii Syracuſanique feciſſe leguntur apud Diodorum l. XIII. & Thucydidem lib. VII. Hiſtoriarum. Cæterum ut res majori ſtudio diligentiaque perficeretur, certos quoſdam homines exercitationi huic præficiebant, qui a Vegetio *navarchi* appellantur. *Singulæ*, inquit lib. IV. cap. 32. *liburnæ ſingulos navarchos, id eſt quaſi navicularios habebant, qui* B *exemptis cæteris nautarum officiis, remigibus exercendis quotidianam curam & jugem adbibebant induſtriam*. Ita quidem Antonini circiter ætatem; nam ante eam nil hujuſmodi de navarchis reperitur. Ab Auguſto M. Agrippa certaminibus exercitationibusque navalibus præfectus legitur apud Velle,um lib. II. cap. 79. & Dionem lib. XLVIII. Poſterioris verba hæc ſunt: Τῷ Αγρίππα τῆς ναυτικῆς παρασκευὴν ἐπιτρέψας ἐκποιῆσαι ἐξασκῆσαι τε τὸ ναυτικὸν ἐκέλευσε. *Tradita Agrippæ rei navalis cura exerceri nauticos juſſit*. Prioris iſta: *ædificandis navibus contrahendoque militi ac remigi, navalibuſque adſueſcendo certaminibus atque* C *exercitationibus, præfectus eſt M. Agrippa, virtutis nobiliſſimæ, labore, vigilia, periculo invictus* &c. Porro iſta remigum exercitatio in hunc fere modum fiebat: Remiges ſedere jubebantur ad remigia, eodem ordine ſervato, quo alias in navi ſedere deberent: ſtabat in ipſorum medio hortator, ad cujus juſſa ſimul reclinabant ſeſe adducendo manus, ſimul propellendo eas rurſus incumbebant. Ut ex Polybio in hiſtoria primi belli Punici intelligimus. Nempe in hac re vel potiſſimum remigandi artificium conſiſtit, ut ſimul & eodem tempore impellantur remi. Quod Virgilius oſtendit lib. III. Æneid. his verſibus.

D *Eripite o ſocii, paribuſque inſurgite remis.*

& Lucanus lib. III. verſ. 525.

—— paribuſque lacertis
Cæſaris hinc puppes, hinc Grajo remige claſſis
Tollitur.

Sane niſi hoc obſervetur, fieri neceſſe eſt, ut ſe mutuo impediant, uno ſeſe reclinante, ſurgente altero. Teſtis Xenophon in Oeconomico quando ait: Διάτι ἄλυποι ἀλλήλοις εἰσὶν οἱ ἐρέται, ἢ ὅτι ἐν E τάξει μὲν κάθηνται, ἐν τάξει δὲ προνεύουσιν, ἐν τάξει δὲ ἀναπίπτουσιν. *Cur remiges ſibi invicem minime ſunt moleſti? an quod ordine ſedent, ordine remis incumbunt, ordine ſe in humeros attollunt & reclinant.* Sed & eo hæc res pertinet, ne inæqualiter impulſa navis, modo in hoc, modo in diverſum latus deflectat. Sicuti piratæ illi τῇ δὲ κἀκεῖσε παρεφέροντο τῆς εὐθείος, οἷα δὴ ἀπειρίᾳ τὴν εἰρεσίαν οὐχ ὁμοζυγοῦντες: hoc eſt, *huc atque illuc a recto curſu deferebantur, quod inſcitia non æqualibus intervallis remigabant*, apud Heliodorum Æthio. lib. II. Græcis totum hoc artificium αὐτήρεσθαι dicitur, notante Heſych. quoniam κατ᾽ ἴσον ἐπὶ μηδετέρας θάτερον περιωθῆται ἡ ναῦς. hoc eſt, F *æqualiter nec in alteram aut alteram partem navis ſic impellitur*. Sedebant autem remiges apud veteres, ut Xenophon in verbis ſuperioribus oſtendit. Virgilius in v. Æn. *Conſidunt tranſtris* &c. Non tamen perpetuo ſedebant: quotiens enim elevandi erant remi, ſurgebant paulum, cum vero impellendi, impetu quodam conſidebant & reclinabant ſeſe. Hinc Flaccus lib. I. Arg. de Cantho

Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat.

Similiter Virgilius lib. III. Æn.

Vela cadunt, remis inſurgimus ——

Idem lib. v. dicti operis:

—— nunc, nunc inſurgite remis.

Græci hoc προνεύειν nominant, ut ex Xenophonte diſcimus, alterum vero, quod huic eſt contrarium, ἀναπίπτειν, Ennio lib. VI. *recumbere*, verba ſtatim ſubjiciam. Lucanus dixit *cadere in tranſtra*, lib. III. ver. 542. Et certe cadebant primo, quod inſuetis ab initio valde moleſtum fuit. Unde Bacchus apud Ariſtophanem in Ranis.

Εγὼ δὲ τἀλγεῖν ἄρχομαι
Τὸν ὄρρον ——

At podicem meum dolor nunc occupat. Scholiaſtes ibi: ὁ Διόνυσος λέγει δεινοπαθῶν ἐπὶ τὸ κωπηλάτειν. *Bacchus ait ſe male habere propter remigationem*. Poſtquam cecidiſſent in tranſtra, tum demum vere recumbebant, id eſt reclinabant ſe, remumque admovebant pectori. Hoc eſt, quod Lucanus ait loco antea laudato, iſtis verbis:

Atque in tranſtra cadunt, & remis pectora pulſant.

Itemque Ennius.

Poſte recumbite, veſtraque pectora pellite tonſis:
Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas.

Flaccus ob hanc cauſam *pectore tolli æquora* dixit lib. III. Argo.

Inde alii increpitant, atque æquora pectore tollunt.

Fiebat hoc autem, ut prædixi, ab omnibus remigibus ſimul, uno eodemq; tempore. Nec in iis tantum navibus, quæ ſimplicem remorum ordinem habuerunt, ſed & in illis, quæ duplicem aut triplicem. Hinc præter conſuetudinem Diotimus apud Polyænum præcipit τοῖς ἐρέταις ἀνὰ μέρος, ὅτε μὲν τὰς θαλαμίας, ὅτε δὲ τὰς ζυγίας, ὅτε τὰς θρανίτιδας κώπας διαφέρειν, *ut remiges modo imos, modo medios, modo ſummos ordines concitarent, atque ita naves ad terram appellerent*. Et hæc quidem remigum exercitatio, cum qua haud dubie conjuncta fuit etiam gubernatorum. Nam & Vegetius *navarchos* non *remigibus* ſolum *exercendis*, ſed & *gubernatoribus curam adhibuiſſe* ſcribit eo loco, quem in præcedentibus adduximus. Et cur non ipſi quoque fuerint exerciti? cum amplius ſit periculum ab inepto rudique gubernatore, quam inepto remige. Nam

—— pelagi rudis, & pontum tractare per artem
Neſcius, accepit miſeræ ſi jura carinæ
Ventorum tenet ipſe vicem, cunctiſque procellis
Dat jactare ratem, fertur vaga gurgite puppis
Ipſius in ſcopulos, dextra impellente magiſtri.

Silii poetæ de hac re ſententia lib. v. verſ. 715. Quanquam etiam videri poſſint doctos, & peritos harum rerum elegiſſe, vel conduxiſſe pretio, in uſum navalem. Nam qui alioquin potuiſſet Cæſar lib. III. de B. C. remiges quidem ex provincia juſſiſſe inſtitui, *nautas autem & gubernatores comparari?* niſi iſtiuſmodi fuiſſent, qui jam ante iſtam artem vel ſcientiam addidiciſſent? Et juvat conjecturam hanc Vegetius, quando lib. IV. cap.

ult. scribit *syderum*, aliarumque isthuc pertinentium rerum *notitiam gubernatores profiteri*. Nequit enim alia hic professio intelligi, præter eam, quam illi ipsi in elocanda sua opera de sua scientia faciebant. Certe doctis ejuscemodi gubernatoribus, Sociis tamen imperatis, Athenienses usos scribit Xenophon in republ. Athen. Et Romanos quoque habuisse, credere nil prohibet, tametsi hoc perpetuum non fuerit, gubernatoresque pariter, ut remiges ab aliis acceperint hanc artem. Hinc Seneca epist. XCV. *Gubernatorem facit ille, qui præcipit, sic move gubernacula, sic vela sub mitte, sic secundo vento utere, sic adverso resiste, sic dubium communemve tibi vindica*. Porro institutis eruditisque iis aliquomodo, qui in navigando suam operam præstabant, milites simul navibus impositos opinor, ac tum demum vere exercitatos, edoctosque modo tardius navigare, modo celerius, modo in hanc, modo in aliam aciei formam classem componere, denique cum instrumentis vocabula ipsorum usumque intelligere. *Necessum enim est*, ait Xenophon, de rep. Ath. *qui sæpe navigat, remumque in manus sumit, tam ipse, quam famulus rei navalis applicationes discat*. Herodotus in Erato: *Sæpius & iis locis, ubi vel prandendum vel cœnandum erat exercitui, a terra cornu classis abducebat. Quum autem conversa deinde classe, ac triremibus terram adversis proris spectarent, ipse signo dato jussit ut certatim omnes terram peterent*. Ἀποπείραν τοῦ ναυτικοῦ hanc rem appellat Appianus Mith. ubi Mithridatem quoque ei operam dedisse docet. De Alexandro Arrianus lib. VII. ἐν τούτῳ δὲ πολλάκις μὲν τοῦ ναυτικοῦ ἀπεπειρᾶτο. *Interea classem sæpissime exercebat*. Proponebantur in his ludis præmia iis, qui se optime gessissent. Sic apud Virgilium Æneas facit: sic apud Arrianum Alexander. de quo autor ita lib. VII. πολλαὶ δὲ ἔριδες αὐτῶν τῶν τριηρῶν, καὶ ὅσαι τετρήρεις κατὰ τὸν ποταμὸν ἐγίγνοντο, καὶ ἀγῶνες τῶν τε ἐρετῶν καὶ τῶν κυβερνητῶν, καὶ στέφανοι τῶν νικώντων: id est, ex interpretatione Vulcanii. *Magna erat inter triremes & quadriremes, quæ in fluvio erant, contentio, acre remigum & gubernatorum certamen: victoribus coronæ dabantur*. Præter ista, sæpe simulacra etiam pugnarum edere cogebantur atque ita per otium discere, quo deinde in prælio proficerent. Livius lib. XXXV. cap. 26 de Nabide: *Ut omnia satis apta ad certamen essent, profectos in altum, quotidie remigem militemque simulacris navalis pugnæ exercebat*. Thucydides lib. VII. Οἵ τε Συρακούσιοι ναυτικὸν ἐπλήρουν, καὶ ἀνεπειρῶντο ὡς καὶ τούτῳ ἐπιχειρήσοντες. *Syracusii classem quoque adornabant, seque exercebant, ut qui ea quoque hostes aggressuri essent*. Meminit & Diodorus lib. XIII. ubi de Thrasyllo & Thrasybulo: ἐγύμναζον τοὺς στρατιώτας εἰς ναυμαχίαν. *Assiduis militem tyrociniis ad pugnam navalem exercuerunt*. Hinc Scipio quoque industriæ suæ ostendendæ, ac purgando crimini, quod ei falso intendebatur, cum agilitatem navium & experientiam suorum classiariorum legatis ad rem cognoscendam Roma missis demonstrare vellet, *classem expedire jussit, inque portu simulacrum edere pugnæ navalis*. Livius lib. XXIX. cap. 22. Nec in pace tantum, aut inter belli meditationes, sed in ipso quoque bello fiebat, quotiens per vim hostilem id liceret. Sic Scipio Carthagine nova aliquandiu moratus, copias nauticas *assidue exercebat*, teste Polybio lib. X. & Alcibiades Mindari naves *exercentes sese* conspexit procul a portu, teste Xenophonte lib. I. Etiam Duilius apud Romanos *subinde exercendo milites remigesque consecutus est, ut securis Carthaginensibus usque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subito admota classe urbem occuparet*. Frontinus lib. III. cap. 2. Porro quoque in hybernis ita se exercuisse firmat Dio lib. L. Ideo enim Antonium reprehendit, quod id intermiserit per negligentiam. *Vere inito*, inquit, *Antonius nusquam progressus est, nam remiges ex variis gentibus collecti cum procul ab ipso hyemassent, neque exercuerant sese, & morbo insuper ac profugiendo diminuti erant*. Maxime vero ante pugnam isthoc usitatum fuit, uti docet Hieronymus in antea productis verbis, & cum primis Xenophon lib. VI. Hist. *Non ignoro*, ait, *hujusmodi hominum exercitationes tum maxime institui, quotiens existimatur futurum, ut pugna navali decernatur*. Sic Lacedæmonii apud Diodor. lib. XIII. *ubi viderunt hostes ad conflictum se parare, etiam ipsi dies quinque* (γυμνάσαντες τοὺς ἐρέτας καὶ ἀνάπειραν ποιούμενοι) *exercendo remiges in simulacris pugnæ navalis consumunt*. Et apud Appianum lib. IV. B. C. Cassius cum Rhodiis pugnaturus τὰς ἰδίας ναῦς ἐπεσκεύαζε καὶ ἀνεπλήρου καὶ ἐγύμναζεν ἐν Μύνδῳ, *naves ornatas completasque in Mindo exercuit*. Cæterum hæc exercitatio ut plurimum in portu, aut non longe ab eo fieri consueverat. Ita enim præter Livium lib. XXIX. cap. 22. etiam Hieronymus adducto supra loco testatur. Postea Romani, sicut erat solers gens in excogitandis rebus ad militiæ perfectionem facientibus, lacum in campo Martio, ubi alias terrestres quoque copiæ exercebantur, defodi curavere, ut per ludum quasi rem navalem discerent, ac disciplinam. Ac inter ipsos quidem primus autor Julius fuisse videtur. Ita enim Xiphilinus: καὶ τέλος ναυμαχίαν οὐκ ἐν τῇ θαλάσσῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἠπείρῳ, χωρίον γάρ τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ κοιλάνας: *postremo prælium navale non in mari fecit, sed in terra, loco in campo Martio defosso*. Lacum hunc, ut rem nec visam antea, nec usurpatam enarrare manifestum est. Primum autem lacus ille sine cura, sine ullo ornatu defossus prope Tiberim, qualem apud Suetonium cap. 43. Aug. Augustus quoque fieri præcepit. Postea, ut fit, res in delicias conversa: nam & lateribus extrui, trabibusque ligneis circummuniri, & tabulis ac sedilibus in modum theatrorum excoli lacus isti cœpere, quos iccirco naumachias vocaverunt. Suetonius in Domitiano. *Novam excitavit naumachiam, e cujus postea lapide maximus circus deustis utrinque lateribus extructus est*: & paulo ante *edidit navales pugnas, effosso & circumstructo lacu*. Ita Xiphilinus de lacu a Claudio structo: τεῖχός τε ξύλινον περὶ αὐτὴν κατεσκεύασε, καὶ ἰκρία ἔπηξε. *ligna & tabulas undique defixit, & trabibus munivit*: & in Titi vita: καταικοδομηθείσης σελμίσι τῆς κατὰ πρόσωπον τῶν εἰκόνων λίμνης, καὶ ἰκρία πέριξ λαβούσης &c. *inædificavit locum tabulatis, qua spectabat statuas, & circumquaque trabes infixit*. Pancirollus naumachias quinque hujuscemodi circa Tiberim numerat. *Naumachiæ quinque*, ait, *erant lacus, in quibus naves pugnabant, seu navale prælium populo repræsentabatur, omnes erant circa Tiberim, unde aqua ad implendos lacus extrahebatur*. Postea in circis etiam hi ludi populo exhibiti, quod vel unicum Circensium navalium nomen probare potest. Nec in his tantummodo, sed etiam in amphitheatris. Ibi enim Domitianum memorat Suetonius prælia navalia edidisse, & Xiphilinus Titum; quod & a Blondo annotatum est. Jam quod apparatum attinet, varius ac multiplex is fuit: non ad usum modo, sed ornatum etiam, ac luxum. Quo merito referimus Tritonem illum a Claudio exhibitum, qui ex argento factus, in medio lacu per machinam emergebat, pugnantesque exciebat buccina, hydraulica quadam arte, ut testis est Suetonius. Item nymphas aquis innatantes, quarum Martialis meminit in Amphit. istis versibus

Lusit nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.

Nymphas ipsas natantes naumachia Cæsaris Domitiani repræsentavit, inquit Perottus ad hunc locum. Et belluas monstraque marina, quibus Neronis imperio referta fuit naumachia. *Exhibuit*, ait Suetonius, *& naumachiam innantibus belluis*. Ita Xiphilinus. ἐν ᾗ τινι θεάτρῳ θέας ἐπιτελῶν εἶτα πληρώσας ἐξαίφνης τὸ θέατρον ὕδατος θαλασσίου, ὥστε καὶ ἰχθύας καὶ κτήνη ἐν αὐτῷ νήχεσθαι, ναυμαχίαν τε ἐποίησε. *Theatro aliquo repente aqua marina expleto, in qua pisces, & animalia natabant, bellum navale dedit*. Quando ait ὕδατος θαλασσίου præcedentes respicit, qui aqua simplici e Tiberi deducta ad hanc rem utebantur. Testis Xiphilinus in Cæsare: & de Augusto Julius Frontinus: *Quæ ratio moverit Augustum providentissimum principem producendi alsietam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem, nisi forte, cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, & quod naumachiæ cœperat superesse, subjacentibus hortis & privatorum usibus irrigandum concessit*. Nero primus exhibuit *naumachiam marina aqua*, inquit Suetonius, & Xiphilinus. Quod quidem ipsi facile ignoscimus, cum sciamus Heliogabalum hujus loco vinum adhibuisse. Lampridius: *in euripis vino plenis navales circenses exhibuit*. Cæterum illa aquarum immissio fiebat per occultos atque subterraneos meatus, tanta celeritate, ut a spectatoribus vix sentiretur, qua celeritate postea, si placuisset, aquæ iterum emittebantur. Ostendit Martialis lib. I. hisce versibus:

Si quis ades longis serus spectator ab oris
Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit;
Ne te decipiat ratibus navalis Erynno
Et par unda fretis, hic modo terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent Æquora Martem
Parva mora est, dices, hic modo pontus erat.

Et Xiphilinus in Nerone. *Quum autem in theatro spectacula præberet* (εἶτα πληρώσας ἐξαίφνης τὸ θέατρον ὕδατος θαλασσίου &c.) *primum eodem theatro derepente aqua maris repleto bellum navale dedit, deinde subito aquam abduxit, rursusque exsiccato solo multos pedites congredi jussit*. Fuit hic illorum temporum luxus, ut magnificum censeret Princeps, in uno eodemque loco feras, naves, vela, equites, terram denique & maria exhibere. Cujus quidem ludicri spectaculi adhuc extat excusus ab ipso nummus aliquis argenteus, vel æreus apud Stradam isthac specie.



Pugna porro ipsa justæ classis modo committebatur a captivis plerumque, reisve criminum capitalium; e quibus alteri parti Siculorum vel Atheniensium, alteri Rhodiorum, aut Persarum, vel alterius gentis nomen imponebant; omnes *naumacharios* appellabant. Pugnabantque hi inter se ad mortem usque, nisi qua Principis indulgen-

A tia singulari eximerentur. Docet Xiphilinus vita Claudii: *Qui*, ait, *eo prælio decertaturi erant, damnati fuerant rei capitalis: erant utrinque quinquaginta naves; alteri Rhodii, alteri Siculi nominabantur. Hi principio simul omnes Claudium salutaverant his verbis: Salve imperator, pereuntes salutamus te*. Suetonius Tranquillus in ejusdem vita: *Emissurus Fuccinum lacum naumachiam ante commisit, sed cum proclamantibus naumachariis; ave imperator, morituri te salutant; respondisset, avete vos: post hanc vocem nemo dimicare voluit*. Omnia complexus Tacit. lib. XII. Annal. cap. 56. *Claudius*, ait, *triremes quadriremesque & undeviginti hominum millia armavit;*
B *cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, & prælio solita: in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultæ balistæque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & alii urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamide aurata præsedere. Pugna-*
C *tum, quanquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt*. Paria & Xiphilinus habet, vita Julii, cujus verba ideo non adducimus. Quod supra de captivis dixi, patet etiam ex Seneca ep. 70. *Secundo*, inquit, *naumachiæ spectaculo unus e Barbaris lanceam, quam in adversarios acceperat, totam jugulo suo immersit: quid ergo? quod animi perditi noxiosique habebunt, non habebunt, quos adversus hos casus instruxit longa meditatio*. Dignum memoratu, quod ex Xiphilino discimus, has pugnas aliquando contra bestias, ad id spe-
D ctaculi genus obeundum paulo ante edoctas, institutas fuisse. Verba sunt hujusmodi, in Tito: *Amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsam equos taurosque, aliaque mansueta animalia immisit, quæ in aqua, quemadmodum in terra agere assuefacti erant. Introduxit autem homines etiam in navibus, qui in Corcyrenses & Corinthios divisi prælio navali concertarunt. Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Caii & Lucii. Ibi primo die bellum navale cædesque belluarum facta est, lacu tabulis inædificato*. Bestias istas navibus in theatrum invehebant, postea ex improviso deji-
E ciebant in aquas. Ostendere videtur ante dictus auctor, vita Neronis; quem ait animadvertisse in theatro *navim per se dissolvi, emissisque ex se belluis quibusdam, rursum integram & firmam constitisse*, atque ita ad exemplum ejus curasse fieri, qua matri exitium pararetur. Martialis cuncta istis versibus complexus est:

Augusti laudes fuerant committere classes
Et freta navali sollicitare tuba.
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas & Galathea feras:
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,
F *Et domini Triton ipse putavit equos.*
Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid & in circo spectatur & Amphitheatro,
Dives Cæsarea præstitit unda tibi.
Fucinus & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam sæcula naumachiam.

Pertinebat autem hæc exercitatio, de qua primo loco actum, eo, ut corpora nautarum militumque fierent robustiora, & ad tolerandam maris atque

fluctuum injuriam paratiora. Unde apud Cassiodorum lib. IV. c. 12. Theodoricus Rex *dromenarios*, h. e. remiges, *probare sine aliqua dubitatione* jubet, qui ad hoc opus possint idonei reperiri. *Remigum enim labor*, ait, *operosos, valentes animo & viribus quærit, ut confidentia mentis procellis obviare possit undosis*. Xenophon l. VI. τῇ δὲ κώπῃ τὸ πλεῖν ποιούμενος ἀμείνω τε σώματα ἔχειν τοὺς ἄνδρας, καὶ ἀμείνον τὰς ναῦς πλεῖν ἐποίει. *Remigio classem agens efficiebat classiariorum corpora magis exercita & agiliores naves*. Atque sic Agrippa in Averno & Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, *quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam*, Vellejo teste lib II. c.79. Proderat & eo hæc exercitatio, ut armamenta navium, eorumque appellationes nosse, imperatis ducum præfectorumque obedire discerent. Ita enim fieri necesse est ab iis, qui crebro in navibus versantur, uti alio loco ex Xenophonte indicavimus. Et profecto majus in hac re monumentum, quam fors multi credunt. Testis Cæsar lib. I. Bell. Civ. *Nostri*, ait, *quod minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur, qui repente ex onerariis navibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, impediebantur*. Præter ista etiam aliarum rerum caussa ludos institutos video. Ut apud Græcos in honorem defunctorum. Monstrat in Evagora Isocrates: *Cum te*, inquit, *viderem patris tui funus ornare Nicocles, non magnifico tantum apparatu, sed & choreis, & musica, & ludis gymnicis* (ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἵππων τε καὶ τριηρῶν ἁμίλλαις) *sed & equorum triremiumq; certaminibus*. Idem a Romanis factum, Plutarchus indicat in vita Cæsaris. Hyginus autor est, id olim ab Ænea quoque institutum. *Æneas*, ait cap. CCLXVII. *patris ornavit exequias, ludicroque certamine honores debitos manibus solvit, in quibus primum navale certamen fuit*. Consentit huic Virgilius, certamenque illud lib. V. Æn. elegantissime describit. Liv. lib. X. c. 2. docet, ludos istiusmodi nonnunquam in victoriæ monumentum institutos. Verba hæc sunt: *Patavii monimentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis solenni certamine navium in flumine oppidi medio exercetur*. Porro certaminum hujusmodi navalium effigies habes apud Onuphrium Panvinium in nummo duplici, altero Claudii Cæsaris, altero Domitiani, quem utrumque hic expressimus.





CAP. III.

De itinere seu profectione.

Deductio navium qualis. Palanges, scutuli, lapsus, pulvini, φαλάγγια. Solertia Archimedis. naves quomodo per longum terræ spatium deductæ. Conscensio quo ordine instituta. Nautæ ut loca remosque suos cœperint. Servius expositus. Milites ut deposuerint arma sua. Omina circa conscensionem observata. Lustratio & in ea sacrificia Neptuno, Apollini, Tempestatibus, Hyemi, Zephyris, & Mari tranquillo qualia. Quintilianus expositus. Portuum pronunciatio. Ordo navium diversarum in itinere ipso, pro ratione ventorum.

Nunc ad iter ventum est, in quo duo considerabimus: primum præparamenta ejus, deinde ordinem. Ad præparamenta pertinent deductio navium, impositio annonæ, conscensio, sacrificia & lustratio. Deductio fiebat in hunc modum. Primum summi ducis imperio nautæ ingrediebantur navalia, in quibus subductæ stabant triremes, & eas manibus trahebant in aquam. Virgilius lib. III. Æn.

> *Tum vero Teucri incumbunt, & littore celsas*
> *Deducunt toto naves* ——

Flaccus Arg. lib. I.

> *At ducis imperiis Minyæ, monituque frequentes*
> *Puppem humeris subeunt, & tento poplite proni*
> *Decurrunt.*

Observa, quod Flaccus ait, *puppem subeunt*; puppis enim stare in littore solebat. Virgilius: *stant littore puppes*. Germanicus, ut eum Grotius emendavit, in Phænomen.

> *Puppe etenim trahitur, non recto libera cursu;*
> *Ut cum decurrens inhibet jam navita remos,*
> *Aversamque ratem votis damnatus ad oram*
> *Perlegat.*

De Argo nave loquitur, ejusque ob hanc ipsam caussam puppim tantum ait conspici. Puppim igitur, quando iter faciendum erat, propellebant in mare. quod Græcis est, τὴν πρύμναν κινεῖν, *puppem movere*. At quo facilius hoc fieret, postea instrumenta quædam, eaque haud pauca adhibebantur. Docet Xenophon lib v. de admin. dom. lib. v. Ea erant primo *vectes*, de quibus Homerus Odyss. Σ.


> Μοχλοῖσιν δ' ἄρα τήν γε κατείρυσεν εἰς ἅλα δῖαν.

Vectibus sane hanc deduxit in mare vastum. deinde *cylindri* lignaque teretia & rotunda, *palanges* dicta, quæ subjecta navibus, ut per ea volutatæ facilius agerentur. Nonius Marcellus: *Palanges dicuntur fustes teretes, qui navibus subjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, vel cum ad littora subducuntur*. Cæsar *scutula* vocasse videtur lib. III. B. C. *quatuor biremes subjectis scutulis impulsas vectibus in interiorem partem transduxit*. Sed nescio, an non *scutinis* legendum sit, ut coria sive pelles denotentur, quibus ipsis etiam ad hanc rem quandoque usos legimus oleo seu pinguedine inunctis. Dio lib. L. de Augusto: ἤκουσα ὅτι τριήρεις ἐκ τῆς ἔξω θαλάσσης ἐς τὸν κόλπον διὰ τοῦ τειχίσματος ὑπερήνεγκε, βύρσαις νεοδάρτοις ἀντὶ ὁλκῶν ἐλαίῳ ἐπαληλιμμέναις χρησάμενος. *Audivi eum triremes ex mari exteriore per murum in sinum transtulisse, & loco Palangum per quos ducerentur, tergoribus animalium recens cæsorum oleo inunctis usum*. Nam scutula longe quidem aliud vulgari sensu. Nisi quis existimet a Græco σκυταλίδες dici, qua voce ossa digitorum, quæ & ipsa aliquando sunt palanges, nominat Galenus libro de Ossibus, & interpres Aristophanis in Ranis. At palanges Virgilius appellavit *lapsus*, isto versu lib. II. Æn.

> *Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum*
> *Subjiciunt lapsus* ——

Notavit Aldus, quem interpretationis suæ rationem reddere jubemus. nobis enim sensus iste hujus vocis nuspiam observatus est. Isidorus ait, etiam *pulvinos* appellari. *Pulvini*, inquit, *sunt machinæ, quibus naves deducuntur & subducuntur in portum.* Græcis sunt φαλάγγια seu φάλαγγες. Pollux: Νεωλκοῦ σκεύη, φάλαγγες, φαλάγγια, ὁλκοί. Hinc Hesychius: φάλαγγες τὰ τῶν δακτύλων ἄρθρα καὶ νεῶν ὑπερείσματα: & paulo post describit ea in hunc modum, φαλάγγια στρογγύλα ξύλα καὶ σύμμετρα. Loco horum cylindrorum Carthaginenses, plus quam barbara crudelitate, homines captivos

A subjecerunt navibus. M. Varro lib. IV. de vita populi Rom. *Cum Pœnus in fretum obviam venisset nostris, & quosdam cœpisset, crudelissime pro palangis carinis subiecerat.* Facta autem hæc deductio multo cum labore magnaque hominum frequentia, donec Archimedes Syracusius pro solertia ingenii sui machinam excogitavit, qua pauci navim omni instrumento plenam obiter in mare poterant deducere, ut testis est Plutarchus in Marcello, & Silius Italicus lib. XIV. v. 252. qui de ea re sic canit:



—— puppes etiam, constructaque saxa
Fæminea traxisse ferunt contra ardua dextra.

Exemplum machinæ hujusmodi exhibuit Bessonus in Theatro suo instrumentorum, quod habes in hacce pagina. Meminit & Athenæus hujus machinæ, ac *helicem* appellat. Atque hujusmodi deductio fuit, cum in propinquo naves essent. Sin vero longius petendæ, & per ingens terræ spatium aut isthmos, quos exinde διολκὺς vocatos notant eruditi ad Strab. lib. VIII. trahendæ erant; plaustris vehebantur, quibus pelles crudaque coria erant subjecta. Docuit hoc Annibal, cum alterum Tarentinorum portum teneret hostis, nec nisi per terram naves in mare deducere posset, uti testis Diodorus Sic. lib. I. Hist. Et Livius lib. XXV. cap. 11. *Contracta*, inquit, *extemplo undique plaustra, junctaque inter se, & machinæ ad subducendas naves admotæ, munitumque iter, quo faciliora plaustra minorque moles in transitu esset. Jumenta inde, & homines contracti, & opus impigre cœptum, paucosque post dies classis instructa ac parata circumvehitur arcem.* Munitum iter, ait: coriis videlicet subjectis, pecorumque tergoribus. Clare Silius Italicus lib. XIII. vers 441.

Inclusas igitur quibus haud errare dabatur
Arce superposita, claustris maris extulit astu,
Perque adversa tulit portatus in arva carinas.
Lubrica roboreis aderant substramina plaustris,
Atque recens cæsi tergo prolapsa juvenci
Æquoream rota ducebat per gramina puppim.

Imitatus est hanc rem Augustus, uti supra ex Dione vidimus, a quo iccirco minus circumspecte id, ut factu prope impossibile, in dubium vocari arbitramur. Sed & Caligula quid istiusmodi instituit! Nam uti autor est Suetonius cap. 47. *triremes Romam deduci curavit Triumphum apparaturus, qualis nusquam ante fuisset, easque magna ex parte itinere terrestri;* quod vix alio, quam hoc modo fieri potuit. Nisi quis existimet solvi eas debuisse, ac per partes ita transferri. Sic enim Semiramidem

B fecisse legimus apud Diodorum Siculum lib. I. cujus verba hæc sunt. *Cum juxta flumen materia non esset, ex Bactriana pedestri itinere naves ad Indum fluvium transvehi necesse erat; ergo naves, quas solubiles effici curaverat, camelis imponit, qui eas terrestri itinere deportabant.* Idem Curtius de Alexandro memorat, lib. VIII. cap. 10. *Jussit ad flumen Indum procedere, & navigia facere, queis in ulteriora transportari posset exercitus. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent, rursusque conjungi.* Argonautæ navim suam humeris per juga montium transtulere; testis Apollonius lib. IV. Argon. v. 1388.

C & per dies integros duodecim portaverunt ad Pontum. Quorum deinde vestigia Colchi insequentes, suas quoque naves per terram transtulere, uti testis est Justinus lib. XXXII. cap. 3. Atque hæc deductio. Sequitur annonæ cura. Deductis enim navibus commeatum adportabant, eumque imponebant non raro singulis, etiam militaribus. Docet Livius passim, ubi decem, duodecim, aut plurium etiam dierum cibaria cocta ad naves delata scribit. Frequentius tamen aliis, seorsim ad id pertinentibus, quod alio loco demonstrabitur. Imposita annona conscendebant, primum nautæ, deinde milites; summa diligentia observato ordine, ne simul

D conscenderent, ac tumultus inde oriretur. Livius lib. XXIX. cap. 25. de Scipione: *Milites ut in naves ordine ac sine tumultu conscenderent, ipse eam curam sibi sumsit. Nauticos C. Lælius, qui classis præfectus erat, navibus ante conscendere coactos continuit.* Continuit coactos ante conscendere, quoniam cum simul conscendunt, tumultum plerumque faciunt. qualis factus legitur apud prædictum autorem lib. XXII. c. 19. *ubi vario omnia tumultu strepunt, ruentibus in naves simul remigibus militibusque.* Causa ejus tumultus, quia pars una moratur officia & ministeria alterius, ut ex

E Curtio apparet lib. IX. cap. 9. apud quem dum nautæ contis navigia pellunt, milites vero conscendunt, *remiges remos aptare prohibentur.* & ex Livio lib. XXII. cap. 19. ubi sicut militum apparatu nautica ministeria impediuntur, ita trepidatione

nautarum *capere & aptare arma milites* prohibentur. Ergo primi conscendebant nautæ, signo dato tuba. Hinc Lucanus de Pompejo clanculum Brundusio profecturo;

Non tuba præmonitos perducat ad æquora nautas
Præcepit sociis ——

Ac ante omnia quidem explicabant armamenta cum clamore, quem cum & ipsum Pompejus intermissum vellet, Lucanus ita de eo:

—— *non anchora voces*
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis;
Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.

Deinde ex remigibus transtrum quisque suum accipiebat, vel proretæ imperio, sicut alibi monstrabitur, vel sortito, de quo testis est Propertius lib. III. ver. 870.

Nunc agite o socii, propellite in æquora navem,
Remorumque pares ducite sorte vices.

Post & remos sortiebantur. Hinc Virgilius lib. III. Æn.

Sternimus optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos ——

Sorte acceptis, quisque nomen suum imponebat. Flaccus I. Arg.

Dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.

Hinc idem vates prædicto loco:

Heu scelerum Scythica te mœsta relinquet arena,
Cessantemque tuo lugebit in ordine remum.

& paulo post:

Occupat & longe sua transtra novissimus Idas.

Sic lib. III.

—— *inque tua posuit caput Iphite transtra.*

Etiam Homerus ostendit, suum quemque eumque proprium habuisse remum. unde Odyssea Λ Elpenoris umbram sic loquentem facit cum Ulisse:

—— *πῆξαί τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν*
Τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑτάροισιν.

h. e. *fige super sepulchrum remum, quo vivus remigabam cum meis sociis.* Locum hunc imitatus Virgilius ita canit lib. VI.

At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Imposuit, suaque arma viro, remumque tubamque.

Atque hoc est, quod ait Servius, *per sortem divisos ad officium remigandi, quis esset proreta, quis pedem teneret*, ut vulgati habent codices, in quibus tamen illa, *quis esset proreta* &c. ab interprete inerudito profecta existimamus. Divisis ita transtris remisque, secundum signum dabatur, quo & milites conscenderent. Apparet ex adducto ante loco Livii, qui est lib. XXIX. cap. 25. Fiebatque ite-

A rum conscensio ista summo ordine, maximaque quiete, propter edictum, ne quis, ubi signum datum esset, moram conscendendi faceret. quod plerumque præmissum ostendit Livius lib. XXI. cap. 49. Post hæc arma & clypeos in puppibus, & ad latera navigiorum suspendebant. Virgil. Æn. I.

—— *celsis in puppibus arma Caici.*

Servius hoc loco: *Navigantium militum est, puppibus arma religare, ut alibi: pacem orare manu & præfigere puppibus arma.* Flaccus:

B *primus in æratis posuissem puppibus arma.*

Ita apud Senecam in Agamemn. Act. III. militum

Neglecta summas scuta per puppes jacent.

jacent hic neglecta contra consuetudinem: nam, ut dictum est, ordine alias suspendebantur. quare id a Græcis, ut Polyæno, lib. V. *ἀπερείσασθαι τὰ ὅπλα καὶ κόσμον* appellatur. Etiam in Asteriscis Græcis stellæ quædam Argus dicuntur esse ab latere *ἐπὶ ταῖς ἀσπιδίσκαις*. Ubi & in navibus vetu-
C stioribus conspiciuntur, apud Rob. Valturium. Moremque istum ante paucos annos apud Batavos desiisse Grotius testatur. Et hæc est conscensio: in qua observa superstitionem veterum. Solebant enim toto hoc conscensionis tempore cuncta diligenter adnotare, & quævis facile in omen trahere. Inter quæ sinistrum habebatur, si ex læva quis ex multitudine sternutasset. Polyænus lib. III. *Timotheus solvebat cum universa classe, forte quis sternutabat: tum gubernator jussit quiescere, nec nautæ triremes conscendere audebant.* A læva dixi: nam si a dextra, bonum omen habebatur. Plutarchus in Themistocle, cum & ipse faceret con-
D scensionem: *ἅμα δὲ πταρμὸς ἐκ τῶν δεξιῶν ἐσήμηνε.* *simul & bonum omen sternutamento a dextra facto datum est.* Infaustum quoque habebatur, si hirundines consedissent in navi. Hostilio Mancino certe cladem denunciavit. & Cleopatra apud Dionem lib. L. domum propterea regrediundum censuit. Post conscensionem lustratio & sacrificia fiebant: nam ut testis est Sabinus, antiqui priusquam navigarent, semper sacrificabant. Et primum quidem consulti aves. unde Horat. Epod. 10.

Mala soluta navis exit alite

E & epod. 16.

—— *secunda*
Ratem occupare quid moramur alite.

Meminit & Aristophanes in avibus pag. mihi 569. Igitur P. Claudius collega Junii cum auspicia neglexisset, & tempestate amisisset classem, publice ob eam causam accusatus, damnationem morte voluntaria prævenit, ut docent Maximus Valerius lib. I. cap. 2. & Marcus Tullius de divin. I. Neque enim navigare fas erat, prohibentibus
F ita legibus publicis, nisi addixissent aves. Quod si vero addixissent, tum cætera lustratio peragebatur. Livius lib. XXXVI. *C. Livius præfectus Rom. classis cum ab Rheginis Locrisque & ejusdem juris sociis debitas exegisset naves, lustrata classe ad Licinium, altum petit.* Fiebat autem in hunc modum, uti refert Appianus: Altaria stabant in extremo littore undis alluentibus: naves plenæ classiariis ordine ea circumdabant cum altissimo silentio. Sacrificuli stantes in mari mactabant, moxque in scaphis ter circum classem exta lustralia circumferebant,

navigantibus una etiam ducibus, precantibusque ut in ea lustramina a classe avertantur infausta omnia. divisis deinde extis, partem in mare porriciebant, partem adolebant in altaribus, fausta ominante multitudine. Sed hæc singula paulo accuratius examinabimus. Extruebantur aræ in littore cæruleæ. In his sacrificia fiebant tauris, vittis cæruleis redimitis, Neptuno potissimum ac Apollini. Flaccus lib. I. Arg.

Tum læti statuunt aras, tibi rector aquarum
Summus honor, tibi cæruleis in littore vittis
Et Zephyris Glaucoque bovem ——
Dejicit Ancæus, non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.

Sic apud Virgilium lib. III. Æn. Anchises, cum jam profecturi essent, ut poeta canit:

—— meritos mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

Post hos etiam Ventis sacrificia oblata, teste Lucretio lib. v. & ex his, adversis primum, ut Tempestatibus, deinde & secundis, ut Zephyris. His alba victima, agna potissimum, ut navigationem adjuvarent; illis vero nigra, ne ipsam impedirent. Virgilius prædicto loco:

Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

& lib. v.

Tres Eryci vitulos, & Tempestatibus agnam
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funem.

Donatus ad hunc locum: *Sacrificium fieri Eryci fratri ex tribus juvencis jussit, & ventis, ne violenti existerent, agnam immolari.* Per hyemem, cui supra sacrificia oblata dixit, non anni tempus, sed ventorum imbriumque violentiam intelligit, qualis esse solet eo tempore. Sic alias usurpavit locis plurimis, Græcorum imitatione, ut censet Servius, quibus χειμὼν vocatur. Ita autem is ad III. Æn. ubi Poeta: *noctem, hyememque ferens. Pluviam cum obscuritate. Hyemem autem Græce dixit, nam χειμὼν etiam tempestas dicitur a Græcis.* Hanc ergo Hyemem a priscis sicut Deam cultam annotamus. Unde & a Statio lib. III. Silv. sub Æoli regimine, velut minor Dea, esse dicitur. Ubi sic de Æolo:

Cui varii Flatus, omnisque per æquora mundi
Spiritus, ac Hyemes, nymbosaque Nubila parent.

Solebant & *syderibus* (Castori fors, ac Polluci, ut Horat. l. I. C. od. 3.) rem divinam facere. Petronius: *Adoratisque sideribus intro navigium.* Ad postremum *Mari Tranquillo*, quemadmodum testatur Appianus lib. V. B. C. Nearchum, præfectum classis Alexandri Magni, antequam proficisceretur, sacrificium & ludos gymnicos fecisse Διῒ σωτῆρι, *Jovi servatori*, ex Arriani Indicis cognoscimus. Facto deinde per præconem silentio Imperator summus, seu præfectus classis oleaginea corona circum tempora redimitus capiebat exta, eaque cum vino e prora prætoriæ porriciebat in fluctus, postquam ter, ut Appianus indicat, circum classem navigasset, una cum sacrificis, & pronunciasset preces, *ut dii deæque maris, portuum, & ventorum felicem expeditionem esse juberent.* Livius lib. XXIX. c. 37. *Ubi illuxit Scipio e prætoria nave silentio per præconem facto, Dii Deæque, inquit,* &c. *secundum eas preces cruda exta, cæsa victima, uti mos, in mare porricit.* Silius Italicus XVII. v. 48. de eodem:

Ipse alacer Sicula descendens Scipio terra
Abscondit late propulsis puppibus æquor:
Cui numen pelagi placaverat hostia taurus,
Jactaque cæruleis innabant fluctibus exta.

Virgilius de Anchise lib. v.

Ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ
Stat procul in prora, pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Justinus de Alexandro lib. XI. cap. 5. *Priusquam ulla navis littore excederet, hostias cædit, petens victoriam bello.* Appianus lib. V. B. C. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ Δικαιαρχείας θύων ἅμα καὶ σπένδων ἀπὸ τῆς ναυαρχίδος νεὼς ἐν τὸ πέλαγος ἀνέμοις εὐδίοις καὶ ἀσφαλείῳ ποσειδῶνι, καὶ ἀκύμονι θαλάσσῃ, συλλήπτορες αὐτῷ κατ' ἐχθρῶν πατρῴων γενέσθαι. *Cæsar cum prius e prætoria nave porrectis extis in mare, litasset Ventis serenis, tutelari Neptuno, & tranquillo Mari, ut propitii sibi contra parricidas essent, proficiscitur.* Post prætorem, apud Græcos præcipue, reliqui quoque duces milites q; singulis ex navibus libabant diis. Testis est Thucyd. lib. VI. *Ubi in naves,* inquit, *ascensum, impositaque essent omnia, quæ secum laturi erant, tuba silentium factum. tum solennia ante profectionem vota nuncupata non per singulas naves, sed per præconem. interea exercitus omnis aurea argenteaque pocula miscet & libat.* Quod & a Christianis fieri oportere Leo ait: *Priusquam,* inquit, *ad classem procedat, precibus ac piis votis se mutuo milites Deo commendent, & bonum prosperumque iter adversus hostes precentur.* Neque ipsi modo faciebant olim, sed & multitudo spectantium stans in littore, quæ simul fausta omina precabatur abituris. Idem autor in sequentibus: *Simul autem vota faciebat & cætera turba, quæ erat in littore tam civium, quam aliorum, si quis benevolus ipsis aderat.* Et Diodorus Siculus lib. XIII. *Triremes statione sua portum spectabant, exornatis proris militum armatura. Universus portus acerris craterisque argenteis conspicuus erat. ex his aureis hausta scyphis libamenta Diis offerebant, venerantes orantesque suppliciter, ut felix esset expeditionis successus.* Respexit ad hunc morem Fabius Quintilianus, quando ait: *permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur.* Idem Propertius lib. IV. de bel. Actiaco, ubi canit:

Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
Imposuit proræ publica vota Tuæ.

Et Achilles Tatius lib. III. παιανισμὸς οὖν καὶ πολλή τις εὐχή. θεοὺς σωτῆρας καλοῦντες, εὐφημοῦντες αἴσιον τὸν πλοῦν γενέσθαι. *Plausus excitatus, multæque deis servatoribus, quo prospera navigatione uti liceret, preces effusæ sunt.* Preces istiusmodi continet tota Ode 3. lib. I. Horatii, ex qua patet frequens hoc fuisse in profectione amicorum, sicut contra execrationes fundebant, in profectione inimicorum, ut ostendit ejusdem Ode 10. Epod. Nec vivi tantum hoc agebant, sed & mortui quodammodo, maxime naufragi, in quorum monumentis preces pro meliore aliorum fortuna frequenter leguntur. Ut in illo Leonidæ lib. III. Epig. cap. 22. εἴη ποντοπόρῳ πλόος οὔριος. item Platonis eodem loco:

Πλω-

Πλωτῆρες σώζοισθαι καὶ εἰν ἅλι καὶ κατὰ γαίαν. cui simile est aliud Leonidæ carmen. Precibus conjuncta vota pro reditu, ut ex Suetonii Caligula, cap. 14. cognoscimus. Idem in Execrationibus factum. Hinc illud Horatii supra dicto loco, ad Mævium:

—— si præda curvo littore
Porrecta mergos juveris
Libidinosus immolabitur caper,
& agna tempestatibus.

Apud Christianos Sacerdotum & Episcoporum solenne hoc fuit munus. Procopius lib. I. Tunc *Epiphanius civitatis Præsul classi de more benedicens ac bene precatus milites baptizatos in navim introducit*. Emittebatur tum columba, ut ex Asclepiade observavit Scholiastes Apollonii libr. II. Arg. Credo, ut omen esset reditus. Solet enim hæc avis sollicite ad domicilium vetus redire. Sed Argonautis potius viam ostendit per Symplegadas, ut ibidem legitur. Propertius lib. II.

—— quum rudis Argus
Duxerat ignoto missa columba mari.

Porro pro felici reditu navigantes etiam ipsi suscipiebant vota; in quibus solenne videtur fuisse, ut primum Principis vel Reipubl. salutem voto suo comprehenderent. Ita namque de se suaque navigatione testatur Arrianus in proœmio Peripli Pont. Eux. aliosque similiter facere ostendit. Nec in discessu tantum hoc factum, sed & itinere, præcipue vero in tempestate, ubi vota facta Castori & Polluci, observat Tomasinus in eruditissimo commentario de Donariis, cap. 26. Nigidius Samothraces vocat, teste veteri Commentatore Germanici, alii, ut est apud Eusebium, Cabiros, unde sacra Cabirorum in Samothracia, quæ Teletæ dicuntur. eorum ista vis, ut qui iis sunt initiati, quamlibet maris tempestatem evadant incolumes, ut Interpres Apollonii lib. I. ostendit. τὰς τελέτας, inquit, λέγει, τὰς ἐν σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς εἴ τις μυηθείη, ἐν ταῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι διασώζεται. Hinc & peculiari nomine *Salutares* dicti sunt, ut ex antea citato Commentatore discimus, & consentit Artemidorus. Ex dicto autem ritu intelligitur Catullus, quando canit l. I. ep. de Phaselo suo

Neque ulla vota littoralibus diis
Sibi esse facta, cum veniret a mari
Novissimo, hunc ad usque limpidissimum lacum.

Vult enim nullam tempestatem toto tempore passum esse. Observa hic seorsim *Deos littorales*, iisque facta vota pro appulsu in littore. Postremum fuit portuum pronunciatio. Sacris enim peractis, Prætor de portu tenendo gubernatores reddere solebat certiores, ne, si forte classis tempestate aliqua disjiceretur, ignorarent, quo deberent cursum dirigere, reliquosque convenire. Fiebat autem hoc vel per expressa mandata, vel litteris tabellisque obsignatis, ne quorsum iter intenderetur, hostis explorare valeret. Primum facit Scipio apud Liv. l. XXIX. c. 25. & *emporia ut peterent* gubernatoribus edicit. Alterum Himilco apud Diodor. Sicul. l. XIV. *gubernatorumque unicuique tradit litteras obsignatas, quas ne prius resignarent, quam e portu exissent, ac tum demum mandata capesserent* edicit. *Idque*, ait autor, *propterea commentus est, ne cuiquam ex speculatoribus aliquid certi de trajectu ad Dionysium perferendi facultas esset. Scriptum autem fuerat, ut Panormum versus recta cursum tenderent.* Fecit idem quoque Dionysius, atque ita Amphipolim nihil tale cogitantem, præsidiisque destitutam cœpit, uti docet Polyæn. l. V. Frontin. l. I. c. I. de Himilcone: *Himilco* (Sic enim legendum est ex Polyæni l. V. exempl. 2. uti quoque observavit Casaubonus) *Dux Pœnorum ut in Siciliam inopinatus appelleret classem, non pronuntiavit, quo proficisceretur; sed tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, universis gubernatoribus dedit obsignatas, præcepitque ne quis legeret, nisi vi tempestatis a cursu prætoriæ navis abductus esset.* Adde rursum Polyæn. l. V. exemplo 12. Dionys. Igitur cum in expeditione Britannica Cæsar naves quasdam ex suis amitteret, *nonnemo* (Hirtii verba sunt) *culpæ ejus imprudentiæque id assignabat, quod neque certum locum gubernatoribus præfectisque, quem peterent, præceperat, neque, ut mos ipsius consuetudoque superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, ut in tempore iis perlectis, locum certum peterent universi.* Probavit hanc consuetudinem etiam Imperator Leo, ideoque præfecto classis suæ ipsam servare præcepit. Verba sunt hujusmodi: *Ad quæ loca vel civitates classem emissurus es, nemini indicari oportet, sed occultandæ animo civitates sunt, ut nemo de classis itinere quicquam præsentiat. Mandatum autem quoddam litteris perscribes, quod ubi conscriptum fuerit, consignabis, & navarcho trades, præcipiesque illi, ut ubi mare ingressus fuerit, sigillum aperiat, & cognoscat, quo iturus sit.* Peractis hisce omnibus, tertium signum tuba datum. Flaccus lib. I. Arg.

Et jam finis erat, Zephyrumq; ratemq; morantis
Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.

Observa, signum hoc dari suevisse *tuba*: Liv. l. XXIX. c. 27. *tubaque signum dedit proficiscendi*. Arrian. l. VI. σημῆναι ἐς ἀναγωγὴν κελεύει τῇ σάλπιγγι ἅμα τε δὴ ἐσημάνθη, καὶ ἀνήγοντο ἐν κόσμῳ. *Signum proficiscendi dari jussit tuba. Quo audito statim ordine naves solvunt.* Seneca *profectionis signum dandorumq; velorum* dixit in Troade vers. 1040. Apud Græcos per pæana factum. Thucyd. l. VI. παιωνίσαντες δὲ, καὶ τελεώσαντες τὰς σπονδὰς, ἀνήγοντο. *Cum autem pæana cecinissent, & libationes peregissent, e portu solverunt.* Alias clamore gubernatoris proficiscendi factum est indicium. Silius Ital. vers. 153.

Confisus pelago celsa de puppe magister
Cunctantem ciet, abripitur divulsa marito.

Statius Sylvarum lib. III. vers. 240.

Jam ratem terris divisit fune soluto
Navita, & angustum dejecit in æquora pontem:
Sævus ubi e puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus, atque oscula fida refellit.

Hinc Cic. l. IV. quæst. Acad. *Navita significat navigandi nobis tempus esse.* Noctu addebatur flamma e prætoria sublata. Virgil. lib. III. Æneid.

Postquam cuncta videt cœlo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum, nos castra movemus,

Faculam elevat, inquit Servius ad hunc locum. Ita apud Senecam Agamemnon profectionem & discessum narrans ait:

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem emovit tuba,
Aurata primas prora secavit vias.

Hoc signum si quis neglexisset, pœna gravissima, non raro capitis, afficiebatur. Frontin. l. IV. c. I. M. Cato in hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cum tradito profectionis signo classem solvisset, & relictus e militibus quidam alta voce & gestu expostularet, uti tolleretur, circumacta ad littus universa classe *comprehensum supplicio affici* jussit. Ideoque etiam Iphicrates quos secum ducere cogitabat triremium præfectos monet, non esse quod *de pœna* conquerantur, si signo dato naves non conscendissent. Xenoph. l. VI. Histor. Et hæc quidem præparamenta profectionis. Inter quæ non raro ominis melioris caussa naves coronis sertisque cingebantur in puppibus. Coronæ enim priscis lætum quid, & perfectum significabant, ut ad Ælianum notavimus. Virgilius:

—— Vocat jam carbasus auras,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Aristoph. in Acharn. Act. II. scen. 5. ubi classem parantem se ad abitum describit: *Plena*, inquit, *sunt omnia*

Στεφάνων, τριχίδων, αὐλητρίδων, ὑπωπίων. *sertis, sardis, tibicinis, vicibibus*, ut Frischlinus interpretatur. Scholiast. ibi: ταῦτα πάντα ὡς ἀναγκαῖα τῶν μελλόντων ἐμβαίνειν εἰς τὰς ναῦς: *Hæc omnia necessaria iis, qui conscensionem parant, beneque navigare volunt*. Athenienses una imponebant auratas imagines Minervæ, quibus simul ab aliarum gentium navigiis distinguebant sua, uti capite præcedenti demonstratum est. Schol. idem, indicato loco: παλλάδια δὲ, ἐν ταῖς πρώραις τῶν τριήρων ἀγάλματα τινα ξύλινα τῆς Ἀθηνᾶς καθεδρυμένα. ὡς ἐπιμελῶς ἔχοντες μέλλοντες πλεῖν. *Palladia erant quædam lignea Minervæ simulacra in proris triremium, quæ habebant profecturi*. Hinc Diodor. Sicul. l. XIII. de navibus Atheniensium jamjam abituris: Αἱ μὲν οὖν τριήρεις παρ' ὅλον τὸν λιμένα παρωρμισμέναι, κεκοσμημέναι ταῖς ἐπὶ τοῖς πρώραις ἐπισήμασι καὶ τῇ λαμπρότητι τῶν ὅπλων. *triremes autem statione sua totum portum obtexerant, proræque ornatæ erant statuis splendidissimisque armis*. Rhodomannus perperam *erectos pluteos* exposuit, quoniam hanc consuetudinem ignoravit. Sequitur nunc profectio ipsa, illiusque adornatio, quæ potissimum in ordine consistit, & in acie. Ordo fere hic fuit. Primo ibant leviora navigia, lembi & similia, ad exploranda commoda portuum, consilia & stationes hostium. Polybius lib. I. Hist. cap. 53. *Punicæ classi præfectus certior factus a speculatoriis navibus, haud contemnendum numerum navium adventare, jamque in propinquo esse, pugnæ avidus portu solvit. Romanis quoque quæstoribus qui Syracusis fuerant, præmissi lembi classem præire soliti imminere hostem significant*. & quoniam præibant, Græci eos πρόπλους appellabant, uti alibi ostensum est. Præibant autem, & una adventum classis significabant; unde Alcibiades ne adventum suum hostis præsentisceret, ἐκέλευσεν ἐντὸς περιβάλλειν τὰ λεπτὰ πλοῖα, *jussit in medium recipere leviora navigia*, ut Plutarchus refert in ipsius vita. Id quod etiam factum legimus, cum ab hoste nullus esset metus. Sic enim Scipionem in Africam cum classe transmisisse testis Appianus de b. II. Pun. & Demetrium Diodorus Hist. XX. Quia vero etiam res hostium, & classis commoda explorare solebant, a Latinis *speculatoriæ* vocabantur, quod & ipsum jam ostensum est. Præmissis levioribus classis ipsa sequebatur, quam ducebat Præfectus cum prætoria. Virgil. lib. V.

Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen, ad hunc alii cursum contendere jussi.

Seneca de nave Agamemnonis in ejus nominis tragœdia.

Aurata primas prora signavit vias,
Aperitque cursus mille quos puppes secent.

Succedebant huic triremes, cæteræque naves bellicæ, post has ultimo loco onerariæ, velut impedimenta exercitus sequebantur, ut ex Livii non uno loco discimus. Et de Scipione Appianus: ὁ δὲ Σκιπίων, ἐπειδὴ πάντα εὐτρεπῆ γεγένητο ἐν Σικελίᾳ, ἔθυε Διῒ καὶ Ποσειδῶνι, καὶ ἐς Λιβύην ἀνήγετο ἐπὶ νεῶν μακρῶν μὲν δυοκαίπεντήκοντα, φορτίδων δὲ τετρακοσίων. Præerant his omnibus certi quidam velut duces, ne ordo turbaretur: quales apud Livium in classe Scipionis fuere C. Lælius & M. Pomponius, quorum alter triremibus, alter onerariis præfuisse dicitur. Leo plures istiusmodi vult esse, quorum quisque tres aut quinque tantum sub se habeat triremes, eosque olim *Comites* fuisse dictos ait. *Temere*, inquit, *ac fortuito dromones ne procedant, sed tribus aut quinque dromonibus præfectum unum deliges, quem Comitem appellabis, qui omnium sub se dromonum dux futurus est*. Prudenter sane: nam & facilius imperia summi sic ducis expediuntur, & ordo medius servatur, & si quæ aberrant a classe reliqua (quod interdum fieri per tempestates solet) colliguntur citius, cum magis sociatæ maneant paucæ naves, quam multæ. Claudebat agmen is, a quo cogebatur, οὐραγὸς a Græcis dictus, uti testis est Polyb. l. VI. Liv. l. XXXVII. c. 23. *Rhodii longo agmine veniebant. prima prætoria navis Eudami erat, cogebat agmen Charicletus. Pamphilides mediæ classi præerat*. Quod si densiore agmine procederent etiam plures isthoc muneris sustinebant, quos ὀπισθοφύλακας appellat Appian. l. V. B. C. Ἄππιος αἱ μετὰ πλήθους νεῶν ὀπισθοφυλάκων εἵπετο. *Appius postremum agmen cogebat, cum navibus præsidiariis*. Nimirum quia hoc tum præsertim factum, cum ab hoste vis metueretur, & ne a tergo in itinere invaderet. Meminit quoque Liv. prædicto lib. c. 29. *Explicuere ordinem primæ in conspectu prætoris, & coactum agmen a Rhodiis est*. Aciei porro isthæc fuit ratio. Si secundus flabat ventus, versus ordinesque observabant, ita ut in uno versu naves tres, aut plures etiam incederent, deinde exercitum in cornua quoque dividerent. Liv. l. XXIX. c. 25. *Scipio edicit cum viginti rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu, ab lævo totidem rostratis C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone onerariis futurum præsidio*. Sic apud Thucyd. l. II. Peloponnesii *primo diluculo instructa classe in ordines, quorum singuli quaternas naves habebant, portu solventes, in suum agrum, intra sinum navigare incipiunt, dextro cornu procedente, sicut etiam in statione steterat*. ἐπὶ τεσσάρων ταξάμενοι ἔπλεον, ait ipse, quod interpres καὶ τέσσαρας αὐτὰς ποιήσαντες exponit. & apud Polyænum l. III. φορμίων τεσσαράκοντα ναῦς ἔχων, ἔταξε ἀνὰ πέντε. *Phormio cum haberet naves triginta, quinque in ordines singulos statuit*. Apud Liv. l. XXXVII. c. 29. *Regia classis binis in ordinem navibus longo agmine veniens, & ipsa aciem adversa explicuit*. Cum vero ventus urgeret adversus, tum prope singulæ sibi invicem succedere solebant. Liv. l. XXXVI. c. 43. *Primo aquilonibus transversis quum urgerentur in terram, cogebantur tenui agmine prope in ordinem singulæ naves ire*. Videtur isthoc ipsum etiam innuere Hirtius lib. de bello Alex. istis verbis: *Quum prope Taurident accessissent, distentis suis navibus, quod & tempestas erat turbulenta, & nulla suspicio hostis* &c. Recte adjicit postremum: nam si ab hoste vis metuebatur, alium instituebant ordinem, quia hic infirmior, quam ut apte resistat, facillimeque interrumpi potest. Noverunt hoc Peloponnesii. Itaque *cum Athenienses unico cornu longa navium serie, ita ut singulæ singulas sequerentur, navigantes vidissent, signo repente dato, navibus conversis, proris adversis in Athenienses ferri cœperunt, fugientesque plerasque ad terram compulerunt & corruperunt*. Thucydid. lib. II. Et quia isthic ordo hostes ad audendum aliquid invitare solet, astu ducum nonnunquam eum institutum legimus, sed ita, ut binæ naves inter se conjungerentur, uniusque tantum sustollerentur vela, ut singulæ viderentur esse. Quemadmodum a Chabria Diotimoque factum memoratur Polyæno lib. III. & V. Stratagem. De cætero diligenter cavebatur, ne nimis constipatæ irent, sed jugis incederent laxioribus, quoniam alioquin colliduntur inter se, ordoque facile turbatur. Arrianus lib. VI. de exped. Alex. *Deinde signum proficiscendi dedit, quo audito statim naves ordine subducuntur. Imperatum enim erat quanto spatio actuarias, quanto hyppagines, quanto bellicas sejunctas inter se esse oporteret, ne temere nulloque ordine navigantes colliderentur, neque iis, quæ velociores erant, interrupto ordine alias prævertere permittebatur*. Idem suo Præfecto imperavit Leo: *In acie procedentes navigent* (πλεύσουσιν ἐν τάξει συνηγμένοι) *tantumque a se mutuo in cursu distent, ut ne se mutuo impediant, tum in cursu maritimo, tum in tempestatibus ingravescentibus & ventorum flatibus*. Atque hæc de acie ordineque, in ipsis itineribus servato.

CAPUT IV.

De castris navalibus, statione, portu.

Appulsus in littore quo ritu factus. Castra nautica, in quo distincta fuerint ab aliis. Metatio eorum, munimenta, vigiliæ. Statio quid, & in quos usus. quomodo a portu fuerit distincta. ὅρμος, κάπρσις. *Portus qualis, quæque partes ejus. Cotona.* χηλὴ, ἀκτὰ, *structuræ, cornua. Munimenta ejus, claustra,* κλεῖσεις, *turres, phari.* Στόμα, ος, μυχὸς, *crepido,* ὅρμος, νεώσοικοι, νεώρεον, ναυσταθμὸς. *Interpres Suidæ ac Polyæni castigatus.* ναύλοχοι. *Navalia, textrina. Glossarium Stephani quadantenus emendatum. fora rerum venalium in portubus, lupanaria.*

EX itinere littus appellimus, idque rursum ordine, non sine precibus aç votis. Ita enim veteres solebant. Docet Livius lib. XXIX. cap. 27. *Scipio*, inquit, *ut in conspectu terra fuit, precatus Deos, uti bono reipubl. suoque Africam viderit.* de ordine ostendit præter multos alios Leo Imper. quando Duci suo ita præcipit: *In appulsibus ad terram ordinatam classem instruant, & ad stationem aliquam se applicantes, sine ulla confusione ad littus, ad portum locumve portuosum veniant, ut si aliqua tempestas in salo oriatur, minus adflictentur.* Appulsus iste in navibus singulis fiebat *inhibitione*, hoç est, remigatione hujusmodi, qua navis aversa impellitur, circumactaque convertitur ad puppim. Sisenna apud Nonium in *cymba: Venio, jacitur ancora, inhibent leviter.* Vides, adventantem ad littus hic inhibere. sic enim Latini hoc negotium vocabant. Quemadmodum & a Clarissimo Gronovio, Amico meo singulari, annotatum video in libris observationum. Cicero lib. XIII. Attic. ep. 21. *Arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges jussi: id non esse ejusmodi didici heri, cum ad villam nostram navis appelleretur; non enim sustinent, sed alio modo remigant.* & paulo post: *Inhibitio remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim.* Observa, quod de remigatione vehementiori ait: nempe cum convertitur ad puppim navis, agenda est in latus, quod est difficilius, obstante copia fluctuum, quam quando agitur in frontem, cujus rostrum celerrime fluctus scindit, ac dividit. Itaque ut melius hoc facerent, navim simul nonnihil agebant retro. Quæ res Græcis πρύμναν, vel ἐπὶ πρύμναν κρούσασθαι dicebatur. Scholia Aristoph. in Vespis p. 457. τὸ δὲ πρύμναν κρούσασθαι φασί τινες λέγεσθαι, ὅταν μετακαθίσαντες οἱ ἐρέται, ἐλαύνοιεν ὀπίσω ἐπὶ τὴν πρύμναν, ὅταν λιμένα εἰσέρχονται. Nota, consuevisse tum remiges mutare sedilia, h. e. vertere se, & frontem illuc dirigere, quo ante tergum. Sic enim melius retro vocabant navim. Quod & Scaliger in Manilianis indicatum putat isto versu Silii, lib. II.

Converso Tyrios petierunt remige patres.

Quanquam, cum sit ibi non de appulsu sermo, verum abitu, remigem potius pro navi ipsa, notissima figura usurpasse videatur. Quia autem retro nonnihil vocabant navim, hinc πρύμναν κρούεσθαι Thucydidi, quando qui urgentur ab hoste, non quidem aperte fugiunt, retrocedunt tamen, & majoris securitatis causa frontem obvertunt hosti, navigio sic inclinato flexoque, ut cum opus est, possint concurrere, cum non est, flexum penitus convertere in fugam. Ita enim flectere nonnihil in hoc negotio consuevisse supra dixi; & ostendit Arrianus, quando ait lib. V. *Naves demittebantur* οὐκ ἐπ' εὐθὺ, ἀλλὰ καθάπερ αἱ πρύμναν κρουόμεναι, h. e. *non recta, sed velut quæ inhibentur.* Germanicus de Argo:

Puppe etenim trabitur, non recto libera cursu
Ut cum decurrens inbibet jam navita remis.

sic legendum est, etiam Gronovio monente. non *remos*, quomodo est in editis. *Non recto cursu* ait, quod Arrianus vocat οὐκ ἐπ' εὐθὺ. sed nec *libera*, quia contra fluctus nonnihil, dum in latus agitur, ut supra dictum est, hoc enim innuit isto vocabulo. denique & *puppe trabitur*, id est πρύμναν κρούεται: pro quo Aratus, κατ' οὐρὰν, vel πρύμναν ἕλκεται. Thucydidis verba sunt in Primo, ad quæ Scholiastes: πρύμναν κρούεσθαι, ἔστι τὸ κατ' ὀλίγον ἀναχωρεῖν μὴ στρέψαντα τὸ πλοῖον. ὁ γὰρ οὕτως ἀναχωρῶν, ἐπὶ πρύμναν κωπηλατεῖ, τοῦτο δὲ ποιοῦσιν ἵνα μὴ δόξωσι φανερῶς φεύγειν, οὕτω κατ' ὀλίγον ὑπαπιόντες. ἢ ἵνα μὴ τὰ νῶτα τοῖς πολεμίοις δόντες, ῥᾷον τιτρώσκονται. Atque tali sensu voce *inbibitionis* usus quoque est Justinus in oratione Themistoclis ad Jonas lib. II. cap. 12. ubi ait: *Quin vos in hæc nostra castra ex ista obsidione transitis? Aut si hoc parum extat, vos commisso prælio ite cessim, inhibete remis, & a bello discedite.* Sic lego, non *remos*, uti est in vulgatis, & Scaliger prædicto loco retinuit. Nec enim omittere ipsos remigationem voluit, quietosque stare in prælio, sed sensim retrocedere, Xerxemque deserere. At vero *inbibere remos*, est tenere eos quiete, ac a remigatione cessare. Quæ res Græcis ἐπέχειν vocatur. Polybius libr. I. αἱ δὲ νῆες ἐπεῖχον, ἐπτεροκῦαι πρὸς τὴν ἐμβολὴν. *At naves remis sublatis stabant, eosque quasi alas sustinebant, paratæ ad pugnam.* Ælianus de Echenide: ἐπέχει τὰς ναῦς, καὶ ἐξ οὗ ποιεῖ, καλοῦμεν αὐτὴν. *sistit naves, indeque nomen ei damus.* Hinc Cicero dicta epistola de Carneade ait, quod προβολὴν *pugilis, & retentionem aurigæ, similem faciat* ἐποχῇ. Inhibitioni conjuncta fuit *obversio*, de qua Virgilius: *obvertunt pelago proras.* Nimirum postquam retro nonnihil egissent navim, flexissentque in latus, tandem penitus convertebant. Quam rem Græci ἐπιστρέφειν appellabant, ut a Grotio in Arateis observatum est. Retinuit & Cicero in sua Arati versione; ita enim canit:

Obvertunt navem magno cum pondere nautæ.

Arrianus in Perip. P. E. ἤν τινα ἐν τῷ ὁρμίζεσθαι, πρὸ τοῦ καιροῦ ἐπιστρέψασαν πλαγίαν, ὑπολαβὸν τὸ κῦμα, ἐξώσεγκεν εἰς τὴν ἠιόνα, καὶ συνέτριψεν. Vult, nimis cito, & longius a littore convertisse navim, hincque factum esse, ut fluctus transversam, dum circumagitur in latus, deprehenderet, impelleretque in scopulos. Interpres eruditus locum non intellexit, ideoque vocem πλαγίαν a sequenti ὑπολαβὸν distinctione sejunxit, cum qua tamen conjuncta esse debet. Cointus, seu Calaber lib. XXIV. vers. 592. navem istiusmodi ἐπικάρσιαν appellat, ubi & imprimis periculosum hoc in tempestate docet. Contra Arrianus τὸ κλυδώνιον οὐ πλάγιον, fluctus non transversos, bonos, quando mare sit *magnum*, ut veteres locutos Dousa ostendit cap. 6. præcid. Catul. nempe sic cursus navis juvatur, fluctibus eam propellentibus, at isto modo facile evertitur, fluctibus impellentibus ipsam. Et hoc est, quod ait Ovid. I. Trist. el. 2.

Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.

sicut a balistæ onere percussa vertuntur mœnia, sic a fluctibus transverse incurrentibus navis. Postquam ergo ita appulissent naves, ejiciebant funes, quod priscis erat *supare*. Accius: *Abtorque proram, ac supa tortas copulas*. dicit *torque*, quod plane est τὸ ἐπιςρέφειν, *abtorque* autem, quia prora spectabat mare, puppis in litore. Deinde religabant funes ad annulos, seu tonsillas, sicut alias ostensum est: sacrificia fiebant, ut diis aliis, sic imprimis Διῒ ἀποβατηρίῳ, h. e. *Jovi descensori*. Arrianus lib. I. Λέγεσι κ̀ Ἀλέξανδρον βωμὲς ἱδρύσαϑαι, ὅϑεν τε ἐςάλη ἐκ τῆς Εὐρώπης, καὶ ὅπα ἐξέβη τῆς Ἀσίας, Διὸς ἀποβατηρίε, κ̀ Ἀϑηνᾶς, καὶ Ἡρακλέες. *Dicitur & Alexander extruxisse aras ex Europa transiens in Asiam, ibique faciens exscensionem, Jovi descensori, & Minervæ, & Herculi*. Apud Plutarchum libro de solertia animalium hoc sacrum ἀποβατήριον vocatur; ita enim, non ἀναβατήριον legendum esse locus ipse indicat, in quo non de adscensu, sed descensu agitur. Verba hæc sunt. Ἱςορεῖται δὲ καὶ τὰς πεμφθέντας εἰς Σινώπην ὑπὸ Πτολεμαίε κομίζεϑαι παρὰ γνώμην ὑπὲρ Μαλέαν, εἶτα ῥεμβομένες ... ϑυμῶντας αὐτὸς προφανέντα δελφῖνα προσκαλεῖν ὥσπερ ἐκκαλεῖϑαι ... καὶ στόλες μαλακὲς ἔχοντα τῆς χώρας, εἶναι ἀσφαλεῖς, ἄχρις ἂν τοῦτον τὸν τρόπον ἄγων καὶ παραπέμπων τὸ πλοῖον εἰς Κίρραν κατέςησεν. ὅϑεν ἀναβατήριοι (scribe ἀποβατήριοι) ϑυσίας ἔγνωσαν ὅτι δυοῖν ἀγαλμάτων τὸ μὲν τῦ Πλέτωνος ἀνελέϑαι καὶ κομίζειν, τὸ δὲ τῆς Κόρης ἀπομάξαϑαι καὶ καταλιπεῖν. Sacrificiorum meminit & Livius libr. XXXVI. cap. 14. *Samum postquam ventum est, accepta a Livio classe, & sacrificio, ut assolet, rite facto Æmilius concilium advocat*. Quod si hostilis esset terra, credo telum simul a prætore emissum in eam, descensum e navi, deosque oratos, *ne se invitum illæ terræ acciperent*. Ita enim Alexander apud Justinum, loco supra indicato, cum in Asiam delatus esset, primus jaculum velut in hostilem terram jacit, armatus de navi tripudianti similis prosilit, ac precatur, ne se regem illæ terræ invitæ accipiant. id quod Arrianus quoque suo testimonio confirmat. Apud Romanos non raro sequebantur supplicationes atque sacrificia in urbe. Livius lib. XXXVII. cap. 47. *In alterum diem quod exercitus Romanus tum primum in Asia posuisset castra, ut ea res prospera & læta eveniret, vicenis majoribus hostiis sacrificare Consul est jussus*. Observabatur autem in appulsu quam diligentissime, quo nomine ea res, quæ se prima obtulisset visui, nominaretur, indeque capiebatur omen. Sic apud Livium libr. XXIX. cap. 27. *Scipio, quod esset proximum promontorium percontatus, cum pulcri promontorium id vocari audivisset, placet omen, inquit, huc dirigite naves*. Percontatus, ait: ita enim solebant. Valer. Max. lib. I. cap. 5. de Pompejo: *Appellens ad oppidum Paphum, cum conspexisset in littore speciosum ædificium, gubernatorem interrogavit, quod ei nomen esset, qui respondit, Canobasilea vocari, quæ vox spem ejus, quantulacunque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit: avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit*. Livius lib. XXX. cap. 25. de Annibale. *Annibale jam appropinquante jussus e nautis unus ascendere in malum, ut specularetur, quam tenerent regionem, quum dixisset sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus prætervehi jusso gubernatore ad Leptim appulit classem*. Cum jam appulissent, demittebant vela, inclinabant malos, denique & anchoras ejiciebant in prora. Docet omnia Homerus Od. Γ. hisce versibus.

Οἱ δὲ πύλον νηλῆος ἐϋκτίμενον πτολίεϑρον
Ἷξον. τοὶ δ' ἐπὶ ϑινὶ ϑαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
Ταύρες παμμέλανας ἐνοσίχϑονι κυανοχαίτῃ
Ἐννέα δ' ἕδραι ἔσαν, πεντηκόσιοι δ' ἐν ἑκάςῃ
Εἵατο καὶ προὔχοντο ἑκάςοϑι ἐννέα ταύρες
Ἐνϑ' οἱ σπλάγχν' ἐπάσαντο, ϑεῷ δ' ἐπὶ μηρία καῖον
Οἱ δ' ἰϑὺς κατάγοντο, ἰδ' ἱςία νεὸς ἐΐσης
Στεῖλαν ἀείραντες τὴν δ' ὥρμισαν ἐκ δ' ἔβαν αὐτοί.

Illi vero ad Pylum Nelei bene extructum venerunt oppidum, inque maris ora sacrificarunt tauros nigros Neptuno vittis cæruleis. Novem autem posita erant sedilia, quinquaginta in singulis sedebant, & præbebant singulis boves novem. Hic illi exta gustarunt, deo autem coxas incendebant. Illi vero recta portum subierunt, atque vela navis contrahunt, illamque firmarunt, ipsi vero egressi sunt. Ita Virgilius lib. III. Æn.

Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit:
Vela legunt socii, & proras ad littora torquent.

Quæ vero naves remis utebantur, in iis alligabantur remi. Statius Thebaid. lib. V. vers. 342.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis,
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.

Suspendere remos dixit Ammianus lib. XVII. *Decurrere jubentur per flumen adeo tacite, ut etiam remi suspenderentur*. Alligabantur autem non porrecti in aquam, sed ad latera, credo ne frangerentur, si forte navigia vento fluctibusve agitata sese mutuo verberarent. Ovidius lib. XI. Metam. ver. 25.

Obvertit lateri pendentes navita remos.

Posthæc fiebat ipsa descensio, si ita visum esset summo classis præfecto; nam absque hujus permissu nemini exire licebat. Itaque velut contra morem Cælius ait apud Livium, *classe Scipionis tempestate abrepta, & prope obrutis navibus, injussu Imperatoris scaphis, haud secus, quam naufragos milites, sine armis, cum ingenti tumultu in terram evasisse*. Hirtius De bell. Afric. *Hac re cognita Cæsar celeriter de navibus imperat omnes egredi, atque armatos in littore reliquos advenientes milites expectare*. Cæterum hæc descensio, aut in portu aliquo fiebat, aut in loco alias idoneo. Cum posterius, castra metabantur, si diutius manendum esset: sin secus, & discedere mox vellent, in statione tantum manebant. De castris observamus ad differentiam aliorum, quorum in militia terrestri usus est, *nautica* vocari. Corn. Nep. in Alcib. cap. VII. *Illud moneo juxta hostes castra habeas nautica*. & in Annib. cap. XI. *puppes averterunt, seque ad sua castra nautica retulerunt*. Livius lib. XXX. c. 9. *navalia* castra dixit. *Forsitan etiam navalia castra relicta cum levi præsidio oppressurus*. Differebant autem hæc castra ab aliis partim in eo, quod semper fierent in littore, partim ideo, quia diversa ratione muniebantur. Eratque muniendi ista ratio duplex; vel a terra, vel a mari. A terra ducebatur fossa cum vallo, ab una parte maris in alteram, forma, ut videtur, semicirculari. Ita legimus apud Homerum aliquoties, & apud Polyb. lib. I. cap. 29. Romani *classe oram Africæ tandiu legunt, donec Clupeam perveniunt. Ibi exscensione facta naves vallo fossaque muniunt*. Diodorus lib. XI. de Amilcare: *Quicquid est navium longarum subduxit, profunda ea fossa, ligneoque vallo circumdans*. τεῖχει ξυλίνῳ περιέλαβε, ait, quod notandum est. Similia & de ducibus classis Persicæ tradit. A mari, sive potius in ipso mari, statuebantur ligna præacuta validaque, veluti in portu, & ante ipsa onerariæ, quarum præsidio

& castra ipsa tuta esse, & naves secure egredi ac redire possent. Mentio hujus rei fit etiam a Lycophrone in Cassandra ver. 290. nam σαυροῖσι χορσωτὴ πρόξ, est navis sudibus ejusmodi munita, quemadmodum πρόβλημα σταθμῶν, vallum ligneum, de quo Diodorus. Thucydides de Nicia: *Primo trierarchis naves reficere imperat, deinde onerarias collocat ante vallum, quod in vicem portus conclusi defixum erat in mari, reliquas onerarias binum jugerum intervallo disponit, si qua navis ab hoste superaretur, hic receptus esset, tutoque rursum posset egredi.* Scipio has onerarias antennis inter se colligavit, sed eventu non ita felici: Livius lib. XXX. cap. 10 *Onerarium quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit, easque ipsas malis antennisque de nave in navem trajectis, ac validis funibus velut uno inter se vinculo illigatis comprehendit, tabulasque superstravit, ut pervius in totum navium ordo esset; & sub ipsis pontibus intervalla fecit, quo percurrere speculatoriæ naves in hostem, ac tuto recipi possent.* Alias si levius periculum, militares tantum quasdam emittebant in mare, partim ut vigiles, partim ut impetum hostilem paulo moraturæ. Polyænus lib. VI. *Magna triremium & onerariarum copia stabat ad ostium portus, reliquæ agebant custodiam.* Sunt hæ illæ ipsæ, quas alibi προφυλακίδας nominari diximus. Thucydides lib. I. *Interea Samii repentina eruptione navigantes castra, nullis munitionibus cincta, invadunt, navesque quæ ibi in statione erant* (τὰς δὲ προφυλακίδας ναῦς inquit ipse) *corrumpunt.* Scholiastes τὰς πρὸ τῶν ἄλλων ὁρμούσας explicat; ex quo Pollux intelligitur cum ait; τὸ φυλάττειν τινάς, ἐφορμεῖν καὶ ναυλοχεῖν καλεῖται. & apud Polyænum loco antea laudato naves istæ ἐφορμοῦσαι appellantur. Cæterum Samiorum illa irruptio prorsus improvisa fuit, ad quam præcavendam Iphicrates peritus Imperator malos his in navibus erigi, & in illis vigiles utilissimo commento jussit constitui, quoniam ut ait Xenophon lib. VI. Hist *ab his longius pateret prospectus in mare, quam si in terra e loco sublimiore specularentur.* Solebantque hi vigiles de nocte hostium adventum indicare flamma, sive face aliqua sublata, unde & πύρσωροι Græcis, vel πυρσωρίδαι dicti. Polyænus lib. III. Ἰφικράτης ἐν Κερκύρᾳ Κρινίππου προσπλέοντος ἐκ σικελίας, ἕνδεκα ναῦς πληρώσαντος τῶν πυρσωρῶν ἀγγειλάντων ὑφορμεῖν αὐτὸν προσέταξε &c. *Iphicrates in Corcyra Crinippo e Sicilia cum supplementis undecim navium adnavigante, speculatoribus face significantibus eum appellere, edixit &c.* Interdiu hoc faciebant tuba. Idem autor libr. V. σαλπιγκτὴς ἦν ἐπὶ δένδρου σκοπός. ὅπως ἰδὼν τοὺς πολεμίους προσορμισθέντας νηὶ μακρᾷ ἐσήμηνε τῇ σάλπιγγι. *tubicen qui in arbore speculandi causa stabat, conspicatus hostes adnavigare navi longa, signum tuba dedit.* Porro cum jam satis munita viderentur castra, naves ipsæ subducebantur, statuebanturque in sicco, id quod Græci ἀνωλκεῖν appellant. Livius lib. XXII. cap. 28. *Himilco castris communitis, navibusque subductis, & vallo circumdatis per dubios infestosque populos ad Asdrubalem pervenit.* Observa τὸ *subducere*. Ita enim Latini vocabant. Cicero lib. III. Off. *classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gythum, clam incendi posse.* Cæsar lib. III. B. C. *Naves reliquas si vellet, subduci & refici juberet.* Fiebat hoc præcipue hyberno tempore per eos, quos exinde Martialis *belicarios* appellat. Livius lib. XXXVI. cap. 45. *Cum jam hyems appeteret, fossa valloque circumdatis naves subductæ.* Hirtius. bell. Afr. *Varus naves, quas hyemis gratia subduxerat, deducit.* Et hoc est, quando *hybernare* classis dicitur, ut apud alios scriptores, ita apud Livium lib. XXXVII. cap. 8. his verbis: *classis Romana sicut ante dictum est, ad Cannas hybernabat.* Nam in reliquo castrorum genere, velut minus certo ac durabili, naves non subductæ, sed ad littus tantum appulsæ religatæque, quo facilior celeriorque excursus esset. Nescio an non usitatum quoque fuerit, subductas illa ratione naves contra nivium imbriumve inclementiam pellibus contegere. Ita certe Bibulum fecisse legimus apud Cæsarem lib. III. B. C *uno*, ait, *tempore accidit, ut difficilioribus usi tempestatibus, ex pellibus, quibus erant tectæ naves, nocturnum excipere rorem cogerentur.* Et diligens Grammaticus Julius Pollux inter arma navium, pelles quoque numerat, quarum certe vix ad alia fuisse videtur usus. Τὰ ὅπλα, inquit, τῆς νεώς, δέρρεις καὶ διφθέραι, καὶ χαλκέμβολα &c. Ad subductas ita tempore hyberno, aut æstivo religatas in littore naves certo & decoro ordine statuebantur tabernacula. Ad prætoriam Prætoris, ad cæteras cæterorum ducum militumque. Ita apud Homerum Agamemnon in littore ad tentorium & navem suam sedet, & apud Hirtium de Bel. Afr. Cæsar *tabernaculum suum secundum littus constituit, ut prope fluctus verberarent.* Meminit & Livius tentoriorum in his castris, non ad Imperatoris ducumque tantum usus, sed & militum gregariorum nautarumque. *Eques*, inquit lib. XXII. cap. 19. *alius super alium ab Asdrubale missus vagos in littore, quietosque in tentoriis suis nautas & milites conscendere naves propere, atque arma capere jubet.* Hinc Athenagoras apud Thucydidem libr. VI. ξυνέσονται στρατοπέδῳ ἐκ νεῶν ἱδρυθέντι καὶ ἐκ σκηνιδίων. *continebantur castris classe communitis atque tabernaculis.* Quis ordo reliquus, quæve integra castrorum nauticorum species fuerit, nemo ex autoribus dilucide exponit. credo tamen ad ceterorum similitudinem, hanc habuisse formam. Et hæc hactenus de castris. *Stationes* autem erant, cum aquandi tantum gratia, vel ob aliam necessitatem parvo tempore naves quiescebant in salo, hoc est quocumque loco, ubi tuto stare possunt. Ita enim explicat Ulpianus l. 1. ff. §. 13. de flumin. *Stationem*, ait, *dicimus a statuendo (vel, ut quidam alii, a stando) is igitur locus demonstratur, ubicunque naves tuto stare possunt.* At tunc quidem nec fiebat descensus, nec tendebantur tabernacula, nec fossa valloque quidquam muniebatur. Unde Rex Eumenes apud Livium lib. XXXVII. cap. 15. *Illos tutissimo*, inquit, *portu, opulentissima urbe fruentes, omnia Asia præbente, quieta æstiva acturos: Romanos aperto in mari fluctibus tempestatibusque objectos omnium inopes in assidua statione futuros.* Talis Appii statio, de qua prædictus auctor lib. XXIV. cap. 27. *Naves ad ostium portus, quid aliæ partis hominibus animi accederet, operiens, in statione habere cœpit.* Patet ex his verbis, diversas stationes a portubus fuisse, & qualiacunque commoda navibus ad quiescendum loca, etiam inculta significare. Unde Cæsar libr. III. B. C. *Saxa inter & alia loca periculosa quietam nactus stationem, & portus omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur, ad eum locum, qui appellatur Pharsalus, omnibus navibus ad unam incolumibus milites exposuit.* Sed & longius a terra distare, quam portus, Livius ostendit lib. XXII. cap. 19. *Scipio*, inquit, *altero ab Tarracone die ad stationem decem M. passuum distantem ab ostio Iberi amnis pervenit. Asdrubal, cujus naves erant in ipso ostio, militibus nuntiari jubet, arma caperent, classem Romanam haud procul a portu esse.* Græcis ὅρμος statio hujusmodi vocatur. Hesychius. ὅρμος, ἱππόδρομος τοῦ πλοίου καὶ ἡ στάσις. dicitur & ὕφορμος. Strabo libr. VIII. de littore Laconico: ἔχει δ᾽ ὅμως ὑφόρμους καὶ λιμένας. *stationes atque portus habet.* Appianus ἐνορμίσματα vo-

cavit lib. v. b. c. ἵνα μήτε Κοσσύρα Λεπίδῳ μήτε Λιπάρα Καίσαρι ἐνορμίσματα, ἢ ναύσταθμα γένοιτο δι' ἄκαιρα ἐπὶ τῇ Σικελίᾳ. Κάπαρσιν Thucydides videtur appellasse libro IV. οἱ ὁπλῖται, ait, τὰς καπάρσεις τῆς νήσου ἐφύλασσον. Sunt certe καπάρσεις ut Scholiastes refert, οἱ ἐπιτήδειοι εἰς καταγωγὴν τόποι, καὶ εἰ τὸ προσορμίζεσθαι. h. e. *loci idonei ad stationem*. Et quia fere longius a terra stationes aberant, ideo Thucydidi ὁρμᾶν, est, ἄγειν ἐπ' ἀγκυρῶν, ut Scholiastes ait, loco antea laudato, hoc est, *in anchoris stare*, uti Livius reddit, locis plurimis. Græcis alias hoc ἀποσαλεύειν. Plutar. in Pomp. ἐπ' ἀγκυρῶν πρόσω τῆς χώρας ἀποσαλεύων περιέμεν. Hirtius *in salo & anchoris commorari* dixit in V. ut jam antea Baysio notatum est. Cæsar *expectare in anchoris*, lib. IV. B. Gal. *Hunc*, ait, *nequaquam idoneum ad egrediendum locum arbitratus, dum reliquæ naves eo convenirent, ad horam nonam in anchoris expectavit*. Livius alias *classem in statione tenere*: Ne superato promontorio conspiceretur, *classem in statione usque ad noctem tenuit*. inquit XXXI. 23. Utuntur autem stationibus, cum ad aquandum, tum ad curandas reficiendasque naves: sæpe etiam ad struendas hostibus insidias. Hirtius de bell. Alex. *expeditis navigiis locis idoneis ad Canapum in statione dispositis navibus insidiantur nostris commeatibus*. Et hoc est, quod ait Vegetius libr. IV. cap. XLIV. *circa opportunas insularum angustias collocantur insidiæ, idque agitur ut imparati facilius deleantur*. Ex statione veniamus in *portum*. Λιμένα Græci nuncupant. Est autem duplex, a natura alius, alius ab arte. unde Seneca cap 17. ad Marciam de portu Syracusarum: *Quietissimum omnium, quos aut Natura posuit in tutelam classium, aut manus adjuvit*. Naturalis est, quem fere flumina constituunt eo loco, ubi se dejiciunt in mare, diciturque *ostium*, Græcis στόμα Servius ad Virgilii hunc versum, qui in V. extat

Vela faciunt tamen, & plenis subit ostia velis.

Ostia, id est *portus*, *ideo quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt*. Atque talis portus Romanorum in ostio Tyberis, cui Ancus Martius dein navalia adjecit, uti docet Dionys. Halicarn. libr. III. Artificialis est, qui fit manu; egesta nempe terra, & inducta aqua. Virgil. Æn. I.

Hic portus alii effodiunt ——

Cotbona vulgo appellantur. Servius præcedente loco: *portus effodiunt*, id est *Cotbona faciunt*. Festus. *Cotones appellantur portus in mari interiores arte & manu facti*. Nomen forte est a Carthaginiensium portu, quem Κώθωνα vocatum asserit Appianus lib. de bell. Pun. Strabo χειροποιήτους ὅρμους nuncupavit lib. v. Absolvuntur autem tribus partibus quoad eorum structuram, quarum una χηλὴ a Græcis, altera στόμος, tertia μυχὸς vocatur, ut ostendit Pollux lib. I. cap. 9. χηλὴ opus est utrinque prominens in mare, quo vis ventorum fluctuumque coercetur. Schol. Thucyd. χηλὴ καλοῦνται οἱ ἔμπροσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένοι λίθοι διὰ τὴν κυμάτων βίαν, μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιτο. Meminit non uno loco Diodorus Siculus; ut libr. XIII. τινὰς inquit, ἐπὶ τὰς χηλὰς τοῦ λιμένος παρέπεμψεν. & paulo post. οἱ δ' ἐπὶ ταῖς χηλαῖς τοῦ λιμένος τεταγμένοι διεκώλυον τοὺς ἀποπλέοντας εἰς τὴν γῆν ἀποβαίνειν. Polyænus lib. v. Stratagematum ἄκρας τοῦ λιμένος appellavit. Homerus autem ἀκτάς. Sic enim Odyss. N. de portu Phorcynio

—— δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ
ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι.

Eustatius: ἀκταὶ, αἱ διεῤῥωγυῖαι. ὡς τοῦτο στόμα εἶναι τῷ λιμένι δι' αὐτῶν. Meminit eorum ex Latinis Vitruvius lib V. cap. 12. ibique *progressus* appellat. *Structuris* ait *sive aggeribus expediantur progressus. Eæ autem structuræ videntur sic esse faciendæ, uti portetur pulvis a regionibus, quæ sunt a Cumis continuatæ ad promontorium Minervæ, isque misceatur uti in mortario duo ad unum respondeant. deinde tunc in eo loco, qui definitus erit, arcæ stipitibus robusteis & catenis inclusæ in aquam demittendæ destinandæque firmiter. Deinde inter eas ex transtillis inferior pars sub aqua exæquanda & purganda & cœmentis ex mortario materia mixta ibi congerendum, donicum compleatur structuræ spatium, quod fuerit inter arcas*. Habes ecce & constructiones eorum. Marcus Tullius *cornua* vocavit. lib. IX. Ep. ad Att. ep. 19. *ab utroque portus cornu*, inquit, *moleis jacimus*. Nimirum in modum cornuum lunarium ab utroque latere coibant. Hinc Lucanus lib. II.

Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.

& Livius libr. XXXVII. cap. II. *promontoria cornibus objectis ab alto portum faciunt*. nisi quod hoc loco non de manu factis operibus ei sermo sit, sed de promontoriis naturalibus, de quibus etiam Vitruvius. *Portus naturaliter si sint positi, habeantque acroteria sive promontoria procurrentia, ex quibus introrsus curvaturæ sive versuræ ex loci natura fuerint conformatæ maximas utilitates videntur habere*. Quæ hic acroteria, in portu naturali, ea in manu facto cornua. Græce χηλαὶ, quas & Suidas τὰς λιμένων ἐξοχὰς interpretatur. Nisi potius χηλὰς ipsis cornibus adjectas, volumus significare eas, quas Tullius vocavit, *moles*. Columella lib. IX. *Præjaciuntur in gyrum moles*; de eadem portuum structura. Sane & apud Tzetzem προβολοὶ, quod præjaciuntur in mari. πέτρα θαλασσία, καὶ πᾶν προβεβλημένον δὲ μέρος, καὶ προεξέχον, κυρταῖς μὲν εἰς θάλασσαν. Alias ista cornua, quæ dixi, Suetonio in vita Claudii cap. 20. *brachia* vocantur. Solebant porro veteres hæc cornua, quo tutius illic essent navigia, catenis quibusdam, ab capitibus firmatis, munire atque claudere. Observamus in Syracusano portu, de quo Frontinus lib. I. Strat. *Cn. Duellius CS. in portu Syracusano, quem temere intraverat objecta ad ingressum catena clausus, universos in puppim retulit milites*. Nec catenis tantum, sed & ligneis quibusdam septis. Quod Appianus de bell. Mith. docet de Carthaginensium portu, & de portu Rhodiorum: ἐς λιμένα κατέφυγε, καὶ κλεῖθροις αὐτὸν διαλαβόντες ἀπὸ τῶν τειχῶν τὸν Μιθριδάτην ἀπεμάχοντο. *confugerunt in portum, eoque septis obserato a mœnibus Mithridatem arcuere*. Hinc cum idem Mithridates Chalcedonensem portum occupare cuperet, prius τὸ κλεῖθρον ἁλύσει χαλκῇ δεδεμένον perrumpere cogitur. id quod & Lentulo accidit in portu Myrentium, ut idem autor est in bellis Civ. Septa pice contra injurias aquæ muniebantur. Hinc enim illud apud Æneam Poliorc. cap. 11. ὡς ἐπειδὴ εἰρήνη εἴη, τότε λιμένος τὸ κλεῖθρον εἰς γῆν ἀνασπάσαντες, ξηρᾶναι δεῖ, καὶ πισσαλοιφῆσαι. *Quia pax esset, portus claustrum in terram extractum, siccandum esse, & pice inungendum*. Et quia his catenis septisque portus claudebantur, *claustra* dicta sunt Latinis. Græcis, & Thucydidi præsertim κλείσεις. Is enim ita lib. II. de Pireæo Atheniensium portu. Καὶ μετὰ τοῦτο φυλακὴν ἤδη τοῦ Πειραιῶς μᾶλλον τὸ λοιπὸν ἐποιοῦντο, λιμένων τε κλείσει, καὶ τῇ ἄλλῃ ἐπιμελείᾳ. Observa non catenis modo ligneisve claustris, sed & rebus aliis consuesse muniri. Quales

cum primis erant turres ab utroque aggeris capite erectæ, quemadmodum Vegetius nos docet lib. V. cap. II. & in iis milites ac custodes, quos perpetuo, cumprimis autem de nocte, in portibus fuisse ostendunt verba Curtii, loco, quem jam antea produximus. Ita enim sonant. *vides ut hic vigiles portum custodiunt, claustrique vel aperiendi, vel objiciendi potestatem habent*. Polyænus de iisdem libr. V. οἱ μὲν ἐπὶ τῷ λιμένος τὴν ναῦν ὡς φίλων ὑπέξαντο. οἱ δὲ τῆς νεὼς ἐκβάντες δέκα αὐτῶν ἀπέσφαξαν. Et de his accipiendus etiam Thucydides, cum de prædicto Pyreæo Brasidæ temporibus ἦν δὲ ἀφύλακτος καὶ ἄκλυστος. hoc est, *nullis nec vigilibus, neque claustris munitus erat*, secus atque Cauniorum Cnidiorumque, quos icciro κλειστὰς λιμένας, Strabonem appellasse legimus lib. XIV. Non longe aberant aliæ turres, in quibus ignes, qui nocturnas navigationes dirigebant. *Phari* appellabantur. Plinius lib. XXXVI. cap. 14. *Magnificatur & alia turris a rege facta in insula Pharo portum obtinente Alexandriæ*. Ædificabantur ferme in loco editiore, quem Achilles Tatius ὄρον appellat. Straboni πέτρα est περίκλυστος, ut notat ad Achillem vir Ill. Cl. Salmasius. Usus, nocturno nautarum cursui ostendere ignes, ad prænuntianda vada, portusque introitum: Statius.

Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ,

De Alexandrino Pharo loquitur, a Ptolemæo rege ædificato. ad cujus postea similitudinem constructi alii, similiter appellabantur. Isidorus: *Pharus, turris est maxima, quam Græci & Latini in commune ab ipsius rei usu Pharum appellaverunt; eo quod flammarum indicio longe videatur a navigantibus, qualem Ptolemæus juxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Usus ejus est nocturno navium cursui ignes ostendere, ad pronuncianda vada, portusque introitus, ne decepti tenebris navigantes in scopulos incidant. Nam habet Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus. Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas, pharos dicunt*. Suetonius cap. 46. *In indicium victoriæ altissimam turrim excitavit, ex qua ut ex Pharo noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent*. Æliano ignes illi sunt πυρσοί. Ἰσασιν ἐντεῦθεν ait lib. II. Anim. cap. 15. οἱ τῆς νεὼς ἄρχοντες, ὅτι ἄρα χρὴ περιβλέπειν γῆν, ἢ πυρσοῖς τεκμαιρομένης &c. Hos Galli adhuc hodie idiomate suo *Pharos* appellant, uti docet is, quem antea laudavimus. Porro Phari ita dicti, non ab usu, sicut Isidorus putat, sic φάοι, phai, non phari nominari deberent; sed a loco, id est insula, in qua primus Pharus, quæ non sine ratione nomen ab Ægyptiorum regibus, communi vocabulo Pharaones dictis, accepisse videtur. Altera pars portus στόμα dicitur, & est angustus inter duo illa cornua meatus. per quem navigia ingrediuntur & egrediuntur. Polyb. lib. I. ἐπ' αὐτὸ τὸ στόμα τῷ λιμένος ἐποιεῖτο πλοῦν. Et paulo post: ὁ μὲν ἐπιςᾶὰν γε διὰ τὸ τῷ στόλῳ τοὺς ῥωμαίους ἐπὶ τῷ κατὰ τὸν εἴσπλουν στόματος ἐφορμεῖν. *Ostium* Latine nominavit Livius libr. XXXVI. cap. ult. *Ante ostium portus acie instructa steterunt*. Item *fauces*. Videtur ex verbis lib. XXXVII. cap. 11. cum ait: *Pausistratus unam viam salutis esse ratus, si viam facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum posset, princeps remis ad ostium portus tendit*. hic enim quod primum fauces vocat, mox ostium reddit. Nisi potius sic differant, ut ostium initium sit faucium, & ab ostio fauces longius promineant in mare. Hinc namque sequi videtur in Livio, *superantem jam fauces*, quasi jam egressus ostium, fauces superare debuerit. Μυχὸς intima pars portus est, id quod ex eo facile apparet, quoniam, ut testis est Hesychius, etiam alias μυχοὶ, οἱ ἐνδότατοι

A καὶ ἀπόκρυφοι τόποι. Habet ea primum *crepidinem*, ad quam navigia adpellunt. Curtius lib IV. 5. *dum applicant navigia crepidini portus*. Videtur hæc e lapide plerumque extrui consuevisse hemicycli forma. unde forsan & Vitruvius lib. V. cap. 12. *curvaturas sive versuras appellavit*. Servio certe *crepido abrupti saxi altitudo* est. & Columella in piscinis ait, *præjaciuntur in gyrum moles. sic enim maris atrocitas objectu crepidinis frangitur*. Homerus ὅρμον appellavit Odyss. N. his versibus.

—— ἔνθεν δ' ἄνευ δεσμοῖο μένουσι,
Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.

B Eustatius: φανερὰ διαφορὰ λιμένος καὶ ὅρμου, ἐπὶ οὐχ ἁπλῶς ἐν τῷ λιμένι μένουσιν αἱ νῆες ἄνευ δεσμοῦ, ἀλλ' ὅτε ὅρμον ἵκονται. ἔστιν δέ φασιν ὅρμος τὸ τέλος τῆς ἐν θαλάσσῃ καταγωγῆς. Et Iliad. A. ὅρμος κυρίως ἐστὶ τὸ τοῦ λιμένος πρὸς τῇ γῇ πέρας. Habet deinde crebras etiam domunculas, in ora crepidinis extructas, in quibus vel conficiuntur naves, vel in siccum subducuntur. Diodorus Sic. libr. 14. ᾠκοδόμει δὲ καὶ νεωσοίκους πολυτελεῖς κύκλῳ τοῦ νεωστὶ κτιζομένου λιμένος, ἑκατὸν ἑξήκοντα, τοὺς πλείστους δύο ναῦς δεχομένους. *ædificavit autem multas* νεωσοίκους (*seu domos navium*) *in ambitu novi portus, centum sexaginta, quarum quæque duas capiebat naves*. Observa νεωσοίκους Diodorum nominare has ædiculas;

C quemadmodum & Suidam, qui νεώσοικοι ait οἰκήματα παρὰ τῇ θαλάσσῃ ... εἰς ὑποδοχὴν ... ὅτε μὴ θαλαττεύοιεν. Homero sunt ἐπίςια. Od, Σ.

—— πᾶσιν γὰρ ἐπίςιόν ἐστιν ἑκάστῳ.

Scholiastes ibi: ἐπίςιον, ἐποίκιον, σκηνὴ, νεώριον σκάφος. Locus memorabilis, ex quo Suidam explicare licet, cum νεώρια ναύσταθμος τῶν νεῶν appellat. Νεώριον nimirum ipsi non est ναυσταθμὸς, ut perperam interpretes putarunt, sed tantum pars ipsius. Iccirco non νεώριον, sed νεώρια dixit esset ναύσταθμον τῶν νεῶν, non unam tantum ædiculam, verum omnes.

D Et ita Polyænus est accipiendus, quando ait libr. V. de Heraclide; τὰ νεώρια Ροδίων κατέπρισεν. τρισκαίδεκα νεώσοικοι διεφθάρησαν, καὶ ὅσαι τριήρεις ἐν αὐτοῖς. perperam interpres; *tredecim navalia perierunt*, ut mox dicam. Schol. Demosth. in orat. de corona τὰ νεώρια, τόποι, εἰς οὓς αἱ νῆες ἀνέλκονται. Νεώριον igitur, est parva quædam domus, in qua navis una alterave stationem suam habebat, cum pertinentibus ad eam armamentis instrumentisque. Hinc non vana videtur conjectura Ursini, legendum esse apud Polybium in Excerp. leg. CLII. pro εἰς τὸ τῶν ἑκκαιδεκήρη νεώριον; εἰς τὸ ἑκκαιδέκατον νεώριον, & significare *decimam*

E *sextam ædiculam*, incisis fortasse notis distinctam a cæteris in navalibus. Nisi quis potius existimet ἑκκαιδεκήρη, retenta reliqua scriptura, legi oportere, eamque significare domum, in qua navis Regia Philippi sexdecim ordinum Romæ servabatur, quod quidem mihi, propter litterarum convenientiam verosimilius videtur. Omnes interim istæ ædiculæ ναύσταθμον efficiebant; quare & Eustatius ναύσταθμον, Ili. Ω. ἤτοι ἀγορὰν, ἢ ἄθροισιν καὶ πανήγυριν interpretatur. Stabant autem ordine ac decore in illis ædiculis, unde & a Græcis ναύλοχοι dicebantur. Sophocles in Ajace. ναυλόχους λιπὼν ἕδρας. Scholiastes ibi τὸν ναύσταθμον, ἔνθα αἱ νῆες ἵσταντο κατὰ λόχον.

F Apud Latinos ναύσταθμος, *navalia*. Servius; *Navalia dicimus loca, ubi naves sunt*. Hinc apud Ovid. Metam. l. XV. eductas ex iis naves legimus.

Protinus eductam navalibus æquore tingi jubet &c. Et apud Livium iterum subductas. Naves, ait lib. XLV. cap. 2. *quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant subduci, & in navalibus collocari placuit*. Duplicia hujusmodi navalia Alexandrini habuere, sicut Hirtius testatur, alia *aperta* ut sic loquar, in quibus servabantur eæ naves, qua

rum usus erat veluti quotidianus, alia *occulta* uti actor nominat, in quibus stabant illæ, quas ad ultima pericula & casus necessarios custodiebant. Ut autem in navalibus subducebantur, ita quoque in iisdem confici aut refici solebant. Isidorus. *Navalia sunt loca, ubi naves fabricantur*. Hinc forte a veteribus *textrina* nominata. *Texere* enim proprium apud Latinos de structura navium, ut observavit Vir clarissimæ eruditionis Joh. Fred. Gronovius II. Obser. c. 9. Quemadmodum & ὑφαίνειν in navibus usurpavit. Nonnus lib. XXXIII. ver. 405. Servius Virg. XI. *loca in quibus naves fiunt, Græce ναυπήγια, Latine textrina dicuntur*. Ennius dixit: *Idem campus habet textrinum navibus longis*. Meminit & glossarium, verum corrupta voce exponit, titulo de navigatione, *Textrinum* Γιρδόποιον. existimo πλοιόποιον, aut istiusmodi legendum esse. Prope hæc navalia (nam νεωρίς nullum singulare apud Latinos nomen est) forum ac tabernas ferme habuerunt rerum omnium, ad navalem usum pertinentium. Vitruvius lib. V. cap. 12. ex hac causa: *Circum porticus & navalia sunt facienda, sive ex porticibus aditus ad emporia*. Dionys. Halicarnas. de portu Antiatum: πολίχνη τινὶ ἐπιθαλαττίῳ ἐπινείῳ τε καὶ ἀγορᾷ τῶν εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων ἐχρῶντο, ἐκ θαλάττης τε καὶ τῶν λῃστηρίων τὰς πολλὰς ἐπαγόμενοι ὠφελείας. *oppidulum quoddam maritimum erat navale simul & forum rerum venalium ad victum pertinentium, quæ vel latrociniis vel navigationibus subvectæ, plurimum illis emolumenti importabant*. Appianus de portu Carthaginensium: *Primus portus negotiatorum erat, & in eo tabernæ in nautarum usum multæ, varii generis*. Sic ab Occone nummus Trajani exhibetur, in quo portus Ostiensis forma octangula variis ædificiis ornatus, ut tabernis mercium & armamentariis, catena quoque ferrea præclusus, in cujus medio navis imperatoria & aliæ triremes. Meminit ipse in indice numismatum suorum. Effigiem habere non licuit. Pollux etiam partes hujusmodi emporiorum nominat. Τὰ περὶ τοὺς λιμένας μέρη, ait lib. IX. cap. 5. δεῖγμα, χῶμα, ἐμπόριον, *Partes circa portum, signum, agger, emporium. Sed emporii partes, tabernæ, lupanaria, quæ & fornices dixeris, & multitudo ibi, non nautica modo, quæ in nauticis recitata est, sed & mercatores, caupones, & quæcunque in tractatu de artibus habes*. Ostendunt verba ultima, omne genus manuariorum & artificum suas in portubus tabernas, uti quoque hodie videmus, habuisse. Quibus apud Græcos præerant, qui ναυτοδίκαι vocabantur. unde Suidas ἄρχοντας interpretatur, τοῖς περὶ τὸ ἐμπόριον ἐργαζομένοις δικάζοντας. *Magistratus qui jus dicunt operantibus in emporio*. Observandum autem, quod inter ista in portu ædificia lupanaria quoque a Polluce numerentur. Constat enim hinc, meretrices ibi habitare consuevisse, obvio nimirum quæstu, propter copiam nautarum mercatorumque. Hinc credo & de Canidia dicere Horatium:

Amata nautis multum & institoribus.

vileque scortum, quod in publico prostiterit, indicare. Lucem quoque ex hac observatione accipit quod ait Simonides ad Naucleros, nautasque lib. I. Epigr. σὺν αὐταῖς νηυσὶ τὰ λῃστεικὰ τῆς Ἀφροδίτης φεύγεται. monet eos seorsim, ut meretrices fugiant. Alias & ædes sacras, arasque in portubus habuere: ubi rem divinam præsidibus maris portuumque faciebant. Sic Homerus sacrarii cujusdam Najadum meminit in portu Ithacensium Odyss. N. In Ravennatium portu templum fuit Neptuni celeberrimum, de quo multa Rubeus lib. I. Hist. Ravennat. Apud Romanos in portu Tiberino erat ædes Portumni. Varro l. V. de LL. *Portumnalia dicta Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ institutæ*. Nempe quia Portumnus vulgo præesse portubus, & navigantes securos præstare credebatur. Arnob. lib. III. *Per maria tutissimas præstat Portunus commeantibus navigationes*. Græci Palæmonem vocarunt, inque honorem ejus ludos Isthmicos instituere. Forsitan & Priapi illic templum. Nam & hic se portubus præesse dicit in Epigrammate veteri: ταῦθ' ὁ Πελήπος ἐγὼν ἐπιτέλλομαι; ὁ λιμενίτης. In sequentibus aliis epigr δαίμων λιμένων *deus portuum* vocatur. Aræ sane illius in portu meminit Theætetus Scholiasticus in illis ipsis Epigrammatis, itemque Archius, qui & numen ejus in tempestate invocatum ait. Fuit & Venus, cognomento Limnesia, quæ præesse portubus credebatur. Ei primus Cæsar, somnio monitus, sacravit templum, si vera sunt, quæ legimus apud Servium lib. I. Æn. *Est*, ait, *& Limnesia Venus, quæ portibus præest, & victima, & Netrix, ex Cæsaris somnio sacrata*. Meminit hujus Veneris etiam Pausan. in Corinthiacis, sed ibi non Limnesia, verum *Limenia* vocatur, quod rectius existimo. planeque apud Servium *Limenesia* scribendum puto. Sane inter cognomenta Dianæ est λιμνάτις apud Artemidorum lib. II. cap. 42. pro quo Cornarius habet λιμνῆτις, unde facile fieret Limnesia. Sed & apud Artemidorum rectius legi videtur λιμενῆτις, quia alias non quadrat somnii expositio, cum non inventum videatur, quod latitat in stagno, sed quod est in portu. Porro etiam Dianam esse inter Numina nautarum, recte Tomasinus docet. Unde & in veteri inscript. apud Gruterum pag. 39. *REGINA UNDARUM* appellatur.

CAPUT V.

De ordinationibus & aciebus navalibus.

Ante ordinationem aciei onerum levatio, observatio maris, an tranquillum esset, loci idonei electio. In quo spectatum, ne æstus, neve ventus essent adversi. Postea contrahebantur vela. Plutarchus expositus. Sed majora tantum. Pirkhemerus notatus. & tum ipsa ordinatio sequebatur. Cujus, pro diversitate navium, ordo primum triplex, postea duplex, primæ scilicet classis & subsidiariæ. Intervalla certa navium. & locus ducis. Sequebatur Acies ipsa lunata, seu μηνοειδὲς στόλος. Simplex. duplex. triplex. Phalanx. Forceps. Cuneus. Ovalis. Falcata. Ad postremum militum ordinatio fiebat in superiores & inferiores. Locus sauciorum. gravis armatura militum & sagittariorum. dispositio accurata ab utroque latere. positio pedum in margine navium. remorumque sublevatio.

PRælium, ad quod ex portu navigare constitutum est, duabus partibus absolvitur: ordinatione aciei, & conflictu. Aciei ordinatio est justa utilisque dispositio navium, cujusmodi vel ad sustinendam hostium vim, vel ad infringendam postulatur. Hæc antequam fiebat, summa cura providebatur, ne annona aliisve rebus graves essent naves. Polyb. Hist. I. c. 60. *Dux classi Punicæ præficitur Hanno, qui e portu Hieronnesum delatus, ad Erycem, priusquam hostes animadverterent, appellere magnopere contendebat, ut commeatibus expositis, & navibus onere levatis, posset cum hoste confligere*. Idem paulo post, de Romanis: *onera omnia, quorum nullus ad pugnam futurus erat usus, deposuerant*. Nimirum impeditæ tali onere naves tarde ac difficulter circumagi aut flecti, ideoq; facilius rostris peti possunt ac demergi Apparet ex Luctatii exemplo apud Liv. l. XXII. c. 14. cui *nulla alia res victoriam dedit, quam quod postero die quam hostem vidit,*

clas-

classem gravem commeatibus, impeditam suo ipsam instrumento atque apparatu oppressit. Igitur & Polyxenidas suis suadet, *non cessarent, sed extemplo cum Romanis configerent, quod sciret Romanas naves oneratas commeatu venire, suas autem nihil, præter milites atque arma habere*. Liv. lib. XXXVI. cap. 43. Postea si sic accommodatæ erant naves, tum quædam alia observabantur ante prælium ac conflictum. Primo quidem, an tranquillum esset mare. Nam mari turbido nihil agebatur, credo, quod in eo neque arti, nec virtuti locus, nec instrui acies posset, quemadmodum volebant. Vegetius lib. IV. cap. 43. *Navalis pugna tranquillo committitur mari*. Hinc *Cæsar & Antonius, quum prima die & proximis tribus grandi vento fluctuans mare prælium interpellaret, quinto demum, cœlo sereno & tranquillo mari concurrere*. Plut. in Anton. Lucanus lib. III. vers. 522.

Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
Et posita Borea, pacemque tenentibus Austris
Servatum bello jacuit mare: movit ab omni
Quisque suam statione ratem ——

Livius lib. XXV. cap. 27. *Duæ classes infestæ circa promontorium Pachynum stabant, ubi primum tranquillitas maris in altum evexisset, concursuræ. Itaque cadente jam Euro, qui per aliquot sævierat, prior Bomilcar movit*. Et lib. XXVI. cap. 39. *Forte sub idem tempus venti vis omnis cecidit, & hostes in conspectu fuere, ut ad componenda armamenta expediendumque remigem ac militem ad imminens certamen satis temporis esset*. Deinde observabant locum, inque eo ante omnia, ut alto & libero uterentur mari, hostes vero pellerentur ad littus, quia *pugnandi impetum perdunt naves, quæ detruduntur in littus*. uti monet Flavius Vegetius lib. IV. cap. 46. Thucydides lib. II. *Prælium in sinu* (verba Phormionis) *non committam, nec in eum navigabo. Video enim angustias non conducere paucis navibus, quæ sub peritis gubernatoribus aguntur, & quæ sunt agiliores, adversus multas naves, in quibus homines rerum nauticarum imperiti vehuntur. Nec enim quisquam hostem invaserit, ita ut rostro navis impressionem in eum faciat, quemadmodum oportet, nisi e longinquo eum in conspectu habeat, neque si prematur, commode se subducere queat. neque per mediam classem percurrendi aut recurrendi facultas ulla datur, quæ navium agiliorum sunt opera*. Neglexit hoc monitum Calvisius, & ideo suis cladem pæne attulit. Appianus lib. V. *Sub auroram Calvisiani oram sinus lunata classe legebant, ne perrumperentur ab hostibus. Menecrates rursum venit in conspectum, moxque classem concitavit, & quia non provehebantur in altum adversarii, quum aliud non posset, impetu facto naves eorum in terram propulit. Illi puppibus admotis littori proras simul objecerant, & inde repugnabant. Hostibus autem facile erat in altum se recipere, & inde redintegrare impetum, & mutare naves alias post alias, illis luctandum erat cum scopulis præter quod naves movere non poterant. Videbantur enim contra navalem pugnam terrestri contendere, cum nec refugere possent, nec prosequi*. Idem accidit Romanis cum Adherbale pugnantibus, apud Polybium lib. I. Pugnam hic adscribo: *Explicatis tandem summo cum labore navibus præfecti singulas quasque & in ordinem juxta littus collocabant, proris adversus hostes conversis. At Consul, qui ab initio post omnem classem sequebatur, tum in altum profectus, lævum cornu obtinuit. Inter hæc Adherbal cum quinque navibus supra lævum Romanorum cornu in altum*

A *progressus, navis suæ prora in hostes conversa a pelago se firmavit. Idem ut aliæ quatuor naves, quæ suam sequebantur, facerent, per nuntios imperavit. Ita omnibus a fronte consistentibus, sublatis signis a pelago in Romanos defertur, quorum naves circa littus in ordinem dispositæ erant. Hoc enim ideo a Romanis provisum fuerat, ut exeuntes e portu Carthaginensium naves facilius opprimi possent. Verum id postea magnam Romanis proxime terram confligentibus jacturam intulit, ob caussas quas dicemus. Nam ut primum appropinquare classes inter se cœperunt, signis e prætoriis navibus ab utraque parte sublatis, invicem concurrentibus hostibus, pugna committitur.*
B *Diu acriter certatum, ita ut æquale periculum esse videretur. Erant enim in utraque parte ex omni pedestri exercitu delecti præstantissimi milites. Semper tamen Carthaginenses prævalebant, tum quod naves eorum velociores erant, tum quod peritiores ad navigandum remiges, tum vel maxime, quod pelagus tenebant, per quod longe lateque pro eorum libidine discurrere poterant. Sive enim aliqui eorum ab hostibus premebantur, confestim celeritate navium freti, in altum evadebant: ac si forte insequebantur hostes, in eos plurimæ simul conversæ eadem celeritate circumveniebant, maximasque inferebant clades, nonnullas interim naves submerge-*
C *bant. Sive aliqui ex sociis periclitabantur, confestim sine labore atque periculo præsidium ferebant, adversis puppibus in altum navigantes. At Romanis magna proximum littus impedimenta afferebat. Siquidem in arcto coacti, neque refugere cum opus erat, neque seipsos tutari, neque laborantibus succurrere poterant, & quod in bello navali præcipuum haberi solet, per medios hostes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere, impossibile Romanis erat*. Quamvis hæc observatio non sit perpetua, & talis, quæ non aliquando cesset. Docent Athenienses apud Thucydidem lib. II. qui angu-
D stias utriusque Rhii ingredi nolunt, ibique cum Peloponesiis prælium committere, quia existimabant pro illis facere, uti prælium in angustiis committatur. Etiam Themistocles cum Persis in illo ipso freto Solaminio pugnandum censuit, quia meliori conditione futuras paucas Atheniensium naves existimavit in angustiis, contra ingentem hostium multitudinem, cujus maximam partem locus ipse a prælio excluderet. uti docet Diodorus Siculus lib. XI. Cæterum in ipso loco provisum, ut pugna potius institueretur ad terram hostilem, quam propriam, quod & faciendum monet Leo in Tacticis: *Ne*, inquit, *in tua ipsius terra prælium commit-*
E *tas, in qua sperant milites, juxta proverbium, si tantum hastas defigant, servari. Sed prope hostilem terram potius, ut hostes salutem sperantes, sua in terra fugam dimicationi anteponant*. Deinde autem ne æstum fluxumve maris haberent adversum, id quod ἐναντίον κῦμα Græci appellant. Igitur Athenienses & Mindarus prælium commissuri *ad non exiguum tempus inter se ubique obnavigantes angustiis interclusis de opportunitate loci dimicant* apud prædictum auctorem lib. XII. Nimirum *hæc reciprocantis meatus ambiguitas cursum navium secunda adjuvat, retardat adversa, quæ*, ut admonet Vegetius, *magna cautione vitanda. Ne-*
F *que enim auxilio remorum reumatis* (sic æstum vocat) *impetus vincitur, cui interdum cedit & ventus*. Docet infelici casu suo Nicanor, de quo Polyænus lib. IV. Νικάνωρ τῶν αὐτοῦ ὑπ' ἀπειρίας πρὸς ἐναντίον κῦμα βιαζομένων ἀπέβαλε ναῦς ἑβδομήκοντα. *Nicanor suis per imperitiam, in fluctus adversos coactis, septuaginta naves perdidit*. De Adherbalis prælio adversis fluctibus commisso Liv. lib. XXVIII. c. 30. sic loquitur: *Æstus arbitrium moderandi naves ademerat, neque erat navali pugna*

similis : quippe ubi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. una natura freti æstusque totius certaminis potens suis alienis navibus nequicquam remigio in contrarium tendentes invehebant, ut fugientem videres retro vortice intortam victricibus illatam; & sequentem, si in contrarium tractum incidisset maris, fugientis modo sese avertentem. Cæterum qui hoc cavebant, æstumque habebant faventum, Græcis dicebantur ῥοθίῳ χρῆσθαι, quia ῥόθιον ipsis æstus. Hesychius: ῥόθιον, ῥεῦμα, κῦμα, τὸ μετὰ ψόφου γινόμενον. *Rhodion æstus* (vel ut Vegetius, qui græcam vocem retinet) *rheuma fluctus, qui fit cum impetu.* Non observavit interpres Dionis: itaque hæc ejus verba lib. L. ἀλλ' οἱ μὲν τοῦ Καίσαρος, ἅτε καὶ μικροτέρας, καὶ ταχυτέρας τὰς ναῦς ἔχοντες, ῥοθίῳ τε ἐχρῶντο, καὶ ἐνέβαλλον πεφραγμένοι πάντη, τοῦ μὴ τιτρώσκεσθαι, sic reddit: *Nam Cæsariani impetu concitatis navibus, quas & minores & celeriores Antonianis habebant, hostiles naves invadebant, undique tecti ad vitanda vulnera.* Cum potius hoc modo debuisset vertere: *At Cæsariani & minores celerioresque habebant naves, & secundo navigabant æstu, & impetum faciebant tecti undique ad vitanda vulnera.* Porro & ventorum rationem habebant, providebantque diligenter, ne essent adversi. neque enim tam tranquillum expectabant mare, donec, quod fit raro, nullus ventus flaret, verum donec vis & vehementia illius lapsa regimen navigiorum non impediret. Itaque Vegetius tum optatam dimicandi occasionem monet esse, *cum hostes vento urgentur adverso.* & Bomilcar apud Livium lib. xxv. cap. 27. *experiri prælium navale timet, non tam quod impar viribus aut numero navium esset, quippe etiam plures habebat, quam quod venti aptiores Romanæ, quam suæ classi flarent.* Postea si hæc cuncta placuissent, demum ad rem ipsam sese accingebant. Ac primo quidem contrahebant vela, inclinatisque malis componebant armamenta. *Liburnarum enim moles,* ait Vegetius lib. IV. c. 42. *non ventorum flatibus, sed remorum pulsu adversarios percutit rostris, eorumque rursum impetum evitat.* Ergo Liv. lib. XXXVI. c. 44. de Romanis: *Polyxenidas ut appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, æqua fronte ad pugnam procedebat. Quod ubi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, & simul armamenta componens opperitur insequentes naves.* & paulo post: *cæterum ut demendis armamentis tumultuari primum cœptum est, ipse, quanta maxima celeritate potest, concitat naves.* Hirtius de bello Alexandr. *Repente adversam ad se venientem navem antennis ad medium malum demissis instructam propugnatoribus animadvertit. Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci demittique antennas jubet, & milites armari.* Atque hinc Carthaginenses, ubi præclusum sibi a Romanis transitum sentiunt, *velis contractis* mutuisque adhortationibus in suis quisque navibus usi, cum ipsis confligunt. Polyb. lib. I. c. 61. Intelligitur & metus tacitus Antonii ex hac observatione, de quo Plutarchus: *cum gubernatores vela vellent relinquere, ipse imponere in naves, & portare secum coegit, in speciem addens, faciendum ne quis hostium fuga elabatur.* Item astus Annonis apud Polyænum lib. V. contra quem cum Dionysius non paucas numero misisset naves, eæque jam prope accessissent, ὁ Ἄννων τῶν αὐτοῦ νεῶν καθαιρεῖ τὰ ἱστία, *Annon suis navibus vela detrahit:* idem faciunt hostes tunc Annon suis mandat, ut celeriter explicent vela, & hoc pacto cunctantes & turbatos effugit. Simulavit nempe dux Carthaginensium, se velle acie dimicare, ideoque more solito vela contraxit. quod idem cum & hostes facerent, se quoque paraturi prælio, ipse, dum hi occupantur demendis armamentis, sublatis repente iterum velis aufugit. Dio lib. L. de navibus Cæsaris τῆς φυγῆς [illegible] οὐκ ἐπεδίωξαν. Vela autem ponebantur non omnia, sed majora saltem. Xenophon lib. VI. ὁ Ἰφικράτης ἐπεὶ ἤρξατο τοῦ περίπλου, ἅμα μὲν ἔπλει, ἅμα δὲ πάντα [illegible] ναυμαχίαν παρεσκευάζετο, εὐθὺς μὲν ἐξ ἀρχῆς τὰ μεγάλα ἱστία αὐτοῦ κατέλιπεν, ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν πλέων. vela majora non secum sumsit, tanquam ad prælium navigans. Pirckeimerus male hic & alibi, *majores malos* edidit. Minora vela retinebantur ad aliquale subsidium, & casus subitos. Ita apud Livium Romanus *ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit,* lib. XXXVI. c. penult. & Polyxenidas apud eundem, ut virtute militum haud dubie superari se vidit, *sublatis dolonibus* effuse fugere intendit. Appianus lib. V. B. C. Cæsarianis ἁλισκομένων ἢ καὶ πιμπραμένων τῶν Καίσαρος νεῶν, αἱ μὲν ἀράμεναι τὰ βραχέα τῶν ἱστίων, ἀπέπλεον εἰς τὴν Ἰταλίαν. *cum naves Cæsarianæ* (in pugna) *caperentur & incenderentur, pars earum expansis minoribus velis aufugit in Italiam.* Positis, ut dixi, velis Imperator ipse ordinabat aciem. Liv. l. XXXVII. c. 29. *Æmilius cum prætoria nave primus e portu in altum evectus, excipiens insequentes, suo quemque ordine in frontem instruxit.* Fuit autem duplex illa ordinatio, navium & hominum. Naves non secus, atque in terrestri prælio, certo constitutæ ordine, certa forma, cum non minus hic, quam in reliqua militia prodesse videretur, ingensque ad victoriam momentum habere. Forma illa fuit varia pro diversitate loci, hostium, ventorum. Ac apud Romanos quidem primis temporibus ordo fuit talis, ut quemadmodum in terra, primam, secundam, tertiam, quartam aciem haberent, quas classes appellabant. Polybius lib. I. *Igitur Romani iis, quæ ad utraque & ad transfretationem in Africam, & ad [illegible] terræ invasionem necessaria videbantur, diligentissime paratis, delectos ex pedestribus copiis præstantiores milites in navibus collocant, classem omnem quadrupliciter dividunt. Partes singulas dupl.ci appellatione vocabant; prima quidem acies & prima classis appellabatur, reliquæ eodem modo per ordinem, præter quartam & tertiam, quæ nullam appellationem dum acceperant, sed appellatæ sunt ut in pedestri exercitu triarii.* Num diu isthæc ratio duraverit ignoro, neque quisquam veterum id aperit. Certe cum ex navium diversitate potius hæc ordinatio, & melius instituatur, parum observatam putem. Et posterioribus temporibus maximas quasque naves legimus in fronte collocatas, debiliores a tergo, quotiens non simplici acie utebantur. Atque tunc quidem primus ordo *prima classis* vocabatur, secundus *Subsidiaria.* Exemplo sint Cæsariana & Alexandrina, de quibus Hirtius: *Cæsar Pharon classe circumvehitur, adversasque naves hostibus constituit, in dextro cornu Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. Post hunc ordinem reliquas naves subsidio distribuit, quæ quamque earum sequatur & cui subveniat constituit atque imperat. Non dubitanter Alexandrini classem producunt, atque instruunt, in frontem collocant viginti duas, reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt.* Observa quod de Cæsare traditur, singulis eum præcepisse navibus, quæ in subsidiis erant, cui ex priori ordine unaquæq; deberet subvenire. Videtur id enim fuisse usitatum, saltem a circumspectioribus non neglectum, cum & alias cuique navi locum suum assignarent. Accedebat aliquando tertius quoque ordo minimarum navium, ac quasi velitum, quæ contra quam in terrestri militia ultimo loco stabant, paratæ ut ad prælium, si necessitas postularet, ita maxime ad ministerium classis. Hirtius statim post adducta verba: *Magnum præterea numerum*

minorum navigiorum & scapharum producunt cum malleolis ignibusque, si quid ipsa multitudo & clamor & flamma nostris terroris afferre possent. Diodorus Siculus lib. XIII. *at Syracusani quatuor & septuaginta triremes milite referciunt, quas ingenua pubes in minoribus navigiis comitabatur, ut parentibus in certamine præsto essent.* Meminit & Dio in Augusti classe lib. L. παμπόλλυς τὺς ἑταίρυς ἐς ὑπηρετικὰ ἐμβαλὼν, ὅπως ἐν τάξει περιπλέοντες τοῖς τε ναυμαχῦσι τε δέοντα παραινέσωσι, καὶ αὐτῷ τὰ προσήκοντα διαγγέλλωσι. Attalus has naves olim reliquæ classi immiscuit, ex quo turba, Philippoque hosti ad victoriam occasio. Polyb. εἰ μὲν ἂν μὴ μεταξὺ τῶν καταφράκτων νεῶν ἔταξαν, οἱ Μακεδόνες τὺς λέμβυς ῥάδιον αὖ καὶ σύντομον ἔλαβε κρίσιν ἡ ναυμαχία. Aliter Timotheus, qui eas primo loco posuit, hostique objecit, ut remigio illius celeritate harum navium fatigato, recens ipse viribus superveniret, victoriaque citius & facilius potiretur. Polyænus lib. III. *Timotheus navali prælio cum Lacedæmoniis contendere volens, ipse milites in triremium puppibus quiete continens, veloces viginti mandavit trierarchis, ut adversus naves hostiles educerent, & crebros motus ac flexus facerent. Hostes igitur defatigati remigando, imbecilliter remos referebant. Timotheus recens cum militibus justis superveniens & navale prælium iniens, victoriam adeptus est.* Et hæc quidem ratio, cum plures ordines in una acie. Quando vero una tantum ordine, quod fuit frequentissimum, instruebatur, tunc in finibus statuebantur optimæ ac validissimæ, in medio infirmores Quemadmodum in acie Salaminia, ubi a sinistra parte erant Athenienses & Lacedæmonii, Phœnicum navibus (quæ gens excellebat rei navalis peritia) oppositi; ad dextra Megarenses, qui, ut ait Diodorus in descriptione hujus rei lib. XI. *maximum post Athenienses navigandi usum habuere*; in medio reliqua Græcorum turba fuit. Lucanus lib. III.

Cornua Romanæ classis, validæque triremes,
Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ mergunt æquore pinus
Multiplices cinxere rates. hoc robur aperto
Oppositum pelago: lunata classe recedunt
Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.

Vegetius lib. IV. c. 45. *In cornibus præcipuum robur & liburnarum collocetur & militum.* Leo Imperator. *In summis capitibus* (ἐν τῷ ἄκρῳ) *potissimum strenui & acres collocantur.* Prætor sive summus classis præfectus, si lunata erat acies, in medio ferme consistebat. Leo iterum: *In ipsius semicirculi sinu quasi caput dignitas tua consistat.* Addit caussam; *ut omnia perlustres, instruas & administres, sicubi præsidio opus est, eo præsidia mittas ad sublevandos eos idonea.* At si fronte directa, tum in cornu dextro capiebat locum cum prætoria sua nave. Itaque & Conon apud Polyænum lib. I. ad decipiendos hostes similem suæ navi quandam *in dextro aciei cornu* constituit, loco scilicet ordinario, ipse vero in sinistrum discedit, quia in se unicum intentos hostes fore a transfuga didicerat. Etiam in cæteris acierum formis principem ferme locum, contra quam in terrestri militia, capiebant. Naves porro ipsæ vel arctius inter se consistebant, vel laxius; idque rursum vel in jugis suis, vel in versibus, prout usus & hostilis aciei forma requirebat. Quæ in jugis arctius stabant, Græcis dicebantur πυκναὶ ἐκ διαστημάτων, quæ in versibus, πυκναὶ κατὰ στοίχων. Hæc enim mens Pollucis, quando scribit, στῆσαι τὰς ναῦς κατὰ στοῖχον πυκνὰς, ἢ ἐκ διαστημάτων. Nam quæ sequuntur, de pugna & conflictu agunt, & vetus Codex Palatinus non tantum στῆσαι habet, sed συστῆσαι, ut de compositione ordinis sermonem esse facile appareat. Meminit & Dio hujus rei libr. L. Καὶ προσέτι ait ἰσχυρῶς τῇ συντάξει ἐπεπυκνωντο. & Polyænus lib V. Ἀγαθόστρατος ἐπιστρέψας καὶ τὸ ναυτικὸν πυκνώσας ἐπ᾽ ἀμφοτέρων τῶν κεράτων ἐπιπλεῦσε τοῖς πολεμίοις. Quod hic ait ἐκ ἀμφοτέρων τῶν κεράτων, id Pollucem ἐκ διαστημάτων appellasse puto. In universum providebatur, ne aut nimis longe distarent a se invicem, quia hoc modo facilius hostes irrumpunt, ordinemque turbant, dissolvuntque; aut nimis arte constiparentur, quia hoc impedit moderamen navium & libertatem militum in pugna, sicut damno suo didicerunt Gothi, teste Procopio lib. III. ubi contra *Romani* dicuntur *bellum navale scite tractasse, navibus in fronte omnibus constitutis, & ab invicem longe distantibus nec ultra quam necessarium, inte se coeuntibus, sed ea moderatione, & arte, ut in unum se statim cogere possent, & rursum disjungere.* Statuebantur deinde proris sive rostris vel ad latera conversis, sicut Romani fecisse leguntur apud Polybium his verbis, ταῖς δὲ πρώραις ἔξω νεύοντα τὰ σκάφη, τὴν ἐπίστασιν ἐπ᾽ ἀλλήλοις εἶχεν h. e. *ita se navigia excipiebant alia aliis subjecta, ut proris foras spectarent*: vel in frontem & versus hostem, quod erat frequentius, navesque sic collocatæ, *in frontem directæ* dicebantur. Liv. lib XXXVII. cap. 23. *In frontem dirigere jubet.* paulo ante: *in frontem directas habebat naves*, h. e. ut ipse explicat, instructas & paratas ad concurrendum. Ideo hoc ipso capite cæteri, *quia in frontem dirigere jussi erant*, non sequebantur. hoc est, quia jam ad excipiendos impetus hostiles parati erant, sequi non poterant. Græcis hoc est ἀντιπρώρυς ἱστάναι. Polyb. lib. I. Hist. ἐπὶ μίαν ἔταττον, πάσας ἱστάντες ἀντιπρώρυς τὰς ναῦς τοῖς πολεμίοις. Et hic ordo. Sequitur nunc acies, hoc est σχῆμα τάξεως ut Polyænus vocat, forma ordinis, totiusque classis velut species & figura. Hæc vel vulgaris, vel rarior. Maxime vulgaris fuit lunata, qua naves in modum semicirculi collocabantur ita, ut in medio sinum facerent, & cornua utrinque velut brachia extenderent, serie continua, non interrupta. Græci μηνοειδῆ στόλον nominabant, ut videmus apud Appianum, plurimosque alios scriptores. Lucanus lib. IV. ver. 45.

— *lunata classe recedunt.*

Silius lib. XIV. v. 367.

Ac jam diffusus vacua bellator in unda
Cornibus ambierat patulos ad prælia fluctus,
Navali claudens humentem indagine campum:
At simili curvata sinu diversa ruebat
Classis, & arctabat lunato cœrula gyro.

Propertius lib. IV. 380.

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Herodotus in Urania: οἱ βάρβαροι μηνοειδὲς ποιήσαντες τῶν νεῶν ἐκυκλεῦντο ὡς περιλάβοιεν αὐτὺς. *Barbari lunata acie facta cum navibus circumnavigant, quasi circumventuri eos.* In cornibus stabant validissimæ, in medio debiliores: Lucanus supra dicto loco.

Cornua Romanæ classis, validæque triremes
Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ mergunt æquore pinus
Multiplices cinxere rates. hoc robur aperto
Oppositum pelago: lunata classe recedunt

Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.

Vegetius lib. IV. cap. 45. *Liburnarum instruendæ sunt acies non directæ, ut in campo, sed incurvæ ad similitudinem lunæ, ita ut productis cornibus acies media sinuetur. In cornibus autem præcipuum robur & liburnarum collocetur, & militum.* Leo Imperat. in tacticis. *Interdum lunabis classem, id est semicirculi forma instrues, aliis triremibus hinc atque illinc, quasi cornibus aut manibus collocatis, & in summa fronte potissimum strenui atque alacres constituantur.* Conducebat potissimum hæc forma ad circumveniendos hostes. Vegetius: *Si adversarii prorumpere tentaverint, ipsa ordinatione circumdati deprimentur.* Leo: *Lunata forma ad hostes circumcludendos potissimum valet.* Sed & eo utilis erat, ne perrumpere hostes possent mediam, imprimis si discedere vellent. Appianus lib. V. b. c. *Sub auroram* (Calvisiani) *oram sinus lunata classe legebant, ne perrumperentur ab hostibus.* Post hanc fuerunt eæ, quæ æquali fronte consistebant; quæ iterum vel *simplices*, vel *duplices*, vel *triplices*. Simplicem appello, cum serie continua naves collocantur fronte æquata. Qualis illa Phormionis fuisse videtur, de qua Polyænus lib. III. *Phormio cum navibus triginta solvens adversus hostium naves quinquaginta suas in quinarios ordines disposuit, & in aciem adversariorum illas* (ὀρθίοις τάγμασι) *rectis ordinibus deduxit.* Duplicem, cum omnes naves in duas veluti distinctas acies dividuntur, spatio inter utramque a lateribus relicto, quarum altera cornu dextrum dici potest, altera sinistrum. Talis Polyxenidæ apud Livium lib. XXXVI. c. 44. *Polyxenidas ut appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit. dextrum cornu præfectos navium ad terram explicare jubet, & æqua fronte ad pugnam procedebat.* Quod hic *æqua fronte* ait, Polyæno supra est ὀρθίοις τάγμασι. Talis Antiochi apud eundem lib. XXXVII. capit. 23. *Ab regio sinistro cornu, quod ab alto objectum erat, Annibal, dextro Apollonius purpuratorum unus præerat.* Talis etiam Laconum apud Diodorum lib. XIII. *Callicratides autem in altum evectus dextrum cornu regebat, sinistrum Bœotis commiserat. Cum vero non possent aciem hostium æquare, quod amplum maris spatium obtinet insula, copias divisit, & bipartita classe duobus utrinque locis pugnam cum hoste conseruit.* Triplex, eaque ipsa frequenter satis usurpata fuit, quando præter cornua etiam in medio quædam acies consistebat. Cujusmodi Atheniensium & Syracusiorum apud Diodorum Siculum lib. XIII. quæ sic describitur: *Athenienses sex & octoginta triremibus completis, dextrum cornu Eurymedonti Prætori tradunt, cui objectus erat Agatharchus Syracusiorum prætor. In altero cornu Euthydemum constituunt, cui Sicanus, dux Syracusanorum oppositus erat. Mediam vero aciem obtinet apud Athenienses Menander, a Syracusiorum autem parte Pythes Corinthius.* Similis fuit Demetrii apud eundem Historicum lib. XX. *Lævum cornu hepteres Phœnicensium septem, & quadriremes Atheniensium triginta, duce Medio classis hujus prætore tenebant. Secundum has hexeres decem, totidemque penteres ordinavit, consultum fore ratus, ut cornu, in quo ipse decertaturus erat, probe muniretur. In media vero acie minimas statuit, quibus Themiso Samius, & Marsyas rerum Macedonicarum scriptor præerant Dextrum cornu habebant Hegesippus Halicarnassensis & Pleisthias Cous, classis totius gubernator supremus.* Fuerunt etiam Corinthiorum & Atheniensium acies hoc modo instructæ, uti videas apud Thucydidem lib. I. Xenophon lib. I. de his ipsis Atticis alio in prælio: *Athenienses ei obviam iverunt ita instructi: Aristocrates cum navibus quindecim lævum tenebat cornu: cum totidem Diomedon sequebatur. Aristocrati Pericles succedebat. Diomedonti Erasinides: post quos Samii decem collocati erant navibus instructis sigillatim, quibus præerat Samius quidam nomine Hipeus. Post illas tribunorum duodecim, & eæ singulatim dispositæ. Secundum has erant navarchorum tres naves & si quæ aliæ aderant auxiliares. Dextrum cornu Protomachus cum quindecim procurabat navibus, post quem Thrasylus cum totidem locatus erat. Cui hærebat Aristogenes. Protomachum vero æquali navium numero Lysias sequebatur & Thrasylum Aristogenes.* Hoc genus aciei *phalanx* dicebatur. Unde Diodorus post allata verba: ὑπερτεινάσης δὲ τῆς Ἀθηναίων φάλαγγος διὰ τὸ πλείοσιν αὐτοὺς ἀγωνίζεσθαι τριήρεσιν, ἐξ ἐπικαμπῆς ὃ πλεονεκτεῖν ἐδόκουν, καὶ τῶν ἠλαττωμένων. Et hæ quidem usitatiores acierum formæ. Rariores erant forceps, cuneus, ovalis, incurva. De *forcipe* legimus apud Polybium lib. I. in descriptione aciei Carthaginensis: τὸ τέταρτον δ' ὁμοῦ τῆς ὅλης τάξεως ἐποίησαν ἐπικαμπίῳ νεῦον πρὸς τὴν γῆν. *Quartam eandemque sinistram totius aciei partem ad forcipis concinnarunt figuram, ita ut terram spectaret.* Qualis fuerit hæc forma, apud Suidam extat hisce verbis: ἐπικαμπὴς παράταξις. ἐπὰν τὰ μέσα τοῖς πολεμίοις προσπίπτοι, τὰ δὲ κέρατα ἐκ τῶν ὀπίσω μερῶν ὄρθια ὑφ' ἑαυτῶν ἔχῃ τεταγμένα. *Forceps acies, quando medium hostes invadunt, cornibus compositis ex posteriori parte sibique invicem recta linea productis.* Vegetius litteram vau retulisse scribit. Opposita huic figura cunei, seu rostri: qua prædictus autor Romanos usos esse ait. Verba hæc sunt: *Duas hexeres, in quibus M. Attilius & L. Manlius vehebantur, æque distantes in fronte collocant. has prima & secunda classis ab utroque cornu, navibus omnibus per ordinem singillatim dispositis, sequebantur, ita ut continue distantia, quæ inter duas classes media erat, amplior fieret. Rostrum uniuscujusque navis extra respiciebat. Per hunc modum protractis, dilatatisque per duas classes aciebus, duo trianguli latera resultabant, iis tertiam classem quasi basem pari modo addiderunt, ita ut tres acies sic dispositæ plenam trianguli figuram perficerent. Post tertiam classem singillatim ordinatæ erant naves, quibus equi vehebantur, hæ tertiæ classi subsidia præbebant. Post eas triarii sequebantur per ordinem, quartam classem habentes, ac singulæ quæque naves dispositæ adeo erant, ut ex utroque latere antecedentes superarent. Omnis Romanorum classis per hunc modum instructa: primæ partes, hoc est, duo latera trianguli, in medio vacua erant: posteriores vero, id est, quæ quasi basin sequebantur, solidiores: classis tota firma ac prope indissolubilis erat.* *Ovalis* autem acies, vel circularis fuit, cum coactis in orbem navibus pugnabatur. Depingitur clarissime a Polyæno hisce verbis: *Carthaginenses classem conspicati, onerarias quidem naves in ambitu quodam & circuitu, alteram ab altera satis magno intervallo constituerunt, & in harum medium triremes collegerunt, magnoque virorum numero in onerarias imposito, se ab impetu hostium defenderunt, perque relicta intervalla cum triremibus enavigarunt, & in Dionysii naves incursione facta, partim eas submerserunt, partim armamenta earum plane contriverunt, & ad nihilum redegerunt.* Κύκλον nominat autor ipse hoc genus ordinationis, nec formam tantum, sed & usum ejus ostendit. Prodest scilicet ad pugnandum paucis navibus contra ingentem hostium multitudinem, præcavendamque circumventionem. Eandem aciei formam descripsit etiam Thucydides lib. II. istis verbis: *Peloponnesii in orbem naves disposuere quam poterant diffusissimum, ut exitu hostes intercluderent.*

Proras navium undiquaque exserebant, puppes autem in sinum vertebant, minores simul & quinque alias celerrimas naves recipiebant in circulum, ut per eum dispositæ, quotiens hostis incurreret, ex parvis intervallis erumpere, eumque adoriri possent. Observandum interim ex eo loco, non durabilem esse hanc aciem, sed facile ob fluctuum incerta solvi, minimeque tum esse idoneam, cum & ventus est vehementior, & remiges imperiti. Meminit & lib. II. ubi rem negotiumque ipsum κύκλον τάττειν appellat. Item Herodotus in Urania his verbis: Τοῖσι δὲ Ἕλλησι ὡς ἐσήμηνε, πρῶτα μὲν ἀντίπρῳροι τοῖσι βαρβάροισι γινόμενοι ἐς τὸ μέσον τὰς πρύμνας συνήγαγον. *Græci ubi signum eis datum est, primum conversis in hostem proris puppes in medium coegerunt.* Falcata, quam Ælian. κυρτὴν, interpres ejus Theodorus Thessalonicen. *Incurvam* nominat, ea fuit, cum in portionem orbis flectebantur naves ita, ut cornua se verterent ad tergum, medium orbis emineret. Mentio ejus extat apud Polyæn. l. III. ubi de Timotheo Athenien. τάξας δὲ τὰς ναῦς ἐν μηνοειδεῖ σχήματι, τὰ μὲν ἔμβολα τῶν νεῶν, καὶ τὸ περιφερὲς τοῦ σχήματος πρὸς τοὺς ἐναντίους ἐπέστρεψεν. *Deducens naves in falcatam figuram, rostra navium in hostes direxit, cum circumferentia earum.* Et adhuc clarius in alio ejusdem exemplo, ubi simul usum cernas. *Timotheus circa Leucadem navali prælio Lacedæmonios devicit. Multis contritis scaphis, decem naves hostium supererant, aptæ navali prælio, quas metuebat. Timotheus, reversus ad navale, nauticum exercitum falcata figura instruxit, & contra hostes circumferentiam vertens, navigiis intus comprehensis abnavigationem ad terram instituit, jubens secundum puppim impellere, ut proris ex adversum collocatis, facile se ab hostilibus decem navibus defenderent. Hanc ordinis figuram hi, qui decem naves tenebant, metuentes, aggredi non audebant.* Apparet in discessu utilem hanc esse ordinationem, abeuntibusque securitatem præstare. Habes navium acies, non minus (quod notandum puto) varias, quam in militia terrestri. Effigies, si & illas desideras, Ælianus exhibere potest. Sequitur nunc militum ordinatio, quos & ipsos promiscue stetisse non existimandum, sed suum quemque habuisse locum. Ac primum quidem distributi in superiores & inferiores. Superiores stabant in catastromatis, inferiores in navibus, ad subsidium superiorum. Leo Imperat. *Milites strenuos robustosque & alacres in summa triremis parte potissimum constitue, qui consertis manibus cum hostibus dimicent. Sin quos ex militibus ignaviores esse deprehenderis, eos in inferiorem ordinem remigum depelle: & si quam plagam superiores milites acceperint, eorum loca inferioribus nautis supplebis.* Nota, imum ignaviorum ferme fuisse locum. Hinc Polyænus lib. IV. ὁ μὲν Δημήτριος ἐν κοίλῃ νηὶ κατεκέκρυπτο. *Demetrius in imo navis latuit.* Lucanus lib. III. vers. 618. de quodam valde strenuo.

Jam clypeo, telisque carens, non conditur ima
Puppe, sed expositus, fraternaque pectore nudus
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat.

Nisi quis existimet hos versus magis indicare locum, in quem saucii recipere se solebant, qui & ipse fuit in ventre, uti ex prædicto Leonis loco apparet. Quod autem apud priscos milites in catastromatis steterint, Polybius docet lib. I. ubi de Annibale: ἔχων καθωπλισμένους καὶ πρὸς μάχην ἑτοίμους τοὺς ἄνδρας ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων. *Habebat armatos & ad pugnam paratos milites in catastromatis.* Diodorus lib. XIII. τοῖς πολεμίοις, ait, οὐδεμίαν διδόντες ἀναστροφὴν, τοὺς ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων ἐκόντιζον. Deinde ii ipsi qui in catastromatis stabant, quum vel gravis armaturæ essent, vel sagittarii & funditores, certo ordine collocabantur. gravis armaturæ milites a lateribus, levioris vero in prora & puppi, vel in medio. Probat primum ratio: cum enim levis armaturæ miles minus esset tectus, circumdari, ac velut munimento tegi debuit, a gravis armaturæ milite. Dein præceptum Leonis Tactic. cap. 12. *Anteriora corporis omnia, inquit, munita habeant in ipsa dimicatione. Qui autem galeas & thoraces non habent, hi a tergo cæterorum locati, arcubus utantur, & lapides manipulares in triremibus habeant.* Denique exemplum Alexandri, de quo Curtius, quamvis alio casu: *In proris clypeatos locaverat, jussos in genua subsidere, quo tutiores essent adversus ictus sagittarum. Post hos qui tormenta intenderent, stabant, & ab utroque latere & a fronte circumdati armatis.* Neque aliam ob causam mihi Silius lib. XIV. ver. 376. sic cecinisse videtur.

Vix meminere maris tam vasto ad prælia nisu
Incumbunt proræ, positisque in margine puppis
Extremæ plantis, nutantes spicula torquent.

Nam proræ puppisque mentio hic expressa est. Sane omnibus temporibus potissimum ex prora pugnatum. Unde & in illa optimos stetisse milites verisimile; nec fuga alia militibus, quam ex prora in puppim. Diodorus lib. XIII. λιθοβολοῦντες λιπεῖν ἠνάγκαζον τὰς πρώρας. *Saxis petentes proram deserere cogunt.* Porro etiam id observandum, quod de pede ait Silius, poni scilicet in margine consuevisse. Idque factum ad majorem vim addendam ictui: non enim ea tanta esse potest, ubi pedibus æqualiter consistimus. Cunctis in hunc modum ordinatis, remiges utrinque erigebant remos, præliique ipsius expectabant signum. Plutarchus in Antonio: *Antonius adventantibus prima luce hostibus, timens ne inanes propugnatoribus naves caperent, ad speciem instruxit in catastromatis remiges armatos* (τοὺς καὶ ταρσοὺς τῶν νεῶν ἐγείρας καὶ πτερώσας ἑκατέρωθεν) *remos erigi & suspendi ex utroque navium latere jussit, atque in faucibus portus obversans in hostem continuit* (ὡς ἐνήρεις) *quasi remigio instructas.* Nota naves sic instructas ad conflictum, ἐνήρεις appellari. Quod & Bayfius observavit. Plutarchus in Bruto. Μὴ ναῦν ἐνήρη, μὴ στρατιώτην ἕνα, μὴ πόλιν ἔχοντες. A Polybio alioquin ἐπτεροκέναι πρὸς τὴν ἐμβολὴν vocari solent. Sic enim Polybius lib. I. αἱ δὲ νῆες τοῦ στόματος ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν ἐπεῖχον, ἐπτεροκυῖαι πρὸς τὴν ἐμβολήν. *Naves igitur ex utraque parte faucis stabant erectis remis.* Virg. eandem rem expressit v. Æn. v. 134. his verbis:

—— intentaque brachia remis
Intenti exspectant signum.

CAP. VI.

De navali conflictu.

Ante conflictum sacrificia, nuncupataque vota a prætore per Celeusten. Sequebatur adhortatio, & signum ad pugnam, sublato clypeo aut vexillo addebatur cantus buccinæ, πολεμικὸν & παιὰν Pugnam incipiebat Prætor. Polyb. expositus. Erat autem pugna navium similis equestri, inque ea primum remigum ostentatio, post διέκπλους καὶ περίπλους. sequebatur τὸ ἀνακόπτειν κώπας καὶ ἀνάπλους ποιεῖν τὰς ναῦς. addebantur ἐμβολαὶ, de

quibus Xenophon expositus & Birckbemerus notatus. Militum pugna telis fiebat, mox & gladiis, post consertas naves, manibus ferreis, item catenis remisque faciebant & saltum in naves adversariorum: ad postremum addebant ignes, & quicquid ad delendam vim bostilem industria bumana invenire potest.

Aciem habemus, pugna superest ac conflictus: quem ut majore animo capesserent, & meliore ordine inirent, quædam præmittebant. Quænam ista? inquis. Sacrificia cum votis, adhortatio, signum, clamor, & concentus tubarum. Dicam de singulis, si prius indicavero curam veterum circa omina tali tempore. Solebant enim diligentissime tunc observare, quæ læta, quæve tristia apparerent. De Parmenione Alexandrum ad prælium navale instigante Arrianus lib. I. *Sperabat cum aliis de causis Græcos superiores fore, tum vel eo præcipue, quod aquila a puppi classis Alexandri in littore subsistens visa esset.* Augusto *pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore piscis e mari exsiluit, & ad pedes jacuit. Apud Actium descendenti in aciem, asellus cum asinario occurrit: Eutychus bomini, bestiæ nicon erat nomen*: quod utrumque in certum victoriæ omen ab eo tractum est, ut Suetonius in ipsius vita ostendit. Contra *sternutatio* exaudita in exercitu Timothei, & *fulmen* hoc tempore excussum in classe Chabriæ, pro infaustis signis habita, ut ex Frontino discimus: qui simul ostendit, quanta circumspectione in melius hæc talia periti duces interpretari consueverint. Vota autem sacrificiaque facta ante aciem, observamus in Themistocle apud Plutarchum, qui sic de eo: *At Themistocli super navem prætoriam sacrificanti tres captivi oblati sunt forma vetustissima, vesteque & auro eximie exculti. Dicebantur Sandauces, regis soris & Autareti filii esse, quos contuitus vates Eurantides, ut simul & magnam bostiæ & lucidam flammam ediderant, ac bonum omen sternutamento a dextra parte est datum, dextram Themistoclis amplexus, adolescentes illos omnes jussit ut victimam & bostiam Omesti Bacchovotis nuncupatis immolarent, ita pariter Græcis salutem promitti & palmam.* Sacrificia, ut vides, facta a prætore. Item vota, nisi quod in votis nuncupandis præiret celeustes, claraque voce voveret aram, templumve Deo, si vincerent, cætera deinde multitudo eum sequeretur. Diod. Sicul. lib. XX. *Acie in bunc modum instructa, utrique de more per celeustes vota diis faciebant, itaut præeuntium ipsorum vocem reliqua multitudo sequeretur*: καθάπερ ἦν ἔθος, inquit, ne illo solum tempore sic factum putes. Vota precesque excipiebat summi ducis adhortatio, quam faciebat conscenso myoparone, vel alio leviore navigio, quo circumnavigabat classem, singulosque inspiciebat duces. Plutar. de Antonio: *Antonius circum circa vectus actuaria, duces adbortabatur.* Diodorus lib. XIII. *Nicias Atheniensium Imperator, videns classem in procinctu jam stantem, & periculi magnitudinem considerans, navem conscendit, & triremes Atheniensium circumvebitur, unumquemque trierarchorum nominatim compellans, manibusque protensis obsecrans, ut quisque omnes alios præcellere studeret, eamque spem, quæ sola adbuc superfit, summis viribus tueatur.* Post adhortationem signa pugnæ proponebantur. Appianus lib. V. B. C. *cum adbortationes, ut æquum est, peregissent, signa per naves sustulerunt.* Thucydid. lib. I. *Postquam signa utrinque extulere, concurrerunt.* Proponebantur autem a Prætoribus ipsis in navibus prætoriis. Polyænus lib. II. de Clearcho. *Suasit gubernatoribus, ut in anchoris starent, donec ipse signum pugnæ proposuisset.* Polyb. Hist. I. *ubi ventum est cominus, sublato signo ab utriusque exercitus prætoria nave, initur certamen.* Fueruntque ea punicea, quod alias jam monui, vexilla. Diodor. lib. XIII. *Hac occasione observata cum jam proximius ad Mitylenem processissent, puniceum e navi prætoria signum extulit* (τοῦτο γὰρ ἦν τὸ σύσσημον τοῖς τριηράρχαις) *hoc enim signum trierarchis.* Polyænus de eodem Conone lib. I. *Cum autem Laconicæ naves inter sequendum a se invicem distraberentur, sustulit puniceum vexillum, quod signum pugnæ fuit gubernatoribus.* Leo: *Prælii tempore signum babent conflictus quod extollunt, Puniceum vocatur.* Res tota, uti Pollux autor est, ἄρθωσαι τὰ σημεῖα dicebatur, & fiebat vexillo in loco editiore proposito, quod si rursum demebatur, pugna desinebat. Σύμβολά τινα εἶχον παρὰ τὸν καιρὸν τῆς μάχης δεικνύμενα, ὧν ὅτε μὲν ἀνετείνετο τὰ σύμβολα, ἤρχοντο τῆς μάχης, ὅτε δὲ κατεσπῶντο, ἐπαύοντο, ait Scholiastes Thucydidis, hoc est, *signa quædam babebant, quibus pugnæ tempus indicabatur, quæ cum extulissent, exordiebantur pugnam, cum vero demisissent, finiebant.* Hinc igitur Leo: *Signum aliquod in tua* (Prætoria) *triremi, sive flammulum, sive aliud quidpiam celso aliquo in loco sit, ut tuis significare possis, quid facto opus sit, ac cæteri hoc a te propositum negotium suscipiant, sive confligendum in bello sit, sive a bello discedendum* &c. In ipsa pugna modo inclinabatur ad dextram, modo ad lævam, modo agitabatur, nunc levabatur sursum, paulo post deprimebatur deorsum, prout vel concurrendum cum hoste, vel cedendum retro, vel aliud quid faciendum fuit. Leo, post nonnulla loci antea allati: *Signum monstrabitur, si directum stet, vel ad dextram aut lævam inclinetur, aut perpetuo agitetur, aut elevetur, aut deprimatur, aut commutetur, aut caput vertexque ejus, ut diversum videatur.* Non raro pro vexillo adhibebant clypeum. Unde Plutarchus (ἀσπίδα κεχρυσωμένην) clypeum aureum vocat (συγκείμενον πρὸς μάχην σύσσημον) *signum de quo convenerat ad pugnam.* Cæterum vexillo huic seu clypeo adjungebatur cantus buccinæ, a certo quodam, ac præcipuo buccinatore, edebaturque is similiter ex nave prætoria. Plutarch. in Lysandro: *Ut clypeus elatus est e navibus, & tuba e navi prætoria classicum cecinit, concurrerunt naves.* Idem etiam post pugnam fiebat. Unde Appianus sive potius interpres ejus isthæc verba: πρότερος, ὁ Σαλουϊδιηνὸς ἀνεκάλει, ὑπεχώρει δὲ καὶ ὁ Πομπήιος, sic reddit: *Salvidieni milites signo audito se receperunt priores, mox & Pompejus receptui cecinit.* Accedebant ultimo buccinatores cæterarum quoque navium, classicumque canebant. Diodorus lib. XIII. *Acie ad bunc modum instructa, imperatores quidem extulere signa, buccinatores vero classicum ad unum velut imperium cecinerunt.* Silius lib. XIV. vers. 371.

> *Nec mora, terrificis sævæ stridoribus æris*
> *Per vacuum late cantu resonante profundum*
> *Incubuere tubæ, quis excitus æquore Triton*
> *Expavit, tortæ certantia murmura conchæ.*
> *Vix meminere maris, tam vasto ad prælia nisu*
> *Incumbunt proni ——*

Polybius Hist. III. cap. 96. *Postquam Romana classis baud procul jam a Punicis aberat, tubicinibus classicum canentibus parati confligere, bostem Carthaginenses petunt.* Πολεμικὸν vocabant Græci, cui dein a cætera multitudine addebatur clamor, Græci παιάν. Silius prædicto loco vers. 366.

—— tum vocibus æquor
Perſonat, & clamat ſcopulis clamoris imago.

Lucanus lib. III. verſ. 538.

Ut tantum medii fuerat maris, utraque claſſis
Quod ſemel excuſſis poſſet tranſcurrere tonſis,
Innumeræ vaſto miſcentur in æthere voces,
Remorumque ſonus premitur clamore. ——

Diodorus Siculus in prælio Callicratis cum Traſibulo: *Simul atque navarchi per buccinatores claſſicum inſonarunt, exultans utrinque multitudo, clamorem immenſum ſuſtulit*: & paulo ante in pugna Cononis: ϰ̀ τὸ μὲν πλῆθος ἐπαιάνισεν, οἱ δ' σαλπιγκταὶ τὸ πολεμικὸν ἐσήμαιναν. Habuit hic clamor aliquem concentum in honorem Martis: Suidas Δύο παιᾶνας ᾖδον οἱ παλαιοί. πρὸ μὲν τοῦ πολέμου τῷ Ἄρει, μετὰ δὲ τὸν πόλεμον τῷ Ἀπόλλωνι. Concentum eum expreſſiſſe Silius videtur lib. XIV. iſto verſu, qui eſt 518.

Quoque ferebatur ductor Sidonius Io
Conclamant.

niſi potius ad victoriam, quam jamjam in manibus habebant, factum arbitramur. Et hæc ante pugnam. Sequitur nunc ipſa, quam plerumque Prætor, contra quam in terreſtri militia, cum prætoria incipiebat. Diodor. Sic. lib. XI. de pugna Salaminia. *Imperator aciem præcedens primus cum hoſte conflixit.* Hinc intelligitur Polybius lib. XVI. quando ait: *Ubi primum ab Attali nave prælium eſt commiſſum, omnes repente qui propius aberant, non expectato pugnæ ſigno inter ſe concurrerunt.* Non expectato ſigno, inquit, quoniam ſufficere putabant, quod Prætoria jam concurriſſet. Obſervandum autem duplicem quodammodo hic fuiſſe pugnam; navium ac nautarum inter ſe, deinde militum. Navium pugnam hic intelligo, quando naves inter ſe concurrunt, uniuſque gubernator, alterius inſtrumenta corrumpere, ipſam etiam deprimere conatur. Hæc ferme inſtituta ab iis, qui agiliores melioreſque haberent naves, quam milites. Itaque Rhodii apud Polyb. l. XVI. *cum viderent virtutem Macedonum in cataſtromatis, ipſi pugnare noluerunt, ſed navibus ſuis in ipſarum crebros fecerunt impetus.* Eratque hoc vere ex natura prælii navalis, quod in eo conveniebat cum prælio equeſtri, cui iccirco aſſimilare Scriptores ſolent. Florus lib. II. cap. 2. *Romana claſſis prompta, levis, expedita, & quodam genere caſtrenſis, ad ſimilitudinem pugnæ equeſtris, ſic remis, quaſi habenis agebatur, & in hos vel illos mobilia roſtra ſpeciem viventium præferebant.* Dio Caſſius lib. L. *Erant Cæſariani equitibus ſimiles, modo irruentibus, modo ſe recipientibus, eo quod appellere ſubinde, ac retro abducere ipſi naves ſuas poterant.* Stataria pugna minime hic laudabatur. Thucyd. in primo, ubi de pugna Corcyræorum & Corinthiorum, ex interpretatione Enenkelii. *Pugna atrox erat, nihil arte gerebatur, ſed pedeſtri magis ſimiles pugnæ, cum inter ſe concurriſſent, ægre dirimi præ turba & multitudine navium ſe patiebantur. Itaque commiſſo certamine & ſpe victoriæ armatis, qui ſuper tabulatis ſtantes conſerebant ex propinquo pugnam, cum naves in arcto ſtipatæ quieſcerent, animorum magis viriumque robore, quam ſcientia res gerebatur.* Artem vocat, illam navigiorum per flexus crebros circumactionem. Lucanus ſimiliter *artem pelagi* appellavit lib. III. ubi ait.

—— pateriſne acies errare profundo?

A *Artibus & certas pelagi?*

Conſiſtebat primum in remigii concertatione quadam, irruptione, circumventione, abſterſione remorum, & ad poſtremum incurſatione ſingularum. Ante omnia remigio certare inter ſe ſolebant, naves flectere in gyrum, earum oſtendere agilitatem, eludere hoſtes, atque ſic ad pugnam quaſi provocare. Appianus lib. v. B. C. de prælio Cæſaris cum Pompejo. *Ubi vero ſtatuta dies venit, primum remigum fuit oſtentatio.* Polybius de Rhodia Hannibalis lib. I. ἀλλὰ ϰ̀ βραχὺ περιπροπλεύσας ἐπέστη, πτερώσας τὴν ναῦν ὡσανεὶ B προκαλούμενος τοὺς πολεμίους. provocavit, inquit, hoſtes ad pugnam, agitando navim, eamque modo impellendo in rectum, modo circumagendo, & deinde iterum ſiſtendo, velut equites conſueverunt: hoc enim vult τὸ περιπροπλεῦσαι, quod Polyæno eſt ἐκκλίνειν, ϰ̀ φυγομαχεῖν, ϰ̀ πυκνὰς ποιεῖν κινήσεις ϰ̀ τροπάς. Uſus poſt provocationem hujus rei præcipuus, ut ſe mutuo laſſarent, atque ita ſegniores inutilioreſque facerent ad incurſus. Hoc enim fine etiam Timotheus inſtituit apud Polyænum lib. III. ϰ̀ προσέταξε τοῖς τριηράρχαις ἀντιπαρεξάγειν ταῖς πολεμίαις ναυσί, ϰ̀ C πυκνὰς ποιεῖσθαι κινήσεις ϰ̀ τροπάς. Sequitur enim: οἱ μὲν δὴ πολέμιοι πονέσαντες εἰρεσίᾳ ἀσθενῶς τὰς κώπας ἀνέφερον. Τιμόθεος δὲ ἀκμαῖος πληρώμασιν ἐπαναχθεὶς, ναυμαχῶν ἐνίκησεν. Hoc eſt: *præcepit trierarchis ut educerent naves adverſus hoſtes, ac crebros motus ac flexus efficerent: hoſtes igitur defatigati remigando imbecilliter remos referebant. Timotheus recens cum implementis ſuperveniens, & navale prælium iniens, victoriam adeptus eſt.* Quandoque abſque iſtiuſmodi diſcurſibus ſtatim inter ſe concurrebant, maxime ſi tardiores haberent naves, ſtudebantque vel perrumpere hoſtilem aciem, vel eam circumvenire. Fuit- D que hoc alterum nautarum opus, Græcis διεκπλεῖν ϰ̀ περιπλεῖν vocatum. Cæſar apud Dionem lib. L. de craſſis navibus Antonii: τί δ' ἂν ὄφελος τοῖς ἀπ' αὐτῶν μαχομένοις γένοιτο, μήτε διεκπλεῖν, μήτε περιπλεῖν, ἅπερ που ναυμαχίας ἔργα ἐστὶ, δυναμένοις. *Quid proderunt his, qui ex eis pugnant, qui neque enavigare, neque circumnavigare poterunt, quæ pugnæ navalis ſunt opera.* Pollux lib. I. cap. 10. τὰ δ' ἔργα (τῶν ναυμαχούντων) τὸ πλεῖν, ϰ̀ ἐκπλεῖν, περιπλεῖν, διεκπλεῖν. Hinc ſupra Thucydides de pugna Corcyræorum & Corinthiorum, quæ ob imperitiam nautarum & navium ineptitudinem parum artificioſa navalive pugnæ E ſimilis fuit: διέκπλοι δ' οὐκ ἦσαν, ἀλλὰ θυμῷ ϰ̀ ῥώμῃ τὸ πλέον ἐναυμάχουν, ἢ ἐπιστήμῃ. *Nullæ navium perruptiones erant, ſed animis & robore magis, quam ſcientia* pugnabatur. Appianus B. C. lib. 4. οἱ μὲν ῥόδιοι περιπλεῖν ἔτι ϰ̀ διεκπλεῖν οὐκ ἐδύναντο. Cæterum διέκπλους fuit, quando naves impetum facerent in hoſtiles, retrocederent deinde, & ictus iterum repeterent. Thucydidis Interpres lib. I. διέκπλους ἐστὶ τὸ ἐμβαλεῖν ϰ̀ πάλιν ὑποστρέψαι ϰ̀ αὖθις ἐμβαλεῖν. Περίπλους autem, quando naves vagabantur curſu libero, hoſtileſque ambibant. Idem Scholiaſtes lib. VII. τὸ μὲν περιπλεῖν ἐν εὐρυχωρίᾳ καθίσταται, οἷον χορευούσης ϰ̀ ἀναστρεφο- F μένης ἐφ' ὅπερ βούλεται τῆς νεώς. ϰ̀ ἡ περὶ πρόθεσις αὐτὸ τοῦτο δηλοῖ, τὸ κύκλῳ περιθέειν. τὸ δὲ διεκπλεῖν, τὸ τεμόντων τὴν τάξιν τῶν ἐναντίων εἰς τοὔπισω γενέσθαι. Inter hos concurſus, eruptiones, circumventioneſque aliæ aliarum in tranſcurſu confringere remos, atque ita inutiles reddere ſtuduerunt ad pugnandum: quæ res *detergere* Latinis dicta eſt. Silius lib. XIV.

Aſt aliæ laceræ, atque incuſſi roboris ictu
Detergere remos ——

A Livius lib. XXXVI. cap. 44. *Duæ regiæ unam circumstant, & primum ab utroque latere remos detergunt:* & lib. XXXVII. cap. 24. ubi totus eleganter sic describitur conflictus. *Momento temporis & navium virtus, & usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis demsit. Nam & in altum celeriter evectæ naves, locum post se quæque venienti ad terram dedere, & si qua concurreret rostro cum hostium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu prætervecta, in puppim impetum dabat.* Græcis dicebatur ἀνακόπτειν κώπας, vel παρασύρειν τὰς ταρσὰς; ut apud Appianum lib. v. B. C. & Diodorum lib. XX. vel ἀχρήστους & ἀνάπλους ποιεῖν, ut apud præ-
B dictum lib. XIII. & Pollucem lib. I. cap. 10. Polyænus lib. III. τὰ μὲν κατέδυσε, τὰς δὲ ἄπλους ἐποίησεν. Dio lib. L. οἱ μὲν τὰς κώπας συνέθραυον, τὰ δὲ πηδάλια ἀπήραττον. Quartum opus fuit in cursu in hostiles singulas, quæ & ipsa triplex; in proram, puppim, latera. Patet ex postremis Livii, quæ antea retulimus. Ibi enim concurrentes aut proram lacerant, aut in puppim impetum faciunt, aut in latera incurrunt. Omnes ii incursus fiebant μετὰ θυμοῦ καὶ ῥοθίου, sicut Polyænus loquitur lib. IV. Damnosissimus autem fuit, qui fiebat in latera: hæc enim pars navigii infirmior, vulneribusque magis obnoxia, ut navis etiam uno
C tali ictu possit submergi. Diod. l. XLV. *Hostiles naves, remigio concitatæ rostra obliquis incutiebant, adeo ut uno tantum ictu opportuno vulneratæ deprimerentur.* Igitur & ante omnia latera petebantur: Curt. lib. IV. cap. 4. *Prima e Macedonum navibus quinqueremis velocitate inter cæteras eminens occurrit, quam ut conspexere Tyrii, duæ ex diverso in latera ejus invectæ sunt.* Præcipue circa prima sedilia Thranitarum: Polyænus lib. v. τῷ τὴν ἐμβολὴν εἶναι κατὰ τὰς πρώτας θρανίτιδας: *quoniam impetus ferme fit circa primos thranitas.* Male ibi interpres ac sine sensu, *primis remis sessi-*
D *libus* fieri consuevit. Polybius in XVI. *Impacta navis circa medium alveum,* ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, *sub ordine thranitarum.* Sciebant gubernatores, itaque & diligenter præcavebant, sic directis navibus, ut rostro ictus potius exciperent. Diodor. lib. XIII. *Quando Peloponnesii concitato navium impetu ad feriendum incursabant, illi singulari naves arte ita constitutas habebant, ut nulla eas parte alia contingere possent, sed in prætensa duntaxat rostra impingere cogerentur.* Et paulo post: *Quotiens triremes ad feriendum irruebant, totiens magistri navium eodem temporis momento industrie naves ita obvertebant, ut rostris ictus ex-*
E *ciperent.* Hirtius de bello Alexand. *progressas ultra vadum quatuor Rhodias naves circumsistunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt. Sustinent illi, atque tantum doctrina potuit, ut in dispari numero nulla transversa hosti objiceretur, nullius remi detergerentur, sed semper venientibus adversæ occurrerent.* Qui contra faciebant, *obliquos ad ictus se præbere* dicebantur, & *hostilem impetum juvare.* Livius lib. XXXVII. c. 30. *Metu ignis adversæ regiæ naves ne prora concurrerent quum declinassent, nec ipsæ ferire rostro poterant, & obliquas se ipsæ ad ictus præbebant.* Lucanus
F de gubernatore Bruti lib. III.

Paruit, obliquas & præbuit hostibus alnos.

Græcis est πλαγίους παραβάλλειν, uti discimus ex Polybio lib. II. οἱ δ᾽ Ἰλλυριοὶ ζεύξαντες τοὺς παρ᾽ αὐτοῖς λέμβους ἀνὰ τέτταρας συνεπλέκοντο τοῖς πολεμίοις. καὶ τῶν μὲν ἰδίων ὠλιγώρουν, καὶ παραβάλλοντες πλαγίους, συνήργουν ταῖς ἐμβολαῖς τῶν ὑπεναντίων. ὅτε δὲ προσεγγίσαντα καὶ δεθέντα, κατὰ τὰς ἐμβολὰς ἐδυσχρήστουν τὰ τῶν ἀντιπάλων σκάφη. *Illyrii vero quaternis lembis simul colligatis, sic cum hostibus confligebant, ut de suis lembis securi, obliquos illos objiciendo hostilem impetum adjuvarent: sed postquam adpropinquaverant adversæ naves, atque impressione facta sese illis illigaverant, tum ipsæ impeditæ hærebant.* Fuit callidum hoc Illyriorum commentum: nam cum naves ob agilitatem capere nequirent, latera ipsis obvertebant, atque cum jactura duarum navium extremarum, hostiles rostris obhærentes capiebant. Simile inventum Bruti, quando Lucanus lib. III. gubernatorem ita fingit alloqui:

—— pateris ne acies errare profundo?
Artibus & certas pelagi? jam consere bellum
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas & præbuit hostibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti
Ictu victa suo, percussa & capta cohæsit.

Observa commenti hujus usum in postremis versibus. Tunc enim utile, cum naves crassæ ictus adversariorum non coguntur expavescere. Alias, uti dixi, fuit damnosissimum: Et patet amplius ex exemplo classiariorum in pugna Mindari cum Atheniensibus, de quibus Diodorus lib. XIII. post ea, quæ superiore loco retuli: οἱ μὲν οὖν ἐπιβάται θεωροῦντες τὰς ἑαυτῶν ναῦς πλαγίας συνεπιφερομένας ταῖς τῶν πολεμίων τριήρεσιν, περιδεεῖς ἐγίνοντο. *Epibatæ cum naves suas hosti latus præbere cernerent, de sua quisque salute anxius trepidabant.* Quod ait πλαγίας συνεπιφερομένας, ex eo manifestum, τὰς ἐμβολὰς, de quibus ante loquebatur, non de quovis impetu, verum eo, qui in latera fiebat, capiendas esse. Et sic usitatum Græcis, semel admonemus. Plutarchus in Antonio: Ἀρχομένου δὲ τοῦ ἀγῶνος ἐν χερσὶν εἶναι, ἐμβολαὶ μὲν οὐκ ἦσαν, οὐδὲ ἀναρρήξεις νεῶν. τῶν μὲν Ἀντωνίου, διὰ βάρος ῥύμην οὐκ ἐχουσῶν, ἣ μάλιστα ποιεῖ τὰς τῶν ἐμβολῶν πληγὰς ἐνεργοὺς. τῶν δὲ Καίσαρος οὐ μόνον ἀντιπρῴρων συμφέρεσθαι πρὸς χαλκώματα στερεὰ καὶ τραχέα φυλασσομένων, ἀλλὰ μηδὲ κατὰ πλευρὰν ἐμβολὰς διδόναι θαρρούντων, διὰ τὰ τετράγωνα ξύλα σιδήρῳ συνηρμοσμένα. Nulli, ait, fiebant incursus vel in latera, vel in proram, quia naves Antonii propter gravitatem concitari non poterant, Cæsaris vero non audebant, propter rostra navium hostilium firma, & latera quadratis tabulis ferroque munita. Apparet autem ἐμβολὰς ab ἀναρρήξεσι distingui. Nimirum hæc in frontem, ista vero in latera fiebant. Pollux cap. x. ἐμβαλεῖν, ἀναρρῆξαι τὴν παρεξειρεσίαν, ἀναρρῆξαι τὴν πρῷραν, ἀναρρῆξαι τὴν ναῦν τὴν ἐμβολήν. *In parexesiam, proram, rostra,* hoc est, sicut nos dicebamus, in frontem navis impetum dare, congessitque ideo vocabula ista Grammaticus, ut ἀναρρήξεως nomen eo clarius exponeretur. Sicut ergo ἐμβολαὶ in latera, ita ἀναρρήξεις fiebant in proram, quod Livius *prora concurrere.* Hirtius *concurrere adversis* vocavere. *Naves,* ait Hirtius, *adversæ rostris tam vehementer concurrerunt, ut navis Octaviana rostro discusso, ligno contineretur.* Cæterum de ἐμβολαῖς locutus quoque Xenophon lib. IV. αὐτὸν δὲ συμμίξαντα τοῖς πολεμίοις ἐμβολὰς ἔχουσῃ τῇ τριήρει πρὸς τὴν γῆν ἐξωσθῆναι. sensus est, aufugisse illum cum triremi, quæ vulnera acceperat in latere. Birckhemerus nullo sensu reddidit, *cum triremi, quæ accessus haberet.* At vero illi concursus, qui fiebant in proram, militibus præcipue perniciosi fuere, quippe quos excutiebant in mare. Appianus: Μετὰ δὲ αἱ νῆες αὐταὶ συνερρήγνυντο ἀλλήλαις, αἱ μὲν ἐς τὰ πλάγια, αἱ δὲ κατ᾽ ἐπωτίδας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰς ἐμβολὰς ἔνθα μάλιστά

λιϛὰ εἰσιν αἱ πληγαὶ βίαιοι, τινάξαι τε τοὺς ἐπιβάτας καὶ τὴν ναῦν ἀργοτέραν ἐργάσασθαι. Post hæc naves inter se concurrebant, nunc in latera, nunc in epoditas, nunc in rostra, quod maxime vectores concutit & naves reddit segniores. Nimirum magno impetu naves ferebantur retrorsum, ut non pedem firmiter figere, non certo vestigio stare possent. Lucanus lib. III. A

Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
In puppim rediere rates ——

Quæ res si sponte sua non fiebat, remis ii, quorum melior fortuna videbatur, inhibebant navim, tum ne manus adversarii injicerent, tum etiam, ut per vulnus navi hostili a rostro illatum immearet aqua, navimque demergeret. Lucanus ante dicto loco; B

Inhibent remis puppes ac rostra reducunt.

Hinc Livius quasi contra consuetudinem factum notat, quod in pugna Romanorum & Tarentinorum, cum ab utraque parte signo dato rostris concurrissent, *neque retro navim inhiberent, nec dirimi ab se hostem paterentur*. Postrema fuit ratio, cum in puppim impetus fiebat. Si enim nec a prora, nec in latera ferire possent, libero evecti impetu circumagebant, puppimque hostilium adgrediebantur. Polyb. lib. XVI. *Καὶ τὸ μὲν πρῶτον ὑποχωροῦσι τοῖς σκάφεσι κατὰ πρύμναν ἐπιφερόμενοι τοὺς ταρσοὺς παρέλυον. Primo in retrocedentes naves a puppi invehendo remos ipsis confringebant:* & paulo post: *οὐκ ἐδύναντο χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις προτερήμασιν, ἐμπιπτόντων αὐτοῖς τῶν λέμβων ποτὲ μὲν εἰς τοὺς ταρσοὺς, ποτὲ δὲ πάλιν εἰς τὰς πρώρας. ἔτι δ' ὅτι κατὰ πρύμναν. ὥστε παραποδίζεσθαι καὶ τὴν τῶν κυβερνητῶν καὶ τὴν τῶν ἐρετῶν χρείαν. Lembi in ipsos incurrentes modo in remos impingebant, ut a remigio laborarent, modo in puppes, modo in proras, adeo ut pariter gubernatorum atque remigum ministeria præpedirentur.* Nota, quod de ministerio gubernatorum additur; isthoc enim usum finemque istiusmodi incursuum præcipue declarat. Habes hæc tria pugnæ genera apud eundem Polyb. lib. I. Nam postquam pluribus monstrasset, dirigere in frontem suas naves, & prora concurrere non ausos esse Carthaginenses propter corvos, quos in navibus Romani habebant, subjungit: *πιστεύοντες δὲ τῇ ταχυναυτεῖν, οἱ μὲν ἐκ πλαγίων, οἱ δὲ κατὰ πρύμναν ἐκπεριπλέοντες ἀσφαλῶς ἤλπιζον ποιήσασθαι τὰς ἐμβολάς. Agilitate navium suarum freti Carthaginenses, partim ad latera, quidam ad puppim circumvolitantes, tuto invadere se hostem posse sperabant.* Sed nunc militum conflictum videamus. Hi vel eminus pugnare consueverunt, vel cominus. Eminus telis ac missilibus, cominus gladio & hastis. Diodorus lib. XIII. *Nec segne interea studium fuit eorum, qui per catastromata dispositi erant. Nam longioribus intervallis remoti, continuis hostem sagittis petere, usque adeo, ut totus ibi locus spiculis horresceret. Qui propius subibant, lanceas ejaculari, nunc propugnatores, nunc gubernatores ipsos transverberare connitentes.* Lucanus lib. III. C D E F

Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt, vacuumque cadentia Pontum.

Subdit postea, cum ad Bruti navem quædam obhæsissent:

Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro
Miscenturque manus. Navali plurima bello
Ensis agit: stat suæ quisque de robore puppis
Pronus in adversos ictus. ——

Observa tum acerrimum fuisse certamen, cum res cominus gladiis gerebatur, idque factum esse navibus consertis, quod utplurimum fiebat ope manuum ferrearum. Livius l. XXVI. c. 39. *Quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu ita conserebat ex propinquo pugnam, ut non missilibus tantum, sed gladiis etiam prope collato pede prælia rentur.* Sil Ital. lib. XIV.

—— *Injecta ligant hinc vincula ferri,*
Atque illinc, steteruntque ad prælia nexæ.
Nec jaculo aut longe certatur harundine fusa
Cominus & gladio terrestria prælia miscent.

Recte, terrestria. Sic enim solent de hoc pugnæ genere. Appianus lib. V. B. C. *ἐπεὶ δὲ αὐταῖς ἑκατέρωθεν χεῖρες ἐπεβλήθησαν σιδηραὶ, τῶν μὲν νεῶν οὐδὲν ἔτι τὸ ἔργον ἦν συνεστηκυίας ἑκατέρας, οἱ δὲ ἄνδρες ὥσπερ ἐν γῇ, πόνου καὶ ἀρετῆς οὐδὲν ἀπέλιπον.* Florus lib. II. cap. 2. *Injectæ ferreæ manus, coactique hostes quasi in solido decernere.* Dixi supra ferreis hujusmodi manibus utplurimum inter se fuisse consertas naves; sæpe enim etiam catenis utebantur. Lucanus lib. III.

Ast aliæ manicæque ligant, teretesque catenæ

Silius lib. XIV.

—— *Mela catenas*
Hortatur socios, & vincula abrumpere ferri.

Imo remis quoque pectinatim junctis inter se, ac veluti consertis isthoc faciebant. Iterum Lucanus lib. III.

Seque tenent remis, tecto stetit æquore bellum.

Et paulo post:

—— *mistis obliquo pectine remis.*
Ausus est injectare manum.

Fuit porro ista pugna similis oppugnationibus urbium. Non enim ex una navi tantum impetum facere in alteram, sed & transire in eam, hostesque quantum fieri potuit, ejicere conabantur. Liv. l. XXXVI. c. 44. *Duæ regiæ unam circumsistunt, & primum ab utroque latere remos detergunt, deinde transcendunt armati, & dejectis cæsisque propugnatoribus navem capiunt.* transcendunt, inquit. An per pontem? Videtur velle Vegetius lib. IV. *Qui de virtute præsumunt*, inquit, *admotis liburnis, pontibus in adversariorum transeunt naves, ibique gladiis manu ad manum cominus dimicant.* Frontinus lib. II. c. 3. de Duilii prælio: *Superjecto ponte transgrediebatur Romanus, & in ipsorum ratibus cominus eos trucidabat.* Appianus in pugna Menodori cum Menecrate lib. V. B. C. *ἐπὶ τὰς ναῦς καταῤῥάκτας ἐῤῥίπτουν ἐς τὸ ἐπιέναι δι' αὐτῶν. pontes injiciebant, per quos transcenderent.* Nonnunquam tamen etiam sine ponte saltu se in naves hostium transmisisse legimus. Hirtius de bello Alexand. *Vatiniani admiranda virtute ex suis navibus in hostium naves transilire non dubitabant.* Lucanus lib. III.

Insiluit solo nociturus pondere puppim

Silius lib. XIV.

Hic audax ira magno per cærula saltu
Corbulo transgressus ——

Notabile hic facinus Iphicratis, qui gregarius adhuc miles, inque prætoriam hostilem saltu transgressus, captum ducem hostium in suam navim transtulit, atque ita sibi gloriam, Imperatoriamque dignitatem acquisivit, ut Ulpianus memorat in Midia Demosthenis.

CAP. VII.

De obsidione & Præsidiis navalibus.

Obsidio facta occlusione portus, navibus junctis, valloque natante, vel objecta mole. Pugna in obsidione committebatur e navibus, in quibus turres & machinæ. Adversus hæc varia obsessorum artificia, præcipue vero naves incendiariæ. Præsidia navalia Atheniensium in Hellesponto. Romanorum Dyrrachii, in Sicilia & Sardinia, Misenis ac Ravennæ, quorum n.unus fuit amplissimum. Dictæ classes Prætoriæ, βασιλικαί, lusoriæ, earumque catalogus ex Imperii Rationario.

HAbes prælia, sed in aperto liberoque mari. Nunc ad littus accedamus, & quo pacto ibi sit pugnatum, contemplemur. In obsidione puto, quæ fiebat primum occlusione portus, deinde oppugnatione ipsa. Ante omnia maritimam circumdaturi urbem, obsidione portus mœniaque ejus claudebant, navibus sic inter se dispositis, ut ne hosti exitus daretur. Liv. lib. XXVI. cap. 43. de Scipione. *Naves etiam in portu velut maritimam quoque ostentans obsidionem instruxit.* Polybius l. I. C de obsidione Lilybæi a Romanis facta. *Romani classe sua stabant ad anchoras in ostio, qua ad portum aditur.* Et paulo post: *Consul quo diligentius aditum ex omni parte custodiret, instructis per noctem navibus decem quam expeditissimis, stabat ipse in littore cum omni exercitu, spectator eorum, quæ gererentur, naves vero ab utraque parte ad paludis voraginem, quantum fieri poterat accedentes, remos quasi alatæ sustinebant ad invadendam & comprehendendam navem, quæ erat exitura.* Has naves etiam catenis colligare inter se, & pontibus superstratis sistere continuo ordine ab uno littore in oppositum consueverunt, quo difficilior fieret D transitus. Nec enim, nisi perruptis catenis poterat evadi, quod sagittarii & milites in pontibus istis constituti prohibere debebant. Diodor. Sic. lib. XIII. de Syracus. *Navium conjugatione portus ostia obstruxerunt. Acatos enim triremesque & onerarias anchoris firmatas & catenis ferreis constrictas tabulatis pontibus instraverunt.* Nota Diodorum ζεύγμα in Græco nominare hoc circumvallationis genus. Suidas quoque in vocabuli illius expositione sensum eum pene retinet. Cæterum quo firmius occluderetur exitus, Demetrius Rex vallum excogitavit, quod innataret mari, præacutisque ferramentis munitum, appulsum hostium im- E pediret, in obsidione Rhodi. Diodorus sic describit lib. XX. *Vallum natabile supra ligna quadrupedia, clavis inter se compaginata extruxit, ut accessu suo hostes ab incursatione in naves machinis oneratas probiberet.* Rudius Romani in obsidione Lilybæi, hoc ipso tamen fine, trabes ingentes anchoris firmatas imposuerunt aquæ. Idem auctor in Eclogis lib. XXIV. *Lignis grandibus & anchoris obvallarunt profundum.* Nisi quis per omnia diversam rationem hanc fuisse existumet, fixis scilicet in profundum trabibus præacutis, firmatisque anchoris. Certe σταύρωσις intelligi vix, nisi talis, F potest. Aliquando mole objecta obturabant portus, exitumque navibus hostilibus intercludebant. Ostendit exemplum Scipionis apud Appian. Bell. Pun. & Alexandri apud Curtium lib. IV. Ac tum quidem primum injecta saxa ingentia, inter hæc stipides & trunci arborum, deinde super ingestus humus, quo durabili opere hæc omnia inter se cohærerent. Nonnunquam mersis navibus, saxis & harena oppletis, portum obstruebant: verum id plerumque tum fiebat, cum spes occupandæ urbis

A exigua, pericula vero ex incursionibus hostilibus certissima. Ut apud Livium lib. XXXVII. c. 14. ubi Æmilius *se in animo habuisse* ait, *tota classe Ephesum petere, & onerarias ducere multa saburra gravatas, atque eas in faucibus portus supprimere.* Diodorus Eclog. l. XXIV. *Romani terram a mari ad mare fossa præmuniverunt, ostium vero portus cum XIV. cercuris lapidibus gravatis per aggestionem impleverunt.* Et hæc circumvallatio. Sequitur nunc pugna, quæ ut plurimum fiebat ex binis inter se consertis navibus, injectoque ponte, cui insistebant tela & balistas jaculantes in propugnatores mœnium. Curtius l. IV. in obsidione Tyri. B *Binos quadriremes Macedones inter se ita junxerant, ut proræ cohærerent, puppes intervallo, quantum capere poterant distarent. Hoc puppium intervallum antennis asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleverunt. Sic instructas remis ad urbem agebant: inde missilia in propugnatores ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur.* Imponebantur eis tabulatis turres etiam, quæ eminerent supra mœnia, machinæque aliæ, ut arietes, & catapultæ, & id genus. Liv. lib. XXIV. c. 34. *Junctæ aliæ binæ quinqueremes, demotis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur, quum exteriori ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant.* Perobscura sunt hæc verba, nescio an satis integra. Polybius, ex quo desumere sua Livius amat, longe clarius: *ἅμα δὲ ταύταις ὀκτὼ πεντήρεσι παραλελυμέναις τοὺς ταρσούς, τὰς μὲν τοὺς δεξιούς, τὰς δὲ τοὺς εὐωνύμους, καὶ συνεζευγμέναις πρὸς ἀλλήλας σύνδυο κατὰ τοὺς ἐψιλωμένους τοίχους προσῆγον πρὸς τὸ τεῖχος διὰ τῆς ἐκτὸς τοίχων εἰρεσίας τὰς λεγομένας σαμβύκας.* *Ad hæc* (sexaginta quinqueremes, in quibus funditores jaculatoresque) *octo quinqueremibus, quæ altero remorum ordine adempto, aliis dex-* D *tro aliis sinistro binæ & binæ ad latera nudata junctæ invicem erant, exteriorum laterum remigio muris, quas vocant sambucas admovit.* Dissentit Plutarchus, nec binas & binas, sed omnes octo inter se connexas fuisse scribit, unicumque sustinuisse pontem, in quo machinæ dispositæ steterunt. *ὑπὲρ δὲ*, inquit in Marcello, *μεγάλου ζεύγματος νεῶν ὀκτὼ πρὸς ἀλλήλας συνδεδεμένων μηχανὴν ἄρας ἀπέπλει πρὸς τὸ τεῖχος. Ingenti ponte in octo navibus inter se colligatis constrato, qui machinam portabat, aggreditur muros.* Cæterum de machinis & catapultis, testis etiam est Diodorus lib. XX. *Demetrius*, ait, *testudines duas fabricari cœpit, unam adversus* E *petrarias, alteram contra catapultas, ambasque duabus onerariis in frontem directis atque conjunctis superimposuit. Duas etiam quatuor tabulatorum turres oppidanis in portu altiores extruxit, quarum utraque geminis portaretur navigiis, pariter intercedentibus, interque se nexis.* Mithridates pontes addidit turribus istis, quos injicerent in mœnia hostium. Appianus de bell. Mith. Pontes istos Vitruvius *accessus* vocat, Græce ἐπιβάθρα. lib. X. c. 19. Lipsius in Polyorcet. I. dial. 6. putat *ascensus* emendandum esse: contra fidem librorum, reique (ut puto) veritatem. Nec enim per scalas istas F adscendebant, sed per turres: e quarum deinde summo vertice dejectæ in muros hostium scalæ transitum ex ipsis turribus, seu aditum in hostiles muros dabant, ut lib. IV. c. 17. Vegetius ostendit. Meminit ejusmodi ad oppugnationem turrium in navibus etiam Cæsar lib. III. B. C. verum in singulis. *Cn. Pompejus*, ait cap. 4 *alteram navem, quæ erat ad custodiam ab Antio posita, pluribus adgressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut ex superiori pugnans loco, integrosque semper fatigatis submittens, & reliquis*

partibus simul ex terra scalis, & classe mœnia oppidi tentans, ut adversariorum manus diduceret, labore & multitudine telorum nostros vicit. Habebant & sambucas in navibus, imprimis utiles ad oppugnationem, & in creberrimo apud veteres usu, ut testatur Athenæus Ms. bibliothecæ nostræ in περὶ μηχανημάτων, ubi ita ait: *αἱ δὲ ἐκ τῶν πλοίων μηχαναὶ, ἅσινας σαμβύκας προσαγορεύουσιν, οὐκ ἔχουσί τι ἄξιον γραφῆς, διὰ τὸ πᾶσιν αὐτὰς εὐγνώστους εἶναι. Navium autem machinæ, quas sambucas appellant, non opus habent descriptione, quia omnibus sunt notæ: τῶν πλοίων μηχανὰς* appellat, ex quo apparet has intelligere Vitruvium, cum vocat *marinas machinas, quæ per navium aditus habere possunt*, lib. x. cap. 19. quod & Lipsius observavit. Quanquam ego pro isto *quæ*, mallem *queis* in Vitruvio scribere, quia iis machinis, sambucis dico, ad adcensum utebantur, ut ex Polybio, lib. VIII. abunde intelligimus, ubi & de cætero sic eam describit, verbis Casauboni: *Scalam quatuor latam pedes ita concinnant, ut postquam fuerit intenta atque erecta, ejusdem cum muro altitudinis reperiatur, hujus utrumque latus velut cancellis muniunt, & loriculis præaltis contegunt. Deinde super cohærentibus copulatarum navium lateribus ipsam quoque secundum latera porrectam sic locant, ut ultra rostra longe promineat; in summis vero navium malis trochleæ, & in iis ductarii funes aptantur. Ubi igitur usus postulat, funibus ad caput scalæ alligatis, qui stant in puppi, hosce trahunt; pariterque etiam in proris alii contis connitentes, machinæ erectionem adjuvant, & sustentant. Postquam autem remigio lateris utriusque exterioris propius terram ventum, naves quæ dictas machinas vehunt, muro firmiter applicare contendunt: porro summæ scalæ tabula adhæret, tria latera pluteis munita habens: cui insistentes quatuor homines, certamen cum iis faciunt, qui e propugnaculis, quominus admoveatur sambuca, impediunt, qua semel admota, dum primi isti cratibus ab utroque latere ablatis propugnacula invadunt, reliqui per sambucam nullo periculo succedunt.* Hæc Polybii descriptio est. Vellem adjungere etiam Bitonis, e libro Ms. bibliotheæ nostræ, cui titulus κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων καὶ καταπελτιστῶν, quia eam video laudari ab Hesychio, voce σαμβύκη. Sed quum ea non sit integra, differam in aliam occasionem. Id tantum ex ipso hic noto, non omnes unius ejusdemque formæ apud veteres fuisse, sed alias aliasque, pro ingenio architectorum: unde & notanter ait, se velle describere, ἣν ἠρχιτεκτόνευσε Δάμιος ὁ κολοφώνιος, *quam exstruxit Damius Colophonius*, quod & in cæteris id genus machinis observandum est. Adversus hæc obsessi primum perrumpere confertas naves, manibusque ferreis divellere; deinde alio vallo, trabibusque acutis defixis in terra, & latentibus sub aqua introitum prohibere, uti Syracusios fecisse legimus apud Thucyd. lib. VII. Interdum contra naves alias inter se confertas statuere. Claudianus in Ruffin. lib. II. ver. 60.

Hi junctis properant portus munire carinis.

Postea & naves cum machinis militibusque propius succedentes perfundere pice, ignesque immittere iis consueverunt. Docet præter cæteros Appianus bello Mith. de Cyzicenis. *Perfusis pice navibus & immisso igne coegerunt eos retro se recipere una cum machina.* Additæ non raro, imo frequentissime naves incendiariæ, quæ variis ignium alimentis fartæ ac repletæ, classem hostilem succenderent, uti apud Curtium exemplo Tyriorum patet. Et apud Diodorum Rhodii lib. XX. *scaphis materia arida & tæda repletis igneque assumpto hostes persequuntur & machinas propius advecti, materiam succendunt.* Appianus Bell. Pun. de Carthaginensibus: *observato vento qui ad Romanos ferret, scaphas sarmentis stuppaque repleverunt post sua mœnia, ne viderentur: dein circumactas, priusquam in conspectum venirent, perfuderunt pice, sulphure, & oppansis velis vento ignem immiserunt in eas: illæ vento ac vi flammarum ad Romanas naves appulsæ pene totam classem concremaverunt.* Sed ab obsidione desisto & ad præsidia venio. Neque enim quidquam, postquam urbem, regionem, terram expugnaveris, agendum citius, quam ut præsidia ei imponas, contraque exterorum insultus, aut internos motus ac seditiones manu valida instruas. Et hoc fine Romani semper in limitibus imperii habuere classes, paratas ad omnia fortunæ subita & incerta. Primam instituerunt bello primo Punico circa Dyrrachium, ut Polybius nos docet. *Romam*, inquit, *inde C. Fulvius cum majore parte navalium terrestriumque copiarum est reversus. Posthumius cum XL. navibus longis est relictus & novo exercitu, quem a circumjacentibus oppidis conscripsit; ut ad omnes Ardyæorum & aliorum, qui fidei Romanorum se permiserant, motus, si quid ingrueret, paratum esset subsidium.* Postea cum iterum Carthaginenses bello peterent Romanos, Sicilia Sardiniaque classibus hujusmodi munitæ. Patet, ut ex capite vigesimo secundo libri tertii & vicesimi, sic ex ejusdem libri capite quadragesimo octavo Livii, ut in quo eæ classes & exercitus provinciarum præsides vocantur. Et profecto diligentius rem attendenti apparebit, per id omne belli tempus nunquam sine classe has provincias fuisse; ut proinde merito præsidiariæ appellari possint. Cæterum num & finito bello ibi permanserint, affirmari liquido non debet, cum illius certa testimonia non extent. Quanquam & cur admodum negemus, caussa nulla sit. Cum præsertim videamus, Ciceronem seorsim a cæteris illarum insularum meminisse, quæ classes alere consueverunt, velut hoc solenne usitatumque in iis fuerit. *Erat hoc* (de dandis navibus, & ornanda classe loquitur Or. Verr. v.) *ut dico factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis.* Porro ut in cæteris, sic etiam in his magna fuit Cæsaris Augusti providentia, qui ad imperii securitatem non legiones modo & provincias, sed *& classes*, uti refert Tacitus An. I. c. 10. *inter se connexuit.* Ac ex his quidem duas instituit perpetuas, ad tutelam maris superi & inferi, alteram Miseni, alteram Ravennæ, statim post victoriam Actiacam, validissimum imperii recens occupati præsidium ac firmamentum. Sueton. in ipsius vita c. 49. *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distribuit; classem Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi & inferi maris collocavit.* Idem Tacitus An. IV. cap. 5. *Italiam utroque mari duæ classes Misenum apud & Ravennam, proximumque Galliæ littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojuliense miserat, valido cum remige.* Officium ipsarum erat non modo partem quandam maris tueri, verum universas maritimas provincias, totum denique Romanum orbem, quatenus mari Oceano alluebatur. Optime Vegetius lib. IV. cap. 31. *Romanus populus pro decore & utilitate magnitudinis suæ, non propter necessitatem tumultus alicujus classem parabat extempore, sed ne quando necessitatem sustineret, semper habuit paratam*: utque omnia succederent felicius, singulari illic cultu prosequebantur Neptunum in æde ad id extructa, quæ exinde NEPTVNI RAVENNÆ diceba-

tur, uti eſt in veteri inſcriptione apud Goltzium. Apud Miſenum ergo & Ravennam ſingulæ legiones Romani nominis cum claſſibus ſtabant, ne longius a tutela urbis abſcederent, & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Miſenenſium claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Aphricam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam in proximo habebat. Claſſis autem Ravennatium Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere recta navigatione conſueverat. Vocabantur autem claſſes hæ *Prætoriæ*, vel quod primæ eſſent ſeu præcipuæ in mari, vel quod pro ſalute Principis ac Urbis excubarent, uti ait Lipſius de Mag. Imp. lib. I. cap. 4. Poſtea *Imperatorias*, *βασιλικοὺς πλωΐμους* Græce, appellarunt. Leo. *ὅθεν καὶ αὐτοὶ ὥσπερ κατὰ τὴν ὁμοίωσιν τοῦ βασιλικοῦ πλωΐμου οἱ τῶν ἄλλων θεμάτων πλώϊμοι στρατηγοὶ ἐκαλοῦντο*. Conſtantinus Novell. 3. *τοῖς δὲ τὰ βασιλικὰ πλώϊμα ἐπὶ ῥόγαις ὑπηρετουμένοις, καὶ τοῖς λοιποῖς πλωΐμοις, ἤδη νῦν ἐκράτησεν ἐκ συνηθείας β΄ λίτρας εἰς ἑκάστην στρατείαν ἀκίνητον διασώζεσθαι κτῆσιν, ὃ καὶ ἡμῖν ἀρκούντως ἔχειν δοκεῖ*. Porro ut Auguſtus duas tantum claſſes iſtiuſmodi habebat, ita Principes ſequentes plures inſtituere, diviſis illis duabus, vel ad eas aliis conſcriptis. Memoratque Caſſiodorus Trajani claſſem in mari Rubro. *His*, ait (Senecio IV. & Sura III. Cſs.) *Trajanus in mari Rubro claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtaret*. Valentini tempore etiam in Danubio leguntur inſtitutæ apud Theodoſium in Cod. lib. VII. tit. 17. & Vegetius, qui ſub Valentino vixit, *de luſoriis*, ait in calce operis, *quis in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto*. Prædicta Conſtantini Novella claſſem *τοῦ τε Αἰγαίου πελάγους, καὶ τῆς Σάμου, καὶ τῶν Κιβυῤῥαιωτῶν* h. e. *Ægæam, Samiam, & Cibyrrhaticam recenſet*. Pertinent huc omnes claſſes legionum Fretenſium, Ripenſium, & ſimilium, quarum vocabula ex monumentis ac lapidibus antiquis apud Goltzium & alios deſcripta habemus. Atque ut in univerſum de hac Romanorum cura diligentiaque conſtet, ecce Tibi claſſes omnes ex notitia Imperii deſcriptas, quam ſub Theodoſio Juniore factam arbitrantur.

IN ORIENTE.

Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Scythiæ
Præf. Ripæ Leg. primæ Joviæ cohortis, ſecundæ Herculiæ, Muſculorum Scythicorum & claſſis in Platypegiis.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Mœſiæ ſecundæ.
Præf. navium amnicarum & militum ibi deputatorum.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Mœſiæ primæ.
Præf. claſſis Hiſtriæ Viminacio.
Præf. claſſis Stradenſis & Germenſis.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Daciæ Ripenſis.
Præf. claſſis Hiſtricæ Agetæ.
Præf. claſſis Ratarienſis.

IN OCCIDENTE.

Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Provinciæ Pannoniæ ſecundæ.
Præf. claſſis primæ Flaviæ Auguſtæ Syrmii.
Præf. claſſis ſecundæ Flaviæ Graio.
Præf. claſſis Iſtricæ Murſæ.
Præf. claſſis primæ Pannoniæ ſervitii claſſis Ægetenſium ſive ſecundæ Pannoniæ nunc Siſciæ.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Belgicæ ſecundæ.
Præf. claſſis Sambricæ in loco Quartenſi ſive Hornenſi.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripenſis.
Præf. claſſis Hiſtricæ Carunto ſive Vindomannæ a Carunto translatæ.
Præf. claſſis Arlapenſis & Magienſis.
Præf. claſſis Lauriacenſis.
Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripenſis.
Præf. claſſis Hiſtricæ Florentinæ.
Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Britanniarum.
Tribunus cohortis primæ Æliæ Claſſicæ Tunnocelo.
Sub diſpoſitione Magiſtri militum præſentalium.

In Provincia Venetia inferiore.

Præf. claſſis Venetum Aquilejæ.

In Provincia Flaminia.

Præf. claſſis Ravennatium, cum curis ejus de civitate Ravennæ.

In Provincia Liguria.

Præf. claſſis Comenſis, cum curis ejuſdem de civitate Comæ.

In Provincia Campania

Præf. claſſis Miſenatium Miſeno.

In Provincia Gallia Ripenſi.

Præf. claſſis fluminis Rhodani Viennæ ſive Arelati.
Præf. claſſis Baracariorum Ebrobuni Sabaudiæ.

In Provincia Lugdunenſi prima.

Præf. claſſis Arariæ Caballoduno.

In Provincia Lugdunenſi Senonia.

Præf. claſſis Anderetianorum Pariſiis.

Habes ecce claſſes tres & viginti, quibus illa tempeſtate ſalus Reipubl. Romanæ curæ fuit. Adeo mirari nemo debet, ſtetiſſe tam diu, ad quam ſervandam tot fortium virorum manus per orbem univerſum, non modo qua calcari pedibus, ſed & navigiis & claſſibus teneri poteſt, conſpirarunt. Cæterum quæ claſſium iſtarum fuerit magnitudo, non conſtat: quemadmodum nec de militibus in iis certi quid pronunciari poteſt. Vegetius, ut vidimus, legiones ſingulas memorat in ſingulis claſſibus Prætoriis, id eſt quatuor millia fere armatorum: ſed non ideo perſuadeor, ut in cæteris tantundem credam aſſeramve fuiſſe. Nec in monumentis priſcis invenio, præter legionem primam, decimam ſeptimam, trigeſimam tertiam & nonam claſſicam; item decimam, decimam ſextam, vigeſimam quartam, quadrageſimam tertiam Fretenſem. Puto igitur ex his ipſis legionibus captos in has illaſve claſſes: quod & in navibus factum videtur. Quanquam in hoc veterum teſtimoniorum defectu nihil affirmatum velim, contra eum, qui hic certiora poterit docere.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
MILITIA NAVALI
LIBER QUARTUS.
Qui eſt de
PRÆMIIS ET MAGISTRATIBUS NAVALIBUS.

Argumentum.

Agit hic liber de ſtipendiis, præmiis, triumphis navalibus: pœnas quoque indicat. Poſtea oſtendit Magiſtratus, Prætores, Gubernatores, hortatores, & id genus alios, quorum officiis expoſitis, finis operi imponitur.

CAPUT I.
De Stipendiis.

Stipendium acceperunt milites & remiges Romanæ claſſis. hi tamen ab initio nullum. Acceperunt autem ex publico, mox ex privato, deinde iterum ex publico. Secus ii, qui ex ſociis fuere. Stipendium quam magnum fuerit. An & Græci ſuis dederint ſtipendia, & quantum? Thranitæ inter remiges ampliſſimum accepere. Præbitæ etiam veſtes ex publico vel a ſociis. Item frumentum, ad cujus uſum molæ in navibus. Farina quoque, & allia, & cæpe, & olera, caſeus, cocta cibaria, panis biſcoctus. Accedebat aqua in potum, de qua Plinius expoſitus. Nonnunquam quoque vinum. Ἐφόδια hæc dicta, item epiſitaſma. impoſitaque navibus σιτηγαῖς, annotinis, onerariis, φορτηγαῖς. quas non raro mercatores adducebant, forumque inſtituebant rerum venalium. Naves illæ etiam ϛρογγύλαι dictæ, contra ſententiam Vallæ & Vulcanii. item ὁλκάδες, ἱππαγωγαὶ, hippagines, ſecus atque Moſellanus, Bayfius, Vulcanius, Savilius, Calepinus, atque alii exiſtimarunt. Appellatæ etiam codicariæ, πάκτωνες, barcæ, quod & hodie vocabulum aliquibus in locis retinent.

Ibro præcedente miles noſter nautaque labore continuo non parum fatigati. æquum igitur, ut reficiamus, & laboris ſtrenue perlati oſtendamus fructum. Fructus duplex eſſe poteſt, ordinarius & extraordinarius. Ordinarius, miſſio & ſtipendium; extraordinarius, præmium. A ſtipendio ordiemur, quod eſt triplex: *pecuniæ, frumenti, veſtimentorum*. Non enim minus in navali, quam in terreſtri militia hæc accipiebant. Ac de militibus quidem nota res eſt: de remigibus ac nautis vero docet Livius lib. XXIII. cap 48. *Exitu æſtatis ejus litteræ a P. & Cn. Scipionibus venerunt, quantas quamque proſperas in Hiſpania res geſſiſſent, ſed pecuniam in ſtipendium, veſtimentaque, & frumentum exercitui & ſociis navalibus omnia deeſſe. Quod ad ſtipendia attinet, ſi ærarium inops eſſet, ſe aliquam rationem inituros, quomodo ab Hiſpanis ſumant, cætera utique ab Roma mittenda eſſe.* Et lib. XLV. *Sociorum navalium qui ſint, neque ſtipendium accepiſſe, neque veſtimenta habere.* Omnia, inquit, deſunt ſociis navalibus; frumentum, veſtimenta, pecunia, omnia mittenda ſunt Roma, ſi mitti poſſunt. Quare, ſi non ordinaria hæc ipſorum fuerunt ſtipendia? Acceperunt igitur, ut dixi, non minus claſſiarii ac nautæ, quam qui terra merebant. Et acceperunt Roma ex publico, ex ærario. Id enim innuit Livius, in antea adducto loco, ubi ait, ſi *ærarium* inops eſſet, Scipionem initurum rationem, quomodo ab Hiſpanis ſumat. Num ſemper & ſtatim ab initio, poſtquam claſſibus cœperunt uti? parum conſtat, & negare Servius videtur, qui ab Equitibus in hanc rem pecuniam collatam ſcribit. Verba hæc ſunt lib. VI. Æn. *Claſſem hinc dictam volunt, quod apud majores noſtros ſtipendium equites dabant in navali certamine, nam adhuc pauper erat populus.* Auctis ergo Romanorum opibus demum factum, uti ex publico daretur. Ac forte paulo poſt confectum primum bellum Punicum, & Sardiniæ parte ſubacta, quam abſque claſſe tenuiſſe, creditu eſt difficile. Certe bello Punico ſecundo jam ex ærario accepiſſe docent ea ipſa verba, quæ ex Livio adduximus. Ut & ſequentia ex ejuſdem libri cap. 21. *Ex Sicilia Otacilii Proprætoris litteræ in Senatu recitatæ ſunt; L. Furium Prætorem cum claſſe ex Africa Lilybæum veniſſe, ipſum graviter ſaucium in diſcrimine ultimo vitæ eſſe. militi & navalibus ſociis neque ſtipendium, neque frumentum ad diem dari, neque unde detur eſſe. Eademque fer-*

me de stipendio frumentoque ab Co. Mamula proprætore ex Sardinia scripta. Responsum utrisque, non esse unde mitteretur, jussique ipsi classibus atque exercitibus suis consulere. Hæc profecto neque Otacilius, neque Manula scripsissent ad Senatum, si non jam tum mos fuisset, talia ex publico præberi. Observamus tamen eo ipso tempore, quo hæ litteræ Romam perlatæ sunt, id est paulo post amissionem Casilini, propter publicam inopiam hoc desiisse, ac tum quidem Hieronem Socium & Amicum P. R. præbuisse classicis stipendium. Pergit enim Livius: *Otacilius ad unicum subsidium populi Romani Hieronem legatos cum misisset, in stipendium, quantum argenti opus fuit, & sex mensium frumentum accepit.* Quia vero Populus Romanus gravis esse amicis non sustinuit, sequenti anno aliam inivit rationem: privatosque jussit conferre pecunias & frumentum, ea lege, ut quamprimum fortuna se in melius vertisset, id eis redderetur. Docet ille ipse Livius cap. 44. additque *privata pecunia tum sic administratam esse rempublicam, ac si ex opulento ærario, ut quondam, aleretur.* Sed nec ista ratio per temporum calamitatem diuturna esse potuit. Igitur ingravescentibus quotidie bellis omne id onus impositum privatis, factumque est SCtum, *ut*, quemadmodum prædictus author narrat lib. XXIX *qui L. Æmilio C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum, cum sex mensium stipendio daret, qui supra centum millia usque ad CCC. millia, tres nautas cum stipendio annuo, qui supra CCC. millia usque ad decies æris, quinque nautas, qui supra decies, septem, Senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.* Subjicitur: *ex hoc edicto dati nautæ armati instructique a dominis cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt. Tum primum est factum, ut classis Romana sociis navalibus privata impensa paratis compleretur.* Repetit hanc rem Valerius in oratione de abroganda lege Oppia apud eundem lib. XXXIV. cap. 6. & ait: *Non socios navales, non pecuniam in ærario babebamus, servos ad remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus.* Duravit autem isthæc consuetudo, donec ejecto ex Italia Annibale, res Romanorum sese melius habere cœperunt. Quod ex eo licet conjectare, quia sæpius adductus Livius lib. XLV. cap. 2. scribit, post devictum Regem Persam factum esse SCtum. *ut socii navales, dato annuo stipendio, dimitterentur, & cum his omnes, qui in verba consulis juraverant.* Videtur enim hic de tali potius stipendio, quod ex publico, quam de eo loqui, quod ex privatis cujusque opibus dabatur. Et hæc quidem ratio in Romanis classiariis ac nautis. Quos vero a Sociis habuere, iis non ipsi, verum Socii stipendia dare cogebantur. Constituebat ergo quæque civitas *navarchum*, cui daret pecuniam, frumenta, cætera. Is deinde rationem expensorum reddebat suo magistratui. Cicero in Verrem V. *Sumtum omnem in classem cum frumento stipendio cæterisque rebus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat, is neque ut accusaretur a nautis committere audebat, & civibus suis rationem referre debebat. In illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc ut dico factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis, etiam in sociorum & Latinorum stipendio ac sumptu, tum cum illorum auxiliis uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis a civitatibus sibi adnumeraretur, ut is pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset.* Quantum utrorumque illud fuerit stipendium ignotum est. Conjectare tamen licet, minus accepisse, quam in cætera militia: cum qui ex hac ad illam transiissent, meliorem suam fecisse conditionem viderentur. Ac forte duos tantum asses capiebant, cum illi tres haberent. Auctum tamen illud post ab Imperatoribus, legimusque Anastasii temporibus remiges quinque solidos habuisse. Cassiodorus lib. V. ep. 16. *Si libertate gaudet electus* (de remige loquitur) *quinos solidos, donativum & annonam se noverit accipere competentem. eo modo & illi tractandi sunt, qui a suis dominis exuuntur, quando libertatis genus est, servire rectori. Ita tamen ut supra dicti nautæ arrarum nomine pro hominum qualitate binos aut trinos solidos a nostra debeant sede percipere, quatenus unusquisque cum fuerit admonitus, paratus debeat inveniri.* Et hæc stipendia vulgi. Plus accipiebant magistratus, uti docet caput Legis Rhodiæ trigesimum, in quo de mercede uniuscujusque agitur. Ibi enim ei, *qui clavum tenet, portio una cum semisse, tantundem proretæ & naupego, nautæ & carabitæ portio una, parascbitæ portio dimidia tribuitur.* Quid Græci fecerint hac in re, non minus obscurum est. Dedisse stipendia suis nautis constat ex Plutarcho in Themistocle, ubi de Architele: οὐκ ἔχων χρήματα τοῖς ναύταις χορηγεῖν, ἔσπευδεν ἀποπλεῦσαι. *cum pecuniam non haberet, quam daret nautis, festinarunt abire.* Et ex Xenophonte lib. IV. Histor. Græc. ubi ait: οὐδὲ τῷ Ἐτεονίκῳ πείθεσθαι ἤθελον οἱ ναῦται ἐπεὶ μισθὸν οὐκ ἐδίδου. *parere nolunt Eteonico, quia mercedem eis non solvebat.* De militibus Thucydides testatur, apud quem Atheniensium naves nudantur, ἀπολιπόντων αὐτῶν τῶν στρατιωτῶν, διὰ τὸ μὴ λαβεῖν μισθὸν, ut ait Scholiastes lib. VIII. Dederunt autem pariter ex publico, sicut Romani. Unde Thucyd. in VI. δημόσιον μισθὸν in Thranitis agnoscit. nisi quod, qui studia sua in rempublicam conspicua volebant esse, secus aliquando facerent. Et hinc Demosthenes in oratione adversus Polyclem: *Cognoscetis me stipendia remigibus & militibus singulis mensibus dedisse, a ducibus commeatu tantum accepto: excepto duorum mensium stipendio, toto anno & quinque mensibus & nautas a me conductos, & quantum pecuniæ singuli a me acceperint: unde & meum studium perspicietis.* Maxime hoc factum, quando trierarchi id, quod debebatur publice, accipere non poterant. Quemadmodum cum ex prædicto loco patet, tum paulo post his verbis declaratur: *Cum eo in loco res meæ essent, & simul dux Timomachus mibi mandasset, ut ad templum solverem perducendi frumenti gratia, nec stipendium solveret, &c. mutuatus ego a Charidemo Anaphlystio quindecim minas fœnore, & veteribus nautis qui remanserant, dedi quantum potui, & alios nautas integri stipendii accepi.* Porro ex remigibus majora minorave capiebant stipendia, prout majorem minoremve perferrent laborem. Hinc de Thalamiis, quorum non tantus fuit labor, sicut reliquorum, Scholiastes Aristophanis in Ranis: οἱ θαλάμακες ὀλίγον ἐλάμβανον μισθὸν, διὰ τὸ κολοβαῖς χρῆσθαι κώπαις παρὰ τὰς ἄλλας τάξεις τῶν ἐρετμῶν, ὅτι μᾶλλον ἐγγύς εἰσι τοῦ ὕδατος. *Thalamii*, ait, *minus accipiebant quam cæteri; quia remi ipsorum breviores erant, magisque vicini mari.* Thucydides in VI. ἐπιφορὰς πρὸς τῷ ἐκ δημοσίου μισθῷ τοῖς θρανίταις τῶν ναυτῶν ἐδωκαν. *Præter publicum stipendium, etiam extraordinarium dederunt Thranitis.* Scholiastes. οἱ θρανῖται μετὰ μακροτέρων κωπῶν ἐρέττοντες πλείονα κόπον ἔχουσι τῶν ἄλλων. διὰ τοῦτο τούτοις μόνοις ἐπιδόσεις ἐποιοῦντο τριήραρχαι οὐχὶ δὲ πᾶσι τοῖς ἐρέταις. Thranitis ait plus datum, quam cæteris, quoniam hi remis longioribus, ac proinde difficilius, navigabant. Quantum vero singuli acceperint, puto non constare. In commune quidem quemque nautam obolos tres accepisse, Plutarchus docet in Lysandro: Αἰτοῦμαί σε (verba

sunt Lysandri ad Cyrum) καὶ παρακαλῶ προσθεῖναι τῷ μισθῷ τῶν ναυτῶν, ὀβολὸν, ὅπως τετρώβολον ἀντὶ τριωβόλε λαμβάνωσι. Et Xenophon lib. I. Hist. *Post prandium interrogavit eum Cyrus, qua in re potissimum ipsi posset gratificari. Respondit ipse, si ad stipendium cuique ex nautis adderet obolum. Ex eo tempore accipiebant quatuor obolos, cum ante tantum tres acciperent.* Observa post hæc tempora quatuor accepisse obolos, non tamen Athenienses, sed cæteros Græcos, qui tum sub Lysandro merebant. Hinc iterum Plutarchus de Lysandro: *Suppleto nautis obolo brevi exinanivit classem hostium. complures enim ad eos, ubi stipendium esset uberius, transibant.* Auxit hoc ipsum paulo post in majus Tissaphernes, & integras drachmas, hoc est sex obolos viritim dedit, quo videlicet Lacedæmonios in societate cum Rege suo retineret. Thucyd. lib. VIII. *Insequente hyeme Tissaphernes, postquam Jasum præsidiis muniit, Miletum advenit, & menstruum stipendium navibus omnibus numeravit, singulas drachmas Atticas viritim.* Nota, non menstruum, sed diurnum fuisse hoc stipendium, maximumque habitum. Ac eo quidem tempore Lacedæmonii classem sumptu Regis, Athenienses vero proprio alebant. Igitur apud hos tres isti oboli mansere, cum apud illos mutarentur. Idem autor libro prædicto de Alcibiade: *Tissaphernem hortatus est, ut diceret Peloponnesiis, Athenienses qui longiore temporis spatio rei navalis curam haberent, ternos dumtaxat obolos suis nautis dare, non tam propter paupertatem, quam ne sui nautæ propter affluentiam stipendii insolentius viventes, partim quidem corpora imbecilliora redderent, impendentes in ea, unde imbecillitas contingit, partim vero classem ipsam desererent.* Quæ tamen verba nescio quo pacto debeam componere cum iis, quæ leguntur lib. VI. Ubi Athenienses drachmam pariter ut Spartanos, quotidie dedisse reperimus τὸ δημοσίε δραχμὴν τῆς ἡμέρας τῷ ναύτῃ ἑκάστῳ ἐδόσαν. *Publice drachmam nautis singulis quotidie dederunt.* Consentit enim & Demost. or. de corona, ubi ait: *Miror ego cum nautas desertores, quorum tricenas quisque drachmas dumtaxat accipit, isti & vinciant & puniant.* Sed fortasse sicut aliis in rebus, ita hic, pro diversitate temporum quid immutatum. id quod etiam ex eo constare videtur, quoniam τριάκοντα μόνας ait, quasi exiguum id ea tempestate fuerit reputatum. Sed hæc de stipendio nautarum: cui an fuerit æquale, quod militibus dabatur, num vero majus, affirmare nequeo, cum de ea re nil proditum inveniam apud veteres Scriptores. Unicum observo, apud Græcos trierarchis minas tricenas pro primo ingressu dari solitum. Demosthen. Orat. de Corona, τῶν τριηράρχων τριάκοντα μνᾶς εἰς ἐπίπλεν εἰληφεν ἕκαστος. Et hæc forte illa pecunia, e qua deinde nautis stipendia sua solvere, cæteraque necessaria ad militiam comparare sibi cogebantur. Non enim nautis stipendia sua e publico apud Græcos seorsim, sed per trierarchum data, nemini ex tota illa, quam prædiximus, oratione non constare potest. Venio ad *vestes*; nam & has ex publico accepisse supra diximus. Livius: *vestimenta, & frumentum exercitui sociisque navalibus deesse*, loco antea laudato. Quoniam autem ex publico dari mos erat, publicum vero & ærarium ea tempestate bellis continuis fuisset exhaustum, Rex Hiero Sempronio Consuli apud prædictum autorem lib XXI. capit. 50. pollicetur, *quo animo priore bello populum Romanum juvenis adjuvisset, eo senem adjuturum, frumenta vestimentaque se legionibus Consulis sociisque navalibus gratis præbiturum.* Invenio & Sociis imperata apud eundem lib. XXXVII. cap. 9. *Gravia hyberna navalium erant, grave tributum, quod togæ quingentæ imperatæ erant, cum quingentis tunicis.* sermo est de Phocensibus. Num hoc ipsum Græci quoque fecerint, ignoro, nec de ea re quidquam observatum habeo. Accedo igitur ad tertium, *Frumentum*. Quomodo præbitum similiter ex publico, verba paulo antea proposita demonstrant. Idem Livius lib. XXVIII. cap. 45. *Scipioni Cærites frumentum, sociis navalibus commeatum omnis generis. Aretini tritici centum & viginti M. modium pollicentur, quia impensa negaverat Reipublicæ futuram classem.* Capiebatur autem frumentum vel crudum, vel pistum & coctum. Illud, si iter longius, hoc, si minus longum. Ostendit Livius lib. XXIX. cap. 25. his verbis; *Quinque & quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, imposita.* Crudum fuit vel frumentum ipsum, vel farina, allium, cæpe, & caseus. De frumento testis est Virgilius. Hinc enim lib. I.

Tum Cererem corruptam undis, cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum, frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Et Flaccus lib. II. Argon.

—— tracto pars frangit adorea saxo
Farra.

Cum quibus etiam Homerus Odyss. Σ. ubi Calypso Ulyssi navigaturo σῖτον præbet, quod navibus imponat. Plutarchus ἄπυρον hoc genus vocat lib. de glor. Athen. οἱ στρατηγοὶ, ait, πολλάκις παραγγείλαντες ἄπυρα σιτία κομίζειν, ἐξῆγον ἐπὶ τὰς μάχας τὰς ἄνδρας. *Imperatores sæpe ad pugnam eduxerunt viros, cibum non coctum secum portare jussos.* Quia vero cruda secum frumenta circumducere consueverunt, Aretini apud Livium lib. XXVIII. cap. 45. promittunt Scipioni *molas, quantum in quadraginta naves longas opus esset.* Ex quo loco intelligimus, etiam molas secum nonnunquam habuisse in navibus. Aliquando tamen potius farinam capiebant, ut apud Homerum Telemachus, cum Spartam navigare vellet. Præcipit enim Eurycleæ nutrici

ἐν δέ μοι ἄλφιτα χεῦον ἐϋρραφέεσσι δοροῖσιν
εἴκοσι δ' ἔστω μέτρα μυληφάτε ἀλφίτε ἀκτῆς.

Mihi infunde farinam bene consutos in utres; viginti autem sint molitiæ farinæ. Et apud Thucydidem lib. VIII. Thrasybulus cum reliqua classe Methymnum profecturus *farinam aliaque necessaria* parari jubet. Plutarchus, de Glor. Athen. οἱ τριήραρχοι ἐλαύνεσιν ἄλφιτα παρασκευάσαντες ἐνεβίβαζον εἰς τὰς τριήρεις. Comedebant vulgo hanc farinam aqua maceratam. Xenophon de instit. lib. VI. Οἷς ἀλφιτοσιτεῖ ὕδατι μεμιγμένην ἀεὶ τὴν μάζαν ἐσθίει. Nota μάζαν Græcos appellasse farinam ita subactam, quod & eruditissimus Mercurialis observavit lib. IV. Var. Lect. cap. 18. Puto non multo fuisse dissimilem, quod *pultem* alias appellavere. Maza sane fiebat ex omni farina cum oximele, aut posca, aut aqua, aut mulzo, ut Erotianus ait apud Hippocratem: & puls ex farina cocta cum aqua; ut Galenus testatur lib. de Atten. Victus cap. 6. Puls autem inter genera ciborum antiquissima, quod ideo & de *maza* asseri posse videtur. Unde & pro cibo in genere usurpatum. Glossæ Stephani μασῶμαι *mando*; & alibi *pappat*, μασᾶται. Sic μάζονας Athenæo lib. IV. Bacchica convivia, & mazon Hebræis cibus, ut observat Casaubonus. Cum quibus omnibus convenit, quod & Sueci *maat* pro cibo usurpant. Addebant aliquando oleum. Hesychius: Μάζα ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι.

καὶ ἐλαίῳ. *Maza, farina subacta oleo & aqua.* De simili genere capiendus est Thucydides lib. III. cum ait: ἐγένετο σπουδὴ τῷ πλῷ τοιαύτη, ὥστε ἤσθιον τε ἅμα ἐλαύνοντες οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ ἄλφιτα πεφυρμένα. *tanto studio cursum navigationis confecerunt, ut uno eodemque tempore remigarent, & farinam vino oleoque maceratam comederent.* Aquæ enim loco, quod alias usitatum fuit, vinum hic captum, quo alacriores essent remiges. Aristophanis interpres, & ex ipso Suidas ait, aliquando lac adhibuisse, imo proprium hoc fuisse Mazæ. Μᾶζα, inquit, κυρίως ἡ τροφὴ, ἡ ἀπὸ γάλακτος καὶ σίτε. *Maza proprie est cibus ex lacte & farina.* Sed magis aliis assentior, qui vulgo aquam ajunt adhibitam. Non enim alias hic cibus tam vilis esse potuisset, qualis Maza habebatur, quam & pani postponebant. Docet id vulgare, ἀγαθὴ καὶ μᾶζα μετ' ἄρτον, quo notatur is, qui post panem revertitur ad mazam, cibum viliorem. Allia quoque habuerunt in navibus, remigibus potissimum in cibum. Hinc Plaut. in Pœnulo Act. v. sc. 5.

plenior
Allii ulpicique quam sunt Romani remiges

Allium, ait ibi Taubmannus, *cum pane nigro victus fuit Romanorum remigum.* Non Romanorum modo, verum etiam Græcorum. Unde iste apud Aristophanem: ἀπόλλυμαι

ὑπὸ τῶν Ὀδομάντων τὰ σκόροδα πορθούμενος

Et alio loco, ubi classem se ad iter componentem describit: Plena, inquit, urbs

Σκορόδων, ἐλαῶν, κρομμύων ἐν δικτύοις

Ostendit hic locus, non allia modo, sed & cæpe, aliaque id genus holera comedisse. Idem Comicus in Equitibus:

—— οἱ δὲ καὶ σκόροδα, καὶ κρόμμυα
εἶτα τὰς κώπας λαβόντες, ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοὶ
ἐμβαλόντες ἀνεβρόαξαν ——

Illi vero & allia, & cæpe, postea & remos acceperunt, & , ut nos, aquas verberarunt. Forsitan utilitatis caussa, quia teste Plinio lib. x. cap. 6. *magna vis allii, magnaque utilitas contra aquarum & quorumlibet locorum mutationes.* An potius ad obfirmationem corporum ac disciplinam severiorem. Nam & hoc videtur indicare Scholiast. Aristophanis, cum ait διὰ τῶν σκορόδων καὶ κρομμύων τὴν ἀτέλειαν δείκνυσι τῶν ναυτικῶν σιτίων. Plutarch. addit caseum lib. de glor. Athen. οἱ τριήραρχοι τοῖς ἐλαύνουσιν ἄλφιτα παρασκευάσαντες, ὄψον δὲ κρόμυα, τυρὸν, ἐνεβίβαζον εἰς τὰς τριήρεις. *Triremium præfecti sociis navalibus naves instruxerunt, parata iis farina, atque obsonii vice cæpis, & caseo.* Habuerunt isthæc omnia in reticulis, quæ Scholiastes Aristophanis λίνους appellat. Ipse Comicus: Plena sunt omnia

σκορόδων, ἐλαῶν, κρομμύων ἐν δικτύοις.

Juvenalis Satyra XII.

Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ
Aspice sumendas in tempestate secures.

Præter hæc etiam cocta cibaria habuerunt. Livius lib. XXI. cap. 41. *Edictum propositum, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent.* lib. XXIV. cap. 11. *Cum triginta dierum coctis*

A *cibariis naves conscenderunt.* lib. XLIV. *Prætorem Octavium accersitum exposito quid pararet, Heracleam cum classe petere jubet, & mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere.* Talia fuere primum, panis nauticus, seu bucellatum. *Rubidum* vocasse Plautum autumant, in Casina Act. II. sc. 5. cum scribit

Una edepol opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera.

B Isidorus: *Panis rubidus, recoctus & rubefactus.* Sed Festus contra, *parum coctum* vocat, ideoque recoquendum, quod cum Plauto convenit: quippe apud quem panis ille rubidus iterum in furno conditur & torretur. Iterum tostus, *Nauticus* dicebatur. Plinius lib. XXII. cap. 25. *Vetus aut Nauticus panis* &c. Plinius Valerianus lib. V. cap. I. *navalem* appellat. *Utatur etiam*, inquit, *intybis lactucis, ovis mollibus, pane navali* &c. Græcis ἄρτος δίπυρος, uti Suidas testis est. Deinde habuerunt μυττωτὸν, de quo Aristophanes in Acharnens. lib. remigem clamantem fingit οἴμοι τάλας, μυττωτὸν ὅσον ἀπώλεσα. *Ach, quantum alliati ego perdidi.* Fuit
C autem μυττωτὸς jus quoddam seu pulmentum, ex caseo, alliis, & ovis confectum. Scholiastes κατασκευάζεται ἀπὸ τυρῦ καὶ σκορόδυ καὶ ὠῦ. Pollux lib. VI. ὁ μυττωτὸς τρίμμα ἐκ σκορόδων δριμύ. Latini *Mosetum*, vel *moretum* appellarunt, & *Intritum*, uti ex Donato docet Scalig. in Not. ad Moretum vel Virgilii, vel alterius Poetæ. Ex quo Moseto Latinorum, vel μυττωτῷ Græcorum, Germani deinde suum *mueß*, vel, ut Belgæ propius, *moes* fecisse videntur. Et hic cibus: quem an Græci etiam, quemadmodum Romani acceperint ex publico, non satis scio. Et diversum suadet Scholiastes Aristophanis in Acharnensibus. ubi Comicus de variis
D cibis. οἱ ἐπὶ πόλεμον ἐξιόντες ταῦτα ὠνῦντο ἐν λίνοις ἔβαλλον. Si emebant, ex publico habere non poterant. Sed sciendum, talia emisse commodi sui causa. Demosth. adversus Polyclem: τῶν ναυτῶν ἀργύριον αἰτούντων ἵν' ἀγοράσωνται τὰ ἐπιτήδεια, præbuisse id eis ait, παρὰ τῶν στρατηγῶν σιτηρέσιον μόνον λαμβανόντων, *accipiens frumenta tantum a præfecto.* Frumenta ergo capiebant ex publico: si quid vellent amplius, id aut remiges ipsi sibi emere cogebantur, aut accipiebant a suis trierarchis. Potus vulgo aqua fuit. Hinc apud Livium lib. XXIX cap. 25. *C. Lælius Ro-*
E *manæ classis præfectus a Gubernatoribus quærit, si aquam hominibus jumentisque in totidem dies, quot frumentum imposuissent. Illique respondent, aquam dierum quinque & quadraginta in navibus esse.* Observa, gubernatorum hanc fuisse curam, verum ita, ut si deficeret aqua, eam importarent non ipsi, verum remiges. Hirtius de bello Afric. *Remiges interim, qui aquatum e navibus exierant, subito equites Mauri adorti sunt.* Idem autor. lib. de bel. Alex. *Quam ad eum locum accessisset, qui appellatur Chersonesus, aquandique caussa remiges in terram exposuisset, nonnulli sunt intercepti.* Sic Nicias apud Thucydidem lib. VIII. conqueritur, καὶ ἔτι νῦν φθείρεται τῶν ναυτῶν τῶν μὲν διὰ φρυγανισμὸν καὶ
F ὑδρείαν. *Nunc quoque remiges amittuntur, cum lignatum & aquatum eunt.* Legimus & vinum habuisse in navibus. Nam apud Livium lib. XXXVII. cap. 29. egrediuntur *milites nautæque, ad commeatus, & vinum maxime dividendum in naves.* Et Mitylenæi Atticæ triremi imponunt οἶνον καὶ ἄλφιτα apud Thucyd. lib. III. Etiam Calypso navi Ulyssis apud Homerum Odyss. Σ.

ἐν δέ οἱ ἀσκὸν ἔθηκε θεὰ μέλανος οἴνοιο
τὸν ἕτερον, ἕτερον δ' ὕδατος μέγαν ——


Impo-

Imposuit utrem dea vini nigri alterum, alterum aquæ magnum. Hinc apud eundem poetam Telemachus navim conscensurus præcipit Euricleæ nutrici Od. B

Μαῖ᾽ ἄγε δή μοι οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσιν ἄφυσσον
δώδεκα δ᾽ ἔμπλησον, καὶ πώμασιν ἄρσον ἅπαντας.

Nutrix age mihi vinum in amphoris hauri, duodecim vero imple, & operculis occlude. Videtur autem imperatoris potius & trierarchi hic fuisse potus, quam nautarum reliquorum. & hinc forte Cato apud Plinium lib. XIV. cap. 13. *non aliud se vinum bibisse, quam remiges*, id est, contra vulgarem modum fecisse dicit. Cæterum in defectu aquæ ex pellibus, quibus tegebantur naves, excipiebant rorem. Cæsar lib. III. B. C. *accidit, ut difficilioribus usi tempestatibus, ex pellibus, quibus erant tectæ naves, nocturnum excipere rorem cogerentur.* dicebaturque, ut opinor, hoc genus *nautea*. Nonius: *Nautea, est aqua de coriis, dicta a nautis.* Sed ibi additum, *vel quod verius est, aqua de sentina.* ut aqua de coriis ab aqua de sentina distincta sit. Nam aquam de coriis non illam intelligi oportere, sed qua imbuuntur coria a coriariis, discimus ex Opilio Aurelio in Schedis Festi. Glossæ Stephani *nautea*, ἀντλία, βύρσης. male editum est *nauteo*. Aristoteles tali occasione etiam ex ipso mari aquam putat haberi posse, demisso vase cereo. Ælianus lib. IX Hist. Animal cap. 64. *Aristoteles potabilem in omni mari aquam esse, id experimento docet: nam si quis concavum (inquit) e cera vas tenui opere finxerit, atque in mare demiserit inane, alicunde appensum, ut aquam transmittere queat die ac nocte una, dulci ac potabili humore repletur.* Baptista Porta lib. II. cap. 13. Magiæ nat. idem fieri posse putat sabulone fluminum in ejusmodi aquam immisso, aquaque per pannum lineum colata. Observabant porro veteres, ne plus ex his imponerent, quam necesse esset, & itineris longinquitas requireret. Hinc decem, tredecim, viginti dierum cibaria in navibus invenimus; quæ Græci, ut est apud Polyænum lib. III. πλειόνων ἡμερῶν ἐφόδια, βρώσιμα καὶ πόσιμα, vel ἐπισιτισμα nominarunt. Quantum vulgo in dies singulos sufficere putarent, non memini, me observare: interim certum quid habuisse credo constareque nonnihil ex lege Rhodia videtur. Apud Polybium lib. 5. video, Antiochum Rhodiis dare εἰς σιτομετρίαν δέκα τριήρων ἀρτάβας δισμυρίας, *ad alimoniam decem triremium, vicies mille artabas.* Quanti temporis is victus fuerit, non video. Si de annuo victu accipiendum est, singulæ triremes requisivissent bismille ducentos fere medimnos Atticos, cum artaba capiat medimnum, & tres chœnicas. id autem diebus singulis facit medimnos fere sex, hoc est ducentos octoginta octo chœnicas, quo ducenti homines, si in singulos numeretur chœnix georgica, quam cibum diuturnum fuisse Suidas ait, ali potuerunt. Quicquid sit, hoc satis constat, in ejusmodi victum plurimum impensum esse. Quæ etiam causa est, cur Lysias hasce naves *voraces* appellaret, uti Pollux, & Hesychius testantur. Et hæc quidem rarius in bellicis secum vehebant, frequentius in aliis singulariter huc pertinentibus, quas Græci σιτηγοὺς propterea vocarunt. Diod. in Eclogis lib. XXIV. ἔφθασε δὲ καὶ Καρθάλων στρατηγὸς ἐκ Καρχηδόνος μετὰ νεῶν μακρῶν, καὶ σιτηγῶν. & paulo post de Romanis. τὰ μὲν σιτηγὰ πλοῖα ἀπώλεσαν πάντα, τὰς δὲ μακρὰς ναῦς οὔσας ρέ. ὁμοίως δὲ δύο μόνας σωθῆναι. Romani *Annotinas*, frequentius vero *onerarias* appellavere. Illarum mentio est apud Cæsarem lib. III. de bell. Gall. *Quum magnæ manus eo convenissent, multitudine navium perterriti, quæ cum annotinis privatisque amplius DCCC. una erant visæ, timore a littore discesserunt*, Harum sicut apud alios autores, sic imprimis Livium, ut lib. XXXII. cap. 18. *Nullus in tota Acarnaniæ & Ætoliæ ora portus erat qui simul omnes onerarias, quæ commeatum exercitui portabant, caperet.* Item lib XXXVI. cap. 7. *Accersendas censeo omnes terrestres & navales copias, sequantur classem onerariæ cum commeatibus.* Nimirum ut frumenta commeatumque, ita etiam alia onera resque ad bellum pertinentes vehebant. Livius lib. XXXV. cap. 47. *Proficiscitur Livius quadraginta tectis navibus, apertis sexaginta, & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu sequebantur.* Ob eandem causam Græci φορτηγὺς vocabant. Plutarchus in Pompejo: αὐτὸς δὲ ἀνήγετο ναυσὶ μὲν μακραῖς ἑκατὸν εἴκοσι, φορτηγοῖς δὲ σῖτον καὶ βέλη, καὶ χρήματα, καὶ μηχανὰς κομιζούσαις ὀκτακοσίαις. *Ipse solvit longis navibus centum viginti; onerariis quibus commeatus, tela, stipendium, tormenta portavit, octingentis.* Meminit & Diodorus lib. XVI. ἐναυπηγοῦντο καὶ ναῦς μακρὰς, φορτηγὺς πολλάς. Nonnunquam & φορτίδας vocavere, ut manifestum est ex Appiano lib. de bell. Pun. Ες Λιβύην ἀνήγετο ἐπὶ νεῶν μακρῶν μὲν δύο καὶ πεντήκοντα, φορτίδων δὲ τετρακοσίων. Diod. Sicul. lib. II. de Carthag. Τὴν μὲν ἀγορὰν ἅπασαν ἐκ τῶν φορτίδων νεῶν ἐξείλετο, τὰ δὲ λοιπὰ ἅπαντα ταχέως ἐξαπέστειλε, προστάξας ἔκ τε τῆς Λιβύης ἢ Σαρδοῦς σῖτον καὶ τὴν ἄλλην ἀγορὰν κομίζειν. *commeatu naves onerarias evacuat, & quicquid harum est reliquum, ad annonam cæterasque res venales &c. Africa & Sardinia convehendum mittit.* Quod ait, ἀγορὰν ἐξείλετο, ex eo patet consuevisse forum habere rerum venalium in his navibus. Idem autor paulo ante: πολλὰς φορτίδας τὰς κομιζούσας τὴν ἀγορὰν, ὑπὲρ τρισχιλίας εἶχον. *habebat onerarias multas, super tria millia, quæ forum rerum venalium vehebant* Hinc Livius lib. XLI. cap. 2. *Nautici tabernacula detendunt, commeatumq; in littore expositum in naves capiunt.* Habebant scilicet expositum in littore, sub tabernaculis ad id extructis. Aliquando mercatores sequebantur lucri studio, resque omnis generis venales proponebant. Thucyd. lib. VI. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα πλοῖα καὶ ὁλκάδες ἑκούσιοι ξυνηκολούθουν τῇ στρατιᾷ ἐμπορίας ἕνεκα. *Multæ aliæ onerariæ simul navigabant, exercitumque negociationis caussa sequebantur.* Cæsar lib. III. de bell. Gallico. *Multitudine navium sunt perterriti, quæ cum annotinis privatisque, quas sui commodi caussa fecerant, amplius DCCC. una erant.* Porro φορτηγαὶ & στρογγύλαι sunt ejusdem generis. Schol. Aristophan. τὰ στρογγύλα πλοῖα, φορτηγά εἰσιν. Altero nimirum nomine ab usu, altero a forma vocabantur; rotundiores enim erant, quam naves militares. Thucydidis Interp. Ναῦς στρογγύλη ἐμπορικὴ, διὰ τὰ πολεμικὰ μακρότερα ὄντα. *Strongile navis mercatoria, sic dicta, quia bellicæ fuerunt longiores.* Male igitur ii, qui *rostratas*, *turbinarias*, ac nescio quibus aliis nominibus interpretantur. Sicut Valla apud Herodotum lib. III. in istis verbis: ἐναυτίλοντο οὐ στρογγύλοισι, ἀλλὰ πεντηκοντέροισι. Et Vultejus apud Polyænum lib. V. in his πλοῖον στρογγύλον πληρώσας ὁπλιτῶν ἔπεμψεν. & lib. VI. ἐν τῷ λιμένι πολλαὶ τριήρεις καὶ στρογγύλαι νῆες ὥρμων. Conveniunt & ὁλκάδες. quas enim Polyænus eo loco, quem adduximus postremum, στρογγύλας, eas ipse paulo post ὁλκάδας nominat. Hesychius. Ολκὰς πλοῖον, ναῦς φορτηγός. Plutarch. in Æmilio. εἴκοσι αὐτοφόρτους ὁλκάδας ἐχειρώσατο, τὰς δ᾽ ἄλλας σίτου γεμούσας κατέδυσεν. *Viginti holcades cum ipso onere cepit, reliquas frumento onustas depressit.* Glossæ. ὁλκὰς, *navis oneraria.* Etiam hodie apud Flandros teste Bayf. *des bolckes* appellantur. Dicebantur autem

ὁλκάδες a trahendo, quia funibus nonnunquam conſueverunt religari ad naves militares. Schol. Ariſtoph. in Equit. Ὁλκάδες, ἀπὸ τοῦ ἕλκειν, Etymol. Magn. παρὰ τὸ ἕλκω, ὁλκός. ὡς φέρβω, φορβός. ὅθεν καὶ ὁλκάδες αἱ νῆες. Igitur de his, non aliis accipiendus Livius, lib. XXX. cap. 26. cum ait: *Deſertæ fuga nautarum primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ ſunt.* vides pone tractas, & quidem ob defectum remigum, qui fuga eas deſeruerant. Et lib. XXXVI. cap 16 *Tarde inde ad Maleam, trahendis plerumque remulco navibus, quæ cum commeatu ſequebantur, pervenit.* Item Demoſt. adverſ. Pol. προσέταξε ταῖς τριήρεσι τὰς ὁλκάδας τὰς σιτηγοὺς ἕλκειν εἰς Μαρώνειαν. *Juſſit trierar. his naves frumentarias triremibus alligatas trahere Maroneam.* Diodorus lib. XX. ταχυναυτούσαις ναυσὶ τὰς ὁλκάδας τὰς στρατιωτικὰς ἀπορεῖα. *celerioribus navibus traxerunt onerarias, in quibus milites erant.* Ut & Polybius lib. I. ἐπὶ τούτοις ἐπέσπασαν τὰς ἱππηγοὺς, ῥύματα δόντες ἐξ αὐτῶν ταῖς τοῦ τρίτου στόλου ναυσί. Ἱππηγοὺς appellavit, non quod eſſent diverſæ, ſed quod equos equiteſve veherent. Thucyd. Ἱππαγωγοὺς vocavit lib. II. ἦγε δ' ἐπὶ τῶν νεῶν ὁπλίτας Ἀθηναίων τετρακισχιλίους, καὶ ἱππέας τριακοσίους, ἐν ναυσὶν ἱππαγωγοῖς. Similiter & Livio ſunt *Hippagogæ*. *Forte*, inquit, lib. XLIV. c. 28. *poſtero die, quam Sabota claſſis tenuit, quinque & triginta naves, quas hippagogas vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis equiſq; Phaneas promontorium Chiorum petebant.* Gellio ſunt *hippagines* lib. X. cap. 25. Feſtus. *Hippagines naves, quibus equi vehuntur, quas Græci ἱππαγωγοὺς dicunt.* Male ergo Petrus Moſellanus inde dictas ſcribit, *quod ab equis traherentur.* Suidas. ἱππαγωγὸς ναῦς, ἡ τοὺς ἵππους καὶ ἄνδρας ἄγουσα. Quod addit, καὶ τοὺς ἄνδρας, fit propterea, quoniam non equos modo, ſed & milites in iis perducebant, unde etiam στρατιώτιδες appellabantur. Interp. Thucyd. ad I. στρατιώτιδες, στρατιώτας ἄγουσαι, τοὺς μέλλοντας πεζομαχεῖν, ἃς καὶ ἱππαγωγοὺς καλεῖ. vel, quod idem eſt, ὁπλιταγωγοὺς. Thucydides ipſe lib. VIII. de Strombichide & Onomacle. καὶ τῶν ἐς Μίλητον ἐλθόντων χιλίων ὁπλιτῶν μέρος ἀγαγόντες ἐν ναυσὶν ὁπλιταγωγοῖς ἐπὶ Χίον λαχόντες ἔπλεον. Imo non milites tantum, ſed & alios quoſcunque, quorum in militia eſt uſus. Ut piſtores, fabros, & hujuſmodi, machinas præterea, & inſtrumenta pertinentia ab bellum. Thucyd. lib. VI. Τὸν δὲ καὶ αὐτόθεν σῖτον ἐν ὁλκάσι, καὶ σιτοποιοὺς ἐκ τῶν μυλώνων πρὸς μέρος ἠναγκασμένους ἐμμίσθους. *Item frumentum in onerariis, & piſtores ex piſtrinis mercede conductos, qui coguntur operam dare piſtrino.* Et alio loco: τούτοις τὰ ἐπιτήδεια ἄγουσαι ὁλκάδες μὲν τριάκοντα σιταγωγοὶ, καὶ τοὺς σιτοποιοὺς ἔχουσαι, καὶ λιθολόγους, καὶ τέκτονας, καὶ ὅσα ἐς τειχισμὸν ἐργαλεῖα. *Hos ſequebantur triginta onerariæ naves, quæ commeatum & res exercitui neceſſarias vehebant, & piſtores, & lapidum ſtructores, & fabros, omniaque neceſſaria ad muniendum.* Paria Plutarchus habet in Demetrio. Et hæc credo cauſſa, quare eas Strabo nominaverit σκευαγωγοὺς. Quid enim σκευαγωγὸς, niſi ἡ τὰ σκεύη ἄγουσα, hoc eſt ἐπιτήδεια εἰς πόλεμον? quemadmodum nec σκευοφόρος alia eſſe poteſt, cujus meminit Arrianus lib. VI. Exp. Alex. quod vel inde manifeſtum, quia ταῖς μαχίμοις contraponit. Ut iccirco perperam Vulcanius *actuariam* vertiſſe videatur. Vocabantur quoque βάροι & βαρεῖαι, quia propter onus formamque minus aptam tardius incedebant. Pollux lib. I. cap. 9. λέγεται δὲ καὶ βαρεῖα ναῦς, σιταγωγὸς, στρατηγία, ἱππαγωγὸς, φόρτις, φορτηγίς. Et hinc Cæſar lib. V. de bell. Gall. *Vectoriis gravibuſque navigiis, non intermiſſo remigandi labore, longarum navium curſum adæquarunt.* Oponit longas & graves, ut de onerariis ſermonem eſſe dubitari nequeat. quod tamen Metaphraſtes ejus Græcus parum obſervavit. Ita Livius ſupra: *tarde ad Maleam venit, trahendis plerumque remulco gravibus, quæ cum commeatu ſequebantur.* Nonius Marcellus de onerariis, id eſt, his ipſis gravibus; *de oneribus tardæ.* De oneribus, inquit, non, quod velis tantum uterentur, uti male opinatur Bayſius, & Calepino, Stephano, Savilio, ut crederent, perſuaſit. *At*, inquit, *Livius hoc docet iis verbis*, lib. XXVII. c. 19. *Naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum, partim, tormentis & ſaxis, omnique telorum miſſilium genere inſtruit. onerarias quoque, non eas ſolum, quæ remis agerentur.* Declaratur, ait, utique his verbis, onerarias non ſolere remis agi. Sed hic facilis reſponſio. Nam & nos non modo ſine remis, ſed & ſine velis fuiſſe ſupra, quando agebatur de holcadibus, monſtravimus. Nec tamen ideo quis vela habuiſſe neget. Igitur ut vela, ita quoque remos habuere. Cæſar lib. I. B. C. *Noſtri, minus exercitatis remigibus, minuſque peritis gubernatoribus utebantur, quia repente ex onerariis navibus erant producti.* Hic profecto remiges ſumuntur ex onerariis, in quibus non fuiſſent puto, ſi nullos habuiſſent remos. Similiter & apud Hieronymum remiges in onerariis reperimus. verba iſta ſunt in vita Hilarionis. *Poſt biduum oneraria navi perrexit Cyprum. Cumque inter Maleam & Cytheram piratæ occurriſſent, remiges omnes, qui in nave erant, trepidare, flere, diſcurrere, præparare contos.* Et Tacit. Annal. II. cap. 6. *naves aptas vehendo commeatui* (hæ quid, niſi onerariæ?) *velis habiles, citas remis* appellat. Heliodorus lib. V. Æt. cap. 15. de holcade, quam onerariam fuiſſe demonſtravimus. *Poſtquam tranquillitas mare ſtravit*, (ἐπὶ τὰς κώπας ἡ χρεία παρεκάλει) *& neceſſitas remos exegit.* Theodoretus Serm. V. οἱ τὸν θαλάττιον βίον ἀσπαζόμενοι, οἱ μὲν τὰς φορτίδας ἐρέττουσιν. *Qui maritimæ vitæ ſtudent, onerarias remis impellunt.* Ita Athenæus σιτηγὸν deſcribit Hieronis, eique εἰκοσόρου figuram, quæ viginti remis agebatur, tribuit. Quamvis facile mihi perſuaderi patiar, hanc non vulgari more fuiſſe conſtructam. Nam & verba Cæſaris, ſuperius allata, docent, onerarias, tametſi non omnino nullis remis, non tamen tam frequenter, aut tanta diligentia ordineve diſpoſitis, uti reliquas, fuiſſe adminiſtratas. Scilicet non niſi in tranquillitate remos adhibebant, ut Heliodori verbis monſtratur, cum reliquæ pene ſemper remigio agerentur. Et hæc cauſa, quare nonnunquam ταῖς κωπήρεσι opponantur. Ammonius: τὰ πλοῖά ἐστιν στρογγύλα· αἱ δὲ κωπήρεις καὶ στρατιώτιδες. Adhibebant autem vela ideo frequentius in his, quia facilius iis impelluntur. Inde etiam Hippocrates a Demageto petit, ut navem (quæ haud dubie fuit oneraria) μὴ κώπαις, ἀλλὰ πτεροῖς inſtruat. E quibus tamen verbis illud ipſum apparet, quod ante diximus, has naves non vela modo, ſed & remos habuiſſe. Sine remis nobis eas exhibent picturæ marmoraque priſca, apud Bayſium: cum remis, Notitia Imperii. Vide utrarumque effigies, in ſequenti pag. Cæterum a Græcorum βαρεῖα, puto tractum eſſe Latinorum *barca.* quod & ipſum onerariam navem ſignificat. Iſidorus: *Barca eſt, quæ cuncta navis commercia ad littus portat.* Retinent hoc nomen in ſuis onerariis adhuc hodie, qui ad lacum habitant Lemannum. quemadmodum & Veneti, ſi verum eſt, quod Bayſius de iis ſcribit. Sicut autem veteres Latini ab oneribus ferendis onerarias has naves, ita a ſtructura & materie *codicarias* vocavere, quia ex codicibus, hoc eſt, craſſis tabulis conſtruebantur. Varro lib. II. Vita Pop. Rom. *Antiqui plures*



tabulas conjunctas codices dicebant. a quo in Tiberi A
naves, Codicarias appellamus. Festus: *Caudica-
riæ naves, ex tabulis crassioribus factæ.* meminit ha-
rum navium & Plinius lib. III. cap. 5. ubi ait: *Ty-
beris propter aspera & confragosa ne sic quidem,
præterquam trabibus verius, quam ratibus longe
meabilis fertur.* Nisi quis existimet, per trabes hic
id genus intelligere, quod Isidorus *caudices* appel-
lat, & ex uno ligno cavatum fuisse scribit, nos-
que alibi *lintres* nominari diximus. Quanquam
caudices non ex una trabe, sed pluribus confectæ.
Seneca de Brevitate vitæ cap. 13. Claudius *Caudex
ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum
contextus caudex apud antiquos vocabatur: unde* B
*publicæ tabulæ, codices dicuntur, & naves nunc
quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim
commeatus subvehunt, caudicariæ vocantur.* Vi-
des, caudices plures tabulas requirere, imo ipsas
esse codicarias naves. Naves dico, cum Varrone,
Festo, Seneca, non rates, uti vult Stypm. lib. II
de Jure Nav. cap. 3. quippe quibus ipse quoque Pli-
nius opponit, diversasque facit. Codicariarum
speciem si ullibi, apud Genevenses adhuc censeo
extare, & in usu esse iis, qui Lemannum navigant.
A quibus Barcarum nomine venire supra indicavi.
Græci Πακτῶνας, inquit vir incomparabilis, Sal- C
mas. Ex. Plin. pag. 116. appellavere. ὁ δὲ πακτὼν ἐκ
σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκάφιον. h. e. ex pluribus
scutalis inter se colligatis compositum. σκυταλίδες
autem codices. Straboni l. XVII. sane πάκτων est δια-
πλοκινόν. ὁ πάκτων ἐκ σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκά-
φιον, ὥστ' ἐοικέναι διαπλοκίνῳ. ἑστῶτες δ' ἐν ὕδατι ἢ καὶ
σανιδίοις τισὶ προσκαθήμενοι, ῥᾳδίως ἐπεραιώθη-
μεν δεδιότες. *Pacton est scaphæ genus e scutalis ita*

*compositum, ut textile quiddam videatur. Stantes
itaque in aqua vel asseribus sedentes facile transmisi-
mus.* Facit hæc descriptio, ut credam singulare
ibi genus indicari, nec aliis in locis cognitum aut
usitatum. cur enim alias tam diligenter descripsisset?
& certe structura ipsa docet, quæ nescio quomodo
mihi videatur convenire cum ista coriaceorum, qui-
bus veteres Ægyptii, Herodoto testante, usi sunt
in Euphrate, quodque alio in loco satis exposui-
mus. Quicquid sit, pactones easdem esse codica-
rias rectissime docetur; fuitque creberrimus earum
apud veteres usus. Imo ipsum classis nomen hoc ge-
nus innuit, cum, ut notat Servius ad VI. *navis* di-
catur *classis, quod fiat de fustibus.* Ubi per *fustes*
nil aliud intelligit, quam quod Seneca codices vo-
cavit. veteres *calas* appellabant, ut ibidem diximus.
Antiquissimum autem fuisse hoc genus patet etiam
ex *texendi* voce, qua compactionem navium signi-
ficant. Vere enim texuntur, quando caudices vel
fustes alii in longum, alii in transversum positi,
capitibus sic inter se connectuntur, ut texturam
referant. Plane eo modo, quo Colchorum ædes in
Ponto fieri scribit Vitruvius lib. II. cap. 1. & An-
tonius Rusconi lib. II. Architecturæ suæ rectissime
delineavit. denique quotidie & apud Helvetios, &
hic in Suecia faciunt. Imo ipsum Noachi navigium
non alia ratione fuit structum. nam ξύλα τετράγω-
να, ut septuaginta vocant, ii ipsi fustes sunt vel
codices, quos supra diximus. Vocarunt quoque
naves has *pontones*. Cæsar lib. III. B. C. *Pontones,
quod est genus navium Gallicarum, Lissi reliquit.*
& post: *Ipse Lissum profectus naves onerarias
XXX. a M. Antonio relictas omnes incendit.* Qui-
bus verbis patet, easdem esse pontones, & onera-

rias. Meminit & Gellius lib. x. cap. 25. *Scaphæ, pontones, nuctica.* Isidorus *Pontonium navigium fluminale, tardum, & grave, quod non nisi remigio* (mallem, *remulco*) *progredi potest.* Fluminale hic accipiendum non quasi in fluminibus solum fuerit usurpatum, sed quia frequenter, & quidem ad trajectus. Apulejus: *si vado non poterunt, pontonibus transibunt.* Paulus JC. in l. 38. ff. de S. P. R. *usque ad flumen, in quo pontonibus trajicitur.* Firmabaturque navis in fune, cujus capita in utramque ripam pertinentia, alligabantur palis, ut attracto fune sequeretur navis, uti & hodie fieri consuevit. De hac enim ratione accipienda verba videntur Isidori, subjecta illis, quæ supra adduximus. *Hinc*, ait, *& trajectus, id est extentus. Est enim funis latus, unde transenna dicitur, extentus funis.* Quasi diceret: pontonibus fit trajectus, cum ad extentum funem navis trajicitur. Quanquam non ignorem, aliter intelligenda esse hæc apud Servium, ad Poetæ quintum, unde fors in suum Isidorus transcripsit. Quo quidem sensu, si & hic accipi deberent, frustra illud *Hinc* adposuisset. Neque alia ratione, quam qua diximus, funis aliqua hic mentio fieri idonee potest. Itaque transtulerit inde Isidorus sua, verum sensu loco huic accommodato, docueritque simul, funem, cui ejusmodi conjungitur navigium, *transennam* appellatum. Quod eo credibilius, quia quasi est transemna, quoniam trans amnem tenditur. Scalig. in Manilianis pag. 125. *transenna dicitur funis ab uno extremo ad alterum protensus.* Ovidius voce generaliori rudentem appellavit lib. III. Amor. eleg. 5.

Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu,
Concava trajecto cymba rudente vehat.

Alias πορθμεῖα nominari solent apud Græcos, uti a Theophilo docemur. *Portemiam* vocavit Isidorus lib. XIX. c. 1 si modo vera lectio ista, & non *portmeia* potius scribendum. *Portemia*, inquit, *navicula Syriatici generis lata, & sine carina, a portando vocata. Utuntur iis in Pannonia.* Etiam πόρια sunt dictæ, apud Diodor. lib. xx. Τῶν μὲν πορίων, ait, εἷλε τῶν ρ. *Poria cepit plus quam centum.* Meminit πορίων etiam Plato lib. III. de legibus. Posset tamen quis existimare, differentiam fuisse inter πόρια & πορθμεῖα, cum πορθμεῖα videantur esse a πορθμός, quod Latinis fretum denotat. Unde sequeretur, harum usum potissimum in transfretando fuisse. Barbaris est *trampis*. Hesychius: τράμπις, ναῦς ἄκατος, πορθμίς· τινὲς πλοῖα βαρβαρικά. Nicander in Theriacis: τράμπις ὁλκαίης, ἀκάτοισος. Observa, quod ὁλκαίην, hoc est holcadem exponat, & ut cum Hesychio acatium exponat, quod non potuisset, si, de quo disputatum est in præcedentibus, onerariæ non habuissent nemos, cum de remis in acatiis sit nullum dubium. Extiterunt quoque onerariæ, quæ *Gauli* appellantur. Schol. Aristophanis: γαῦλος, πλοῖον τὸ φορτικόν. *Gaulus navis oneraria.* Usurparunt maxime Phœnices, unde Hesychius: γαῦλοι, τὰ φοινικὰ πλοῖα. *Gauli navigia Phœnicia.* Callimachus Sidoniis tribuit, Phœnicum præcipuis. Meminit & Gellius. Festus: *Gaulus genus navigii pene rotundum.* Plautus alias in universum appellat *Gerarias*, Cæsar Julius, *Vectorias*. Nempe quia gestant onera, vehuntque. A quorum etiam capacitate modo magnæ, modo parvæ appellantur. Livius lib. XXXV. cap. 51. *perpauci effugerunt, in quibus Mictio parva oneraria nave exceptus.* Apud Plutarchum quoque in Catone Minore ὁλκάδα μικρὰν habemus. Et quia interdum parvæ, hinc etiam leves. Meminit idem eodem libr. cap. 37. *onerarias leves ad triginta habebat.* Leves hic intellige in respectu ad onerarias alias. nam in longarum respectu graves erant, uti alias ostendi. Ab iisdem oneribus Straboni sunt Μυριαγωγοὶ & Μυριόφοροι lib. III. & XVII. ubi Casaubonus *navim sat ingentem* reddit. Romani per amphoras definiebant. Sic apud Livium lib. XXI. cap. 64. legimus navem trecentarum amphorarum, cujusmodi lege Flaminia Senatoribus habere, haud majorem fas erat. Legis verba ibi extant in hunc modum; *ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Habuerunt ergo & majores. Et reperiuntur apud Cicer. lib. XII. ep. 15 *duum millium amphorarum onerariæ* Postea a modiorum numero vocarunt, leg 9. C. de S. Sanct. Eccl. *Jubemus nullam navem ultra duorum millium modiorum capacem excusari.* Sed hæc satis de hoc genere navium, itemque militum stipendio. Ad Missionem veniendum est, quæ nil aliud, quam immunitas plenissima, & perpetua quies a laboribus militaribus. Hanc quoque suo certoque tempore, ut in terrestri militia, impetrasse nautas pariter ac classiarios certum est. At vero quando id fieri consueverit, proditum non memini. Id scio, diutius quam in terrestri militia fuisse retentos. Nam cum illi liberarentur anno vigesimo, hi longius suam operam præstare coacti sunt. Argumento fuerit lapis, in hortis Cardinalis Carpensis Romæ, ubi mentio fit militis, qui militavit annis quatuor & viginti. Inscriptio hæc est.

C. ANTONIO. ANTARINO.
MILITI. EX. CLASSE. PRAETO
RIA. MISENATIVM. VIX. ANN.
XL. MIL. ANN. XXIV.

Et hunc quidem militasse tot annos constat, postea missum esse non constat. Ac forsitan morte ante legitimam missionem præventus est. Certe ex Lipsii sententia uno anno amplius militare debuerunt. Ita enim is lib. v. de Milit. Rom Dialog. 19. *Nauticos etiam milites deteriore conditione fuisse, & annos viginti quinque militasse e lapidibus Domitiani ævi discas.* Ego vero etiam sex & viginti militasse, disco ex inscriptione ista:

L. SEMPRONIUS. PROCULUS.
VETERANVS. EX. CLASSE. MISE
NES. PRÆTORIA. MILITAVIT.
ANN. XXVI. SIBI. ET. CONJUGI.

Sed & hic missionis nulla mentio. num igitur adhuc longius militarunt? non puto. Ostendit clarissime inscriptio alia Adriani ævi, ex qua honesta missione solutos apparet, qui stipendia explevissent viginti & sex.

IMP. CÆS. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ.
NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POP. XII. COS. III. P. P. IIS. QVI. MILITAVERVNT.
IN. CLASSE. PR. MISENENSI. QVÆ. EST. SVB. JVLIO.
FRONTONE. SEX. ET. VIGINTI. STIPEND. EMERIT.
DIMISSIS. HON. MISS. QVOR. NOM. SVB. &c.

CAP. II.

De Triumpho Navali.

Triumphus navalis distinctus fuit a terrestri. Primus Romæ a Duilio habitus. In eo ante omnia præmissa navis laureata: deinde sequebatur classis spoliis navalibus decorata, quam excipiebat civitas in portu. pone trahebantur naves captivæ. Tum imperator exponebat, suo ductu gestum esse bellum, justam hostium classem a se superatam. In Triumpho ipso præcedebant tibicines fidicinesque, imagines fluviorum, marium, classium devictarum, arma spoliaque navalia. Rostra plaustris vehebantur & acrostolia, præcedebat quoque captiva pecunia, coronæ dono datæ. Imperator stabat in curru ornatus, sicut in triumpho terrestri. Sequebatur turba militaris nauticaque. Tum spolia, Diis consecrata, rostra, naves integræ servatæ in campo Martio, & postea in ædibus Sanctorum. erecta trophæa navalia, columnæ rostratæ, arcus triumphales, ædes quoque privatorum spoliis hujusmodi ornatæ. Eadem observata apud Græcos, uti prolixe referunt autores, quos non parum hac occasione vel exponimus, vel emendamus.

AD præmia pervenio, quæ duplicia fuere: Imperatoris, vel exercitus. Imperatoris præmium peculiare triumphus, aliquando & titulus. Si enim mari bene rem administrasset, apud Romanos *triumphum* celebrabat, distinctum a terrestri; unde & *navalem* vocavere. Livius l. XLV. cap. 42. *C. Octavius Calendis Decembribus de Rege Perseo navalem triumphum egit*. Vellejus Paterculus lib. I. cap. 9. *Eo anno & Octavii prætoris navalis fuit triumphus*. Meminerunt Fasti Triumphales sæpius & Florus lib. II. cap. 2. his verbis. *M. Fabio Buteone Consule classem hostium in Africo mari apud Ægimurum jam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus o tunc triumphus tempestate intercidit, cum opulenta præda classis, adversis acta ventis naufragio suo Africam & Syrtes implevit. Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam ac triumphum periisse naufragio.* Primus eum Romæ habuit Duilius bello Punico primo, ipso & Cn. Cornelio Consulibus, cum victor ad Liparas, superatis navibus Pœnorum, extitisset. Fasti Triumph. *C. Duilius M. F. M. N. cos. primus An. C. D. XCIII. navalem de Siculis & classe Pœnica egit K. intercalar.* Livii Epitoma lib. XVII. *Romæ C. Duilius Cs. qui adversus classem Pœnorum prospere pugnavit, primus omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum*. Plinius lib. XXXIV. cap. 4. *C. Duilius primus navalem triumphum egit de Pœnis*. Testantur eadem Florus, Marcus Tullius, & Maximus Valerius. Cæterum priusquam hic triumphus poterat institui, Prætor, sive Consul navem laurea coronatam mittebat Romam, nuntiam victoriæ. Appianus bell. Pun. de Scipione: Ναῦν ὀξυτάτην κοσμήσας λαφύροις ἄγγελον τ̃ νίκης, ἔστειλεν ἐς ῥώμην. Postea suas naves mittebat, decoratas spoliis navalibus, vel ipse etiam una proficiscebatur, subvehebaturque ad Navalia, nave maxima totius classis, suæ aut captivæ, eaque splendidissime ornata. Livius lib. XLV. cap. 35. *Paulus ipse post dies paucos Regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed & regiorum textilium, adverso Tyberi ad Urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine*. Observa adventantibus Romanos processisse obviam, non plebejos modo, sed & Sacerdotes, magistratus, Prætores, Consules, ad quos cum appulissent, sistere navim, ac descendere in terram solebant. Apparet ex Catone, qui quia id omiserat, a plerisque reprehensus est. Plutarchus: *Ut trajecisse eum Romam nunciatum est, ilico omnibus magistratibus & sacerdotibus universo Senatu & frequenti populo obviam ei ad flumen prodeuntibus completæ utrinque ripæ fuere, nihil a triumphi specie & splendore abfuit subvectio ejus. Tametsi quibusdam insolentius id visum, quod ad CSS. & Prætores effusos obviam non descenderit, neque cursum inhibuerit, sed incitata hexere Regia prævectus, non ante remiserit, quam classe navale invectus esset*. De Paulo prodidit Plutarchus, *lento navis cursu incessisse, ut triumphalem pompam Populus Romanus quodammodo prælibaret*. Ornamentorum porro in classe spoliorumque mentionem facit Florus lib. II. cap. 7. *Lævino CS. populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora veluti triumphali classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ, Africæ præferebat*. Et Frontinus lib. II. cap. 13. *Publ. Claudius navali prælio superatus a Pœnis cum per hostium præsidia necesse haberet erumpere, reliquas viginti naves tanquam victrices jussit ornari, atque ita Pœnis terribilis excessit*. Forte in hunc finem Caligulam legimus apud Suetonium conversum ad curam triumphi præcepisse suis etiam triremes, quibus introierit Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehi: splendidissimum enim triumphum apparabat. Præter spolia prædicta etiam palmis naves decorabantur, uti observamus ex inscriptione veteri de Duilii triumpho, cujus inter cætera etiam hæc sunt verba. CLASSESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PALMA. Addebantur & coronæ sertaque, uti patet ex Suetonii Vitellio. *Itinere*, inquit c. 10. *incohoato, per medias civitates ritu triumphantis vectus est, perque flumina cum delicatissimis navigiis, & variis coronarum generibus redimitis*. Ducebant autem secum non suas duntaxat naves, sed & hostiles, puppibus suarum religatas, plenas & ipsas tabulis ac spoliis. Tum Senatum adibant, & ut triumphare sibi liceret, orabant. Nec enim sine ipsius decreto habere triumphum fas erat. Ostendit Valerius Antias apud Livium lib. XXXVII. cap. ult. quando ita scribit. *Ad quatuor millia captivorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita, eaque caussa Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi ab Senatu fuit*. Et Cic. Orat. Verr. v. *Nec quidquam erat jam reliquum, nisi ut classe P. R. pulcherrima amissa, provincia lacerata triumphus navalis tibi decerneretur*. Decernebat autem Senatus, audito prius extra urbem Imperatore, num suis auspiciis præfuisset bello. Docet lis contentioque Q. Valerii Prætoris, cum Luctatio Consule apud Valer. Maximum lib. II. cap. 3. quorum cum huic Senatus, quia circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleverat, decrevisset triumphum, alter non contentus consulem provocavit, eique *sponsionem detulit, ni suo ductu Punica classis esset oppressa*. Non enim interponere hanc sponsionem Valerius, aut accipere oblatam potuisset Luctatius, nisi uterque scivisset, litem dirimi, quamprimum alter sub alterius auspiciis fuisse pateret. Quod & Luctatius ostendit, ideoque statim ab initio contentionis negavit fieri oportere, ut Valerio decerneretur, ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur. Qui

igitur non propriis auspiciis rem gessisset, is jus triumphandi non habebat. Quod tamen ipsum nondum sufficiebat: requirebatur enim ut triumphum habiturus antea doceret, se cum justa classe hostium pugnasse, justam navium cepisse multitudinem, aut demersisse, justum hostium prostravisse numerum. Testatur Livius lib. XXXVII. cap. 58. *Per eosdem*, ait, *T. Quintium Flaminium & M. Claudium Marcellum censores Æmilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi Regis devicerat, extra urbem in æde Apollinis quum Senatus datus esset, auditis rebus gestis ejus, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naves demersisset, aut cepisset, magno consensu patrum triumphus navalis est decretus.* Audiunt hic prius patres, cum quot classibus dimicarit, quot ceperit aut demerserit naves, ac tum demum triumphum decernunt. Quam magna vero classis hostium esse, quotque ex ea capi naves aut demergi debuerint, ut competeret triumphus, parum constat. Ea classis, qua cum Æmilius conflixit, navium undenonaginta fuit, uti paulo ante docet Livius. Majorem eam tamen fuisse putem, quam ut de æquali tantum triumphare licuerit. Duilius certe, quem antea primum triumphum navalem egisse memoravimus, decem tantum naves cepit. Titulus columnæ in honorem ejus positæ. SEPTEREMEM. BIREMOSQUE. TRIREMOSQUE. NAVEIS. X. CEPIT. Porro impetrata a Senatu, cujus unius hæc potestas fuit, triumphandi licentia, pompa ipsa instituebatur. Ac primum quidem, uti in terrestri triumpho, præcedebant lictores, sequebantur alii cum cereis, alii cum tibiis, qui modos classicos ac nauticos canebant. Florus docet, quando de Duilio: *Non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.* Non adjecisset, opinor, ultima, nisi moris ita fuisset. Scribit Maxim. Valer. etiam *fidicinem* ei præcessisse; quod ipsum quoque verosimile, cum & fidicines, ut alibi docuimus, in classe habuerint. Tibicines excipiebant tabulæ imaginesque marium aut fluminum, in quibus prælia commissa fuerant; deinde arma spoliaque navalia, inque his præsertim rostra. Propertius El. 2. vers. 31.

Canerem Ægyptum & Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via.

Rostra plaustris vehebantur, una cum captivis armis. Appianus Bell. Mith. de Pompejo. ἁμάξας ὅπλων ἀπείρως τὸ πλῆθος καὶ νεῶν ἔμβολα παρῆγεν. *Plaustris ingentem numerum armorum & rostrorum navalium deduxit.* Immiscebantur etiam acrostolia, cæteraque navium ornamenta, abscissa post victoriam, & in hanc rem servata. unde Lucilius:

Proras despoliate, & detundite gubernacula.

Post hæc sequebantur tabulæ, in quibus numerus captarum navium, fortassis & figuræ. Ita in triumpho Pompeii παρεφέρετο καὶ πίναξ ἐγγεγραμμένων τῶνδε, ΝΗΕΣ ΕΑΛΩΣΑΝ ΧΑΛΚΕΜΒΟΛΟΙ ΟΚΤΑΚΟΣΙΑΙ. *translata est & tabula inscripta hoc titulo:* NAVES ROSTRATÆ CAPTÆ SVNT DCCC. Appianus de bell. Mith. Et Zonaras Annal. tom. 2. Ηγεμένοις ἐδηλοῦτο τὰ γένη, καθ' ὧν ἐθριάμβευεν. ἐν δὲ τέτοις νῆες πειρατικαὶ ὀκτακόσιαι, κατοικίαι δὲ πόλεων μιᾶς δέουσαι τεσσαράκοντα. Quem locum frustra suspectum habuit Hieronymus Wolfius, cum clarus sit, eumque Zonaras ex Plutarcho descripserit. *Augusto legimus in Actiaco triumpho prælatum simulacrum pugnæ navalis apud Actium, in tabula*, inquit Goltzius in vita ejus. Nonnunquam ex metallo varias in effigies fuso ac formato fiebat. Claudianus de VI. Consulatu Honorii.

Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpeio spectanda Jovi. Cælata metallo
Classis ut auratos sulcaret remige fluctus,
Ut Massyla tuos anteiret oppida currus
Palladiaque comas innexus arundine Triton,
Edomitis veheretur equis, ut in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.

Succedebat capta pecunia, itemque coronæ dono datæ a Sociis: Livius lib. XXXVII. c. 59. de Æmilii Regilli triumpho: *Triumphavit calendis Februariis; in eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt, pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi. Tetradrachmæ Atticæ XXXIV. M. VII C. Cistophororum 131. millia.* Pone ibant captivi piratæ, præfecti navium, & duces. Docet Cicero in Verrem, ubi sic ad ipsum, *Vivum tu archipiratam servabas, quem per triumphum, quem ante currum tuum duceres. Neque enim erat jam reliquum nisi ut classe P. Romani pulcherrima amissa triumphus navalis tibi decerneretur.* Plutarchus & ex eo Zonaras, in triumpho Pompeii de piratis. αἰχμάλωτοι δὲ ἐπομπεύθησαν, ἄνευ τῶν ἀρχιπειρατῶν υἱὸς Τιγράνου. *In triumpho ducti sunt captivi archipiratæ, & præter eos filius Tygranis.* Et ideo de Octavii triumpho, qui navalis fuit, Livius velut rem inusitatam notat, quod *sine captivis* fuerit, ac *sine spoliis*. Hos omnes tandem sequebatur Imperator ipse, curru eminens, togam pictam indutus. Ita patet ex verbis Tullii antea prolatis, & Servilii apud Livium, lib. XLV. c. 38. quibus ei ipsi Octavio, cui triumphum navalem decretum diximus, currum, aureas & purpureas vestes attribuit. *Quod si*, ait, *in curru scandentes Capitolium auratos purpuratosque ex inferiore loco Lucius Paulus in turba togatorum unus privatus interroget; Luci Anni, Cnei Octavi, utrum vos digniores triumpho esse, an me censetis? currum ei cessuri, & præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri.* Docet etiam Suetonius, cum Cæsaris Octavii triumphum Actiacum, quem navalem fuisse dubium non est, appellat *curulem*. Num & coronatus fuerit, & si fuit, an lauream, num aliam habuerit coronam, non est notum. Nisi quis utrumque ex Valerii velit conjectare iis verbis, quæ leguntur lib. II. cap. 3. hoc modo. *Probentur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus myoparonumque piraticis rostris laudis inanis laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt.* Tribuere hic certe lauream videtur, non iis modo, qui deserta montium devicerunt, sed & myoparones piratarum, ex quibus alius triumphus, quam navalis esse non potuit. Ultimo loco, & post currum, ibant milites navales classiariive, tum gubernatores cæteraque turba nautica laureis ornata. Servilius in adducto loco: *Legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & navales socii: Macedonicæ legiones suo abrogato, triumphos alienos spectabunt.* Deducta ad hunc modum pompa per plateas publicas ad Capitolium, & rite ibi, sicut assolet, peractis sacrificiis, Imperator aliquid ex spoliis dedicabat diis. Imprimis rostra, quæ & in templis suspendi olim mos erat. Herodotus in Thalia: *Sexta*

eos (Samios) *anno Æginetæ navali prælio victos cum Cretensibus diripuerunt, ac rostratas naves mutilarunt, eaque rostra ad Minervæ templum in Ægina affixerunt*. Livius lib. x. cap. 2. *Rostra navium, spoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa, multi supersunt qui viderunt*. De insigniis victoriæ navalis loquitur, quam a Cleonymo obtinuere, ante primum bellum Punicum. Ad rem eandem etiam Virgilius alludit lib. VII. Æn.

Multaque præterea sacris in postibus arma
Captivi pendent currus ——
—— ereptaque rostra carinis.

Ita de Octavio Suetonius cap. 18. *Ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum spoliis navalibus, Neptuno ac Marti consecravit*. Meminit & Dio Cassius lib. LI. *Sic & de Cleopatra triumphus concessus est, & fornix trophæum gerens Brundusii, aliusque in Foro Romano, utque Sacrarii Julii basis captivarum navium rostris ornaretur*. Quod supra Neptuno ac Marti, id hic Julio fecit, in deorum nempe numerum recepto. Aliquando naves integras consecrabant, ut Athenienses victis Lacedæmoniis. Diodorus lib. XII. ϗ τῷ ποσειδῶνι περὶ τὸν Ἰσθμὸν ναῦν καθιέρωσαν. Idque aliquando decimarum nomine. Quemadmodum Cæsar, Strabone teste: *Sunt*, ait, *navalia juxta Apollinis Actii templum, in quibus Cæsar undeviginti naves decimarum nomine reposuit*. Idem & Germani fecere. Tacitus Hist. V. cap. 22. *Prætoriam triremem, flumine Luppia, donum Veledæ traxere*. Duravit isthæc consuetudo longo post tempore in Oriente, etiam sub Christianis Imperatoribus. Docet Narses exemplo suo, de quo Cedrenus. *Naves quæ supererant, eas Narses, quasi donarium Deo obtulit, Methoneæ dedicans ecclesiæ*. Nec subductæ tantum, verum etiam crematæ, in honorem deorum deprehenduntur. Appianus de Scipione in bell. Pun. *Arma machinasque & naves inutiles Marti Minervæque sacratas succinctus cremavit more patrio*. Atque ita quidem gratias agebant Diis Maritimis pro concessa victoria. Nam & alias in periculis aliquid ex instrumentis navalibus consecrabant Deo. Sicuti constat exemplo Agamemnonis, qui Dianæ clavum donavit, postquam in continendis ventis ipsi navavit operam. Autor Callimachus, Hymno εἰς Ἄρτεμιν. Et naufragi in fluctibus servati, tabulas naufragii vestimentaque suspendebant, ut Horatius testatur. Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. VII. ver. 27. ubi sic Poeta:

Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. pictores quis nescit ab Iside pasci?

tabella, inquit, *quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere tabellas, & in templo Isidis ponere*. In templo Isidis ponebant, quia Isis præerat navigationi, uti Lucianus docet. Hinc PELAGIA in inscriptione veteri, apud Gruterum, dicta est. Ponebant & in templis aliorum, Neptuni imprimis, Nympharum, Priapi; extantque adhuc hodie earum exempla. Adscribam unius, ut est lib. IV. epig. tit. de naufragis, propter rei novitatem:

Εἰκόνα τ̃ κήλης Διονύσιος ὧδ' ἀνέθηκε
Σωθεὶς ἐκ ναυτῶν τεσσαράκοντα μόνος.
Τοῖς μηροῖς αὐτὴν γὰρ ὑπερδήσας ἐκολύμβα
Ἔσω ϗ κήλης ἔν τισιν εὐτυχίη.

Imaginem herniæ Dionysius hic posuit, servatus ex nautis quadraginta solus. in fœmore enim ipsam super ligans enatavit: sic quoque in quibusdam herniæ felicitas. Quin & naves integras dedicabant diis, liberati ex tali periculo, additis titulis, qui dedicationis causam continebant, ut ex aliis epigrammatis dicto loco cognoscimus. Etiam extra eum casum nonnunquam, post navigationem secundam, quomodo Catullus Phaselum suum Castori & Polluci dedicavit lib. I. ep. 4. In senectute quoque hoc factum observamus a nautis, cum non amplius navigare valerent; & testantur Epigrammata non pauca dicto loco, quæ brevitatis studio describere supersedemus. Alias ejusmodi tabellas etiam Plutoni fuisse sacratas ex Inscriptione veteri Tomasinus docet. Addo, & *Jovi Servatori*, cui ideo in Piræeo portu Athenienses templum constituisse videntur, cujus meminit Strabo lib. IX. Arrianus lib. VIII. Exp. post expeditionem Nearchi, servatamque ex multis periculis classem scribit Alexandrum sacra fecisse Διὶ σωτῆρι, *Jovi Servatori*, atque Herculi, & Apollini Alexicaco, item Neptuno & diis marinis. Postremo *Veneri Pelagiæ*, quam & per quietem vidisse, bonum navigantibus ait Artemidorus lib. II. cap. 42. Ἀφροδίτη ἡ πελαγία, ναυκλήροις ϗ κυβερνήταις ἡ πᾶσι τοῖς ναυτιλλομένοις, ἀγαθὴ τετήρηται. Nempe Pelagia orta e mari, credebatur elementi ejus nonnullam habere potestatem: dicebatur quoque *Pontia*, quam eandem esse cum Limenia Pausanias in Corinthiacis ostendit. Post ea cæteræ captivæ naves subductæ vel in navalibus, vel in Campo Martio. De priore testis Appianus bell. Mith. Scribit enim de Pompejo, *in portu deduxisse naves integras DCC*. De posteriore Livius lib. XLV. c. 42. *Naves Regiæ captæ de Macedonibus inusitatæ ante magnitudinis, in campo Martio subductæ sunt*. Ad postremum signa quoque aliqua victoriarum erigebant, spoliis navalibus cæteris, cum primis vero rostris exornata. Quale fuit tribunal in foro, rostris navium ab Antiatibus captarum decoratum, de quo Plinius lib. XVI. cap. 5. *Rostra præfixa tribunali, foro decus erant*. Item Cicero, Orat. pro L. Manilia. *Non pudebat magistratus P. Romani in hunc locum ascendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis, & classium spoliis ornatum reliquissent*. Imaginem illius tribunalis exhibet nummus, quem habes, & apud Fulv. Ursinum in familia Lollia, & Antonium du Pois,



p. 132. Magis vero columna Duilii, qui princeps verum egit triumphum maritimum. Silius lib. VI.


Æquoreum juxta decus & navale tropæum
Rostra gerens, nivea surgebat mole columna
Exuvias Marti donum, quæ Duilius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.

Similem columnam M. Æmilius Consul quinque annis post in Capitolio posuit, cum, ut testantur Fasti Triumphales, de Cossurensibus & Pœnis egisset triumphum navalem, quæ tamen postea fulmine diffracta est. Livius lib. XLII. cap. 50. *In suspensa civitate ad expectationem novi belli, no-*


A *cturna tempestate columna rostrata in Capitolio, bello Punico priore posita a M. Æmilio Consule, cui collega Serv. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Aruspices in bonum versurum id prodigium responderunt, quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset.* Post hunc meminem hujusmodi columnam statuisse legimus, usque ad tempora C. Julii, de quo Servius ad lib. III. Georg. *Columnas rostratas Julius Cæsar posuit, victis Pœnis navali certamine: e quibus unam in rostris, alteram ante arcum videmus a parte januarum.* Suspectus tamen mihi est hic locus, quum nullum sciam Julii de Pœnis triumphum. B Et Sabinus repetens (ut arbitror) ex Servio hæc verba, columnas istas non a Julio, sed a Cajo Cæsare, nec ante arcum alteram, sed circum maximum refert constitutas. Credo Servium non Julium Cæsarem, sed Duilium Cos. scripsisse, vitiumque esse ab iis, qui quod Duilium minus nossent, litteras *Cos.* Cæsarem interpretabantur. Aut pro Pœnis, Ponticis, scribendum esse: licet sic in hoc triumpho apud neminem, præter hunc scriptorem, istiusmodi columnas erexisse legeretur, nisi per columnam Rostra intelligere velimus, etiam a Julio sic appellata, quorum mentio apud Dionem lib. LVI. & effigies apud Fulvium C Ursinum in hoc denario.



D Retinet certe primam Servii lectionem etiam P. Danielis codex, sed ita, ut pro *Julius Cæsar*, *Duillius Cæsar*, & pro *arcum*, *circum*, uti & Sabinus scripsit, præferat. ex quo ipso non usque quaque probam esse istam lectionem facile colligitur. Plane & apud Sextum Rufum in Regione Fori Romani observo *Columnam divi Julii*. pro quo tamen Lipsius legit *Duilii*. Quemadmodum & apud Quintilianum, lib. I. cap. 7. ubi similiter *Julii* pro *Duilii* positum existimat. Quod si admittimus, sine dubio apud P. Victorem pariter *Columna cum statua C. Duilii*, in prædicta regione scribendum erit, pro eo quod nunc legitur: E *Columna cum statua magni Ludi*, vel *M. Ludii*. Quicquid sit, Augustus posuit, eamque spoliis navalibus decoravit. Appianus lib. V. *καὶ ἐπὶ κίονος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος ὅπερ ἔχων εἰσῆλθε, καὶ περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων*. Ita enim recte ista corrigit Ursinus, ex denario argenteo, cujus apud ipsum pariter & Goltzium in nummis extat hæc effigies, cum statua Augusti.



Præter hanc, & quatuor alias constituit ex puro ære, quas Domitianus postea sublatas retulit in A Capitolium. Servius iterum prædicto loco. *Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superavit, multa de certamine navali sustulit rostra ærea, quibus conflatis quatuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt positæ, quas hodieque conspicimus.* Junius Philargyrius non Augustum ipsum has columnas, verum alios, Senatum puto; nec in ipsius tantum, sed Agrippæ quoque gratiam posuisse affirmat. *Columnas*, inquit, *dicit, quæ in honorem Augusti & Agrippæ rostratæ constitutæ sunt.* Inter nummos etiam a Vespasiano cusos extat unus apud Occonem, cum columna rostrata & effigie imperatoria. B Erexerunt porro quoque alia tropæa bellorum navalium victores, ex instrumentis navalibus ac armis, qualia sunt anchoræ, gubernacula, tela, naviumque fragmenta. Docet nummus primus Augusti, de victoria Siciliensi apud Goltzium his imaginibus.





C Quin & arcus triumphales quis reperiat hujusmodi spoliis navalibus ac rostris exornatos, qualis iste in illo altero nummo apud prædictum Goltz. Ad postremum præter ædes sacras, præter loca publica, etiam privatim domos suas istiusmodi navium captivarum rostris exornabant. Patet ex D Pompeii domo, de qua Cicero ad Antoninum Philippica II. *An tu illa vestibula, rostra, spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putabas?* Sed de Romanorum moribus quæ dicta sunt, sufficiant. Ad Græcos veniamus, qui & ipsi haud ita multum fuere diversi. Jam primum omnium etiam apud illos Imperator classe spoliis hostilibus decorata proficiscebatur domum, captivasque naves pone trahebat. Plutarchus de Alcibiade: *At Alcibiades jam visere cupiens penates, vel potius toties fusis fugatisque hostibus, videri affectans a civibus, vela facit. Naves Atheniensium vi magna clypeorum & manubiarum undique adornatæ* E *erant, magnum agmen trahebant secum captivarum, plura deportabant concisarum ab se & oppressarum insignia, quæ ducentarum omnes explebant numerum.* Xenophon Hist. lib. II. de Lysandro. *Avexit secum ornamenta captivarum navium, & ex Piræo triremes, duodecim exceptis, coronasque, quibus ipse a civitatibus fuerat donatus, argentique talenta CCCLXX.* Nota Græcis pariter, ut Latinis Imperatoribus, a Sociis honoris caussa coronas donari solitas, id quod aliunde quoque patet. Pro ornamentis captivarum navium in Græco apud Xenophontem est, *τὰ τῶν* F *αἰχμαλώτων νεῶν ἀκρωτήρια*; quo vocabulo acrostolia & aphlasta significantur, quia hæc potissimum in pompis istiusmodi a Græcis ostentata. Diodorus de Demetrio lib. XX. *Ipse naves suas acrostoliis exornat, captasque remulco trahens ad castra portumque suum revertitur.* Et hinc etiam in ipsa pugna captabantur studiose, & abscindebantur, idque *ἀκρωτηριάζειν* appellabant. Xenoph. lib. VI. Hist. *ὁ μέν τοι Ἰφικράτης τὰς μὲν τριήρεις ἀκρωτηριασάμενος ἕλκων κατηγάγετο εἰς τὸν Κερκυραίων λιμένα.* *Iphicrates aplustria hostilium navium abscindens,*

dens, easque pone trahens in portum Cercyræorum deduxit. Suidas. Ἀκρωτηριάζω, τέμνω τὰ ἄκρα. scil. νεῶν. Porro arma ista decore disponebant per tabulas, clypeos suspendebant a lateribus, naves ipsas redimibant coronis. Diodorus Siculus lib. XIII. de Alcibiade: *Suas etiam triremes armis aureis & coronis manubiisque, & id genus aliis magnifice exornatas habuit*. Igitur Rhodii apud Vitruvium, *cum conspexissent suas naves laureatas venire, opinantes cives victores reverti, hostes receperunt* lib. II. cap. 8. Quo fraudis genere non semel circumventos adversarios a callidis Græcorum ducibus, Polyænus ostendit. Intelligitur hinc Curtius, quando lib. IV. c. 4. de Tyriis dicit: *navigia conscendisse redimita coronis floribusque, atque ita victoriæ non omen modo, sed & gratulationem præcepisse*. Suis etiam, militumque & nautarum capitibus imponebant coronas. Plutar. in Timoleonte. *Carthaginensium navarchus jubens nautas coronari, ornansque triremes clypeis Græcis & Punicis, ad Syracusas navigavit*. Polyæn. lib. IV. de Antigono. Ἀντίγονος μετὰ τὴν νίκην τῆς ἐν ἑλλησπόντῳ ναυμαχίας πλεῖν τὰς ναῦς ἐπὶ φοινίκης ἔταξε, τοὺς μὲν ναύτας ἐστεφανωμένους, τὰς δὲ πρύμνας κεκοσμημένας λαφύροις καὶ ἀκροστολίοις αἰχμαλώτων τριηρῶν. Nonnunquam naves etiam captivas exornabant, si Justino credimus, qui id de Lysandro tradit. *At dux, ait, Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis fortunæ hostium insultans, captivas naves cum præda bellica in triumphi modum ornatas, mittit Lacedæmona*. Inter navigandum canebant tibicines in navibus, quibus addebatur pæan. Plutar. in Lysandro. Μετὰ αὐλοῦ καὶ παιάνων ἀνέπλευσεν εἰς λάμψακον. *cum tibiis & pæane Lampsacum navigavit*. Et paulo post. ὁ δ' οὖν Λύσανδρος ἐνδόντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς ἅπαντα πολλὰς μὲν ἐξ ἄστεος μεταπεμψάμενος αὐλητρίδας, πάσας δὲ τὰς ἐν τῷ στρατοπέδῳ συναγαγὼν τὰ τείχη κατέσκαπτε. Oppianus Halieut lib. V. v.294.

Οἱ δὲ μέγαν νίκης παιήονα κυδαίοντες
Εἰρεσίῃ σπέρχοντες ἐπικλάζουσι θαλάσσῃ
Ὀξὺ δ' ἐπειγομέναις ἐλάταις νόμον ἀείδοντες
Ὡς δ' ὁπότ' εἰναλίοιο διακρινθέντος ἄρηος
Νῆας ἀναψάμενοι νηῶν ἐπιβήτορας ἄνδρας
Δυσμενέας ποτὶ χέρσον ἐπειγόμενοι κατάγουσι
Γηθόσυνοι. νίκης δὲ διαπρύσιον βοόωσι
Ναύμαχον εἰρεσίης παιήονα. ——

Illi vero magnum victoriæ pæana celebrantes, remigio properanter exultant in mari, acutum accelerantibus abietibus modum canentes. Ut vero cum maritimo dirempto prælio navibus revinctis navium conscensores viros hostes ad terram festinantes subducunt læti, victoriæ autem sonorum clamant navalem remigiis pæana. Postquam appulissent, ex adductis secum spoliis statuebant varia in honorem Deorum. Quemadmodum in templo Jovis apud Megarenses fuit *æneum rostrum navis Atticæ*, ab ipsis captæ in bello Salaminio, ut testis est Pausanias lib. I. qui & Delphis *statuam Lysandri æneam ex manubiis* collocatam affirmat. Sic Lycomedes τὰ παράσημα h. e. *signa captæ a se navis* dedicavit Apollini Victori. Sic Rhodii, teste Diodoro Siculo, Demetrio victo, manubias navium cum acrostoliis Diis consecrarunt. Et Syracusii Atheniensium spoliis τοὺς ναοὺς ἐκόσμησαν, *templa sua exornavere*. Unde Silius Italicus l. XIV. ver. 49.

Quid tot captivis fulgentia culmina rostris
Armaque fixa deis? aut quæ Marathonius hostis
Perdidit, aut Lybia quæ sunt advecta subacta.

Nonnunquam naves integras, sicut Romani, dedicabant diis. Herodotus lib. VIII. de Græcis universis post pugnam Salaminiam. Τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια ἄλλα τε καὶ τριήρεας τρεῖς φοινίσσας. *Dedicabant diis spolia tum aliarum rerum, tum Phœnissas tres triremes*. Diodorus Siculus l. XII. de Phormione victis Lacedæmoniis: ναῦν ἀνέθηκε τῷ Ποσειδῶνι. *Neptuno navem consecravit*. Idem eodem libro, & Thucydides lib. II. Suidas: Ἰσορεῖ καὶ Μνασέας, ὅτι αἰγεῖς οἱ ἐν ἀχαΐᾳ καταναυμαχήσαντες αἰτωλοὺς καὶ λαβόντες πεντηκόντορον αὐτῶν δεκάτην Πυθοῖ ἀνατεθέντες, ἠρώτων τίνες εἶεν κρείττους τῶν ἑλλήνων. *Mnaseas narrat, Æginenses qui sunt in Achaia, Ætolis navalio prælio victis pentecontorum captam pro decima Apollini Pythio consecrasse, & ex eo quæsisse, quinam Græcorum se præstantiores essent*. De Alexandro Arrianus lib. II. *Navem etiam Tyriam sacram Herculi quam navali pugna ceperat, Herculi dedicat, cum inscriptione*. Deorum honore rite perpetrato statuebant tropæa, item statuas, & porticus cum rostris, & aquilas cum victoriis, & clypeos, & galeas, & alia ejus generis multa, monumenta victoriarum. Tropæa non domi tantum, sed & foris erigebant Imperatores, re præclare gesta, iis maxime in locis, quibus quisque commisisset prælium, & obtinuisset victoriam. Thucyd. lib. II. *Athenienses illos prosecuti, captisque duodecim navibus ad Molycrium navigarunt, ac tropæum in Rhio statuerunt*. Et paulo post: *Athenienses autem reversi tropæum statuerunt, unde profecti vicerunt, & cadavera naviumque fractarum tabulas, quæ ad ipsorum oram delatæ fuerunt, susceperunt*. Quod de naufragiis adjicitur, ideo est factum, quia ex ipsis tropæa construebantur. Diodor. Siculus lib. XIII. *Quamprimum illuxit, collectis naufragiis priori tropæo alterum adjiciunt*. Hinc illorum occupatio inter signa victoriæ, solebantque victores classem victricem inter ea aliquandiu tenere quietam, atque ita hosti confessionem quasi acceptæ cladis exprimere. Polybius Histor. XVI. cap. 7. *Victoriam Philippus duplici prætextu sibi vindicabat: unus erat, quod Attalo in terram expulso, navem ipsius ceperat. Alter, quod naves cum ejecisset, circa Argenum promontorium, videbatur stationem occupasse, quæ naufragiis immineret. Convenienter his & sequenti die idem gessit, tabulas naufragii colligens, & cæsorum corpora, quæ poterant agnosci, ad sepulturam tollens, ut eam opinionem, quam dixi, in animis hominum confirmaret*. Persuadet hic Philippus aliis victoriam suam, etsi male multatus ab hoste, tantum ex eo, quia cedente hoste, ipse classem suam inter navium hostilium tabulas & fragmenta retinere potuit. Thucyd. de Corinthiis & Athen. lib. VII. *Utraque pars sibi victor videbatur: quia tamen Athenienses naufragiis potiti sunt, magis pro victoribus habebantur*. Intelligitur opinor hinc, quid in Urania voluerit Herodotus, his verbis: ὡς δὲ ἡ ναυμαχίη διελέλυτο, κατειρύσαντες ἐς τὴν Σαλαμῖνα οἱ ἕλληνες τῶν ναυηγίων ὅσα ταύτῃ ἐτύγχανε ἔτι ἐόντα, ἕτοιμοι ἦσαν ἐς ἄλλην ναυμαχίην: *defuncti navali pugna Græci reductis in Salaminem navibus potiti sunt naufragiis, quæ illic supererant, parati ad aliam dimicationem*. Tribuit nimirum Græcis victoriam prælii Salaminii propterea, quia naufragiis potiti erant. Idem significabant, si in eo loco substitissent, unde ad pugnandum egressus esset hostis. Hirtius de bello Alexand. *Vatinius re bene gesta receptui cecinit, suisque omnibus incolumibus in eum se portum victor recepit, quo ex portu classis Octaviana ad dimicandum processerat*. Livius libr. XXXVI. cap. 46. *Romani eo die, unde egressa regia classis erat, manserunt*. De tropæis porro observandum, nefas

fuisse, ea a quoquam removeri, Vitruvio teste lib. II. cap. 8. Ne tamen perpetua ignominia sic notaretur gens, quæ cladem passa esset, nunquam concessisse veteres, ut aut ex lapide fierent, aut collapsa iterum restituerentur. Donec ad postremum gliscente ambitione ac superbia, hoc quoque a Romanis cœpit fieri. Celebranturque apud ipsos marmorea Marii in Esquilino, saxea Augusti in Alpibus tropæa, e quibus etiamnum hodie rudera quædam supersunt. Æreorum etiam ab Alexandro mentionem fieri videmus. Præter ista, quæ nunc memorata sunt, observamus Græcos, si forte peregrinus fuisset imperator, cujus ductu victoriam obtinuissent, ei civitatis jus immunitatemque onerum publicorum concessisse. Documento Chabrias, qui id teste Demosthene Adv. Leptin. ab Atheniensibus accepit. Romani, Principes præsertim, ipsi sibi multos excogitarunt honores. E quibus hic silentio præteriri non debet *corona navalis*, quam Claudius Imperator in ædibus suis suspendi curavit. Suetonius. *Inter hostilia spolia, navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quasi domiti Oceani insigne.* Extat etiam marmoreæ alicujus mentio Liburnæ in Notitia Imperii Constantinopolitani, quam victoriæ a Frajuto contra Gainam obtentæ monumentum Pancirollus interpretatur.

CAP. III.

De præmiis Ducum Gubernatorum, Militum.

Ducum præmia fuere coronæ classicæ vel navales, de quibus locus Dionis examinatur. Coronas quoque apud Græcos accipiebant Trierarchi duplici de caussa, quæ ibi exponitur. Addebantur his nonnunquam vexilla cærulea, de quibus locus Suetonii suspectus indicatur. Gubernatoribus militibusque donativum dabatur, item jus civitatis, immunitatis, connubiorum, & id genus: ad postremum locus singularis ad sepulturam.

De triumpho proprio Imperatoris præmio nunc actum est. Veniendum igitur ad duces cæteros, quibus Romani, post laudationem solennem, qualis etiam in terrestri bello fiebat ab Imperatore, coronam navalem, sive classicam donabant. Gellius lib. V. cap. 6. *Navalis corona est, qua solet donari maritimo prælio, qui primus in hostilem navem vi armatus transilivit.* Verba, *qui primus*, existimo præcipue referenda esse ad duces, quoniam illi frequentissime hac corona donati, ut exempla docent. Itaque & Festus, uti eum supplet Scaliger: *Navali corona solet donari, qui primus in hostium navem transilierit, cujusve opera manuve navis hostium capta fuerit.* Cujus opera, inquit, quod ad duces commodissime referri potest. Addit porro: *Itaque adeptus est eam M. Varro, donante Cn. Pompeio Magno, bello Piratico. Item A. Atilius bello contra Nabin.* Melius hunc locum Fulvius Ursinus, meo animo, restituit. *Navali*, ait, *corona donatur, qui primus in hostilem navem armatus transilierit: cujusque opera manuve navis hostium capta fuerit. Adeptus est eam M. Terentius Varro, bello piratico, donante Cn. Pompejo Magno. Item alii, inter quos A. Atillus, bello quod gestum est contra Nabin, ut scriptum est in carmine Saturnino, quod quidem duces ipsi sunt consueti in tabellis publicis ponere, in quo nominantur qui navali corona donati erant.* Alexander ut in cæteris, ita etiam in hujus rei expositione, aliqua de suo addit, Marcumque illum Varronem omnium primum istiusmodi coronam accepisse refert. Lipsius in Notis commentariisve suis ad An. Senecam, l. 3. de benef. cap. 32. etiam huic soli, cum Agrippa datam ait: *Navalis*, inquit, *corona e rostris navium concinnata, quam duo mortalium M Varro & Agrippa acceperunt.* Falso, uti vel ex Festo patet, & nos plurium exemplis confirmabimus. Allegat tamen Plinium testem, qui profecto nihil minus dicit. Verba extant lib. XVI. cap. 4. de Varrone: *In bibliotheca unius ejus viventis posita imago est, haud minore gloria principe oratore & cive ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quam cum eidem M. Pompejus piratico ex bello navalem dedit.* Eam coronam honoremve solum ait accepisse, ut imago ejus publice in bibliotheca poneretur, non navalem: unde facile ista verba Lipsio aliud agenti excidisse patet. Certe similem coronam a Trajano, vel quod quidam volunt alii, ab Adriano cepit Sura Licinius. Testis marmor vetus, cujus inter alia de Licinio etiam ista verba: DONATUM HASTIS PURIS VIII. VEXILLIS VIII. CORONIS MURALIBUS II. CLASSICIS II. Item Aurelianus a Valeriano Imperatore. Epistola Valeriani apud Vopiscum. *Cape tibi pro rebus gestis tuis coronas navales duas*: de Juliano Marcellinus lib. XXIV. *Appellans plerosque militum nominatim, quos stabili mente aliquid clarum fecisse ipse arbiter prospexit, navalibus coronis donavit, civicis, & castrensibus.* legimus quoque in marmoribus antiquis Claudium quendam Vitalem bis corona ejuscemodi donatum. Gruter. pag. 391. Insc. Ant.

TI. CLAVDIO. T. F. VITALI. VETER. EXQ. VETER.
DONIS. D. CORONA. NAVALI. BELLO. DACICO.
SVCCESSIONE. PROMOT. EX. LEG. ITAL. IN LEGI.
MINER. MER. DONIS. D. TORQVIB. ARMILLI. PHALER.
CORONA. NAVALI. BELLO. DACICO.

Item Q. Glitium Atilium, a Nerva Cæsare. Gruterus p. 416 post quædam alia

DONATO. AB. EODEM...
DONIS. MILITARIBVS...
VALLARI. CLASS.

Ex quibus exemplis apparet, notum istum usitatumque fuisse honorem. Igitur non satis admirari possum Dionem Cassium, diligentissimum scriptorem, qui hanc coronam uni solique Agrippæ tribuit, eamque neque ante, nec post quenquam accepisse affirmat. Verba hæc sunt lib. XLIX. καὶ τῷ Ἀγρίππα στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. [illegible] . *Agrippam aurea corona rostrata donavit, quod neque ante illum, nec post ulli contigit.* Equidem Dionis fidem eo minus habeo suspectam, quoniam & Livius, qui vixit illis temporibus, similia de Agrippa refert. Epitome lib. CXXIX. *M. Agrippa navali Corona a Cæsare donatus est, qui honos nemini ante eum habitus erat.* Idem etiam, qui & ipse illa tempestate vixit, Vellejus tradit Hist. II. c. 81. *Insigne*, ait, *coronæ classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit.* Et Seneca lib. III. de benef. c. 32. *Agrippa navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus.* Adducor igitur hoc

graviſſimorum virorum conſenſu eo, ut diverſam hanc Agrippæ coronam a vulgaribus claſſicis fuiſſe exiſtimem, vel materiæ reſpectu, quia erat pure aurea, vel potius figuræ ratione ac ſpeciei, quam præ ſe ferebat. Nummi ſane, in quibus Agrippæ eſt effigies, cum roſtrata hac corona, docent, iſta roſtra inter ſe fuiſſe conſerta contextaque, longe alia figura, quam quæ a Stevvechio pro navali nobis, neſcio ex quibus ſymbolis, exhibetur. Hujus enim roſtra vel proræ potius quædam aſſurgunt in altum, illius vero ex obliquo in



foliorum morem componuntur. Nummum, quem hic vides, Strada nobis exhibet, ſimiliterque apud Goltzium depictum reperias: qui & alios nummos, cum effigie Agrippæ, ſimilique corona habet, ut de veritate ejus dubitandum non ſit. Quod de materia dicebam, ideo non placuit, quia etiam vulgaris iſta fuit aurea. Gellius: *Navalis corona quaſi navium roſtris inſignita eſt, muralis autem, & caſtrenſis, & navalis fieri ex auro ſolet.* Pomp. Sabinus. *Navalis corona dabatur ei qui maritimo bello primus navem hoſtium cum victoria aſcendiſſet, & erat aurea.* Niſi plane putamus Livium, & Vellejum, & Senecam dicere ideo, quia quæ de his coronis reperiuntur, poſt ipſorum tempora accidere: unde merito aſſertum, ſuis neminem ejuſmodi donatum. Reperiuntur alioquin nummi apud Goltzium, in quibus querceæ, vel potius laureæ coronæ roſtratæ. Sed eas ego non huc referendas puto, quippe quas victorias Auguſti terra marique partas, non honorem eum, de quo loquimur, ſignificare exiſtimo. Effigies eorum iſta eſt. Cæterum & apud Græcos datas deprehendimus coronas; Primum ei, qui e trierarchis princeps navem vel triremem ſuam armis, nautis, claſſiariis haberet inſtructam. Autor argumenti Demoſthenicæ orationis de Corona. γράφεται ψήφισμα, τῶν τριηράρχων τὸν μὲν πρῶτον τῶν ἄλλων τὴν ναῦν κατέχοντα πεπληρωμένην, τὸ στέφανον λαβεῖν. *Decretum ſit, ut qui primus e trierarchis navem completam haberet, coronam acciperet.* Demoſthenes ipſe nomine Apollodori: *Juſſit populus quæſtorem ei coronam dare, qui triremem primus inſtruxerit; id quod ego feci, propterea me cenſeo coronandum.* Poſſis ex his verbis

A diſcere, illo demum tempore cœpiſſe hanc conſuetudinem, quod & Magno Viro, Carolo Paſchalio lib. 7. cap. 4. de coronis notatum. Meminit tamen & Pollux hujus coronæ, velut ſolenniter dari ſuetæ. Περιορμεῖν, inquit lib. I. cap. 9. καὶ περιορμίζειν τὴν ναῦν περὶ τὸ χῶμα φησὶν ὁ Δημοσθένης. τῷ δὲ θᾶττον ποιήσαντι τοῦτο, τὸ ἆθλον στέφανος ἦν. *Navim aggeribus appellere, dixit Demoſthenes. ocyus vero hoc facienti, corona præmium erat.* Paſchalius hæc verba explicat de iis, qui hoſtium inſula promptius navibus circumdata, inibi aggerem occupaſſent, ac proinde ſuis inſulam aperuiſſent. At vero noſtram ſententiam
B Demoſthenes ipſe ſatis tuetur, qui nullo verbo ejus rei mentionem facit. Neque χῶμα, agger in hoſtili inſula, quod vult Paſchalius, ſed ea pars portus, quam tenent naves jamjam exituræ. Pollux lib. IX. cap. 5. τὰ περὶ τοὺς λιμένας μέρη, δεῖγμα, χῶμα, ἐμπόριον. Meminit eodem ſenſu etiam Plutarchus. Itaque ex illa quidem, quam prodidit Paſchalius, cauſſa datam alicui coronam parum conſtat. Iis tamen dabatur, qui pulcherrime triremem ſuam habebant inſtructam. Prædictus Autor argumenti, in orat. de Corona claſſica: Προστεθείσης δὲ πάλιν δοκιμασίας, ὅς τις κάλλιστα παρεσκευάσατο τὴν τριήρη, στεφανῶσαι καὶ τοῦτον,
C ἀντιποιεῖται καὶ τούτου τοῦ στεφάνου ὁ Ἀπολλόδωρος. *Cum autem rurſus propoſitum eſſet, ut is aliam qui pulcherrime inſtruxiſſet triremem, acciperet coronam, eam quoque coronam Apollodorus ſibi vendicavit.* Quanquam verum ſi velimus dicere, neque has, nec illas ex prædictis cauſſis dari, uſitatum fuiſſe nobis videatur; niſi forte cum neceſſitas exigeret celeritatem, claſſeque intra tempus breviſſimum opus eſſet: id quod initium prædicti argumenti, totaque Demoſthenis oratio oſtendit. Cæteræ coronæ, quarum meminit Paſchalius, quaſque eaſdem facit cum prædictis, atque omni-
D bus claſſiariis militibus poſt victoriam dari conſueviſſe ſcribit, prorſus huc non pertinent, ſed ad majeſtatem pompæ ac triumphi, ſicut præcedente capite monſtravimus. Quemadmodum nec illæ, quas *gratulatorias* appellat. Non enim præmium virtutis, ſed honoris ſocio & amico habiti indicium & ſignum erant; neque ducibus ab Imperatore, verum Imperatori ab Amicis fœderatiſque donabantur, ut ex ipſis Xenophontis, cujus nititur autoritate, locis manifeſtum eſt. Porro præter has coronas etiam vexillis, coloris cærulei, nonnunquam donabantur. Teſtis eſt Suetonius lib. II. de Octavio: *M. Agrippam in Sicilia poſt nava-*
E *lem victoriam cæruleo vexillo donavit.* Idem Dio memorat, niſi quod non ob Siculam, ſed Actiacam victoriam, h. e. tribus ferme annis poſt, eum hoc vexillum ſcribat accepiſſe. Verba extant lib. LI. καὶ τὸν μὲν Ἀγρίππαν ἄλλοις τε τισὶ, καὶ σημείῳ κυανοειδεῖ ναυκρατικῷ προσεπεσέμνυνε. *Agrippam quidem præter alios honores, vexillo etiam cæruleo, quod victoriæ navalis eſſet teſtimonium, exornavit.* Et profecto conſtat etiam ex nummis, ob victoriam a Siculis relatam non vexillo, ſed corona iſta, de qua paulo ante egimus, fuiſſe donatum. Servius ad Æn. VIII. *Sextus Pompejus,*
F *Pompeii filius in Siciliam piraticam exercuit, contra quem primo cum Agrippa dimicavit Auguſtus, poſtea Agrippæ cura data eſt, qui eum delevit: ob quod ei Auguſtus roſtratam dedit coronam, quia vicerat navali certamine.* Plinius lib. XVI. cap. 5. *Cedunt & roſtratæ coronæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres. M. Agrippa, tribuente Cæſare e Siculis, quæ & ipſa piratica fuere bella.* Quare neſcio, num aliud agens Suetonius iſta ſcripſerit, an potius lacuna ſit in textu. Si enim vexilli mentionem fecit, de

corona, ut illa tempestate celeberrima & singulari, diligens harum rerum annotator tacere potuisse non videtur. Gubernatores vero reliquaque multitudo militum nautarumque donativum post triumphum maxime accipiebat. Livius lib. XLV. cap 42. de Octavio Imperatore. *Dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus qui in navibus fuerant duplex, magistris navium quadruplex.* & cap. seq. de Anicio Quirinali: *de præda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini, quantum civibus, & sociis navalibus dedit, quantum militibus.* Porro quia milites sequentibus præcipue temporibus classis Misenatium & Ravennatium fuerunt exteri & peregrini, præmii loco eis quoque jus Civitatis dabatur, item jus connubiorum in civitate, missio honesta, nomen amicitiæ, exemptio ab omnibus tributis. Addebatur aliquando jus eligendi judicis ad lites, vadimonii præstiti annullatio, jus pro lubito retinendæ aut rejiciendæ emptionis aut venditionis factæ belli tempestate, & similia. Testimonium hujus rei tabulæ æneæ, quæ secundo a Cremona lapide inventæ quondam, & Venetias translatæ, cuncta ista docent. Descripsit eas Lipsius in libris Inscriptionum antiquarum, unde exemplum verborum, quoniam ad manus liber non est, petendum fuerit. Accedebat ad postremum locus singularis sepulturæ. Inscriptio vetus apud Goltzium. LOCVS FACTVS PVBLICVS, SEPELIENDIS MILITIBVS CLASSIS PROMONTOR. MISEN. Meminit hujus rei alia inscriptio apud Gruterum p. 208. FIETQ. PUB. SEPELIENDOR. MILITUM. CLASS. PR. MIS. DONATI. SINT. DUM. ÆGRESCUNT. ET. MORIUNTUR. NE. ÆRE CONLATO. CURENTUR. SEPELIANTURQ.

CAP. IV.

De Pœnis navalibus.

Pœnæ variæ. Ignominia. ἀναυμαχίου δίκη. Castigatio. verberatio cum funibus. Trajectio per thalamium. Immersio in aquam. Incessatio sputis ac saliva, manuum præsectio, exilium, vel depositio in insulam. mors.

CUM sint duo, quibus ad virtutem accenduntur homines, præmiorum spes, & metus pœnæ, de priore vero actum sit, necesse est ut ad posterius nunc veniamus. Habuerunt enim veteres, ut in militia terrestri, ita in navali certa aliqua supplicia, quibus sontes atque noxii afficiebantur. Ex his nonnulla prorsus eadem fuere, qualia in militia terrestri, nonnulla diversa. Ista, quoniam ab aliis exposita, omittimus, & ad ea venimus, quæ huic militiæ peculiaria. Quorum primum fuit *Ignominia*, vel ut Græci dicunt ἀτιμία, qua notabatur non ipse modo, sed & liberi ipsius, qui se præbuisset ignavum in conflictu. Suidas. *Ἀναυμαχίου ὡς τοῦ μὴ στρατεύεσθαι καὶ τοῦ λείπειν τὴν τάξιν, καὶ τὰ ὅπλα ἀποβάλλειν ζημίαι ἦσαν ὡρισμέναι ἐκ τῶν νόμων. οὕτω καὶ τοῦ μὴ ναυμαχῆσαι. τοῦτο τὸ ὄφλημα, ἀναυμαχίου ἐκαλεῖτο Ἀνδοκίδης. οὕτω δὲ δεῖ καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν ἀτίμους εἶναι.* Observa, ἀναυμαχίου δίκην appellari hoc crimen. Pollux lib. VIII. cap. 6. *Ἀναυμαχίου ἐκρίνετο, ὁ τὴν ναῦν μὴ λιπών, μὴ μέντοι ναυμαχήσας. Pugnæ navalis omissæ* (perperam interpres; *vacationis a pugna militari*) *vel ἀναυμαχίου reus est, qui licet navem non deserat, pugnam tamen non capessit.* A rege Persarum Xerxe in Phœnicibus capitis supplicio punitum est, ut ex lib. XI. Diod. Siculi cognoscimus. Ac ignominiæ quidem istius tanta vis fuit, ut nec magistratum gerere, nec aliud munus publicum capessere, ac ne vulgari quidem veste cum aliis uti his liceret. Sequitur castigatio, quæ duplex fuit, vulgaris, cum qui levius aliquid peccasset in navigio, ei plagæ aliquot cum funibus infligerentur; vel durior, cum gravius delinquentis corpus per thalamium trajectum ligaretur ita, ut caput deorsum penderet, pedes essent in navi: Prioris supplicii exemplum est in Arbitro hujusmodi. Giton & comes ejus capillos detondi sibi curaverant in navi, quod navigantibus tristissimum est omen, quoniam a naufragis consuevit fieri, neminique ideo in navi licuit. Igitur hac re comperta magister navis, ut tutela expiaretur, jubet quadragenas utrique plagas infligi. Verba ejus hæc sunt: *Ut tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque utilissimo sanguine tutelam placare. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate decoxi.* Funes fustium aut lori loco usurpatos hic seorsim annoto, videtur id enim peculiare fuisse in navibus. Horatius Epod. 4. de Mena Pompeii liberto: *Ibericis peruste funibus latus.* Commentator antiquus a Crukuio editus: *peruste funibus, id est habens latus valde cæsum, vult enim significare illum olim servum, in Hispanica navigatione, valde cæsum fuisse. Vestibus cæsum sæpe* etiam Porphyrio ait ad eum locum, & Mancinellus: *perustum habens latus, funium videlicet flagris, per quod eum vilissimum ignavissimumque fuisse remigem ostendit.* Suspendebantur autem tales in malo. Ita docet Sallustius Histor. lib. IV. ubi ait, *notissimus quisque malo dependens verberabatur.* De posteriore genere testis est Herodotus in Terpsichore, eoque affectum narrat eum, qui nocturnas vigilias omitteret. *Περιιόντος Μεγαβάτεω τὰς ἐπὶ τῶν νεῶν φυλακάς, ἐπὶ νεὸς Μυνδίης ἔτυχε οὐδεὶς φυλάσσων. ὁ δὲ, δεινόν τι ποιησάμενος, ἐκέλευσε τοὺς δορυφόρους ἐξευρόντας τὸν ἄρχοντα ταύτης τῆς νεὼς, τῷ οὔνομα ἦν Σκύλαξ, τοῦτον δῆσαι διὰ θαλαμίης διελόντας τῆς νεὼς κατὰ τοῦτο. ἔξω μὲν κεφαλὴν ποιεῦντας, ἔσω δὲ τὸ σῶμα. Megabetes, in circumeundis navium excubiis offendit navem Mindiæ a nemine custodiri, quam rem indigne ferens jussit satellites inventum ejus navis magistrum nomine Scylacem vinciri trajectum per thalamium, ita ut caput extaret, corpus intus esset.* Plautus in Rudente Act. III. scen. 6.

—— isti capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier,
Illic in columbum credo leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo post erit.

Non ignoro a plerisque, imo ipso Prisciano, columbar hic vinculum exponi, quod collo inditur. Puto tamen ad hoc genus pœnæ Poetam allusisse, quia columbar etiam foramen denotat, per quod remus eminet, ut alibi ostendi: præterea tota fabula plurima admixta habet, e re navali. Non absimile est genus id supplicii, quod eodem loco, quem supra adduximus, recenset Sallustius his verbis: *notissimus quisque immutilato corpore improbi* (vel ut legit Lipsius, *in proris*) *patibulo eminens affigebatur.* Existimo enim sontem fune sic fuisse ligatum, ut submersus cætera mari, vel aquis, solo extaret capite. Pro illo *improbi*, legerem *in puppi*, cum quia verisimilius, illic fuisse religatos, ubi trahi possent; tum quia Servius hoc ait, in supplicio, quod idem plane fuisse censeo cum eo, a Sallustio descripto. Ver-

ba sunt ad Eclogam Poetæ VI. de Scylla: *postea & Scylla a Minoe contempta, vel dolore, quod contempta esset, vel quod quasi parricida a Minoe ad puppim religata tracta sit, in avem Cirin conversa est*. Meminit & Apollodorus lib. III. his verbis: τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας, ὑποβρύχιον ἐποίησε. Interpres ejus Ægius Spoletinus verba hæc sic reddidit; *virginem vinctam pedibus e puppe in mare dejectam submersit*. verum contra mentem Apollodori, qui non submersisse, sed immersisse ait, eo prorsus modo, sicut diximus. Aliquando noxius fune circa corpus medium ligatus, suspensusque ab uno navis latere demittitur, & per aquam subter navim ab altero iterum adducitur. Usitatum hoc fuit multis retro annis in omni navigatione ex legibus antiquissimis civitatis Gothicæ, ut testis est Fronsbergius lib. III. & Joh. Loccenius, Socer meus, lib. III. de Jure Marit. cap. 8. Gubernatorum apud Cercetas propria hæc pœna fuit, ut si a via aberrassent, singuli in faciem eorum conspuerent. Stobæus ex Nicolao. Κερκέται. ἐὰν τις κυβερνῶν σκάφος διαμάρτῃ, προσιόντες ἐφεξῆς ἕκαστοι ἐμπτύουσιν αὐτῷ. *Si quis navim gubernans aberrarit, singuli accedentes in faciem ejus inspuunt*. Pœna longe atrocior statuta quondam in eos, qui fuga deseruissent navim: manus enim ipsis amputabantur. Suidas ex incerto quodam. Λειποναῦται. ἐδογματοποιήσαντο δὲ τοὺς κατὰ τὴν ἑλλάδα λειποναύτας γεγονότας ἀναζητῆσαι, καὶ τὰς χεῖρας ἀποκόψαι πάντων. *edixit, ut conquærerentur per Græciam desertores navium, omnibusque præciderentur manus*. Criminis mentionem Pollux quoque facit, pœnam vero omittit. Λειποναυτίου, ait, ἐκρίνετο, ὁ τὴν ναῦν ἐλλείπων. Num ordinaria hæc eorum apud Græcos pœna fuerit, ignoro. Et dissuadet credere, primum ingenium gentis, ab atrocitate istiusmodi fere alienum. Deinde autoritas Demost. qui vinctos & plagis affectos scribit in Orat. de corona. Θαυμάζω, ait, ἔγωγε τί δήποτε τῶν μὲν ναυτῶν τοὺς ἀπολειπομένους δέουσι καὶ κολάζουσιν, οὔτι τῶν τριηράρχων τοὺς μὴ συμπλέοντας οὐ ταυτὰ ποιεῖσθαι ὑμεῖς. *Miror ego, cum nautas desertores isti & vinciant & plagis afficiant, cur trierarchas, qui classem deserunt, non eodem modo tractetis*. Nisi quis hic τὸ κολάζειν, pœnam carceris interpretari velit, ut Pollucem facere videmus. Sane cum frequentiora fierent ejusmodi effugia, præsertim ad hostes, dubium non est, quin graviore pœna, etiam capitali, fuerint affecti, saltem posterioribus temporibus. Et exemplum habemus apud Cedrenum, ubi captivi, tanquam desertores, primum fuligine conspurcati, deinde cæsi flagris, denique in eo loco, unde auffugerant, interfecti sunt. Verba hæc sunt. Ὁ δὲ ἐκ λόγου θᾶττον τοὺς λειποτάκτας ἐζώγρησε, καὶ ποιῶν εἰς ἐκφόβησιν τῶν δοκεῖν ἐπιτίθησι, κελεύσας νυκτὸς ἄνδρας τριάκοντα τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν ἐν πραιτωρίῳ κατεχομένων Σαρακηνῶν ἀφελέσθαι. τούτων δὲ τὰ πρόσωπα ἀσβόλῃ ἀλλοιῶσαι, κἂν τῷ ἱπποδρόμῳ περιαγαγεῖν διὰ μαστίγων, καὶ ἀπεξελθεῖν, καὶ ἀτίμως ἐκπεμφθῆναι εἰς πελοπόννησον, ὡς τάχα πρωτουργοὺς τῆς φυγῆς κἀκεῖσε ἀναιρεθῆναι ὅθεν δὴ καὶ πεφεύγασιν. Ὃ δὴ καὶ γέγονε, καὶ ἀνεσκολοπίσθησαν οἱ λ Σαρακηνοί, ὡς δῆθεν οἱ λειποτάκται καὶ φόβος ἐγγένετο μέγας εἰς πάντα τὸν Ρωμαϊκὸν στόλον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἀπέθετο καὶ τρυφὴν, καὶ ἄγειν ταχέως πρὸς τοὺς πολεμίους παρεκάλουν τὸν ἡγεμόνα. *Imperator* (Narses, qui classi contra Agarenos præerat) *dicto citius desertores istos conquisivit, ac reliquorum terrendorum caussa simulavit, se eos suppliciis afficere. Triginta quippe de captivis, qui in Prætorio asservabantur, Saracenis faciem fuligine oblitos in circum produci, ibique flagris ignominiose cæsos in Peloponnesum emitti, tanquam ii fugæ autores reliquis fuissent, atque istbic unde profugissent, interfici jussit. Ergo desertorum loco in palos suffixis in Peloponneso triginta istis Saracenis, Romanos classiarios omnes ingens metus incessit, omnique mollitie excussa ultro ducem orabant, ut se in hostes duceret*. Fuit porro certis ex delictis pœna exilii, qua damnatus demittebatur e navi in scapham, exponebaturque in deserta & ignota insula. Strabo, lib. II. de Eudoxo: ὡς δ᾽ ἐπύθετο λόγῳ μὲν πεμπόμενον ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν ἀναχθεῖσαν ναυστολίαν, ἔργῳ δ᾽ ἐκτεθησόμενον εἰς ἐρήμην τινὰ νῆσον, ἐκφυγεῖν εἰς τὴν Ρωμαίων ἐπικράτειαν. *Itaque se cum audiret verbis ad eam destinari navigationem, futurum autem, ut in desertam aliquam insulam exponeretur, in Romanorum effugisse potestatem*. Meminit etiam Pontanus lib. II. Hist. Amstelodamensis, unde hodieque adhuc usitatam esse constat. *Duo*, ait, *ob contumaciam aliaque delicta suffragio omnium proscripti, atque in terram vivi expositi sunt*. Ultimum suppliciorum mors fuit, quando fuit qui deliquisset, vivus conjiciebatur in mare, uti Jonæ accidisse legimus in Sacris, pluribusque aliis reliqua in Historia. Sed hæc eorum, qui in justa militia deliquissent, supplicia fuere. Ii vero qui militia injusta, latrocinio videlicet piraticaque alios infestabant, alia afficiebantur pœna. Nam apud Romanos feriebantur securi. Cicero in Verrem V. *Ecquem audivisti in Sicilia antea captum Archipiratam, qui non securi percussus sit?* Et paulo post; *custodiri ducem prædonum novo more, quam securi feriri omnium exemplo, magis placuit*. Græci eis, qui liberi erant, amputabant manus, servos agebant in crucem. Ita enim Bruttius fecisse legitur apud Appianum Bell. Mith. δούλους τινὰς αὐτῶν ἐκρέμασε, καὶ ἐλευθέρων ἀπέτεμε τὰς χεῖρας. *servos ipsorum egit in crucem, liberis amputavit manus*.

CAP. V.

De supremis Magistratibus.

Duumviri navales qui, quando primum creati. quod eorum officium. Polybius cum aliis conciliatus. Consules quando primum navalis rei curam cœperint habere, & Præfecti classis quando instituti. Στόλαρχος. Ναύαρχος. Δρουγγάριος πλωίμων. Ἐπισολεὺς. *Subpræfectus*. Ἀρχικυβερνήτης. *Archicubernus. Glossa ordinaria notata. Præfectus remigum quis, quis item præfectus sociorum.*

PErductis jam ad finem cæteris, quæ ad militiam navalem pertinebant, aliqua de Magistratibus, eorumque cum nominibus, tum officiis adjicienda sunt. Faciemus autem triplices: Summos, medios, & imos. Summi erunt, quorum authoritate & imperio non una alterave triremis, verum classis tota regitur. Hi apud Romanos ab initio Duumviri fuere, a Consulibus vel Dictatoribus, authoritate propria, mox jussu populi creati, quinquagesimo tertio circiter anno ante initia bellorum Punicorum. Livius lib. IX. cap. 30. *Junio Bubulco III. & Q. Æmilio CSS. duo imperia dari cœpta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem, unum ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ ante perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia. tulere eam rogationem tribuni Pleb. L. Attilius C. Martius. alterum ut duumviri navales classis ornandæ reficiendæque caussa idem populus juberet. Lator hujus plebisciti fuit M. Decius trib. Pleb.* Singula hic notanda. Dari *cœpta per populum*, inquit. Ergo ante etiam dabantur, licet non per populum, sed a

Consulibus & Dictatoribus, uti ex sequentibus apparet, quæ sicut ad tribunos militum, ita ad duumviros sunt referenda. Quare frustra auscultamus iis, qui initia hujus imperii ex isto tempore deducunt, nam & ante, sicut dixi, a Consulibus dabatur, propria ipsorum authoritate, qua eligebant & constituebant, quos vellent. Addit, *pertinentia ad rem militarem*. Non igitur frumentariarum navium ea classis fuit, cujus curam sustinebant, verum bellicarum, earumque quibus contra impetus hostiles utebantur. Quod si verum est, nescio qua ratione defendam Polybium, authorem alias gravissimum, & fide dignum, quando lib. I. annotat, Romanos ante primum bellum Punicum in tantum classibus fuisse destitutos, ut ne lembum quidem haberent, nedum tectas naves, quibus exercitum Messanam trajicerent, sed commodato acceptis Tarentinorum, Locrensium, aliorumque sociorum pentecontoris uterentur. ὅτε γὰρ τὸ πρῶτον ἐπεχείρησαν διαβιβάζειν εἰς τὴν Μεσσήνην τὰς δυνάμεις, οὐχ οἷον κατάφρακτος αὐτοῖς ὑπῆρχε ναῦς, ἀλλ' οὐδὲ καθόλου μακρὸν πλοῖον, οὐδὲ λέμβος οὐδὲ εἷς. ἀλλὰ παρὰ Ταραντίνων καὶ Λοκρῶν, ἔτι δὲ Ἐλεατῶν καὶ Νεαπολιτῶν συγχρησάμενοι πεντηκοντόρους, ἐπὶ τούτων παραβόλως διεκόμισαν τοὺς ἄνδρας. *Quando primum copias Messanam transportare sunt aggressi, tantum abest, ut tectas naves haberent, ut ne longa quidem navis ulla, aut lembus saltem unus eis fuerit: verum actuariis quinquaginta remorum & triremibus, quas a Tarentinis, Locris, Eleatis, item a Neapolitanis commodato acceperant, immani ausu militiam transmiserunt*. Sane ante hæc tempora classem Romanos habuisse, eique præfuisse duumvirum, declarat etiam Epitomator lib. XII. quando propter occisum duumvirum inter Tarentinos Romanosque bellum ortum scribit. *Quum*, inquit, *a Tarentinis classis Romana direpta esset, duumviro, qui præerat classi, occiso, legati ad eos a Senatu, ut de iis injuriis quererentur, missi pulsati sunt, ob id bellum iis indictum est*. Idem firmat Florus. *Ludos*, ait lib. I. cap. 18. *forte celebrabant, quum adremigantem littori Romanam classem inde vident, atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant*. Quid igitur dicemus? falsos istos esse? num potius habuisse classem Romanos, sed in ostio ac portu, sed talem, quæ ut littora tueri, sic aperte congredi cum hoste ac confligere non auderet. Credo enim postquam Græci, L. Furio Camillo, Ap. Claudio CSS. infestum suis classibus fecissent mare, ex eo statim tempore Romanos navibus aliquibus contractis occupasse ostia Tiberis reliquumque littus, non ut confligerent cum classe hostili, sed ut hostem prohiberent terra, & maritimæ regionis populationem impedirent. Ad quam rem perficiendam nullis longis navibus habuere opus. Potuerunt enim ista aliis quibuscunque præsidia imponi. Certe illa etiam classis, quam a Tarentinis direptam supra diximus, non tam ad prælium, quam ad devehendum militem in colonias maritimas instituta fuit. Ita enim Zonaras. *Cæterum L. Valerium præfectum classis, dum ibat, quo missus erat, Tarenti appulsurum, (eam enim urbem amicam P. R. esse putabat) ex conscientia facinorum suorum contra se esse missum suspicati, iracunde impetu facto, nihil hostile metuentem cum multis aliis demmerserunt*. At, quid quæso profuissent ista in maritimis coloniis præsidia? nisi ad impediendos hostium externorum, Pyrrhi maxime, quem tunc unice metuebant, inopinatos adventus & incursiones. Neque est, ut nobis C. Mænius objiciatur, quem classe cum Antiatibus pugnasse, adeo non proditum est, ut potius inanes in littore intercepisse illas naves videatur, quarum rostra tribunali postea præfixit, cum vagi scilicet ac palantes vicinos mari campos Antiates popularentur. Habuerunt itaque duumviros Romani, primos classium suarum præfectos, sed ut postea quoque observatum est, custodes porius, quam duces, & præsides magis oræ maritimæ, quam classium bellicarum imperatores. Nam ad rem gerendam (adeo falsum est, quod de imperio ipsorum in occupando universo mari tradit Stypmanus de I. N. lib. I. cap. 6.) neminem ante Consules creatum reperimus, & ex iis Cajum, vel ut melius in Fastis legitur, Cnejum Cornelium Scipionem. AVC. CCCCLXXXX. III. eo anno primum Romani animum ad hanc militiam adjecerunt. Cum enim cernerent frustra fore præsidia in terra, si classe a Carthaginensibus obtineretur mare, sociique spe aut metu ad defectionem sollicitarentur, centum quinqueremium, triremium viginti classem ædificarunt, eique ex Consulibus alterum Cornelium præesse jusserunt, ut Polybius testatur. Quod de Appio scribit Seneca, & de Duilio Florus, id aliter accipiendum non est, quam quemadmodum ab ipsis explicatur. Priorem videlicet, ut terrestres Romanorum copias trajiceret Messanam, ante omnes ingressum esse fretum, posteriorem intercepto fraude Annibalis Cornelio collega, priusquam quidquam expertus esset, principem cum Carthaginensibus mari depugnasse. Nam alioquin satis constat, Duilium terrestrium, non navalium copiarum præfecturam & imperium habuisse. Polyb. οἱ Ῥωμαῖοι συνέντες τὸ γεγονὸς σύμπτωμα περὶ τὸν Γάϊον παραυτίκα μὲν διεπέμποντο πρὸς Γάϊον Δυΐλιον τὸν ἡγούμενον τῆς πεζῆς δυνάμεως καὶ τοῦτον ἀνέμενον. *Intellecta Caii clade statim Romani ad C. Duilium, qui terrestribus copiis præerat, missi eum præstolabantur*. Primus igitur Cajus vel Cornelius classem habuit provinciam; primus imperium amplificandæ navibus rei Romanæ accepit. Secuti eum plures, etiam triumphis navalibus insignes, inter quos C. Atilius Regulus, L. Manlius Vulso, Ser. Vulvius Pelinus, M. Æmilius Paulus, atque alii. Postea id cum Prætoribus communicatum, cœperuntque ipsi quoque classibus præesse, altero ex Consulibus manente Romæ, altero cum pedestri plerumque milite rem gerente in provinciis. Quando vero primum id sit factum, nescio. Meminerunt Fasti triumphales Q. Valerii Faltonis, qui Proprætore classibus ad Siciliam pugnavit AVC. DXII. id est ipsis adhuc primi belli Punici temporibus. quem tamen principem fuisse, cui credita sit hæc potestas, non temere affirmo. Sub Augusto peculiare ac perpetuum unius esse cœpit hoc imperium, ex quo, uti reliquas, sic quoque hanc militiæ partem in se traxit. Nam postquam duas Misenatium & Ravennatium constituisset classes, utrique suum dedit Imperatorem, eumque *Præfectum Classis* nuncupavit. Innuit Vegetius lib. IV. cap. 32. *Liburnis*, ait, *quæ in Campania stabant, præfectus classis Misenatium præerat, eas vero, quæ in Ionio mari locatæ fuerant, præfectus classis Ravennatium retinebat*. Et hinc Suidas: Πραιφεκτος, ναύαρχος. Tacit. Hist. III. c. 12. *Lucilius Bassus, classis Ravennatis Præfectus*. Lapis apud Occonem.

M. CALPVRNIO M. F.
GAL. SENECÆ FABIO
TVRPIONI SENTINATIANO
PRÆF. CLASSIS PR. MISEN
SIS. PRÆF. CLASSIS PRÆTORIÆ
RAVENNATIS

Alia antiqua marmora: PRÆF. OR. MAR. ET. CL. *Præfectus oræ maritimæ & classis*. Quanquam

non illo demum tempore inventum, sed jam ante usitatum fuerit hoc nomen: Pompejusque videatur esse, qui id primus atque titulum accepit, cum ejus potestati a S. P. Q. R. cuncta maria committerentur. Nummus argenteus, in cujus uno latere, MAG. PIVS.IMP.ITER. in altero PRÆF.CLAS. ET. ORÆ. MARIT. Prius ii tantum ita vocabantur, qui a majore magistratu, qui auspicium habebat, classi fuerunt præpositi. Sic apud Livium lib. XXVI. c. 40. C. Cælius *Præfectus Classis dicitur*, qui tamen sub auspicis Scipioniis militabat. Est & apud Fulvium Ursinum vetus aliqua inscriptio de quodam Titio Præfecto classis.

CIVES ROMANI. QVI
MYTILENIS. NEGOTI
ANTVR.
M. TITIO. L. F. PROCOS
PRÆF. CLASSIS. COS
DESIGNATO. PATRONO
HONORIS CAVSA.

Nec aliter a Cæsare lib. 3. cap. 4. hoc nomen usurpatur, cum de Bruto; *Non satis Bruto, qui classi præerat, constabat, quid ageret*. In Inscriptione veteri apud Gruterum pag. 1031. legitur PRINCEPS. CL. RAVENNATIUM. qui non videtur esse alius a Præfecto nostro. Virtutes istiusmodi Præfecti, quem hodie Admiralium appellant, Leo istis verbis comprehendit in Tacticis. *Rei navalis perita pollere te oportet, & aeris, ventorum flatus prænoscere, per stellarum apparentium motum, & astrorum signa. Tempestatum etiam mutationem perfecte cognoscas, ut si perfectus iis in rebus fueris, tutus & securus ab omnibus maris tempestatibus conserveris*. Non habuit M. Æmilius, itaque primo bello Punico ingentis cladis caussa fuit Romanis, qui e trecentis sexaginta quatuor navibus, vix octoginta servarunt. Sic enim Polyb. lib. 1. *Caussa illius cladis, non tam fortunæ, quam ipsis Consulibus est adscribenda: quippe gubernatoribus sæpe multum obstantibus, ne secundum exterius Siciliæ latus, quod mare Africum spectat, navigare vellent, quoniam profundum ibi pelagus est, & tota illa ora importuosa, simul quod infestorum navigationi signorum, alterum nondum esset confectum, alterum mox oriturum: (nam inter Orionis & Canis ortum navigabant) illi spretis hisce monitis, in altum imprudenter sunt provecti*. Scilicet Romani, uti ibi autor innuit, omnia viribus suis expedire volebant despicientes hanc provisionem curamque, cum tamen maxime in mari adhibenda sit. Græci, uti Pollux docet, summum classis Imperatorem, στόλαρχον nominaverunt. Hesychius. στολάρχης, ὁ τοῦ στόλου ἄρχων. Frequentius tamen στρατηγόν. Thucyd. lib. 1. Ἀριθμὸν τε νεῶν πλεῖστον, καὶ ἄνδρα στρατηγὸν ξυνετώτατον. Ναύαρχον vocavit Aristoteles Pol. VI. cap. 8. & Suidas: Ναύαρχος, ὁ τῶν νηῶν ἄρχων. Habuit hic imperium aliquando solus, sæpius cum collegis, quales Alcibiadi fuere Nicias & Lamachus, pari potestate præditis. Non tamen perpetuum, sed ut voluntate populi delatum, ita ab ejusdem etiam arbitrio suspensum: præeratq; electus in comitiis modo brevius, modo longius, prout rei postulabat difficultas, aut fortuna & prudentia ipsius suadebat. Unde de Epaminonda Cornelius: *Lex erat Thebis quæ morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas cum reipubl. conservandæ caussa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, & quatuor mensibus diutius, quam populus jusserat, gessit imperium*. Aliter fiebat apud Romanos. Quorum prætor exacto anno domum redire, classemque successori tradere cogebatur, nisi cum imperium ei extra ordinem esset prorogatum Posterioribus temporibus *Drungarios*, Δρουγγαρίους τῶν πλωίμων nominarunt. Testis Leo est in Tacticis οὐκ ἀγνοῶ, ὅτιπερ κατὰ τὴν ὁμοίωσιν τοῦ βασιλικοῦ πλωΐμου καὶ οἱ τῶν ἄλλων θεμάτων πλώϊμοι στρατηγοὶ δρουγγάριοι ἐκαλοῦντο, καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς κόμητες μόνον καὶ κένταρχοι. Cedrenus. τὸν πατρίκιον νικήταν καὶ δρουγγάριον τῶν πλωίμων κατὰ τῶν πολεμίων ἐκπέμπει. & paulo post: πέμπει οὖν βασιλεὺς Εὐστάθιον τὸν δρουγγάριον τῶν πλωίμων μετὰ τοῦ στόλου. Proximæ dignationis fuit, quem Ἐπιστολέα Græci appellarunt. Solebat hic Prætoris vices agere, eique in labore perferendo subvenire. Pollux lib. 1. cap. 9. ἐπιστολεὺς ἐκαλεῖτο, ὁ ἐπὶ τοῦ στόλου διάδοχος τοῦ ναυάρχου. *Epistoleus vocatur, qui in classe navarcho ministrat*. Meminit & Xenophon. Hist. II. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν τὸν λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα. ναύαρχον δὲ Αρακον. οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν. Nota legem de Præfecto classis, qua apud Lacedæmonios cautum erat, ne quis dignitatem eam bis acciperet. At de Epistoleo etiam alter Xenophontis locus est in V. ὁ δ' αὖ ἱέραξ Λακεδαιμονίων ναύαρχος τὰς μὲν ἄλλας ναῦς λαβὼν, πάλιν ἔπλει ἐς ῥόδον. ἐν αἰγίνῃ δὲ τριήρεις δώδεκα κατέλιπε, καὶ γοργώπαν τὸν αὐτοῦ ἐπιστολέα ἁρμοστήν. An Romani quoque hunc Legatum appellarint, nondum compertum habeo. Posterioribus temporibus *Subpræfectum* appellasse non ignoro. Vetus lapis in Agro Piceno.

T. APPÆO. T. F. VEL
ALFINIO SECVNDO
PROC. AVGVST. XXHERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR.
PRÆF. VEHICVL. SVBPRÆF.
CLASSIS. PRÆT. SAVENN.

Alius in palatio Capranicensi apud Grut. p. 492.

. . . . . .
PRÆF. CLASS. BLIT. ET. MOSSIC.
ET PANNONI. ET PRÆSIDI ALPIVM.
SVBPRÆF. CLASS.
PRÆT. TRIB. LEG. XVI.

Elegans inscriptio, e qua apparet Subpræfectum classis Prætoriæ, aliarum classium Præfectum esse potuisse. Tanta erat classis illius apud veteres autoritas. Verum hi, quos hactenus enumeravimus, in milites potissimum imperia sua exercebant. Navium vero & nautarum, maritimarumque rerum curam habuere, qui a Græcis Ἀρχικυβερνῆται dicebantur. ut parum circumspecte ipsos Stypmanus vocet *Classis totius Præfectos* Part. III. Juris Nav. cap. 5. Gyraldum, cujus nomen præterit, secutus. Imperabant enim cunctis gubernatoribus, navium & totius classis dirigebant cursum, naturam regionum, commoditates portuum longo usu exploratas indicabant, totiusque elementi tenebant rationem. Docet Onesicriti exemplum, quem ob hanc scientiam Alexander cum classe misit ad Oceanum, & Indos, ut illarum regionum statum cognosceret. Curt. lib. IX. c. 10. *Nearcho atque Onesicrito nauticæ rei peritis imperavit, ut validissimas navium deducerent in Oceanum, progressique quoad tuto possent, naturam maris noscerent*. Fuit autem Onesicritus Alexandri ἀρχικυβερνήτης, ut testatur Arrianus in Indicis lib. 1. cap. 5. Strabo lib. XV. Ὀνησίκριτον οὐκ Ἀλεξάνδρου ἢ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτην προσείποι τις ἄν. *Onesicritum quis meliori jure fabulosarum & incredibilium de A-*

lexandro narrationum, quam archicubernitam diceret. Plutarchus de fortuna Alexandri. Orat. I. Ὀνησίκριτον τὸν Διογένους τοῦ κυνὸς μαθητὴν, ὅτι ἄρχοντα τῶν κυβερνητῶν κατέστησεν, ὑπὸ πλοιόρων ἱστορεῖται. Nota philosophum Diogenisque discipulum hunc Onesicritum fuisse. Nimirum non exigua rerum naturalium notitia ad bene obeundum hoc officium requirebatur, quippe quod in mari, ventis, astris & similibus est occupatum. Id autem omne unde melius, quam a Philosophis cognosci potuit? Porro de officio prædicto etiam Diodorus mentionem facit in classe Demetrii lib. xx. τὸ δεξιὸν, inquit, εἶχε κέρας Ἡγήσιππός τε ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Πλεισθίας ὁ Κῷος ἀρχικυβερνήτης ὢν τοῦ σύμπαντος στόλου. *Dextrum cornu habebat Hegesippus Halicarnassensis & Pleisthias Cous Archigubernator classis totius.* Observa, quod dicat τοῦ σύμπαντος στόλου. Constat enim hinc, quod dixi, ejus aliquod in reliquarum quoque navium gubernatores nautasque fuisse imperium, quanquam & ipse esset sub imperio Præfecti. Arrianus lib. VI. Exped. Alex. τοῦ μὲν δὴ ναυτικοῦ παντὸς Νέαρχος, αὐτῷ ἐξηγεῖτο. τῆς δὲ αὐτοῦ (Ἀλεξάνδρου) νεὼς κυβερνήτης Ὀνησίκριτος, ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ, ἥν τινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε, καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα. Universæ classi præfecerat Nearchum. ipsius vero Alexandri gubernator fuit Onesicritus, qui in libro, quem de Alexandro scripsit, etiam hoc mentitus est, quod se classis totius præfectum fuisse scribat, cum gubernator tantum esset. Docet satis hic locus, Onesicritum fuisse sub imperio Nearchi, quod & aliunde constat. Sed & hoc apparet, ex allatis verbis ἀρχικυβερνήτην dici, non tam propter muneris amplitudinem, ut ἀρχιπέλαγος, ἀρχιεπίσκοπος, sed quia præerat navi imperatoriæ, ut ἀρχίατρος, qui Regis Principisve valetudinem gubernat. Jabolenus JCtus. *Archicubernum* nuncupat, in l. 46. ff. ad SCtum Trebell. *Sejus,* ait, *Saturninus, archicubernus ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit hæredem, Valerium Maximum, trierarchum.* At ibi male Præfectus classis, ab interprete exponitur, uti vel ex iis constat, quæ jam dicta sunt. Nescio an hic fuerit is ipse, qui a Tacito *Præfectus remigum* vocatur, certe parum differre ab ipso potuit. Nam & ipsum cunctis nautis ac remigibus imperasse constat vel ex ipsis Historici verbis, quæ sic habent. *Clodius Quirinalis, quod Præfectus remigum, qui Ravennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria sævitiaque afflictavisset, veneno damnationem antevertit.* Apud Livium, opinor, est *præfectus socium*, vel *sociorum*, navalium videlicet, qui & ipsi remiges fuere. lib. XXIV. cap. 41. *Mille delectorum militum navibus longis mittit ad ostium fluminis, cum præfecto Socium Nævio Crispo, viro impigro & perito militiæ.*

CAP. VI.

De mediis Magistratibus.

Quid navarchus fuerit. quod ejus officium apud veteres, quod apud recentiores. Magistri navium. Trierarchi duplices. qui apud Græcos. Hesychius correctus. quod eorum officium. quamdiu duraverit, συντελήραρχος. Numerus eorum. Xenophon expositus. Sigonius notatus. ἡγεμόνες τῶν συμμοριῶν. συντελεῖς. Pentecontarchi. quod eorum officium. Interpres Platonis notatus. Centurio classiarius. κένταρχος τοῦ δρόμωνος. Gubernator. Magister sociorum navalium. Sedere ad gubernacula. ἔγκλημα, cur in summo puppis? Silentium in navi τέχνη κυβερνητική. Ἀστρολογία ναυτική. Ursas in dirigendo navis cursu observabant veteres, Græci Helicen. Phœnices ursam minorem. inventa hæc a Phœnicibus. Plinius expositus. Thales inventor ursæ minoris. Nauplius majoris apud Græcos. Cynosuram quare secuti fuerint Phœnices. Pyxis nautica quando & a quo inventa. Tempestatum signa. Ventos captabant auribus. Chartæ nauticæ. Notitia portuum ex περίπλοις & Itinerariis. Proreta quis. quod ejus officium. Pollux expositus. observabat ventos in prora. Etymologus explicatus, explorabat promontoria & scopulos. Lyncæus cur proreta in Argo navi. flectebat navim a prora. Ovidius explicatus. assignabat locum remigibus. curam armamentorum habebat & Imperium in prora.

EX mediis magistratibus, quos jam explicabimus, primum locum tenet *Navarchus*. Erat ei imperium non in multas, sed in unam navim. Vegetius: *Singulæ Liburnæ singulos navarchos, id est quasi navicularios habebant: qui, exceptis cæteris, nautarum officiis, gubernatoribus atque remigibus & militibus exercendis quotidianam curam & jugem adhibebant industriam.* Habes his verbis bene multas officii ejus partes definitas, non tamen omnes. Nam &, si quando prælium instabat, ipse in triremi expediebat omnia, ejusque imperio cuncta erant subjecta. Observandum autem Navarchi nomen demum sub Cæsaribus hoc sensu valuisse, prius enim ii ita dicebantur, qui classibus sociorum imperabant. Ostendit luculenter Cicero in Verrem v. *Sumptum,* inquit, *omnem in classem frumento, stipendio, cæterisque rebus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat, is neque ut accusaretur a nautis committere audebat, & civibus suis rationem reddere debebat. in illo negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc ut dico factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis.* Vult, unamquamque civitatem, quæ ex fœdere naves aliquot debebat, quando eas mittebat, præfecisse quendam, quem Navarchum nominavere. Is curam navium gerere, is imperare nautis stipendia, frumentum, aliaque ipsis dare cogebatur, ex suæ cujusque civitatis publico, sive tempus imperii præter fluxisset, vel finitum esset bellum, civibus suis expensorum reddere rationem. Livius frequentius Latina voce, *Præfectos* nominat. ut lib. XXXVI. cap. 45. *Medio fere in cursu obviæ fuere iis quinque & viginti tectæ Rhodiæ naves, cum Peusistrato præfecto classis.* & lib. sequente cap. 13. *Inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes cum Præfecto Epicrate Rhodiorum ad fretum Cephaleniæ tuendum Prætor misit.* Prætorem classis Romanæ hic intelligit. & paulo post cap. 15. *Eudamus Præfectus Rhodiæ classi magis eam sibi displicere sententiam ostendit, quam ipse quid censeret faciendum dixit.* Item cap. 22. *tredecim a Rhodo naves cum Pamphilida Præfecto adversus eandem Syriacam classem missæ.* Sed de his hoc loco sermo non est, verum de illis, qui singulis navibus præerant, quique puriore ævo a Latinis etiam *Magistri navium* dicebantur. Liv. lib. XLV. c. 42. *Dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus qui in navibus fuerant duplex, magistris navium quadruplex.* & lib. XXIX. cap. 25. *ex omnibus navibus gubernatores, & magistri navium & bini milites ut convenirent edixit.* Trierarchos nominavit Tacitus An. XIV. cap. 8. *Respicit Anicetum trierarcho Herculeo comitatum.* & Hist. II. cap. 9. *datæ a classe Misenensi duæ triremes ad prosequen-*

sequendum eum, quibus Cythram insulam tenuit: nec defuere qui Trierarchos nomine Neronis accirent. Habet hic Nero triremes duas, & tamen trierarchos jubet acciri, ex quo satis patet, non unum trierarchum pluribus, sed singulis navibus singulos præfuisse. Sane eodem libro c. 16. *Trierarchum Liburnicarum navium in Corsica dixit*, pro ipsarum præfecto. Sed id singulare. Nam & Suetonius in Nerone c. 34. trierarchos dixit singularum navium magistros. *Dato*, inquit, *negocio trierarchis, qui liburnicam qua advecta erat, veluti fortuito concursu confringerent.* Oritur autem hæc ipsorum appellatio a Græcis; ii enim sic vocabant. Hesychius. *τριήραρχος, τριήρης ἄρχων.* Male vulgati, *τριήρης ἄρχον*, ut res ipsa docet. Ac apud ipsos quidem Trierarchi fuere personæ publicæ, quæ suas dare triremes, easque sartas tectas habere, difficilioribusque reipubl. temporibus etiam instruere cogebantur. Ulpianus ad Orat. contra Leptinem. *Τριήραρχός ἐστιν ὁ ναῦν παρεχόμενος πολεμικὴν, καὶ σκεύη τῇ νηὶ, καὶ ὅσα τοιαῦτα.* Eligebantur hi ex opulentioribus plerumque, triremibus vero per menses sex vel circa imperabant, tum successori navim una cum armamentis, militibus ac nautis tradebant, si ista haberent ex publico, si vero privato sumptu comparata, cum eo paciscebantur, aut demebant sua, aliaque ipsos jubebant substituere. Demosth. Or. contra Polyclem: *Coram duce verba ad eum facio & peto, ut navem a me accipiat, & sumptum reliqui temporis mihi persolvat, deque armamentis eum interrogo, utrum ea suscepturus esset, an propriis secum allatis ad navem veniret. Quæ cum ab eo postularem, rogabat me, cur ego solus e trierarchis privata armamenta haberem? Hæc eo dicente, ego propterea inquam e navali non accepi armamenta, quod ipse ea perdidisti. Sed si vis, hæc accipito, sin minus armamenta ipse tibi compara. Quod autem ad nautas attinet, & milites ac remiges, si eos a me corruptos esse dicis, accepta triremi ipse tibi & nautas & milites & remiges cura, qui gratis te comitentur: navem autem accipe, neque enim me triremi præesse decet amplius. Nam & præfecturæ meæ tempus præteriit, & ego jam quatuor menses amplius id onus sustinui.* Quod de sex mensibus prædixi, testatur idem verbis sequentibus. *Tu autem accepta navi primum tuum tempus sex menses obito, deinde si interea venerit collega tuus, eam obito tuo munere illi tradito.* Notabile est in Græco *συντριηράρχου* nomen, sic enim dicebatur, qui una cum alio triremis unius curam sustinebat. Atque hujus quidem muneris tanta apud Græcos habebatur ratio, ut vacatio illius daretur nemini, quod alibi docuimus. Imperabat autem Trierarchus gubernatori, imperabat militibus, ut proinde si deesset ipse, res navalis pessime se haberet. Suidas. *Τριήραρχος ἄρχει τῆς νεὼς καὶ τοῦ πληρώματος.* Hinc Demosthenis Trierarcha in Orat. contra Polyclem: *Ἐπειδὴ ἐνέβησαν οἱ ναῦται, λέγω τῷ κυβερνήτῃ ἀποπλεῖν εἰς τὴν Θάσον. ἀντιλεγόντος δὲ τοῦ Καλλίππου καὶ κελεύοντος πλεῖν εἰς τὴν Μακεδονίαν οἱ προσέταξεν ὁ στρατηγὸς, ἀπεκρίνετο αὐτῷ ὁ Ποσείδιππος ὁ κυβερνήτης, ὅτι τριήραρχός τε ἐγὼ τῆς νεὼς εἴην καὶ ὑπεύθυνος καὶ τὸν μισθὸν παρ' ἐμοῦ λαμβάνοι. πλεύσοιτο οὖν οἷ ἐγὼ κελεύω εἰς Θάσον.* Et huc usque quidem res de trierarchis satis certa est. Quot vero, aut quo pacto annis singulis eligerentur, illud longe obscurissimum. Xenophon in lib. de Republ. Atheniensium quotannis quadringentos trierarchos facit, hisce verbis: *τριήραρχοι καθίστανται τετρακόσιοι ἑκάστου ἐνιαυτοῦ ἢ τούτων τοῖς βουλομένοις διαδικάσαι.* Quod a Meursio ad numerum triremium refertur, quasi quot triremes, tot etiam habuerint trierarchos. Verum ut ætate Xenophontis necdum classem navium quadringen-

A torum habuere, ita quoque satis constat, non singulos tantum singulis triremibus, sed aliquando binos, aliquando ternos, imo plures quoque præfuisse. Ulpianus. *Πολλαὶ περὶ τὰς τριηραρχίας ἐγίγνοντο μεταβολαί. διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ἀναλώματος. καὶ ὅτε μὲν σὺν δύο ἦσαν. ὅτε δὲ σὺν τρεῖς καὶ ὅτε δὲ καὶ δέκα τριήραρχοι. Ratio trierarcharum subinde mutabatur, ob impensæ magnitudinem, ac alias bini erant, alias terni, atque aliquando decem trierarchi.* Carolus Sigonius mille ac ducentos scribit electos ex omni populo, qui hoc muneris obirent, inque testimonium adducit prædictum Ulpianum, ita de hac re loquentem. *Singulæ*
B *tribus centenos vicenos, qui ditissimi essent, e suo corpore prodebant, qui in partes binas sexagenorum hominum singulas dispertiti symmorias viginti efficiebant sexagenorum hominum singulas, & in singulis tribubus binas. Rursus mille ac ducentos in duas partes diviserunt sexcentorum hominum utramque, easque rursus in duas ut essent quatuor, unaquæque trecentorum virorum. Isti vero trecenti divitiis omnes antecedebant, & ante alios conferebant, eosque dicto audientes in omnibus rebus habebant: ex quo factum ut omnes in duas partes descripti essent. Siquidem qui ab utraque parte erant, quodammodo trecentis ditissimis qui*
C *utrinque erant adhærebant.* Sed hæc verba non minus obscura mihi, quam quævis alia videntur, symmorias enim docent, trierarchorum vero numerum non exponunt. Nec est, ut de trecentis cogites, fuerunt enim bis trecenti, ut incertum maneat, an omnes, num dimidia tantum pars quotannis isthoc munus sustinuerit; & si dimidia, num omnes reliqui fuerint immunes. Sane quin & ante Demosthenem aliqua in Symmorias divisio mille ac ducentorum opulentiorum facta fuerit, vel ex ipso patet, qui ubique eorum facit mentionem. Et Harpocration Perian-
D drum, Nausinico Archonte, autorem ejus facit. Jam vetus extat plebiscitum in Orat. de Corona., quo annis singulis unius navis sedecim trierarchi esse jubentur. *Τοὺς τριηράρχους καλεῖσθαι ἐπὶ τὴν ναῦν συνεκκαίδεκα ἐκ τῶν ἐν τοῖς λόχοις συντελειῶν ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν εἰς τετταράκοντα, ἐπὶ ἴσον τῇ χορηγίᾳ χρώμενοι.* h. e. ut Lambinus explicat, *Trierarchi ad unius triremis sumptus vocantur senideni ad rationem earum tributi collationum, quæ in centuriis aut manipulis militum observari solent, ab ætatis anno vicesimo usque ad quadragesimum, atque hi parem & æquabilem inter se sumptum in triremes faciunt.*
E Igitur ultra naves septuaginta tum Athenienses exornare non poterant, quos tamen constat etiam ducentis triremibus & amplius rempubl. eo tempore administrasse. Quid igitur dicendum? Ego si in re obscura divinare licet, rem existimo se ita habuisse. Primum selecti erant mille ac ducenti ditiores ex universo populo. Ex his opulentissimi fiebant trierarchi numero trecenti, quot tum triremes habuerunt, ut uniuscujusque triremis unus esset trierarcha, & sic in quavis Symmoria (quas in singulis tribubus duas, & sic in universum viginti numero ha-
F buere) Trierarchæ quindecim. Deinde his adjungebantur quadraginta quinque superstites unius Symmoriæ, minus opulenti, veluti contributores: qui adjuncti trierarchis in unaquaque symmoria sexaginta faciunt. Ut si trecentis triremibus res gerenda esset, quatuor ad minimum unam triremem complerent, si ducentis, octo, si centum tantummodo, duodecim. Sane quod Trierarchas quindecim in singulis symmoriis attinet, de iis testis Harpocration. *Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Πολύευκτόν φησι. εἰσὶ γὰρ ἐν τῇ συμμορίᾳ*

ἑκάστῃ πεντεκαίδεκα ἄνδρες. Sequitur: ὁ δεῖ [illegible] μάζειν πῶς ὁ μὲν Δημοσθένης φησιν [illegible] [illegible] τὴν συμμορίαν, ὁ δ' Ὑπερίδης πεντεκαίδεκα. [illegible] τῷ κατὰ Πασικλέους λέγει τὴν αἰτίαν γράφων ταυτί. Εως μὲν οἱ πλουσιώτατοι παρακηρυόμενοι τὴν πόλιν [illegible] πέντε καὶ ἑξ τριηραρχ[illegible] [illegible] ἡσυχίαν ἦγον ὄντο. quæ verba nisi de quadraginta quinque contributoribus in unaquavis Symmoria quæ cum Trierarchis quindecim sexaginta faciunt, non possum intelligere. Ac forte quindecim illi trierarchi isti ipsi fuerunt ἡγεμόνες τῶν συμμοριῶν, quas Demosthenes appellat Orat. de Corona, quique multam ipsi polliciti sunt pecuniam, si legem de Symmoriis ante latam retineret. Cautum quippe fuerit in ea, quemadmodum ex plebiscito supra a nobis adducto manifestum est, ut ipsis a contributoribus liceret æqua proportione pecuniam exigere in trierarchiam. Quod cum satis largiter fecissent, solebant deinde alicui ex contributoribus trierarchiam dare parva pecuniola de suo adjecta, atque ita sese contributores faciebant. Nec detrectabant pauperes, cum & ipsi lucrum sperarent, si quanta minima impensa possent, navim instruxissent. Sic intelligo superiora verba Hipperidis, & Demosthenis prædicto loco, quando ait; *Prioribus legibus eis licebat sedenis obire munera, sic ut ipsi pauca imo nihil impenderent, inopes autem cives attererent. Neque enim trierarchas se, sed* συντελεῖς, *h. e. contributores appellabant.* Igitur cum hoc animadvertisset Demosthenes, legem tulit, qua trierarchæ ipsi sua munera obire cogebantur, sublatis illis contributoribus, quæ res trierarchis, vel συμμοριῶν ἡγεμόσιν valde fuit difficilis. Eligi enim jussi pro diversitate opum modo plures, modo pauciores ad unam triremem, nec nisi opulentissimi. Ut qui decem possideret talenta, solus unam daret, qui viginti, duas, qui triginta, tres triremes, quodque tum triremium numero deesset, id demum a pauperioribus suppleretur, in unum conferentibus pro facultatibus ad ista decem vel viginti talenta comparatis. Verba decreti illius extant in orat. de Corona. Τοὺς τριηράρχους αἱρ[illegible] ἐπὶ τὴν [illegible] ἀπὸ τῆς οὐσίας [illegible] τίμησιν, ἀπὸ ταλάντων δέκα. [illegible] πλειόνων ἡ οὐσία ἀποτετιμημένη ᾖ χρημάτων κατὰ τὸν ἀναλογισμὸν [illegible] τριῶν πλοίων [illegible] ἡ λειτουργία ἔστω, [illegible] ἔλαττον οὐσία ἐστὶ τῶν δέκα ταλάντων, εἰς συντέλειαν συναγομένοις εἰς τὰ δέκα τάλαντα. *Trierarchi ad triremem deligendi sunt e censu rei familiaris a denis talentis, quod si res familiaris pluris æstimata fuerit, munus id pro proportione ad ternas naves & scapham progrediatur, eadem ratio servatur in iis quorum opes decem talentis sunt minores ut contribuentes aliis decem talenta compleant.* Ac hæc quidem lex tantopere profuit Atheniensibus, ut cum ante propter paupertatem multi contribuentes opem magistratuum implorarent, multi naves instruere non possent, aut instructas semel, domum non reducere, tum nihil horum fieret, uti ipse abunde testatur. *Nulla*, inquit in Or. de corona. *triremis neque foris ob tarditatem periit reipubl. neque domi relicta fuit quod ire non posset. At veteribus legibus hæc omnia fiebant, & in caussa erant pauperes qui obire munera non poterant. Multis sane facultates deerant: ego autem, cum a pauperioribus ad divites transtulissem trierarchias, omnia rite fiebant.* Erant etiam alii, qui studio reipubl. hoc munus sponte in se suscipiebant, qualis Phaillus apud Pausaniam in Phocicis, qui sibi ipsi navim ædificavit & collectis popularibus suis contra Persas prælio navali conflixit. Post trierarchas,

A de quibus satis multa hactenus, Græci etiam *Pentecontarchas* habuere, sic a Pentecontoro navigii genere vocatas. Harpocration. Πεντηκόνταρχος, ὁ τῆς πεντηκοντόρου ἄρχων. Officium ipsorum fuit, obedire trierarchis, cuncta triremi necessaria emere & adducere. Demosth. Or. adversus Polyclem. *Euctemon Pentecontarchus ut ex Hellesponto propter morbum domum est missus, cum primum appulit, & audiit istum mihi successorem datum, cum sciret jam & exisse tempus præfecturæ meæ, & me jam ultra terminum abesse, adhibito Dinia socero meo eum in Digmate convenit, & quamprimum ad navem abire jussit, impensas enim in dies singulos magnas fieri.*
B *Ac singulatim ei commemoravit, quæ mercedes remigio & militibus in singulos menses numerarentur, quæ nautis quos ipse Lampsaci conduxisset, quæ iis, qui in desertorum locum conscendissent, prætereaque quid veterum nautarum singulis rogatus addidissem.* Subjicitur deinde: ὅσα [illegible] τὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναλισκόμενα εἰς τὴν ναῦν, οὐκ ἀπείρως ἔχων. [illegible] ἐκείνου πεντηκονταρχοῦντος καὶ ἠγοράζετο καὶ ἀνηλίσκετο: *quæ in nave quotidie impendebantur non ignorabat, per eum enim dum esset Pentecontarchus & emebantur & expendebantur omnia.* Meminit ipsorum quoque
C Plato, verum ita, ut tum trierarchorum loco fuisse ostendat. Ait namque cunctas in Gubernatorum Pentecontarchorumque potestate reipubl. utilitates sitas esse. Perperam ibi eruditus interpres πεντεκονταρχίαν *quinquaginta virorum principatum* vertit, quemadmodum & alius apud Demosthenem πεντηκόνταρχον *semicenturionem* exponere non debuit. Melius Pentecontarchum vocasset, uti & Trierarchum Latini nominavere. Nam alias Pentecontarchi officium hoc modo Romanis, quantum ego scio, ignotum fuit. Nisi quis pro iis capiat centuriones, quod tamen vero propius, solis militibus imperasse. Meminit ipsorum Tacitus Annal. XIV. c. 8. ibique sub trierarcharum imperio
D fuisse ostendit. *Respicit*, inquit, *Anicetum trierarcho Herculeo, & Oloarito centurione classiario comitatum. Ac si ad visendum venisset, refotam nunciaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere, non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores, & prior trierarchus fusti caput ejus afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum distringenti protendens uterum, ventrem feri exclamavit.* Anteponit trierarchum centurioni, quodque itidem indicium minoris dignitatis est, centurionem primum ferrum intentasse scribit. Apud Leonem quoque κένταρχος [illegible] reperitur, sed is ponitur pro trierarcho. Cæterum ut
E trierarchi pentecontarchique militiam potissimum curabant, ita Gubernatores, licet ipsis subjecti, rem administrabant navalem. Ac primum quidem nautis ac remigibus imperabant. Pollux: ὁ ἐπὶ τῶν [illegible] καθήμενος καλεῖται κυβερνήτης, ὁ ναυτῶν ἄρχων. Inde Livio *magistri sociorum navalium* lib. XLIII. c. 8. *Sociorum navalium neminem præter magistros in hospitia deduci æquam censuit.* Statius Theb. VIII. v. 267.

——solus stat puppe magister.

F Glossæ veteres: Κυβερνήτης. *Gubernator, magister.* Non tamen iis modo, quos sic nuncupabant seorsim, sed & proretis, & celeustis, ita ut per hos, veluti ministros, jussa sua exequerentur. Suidas voce Τοίχαρχος. Τοίχαρχος ἐπὶ νεώς, ὁ ἄρχων αὐτῆς. Τοιχάρχου δὲ πρωρεὺς, πρωρέως δὲ κυβερνήτης. Hinc non tantum regere dicebatur navim, verum & *sedere* ad gubernacula. Pollux supra: ὁ ἐπὶ τῶν οἰάκων καθήμενος καλεῖται κυβερνήτης. Uti sedere significat cum auto-

ritate & imperio præesse, ut quod tu jubeas, alii A exequantur. quemadmodum a Servio Virgilii versus quidam explicatur. Sedebat autem Gubernator in puppe certo loco, quem Græci, uti Pollux docet, ἔγκλιμα nominavere. ἵνα κατακλίνεται ὁ κυβερνήτης, ἔγκλιμα καλεῖται. Hesychio est ἀνάκλισις, ut puto. ἀνάκλισις, ait, τόπος τις ἐν τῇ νηΐ. Sic scribendum est, non ἀνάκλησις, ut vel ordo litterarum monet. Videtur is in summitate puppis fuisse. Hinc enim apud Homerum Od. M. caput in extrema ejus parte allidit. Schol. Eurip. in Phor. ἐπὶ ὑψίςȣ ζυγȣ̃ καθήμενος ὁ κυβερνήτης, πάντας φίλει τȣ̀ς ὄρακας. Et ita nummi veteres eum B exprimunt, uti videas ex secundi libri cap. 2. in quodam nummo Goltzii, & in eodem capite depicta ex Baysio Lyburna, pluribusque aliis monumentis. Nimirum quo facilius videre posset, quid per totam navim fieret, aliique imperata ejus melius acciperent. Ostendit Lucanus in dialog. Chor. & Mercurii. Ἐμβαινε ὦ Μένιππε ἀνδρῶν ἄριστε καὶ τὴν προεδρίαν ἔχε παρὰ τὸν κυβερνήτην ἐφ' ὑψηλȣ̃, ὡς ἐπισκοπεῖς ἅπαντας. *Conscende Menippe vir optime, & primum locum occupa juxta Gubernatorem in summo, ut videas omnes.* Fuit autem severissimum hoc ejus imperium, cui nautæ C taciti summoque silentio obedire cogebantur. Flaccus lib. I.

Tiphis agit tacitique sedent ad jussa ministri,
Qualiter ad summi solium Jovis omnia circum
Prona parata Deo ——

Sed ultra res ad navigationem necessarias non extendebatur: quales sunt expandere vela, remis incumbere, vel eos inhibere. Sic apud Virgil. lib. V. Æn.

Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta
D *Colligere arma jubet, validisque incumbere remis.*

Ad quod ipsum tamen summa requirebatur scientia, ne quid præpostere juberetur, ne cum remis utendum esset, tollerentur vela. Scientiam hanc Græci τέχνην κυβερνητικὴν nuncupavere, consistebatque in tribus maxime, notitia Syderum & ventorum, portuum & locorum cognitione, denique gubernaculorum velorumque administratione justa. Omnia complexus est Acoetes apud Ovid. lib. III. Metam. in fab. Bacchi hisce versibus:

Mox ego ne scopulis hærerem semper iisdem
E *Addidici regimen, dextra moderante carina*
Flectere & Oleniæ sydus pluviale capellæ
Taygetemque Hyadesque oculis Arctumque notavi
Ventorumque domos & portus puppibus aptos.

Ac syderum quidem notitiam, quam Aristoteles I. Anal. cap. 10. Ἀςρολογίαν ναυτικὴν appellat, & a μαθηματικῇ distinguit, gubernator debuit habere duplicem ob caussam: primum ut ad ipsorum signa cursum navis dirigeret, deinde ut ex eis futuras prænosceret tempestates. Ad sydera enim F direxisse navigia docent B. Theodoretus Orat. II. de provid. Virgilius, aliique plurimi. Non tamen omnia promiscue sydera observabant, verum Ursas, quippe quarum cursus certior & infallibilior. Lucanus lib. VIII. c. 172.

Signifero quæ cumque fluunt labentia cœlo
Nunquam stante polo miseros fallentia nautas
Sydera non sequimur, sed quæ non mergitur undis
Axis in occiduus gemina clarissimus Arcto
Ille regit puppes ——

Ex duabus autem vulgo respiciebant majorem, Helicem vocatam, præsertim Græci. Germanicus in Arateis.

Dat Graiis Helice cursum majoribus astris.

Aratus ipse

—— ἑλίκη γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.

Eustat. Iliad. A. Ἑλίκωπες Ἀχαιοὶ πρὸς τὴν ἑλίκην τὴν μεγάλην ἄρκτον βλέποντες ἐν τῷ πλέειν. πρὸς ταύτην γὰρ ἕλληνες ἐναυτίλλοντο. Minorem vero Phœnices observabant, postea inventam. sequitur enim; τὸ δὲ πρὸς τὴν ἑτέραν ἄρκτον τὴν μικρὰν τὴν κυνόσȣραν πλέειν φοινίκων ὕςερον εὕρημα. *Nam ad alteram minorem quam cynosuram vocant navigare, posterius Phœnicum est inventum.* Arrianus lib. VI. Exp. Suetum est iter dirigere, ὥσπερ τοῖς ναύταις πρὸς τὰς ἄρκτους, τοῖς μὲν φοίνιξι τὴν ὀλίγην, τοῖς δ' ἄλλοις ἀνθρώποις, τὴν μείζονα, *sicut nautis ad ursum, Phœnicibus quidem majorem, cæteris, minorem*. De Phœnicibus testatur quoque Tullius lib. II. de Nat. Deorum. *Circum*, inquit, ἄρκτοι *duæ feruntur nunquam occidentes. ex his altera apud Græcos Cynosura vocatur, altera dicitur esse Helice, cujus quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus. Paribus stellis similiter distinctis eundem cœli verticem lustrat parva Cynosura.*

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.

Festus Avienus in Arateis:

Namque Helice Grajos, Tyrios cynosura per altum
Parva regit.

Inventa autem, sive observata potius ab initio ab ipsis Phœnicibus, unde sicut ex Hygino patet, etiam *Phœnice* appellata est. Strabo lib. I. ὡς οὐκ ἔτι ἀπειρίαν αὐτοῦ καταγινώσκουσιν, ὡς μίαν ἄρκτον ἀντὶ δυοῖν εἰδότος. οὐδὲ γὰρ εἰκὸς ἦν πω, τὴν ἑτέραν ἠςροθετῆσθαι ἀλλ' ἀφ' οὗ οἱ φοίνικες ἐσημειώσαντο, καὶ ἐχρῶντο πρὸς τὸν πλοῦν, παρελθεῖν καὶ εἰς τοὺς ἕλληνας τὴν διάταξιν ταύτην. Sermo est de Homero & ursa minore. *Quapropter*, ait, *non jam imperitiæ culpari debet, ut qui duarum ursarum loco, unicam* (majorem scilicet) *habuerit cognitam, cum probabile non sit, alterius sydus jam tum quoque nomen habuisse, sed apparet ab eo tempore, quo id a Phœnicibus observatum ad dirigendas navigationes usurpatum fuit, ejus syderis notitiam etiam ad Græcos fuisse propagatam.* Eustat. Odyss. E. τοιαύτη μὲν γὰρ ἡ μικρὰ ἄρκτος ἡ κυνόσȣρα. ἣν οὐκ εἰκὸς ἐπὶ ὁμήρου ἠςροθετῆσθαι. ἀλλ' ἀφ' οὗ οἱ φοίνικες σημειωσάμενοι ἐχρῶντο αὐτῇ, ἔκτοτε παρελθεῖν εἰς ἕλληνας τὴν τῆς τοιαύτης ἁμάξης δόκησιν. πρὸ δ' αὐτῆς ἡ ἑλίκη ἐγνωσται ἡ μεγάλη ἄρκτος. Propertius lib. II. v. 990.

Quæritis & cœlo Phœnicum inventa sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.

Et sic intelligendus Plinius, quando lib. VII. *Syderum observationem in navigando Phœnices invenisse scribit.* Quanquam gloria inventi hujus non ad plures verum unum aliquem ex iis referenda sit, Thaletem nempe. Testis est Callimachus apud Laertium in vita ejus, & Hyginus lib. II. Poet. Astron. *Incidit compluribus erratio*

quibus de caussis minor Arctos Phoenice appelletur, & illi qui hanc observant verius & diligentius navigare dicantur, & quare si hæc sit certior quam major non omnes hanc observent. Qui non intelligere videntur, de qua historia sit profecta ratio, ut Phœnice diceretur. Thales enim, qui diligenter de his rebus exquisivit & hanc primus Arcton appellavit, natione fuit Phœnix, ut Herodotus Milesius dicit. Igitur omnes qui Peloponnesum incolunt, priore utuntur Arcto. Phœnices autem quem a suo inventore acceperunt, observant, & hanc studiosius prospiciendo diligentius navigare existimantur & vere ab inventoris nomine Phœnicem appellant. Eustathius Iliad. Σ. Η καὶ μεγάλη καλουμένη ἑλίκη ἣν οἱ Ἕλληνες ὡς εὕρηται ναυτιλλόμενοι ἑλίκωπες δι᾽ αὐτὴν ἐλέγοντο. ὅτε ἡ κυνόσουρα ἡ ἐγγὺς αὐτῆς ἡ μικρὰ, ἥτις μεθ᾽ Ὅμηρον ὑπὸ Θαλοῦ τοῦ Μιλησίου εὕρηται, πρὸς ἣν φοίνικες ἔπλεον. Theon Alexandrinus interpres Arati. Οἱ φοίνικες ὡς ἀκριβέστεροι τὰ ναυτικὰ καὶ ἐμπειρότεροι τῶν ἑλλήνων, θαῤῥοῦντες παρὰ τὴν ἐλάσσω βλέπουσι, καὶ ἅμα ὁ εὑρετὴς αὐτῆς Θαλῆς εἰς φοίνικας ἀνάγει τὸ γένος, οἱ δὲ ἕλληνες ἐν ἀγνωσίᾳ τῆς μικρᾶς ὄντες πρὸς τὴν ἑλίκην ὁρῶντες, ὡς μείζονα διαπλέουσιν. At majorem illam, de qua ante dictum est, invenit Nauplius. Testis est prædictus autor: Διτταὶ δὲ εἰσὶν ἅμαξαι, ὧν τὴν μὲν Ναύπλιος εὗρε, τὴν δὲ δευτέραν τὴν ἐλάσσονα Θαλῆς ὁ σοφός. Flaccus lib. I. Argon. Typhi tribuit

Pervigil Arcadio Typhis pendebat ab astro
Agniades, felix stellis qui segnibus usum
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.

Cur autem cynosuram potius, quam Helicem Phœnices sequerentur, ostendit Germanicus in Arateis, hisce versibus.

Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor.
Quippe brevis totam fido se cardine vertit
Sidoniamque ratem nunquam spectate fefellit.

Theon antea laudatus. φοίνικες τῇ κυνοσούρᾳ δηλαδὴ τῇ μικρᾷ βραχείᾳ γὰρ οὖσα, ἐν τῷ αὐτῷ στρέφεται, καὶ ἐστὶ μᾶλλον τῆς ἑλίκης εὐσυνόπτος, οὐ τῇ λαμπηδόνι, ἀμυδρὰ γὰρ, ἀλλὰ τῷ ἐν τῷ αὐτῷ περιστρέφεσθαι. ἡ γὰρ ἑτέρα ἐν τῇ περιφορᾷ μείζων κεκλιμένη οὐκ ἐστὶν εὐσυνόπτος διὰ τὸ πολυφερές. Erat hæc nocturni itineris dirigendi ratio: diurnum autem instituebant ad cursum solis. ex eo distinguebant ortum ab occasu, meridiem a septentrione. Igitur cum Sol non luceret, errabant in pelago incerti. Virgilius III. Æn. v. 200.

Excutimur cursu, & cœcis erramus in undis,
Ipse diem noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Treis adeo incertos cœca caligine Soles
Erramus pelago, totidem sine sydere noctes.

Hoc est, quod ait Lucas in Actis cap. 27. 70. *Neque autem sole, neque syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.* Et hæc quidem naves dirigendi ratio duravit, donec ante annos circiter CCC. ingeniosissimo commento, quod Pyxidem appellant, immutata est a quodam Flavio Campano, qui nautas ad indicium acus ferreæ magneti lapidi affrictæ navigare docuit. Testis Kerkermannus, aliique qui de ea re scripserunt. Gyraldus. *Non multis retro seculis Amalphis in Campaniæ oppido, antiquis navigandi usus incognitus per magnetem & chalybem, quorum indicio nautæ ad polos diriguntur, a Flavio quodam excogitatus traditur.* Sunt qui jam pridem inventam, imo etiam veteribus notam afferant fuisse hanc artem. Inter quos Fullerus, & Georgius Herwartus, quorum alter Herculem autorem ejus facit, alter vero Hammonem. Quæ omnia suo more, hoc est præclarissime refutat Samuel Bochartus Partis Secundæ Geogr. Sac. lib. I. cap. 38. Porro altera caussa, ob quam gubernator nosse sydera debuit, tempestatum est provisio, quæ quemadmodum dijudicata fuerit, præter astrologos, etiam Poetæ rerumque naturalium commentatores annotarunt. Procellas augurabantur ex sole oriente vel occidente, si non æqualibus radiis luxisset, si igneus, vel pallidus, vel maculosus apparuisset, ut Vegetius lib. IV. cap. 41. Lucanus lib. V. vers. 541. nos docent. Igitur non temere ante ortum ejus proficiscebantur. Liv. lib. XXXVII. cap. 12. *Inde quum in proxima Samiæ vellent trajicere, non expectato solis ortu, ex quo statum cœli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt.* Idem fiebat ex luna, ejusque partim colore, si luberet vel palleret, partim magnitudine, si cornua ejus crassa, si in sinubus essent obscurata. Lucanus antedicto loco, Plin. lib. XVIII. cap. 95. Tum ex Arcturo, Hyadibus, Hædis, Orione, Canicula, Geminis, Ara, quorum omnium ortus pluvias, procellas & infestas tempestates prænotare putabant. Testes sunt Ovidius, Plinius, Horatius, Polybius, Servius, Numerianus, & potissimum Aratus. Hæc ipsa tamen si fulgerent luce clara, fecunda habebantur. Propertius lib. II. vers. 983.

Ipsaque sydera erunt nullis obscura tenebris;
Purus & Orion, purus & Hædus erit.

Captabant quoque alia tempestatum signa, ex aere, si esset turbidus; ex avibus, mergo, pico, cornice, ardea, si aquam fugerent, seque conderent in littore; ex piscibus, delphino, si incertus vagaretur; item loliginibus, conchis, echinis, ranis. Ad postremum etiam ex ictu littorum, motu nemorum, murmuratione maris sicuti hæc omnia sollicite describunt Plinius lib. XVIII. Lucanus lib. V. vers. 552. Seneca Agamem v. 445. Diximus ventorum etiam notitiam gubernatores habere debuisse. Observamus autem eos internoscere solitos ex positura sydērum, quæ ab ortu starent, quæ ab occasu, quæ a dextra, quæ item a sinistra fulgerent, tum ad eorum dispositionem flamina captasse auribus, ut de Palinuro scribit Virgilius Æn. III.

Haud segnis strato surgit Palinurus & omnes
Explorat ventos, atque auribus aera captat.
Sydera cuncta notat tacito labentia cœlo.

Accedebant postmodum & chartæ, in quibus præter regionum situs etiam ventorum, quibus in quamque terram navigari posset, ratio depicta fuit. Propertius lib. IV. de Aretusa:

Cogor & e tabula pictos addiscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura Dei.
Quæ tellus sit tecta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela regat.

Verum ad secundam artis hujus partem venio, portuum videlicet notitiam, de qua ita Vegetius lib. IV. cap. 43. *Gubernatorum solertia est loca in quibus navigatur portusque cognoscere, ut infesta prominentibus vel latentibus scopulis, vadosa ac sicca vitentur.* & Maximus Tyrius differt. XXXI. ἡ δὲ τέχνη κυβερνητικὴ οἶδε τὴν ὁδὸν καὶ πρὸς τὸν οὐρα-

νὸν ἀφορᾷ, καὶ τοὺς λιμένας γνωρίζει. & mox: εἰ δέ πυ τις ἐςὶν ἀγαθὸς καὶ εὔςοχος κυβερνήτης διὰ τῶν λιμένων χωρεῖ τῶν ἀσφαλεςάτων. Hinc apud Livium lib. XXIX. cap. 27. Gubernator Scipioni ait, *non plus quinque millia passuum Africam abesse, Mercurii promontorium se cernere, si jubeat eo dirigi, jam in portu fore omnem classem.* Habebant autem hanc cognitionem frequentissime ex usu, nonnunquam etiam ex libris, quos περίπλυς nominavere. Patet ex inscriptione Scylacis, antiquissimi scriptoris, quæ est talis: Σκύλακος τῦ καρδυανέος περίπλυς τῆς θαλάσσης τῆς οἰκυμένης Εὐρώπης καὶ Ἀσίας καὶ Λιβύης, καὶ ὅσα καὶ ὁποῖα ἔθνη ἐςί, ἑξῆς καὶ χῶραι, καὶ λιμένες, καὶ ποταμοὶ, καὶ ὅσα μῆκη τῶν πλῶν. *Scylacis Cardianensis periplus maris habitabilis, Europæ, Asiæ, Libyæque, item quæ & quales gentes quæque deinde regiones portus & fluvii & quantæ navigationum longitudines.* Sic in Antonii cujusdam sub Pii vel Augustini cognomento editi itinerario legimus: *Itinerarium portuum vel positionum navium*, quod profecto non ad aliud, quam huc pertinuerit. Extiteruntque olim plurium ejusmodi περίπλοι, sive libri portuum: ut Mnaseæ Patrensis, Nimphodori Syracusii, Nymphis Heracleotæ, quorum Athenæus meminit in libris suis. Oportebat autem ipsum præter cætera capere quoque gubernacula, vela in ventum dirigere. Seneca Ep. 108. *Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela, quid me potest adjuvare rector navigii attonitus & vomitans?* Virgilius lib. X. de Ænea Palinuro succedente

Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.

Notandum est, quod de velis dixi: hanc enim ob caussam funes velorum puppi erant alligati. Oppianus de piscat. lib. I. v. 229.

—— Πρύμνη δ' ἐπὶ πάντα χαλινὰ
Ἰθυντὴρ ἀνίησιν ——

In puppi gubernator omnes habenas locat. Lucanus lib. VIII. v. 188.

Justo vela modo pendentia cornibus æquis
Torsit & in lævum puppim dedit ——
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.

Erant autem gubernatores istiusmodi vulgo singuli singulis in navibus. Hinc Maximus Tyrius Dissert. XXIX. *Non vides, ut gubernator navigationem moderetur, ut anima corpus?* In majoribus vero interdum duo fuisse videntur. Ita enim Memnon apud Photium de Ptolemæi octere sive navi octo ordinum: *qui de foris pugnabant, erant mille ducenti, duos etiam gubernatores habebat.* Ælianus Carthaginienses etiam vulgo duos habuisse scribit in singulis navibus. Verba ejus extant lib. IX. Variæ Hist. cap. 40. in hunc modum, *Carthaginenses duos gubernatores singulis navibus decernebant, non convenire dicentes, ut quum duo gubernacula navis habeat, eum, qui navigantibus sit utilissimus, solum & absque socio esse.* Ita Leo in suis Dromonibus vult esse δύο κυβερνήτας τῦ δρόμονος αὐχενῶν, ὡς καλῦσι καὶ πρωτοκαράβυς, *duos gubernatores ad gubernacula* (*collum* perperam interpres reddidit) *dromonis cujusque, quos & Protocarabos appellant.* Atque hactenus gubernatorem definivimus. Progredimur ad proretam, dignitate proximum, & minorem quasi quendam gubernatorem. Sic enim Aristophani describitur in Equit.

Ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν
Κἆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι ——
Κἆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ. ——

Remigem oportet ante esse, quam clavum tenere, postea vero proretam agere, tum demum pro se ipse gubernare. Hic statim gubernatori subditur proreta, unde sub imperio ipsius fuisse intelligitur. Suidas: πρωρεὺς ἄρχει ὁ κυβερνήτης. Plutarch. Agide, οἱ πρωρεῖς τὰ ἔμπροσθεν προορώμενοι τῶν κυβερνητῶν, ἀφορῶσι πρὸς ἐκείνυς καὶ τὸ προςασσόμενον ὑπ' ἐκείνων ποιῦσι. Officium ipsius fuit, ut Gubernatori veniret in laborum partem, & ad imperium ipsius regeret clavum. Xenophon lib. V. de Domest. Ad. πρωρεὺς καλεῖται, ὁ τῦ κυβερνήτυ διάκονος. *Proreta dicitur gubernatoris adjutor.* Pollux: ὁ ἐπὶ τῶν οἰάκων καθήμενος καλεῖται κυβερνήτης. καὶ τῆς νεὼς ὑποκυβερνᾶν, προκυβερνᾶν, ἐπὶ τῦ πρωράτυ. *Qui ad gubernacula sedet, gubernator dicitur, gubernatoris autem vices agere, proreta est.* Intelligitur ex his quid prædictus Pollux in animo habuerit, quando alio in loco scripsit οἰακίζειν καὶ κατευθύνειν τὸ σκάφος, καὶ κυβερνᾶν, ἐπὶ τῦ πρωράτυ, *regere clavum, dirigere & gubernare navim ad proretam pertinet.* Non enim perpetuum ipsius significavit officium, nam sic fuisset gubernator, sed quod ad tempus, & ex jussu ipsius obibat. Plutar. Reip. ger. præc. οἱ κυβερνῆται τὰ μὲν ταῖς χερσὶ αὐτῶν πράττυσι, τὰ δὲ ὀργάνοις ἑτέροις δι' ἑτέρων ἄπωθεν καθήμενοι, περιάγυσι καὶ ςρέφυσι, χρῶνται δὲ καὶ πρωρεῦσι καὶ κελευςαῖς, καὶ τύτων ἐνίυς ἀνακαλύμενοι πολλάκις εἰς πρύμναν ἐγχειρίζυσι τὸ πηδάλιον. *Gubernatores alia suis ipsi peragunt manibus, alia instrumentis & manibus aliorum eminus ipsi sedentes versant. utunturque proretis & celeustis quos nonnunquam in puppim evocant & gubernaculum tradunt.* Nisi quis existimat τὸ κυβερνᾶν apud Pollucem in laxiore sensu positum, qualemcumque navis directionem, non quæ fit tantum gubernaculis, significare. Atque tunc de alio ipsius & frequentiore officio accipiendus esset locus, quo sedere in prora debebat ibique primum aucupari ventos. Aristophanes in adducto paulo ante loco:

Κἆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τὺς ἀνέμυς διαθρῆσαι

δεῖ. *oportet proretam postea agere & observare ventos.* & de hoc accipiendus Etymologus, cum inquit: ἔργον τῶ πρωρεῖ, τὸ ὥρας ὁρᾶν, *proretæ officium, prævidere tempestates.* Deinde ne impingeretur navis, explorare promontoria, item rupes, scopulos, & alia occurrentia in mari. Hinc cum antedictus poeta in Acharnens. sic cecinisset,

Πρὸς τῶν θεῶν ἄνθρωπε ναύφρακτον βλέπεις
Ἡ περὶ ἄκραν κάμπτων, νεὼς οἶκον σκοπεῖς

additur a Scholiaste: τηνικαῦτα γὰρ μάλιςα εἰώθασι προορᾶν καὶ φυλάττειν τὴν ναῦν, ὁπόταν τινὰ κάμπτωσι. & Ovidius Metamorph. lib. III.

Hoc Lybis hoc flavus proræ tutela Melanthus
Hoc probat Alcimedon ——

Tutelam proræ nominat, quod curam ejus haberet. Turnebus Advers. XXVIII. c. 43. *Proreta est, qui in prora & ventos aucupatur & captat, & eo*

rum conversiones dicit in flectendis promontoriis gubernatori, quique tenias & brevia ne navis eis impingatur prospicit & explorat. Meminit & Theodoretus Or. VII. de providen. τὸν δὲ πρωρέα σκοπέλους καὶ βράχη καὶ σπιλάδας περισκοποῦντα, καὶ τῷ κυβερνήτῃ μηνύοντα. *Proretam scopulos, syrtes & saxa observare, & gubernatori ostendere.* Patet ex his locis, cur Lynceum proretam fecerit Hyginus. *Proreta navis inquit* (Argus) *Lynceus Aphareti filius, qui multum videbat.* nimirum quia in longinquum prospicere, & promontoria, portus, ac similia diu ante providere poterat. Etiam flectere navim a prora solebat. Plautus in Rudente Act. IV. sc. 3. v. 74.

— TR. *At ego hinc offlectam navem, ne quo abeas, mane.*
GR. *Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero. Mitte rudentem sceleste.*

Et ob hanc caussam nescio quis apud Ovidium.

Pone metum, proreus & quos contingere portus
Ede velis, dixit, terræ sistere petitæ.

Quod si non fecisset, si non flexisset, quando necessitas postularet, & vel suæ, vel alienæ navi damnum ex concursu forte esset illatum, ejus nomine fiebat reus. Sic intelligenda lex 10. lib. LIII. Basilic. ἐὰν ναῦν ναῦς βυθίσῃ, ὁ κυβερνήτης ἢ ὁ πρωρεὺς ἐνάγεται. Et exemplum est apud Appianum bello Mith. *In certamine navem Regis suos hortantis Chia socia per tumultum impacta concussit, quod ille non dissimulans, postea gubernatorem & proretam supplicio affecit.* Proretam agentem in prora habes hujus paginæ nummo. Assignabat porro remigum cuique suum locum, eosque disponebat. Ostendit unicus Dionysii locus, sed is luculentus satis, apud Athenæum lib. XV. ubi de Phæaco Thesei proreta.

φαίακος Μουσῶν ἐρέτας ἐπὶ σέλματα πέμπει.

Phæacus Musarum remiges in transtra mittit. Ac nescio an non hanc ob caussam τὸν πρωρέα τοῖς κωπηλάταις ἄρχεσθαι Suidas scripserit. Ad postremum rerum omnium, armamentorum, instrumentorumque navalium curam habebat accuratam, thecas etiam inspiciebat, ne cum usus vel necessitas exigeret, unde quæque promi possent, ignoraret. Xenophon lib. V. Adm. dom. Τὸν πρω-



ρέα οὕτως εὗρον ἐπιστάμενον ἑκάστων τὴν χώραν, ὥς καὶ ἀπὼν ἂν εἴποι, ὅπου ἕκαστα κεῖται καὶ ὁπόσα ἐστὶν, οὐδὲν ἧττον ἢ ὁ γράμματα ἐπιστάμενος εἴποι ἂν Σωκράτους καὶ ὁπόσα γράμματα καὶ ὅπου ἕκαστον τέτακται. εἶδον δὲ ἐξετάζοντα τοῦτον αὐτὸν ἐν τῇ σχολῇ πάντα ὁπόσοις ἄρα δεῖ ἐν τῷ πλοίῳ χρῆσθαι. θαυμάσας δὲ ἔφη τὴν ἐπίσκεψιν αὐτοῦ ἠρόμην τί πράττοι. ὁ δ' εἶπεν. ἐπισκοπῶ. ἔφη, ὦ ξένε εἴ τι συμβαίνοι γίνεσθαι πῶς κεῖται τὰ ἐν τῇ νηὶ, ἢ ἔτι ἀποστατεῖ ἢ εἰ δυστραπέλως τὶ σύγκειται. *Proretam ita cujusque loci gnarum reperi, ut vel absens dicere posset, uti singula sita essent, & quam essent multa, non minus atque is, qui litteras novit, quot in Socratis nomine litteræ sint, dicere possit, atque ubi singulæ sint collocandæ. Eundem vidi per otium omnia lustrantem, quibus utendum in navi esset. Quum hanc ejus inspectionem miratus essem, quærebam quid ageret? Respondit ille: Inspicio, mi hospes, si forte quid accidat, quo pacto sita sint omnia in navi, ac numquid absit, vel inconcinne collocatum sit.* Elegans est hic locus, notatuque dignissimus. Quod autem *Proretam* hunc Latini, Græci πρωρέα vel πρωράτην appellarint, haud ob aliam est caussam, quam quia proræ curam agebat, ibique imperabat, sicut Gubernator in puppi. Idem Xenophon alio in loco. οὐχ ὁρᾶτε, ὅτι καὶ νεώμαστε μόνου ἕνεκα χαλεπαίνει μὲν πρωρεὺς τοῖς ἐν πρώρᾳ, χαλεπαίνει δὲ κυβερνήτης τοῖς ἐν πρύμνῃ. *Non videtis proretam hominibus in prora vel ob nutum tantum succensere, gubernatorem vero iis, qui in puppi sunt?* Itaque & locum suum illic sedemque propriam habebat. Pollux lib. I. ἔστι δέ τι ἑδώλιον πρωρατικὸν ἐφ' οὗ κάθηνται. Leo in Tacticis. ἔσω δὲ καὶ ὁ πρωρεὺς ἄνω πρὸς τῆς πρώρας καθήμενος. Scholiastes tamen magis putat a πρὸ ὥρας ὁρᾶν fuisse appellatum, uti supra vidimus.

CAP. VII.

De imis Magistratibus.

Hortator quid vel Portisculus. κελευστής. *Dousa Scaligero conciliatus. Jussor. Pausarius. Aristophani lux facta. Officium ejus in navi. Vulcanius notatus. Magister.* Τριηραύλης. *Symphoniacus distinctus ab hortatore. Polyænus emendatus & expositus. Vultejus notatus.* Ναυφύλακες. Δίοιποι. Τοίχαρχοι. *Suidas emendatus. Tucarchi. Hyginus correctus.* Ταμίαι. *Dietarii. Dousa notatus. Scriba navalis.* λογισταί. φόρτου μνήμονες. *Escharion.*

JAm ad imos magistratus ventum est. In quibus primum ponimus *Hortatorem* vel *Portisculum* a Græcis κελευστὴν vocatum. Meminit ipsius Ennius in Annal. *Portisculus quum signum dare cœpisset.* Vel ut habet locus integer ex emendatione Merulæ vel Carrionis potius, ut ipse fatetur,

— tonsamque tenentes
Parerent, observarent, portisculu' signum
Quum dare cœpisset . . . . .

Glossæ veteres. *Portisculus*, κελευστής. Scaliger ad Festum: *Qui est præco alias, is in navi portisculus.* Item in appendice conjectan. in Varronem. *Qui κελευστής Polybio, is est Ennio portisculus.* Diversas tradit Janus Dousa, & perticam, quam gestabat, non hominem ipsum scribit sic vocatum. *Portisculum*, inquit lib. I. Expl. Plaut. *plærique omnes pro remigum hortatore, eoque qui perticam, sive, ut aliis placet, malleum sibi cognominem manu tenens, requiemque modumque voce dabat remis, accipiunt. Ego perticam ipsam, non autem perticæ gestatorem designari autumo, ea enim (Pompejo ac Marcello superstitibus) Portisculus cluebat.* Quid tamen hic dicemus? Falsa esse, quæ vir eruditus de Portisculo commentus est. Non opinor, sed de solo Plauti loco, quem in animo habebat, accipi oportere. Verba Plauti hæc sunt:

Phi. *Et meam partem loquendi & tuam trado tibi.*

Ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum.

Hic utique non se ipsum tradit Philenium, sed portisculum, quod nisi de pertica intelligi non potest. Interea non minus vera, quæ scripsit Ennius; cum sint manifestiora, quam ut in dubium vocari debeant. Et juvat Nonius Marcellus, cujus autoritate Dousa utitur. *Portisculus*, ait, *proprie est hortator remigum, qui eandem perticam tenet quæ portisculus dicitur*. Portisculus igitur & hortator ipse, & pertica sive malleus. Pomponius Festus: *Portisculus est, ut scribit Ælius Stylo, qui in portu modum dat classi. id autem est malleus, cujus meminit Cato in dissuasione de Rege Attalo & vectigalibus Asiæ. C. Licinio Pr. remiges scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti veniere passim*. Isidorus. *Portisculus* (sic recte Merula) *malleus in manu portatus, quo munus signumque datur remigantibus*. At virum ipsum *Ageatorem* vocant glossæ veteres. *Ageator* (sic recte Vulcanius, pro *Egeatur*, quod ante ibi legebatur) *hortator navis*. Ab ageari nempe, de quo alibi. *Hortatorem* etiam dixere. Ennius lib. VII. An.

Hortatore bono prius, quam jam finitus termo est.

Merula. *Hortator hic, qui paulo ante portisculus*. Et sic Plautus appellavit in Mercatore Act. IV. sc. 2.

—— coquos quasi in mari
Solet hortator remiges hortarier
Ita hortabatur ——

In Glossis *Jussor* est. Κελδυςής. *jussor*. Nimirum quia maxima officii illius pars jubere remiges vel pergere vel pausare. Docet locus Ennii antea productus: & Ovidius;

—— requiemque
Voce dabat nautis animorum hortator Epopeus.

Hinc Senecæ *Pausarius* Epist. 56. *Audire vel pausarium possim voce acerbissima remigi modos dantem*. Extat jocus Aristophanis in Avibus & Scholiastis ejus non aliunde, quam ex horum observatione facilis intellectu. Apud quem cum Præco Pistheterum sapientissimum, splendidissimum, gloriosissimum longo ordine appellasset, false subdit ὦ κατακέλευσον. Quo nomine nil vult aliud, quam ut celeustam ageret Pistheterus, eumque tot titulos aliquando juberet finire. Interpres. Ἐπειδὴ πολλάκις εἴσηκε ὦ, καὶ οὐκ ἐπίσχει αὐτὸν ὁ Πειθέτερος, ὁ ἄγγελος φησὶ, κατακέλευσον. ὥσπερ τοῖς ἐρέταις. καὶ ὦ λέγει παύσασθαι παρακέλευσέ μοι. Polybius lib. I. Μέσον ἐν αὐτοῖς στήσαντες τὸν κελευστὴν ἅμα πάντας ἀνάπτειν, ἐφ' αὑτοὺς ἄγοντες τὰς χεῖρας, καὶ πάλιν προνεύειν ἐξωθοῦντας ταύτας συνείθιζον ἄρχεσθαι τε καὶ λήγειν τῶν κινήσεων πρὸς τὰ τοῦ κελευστοῦ παραγγέλματα. *Hortatore in medio locato omnes simul reclinare sese manus adducendo & rursus incumbere easdem propellendo, principio & fine motus ad hortatoris jussionem facto assuefaciebant*. *Quod ait Polybius* (verba sunt Scaligeri ad Varronem) ἅμα πάντας &c. *idem Ennius retulerat VII. Annali*

Poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis.

Et

Pone petunt exin referunt ad pectora tonsas.

Quid enim aliud est quam exercitatio Romanorum adeuc rei nauticæ imperitorum, de qua Polybius agit. Subjicit Polybius ἄρχεσθαι καὶ λήγειν. *Ex eodem Annali versus Ennii, qui Polybium ad verbum interpretatur, proferamus.*

—— tonsam ante tenentes
Parerent, observarent, portisculu' signum
Cum dare cœpisset.

Describitur & Arriano officium ipsius in huncmodum l. VI Exp. Alex. ὡς δὲ ὅτε κτύπος τῆς εἰρεσίας οὐδενὶ ἄλλῳ ἐοικώς, ἅτε ἀπὸ πολλῶν νεῶν ἐν ταὐτῷ ἐρεσσομένων, βοὴ ἀπό τε τῶν κελευστῶν ἐνδιδόντων τὰς ἀρχάς τε καὶ ἀναπαύσας τῇ εἰρεσίᾳ καὶ τῶν ἐρετῶν ὁπότε ἀθρόοι ἐμπίπτοντες τῷ ῥοθίῳ ἐπηλαλάξειαν. *Miranda res erat remorum sonitum exaudire tot navibus uno temporis momento remigantibus & naucleris* (labitur, ut multi alii, in hac voce eruditissimus interpres Bonaventura Vulcanius, scribe, *hortatoribus*) *suo celeusmate remigationis initium intermissionemque præscribentibus, tot remigum uno impulsu flumen remis verberantium clamoribus sublatis*. Num & Statio? Non dubito. Versus hi sunt l. VI. Theb. v. 796.

Sic ubi longa vagos lassarunt æquora nautas
Et signo de puppe dato posuere parumper
Brachia, vix requies, jam vox ciet altera remos.

Clarior locus est Theb. III. v. 805. nam præcedentia etiam ad gubernatorem referri posse videntur.

—— Sic Ambracii per littora Ponti
Nauticus in remis juvenum monstrante magistro
Fit sonitus.

Observa etiam *Magistrum* appellari. Verum hæc, ut dixi ante, maxima officii ipsius pars erat. Sequitur nunc reliqua; qua ipsum remigibus & cæteris in navi oportebat singulis diebus victum distribuere, suamque cuivis partem carnis, olei, vini admetiri. Testis unicus sed locuples est Suidas. Μεγίστη ait παρέχονται χρείαν οἱ κελευσταὶ, καὶ τὸ ἵνα τοὺς ἄρτους δεόντως πέττωσι καὶ συντελῶσι τὸ μέτρον ἐν τῷ δειπνεῖν οἱ κωπηλάται. τούτοις ἐστὶν ἐπιμελὲς οἴνου, κρέως, ἐλαίου, πάντων τῶν τοιούτων. ἵνα ταῦτα τηροῦντες καθ' ἡμέραν ἐπιβάλλον ἔχωσι τοῦ διδομένου πρὸς τὴν χρείαν. Ab hortatore pergo ad Τριηραύλην. Sic Græci appellarunt alium quendam a priore, qui non assa voce, sicut Jussor vel Hortator, sed cum modulatione tibiaque singulis in navibus remigibus cantabat. Mentio ipsius facta a Polluce lib. I. c. 9. Athenæo lib. XII. & aliis. Demosthenes orat. de Corona. ὡς ὁ τριηραύλης Φορμίων ὁ Δίωνος τοῦ Φρεαρρίου δοῦλος, ἀνέστησεν αὐτόν. *Ut tibicen nauticus Phormio, Phrearrhei servus eam revocavit*. Videtur ex hoc loco apparere, quasi vilioris fuerint conditionis. Atque ita quoque apud Tullium sunt servi, qui eos *Symphoniacos* vocavit. *Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat*. Quod autem trieraulis alius ac diversus fuerit ab hortatore, patet primum ex Polluce, qui ab eo distinguit, lib. I. c. 9. Προσθετέον τούτοις, ait, καὶ τριηραύλην κελευστήν. Deinde testis est amplissimus Polyænus lib. V. εἰς τὸν λιμένα inquit τῶν Ναξίων κατέπλει πεντηκόντορος διονυσιακὴ αὐλητὰς αὐλοῦντας ἄγουσα καὶ κελευστὰς κελεύοντας, ὧν ἂν ἕκαστος ἀνεκάλει τριήρη μίαν. οἱ δὲ Νάξιοι νομίζοντες ἐπιπλεῖν τοσαύτας τριήρεις ὅσους ἑώρων κελευστὰς φοβηθέντες παρέδωκαν Διονυσίῳ τὴν πόλιν. *Sub idem tempus jussu Dionysii in portum Naxiorum appellebat Dionysiaca pentecontorus, quæ symphoniacos habebat modulantes & hortatores hortantes plures, quorum unusquisque*

velut in ſingulari triremi hortabatur. Ergo Naxii arbitrati totidem triremes adnavigare, quot audirent hortatores, metu perterriti ſponte Dionyſio dederunt urbem. Sic emendo & expono hunc locum, cum ante legeretur τριήρη μίαν. Vultejus nullo ſenſu: *quorum ſingulæ triremem unam appellabant*. Nec enim appellabant, hoc eſt nomine vocabant triremem, ſed more ſolito hortabantur, non tamen una, ut ſic dicam harmonia, ſed diverſa, quo plures naves adventare viderentur. Dixi officium ipſius fuiſſe, uti tibia remigibus cantaret. Probo jam ex Ulpiano Rhetore, cujus verba ad Demoſthenis præcedentem locum hæc ſunt. ὡς ὁ τριηραύλης, οὐχ ἁπλῶς αὐλητής. ἦσαν γὰρ ἐπίσημοι, ἀλλ' ἐν τριήρει αὐλῶν, ἄμουσον ῥυθμόν. *Ut tibicen nauticus, non ſimpliciter, ut tibicen dixit, erant enim quidam celebres, ſed qui in triremi quiddam inconditum fiſtulat.* Et exemplo eſt Chryſogonus in nave Alcibiadis, de qua Athenæus lib. XII. ὡς δὲ ἐντὸς ἦν, καὶ τὰς κώπας ἔλαβον οἱ ἐρέται, Χρυσόγονος μὲν ηὔλει τὸ τριηρικόν, ἐνδεδυκὼς τὴν Πυθικὴν στολήν. Καλλιππίδης δὲ ὁ τραγῳδὸς ἐκέλευε. *Ut vero portum intravit & remis admoverunt manum remiges, Chryſogonus Pythicam indutus ſtolam claſſicos numeros eſt modulatus, Callipedes tragœdus adhortatus eſt*. Hic iterum non unum, verum duos ac diſtinctos fuiſſe vides Symphoniacum & Hortatorem. Duris Samius apud Plutarchum de eadem nave Alcibiadis: Αὐλεῖν μὲν λέγει εἰρεσίαν τοῖς ἐλαύνουσι Χρυσόγονον τὸν πυθιονίκην, κελεύειν δὲ Καλλιππίδην τὸν τῆς τραγῳδίας ὑποκριτήν. *Ait nauticum carmen ceciniſſe Chryſogonum victorem in ludis Pythicis, hortatorem vero fuiſſe Callipedem tragœdiarum hiſtrionem*. Plutarchus aliud exemplum habet de Cleopatra & ejus navi in vita Antonii. Πλεῖν ἀνὰ τὸν Κύδνον ποταμὸν ἐν πορθμείῳ χρυσοπρύμνῳ τῆς εἰρεσίας ἀργυραῖς κώπαις ἀναφερομένης πρὸς αὐλὸν ἅμα σύριγξι καὶ κιθάραις συνηρμοσμένης. *Subvecta Cydno fluvio in navigio aurata puppi remigio argenteis ducto remis ad fiſtularum & cythararum modos*. Et rurſum aliud in Demetrio: ὁ δ', inquit, τῶν τότε αὐλητῶν ἐλλογιμώτατος Ξενόφαντος, ἐγγὺς καθεζόμενος προσηύλει τῶν μελῶν τὸ ἱερωπρεπέστατον, ὁ δὲ ψόφος τῆς εἰρεσίας ἀναφερομένης, μετὰ ῥυθμοῦ τινος ἀπήντα ψόφος ὥσπερ ἐν κοπετῷ τοῖς τῶν αὐλημάτων περιόδοις. *Celeberrimus illa tempeſtate tibicen Xenophantus aſſidens ſacratiſſimum carmen accinuit, ad quod moto remigio clangor cum modulatione quadam velut in planctu reſpondit carminis ad tibias ambitibus*. Meminit & Silius Italicus lib. VI. verſ. 361.

> *—— mediæ ſtat margine puppis*
> *Qui voce alternis nautarum temperet ictus*
> *Et remis dictet ſonitum, pariterque relatis*
> *Ad numerum plaudat reſonantia cærula tonſis.*

De Symphoniaco, non hortatore loqui ex poſtremo maxime verſu palam eſt. Pergo ad *cuſtodes* navium. Ναυφύλακες a Græcis appellati ſunt. Munus eorum fuit, ut navim cuſtodirent, quod vel ex nomine intelligitur. Ulpianus l. 1 ff. Nautæ, Caup. §. 3. *Sunt quidam in navibus, qui cuſtodiæ gratia navibus præponuntur, ut* ναυφύλακες. Sed qualis hæc cuſtodia, vel quarum rerum? Earum opinor, quæ ad navim pertinebant, ut ſunt armamenta, vela, inſtrumenta, ad militiam pertinentia, in bellicis navigiis, in cæteris etiam earum rerum, quas a navigantibus recipiunt, & cuſtodiæ gratia in ſuos quaſque locos reponunt. Apparet ex adducta lege Ulpiani & qui eam Græce tranſtulit Baſilicorum Eclogario lib. LIII. cap. 6. & 7. ὅπερ ἂν, inquit, λάβωσιν ἐπὶ τῷ φυλάξαι οἱ ναύκληροι καὶ οἱ πανδοχεῖς, εἰ μὴ ὑποκαθιστῶσιν, ἐνάγονται. ἐν αὐτοῖς δὲ ἐστι μηδένα ὑποδέξασθαι. Ενέχονται δὲ καὶ διὰ τῶν προβεβλημένων εἰς παραφυλακὴν, οἷον ναυφυλάκων. *Nautæ & caupones quod in cuſtodiam receperunt, niſi reſtituerint, obligantur. In ipſorum autem arbitrio eſt, ne quem recipiant. Tenentur etiam propter eos, quos cuſtodiæ gratia navibus præpoſuerunt, ut ſunt nauphylaces*. Διόπους vocavit Pollux lib. VII. cap. 31. Δίοπος, ὁ ἐνόπτης τῆς νεώς. Αριστοφάνης δὲ ἐν Λημνίαις εἴρηκε, καὶ ναῦς φύλαξ. Ælius Dionyſius apud Euſtatium Iliados B. Αἴλιος Διονύσιος φησὶ καὶ ὅτι δίοπος ὁ ναυφύλαξ, ὡς ἐπισκοπῶν αὐτὴν καὶ ἐφορῶν. Nimirum ſedulo ſpectabant, ne navis damnum aliquod acciperet, de nocte præſertim, quando & contis vias experiri, navimque dirigere conſeverunt. Sophocles in Ἀχαιῶν συλλόγῳ.

> Ὡς ναυφύλακες νυκτέρου ναυκληρίας
> Πλεύτροις ἀποδιθύνουσιν οὐρίαν τρόπιν.

Locus memorabilis, ex quo intelligimus non multum diverſos fuiſſe a Proretis, quippe quorum hoc ipſum, uti alias oſtenſum eſt, officium. Hinc forte Scholiaſtes Ariſtophanis de proreta: τίνι καὶ μάλιστα ἀνδράσι πρωρεῦ, καὶ φυλάττειν τὴν ναῦν ὁπόταν ἄκραν τινὰ κάμπτωσι. φυλάττειν certe ait, quod cum appellatione noſtri optime conſentit. Sequuntur τοίχαρχοι. Hi laterum cuſtodiam habuere. Hinc Claudianus de Conſulatu Mallii verſ. 47.

> *Ac velut exercitus lentandis navita tonſis*
> *Præficitur lateri cuſtos ——*

Turnebus Adverſ. XXVIII. cap. 43. *Tœcharchi ſunt, qui imperabant lateribus navis*. At quæ iſta laterum cuſtodia? Ego illos exiſtimo fuiſſe, qui in ſingulis τοίχοις remigum, quos etiam στοίχους nuncupant, imperium habebant. Etymologus. ναῦς δύο τοίχους ἐρετῶν ἔχουσα. Hinc ergo τοίχαρχος. Pollux lib. I. ὁ τοίχαρχος, λέγοιτ' ἂν καὶ τοίχων ἄρχος. Infra proretam fuere, eique cogebantur obedire. Suidas. Τοίχαρχος, ἐπὶ νεὼς ὁ ἄρχων αὐτῆς. τοιχάρχου δὲ πρωρεύς: verba ſunt corrupta atque ſic reſtituenda. Τοίχαρχος. Εποινεώς. ὁ ἄρχων αὐτοῖς. τοιχάρχου δὲ πρωρεὺς, πρωρέω δὲ ὁ κυβερνήτης. Ex Claudiani loco antea allato, primum eorum a remigibus fuiſſe gradum, apparet. Meminit etiam Hyginus Fab. XIV. *in Argo nave Tucharchi*, ait, *fuerunt Zetes & Calais, Aquilonis filii, qui pennas & in capite & in pedibus habuerunt*. Ita corrigo hunc locum, veterumque ſcripturam ſequor proxime, quæ habebat *Tutarchi*. Notum eſt, Latinos pro Græcorum *οι*, *u* ponere, interdum quoque aſpirationes omittere, uti ex *puniceus* vocabulo, quod Græce φοινικὸς, apparet. Id igitur hoc loco etiam Hyginum feciſſe exiſtimo. Turnebus longius abiit & *ToechArchi* emendavit. Etiam ταμίας habuerunt in navibus, quorum mentio apud Homerum Iliad. T.

> Καὶ ταμίαι παρὰ νηυσὶν ἔσαν σίτοιο δοτῆρες.

Aderant ad naves etiam quæſtores frumenta diſpenſare ſoliti. Quale ipſorum fuerit officium, ex hoc ipſo loco patet. Potus ſcilicet ac cibi, reique annonariæ habebant curam. Scholiaſtes vetus Homeri, Ταμίαι οἱ φύλακες τῶν πρὸς τρο-

τροφῶ. *Tamiæ ſunt, qui cuſtodiunt res ad victum pertinentes.* Confirmat etiam Euſtatius ad hunc locum. Ταμίας ὁ γενικῶς θησαυροφύλακας λέγει, ἀλλὰ σίτου δοτῆρας ὡς αὐτὸς ἑρμηνεύει. An & *dietarii* tales, quorum mentio eſt apud Ulpianum Juriſconſultum leg. 1. ff. Nautæ. & Eclog. Baſil. leg 53. c. 7. his verbis. Ἐνέχονται καὶ διὰ τῶν προβεβλημένων εἰς παραφυλακὴν, οἷον ναυφυλάκων καὶ διαιταρίων. Opinor, licet ſummus vir in præcidaneis ad Arbitrum lib. II. c. 10. diſſentiat, & navicleros ſeu navigii magiſtros interpretetur. Nam ſenſus legis obſtat, quæ nauclerum vel navicularium ex delicto dietarii obligat, tanquam magiſtrum, & eum, qui hunc navi præpoſuit, & verborum ordo docet: eccur enim naviculario ſeu magiſtro navis, & proretæ poſtponeretur. Dietarius profecto a Græco δίαιτα. jam τρόπον τῆς διαίτης vivendi, vel edendi bibendique rationem dixit Galenus, Herodotus, & alii. Longe ergo melius Dionyſius Gothofredus, qui expoſuit eum, qui annonam navis adminiſtrat. Sed quid? num igitur iidem fuere cum celeuſtis? non vehementer repugno, licet credam hos cuſtodiendæ annonæ, illos diſtribuendæ magis curam habuiſſe. Franciſcus Stypmannus novos nobis anteaque numquam cognitos facit dietarios, *qui cibum ceu* (ita lego) *mercedem in dies recipiunt & cuſtodiæ cauſſa uno aut altero tantum die navi præponuntur.* Sunt apud Demoſthenem *Quæſtores*, quos ignoro an huc referam. Habuerunt enim curam conſignandi omnia in navi quæ acciperentur, quæ expenderentur, exque tabulis ipſorum judicabantur trierarchi. Quicquid ſit, *Scribis navalibus* non abſimiles fuerunt, ut ex Feſti verbis facile apparet. *Navalis ſcriba*, inquit, *qui in nave apparebat, inter aliud genus ſcribarum minimæ dignationis habebatur, quod periculis quoque ejus miniſterium eſſet objectum.* Plautus. *Non ego te novi navalis ſcriba, columbar impudens.* Scaliger commode ad hunc locum: *Etiam apud Homerum navalis ſcriba eſt convicium Od.* Θ.

φόρτου τε μνήμων, καὶ ἐπίσκοπος ἦσιν ——

Hoc eſt γραμματεὺς φόρτου, καὶ ἐφοδίων ταμίας. Euſtatius, ex quo iſta Scaliger, prolixius: Μνήμων φόρτου, ὁ γραμματεὺς ἤτοι ὑπομνηματογράφος ἀπομνημονεύτωρ διὰ γραμμάτων. ἢ καὶ ἄλλως λογιστὴς, ἐπιμελητής. At Scholiaſtes Poetæ clarius. φόρτου μνήμων, ἐπιμελόμενος τῶν φορτίων ἢ μνημονεύων ἕκαστον, πόσου ἦν ἄξιον. φόρτου μνήμων *dicitur, qui curam gerit onerum vel mercium in navi, quique cuncta memoriæ cauſſa notat, quæ neceſſaria.* Sic accipio τὸ μνημονεύων, ſi cum Euſtatii interpretatione confero. ſimulque λογιστὰς vocatos eſſe obſervo, quia credo rerum omnium rationes tenere, reddereque cogebantur. Puto mentionem Scribæ iſtiuſmodi extare in antiquo lapide apud Gruterum p. 564. quamquam is non navis unius, ſed *totius claſſis ſcriba* fuiſſe videatur, lapis hic eſt.

D. M
M. VALERIO
M. F. CLAVD. CO
LONO. LIBVRN
VARVAR. SCRIB. CL.
PR. RAVEN. VIX. ANN. L.
MIL. ANN. XXVI.

Meminit & Scribæ totius claſſis Arrianus in Indicis: γραμματεὺς, inquit, τοῦ στόλου παντὸς Εὐαγόρας Εὐκλέωνος, Κορίνθιος. *Scriba claſſis totius fuit Evagoras Eucleonis, Corinthius.* Venio poſtremum ad Eſchareum, qui Polluci ſic deſcribitur: ὁ περὶ τῇ ἐσχάρᾳ, λέγοιτ' ἐσχαρεύς. *foco aſſidens Eſchareus dicitur.* Quale revera ejus fuerit officium nuſquam reperio. Ex vocabulo tamen rerum ſacrarum curam habuiſſe conjecto. Quin enim ſacrificia diligenter facerent in navibus, Deos, & Tutelares maxime, thure aliiſque ſuffimentis placarent, dubium non eſt. Huc autem opus fuit quodam ſacrificulo, quem ab ara ſive foco, cui miniſtrabat. ἐσχαρέα nominatum puto. Sunt, qui pro coquo accipiunt, quibuſcum ſuper re incerta litigare nolo.

F I N I S.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
RE VEHICULARI VETERUM
LIBRI DUO.

BENIVOLO LECTORI
JOANNES SCHEFFERUS

S. D.



Nte omnia optamus, ut quod maxime laborem huncce noſtrum Juventuti ſtudioſæ utilem evadere. Quod ſi voti hujus compotes fuerimus, quicquid ex eo favoris gratiæve proveniet, id omne Nobiliſſimi Magnificentiſſimique Viri, Domini REINHOLDI BLUMII JCti ſummi erga nos meritis in ſolidum transſcribimus. Ipſi enim uni ſolique debebitur, quicquid ex hoc opere in uſus cujuſquam poterit venire. Qui ſe obtulit ultro, ad protrahendum id in lucem, conciliandumque nobis idoneum typographum, cujus obſtetricante manu edatur. Et non diſplicebat argumentum, hactenus, quod ſciam, integrum tractatum nemini. Niſi uni *Pyrrho Ligorio*, & ne ipſi quidem ex profeſſo, quod a nobis primum publicatum, noſtris hiſce ſubjecimus, eo potiſſimum fine, ut ex comparatione liqueret, qualis noſter iſte eſſet labor. Scio fore, qui monſtrata pedum via, elaboratius proponent olim ſingula, excitati hac cura, nec, ſi vitam Deus dederit, nos quoque poſthac penitus e manibus deponemus. Nobis tamen decus hoc manebit, ſpero, quod rem hactenus ſine cauſſa neglectam ingeniorum doctiorum magisque perſpicacium ſedulitati ac induſtriæ commendaverimus. Qui vel ob hoc ipſum premere diutius promiſſum pridem hunc laborem noſtrum non debuimus, & quia videmus in incerto eſſe omnia humana, corpuſculique noſtri imbecillitates quotidie ingraveſcentes vitæ ſpem ſuppeditare haud profecto longam. Vale, ſtudiiſque noſtris fave.

JOANNIS SCHEFFERI ARGENTORATENSIS DE RE VEHICULARI

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Vehiculi vocabulo, & quid significationis habeat.

Vehiculi vocabulum unde. Varronis de eo sententia examinatur. Veha. Vea. Via. Num a veha. Veja. Οχος. Οχημα. *Currus generaliter pro vehiculo. Curriculum, curriculus. Vehiculum pro navi.* Οχήματα ἵππων, ἁρμάτων. *Arcerius notatur.* Οχήματα ζευκτά. *Vehicula juncta. Vectatio, vectio equi.* Οχημα τροφῆς. *Vectaculum, vectabulum. Tertullianus explicatur. Jumentum pro vehiculo. Vehiculorum usus ubi optimus.*



VEhiculi vocabulum Varroni dubiæ originationis est, nam a *viendo* putat, & *vehendo* posse derivari. Nempe id sic dicitur, ut ait ipse, *quod e viminibus vietur, aut, quod eo vehitur*. Sed fortasse rectius priorem derivationem pertinere credimus ad genus certum & peculiare, cum non omnia vehicula sint e viminibus, ceu res docet ipsa, & sequentia uberius monstrabunt. Deinde quomodo a *viendo* esse queat *vehiculum*, & non potius *vieculum*? Neque tamen a *vehendo* derivari commode videtur, cum vehiculum sit prius, quam eo vehatur. Itaque & Varro ipse aliter post superiora: *Brevis veha, vehiculum dictum est*. Si vehiculum est brevis veha, sequitur sic a *veha* dici, non *vehendo*, seu quod eo vehatur. Porro *veha* est a *via*, quod illius usus sit in viis: dicebant enim veteres non *viam*, verum *veham*, sive *veam*. Varro iterum: *Rustici etiamnum quoque viam veham appellant, propter vecturas*. Putat, ut opinor, veham a vehendo dici, quod existat per vecturas. Verum nescio, annon ex adverso a veha, vehere sit nominatum. Sane veha sive vea, quæ & via non ab iis solum, qui vehunt, verum ante, multoque magis etiam ab illis, qui incedunt pedibus, ut natura ipsa prior via sit aut vea, post veha, cujus usus est in veis viisve, ac denique vehiculum. Via vero sive vea ab ἔω, præposito digamma Æolico, quod significat πορεύομαι, hoc est, *ambulo* seu *vado*. Neque mirum, a *vea* factum esse *via*, cum pro ἔω dixerint & ἴω. Quinimo hæc caussa, cur conjunxerint antiqui, dixerintque *vejam*. Sic enim vocasse viam colligas ex vea, quæ vehiculum aut currum denotat. Festus Pauli: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum*. Quando plaustrum sic testatur dictum, idem indicat de via, cum com-

A mune rei utriusque nomen fuerit, ut supra vidimus. Sane via hodieque meis Rusticis per Alsatiam est *Wei*, quod ipsissimum est *veia* veterum Oscorum. Græcis vehæ seu vehicula sunt ὄχοι. Unde habes apud Sophoclem in Electra δέκατον ὄχον, pro decimo vehiculo. Convenit Germanorum *Jech* & Svecorum *ook*, item *ooka*, quod Græcorum est ὀχέειν, sono prorsus simili. Quod sine dubio est ab ὄχος, non contra ὄχος ab ὀχέειν, ut Magistri voluerunt. Pro ὄχος tamen magis ὄχημα in usu. Glossæ veteres: *Vehiculum*, ὄχημα. Sed hoc aliquando *currum* Latini exponunt. Nempe currus quoque idem notione generaliori apud
B ipsos, quod vehiculum. Glossæ: Οχημα, *vehiculum, currus*. Philoxenus: *Currus*, ὄχημα. Ita Cicero, quod habetur apud Platonem in Timæo: Εμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα, reddidit in libro de Universo: *Quasi in currum universitatis imposuit*. A curru etiam derivarunt *curriculum*, sicut a veha, vehiculum. Varro lib. I. de Vita Pop. Rom. *Equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit*. Metii supplicium commemorat, qui ad currus fuit religatus, ut est notum. Curtius lib. VIII. cap. 14. *Per lubrica atque invia immissi currus concutiebant eos, a quibus regebantur. Aliorum turbati equi non in voragines modo lacunasque, sed et-*
C *iam in amnem præcipitavere curricula*. Hic *curricula*, quæ paulo ante *currus*. Videtur ita Tullius quoque usurpasse Or. de Har. Resp. ubi ait: *Tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, &c.* Saltem Apulejus fecit lib. VII. Asin. ab initio, quando ita loquitur: *Primum tenebris abjectis dies inalbebat, & candidum Solis curriculum cuncta collustrabat*. Dicit collustrasse curriculum Solis, quia vehi curru Solem autumabant, uti alibi monstrabo. Festus maluit in masculino ponere, ut conveniret originario. *Curriculus*, ait, *diminutivum est a curru*. Atque ita legimus in Glossis:
D Αρμάτιον, *curriculus*. Nempe alias in neutro non vehiculum, sed ipse cursus est. Plautus in Trinummo, Act. III. scen. 4.

Curre in Piræum, atque unum curriculum face.

Sed hæc agens aliud, & vehæ ac vehiculi occasione. De quo noto amplius, non ὄχημα solummodo a Græcis esse dictum, sed & ζεῦγος. Hesychius. Ζεῦγος, πᾶν τὸ ἐζευγμένον, καὶ ὄχημα. Inde ζευγημίσθια, quæ Latinis *meritoria vehicula*, Plutarcho, quod jam alii notarunt. Etiam ἅρμα quandoque sic generatim eis usurpatur. Hesychius iterum: Αρμα, ὄχημα, καροῦχα. Cæterum vehicu-
E lum non pro curru solum ponitur, sed re qualibet, qua quis vehi potest. Navim sane non poetæ modo ita nominarunt, sed & Tullius de Nat. Deor. II. *Atque ille apud Atium pastorem, qui navem nunquam ante vidisset, ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum e monte con-*

A *ſpexit*. Similiter in Verrina V. navem Verris ædificatam a Mamertinis, *furtorum vehiculum* appellavit. Ita habemus apud Æſchylum in Prometheo, *θαλασσόπλαγκτα λινόπτερα ὀχήματα*: & apud Oppianum in Hal. Οχυς ἁλὸς νῆας. Etiam equi aliquando vehicula veteribus. Colligit Turnebus lib. XXVII. Adv. cap. 26. iſtis verbis: *Ut ὄχημα apud Græcos non tantum carpentum aut currum ſignificat, verum etiam jumentum, quo vectamur, ut apud Ariſtophanem notant Grammatici; ſic apud Latinos vehiculum. Quod niſi ita eſt, velim, aliquis mihi dicat, cur lege Oppia cautum erat, ne mulier juncto vehiculo uteretur.* B *Junctum enim vehiculum hic pilentum eſt, quod junctis trahitur jumentis, quaſi etiam ſit quoddam vehiculum non junctum.* Ariſtophanis quæ innuit, ex Suida ſumpta videntur, cujus hæc ſunt verba: Οχημα ὐκ ἐπὶ ἅρματος μόνυ Αριςοφάνης. Οὐκ ἦν δικαίει ὅς τις εἰς ὄχημα κανθάρυ ἐπιβὰς; ἵνα πα τὺς ἔλλωας. Ait Suidas, vocem ὄχημα non de curru ſolum uſurpari, ſed & aliis; Ariſtophanem enim ſcarabæum quoque ita nuncupare, cui quis velut equo inſideat. Sed tamen Ariſtophanes hoc joco fecit, ut apparet. Serio Ælianus in de Inſtr. Acieb. cap 2. cujus merito proinde verba hic adſcribimus: Τὸ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων τὸ μὲν ἐφ᾽ ἵππων, τὸ δὲ ἐφ᾽ ἐλεφάντων. C Τῶ δὲ ἐφ᾽ ἵππων τὸ μὲν ἐφ᾽ ἁρμάτων, τὸ δὲ ἐπ᾽ αὐτῶν ἵδρυται τῶν ἵππων. Verbis manifeſtis docet, eſſe aliqua ὀχήματα τῶν ἵππων. Arcerius ſic reddidit: *Qui vehuntur, alii ab equis, alii ab elephantis feruntur. Qui ab equis feruntur, eorum quidam curribus inſident, quidam ipſis equis.* Theodorus Gaza prius ita verterat: *Vectores, qui aliquo feruntur vehiculo, quorum duplex eſt genus, nam alii equis, alii elephantis feruntur, &c.* Non mutare debuit Arcerius, cum vehiculum ſignificet & equum, ſicut demonſtravi. Et quoniam ὀχήματα de equis etiam, hinc ὀχήματα ἁρμάτων in Epigrammati- D bus, cum addito, quod alias neceſſe non fuiſſet: item ὀχήματα ζευκτὰ apud Plutarchum in Quæſt. Rom. plane ſicut apud Latinos *juncta vehicula*. Sed & apud Heſychium reperitur: Οχησις, ἱππασία. Et Euſtathius apud Homer. Il. P. ὀχεῖσθαι interpretatur per ἱππάζεσθαι. Quemadmodum & Latini uſurparunt *vehi* de iis, qui feruntur equis. Vellejus II. Hiſt. cap. 114. *Solus ſemper equo vectus eſt.* Legimus & *vectationem* tali ſenſu apud Suetonium in Cajo, cap. 3. *Gracilitas quoque pedum paulatim repleta aſſidua equi vectatione.* Tullius pro eo uſurpavit *vectionem*, lib. II. de Nat. E Deor. *Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipſis affert vim & celeritatem.* Non ſunt aliæ *vectiones* Tullii, quam Heſychii ὀχήσεις. Pari ratione elephanti quoque ſunt ὀχήματα. Ita ſane ſupra vidimus ex Æliano. Sed & Arrianus in Indicis: Βασιλικὸν γὰρ ὄχημα ὁ ἐλέφας παρ᾽ Ινδοῖς ἐςι. *Regium apud Indos vehiculum eſt elephantus.* Apulejus quoque poſuit pro aſino, geſtante Deam Syriam illis verbis: *Dea vehiculo meo ſublata eſt humi repoſita.* Beroaldus eo loco: *Hic vehiculi nomine non plauſtrum ſignificatur, ſed feſtiviter ipſum jumentum, cujus dorſum vehiculi vicem præſtabat Deæ.* F Optime, niſi quod ex dictis liqueat, non tam feſtiviter, quam ex conſuetudine Latinorum ita eſſe locutum. Sunt quin imo etiam vehicula, quibus quoquo modo vehitur vel movetur quidpiam. Ita enim apud Plutarchum, Symp. VI. Eraſiſtratus τὸ ὑγρὸν, ſeu *humidum*, id eſt potum, vocat ὄχημα τῆς τροφῆς, *cibi vehiculum*. Et jam ante ipſum pridem fecerat Hippocrates, lib. de Alimento circa finem. Verba ejus: Υγρασίη, τροφῆ ὄχημα. Quod Foeſius ſic reddidit: *Humiditas alimento vehiculum præbet.* Aetius privatim uſurpavit de aqua. Υδωρ τροφῆς ὄχημα, inquit Tetrab. I. ſerm. 3. c. 165. id eſt, *aqua, cibi eſt vehiculum*. Secuti deinceps alii aliique, ſic, ut hodieque inter uſitatas Medicorum ſit locutiones *vehiculum*, pro humido ſuccove quolibet, quo durius ſpiſſiuſve aliud diluitur & eliquatur. Denique quibuſdam ſanguis eſt *vehiculum ſpirituum*, quoniam eo continentur quaſi, cumque ipſo per corpus univerſum diffunduntur. Corpus totum ita nuncupavit Tertullianus peculiari libello de Anima his verbis: *Auriga corporis ſpiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non ſuo deficit, opere decedens, non vigore.* Hic *vectaculum deficiens* vocavit corpus ægrum exhauſtumque, in quo diutius moveri ſpiritus animalis nequit. Eſt autem nihil aliud *vectaculum* Tertulliano, quam *vehiculum*. Sextus Cæcilius apud Gellium, lib. XX. cap. 1. *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus forte ægris eſſet, aut quo alio caſu ingredi non quiret, ploſtram eſſe dandum cenſuerunt, neque inſterni tamen delicate arceram juſſerunt, quoniam ſatis eſſet invalido hujuſmodi vectaculum.* Habes ecce etiam hic *vectaculum* pro vehiculo. Ita enim legitur in editionibus vetuſtioribus. Et profecto, ut a *jento*, *jentaculum*, ab *obſto*, *obſtaculum*, ita plane etiam a *vecto* bona analogiæ ratione poteſt eſſe *vectaculum*. Quanquam in iiſdem libris paulo ante apud Gellium occurrat *vectabulum* etiam. Verba hæc ſunt: *Jumentum non id ſolum ſignificat, quod nunc dicitur, ſed vectabulum eſt, quod adjunctis pecoribus trahebatur.* Atque ita ediderunt etiam in ſuperioribus verbis Lugduni Batavorum Anno MDCLXVI. Neque aliter reperias apud Nonium in voce *jumentum*. Verba hæc ſunt: *Nam & vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum dicitur.* Atque poteſt fieri, ut formatum ita ſit a *veho*, ſicuti *rutabulum* a *ruo*, *pulſabulum a pulſo*. Cum præſertim legas etiam in Onomaſtico veteri Argentoratenſi, quod recudi fecit Bonaventura Vulcanius in Gloſſario: *Vectabulum*, ἀπλών. Alias Græcorum ὄχημα ſeu Latinorum currum olim non *vehiculum* modo, ſed & *jumentum* eſſe nominatum diſcimus ex Gellii ſuperiore loco. Et confirmant verba legis veteris duodecim tabularum, quæ ab eo laudantur, atque ita habent: *Si in jus vocat, ſi morbus ævitaſve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato.* Hic jumentum eſt, quod Romani alias *junctum* nominarunt *vehiculum*, Cæcilius vocavit *plauſtrum*. Atque iſta de vocabulo vehiculi. Res ipſa nil eſt aliud, quam inſtrumentum, quo quid molis majoris ponderiſve de uno loco vehitur in alium. Unde Varro: *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur.* Plato in Theæteto deſcribit per partes. Αγαπῷμεν ἂν ἐρωτηθέντες ὅ, τι ἐςὶν ἅμαξα, εἰ ἔχοιμεν εἰπεῖν, τροχοὶ, ἄξων, ὑπερτήρια, ἄντυγες, ζυγός. Vertunt, *Satis nobis eſſet, ſi interrogati, quidnam eſſet currus, dicere poſſemus, rotæ, axis, ſuperiores ſtoreæ, ſummæ rotarum curvaturæ, jugum.* Verum longe aliud ὑπερτήρια & ἄντυγες, ut ſuo loco demonſtrabimus. Uſus ejus proprius in terris, maximeque viis publicis, unde nomen etiam accepit. Commodior tamen ac facilior in planis regionibus æqualibuſque, quam aſperis & montuoſis, nam in his non procedit, niſi maximo cum labore. Tacitus XXXVI. Ann. de militaribus Britannorum vehiculis: *Denſis tamen hoſtium agminibus & inæqualibus locis hærebant.* Etiam paluſtres & uliginoſæ regiones parum utiles vehiculis. Itaque in iis rarius inveniuntur, vel ſi quando adhibentur, promoventur juvanturque arte quadam, de qua rectius dicemus in ſequentibus.

CAP. II.

De vehiculorum primo auctore.

Vehiculum videtur ab Adamo inventum. Cur hoc tribuant Minervæ, aut Vulcano. Erichtonium num, & quid invenerit. Scholiastis Pindari & Tertulliani lapsus. Vehicula Regum apud Ægyptios. A Josepho qualia missa. Bocharti laus. Judæorum mulieres vehuntur asinis, viri eunt. Pelops vel Neptunus num invenierint vehicula. Scholiastis Pindari error alius, & Aristidis. Num Prometheus. Æschylus exponitur. Plaustrum a quo sit inventum, & vehiculum unius rotæ. Hyginus emendatur. A quo bigæ. Castoris inventum quale. Scholiastes Pindari exponitur. Hyginus emendatur denuo. Συνωρὶς aliquando usurpatur de amphippis. Trigas quis invenerit. Argolus notatur, & Gyphanius. Quis quadrigas. Quadrigæ quando primum datæ in ludis Panathenaicis. Trochili inventa. Eusebius & Theon Alexandrinus explicantur. Ado, Eusebius, Tertullianus emendantur. OEnomai, Orsilochi, Semi inventa. Hyginus & Savaro notantur. Corippus emendatur. Locus Diphili examinatur. Scholiastes Pindari emendatur. Pœnorum, Libyum, & Minervæ Coriæ inventa. Lambini, Gothofredi & Gyraldi emendatio rejecta. Ciceronis lectio vulgaris defensa, & cum Harpocratione conciliata Salmasius notatus, ejusque emendatio. Papinii repudiata. Philostratus & Papinius expositi.

VEhiculi quis auctor primus fuerit, necdum proditum veteribus invenio. Rem esse vetustissimam dubitare usus ejus non permittit, qui cum sit amplissimus maximeque necessarius in re rustica cultuque agrorum, una cum ipso cœpisse consentaneum videtur. Ac fortassis ipse generis humani princeps, cum instrueret aratrum, etiam vehiculum excogitavit. Nihil quippe facilius est, quam ab aratro ad vehiculum procedere. Quod enim de Minerva tradidit Homerus in Hymno:

Πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίους ἐδίδαξε
Ποιῆσαι σάτινα καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.

Prima fabros lignarios viros terrestres docuit facere scuta & currus varios ære: id vel fabulosum est, nec intelligendum aliter, quam quatenus Minerva, quæ ingeniorum dea habetur, invenisse omnia censeri potest, cum quodcunque denique ab arte proditum extat, id excogitatum sit ab ingenio humano; vel ad currus non in universum omnes, sed qui spectant ad militiam & prælia, referri oportebit. Certe antecedunt ibi pluscula de bello, & in ipsis istis verbis scuta cum vehiculis junguntur. Postremo manifeste Aristides in Panathenaica de Minerva: Ἵππων ἁμιλλητηρίων καὶ πολεμιστηρίων ἔφηνεν ὀχήματα. *Equorum ad bella & certamina comparatorum prodidit vehicula.* Sed & quando vehiculum Vulcani munus appellat Ovid. lib. II. Met. f. I. istis verbis:

——————— ad altos
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.

A Id vel propter ignem dictum, cujus fiunt beneficio, quæcunque ex ferro, ære, aliisve metallis parantur, etiam in vehiculis; vel privatim de vehiculo Solis ex commentis Poetarum est intelligendum. Neque verum, quod de Erichtonio tradit Scholiastes Pindari, ac ex eo retulerunt alii, tanquam ipse fuerit vehiculorum auctor: vel quod de Acrophylo Argivo memorat Tertullianus. Vixit enim uterque Athenis, quæ urbs diu post extructa, quam vehicula in usu esse cœperunt. Saltem longe ante Erichtonium Acrophilumque vixit Moses, cujus ætate memorantur vehicula, etiam bellica; B longe ante Mosen Iosephus, a quo usurpata plaustra, & ad suos accersendos missa, quæ fortassis vetustissima vehicula, quorum mentio apud veteres occurrit. Nisi quod eodem tempore inveniantur quoque Regia vehicula, usurpata Pharaoni in Ægypto, ejusque indulgentia concessa etiam Josepho, de quibus Gen. cap. 41. Ita namque Moses de Pharaone; *Fecitque eum (Josephum) ascendere super currum suum secundum.* Græcus habet: Ἐπὶ τὸ ἅρμα τὸ δεύτερον, quo plane singulare Regiumque vehiculum notatur. Et videntur Reges Ægyptii frequentius vehiculis fecisse iter, quam equis; sicut & Persarum C Reges, quod de his ad Ælianum nostrum quondam annotavimus. Sed nec plaustra Josephi ex vulgari genere fuisse videntur, etiamsi verba veteris sic habeant: *Præcipe etiam, ut tollant plaustra de terra Ægypti ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum.* Castalio profecto honoratiori voce ita vertit: *Hoc ei mandat, ut illis Ægyptiorum vehiculorum copiam faciat, quibus parvuli & mulieres vehantur.* Græci reddiderunt ἁμάξας, quod sæpe quodvis genus notat. Jonathan in Paraphrasi sua סדנים, *bassedanim* exposuit, unde provenisse veterum Gallorum esseda, quibus ob id forma fuerint non multum absimilia, incompa- D rabilis doctrinæ vir, Samuel Bochartus, arbitratus est. Denique vehicula vulgaria & agrestia mandato Regis missa, & tanto missa terræ spacio, & ad vehendas mulieres missa, veritati parum convenire videtur. Quare si fuerunt cultiora, quanto ante inculta & vulgaria in usu fuisse apud Ægyptios saltem arbitrabimur? Nam si apud gentes alias, & præcipue Judaicas nota minus fuere, mirum esse nequit, quoniam Judæorum vita fuit fere pastoritia, ut Jacobus ipse coram Rege Pharaone profitetur. Et profecto equitare potius solebant. Moses de Rebecca, Gen. XXIV. *Rebecca* E *& puellæ ipsius ascensis camelis secutæ sunt virum.* Et cap XXXI. de Jacobo: *Impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.* Viri ambulant pedibus, mulieres & tenera ætate liberi vehuntur camelis. Vehiculorum cæterorum nulla mentio, ex causa, quam prædixi. Alia fuit ratio in Ægypto, ubi propter agriculturam frequentem plaustrorum usus semper fuit necessarius. Jam si nec Acrophilus, nec Erichtonius vehiculorum esse possunt auctores, multo minus inventum eorum tribuendum erit Pelopi, quippe qui post illos vixit. Et tamen paulo ante dictus Pindari Scholiastes, ad Ol. I. Ἰστέον, ὅτι τὸ μὲν ἅρμα Πέλοψ πρῶτος F ἔδειξεν, ἐκ Ποσειδῶνος λαβών. *Sciendum, quod vehiculum monstrarit primus Pelops, a Neptuno acceptum.* Quanquam per hæc ipsa verba inventio ipsorum non tam spectet ad Pelopem, quam ad Neptunum. Quod Scholiastes ipse vidit, ac propterea ποσειδώνιον seu *Neptunium* dixit appellatum. Subdit enim mox: Ποσειδώνιος, διότι Ποσειδῶν πρῶτον Πέλοπι ἅρμα ἐνεχείρισεν. *Posidonios, id est, Neptunius dictus est ex eo, quod Neptunus ipsi primum tradidit vehiculum.* Cæterum is ipse Scholiastes alibi Neptuno non tam tribuit

inventionem vehiculi, quam juncturam equorum, uti post monstrabitur. Potuerunt autem diu ante inventa fuisse vehicula, quam ad ea jungerentur equi. Quanquam sic in universum de vehiculo affirmet quoque Aristides, Or. Isth. in Neptunum, ubi de eo: Τῷ ἀνθρώπῳ διπλοῦν ὄχημα ὑπέθηκεν, ἅρμα μὲν ἐν γῇ, ναῦν δ' ἐν θαλάττῃ. *Homini duplex suppeditavit vehiculum, currum quidem in terra, navim vero in mari.* Ac fortassis per Neptunum intelligere Noachum filiumve illius Japethum debemus, quomodo non uno loco ipsum explicavit Vossius. Neque alius opinione mea est Prometheus, cui vehiculi inventum tribuit Poeta Æschylus. Facit enim sic loquentem:

—— Πρῶτος ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον φιληνίους
Ἵππους. —— —— —— ——

Primus ad vehicula junxi frenigeros equos.

Hic Prometheus, id est, Noachus, primum sese ait junxisse ad vehiculum equos, post diluvium videlicet, nec absque ratione, quia primus agrum coluit, quam ad rem vehiculorum plurimus atque necessarius est usus. Sane per Prometheum significari Noachum ostendit Vossius cum alibi, tum lib. I. Theol. Gent. cap. 18. & plane convenit, quod hic diximus. Idem aliquando est Neptunus; aut saltem filius Noachi, Japhetus. Qui cum forte obtinuisset maris Mediterranei insulas continentemque Europam, ad quas regiones occupandas plus, quam cæteri & equestri arte opus habuit & nautica, quid potest esse mirum, si vehiculum id duplex invenisse Aristidi dicatur? Quanquam hæc inventio ad tempora diluvium secuta, reparatumque altera vice genus humanum pertineant. Ante quæ jam olim vehicula fuisse in usu, ipsumque fortassis Adamum habuisse auctorem quare dubitare debeamus, ego caussas quidem haud video idoneas. Græci tamen ejus generis, quod ἅμαξα, Latine *plaustrum* dicitur, Philomelum, Cereris Jasionisque filium, faciunt auctorem. Sic enim Hyginus ex Hermippo, qui scripsit de syderibus: *Philomelum & Plutum fratres negant inter se convenisse. Nam Plutum, qui ditior fuit, nihil fratri suo de bonis concessisse: Philomelum autem necessario adductum, quodcunque habuit, eo boves duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse. Itaque arando & colendo agros ex eo se aluisse: cujus matrem miratam inventum, ut arantem eum inter sidera a constituisse, & Bootem nominasse.* Sic Hyginus ex Hermippo, junctoque illi Petellide Gnosio, Historiarum scriptore, sicut dixi. Cæterum Jasion filius fuisse dicitur Coryti & Electræ. Electra una Plejadum putatur, quæ cum sororibus educarit Liberum. Qui cum fere innuat Noachum, quid censeri debeat de Philomelo, liquet. Tibullus profecto ipsi Libero & Cereri hoc tribuit, lib. II. el. I.

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.

Recentius inventum est vehiculum cum rota una, id enim excogitasse Triptolemum ferunt. Hyginus iterum lib. II. Astron. *Ceres cum sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cujus ipsa fuerit nutrix, in curru draconum collocatum (qui primus hominum una rota dicitur usus, ne cursum moraretur) jussit omnium nationum agros circumeuntem semina partiri.* Ita totus ille locus emendandus est. Ostendit enim Hyginus auctorem unarotæ, ostendit etiam inventionis caussam. Adhibitam nimirum unam rotam propter festinationem, ne si expectarent, donec altera quoque fieret, negotium tam salutare differretur nimis longo tempore. Vulgati parum apte istud *unarota* dividunt, sicut alias monstrabo, & mox: *Nec cursu moraretur*, sine sensu. Porro si, ut vult Hyginus, Triptolemus demum genus hoc vehiculi excogitavit, patet, serius innotuisse. Vixit enim Triptolemus tertius post Cecropem, aut quartus, qui æqualis Mosi fuit. Bigas Phryges volunt invenisse. Plinius, lib. VII. cap. 56. *Bigas primum junxit Phrygum natio.* Plinio Polydorus addit Probum, verba ita habent: *Bigas primum Phrygum natio junxit, ut Probus & Plinius auctores sunt.* Ubi Probus hoc tradiderit, quæro studiose, nec invenio. Quicquid sit, non Phrygas, verum Castorem auctorem hujus rei facit Scholiastes Pindari, ad Od. V. Ita namque habet: Δοκεῖ συνωρίδα καταζεῦξαι πρῶτος Κάστωρ. *Videtur primus Castor junxisse bigas.* Item paulo post: Κέλητα καὶ χαλινὸν πρῶτος Βελλεροφόντης κατέζευξε, συνωρίδα Κάστωρ. *Equum singularem frenumque primus Bellerophontes, bigas vero junxit Castor.* Sed hoc nemo alius de Castore. Id genus potius tributum ipsi videtur, quod ἀμφίππους alias seu equos desultorios vocarunt. Hyginus sane fab. 80. *Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit, quod ille* (Pollux) *sua & fratris* (Castoris) *vice fungatur.* Sic legenda sunt hæc verba, in quibus vulgo deest *de* post *capite*, omissum absque dubio, propter similitudinem postremæ syllabæ in vocabulo præcedenti. Nec fortassis aliud Scholiastes vetus voluit, quando συνωρίδα opposuit κέλητι, hoc est, equiti singulari. Suidas: Συνωρὶς κυρίως ἵπποι δύο συνεζευγμένοι. κέλης δὲ ὁ ἐπὶ ἑνὸς ἵππου ὀχούμενος, καὶ αὐτὸς ὁ μόνος ἵππος. *Synoris proprie equi duo juncti. Celes vero, qui uni equo insidet, ipseque equus singularis.* Loquitur eodem plane modo, sicut Scholiastes, & synorida intelligit de nudis equis. Idem fit & ab Hesychio, quando non vehiculum modo binis junctum equis, sed & equos junctos ait denotare. Συνωρὶς, ait, ἅρμα ἐκ δύο ἵππων, ἡ συζυγία. *Synoris vehiculum duorum equorum, vel eorum conjunctio.* Quæ omnia efficiunt, ut hoc genus Scholiasten censeam intellexisse, auctoremque equorum desultoriorum seu ἀμφίππων fecisse Castorem, atque ita Plinii sententiam de bigis servem integram. Bigæ sane diu cognitæ ante Castorem videntur, cum ad Trojam fuerint in tam frequenti usu. Heroes certe alio pugnasse genere vix leguntur. Itaque & Hector præmium speculatori promittit apud Homerum, Il. K.

—— Δίφρον τε, δύο τ' ἐριαύχενας ἵππους.

Currum & duos elatæ cervicis equos. Achilles quoque duos tantum ad vehiculum suum jungit equos, cum in prælium iturus esset: duos tantum affatur illo versu:

Ξάνθε τε καὶ Βαλίε, τηλεκλυτὰ τέκνα Ποδάργης.

Nec in certamine curuli ludicro plus, quam duo equi ad currus singulos apud Homer. Il. Ψ. nisi credimus Menelaum tantum duos, reliquos habuisse plures, quod lex & ratio certaminis, quæ æqualitatem exigit etiam in numero equorum, non permittere videtur. De Menelao autem clare Homerus:

—— Ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους
Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην, τὸν ἑόν τε Πόδαργον.

Sub

Sub jugum duxit veloces equos, Æthen Agamemnonium, suumque Podargum. Sed & quod ibidem tradit de Diomede, hoc confirmat. Nam quando scribit, junxisse equos, quos abstulit Æneæ, duos tantum junxisse ostendit, cum plures non abstulerit. Et clarissime Dictys Cretensis, lib. III. *Bigarum præmia Diomedes meruit.* Hector quoque tractus bigis legitur, non trigis, vel quadrigis. Virgilius, Æn. II.

In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus
Raptatus bigis, ut quondam. ———

Trigas sunt, qui Martem invenisse putant. Argolus præcipue in Notis ad Onuphrium, quia Hymni auctor de hoc deo:

——— Ενθά σε πῶλοι
Ζαφλεγέες τριτάτης ὑπὲρ ἄντυγος αἰὲν ἔχουσι.

Hoc est, ut exponit idem Argolus:

——— *Ubi quadrupedes te*
Per flammata trigæ juga decurrentia portant.

Gyphanius paulo aliter: *Ubi equi te valde flammosi tertio super currum semper habent.* Sed haud dubie minus recte, cum quid illud *tertio* sibi velit, haud appareat, & si *semper* bene sese habet, *tertio* stare nequeat. Licet autem trigas hic intelligamus, tamen Martem invenisse hinc colligere non possumus. Martem potius accipimus pro bello, & in illis usurpatas quocunque denique auctore arbitramur. Nisi auscultamus Magistris Hebræorum, qui a Pharaone dicunt primum institutas, cum persequeretur Israelitas. Verba citant viri docti ex Jonathane: *Et mulam tertiam ad trahendum & insequendum cum celeritate addidit singulis curribus.* De quadrigis quoque dubia sunt non pauca. Multi Erichtonium habere auctorem arbitrantur. Plinius lib. VII. cap. 56. *Quadrigas junxit primum Erichtonius.* Vetus Germanici Commentator: *Erichtonius primus currus homines equis junctis docuit similes quadrigæ Solis facere.* Ante omnes hosce Virgilius III. Georg.

Primus Erichtonius currus & quatuor ausus
Jungere equos. ——— ———

Vixit Erichtonius Mosis circiter temporibus, aut paulo post, quod colligitur ex eo, quia Danao æqualis fuit, cujus ætas incidit in Josuæ initia. Porro ad hæc usque tempora incognitas fuisse quadrigas, difficulter persuadetur, cum habuerint vehicula diversorum generum, etiam bellica, & militaria, saltem Ægyptii, ut ex superioribus apertum est. Quare magis probo, quod habet Eusebius de hoc Erichtonio in Chronicis: *Erichtonius primus quadrigam junxit in Græcia, erat quippe apud alias nationes.* Privatim in Græcia hoc fecisse ait; quanquam etiam hoc restringat Pomponius Sabinus, & de sola Attica accipiat. Qua in re consentientem sibi habet Varronem, qui hoc amplius de solis intelligendum ludis Panathenaicis ostendit, itemque Philargyrium, qui Varronis verba laudat. *Varro,* inquit loco antea citato Virgilii, *in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichtonium ait primum equos quatuor junxisse ludis, qui Panathenæa appellantur.* Annotandum hoc est eo magis, quod in opere peculiari de hoc festo Meursius omisit. Sed existimet nonnemo isthæc non de curru aut vehiculo, sed equis solis accipi fortassis oportere. Verum aliud ex Virgilio Grammaticoque veteri, quem nominavi ante, constat. Neque voluit diversum Ælianus lib. III. cap. 35. quando prodit de Athieniensibus, quod certamen corporum primi instituerint, nudaverint sese unxerintque, ac tum subdit: Καὶ ἵππους ἔζευξε πρῶτος Ἐριχθόνιος. *Et equos primus junxit Erichtonius.* Id quod pridem indicavimus in notis nostris. Cæterum is ipse Eusebius alio loco diversum secutus auctorem, quadrigarum inventum tribuit Trochilo. Verba sunt ad Numerum CCCCXLVII. *Trochilus primus fertur junxisse quadrigam.* Atque ita Theon Alexandrinus in Notis ad Aratum: Λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ Βελλεροφόντου, ἢ Τροχίλου τῆς Καλλιθείας παιδὸς, τῆς πρώτης Ἀργεῖ γενομένης ἱερείας, ἅρμα πρώτου ζεύξαντος. *Ajunt esse imaginem vel Bellerophontis, vel Trochili, Callitheæ filii, quæ Argis prima fuit sacerdos, sicut ille primus junxit vehiculum.* Quod generatim hic de curru refert, speciatim pertinet ad quadrigas. Freculphus tom I. Chron. lib. II. cap. 6. *Trochilus dicitur primus junxisse quadrigam.* Ad eundem modum Ado ad Annum 1645. *Hac etiam ætate primus Trochilus quadrigam junxit.* Veteres editiones habent *Procidus*, quod est pravum, licet etiam in Eusebii codicibus quibusdam *Proclytus* legatur, aut *Arogilus*, ut in Tertulliano de Spectaculis *Acrophilus*. Neque enim alius intelligendus est, cui inventum ibi tribuit vehiculorum, nec vehicula alia, quam quæ dixi. Vixit porro Trochilus post Erichtonium, quod colligitur ex eo, quia pater fuit Triptolemi, qui post Mosen, cui æqualis pæne fuit Erichtonius, vixit tribus minimum ætatibus. Unde liquet, quid de fabula hac statui oporteat. Erichtonium videlicet quadrigas invenisse Athenis & adhibuisse primum ad ludos sacros, Trochilum paulo post publicasse, atque usurpasse Argis. Ut hoc quidem sensu recte Eratosthenes tradiderit de Erichthonio apud Hygin. lib. II. Astr. *Cum vidisset eum Jupiter primum inter homines equos quadrigis junxisse, admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod princeps quadrigis inter deos est usus.* Saltem ante Erichtonium Solem invenisse quadrigas atque usurpasse ostendit. Quo respexit quoque Commentator vetus Germanici, quando in superioribus ajebat, Erichtonium docuisse currus facere *similes quadrigæ Solis*. Adeo earum inventum sic simpliciter Trochilo assignari nequit. Quemadmodum nec Orsilocho, qui haud dubie hic ipse Trochilus. Hyginus ante dicto loco: *Nonnulli, qui de syderibus scripserunt, hunc natione Argeum, Orsilochum nomine, primum quadrigarum inventorem esse dixerunt, & pro inventione syderum locum possedisse.* Et multo minus Oenomao, Pelopis æquali, atque ita juniori dictus, cui tamen tribuit Savaro ad Sidonium. Auctorem certe veterem pro hac sententia laudare potest nullum. Nam Sidonii quæ adfert loca, peritum aurigandi faciunt, non quadrigarum auctorem. Neque debuit Corippi locum sic supplere:

Oenomaum referam primas junxisse quadrigas.

Quanto melius Scaliger, qui pro eo posuit *Orsilochum*. Sicut autem post Erichtonium Orsilochus vel Trochilus Argis, ita locis aliis alii usurpare primi potuerunt. Hinc fortassis est, quod ait Diphilus, poeta vetus Theseidos, apud Scholiastem Pindari Olymp. od. x.

Θρέψας δὲ πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος
Ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν Ἀλφειῷ.

Semum vocat quadrigarum auctorem. De quadrigis enim explicat hæc verba Scaliger ad numer. Euseb. DXLIII. quoniam Hygenus scribit: *Elide, quæ urbs Peloponnesi est, certamen quadrigarum primum institutum*. Nempe fluvius est Elidis Alphæus, ubi currum junctum ait Diphilus, sicut Servius testatur. Quanquam possit esse dubium, an de fluvio loquatur, cum præsertim Mantineum ipsum Semum faciat, hoc est, Arcadem. Nec de Semo satis constat, quando quidam legunt Σάμος, alii per hunc ipsum accipiunt Neptunum, inter quos est Didymus, nobilis Grammaticus, auctore dicto Scholiaste. Unde subdit: Παρατιθεται ἡ καὶ τ̓ γράφοντα τ̓ Ὀνσιΐδα, μαρτυρῶντα τῆ ἥρωι τὰ ἅρματα, μεγίστικην ἀρετὴν προσάπτ̓ ἢ πώλυς ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος. Quibus verbis Diphilum adducit, tanquam eandem sententiam probantem versu antea citato. Hic enim est γράφων τ̓ Θησηΐδα, sicut ibi scribi debet. Quicquid vero sit, neque Semus Diphili neque cæteri, quos hactenus attulimus, simpliciter quadrigas invenisse intelliguntur, sed vel in Græcia solum, vel ibi etiam ad solos primum admovisse ludos. Potuerunt autem ante aliis in terris & ad usus alios notissimæ fuisse. Ac profecto Pœnis tribuit inventi ejus gloriam Eustathius. Verba ita habent ex interpretatione Latina (Græca enim videre non potuimus) in Notis ad Perieg. Dionys. *A Pœnis quadrigarum usum esse inventum memoriæ proditum est. Scribit enim Herodotus, Græcos a Pœnis didicisse quatuor equos jungere*. Quamquam, quod de Pœnis refert, sit Eustathii, non Herodoti, qui pro eo Lybios usurpat. Ita enim habet in Melpomene: Τέσσαρας ἵππυς ζεύγνυναι παρὰ Λιβύων οἱ Ἕλληνες μεμαθήκασι. *Quatuor equos jungere a Libybus didicere Græci*. Adhuc aliud quid prodit Tullius lib. III. de Nat. Deor. nam Minervam ait invenisse. *Quarta*, inquit, *Minerva, Jove nata & Coryphe, Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inventricem fecerunt*. Annotant Lambinus atque Gothofredus ex Protreptico Clementis *Coryphasiam* legendum. Sed Coryphasia est dicta a Messeniis, ut ait Clemens. Idem innuit Pausanias, quando in Messenicis: *Est illi Minervæ templum, cognomento Coryphasiæ*. At Ciceronis Coria Minerva sic est dicta ab Arcadibus, cujus templum fuit prope Clitorium, Arcadiæ urbem. Ille ipse Pausanias in Arcadicis: *In montis vertice, procul ab urbe stadia ferme triginta, ædes est cum signo Minervæ Coriæ*. Nulla igitur in Tullio est opus emendatione, neque sequi debuerunt Victorium, quem primum ajunt locum hunc fecisse suspectum. Quanquam & Gyraldum ita videam legi voluisse. Etiam pro *Coryphe* vetustiores libri habent *Polyphe*, quod forrassis ipsum etiam non debuissent immutare. Harpocration clarissime: Ἱππία Ἀθηνᾶ, Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Καλυδῶνα. Μνασαίας ἐν πρώτῃ Εὐρώπης, τὴν ἱππίαν Ἀθηνᾶν Ποσειδῶνος εἶναί φησι θυγατέρα καὶ Πολύφης τ̓ Ὠκεανοῦ, ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν, διὰ τοῦτο Ἱππίαν κεκλῆσθαι. *Hippea Minerva. Sic Isæus in oratione ad Calydonem. Mnasæas in primo libro Europæ Hippiam Minervam Neptuni esse dicit filiam & Polyphes, Oceani filiæ, primam vero invenisse currum, eaque propter Hippiam esse dictam*. Pari modo Suidas: Ἱππεία Ἀθηνᾶ. Ταύτην Ποσειδῶνος εἶναί φασι θυγατέρα καὶ Πολύφης τῆς Ὠκεανοῦ. Ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππείαν κληθῆναι, quæ ipsa Harpocrationis verba sunt. Liquet autem, eam ipsam Minervam, quæ invenit currum, vel, ut ait Tullius, quadrigas, esse filiam non Coryphes, ut est in vulgatis, apud Tullium, sed Polyphes, sicut olim habuere. Neque obstat, quod hic Pater ejus dicatur Neptunus, apud Ciceronem vero Jupiter, cum & Neptunus Jupiter sit aliquis in mari, & Reges sæpius, quatenus sunt Reges, appellentur Joves, quatenus sub imperio suo habent insulas & vicinum mare, vocentur Neptuni. Cæterum quod de Minerva ista prodit Cicero, id aliter intelligendum non videtur, quam ut supra etiam a nobis est relatum. Bene Phornutus: *Minerva est Jovis intellectus, haudquaquam diversa existens, quæ Jovi inest prudentia*. Interea hoc liquet, quadrigarum esse vetustissimum inventum, longeque ante excidium Trojanum usum earum innotuisse. Quo magis mirum potest videri, quod proditur Cl. Salmasio Exercitationum Plinianarum, p. m. 900. Heroibus Trojanis fuisse incognitas, ideoque locum Statii Papinii contra veterem consensum codicum sic esse emendandum:

> ——— Nam flavus Arion
> *Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos*
> *Stat, sociumque jugi, comitemque utrique laboris*
> *Secum alte suspendit equum*. ———

Veteres & recentes omnes habent, *comitesque*, ac mox, *equos*. Neque potest aliter, aut debet, quoniam præcedit paulo ante:

> —— *Atque illic ingens certaminis instar*
> *Quadrijugi*. ———

Quod non attendisse summum virum, ac propterea emendatricem abstinuisse manum utique mireris. Ecquod enim esse *quadrijugum* certamen potest, quod cum trigis instituitur? Neque mirum, formari quadrijugum certamen Statio, cum Homerus ipse quadrigarum mentionem faciat, easque saltem Hectori assignet. Ita enim Hector ipse suos in vehiculo compellans equos, Iliad. Θ.

> Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε
> Νῦν τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον. ———

Xanthe, & tu Podarge, & Æthon Lampeque nobilis, nunc mihi pabulum rependite. Apparet clarius meridiana luce, vectum esse Hectorem quadrigis, quoniam affatur equos quatuor, suis singulos nominibus in curru suo. Sed & certamen quadrijugum ad Trojam Dyctis memorat Cretensis lib. III. victoremque in eo extitisse ait Eumelum. *Tum primum*, inquit, *quadrijugis equis Eumelus ante omnes victor declaratur*. Unde liquet, quid censendum sit de Salmasii assertione. Nam quod habet Philostratus lib. I. Iron. in Amphiaro: Τὸ τοῖν δυοῖν ἅρμα ἵπποιν (τὸ γὰρ ἐπὶ τεττάρων, οὔπω τοῖς ἥρωσι διὰ χειρὸς ἦν, εἰ μὴ ἄρα Ἕκτορι τῷ θρασεῖ) φέρει τ̓ Ἀμφιάρεων. Id est: *Currus cum equis duobus (nam cum quatuor nondum heroibus in usu fuere, præterquam alacri Hectori) fert Amphiarum*, juvare ipsum nequit, cum & hic quadrigas saltem Hectoris agnoscat illa tempestate notas. Sed nec valet, quod tres tantum equos nominet Papinius in Admeti eo curru; nam *videtur* tantum *nominare omnes*, sicut ipsa verba sunt Salmasii, revera non nominat, sed omittit unum. Plane sicut facit in sequentibus vehiculis, ubi duos, aliquando unum modo appellat, cum tamen ipsa quoque fuerint quadrigæ. Verba clara sunt:

> ——— Rapidum Danacius augur
> *Ascheton increpitans, meritumque vocabula Cygnum*

Audit & Herculeum Strymon Chromin. Euneon audit
Igneus Æthion. Tardum Calydona laceſſit
Hippodamus, variumque Thoas rogat ire Podarcem.

Præcipuos maximeque nobiles cujuſque equos nominatim laudat, cæteros omittit, ut cuivis manifeſtum eſt.

CAP. III.

De Materia Vehiculorum.

Vehicula fiunt vel ex craſſis ſtipitibus, vel ex viminibus. Varro emendatur. Αρμα πλεκτὰ, ἀπλέκεα. *Vel ex tabellis. Currus ferrei. Claudianus & auctor Judicum in S. Bibliis explicantur. Interpres vetus Bibliorum examinatur. Currus ærei. Pindari Scholiaſtes & Leonicerus refutantur.* Πόσις. *Heſychius corrigitur. Pindarus explicatur.* Ρεδίον ὁλόχαλκον. *Caſſianus exponitur. Bigæ & quadrigæ inter ornamenta ædium. Vehicula eburnea, & aurea. Demſterus & interpres Philoſtrati notati. Ammianus exponitur. Aureus currus Conſtantini. Martialis explicatur contra Pignorium. Aureus currus Solis. Horatius exponitur.* Εκατὸν *pro multis. Arbores ad vehicula idoneæ, fraxinus, abies, ſmilax. Claudianus explicatur contra Barthium. Axis, rotæ, orbes, radii, juga quibus ex lignis fiant optima. Ferrum ad vehicula.*

MAteria vehiculorum eadem pæne fuit omnium apud veteres: pleraque namque fieri ex lignis conſueverunt. Ligna porro vel ex caudicibus & fuſtibus craſſioribus inter ſeſe junctis, ſicut videmus hodieque in plauſtris agreſtibus, vel ex cratibus vimineis, vel ex tabulis integris fuere, quæ conſuetudo hodieque ſervatur. De plauſtris profecto teſtari Silius videtur, quando ait libro XIII. verſ. 441.

Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris.

Sunt enim plauſtra roborea, velut de integris roboribus contexta. Sed & Varro, quando plauſtrum cenſet ita dictum, quod ex omni parte palam ſint, quæ in eo vehuntur, abunde oſtendit, hanc fuiſſe rationem lignorum in iſto genere. Nam in altero genere, quod ex meris tabulis componitur, conſpici, quæ vehuntur, nequeunt. De eo etiam, quod fit cratibus contextis, ex Varrone colligimus, quando vehiculum ait dictum, quod ex viminibus vieatur. Nec enim aliter ex viminibus intelligitur, quam ut dixi. Verum locus Varronis corruptus eſt. Scaliger ſic edidit: *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur, quo ex viminibus uteretur, & quod eo vehitur.* Nemo mihi dixerit, opinor, quo pertineant, vel quid velint verba, *quo ex viminibus uteretur.* Pariſienſis vetus Anni MDXXXIX. ita habet: *Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quod eſt ex viminibus, & quod eo vehitur, vehiculum dictum eſt.* Vix eſt dubium, collata lectione utraque, quin legendum ſit: *Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quod ex viminibus vieretur, & quod eo vehitur.* Duplicem namque Varro producere vult vehiculi denominationem, vel quod eo vehatur, vel quod vieatur viminibus. Unde liquet ſimul, fuiſſe ſaltem aliqua vehicula ex viminibus contexta, quæ ob hoc ipſum primo appellata vehicula Varro putabat. Ex eadem cauſſa Heſiodus vehicula vocavit πλεκτὰ, ut opinor, in Scuto Herculis hoc verſu:

—— —— —— Κόνις
Κοπτομένη πλεκτοῖσιν ὑφ' ἅρμασι.


Reddunt vulgo: *Pulvis excitatus compactis a curribus.* Mallem ego: *Plexis a curribus*, hoc enim proprie Græcum verbum ſonat. Non ita multo poſt εὐπλεκέα pro eo poſuit in iſtis:

—— —— Εὐπλεκέων δ' ἐπὶ δίφρων
Ηνίοχοι βεβαῶτες ἐφίεσαν ὠκέας ἵππους.

Quæ verba ita reddunt: *Bene junctis autem curribus aurigæ ſtantes immittebant veloces equos.* Simili modo faciunt apud Homerum Il. Ψ. ubi verbum hoc occurrit. Verſus ita habet:

Δίφρους τ' ἀνστρέψειαν ἐϋπλεκέας, ——

Vertunt: *Curruſque everterent bene connexos.* Stephanus hoc verbum denotare ait *currus eleganter e lignis contextos ac compactos.* Fruſtra: nam εὐπλέκεες non contexti quoquo modo, verum plexi e viminibus. Euſtatius ad hunc locum: Ιστέον δὲ καὶ ὅτι εὔπλεκτον δίφρον φησίν, ἐπεὶ εἶχέ τι πλέγματος· ὡς δεδήλωται ὅπου ὁ ποιητὴς ἔφη ἐρινεὸν νέους ὄρπηκας· καὶ ταμὼν δὲ, δίφρους εὐπλεκέας ἐρεῖ, ὡς μὴ γομφωτοὺς ὄντας ἡρμοσμένους ἐξ ὕλης βαρυτέρας, ἀλλὰ ἔκ τινων πλεγμάτων συντεθειμένους διὰ λαφρότητα. *Sciendum, quod vehiculum appellet* εὔπλεκτον *ſeu beneplexum, quia plexum aliquid habet, ſicut apparet ibi, ubi Poeta loquitur de caprifici virgis in eo. Quo reſpiciens vehicula vocat beneplexa, quod non clavis compacta eſſent, vel conglutinata ex graviori materia, ſed ex cratibus plexis conſerta levitatis gratia.* Locus memorabilis, & qui clariſſime docet, vehicula ipſa fuiſſe contexta e cratibus vimineis. Nam alii aliter exiſtimant, ut ex ſequentibus liquebit. Tertium genus ex tabulis integris compoſitum intelligimus, & ipſum ex Varrone. Ait namque de arcera, *quod ex tabulis vehiculum fuerit factum, ut arca.* Tabulæ non aliæ, quam quales diximus, ut cuilibet ex ipſis loci ejus verbis poteſt apparere. Nam opponit inter ſeſe plauſtrum apertum undique, & hujuſmodi vehiculum, quod proinde clauſum eſſe debuit. Clauſum porro tabulis intelligi aliter non poteſt. Atque habes plane illud in columna Trajani non uno loco expreſſum, unde ecce tibi hic delineatum.



Non multum est dissimile, quod ex tabula marmorea in descriptione ædium Barbarinarum exhibet Tetius, & alibi a nobis proponetur. Intellexit quoque hoc Eustathius in verbis antea productis, atque γομφωτὸν καὶ κολλητὸν ἐξ ὕλης βαρυτέρας appellavit. Et hæc quidem communissima materia vehiculorum. Legimus tamen apud Claudianum *currum ferreum* in quarto Consulatu Honorii, v. 16. ubi arma describuntur Martis. Ita enim habet:

Nec te laurigeras pudeat Gradive secures
Pacata gestare manu, Latiaque micantem
Loricam mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, & Eridani ludant per prata jugales.

Verum currus ille a Poetis fictus, Martique ad terrorem quendam tributus videtur. Ex ferro sane integros usurpasse non opinor. Equidem auctor quoque vetus libri Judicum in S. Bibliis, cap. 4. de Sissara, ut vertit Castalio: *Is enim nongentos habens currus ferreos, Israelitas viginti annorum tyrannide opprimebat.* Neque aliter Græci: Ἐννακόσια ἅρματα σιδηρᾶ ἦν αὐτῷ. Quod retinuerunt quoque Syrus, Arabs, atque alii Interpres. Chaldæus ita habet: *Nam noningenti currus ferri illi*, quod perinde est. Similiter apud eundem Scriptorem primo capite de habitatoribus vallis circa Ascalonem: Καὶ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς. Quod Castalio reddit: *Nam vallis quidem incolas, quod ferreis utebantur curribus, exturbare nequiverunt.* Conveniunt Chaldæus, Syrus, Arabs, cæterique. Verum ferreos illos currus ego non accipio, quod ex ferro mero essent fabrefacti, sed quod armati instructique ferro. Quo respexisse Junius & Tremellius videntur, quando verbum Hebraicum maluerunt vertere per non *ferreos*, sed *ferratos*. Ita enim habent in posteriori quidem loco: *Sed perrexit expellere habitatores ipsius convallis, eo quod currus ferrati essent illis.* In priori vero: *Nongenti enim currus ferrati erant ei.* Interpres vetus loco utroque *currus falcatos* posuit; quod ignoro, an se bene habeat, licet altero retineat & Osiander, cum in altero pro eo *ferreos* substituat. Certe falcatos currus fuisse tam antiquos mihi haud est verisimile, de quo tamen loco alio videbo. Invenio & currus æreos. Pindarus profecto intuitu eorum in Pyth. Od. IV.

Οὔτι πω ἔτος Ἀπόλ-
λων, οὐδὲ μὰν χαλκάρματος ἐστι πόσις
Ἀφροδίτας. ——— ——— ———

Reddunt ista verba sic: *Neutiquam hic Apollo, neque vero maritus Veneris, qui aureo curru vehitur.* Ita habet Stephani editio, Anno MDLXVI. publicata. Sed pro *curru aureo*, curru *æreo* legendum, ita enim Græca volunt. Atque ad hunc modum edidit & Lonicerus. Neque satis aptum illud *Veneris maritus*, licet Lonicerus quoque servet. Sane, quod agnoscit ipse etiam, sermo hic de Marte, subdit enim in Scholiis: *Æreo curru:* Χρυσάρματος *Martis epitheton, quod curribus gaudeat, quibus in bellis utebantur veteres.* Sic in Tigurina 1560. legas, cum ex ipso Pindaro χαλκάρματος scribendum sit. Cæterum maritum Veneris nemo dixit Martem, sed Vulcanum. Neque πόσις, quod est apud Pindarum, tam maritum denotat, quam virum. Hesychius. Πόσιας, τοὺς ἄνδρας. Item: Πόσιος, ἀνδρός. Πόσις, πόμα, ἀνήρ, πότος ἢ οἴνου, ἢ ὕδατος. Sic distinguenda verba ultima, quæ ita habent in edione mea: Ἀνὴρ πότος. ἢ οἴνου, quod est nihili. Vult enim Hesychius duplicem significationem vocis demonstrare, unam, qua significat virum, alteram, qua potum sive vini, sive aquæ. Cumprimis vero πόσις ille, qui cum aliqua rem habuit. Quod bene observavit Eustathius ad Iliad. Ω. Ἑλένη οὐκ ἄνδρα τὸν Πάριν ἔφη, ἀλλὰ πόσιν· ζητητέον, εἴτις ἐστὶ διαφορὰ πόσιος καὶ ἀνδρός· καθὰ Σοφοκλῆς ἐν Τραχινίαις ἐμφαίνει, ὅπου ἡ Δηιάνειρα δέδοικε μήποτε ὁ αὐτὴν ἔχων Ἡρακλῆς, τῇ μὲν αἰχμαλώτῳ Ἰόλῃ, εἴη ἀνήρ, αὐτῇ δὲ πόσις. *Helena non* ἄνδρα *Paridem appellat, verum* πόσιν. *Videndum igitur, si quæ sit inter hos differentia. Liquet autem ex Trachiniis Sophoclis, ubi Deianira metuit, ne quando, qui habebat eam, Hercules captivæ quidem Ioles fiat* ἀνήρ, *ipsius vero* πόσις. Videlicet πόσις ita dictus est sententia magistrorum παρὰ τὴν τοῦ ὕδατος φύσιν, ἐπεὶ ὁ ἀνὴρ μιγνύμενος τῇ γυναικὶ, αἴτιος γίνεται τῆς τῶν παίδων γενέσεως. Id est: *Propter aquæ naturam, quandoquidem vir mulieri se miscens causa evadit liberorum procreationis.* Quicunque igitur mulieri se jungit, licet nullo matrimonio legitimo, is illius πόσις. Atque ita recte Mars est πόσις Veneris, propter adulterium cum ipsa, de quo fuse Ovidius, ut de cæteris Poetis taceam. Tribuitur autem Marti æreum a Pindaro vehiculum, non quod currus ærei in usu fuerint, sed quod alias ad arma plurimus olim æris usus, antequam inventum esset ferrum, ut Hesiodus est auctor. Neque aliter hic dictum æreum vehiculum, quam ante ferreum apud Claudianum. Quomodo intelligendum quoque censeo, quod describit Cassianus de Reg. Cœnob. Ægypt. Πρεσβῦται τινες δύο μετὰ πολλοῦ κόμπου εἰσεληλύθεισαν, ῥεδίον ἔχοντες ὁλόχαλκον. Hic ῥεδίον ὁλόχαλκον existimo vocari, quod ære undique munitum ornatumque fuit. Certe de vehiculo ornato loqui manifestum, quia subdit, καὶ χρυσοχαλίνους ἵππους, quod ad equos pretiosissime ornatos referri, notissimum. Equidem & de Romulo Plutarchus: Ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις λαφύροις καὶ χαλκοῦν ἐκόμισε τέθριππον ἐκ Καμαρίας. Quod Xylander vertit: *Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum.* Sed hic currus fuit, ut opinor, non vehiculum ad usus vectionis fabrefactum, verum ornamentum aliquod, ad effigiem veri vehiculi formatum ex ære. Neque *currus*, verum τέθριππον, id est, *quadrigæ*, quod vocabulum non tam currum denotat, quam junctos ei equos quatuor, qui profecto non intelliguntur ænei, nisi eo, quo prædixi, modo. Itaque subjungit Plutarchus, dedicasse quadrigas illas Romulum in templo Vulcani, credo, quod censeret arte singulari, fusoria præsertim factas, cujus præses quidam atque conditor Vulcanus habebatur. Solebant certe quadrigas istiusmodi bigasque, nec ex ære modo, sed & aliis materiis collocare in Deorum templis, decorare illis ædium fastigia, columnis denique ac arcubus imponere, ut loco alio monstrabitur. Non magis istuc pertinent Homeri ἅρματα ποικίλα χαλκῷ, *currus ære variegati*, quia tantum propter ornamenta quædam ita dicebantur, quæ trademus in sequentibus. Atque sic intelligenda & eburnea vehicula scriptorum, ut illa triumphantium, de quibus Ovidius, lib. III. de Ponto, el. 4.

Illa ducis facies in curru stantis eburno.

Et Tibullus, lib. I. el. 7.

Portabit niveis currus eburnus equis.

Nam revera hæc ex ebore non fuere. Habuerunt quidem integra etiam ex eo, sed fuerunt illa sive ludicra, ut quadrigæ Neronis, de quibus Sueton.

in vita ejus, cap. 22. sive cultui ornatuique servientia, vel alias ostentandæ arti, ut quadrigæ Myrmecidis, de quibus Plinius, lib. VII. cap. 21. Aureos quoque currus aliter vix intelligo. Eutropius profecto de Paulo Æmilio, lib. IV. *Triumphavit magnificentissime in curru aureo*. Quod Demsterus accipit de curru, solido ex auro, taliaque inde tribuit triumphantibus. At in illo Pauli triumpho alii vetustiores magisque fidi non currum aureum, sed simpliciter currum memorant. Livius l. XLV. c. 40. *Ipse postremo Paulus in curru magnam majestatem præ se ferens*. Plutarch. in ipsius vita: Ειτ' αὐτὸς ἐπέβαλεν ἅρματι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς. *Inde ipse curru magnifice ornato urbem invectus est*. Non dicit, *curru aureo*, non prætermissurus pro cætera diligentia sua, si talis fuisset, sed solummodo, *magnifice ornato*, Non itaque is currus aliter fuit aureus, quam ut vulgo triumphantium esse consueverant. Neque aliter accipiendum, quod habet Philostratus in vita Dionis: Τραϊανὸς αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς Ρώμης εἰς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολεμίων πομπὰς πομπεύουσι. *Trajanus Imperator cum Romæ secum imposito aureo carpento, in quo sedentes Augusti triumphare solent*. Ita locum istum vertit vir eruditissimus ad Ammianum. Verum nec carpentum erat id vehiculum, nec in eo sedebant, ut liquebit ex sequentibus. Itaque hæc rectius Morellus, vel, quem secutus est, vetustior Interpres: *Trajanus Imperator Romæ illum in currum aureum assumens, quo invecti Imperatores de confectis bellis triumphant*. Sed hoc obiter. De aureo Trajani curru constat abunde cum ex ipsa ejus Imperatoris modestia, tum quod dicitur aperte, fuisse, qualem vulgo triumphantes habere solerent. At vero aureos non habuere, ut in loco alio monstrabitur. Tamen Ammianus quoque lib. XVI. de Constantino: *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quædam misceri videbatur alterna*. Tribuit profecto hic Constantino aureum vehiculum, non quidem triumphale, quod haud satis caute tradunt viri longe doctissimi, verum alias Imperatorium & ad pompam ac magnificentiam paratum. At tamen aureum fuisse totum non existimo, sed auratum. Qualia & Heliogabali, Principis non magis, quam Constantinus, parci aut splendorem negligentis, de quibus Lampridius capite 29. *Habuit gemmata vehicula & aurata*. Neque debet aliter intelligi vehiculum Quinti, de quo Martialis lib. V. quanquam totum aureum voluerit Pignorius de Servis:

Aurea quod fundi precio carruca paratur.

Fuit enim Quintus ille, quisquis denique, privatus certe, qui non potuit esse usus aureo vehiculo: neque ulla illo tempore vehicula ex mero solidoque auro habuere. Nam quod legimus de curru Castoris apud Pindarum Ode v. Pyth. ad id genus pertinet, quale supra, cum de Martis curru loquebamur, memoravimus. Verba Pindari sunt istiusmodi, ad Arcesilaum loquens de divitiis:

Σὺ τοίνυν κλυτᾶς
Αἰῶνος ἄκρων βαθμίδων
Απο, σὺν εὐδοξίᾳ
Μεταμείχεται, ἕκατι χρυ-
σαρμάτυ Κάστορος.

Lonicerus ita vertit: *Tu vero a summis celebris vitæ tuæ gradibus bono cum nomine divitias accedis, Castoris aureo curru invecti gratia*. Hic currus aureus tribuitur Castori libidine Poetæ. Qualem Apollonius assignavit etiam Dianæ, lib. III. Argon. ver. 877.

Χρυσείοις Λητωῒς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηῦα.

Aureo in curru stans Diana. Et Euripides in Phœnissis Soli:

Ω τὴν ἐν ἄστροις ὐρανῦ τέμνων ὁδὸν
Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ηλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.

O Sol, qui vix in astris cœli frangis, quique sedens in curru aureo celerius equis flammam volvis. Quemadmodum & Boetius lib. II. de Consolat. Philos. Metro VIII.

—— *Phœbus roseum diem*
Curru provehit aureo.

Atque hinc fortassis currus Solis *nitidus* Horatio in Carmine Seculari, de quo alias videbimus. Manet ergo, quod initio dicebam, vehiculorum materiam ligna esse, saltem eorum, quæ ad usus pertinent humanos, & vel itineribus faciendis, vel oneribus gestandis, negociisque similibus aliis inserviunt. Cæterum ea ligna erant multiplicia. Quo respectu Hesiodus lib. II. Oper. & Dier.

Νήπιος, ὐδὲ τόγ' οἶδ', ἑκατὸν δέ τε δύραθ' ἁμάξης.

Stultus, qui nescit, centum lignis opus esse ad vehiculum. Dicit centum lignis, pro plurimis. Sic enim Tzetzes exponit: Εκατὸν, πολλά· ὐ γὰρ ἑκατόν εἰσι ταῦτα. *Centum, multa, neque enim centum sunt*. Et paulo post: Αφρονα λέγει τῦτον, ὡς ὐκ εἰδότα ὅτι πολλὰ τὰ τῆς ἁμάξης εἰσὶ ξύλα. *Stultum talem vocat, ut qui nesciat, quod vehiculi plurima sint ligna*. Idem Poeta nominatim ea memorat fere singulis in partibus, docetque non obvia, nec quovis tempore, sed certa selectaque capi ad ea consuevisse. Verba ita habent ante dicto loco:

Ημος δὴ λήγει μένος ὀξέος ἠελίοιο
Καύματος ἱδαλίμυ, &c.
Τῆμος ἀρ' ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον, &c.
Αξονα δ' ἑπταπόδην· μάλα γὰρ νύ τοι ἄρμενον ὗτω
Τρισπίθαμον δ' ἄψιν τάμνειν δεκαδώρῳ ἁμάξῃ
Πολλ' ἐπὶ καμπύλα κᾶλα. ————

Quum itaque jam desinit robur acuti Solis a calore humido, &c. tunc sane ligna signare tempestivuum esse opus memento, &c. Axem septempedalem, valde namque conveniens sic currui. Trium spitamarum curvaturam rotæ decem palmorum. Multa præterea curva ligna. Vides primo aridam, deinde certæ longitudinis, tum curvam postulasse materiam. Sed & certæ arbores huc pertinebant. Apud Plinium ante alias ad currus commendatur fraxinus. Verba sunt in lib. XVI. c. 43. *Obedientissima quocunque in opere fraxinus. Gallica vero etiam ad currus flexibilis*. Item abies, de qua sic ait lib. XVI. cap. 42. *Eadem & curribus aptissima*. Theophrastus laudat ilicem & smilacem lib. III. Hist. Plant. cap. 16. Verba ejus hæc sunt ex interpretatione Gazæ: *Ubi ilex non provenit, hac (smilace) ad plaustra similiaque utuntur opera, ut Lacedæmonii & Elii*. Idem ulmum ad hanc rem commendat, lib. V. cap. 8. *Utilis ulmus ad fores, prœla & torcularia, quin & ad carpentarium opus*. Sunt ex his ipsis arboribus aliæ ad alias vehi-

culorum partes magis aptæ, veterum opinione. Axes ſane rotarum laudat Plinius e fraxino, vel ilice, lib. XLIV. cap. 43. *Secatur in laminas prætenues & ilex, colore quoque non ingrata, ſed maxime fida iis, quæ terantur, ut rotarum axibus, ad quos lentore fraxinus utilis, ſicut duritia ilex.* Videtur reſpexiſſe huc & Claudianus, quando ait lib. I. in Rufinum, ver. 276.

Vivitur exiguo melius. Natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.
Hæc ſi nota forent frueremur ſimplice cultu.
Claſſica non fremerent, non ſtridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Barthius per fraxinum intelligit haſtarum omnes genus. Ego, cur de haſtis hic loquatur Claudianus, vix intelligo, cum præſertim minus commode hic dicantur ire. Itaque de curribus aut vehiculis potius cenſeo interpretandum, quibus res ad luxum pertinentes adducuntur terra, ſicut mari navibus. Et bene dixit *ſtridula fraxinus*, ſicut Ovidius *ſtridula plauſtra*, III. Triſt. el. 12.

Stridula Sauromates plauſtra bubulcus agit.

Cæterum de ilice ad axes utili habet quoque Theophraſtus lib. V. Hiſt. Plant. cap. 8. *Ilici*, ait, *bonos ad axes plauſtrorum verticis ſimplicis.* Idem in hos uſus laudat buxum, eodem capite. *Buxus utilis ad axem plauſtris.* Fagum quoque celebrat ad axes, eam maxime, quam vocat ſalicorticem, lib. III. c. 10. *Salſicorticis materies ad axes ſimiliaque tantum commoda eſt.* Hinc Virgilius lib. III. Georg.

Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis.

Apud Plinium laudatur & ulmus. Nam poſt verba ſuperius de fraxino & ilice allata ſubdit: *Et utroque legitur ulmus*, ubi *utroque legi* eſt ex *utroque*, ſive ob utrumque, lentorem nempe ac duritiem, de quo utroque anteceſſit. Jam ad rotarum orbes Homerus commendat platanum Il. Δ. circa finem. Ad radios Plinius cornum. Verba extant lib. XVI. cap. 40. *Ab his proxima eſt cornus, quanquam non poteſt videri materies propter exilitatem, ſed lignum non alio pene, quam ad radios rotarum, utile.* Juga laudantur e carpino. Vitruvius lib. II. cap. 9. *Carpinus non eſt fragilis, ſed habet utiliſſimam tractabilitatem. Itaque Græci, quod ex ea materia juga jumentis comparant, quod apud eos juga ζυγὰ vocitantur, item & eam ζυγίαν appellant.* Theophraſtus iſto fine acerem commendat, lib. V. cap. 8. *Acer & carpinus lectis jumentorumque jugis cæditur.* Nempe carpinus eſt certa quædam aceris ſpecies, Plinio auctore lib XVI. cap. 15. *Tertium genus aceris zygiam vocant, rubentem, fiſſili ligno, cortice livido & ſcabro. Hoc alii generis proprii eſſe malunt, & Latine carpinum appellant.* Virgilius ad hos uſus vocat tiliam, Georg. I. verſ. 173.

Cæditur & tilia ante, jugo levis. ——

Sicut autem iſta omnia communiter fuere lignea, ſic hæc ipſa ligna ferro paſſim munita, ne ſub pondere, vel in viis a lapidibus ſaxisve facile atterentur. Reſpexit huc Cato, & ex eo Stolo apud Varronem lib. I. de Re Ruſtica, cap. 22. *Stolo inquit, propoſita magnitudine fundi, de eo genere Cato ſcribit; Oliveti jugera CCXL. qui coleret, eum inſtruere ita oportere, ut faceret ex ære ahena, urceos, naſſiternam, item alia. Sic e ligno & ferro, ut ploſtra majora tria, &c.* Ad plauſtra & id genus non requirit lignum modo, ſed & ferrum, eo fine, quo prædixi, ut conſtabit ex ſequentibus. Addebatur aliquando & corium maxime, ſi e viminibus aut tabellis aliis tenuibus craticulatim eſſent compoſita vehicula contextaque. Docet Pollux, quando ait lib. I. cap. 10. Τὸ ὑπὲρ τὸν τόνον περίφραγμα, ὅπερ εἰώθει διαλαμβάνεσθαι, τάῤῥιον. Vertit Gualtherus: *Quodque ſuper tonum circumſeptum, quod & tarrium dictum, corio tegi ſolebat.* Verum ego mallem: *Quod vero ſupra tonum in ambitum eſt ſeptum, & corio induci conſuevit, tarrion appellatur.* De tarrio in ſequentibus agemus, & id oſtendemus fuiſſe, quod parietes vehiculi conſtituebat. Id hic annotamus, corio muniri conſueviſſe, plane illo modo, qui & hodie in vehiculis pleriſque uſitatus eſt. Atque iſta quidem de materia vehiculorum.

CAP. IV.

De Vehiculorum Partibus & Temone.

Temo pro vehiculo integro. Unde dicatur. Voſſius rejectus. Ρυμὸς. *Gloſſæ explicantur atque corriguntur. Plectrum. Phædri lectio defenſa.* Ενδρυον. *Verſio Heſiodi notata.* Ισοβοὶς. Σταβάελον. *Meurſius notatus.* Ακτπρὶς. Στήειγμα *quid fuerit. Heſychius expenditur,* Στίμων. Σταθμίον, *furca quid. De Plutarchi loco conjectura.* Τήειξ. *Lipſii emendatio repudiata.* Δίκρης. *Heſychius & Phavorinus explicantur, cum Plutarcho.* Ακροῤῥυμον. *Gualtherus notatur. Summus temo.* Τετράρυμος. Οκτάρυμος. Αμωρον.

VEniamus ad vehiculorum partes. Prima & præcipua eſt temo. Quod enim in navi gubernaculum, id ipſe in vehiculo. Unde ſæpe temo Poetis, quod gubernaculum eſt aliis, ſicut diximus in libris de Militia & Re Navali. Quin imo ex hac cauſſa ponere pro integro vehiculo ſueverunt. Juvenal. Sat. IV. ver. 126.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. —— ——

Lubinus: *De temone eo dicit, nam Britanni in præliis curribus utebantur, ex quibus Regem victum deturbandum eſſe vaticinatur.* Eſt autem temo ita dictus a tenendo, ſi Varroni credimus. *Temo*, ait lib. VI. de L. L. *dictus a tenendo, is enim continet jugum.* Ita temo fuerit primum *tenimo*, dein contracte *temo*. Quomodo & in aliis ſyllaba illa media ſolet omitti, & e. g. ex *movimen* fieri *momen*, ex *orimen*, *omen*. Magiſque iſtoc veriſimile, quam quod volebat Voſſius, *ſic dictum a τείνω, quia a jugo ἀποτείνεται, id eſt, extenditur.* Certe non extenditur a jugo, ſed vehiculo, ut docet Pollux, verbis, quæ mox ſubdo. Contra jugum tenet veriſſime, ut, præter Varronem, ipſa res teſtatur. Græcis eſt ῥυμὸς. Philoxenus: *Temo*, αὐχὴν πηδαλίου. Ρυμὸς. Gloſſæ veteres: Ρυμὸς ἁμάξης, *temo, plerum, armamentum.* Armamentum hic eſt inſtrumentum, quod ſignificatione ſpecialiori tribuitur temoni, credo, quod inter currus inſtrumenta eſſet primum ac præcipuum. At quid *plerum*? Silet Vulcanius, neque alii nos docent. Quare dicam, quod ſum pridem

suspicatus, legi *plectrum* oportere. Plectrum idem est, ac *flectrum* a plectendo flectendoque, de quo dixi ad Phædrum in editione secunda. Nam & ipse lib. v. cap. 10.

Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.

Quod sine caussa mutarunt. Itaque & gubernaculis navigiorum tribui ostendimus in libris de Militia Navali. Jam cum non magis illa in navigiis, quam hi in curribus flectendi vertendique instrumenta sint, quin eodem venire potuerint vocabulo, vix dubitabitur. Hesiodus vocavit ἔνδρυον lib. 11. Oper. & Dier. illo versu:

—— Ορπηκα βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι
Ενδρυον ἑλκόντων μεσάβῳ.

Vertunt: *Stimulo boum terga attigeris quernum temonem trahentium*. Sed de querno nihil est hoc loco, si Tzetzi credimus, cujus ista verba: Ενδρυόν ἐστιν, ὃ καὶ ἰσοβοεύς, καὶ ῥυμὸς καλεῖται. Nude simpliciterque ait, significare temonem. Et Hesychius medium exponit: Ενδρύον, καρδία δένδρου, καὶ τὸ μέσον. *Endrion, cor arboris, & medium*. Quo efficitur, ut temonem credam ita dictum, quod esset medius inter duos boves equosve, quasi diceres Latine lignum medium, aut interius lignum. Cæterum ex Tzetze liquet, appellasse etiam ἰσοβοέα. Firmat idem Eustathius ad Iliad. Z. Σημείωσαι δὲ ὡς ἐπὶ ἅρματος μὲν ῥυμὸς λέγεται, παρὰ τὸ ῥύω ἕλκω, οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ ἀπήνης· ἐπὶ δὲ ἀρότρου, ἰσοβοεὺς παρὰ Ησιόδῳ, βαρβαριζόμενος νῦν παρὰ πολλοῖς, ὅ φασιν αὐτὸ σταβάρειον, ὡς οἷον ἰσοβάρειον. Ostendit sane etiam Eustathius ῥυμὸν & ἰσοβοέα idem esse. Addit tamen, alterum de cæteris vehiculis magis, hoc vero de aratris usurpari. Etiam hoc observandum est, quod recentiores Græcos dicat appellasse barbare σταβάρειον. Omiserunt enim indicare viri docti, qui de barbaris Græcorum vocabulis Lexica composuere. Dicunt quidem: Σταβάρειον sive σταύαρον, *seps, munimentum:* verum minus apte, ut opinor. Nam Eustathius Odyss. Ξ. Σταυροὶ, ὀρθὰ καὶ ἀπεξυσμένα ξύλα, τὰ καὶ σταύαρα παρὰ τοῖς μιλαλοῦσιν εὐγενῶς. *Stauri recta & levigata ligna, quæ & stavara dicuntur iis, qui minus bene loquuntur*. Non sepimentum aut munimentum integrum σταύαρον aut σταβάρειον, sed singula illius ligna, singuli valli, qui etiam extra munitionem, ut erant stipites recti, σταβάρεια nominabantur. Denique σταβάρειον aut σταύαρον nil aliud, quam quod hodieque *Stab:* Germanis, Svecis staf est, recteque Eustathio dicuntur βαρβαρίζειν, sive loqui barbare, qui voce illa utuntur. Qui proinde ita formatam, veluti ἰσοβάρειον tradere non debuit. Et quia temo lignum rectum, utique sic ipse quoque σταβάρειον. Describit sane ad hunc modum Hesychius, ut deinceps apparebit. Achæus Poeta vetus, & qui vixit Miltiadis temporibus apud Græcos, appellavit ἀκτήρια. Pollux lib. x. cap. 34. Καλεῖ δὲ οὕτω (ἀκτήρια) καὶ τὸν ῥυμὸν τοῦ ἅρματος, τὸ τῆς ἁμάξης ἀνέχον ξύλον, ὅταν ἄζευκτος ᾖ, ὃ στήριγμα καλεῖ Λυσίας. *Eodem quoque nomine (acteria) currus temonem appellat, prominens scilicet illud lignum, cum jugatus non est, quod Lysias sterigma appellat*. Dicit Pollux, Lysiam vocare στήριγμα. Nempe alias τὸ στήριγμα est pars temonis, sicut statim indicabo. De cætero bene describit, li-

A gnum prominens a curru. Sic enim & alio loco: Τὸ ἀποτεινόμενον ἀπὸ τοῦ δίφρου ξύλον, ῥυμός. *Lignum ab ipsa curru sella extensum, temo*. Hesychius hoc modo habet: Ρυμὸς τοῦ ἅρματος τὸ ἐκτεταμένον ξύλον περὶ τὰς ἵππους ἕως τοῦ ζυγοῦ μέσον ἀπὸ τοῦ ἄξονος, ὃ τινες στήμονα καὶ σταθμίον καλοῦσι. *Rhymos vehiculi extensum est lignum per equos usque ad jugum medium ab axe, quod aliqui stemona & stathmion appellant*. Cum Hesychio facit Phavorinus, qui appellat τὸ μεταξὺ κατὰ μῆκος ξύλον τοῦ ἅρματος, ἤγουν τὸ προηρτημένον τῷ ζυγῷ ὀρθὸν ξύλον. *Lignum in vehiculi medio secundum longitudinem, prominensve ad jugum lignum rectum*. Item: Τὸ μέσον τῶν ἵππων ξύλον, ᾧ συνδέδεται ὁ ζυγός. *Medium inter equos lignum, cui jugum

B alligatur*. Quando vocat ξύλον μέσον, sive lignum medium, firmat id, quod de endrio superius divinabamus. Juvat quoque Scholiastes vetus Homeri, quando sic Il. Π. exponit: Ο προσηρτημένος τῷ ζυγῷ κανὼν εἰς ὀξὺ λήγων. Τὸ μέσον ξύλον. Cæterum Hesychius dicebat, etiam στήμονα & σταθμίον aliquibus vocari, quod ignoro, utrum ad temonem integrum pertineat. Σταθμίον sane alias σταθμός, id est statera, vel libra. Hoc vero ligno illi recto, de quo hactenus locuti sumus, parum convenit. Quare mallem ego capere de quadam ejus parte, sive ligno alio transverso, in temone firmari solito prope capsam, ad quod religantur funes, provenientes a jugo. Sane lignum

C illud hodieque Germanis meis *din Wag:* id est, *libra* dicitur. Et in flectendo vehiculo huc illucque libræ instar movetur. Quare temo σταθμίον vocatus ab hac parte ipsius videtur. Eadem fortassis στήμων est, quia cum procurrentibus funibus, quibus religantur equi, habet instar staminis, quod alias est στήμων. Sicut autem nemo dictus στήμων sive σταθμίον, cum hoc potius pars ejus quædam esset, ita quoque στήριγμα vocatus est, cum στήριγμα proprie partem ejus signet. Nam est στήριγμα in temone, quod Latini nominarunt *furcam*. Plutarchus in Coriolano: Οἱ Ελληνες ὑποστάτην καὶ στήριγμα, τοῦτο Ρωμαῖοι φοῦρκαν ὀνομάζουσι. *Quod

D Græci hypostaten & sterigma, id Romani furcam appellant*. Idem plane furca & στήριγμα. Porro furca lignum bifidum, ut idem docet in Quæstionibus Romanis, ubi vocat διπλοῦν ξύλον, ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν, *lignum duplex, quod curribus subjici solet*, subditque: Τὸ δὲ ξύλον ἡμεῖς μὲν στήριγμα, Ρωμαῖοι δὲ φοῦρκαν ὀνομάζουσι. *Lignum illud nos quidem steringem, Romani vero furcam appellant*. Quod Plutarchus ait de curribus, valde obscurum est, & nescio, an integrum. Quomodo enim lignum potest intelligi currui subjectum? An scribendum: Ο τοῖς ἄξοσι ὑφιστᾶσιν?

E id est, *lignum, quod axibus (rotarum) subjiciunt.* Certe furca illud bifidum est lignum, quod priorem axem tenet, atque huc & illuc flectit in itinere simul cum temone. Solent enim hodieque temoni utrinque adjungi ligna, quæ ab una parte coeunt, ab altera distant maxime, litteræ V. figura, quandoque temo ipse ab una parte furcæ specie dividitur. Illa sic divisa ligna, temonive divisim adsociata Latinorum furca, Græcorum στήριγμα, ut vocant alii, ut Plutarchus, στήριγξ. Ista specie.



Σπέιγγας appellat etiam Hesychius, ubi sic describit. Στέιγγες, ἐρείσματα· οἱ δὲ τὸ δίκρουν ὅπερ ὑποτιθέασι τῷ τῆς ἁμάξης ζυγῷ. *Steringes sunt fulcra. Quidam sic appellant illud bifidum, quod subdi solet jugo vehiculi.* Dubitat hic Lipsius, an vox ζυγῷ se bene habeat, putatque potius ῥυμῷ legendum. Ego nihil muto, plane enim per τὸ δίκρουν intellexisse integrum temonem arbitror, qui subdi jugo, & ad id loro alligari consuevit, ut mox ostendemus. Vocat autem δίκρουν Hesychius temonem, quoniam in furcam desinebat, non quod furca ipsa subdita fuit jugo. Furca enim pertinebat ad axem, non ad jugum. Nam quod Plutarchus ait, furcam illam sustentasse temonem, aliud est. Verba ejus sunt ista, in Coriolano: Ην δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτη πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης, ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν, ἀράμενος, διεξέλθοι περὶ τὴν γειτνίασιν· ὁ γὰρ τοῦτο παθὼν καὶ ὀφθεὶς παρὰ τῶν συνοίκων καὶ γειτόνων, οὐκέτι πίστιν εἶχεν· ἐκαλεῖτο δὲ φοῦρκιφερ. *Habebatur autem punitio servi, qui peccaverat, acerba, si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret: ita enim punitum quum domestici & vicini vidissent, nullam habebant deinceps ei fidem, appellabantque eum furciferum.* Ex eo, quod furciferum appellatum ait, manifestum, non de ligno alio sermonem esse, quam quod furca est Latinis. Hoc dicit sustentasse temonem, quia tenebat eum rectum inter equos, prolapsurum alias in terram, sicut hodieque fieri in vehiculis videmus. Nempe in extremo furcæ, ubi ligna duo maxime distant, addi lignum aliud transversum solet, quod subjectum medio arbori, axem posteriorem priori adjungenti, tenet furcam, & cum ea temonem, ne possint procidere. Atque istoc quidem voluit Plutarchus illis verbis. At in prioribus non tam de furca proprie sic appellata, quam temone, cujus capiti jugum alligari consuevit, sermo erat. Nam furca proprie sic dicta tenebat regebatque axem, eumque huc ac illuc flectebat, sicut dixi. Eratque hic præcipuus furcæ usus in vehiculo. Sicut autem temonis pars extrema una dicebatur στέιγμα Græcis, ita altera extrema ἀκρορρύμιον. Pollux lib. I. cap. 10. Τὸ ἀποτεινόμενον ἀπὸ τοῦ δίφρου ξύλον, ῥυμός. Οὗ τὸ τέλος ἀκρορρύμιον, ὕπερθεν ἐκδέδεται τῷ ζυγῷ. *Lignum ab ipsa currus sella extensum, temo, cujus ultima extremitas, acrotemo dicta superne jugo alligatur.* Non est ἀκορρύμιον pars alia, quam dicta, quod apparet, quia jugum sibi habet alligatum. Gualtherus voce hybrida *acrotemonem* reddidit. Sed rectius, ad expressionem dictionis Græcæ, *summum temonem* appellasset. Ita namque Curtius vocavit lib. IV. cap. 9. Verba ista sunt: *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant.* Summus temo plane illud ipsum, quod Gualthero *acrotemo*, Græcis ἀκορρύμιον. Observandum autem, priscis temporibus tot fere temones fuisse singulis in vehiculis, quot habebant paria equorum boumve. Unde de quadrigis Isidorus: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat.* Et apud Xenophontem, lib. V. Pædiæ, currus Abradatis est τετράρυμος ἐξ ἵππων ὀκτώ. Id est: *Temones habens quatuor, equos vero octo.* Quemadmodum paulo post eodem loco currus Cyri ὀκτάρυμος, id est, *cum temonibus octo*, qui trahebatur ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν. Id est, *octo jugis sive paribus boum.* Quanquam hi temones non spectarint omnes pariter ad vehiculum. Id enim habebat unicum tantummodo, firmatum ad axem; reliqui adjuncti erant, quilibet ad alterius caput, quod in sequentibus monstrabitur. Illud etiam notandum, quod pro hisce ligneis temonibus quandoque usurparint funem longum. Hesychius: Αμπρον, τὸ τεταμένον σχοινίον, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ ῥυμοῦ. *Amprum, funis extentus, quo utuntur loco temonis.* Docet clare id, quod dixi, simul funem eum ἄμπρον esse nominatum. Eustathius: Αμπρον σχοινίον, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ ῥυμοῦ μέσῳ τεταμένῳ τῶν ἑλκόντων ζευγῶν. *Amprum, funis, quo utuntur pro temone, collocato in medio inter trahentes jugales.* Scilicet, cum onera essent graviora, quam ut a duobus animalibus ad jugum temonemque unum junctis possent moveri, a capite temonis addebatur funis longus, & ad eum tot jugales, quot videbantur sufficere, quod & hodie quandoque solet fieri. Et hic funis, quem appellant ἄμπρον. Suidas: Αμπρον σχοινίον, ὅπερ διὰ τῶν ζυγῶν διατείνουσι καὶ φορτία ἐφ' ἁμάξης κομίζουσιν, ὥστε ὁμοτόνως ἀπὸ τῶν ζευγῶν ἕλκεσθαι, ἀμπερόν τι ὄν, τὸ διὰ περῶν τὸν ζυγὸν δεδεμένον. *Amprum, funis per juga protentus, quo onera in plaustro ducunt ita, ut æqualiter a jugalibus trahantur, cum sit quid continuum, jugumque tenens religatum.*

CAP. V.

De Axe.

Axis. Αξων quid. Notat interdum totum vehiculum. In plaustris volvebatur cum rotis. Ακροξόνια Ακραξόνια. *Pollux & Demetrius Triclinius emendati.* Χνόαι. Σύριγγες. Ευρά. *Pollux explicatus.* Παραξόνιος. *Gualtherus notatus. Clavus. Obex.* Επίβολον. Εμβολον. *Materia ejus ex ligno & ferro. Semel ex cera. Axedo.* Αμαξιδόνιον. Ευήλατα. *Argolus reprehenditur.* Πλήμνη. Εμβολοδέτης. *Gualtherus denuo notatur.* Αμαξήποδες. *Arbuscula. Baldus notatur. Hesychius corrigitur.* Καθαραῖα. *Axis secundus.*

VEniamus nunc ad axem. Ita vero nominabant stipitem longum, circa quem vertuntur rotæ. Festus: *Axis plures habet significationes. Nam & pars cæli septentrionalis, & stipes teres, circa quem rota vertitur, axis appellatur.* Græcis voce simili est ἄξων. Philoxenus: *Axis*, ἄξων. Glossæ aliæ: Αξων, *axis*. Scholiastes vetus Homeri scribit esse ὁ εἰς τὰς χοινικίδας ἐμβαλλόμενος ἑκατέρου τροχοῦ, id est, *illud, quod modiolis rotæ utriusque inseritur.* Fuit ergo pars vehiculi admodum necessaria propter rotas, quæ absque illa inutiles plane atque nullæ. Hinc Poetis fere posita pro integro vehiculo. Notum illud Juvenalis Sat. III.

Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem.

Ita Silius lib. XVI.

—— Eversum propulit axem.

Et aliquando ante:

—— Necdum ipse ascenderat axem.

Manetque hoc loquendi genus hodieque apud Germanos meos, quando, quæ vehiculis de uno loco in alium portantur, *auf der ax* deferri dicunt, quod Latine foret *super axem*. Insertum autem sibi vel

vel affixum habuit temonem ea parte, qua divisus est in furcam. Indicavit Ovidius, quando lib. II. Met. facit non amotum ablatumve, sed revulsum, quod non potest dici, nisi de iis, quæ cohærent firmiter, & per vim se jungenda sunt. Verba ejus ita habent:

Illic fræna jacent, illic temone revulsus
Axis. ——————————

Jam quia cohærebat cum temone, ideo fuit stabilis, solæque circa eum volvebantur rotæ. Quanquam hoc non fuerit perpetuum in omnibus vehiculis, nam in plaustris adhærebant rotis, & cum ipsis simul volvebantur. Probus ad Virgil. I. Georg. ubi de plaustrorum tympanis: *Axis autem cum rota volvitur.* Sed de hoc & in sequentibus. Extremas ejus partes Græci ἀκροξόνια vocarunt. Ita enim habet Pollux lib. I. Τὰ τοῦ ἄξονος τὰ ἑκατέρωθεν τέλη, ἀκροξόνια. *Axis utrasque extremitates acroxonia appellant.* Ακροξόνια nominavit etiam Demetrius Triclinius ad Sophoclis Electram. Verba ejus: Χνόαι δὲ τὰ ἀκροξόνια. Sic certe legitur in Parisiensi a Turnebo Anno 1553. publicata. Postulare tamen ratio analogiæ videtur, ut legamus ἀκραξόνια. Et reperisse ita sese apud Scholiasten Apollonii Stephanus testatur. Neque desunt, qui eadem ratione verba Demetrii adducunt. Liquet autem simul ex Demetrio, extremitates illas axis etiam vocasse χνόας. Firmantque Scholia Sophoclis vulgaria non longe a prædicto loco, ubi sic exponunt χνόαι: Χνόα, τὸ λεπτὸν μέρος τοῦ ἄξονος, τὸ τειβόμενον ὑπὸ τῆς χοινικίδος. *Chnoa est axis pars gracilior, quæ a modiolo teritur.* Optime, constatque hinc, quænam sint illa τέλη Pollucis, non videlicet summa capita axis, verum quicquid ultra vehiculum prominet, rotæque modiolo immittitur. Paulo ante explicant per σύριγγας. Verba hæc sunt: Χνόας δὲ, τὰς τοῦ ἄξονος σύριγγας. Σύριγξ δὲ ἐστι, τὸ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ ἐμβαλλόμενον μέρος τοῦ ἄξονος. *Chnoas vocat axis syringas. Syrinx vero est ea pars axis, quæ foramini rotæ inferitur.* Atque ita & Hesychius: Χνόαι αἱ χοινικίδες, αἱ τοῦ ἄξονος σύριγγες. Duo ait significare, & modiolum, & syringa axis. Verum de modiolo deinceps. Syrinx autem, sive axis hæc extremitas, muniri ferro solebat, ne a rota facile attereretur. Illud ferrum Græci appellabant ὄνραι. Pollux: Τὰ τῷ ἄξονι ἐγκείμενα σιδήρια, καὶ τριβόμενα ὑπὸ τοῦ τροχοῦ, ὄνραι. *Ferramenta axi imposita, quæ teruntur a rota, nominantur curæ.* Ita verto ista, minus evidenter aliis exposita. Solet hodieque id in usu esse, figura paulo latiore, ac in summo capite foramen habere, per quod infigitur clavus, continendæ rotæ, ne in cursu excidat. Clavus iste Græcis παραξόνιος. Idem Pollux: Τὸ δὲ κωλῦον ἐκπίπτειν τὸν τροχὸν ἐμπηγνύμενον τῷ ἄξονι, παραξόνιος. Vertit Gualtherus: *Sed clavus, rotam axi infixam cohibens, paraxonius.* At Græca nihil continent de clavo. Itaque sic verti debent: *Illud vero, quod non sinit excidere rotam, infixum axi, paraxonius.* Non rotam axi infixam dixit, ut accepit Gualtherus, verum id, quod rotam continet. Id axi circa extremum infigi solebat. Fuit tamen revera nihil aliud, quam clavus. Atque ita clare nominavit Hyginus fab. LXXXIV. *Myrtilus currum junxit, & clavos in rotas non conjecit.* Quando ait, *clavos in rotas non conjecit*, vult non immisisse axi, atque sic clausisse rotas, quod Græcis est παραξονίους οὐκ ἐμπηγνῦναι τῷ ἄξονι. Sidonio est *obex* in Panegyrico Antemii, ubi de Œnomao:

—— Natæ quem fraude cadentem
Cerea destituit resolutis axibus obex.

Pro παραξονίῳ Gorgias usurpavit ἐπίβολον, Eratosthenes ἔμβολον, quod Pollux similiter annotavit. In Glossis Græcis video non ἔμβολος in primo casu, sicut legitur apud Pollucem, verum ἔμβολον haberi, modo integra sic scriptura. Verba ista sunt: Εμβολον τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον ξύλον. *Axedo.* Non potest mea sententia ἐμβαλλόμενον εἰς τὸν ἄξονα, id est, quod axi inferitur, intelligi aliud quidpiam, quam clavus. Quem ostendunt fieri ex ligno consuevisse, quando vocant ξύλον. Quanquam non existimem, perpetuum hoc fuisse. Verosimilius enim, habuisse ferreum. Cereum fecit Hippodama in curru Myrtili. Schol. Apollon. I. v. 752. Ἐμβαλόντα κήρινον ἔμβολον ἐπὶ τοῦ ἀκραξονίου, &c. Sed hoc dolo ab ea factum, ut ab Œnomao in certamine curruli vinceretur. Vulgo sine dubio ex ferro fuit, sive ligno, ut nos Glossæ docent. In quibus simul Latinum *axedinis* vocabulum, quo ἔμβολον exponunt, annotandum est. Neque enim alibi opinor reperiri. Atque potest fieri, ut formatum sit ab ἁμαξηδονίῳ, Græca voce, nam & illa obicem significat, qualem hic exponimus. Eustath. Iliad. E. Ενήλατα, πασσαλίσκοι, κωλύοντες ἐξιέναι τὸν τροχὸν, τὰ καλέμενά φασιν ἁμαξηδόνια. *Enelata, paxilli, qui prohibent excidere rotam, eadem vocari ajunt hamaxedonia.* Sunt plane hamaxedonia paxilli dicti, unde forsitan axedines, Latinis. Iidem etiam ἐνήλατα, ut constat ex Eustathii his verbis Atque ita usurpavit etiam Euripides, cujus propterea Scholiastes ἐνήλατα exposuit πασσαλίσκους, ἢ τὰ ἐμβαλλόμενα πρὸς τῷ ἄξονι, ὥστε μὴ ἐξιέναι τὸν τροχὸν, iisdem propemodum, quibus Eustathius, verbis. Quod autem censet Argolus in Notis ad Onuphrii de Ludis Circensibus lib. I. p m. 4. dictos quoque clavos hosce σύριγγας, id plane falsum est. Verba ejus hæc sunt: *Obex paxillus est, qui in foramen axis immittitur, σύριγξ Græcis.* Schol. Sophoclis in Electra: Σύριγξ δ' ἐστὶ τὸ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ βαλλόμενον μέρος, id est, πάτταλος τοῦ ἀξονάος πλήμνη ὁ πλήσμη *significatur apud Schol. Apoll. lib.* I. Prave hæc excusa sunt, puto enim pro ἀξονάος, quod est nihili, scripsisse ἄξονος. Cæterum obicem Scholia quæ laudat, nunquam σύριγγα exponunt. Dicunt esse τὸ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ βαλλόμενον, *quod inferitur foramini rotæ.* At clavus seu paxillus, qui Latinis *obex*, non rotæ foramini inferitur, sed axis. Τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον dicebant supra Glossæ. Sed nec, quod de voce πλήμνη addit, hilum valet, longeque diversum tradit Scholiastes Apollonii lib. I. v. 757. Πλήμνη ait τὴν χοινικίδα σημαίνει τοῦ τροχοῦ. Dicit partem esse rotæ, quæ Græcis χοινικὶς vocatur. Obex autem rotæ pars non potest appellari. Quare hic, ut multis locis aliis, Argolus est lapsus. Pertinet ad clavum nunc, quod ἐμβολοδέτης Græcis. Ita namque habet Pollux sæpe dicto loco: Ὁ δὲ τοῦ παραξονίου δεσμὸς, ἐμβολοδέτης. Vertit Gualtherus: *Sed paraxonii vinculum, axiligator.* Quæ verba quid significent, non video. Ac primum quidem evidentius haud dubie pro Græco *paraxonii*, scripsisset *clavi obicisve*. Deinde quid est *axiligator?* Non enim ἐμβολοδέτης; cum ipse prius ostenderit Pollux, ἔμβολον significare idem ac παραξόνιον, id est, *clavum*. Debuisset igitur ad hanc formam potius *claviligatorem* reddidisse. Denique nec *vinculum* hic satis intelligitur. Ego plane censeo, ἐμβολοδέτην esse pinnulam, seu aciculam, quæ trajicitur per clavum sive obicem, ne possit excuti per

jactationem axis. Solet enim & in clavi extremo exiguum foramen fieri, & per illud transmitti ferramentum longius bifidumque, ac ab altera parte reflecti, quo firmius obhæreat, prædicto fine. Atque ob hanc causam nominatus est ἐμβολοδέτης, quia ligat, vincit, continet obicem seu clavum. Cæterum ad axem ipsum spectat, quod est ἁμαξήπους Græcis. Pollux, lib. I. c. 14. Καθαραίαις ἐφαρμόζονται αἱ ἁμαξήποδες, ἀφ' ὧν ὁ ἄξων ἕλκεται στρεφόμενος. Gualtherus: *Catharæis axis cardines adaptantur, a quibus axis conversus trabitur.* Vertit *axis cardines*, quod Pollux dixit ἁμαξήποδες. At Vitruvio Latine sunt *arbusculæ*. Verba extant lib. x. cap. 20. *Supponanturque in singulis intervallis eorum arbusculæ, quæ Græce* ἁμαξόποδες (ita vocat ipse, non ἁμαξήποδες, ut Pollux) *dicuntur.* Et capite sequenti: *Hæ in arbusculis, sive amaxopodes dicantur, habuerant versationes.* Debuisset igitur Pollucis locum ita reddidisse: *Catharæis adaptantur arbusculæ*, &c. Quales autem hæ arbusculæ? Prodit Vitruvius verbis, quæ sequuntur priore loco allata: *Græce* ἁμαξόποδες *dicuntur, in quibus versantur rotarum axes, conclusi laminis ferreis.* Liquet, fuisse machinulas, eo pertinentes, ut in iis verti possent axes. *In iis* signanter dico, ita enim idem cap. seq. *Hæ IN ARBUSCULIS habuerunt versationes.* Atque ita voluisse etiam Hesychius videtur: Ἁμαξίποδες (sic vocat ipse, non ἁμαξόποδες, aut ἁμαξήποδες, convenientemque sibi habet Athenæum, cujus verba post citabo) τῆς ὑπερτερίας τὰ εἴδη, τὰ τοῖς ἄξοσι προστιθέμενα στρεφομένοις περὶ αὐτά. Dicit, axibus apponi, hosque verti circa illas. Περὶ αὐτά pro eo habet, quod Vitruvius posuit, *in arbusculis.* Sed quæ hic τὰ εἴδη? Species, respondet Baldus in Lexico Vitruviano. Verba ejus, ubi de voce ἁμαξίποδες: Græca vox denotat ἁμάξης πόδα, id est, *currus pedem. Obscure Hesychius, speciem esse hyperteriæ, appositam axibus, qui circa ipsam vertuntur.* At si Hesychius speciem hyperteriæ voluisset dicere, scribere τῆς ὑπερτερίας εἶδος debuisset, non τὰ εἴδη, neque speciem se intelligere ostendit, & ὑπερτερίας unius in vehiculo τὰ εἴδη fuisse plura. Quid igitur dicemus? An τὰ εἴδη denotare partes, qualescunque denique? Quomodo Plato in Polit. II. usurpavit δύο εἴδη, pro duabus animi partibus, una, quæ voluptate alitur, altera, in qua irarum ardor, sicut Tullius exposuit: An potius, corruptam illam esse vocem mutilamve. Videtur enim ea Hesychius exprimere vel describere partes illas voluisse. Adde, quod significatione altera τὰ εἴδη rarius dicantur, ac propterea non videantur expositionis loco potuisse usurpari. Et quid? Si legamus τὰ εἴλη, atque exponamus *vertibula*, ab εἴλω vel εἰλέω, quod idem est, ac στρέφω, id est, *verto.* Erant enim plane versationibus axis destinata. Vitruvius: *Eæ arbusculæ ita sint temperatæ, ut habeant cardines & foramina, quo vectes trajecti versationes earum expediant, uti ante, & post, & ad dextrum seu sinistrum latus, sive oblique ad angulos opus fuerit, ad id per arbusculas versati, progredi possint.* Observa, quod Vitruvius arbusculas ipsas hic faciat versatiles, iisque conversis verti machinam ostendat, quæ verti alias non possit, nisi per has arbusculas. Quomodo & Pollux supra, ἀφ' ὧν ὁ ἄξων στρεφόμενος. Quasi harum ope factoque axis vertatur. At hoc repugnat superioribus, in quibus dicebat, axes versari non per arbusculas, sed *in arbusculis.* Neque aliter habet Athenæus, unde sua Vitruvius videtur desumsisse. Verba citant Daniel Barbarus ad Vitruvium & Turnebus lib. XXIII. Adv. cap. 33. Στρέφονται δὲ ἐν ἁμαξίποσι. Dicit clare,

A ἐν ἁμαξίποσι, non ἀφ' ἁμαξιπόδων, uti Pollux loquebatur. Verum sine dubio arbusculæ Vitruvianæ a vulgaribus nonnihil differebant. Exigit profecto cardines Vitruvius in ipsis, item foramina, quod non fuisset opus nominatim fieri, si cardines hujusmodi & foramina habuissent etiam vulgares. Præterea in Polluce illud ἀφ' ὧν non ad στρεφόμενος, verum ἕλκεται fortassis referendum. Denique omnino arbusculas vulgares existimo fuisse stipites, seu ligna crassiora, per quorum medium transibat axis, sic, ut in illis verteretur, & si versus esset, simul verterentur illæ, simulque cum illis ὑπερτερία, de qua in sequentibus. B Puto enim impositam ipsis ὑπερτερίαν fuisse, hocque voluisse Hesychium, quando dixit τῆς ὑπερτερίας τὰ εἴδη. Nimirum axis quælibet unam habebat arbusculam in medio, cui ὑπερτερία incumbebat, affixa arbusculæ, ut credo, interventu ligni suffixi, quod a Græcis καθαραία dicebatur. Erat autem lignum ab uno latere hyperteriæ pertinens ad alterum, cui hamaxapus seu arbuscula inhærebat. Pollux supra dicto loco: Ὑποπήγνυται αὐτοῖς (πλευροῖς τῆς ὑπερτερίας) ξύλα, ἃ δὴ καθαραίαι ὀνομάζονται. Οἷς ἐφαρμόζονται οἱ ἁμαξίποδες. *Suffixa vero ipsis* (lateribus hyperteriæ) C *sunt ligna, quæ catharææ dicuntur, quibus adaptantur hamaxopodes vel arbusculæ.* Sed hæc rectius discentur ex imagine totius rei.



D a. Est arbuscula. b. Axis transiens per arbusculam, & sic ἐν ἁμαξίποδι, seu in arbuscula, ut loquuntur. c. Laminæ ferreæ, quibus utrinque arbuscula concluditur. d. Clavus, cui imposita erat ὑπερτερία, sic, ut sequi arbusculam & axem cogeretur. e. Sunt obices. f. Ἐμβολοδέται seu claviligatores. g. Ἀκραξόνια. Dixi, quamlibet axem unam habuisse arbusculam, & quia sub ὑπερτερίᾳ axes duæ, ideo recte τῆς ὑπερτερίας fuisse dicuntur τὰ εἴδη. Omnino enim tale genus intellexit Pollux, quod cum rotis esset quatuor, & axibus duobus, ubi arbuscularum vel ἁμαξιπόδων facit mentionem. Quod propterea hic addo, quia fuit E genus aliud vehiculorum, quod non nisi unum axem habuit. Scilicet, quot rotarum paria quodque genus, tot simul habebat axes, sicut hodieque videmus. Erantque hi axes non re ipsa modo a se mutuo, sed & vocabulis distincti, quando alius *primus*, alius *secundus* dicebatur. Persius sat. v. vers. 80.

——— Quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras & in axe secundo.

F Hic secundus axis, qui posteriores rotas continet, id est, eas, quæ ab jugo equisque longissime distant. De quibus, ut & cæteris rotis, amplius aliquid nunc est dicendum in sequenti capite.

CAP. VI.

De Rotis.

Rotæ quid & unde. Isidorus refellitur. Orbitæ. Virgilius exponitur. Τροχὸς. Κύκλος. *Tympanum. Pignorius & Pætus notati. Cardo axis. Rota radiata. Radii.* Κνῆμαι. Κνῆμαι. Κερκίδες. Οκτάκνημα κύκλα. *Homerus explicatur contra Eustathium & Scholiasten Pindari.* Οπαὶ, κενὰ, κειώματα τροχῶν. *Diaconus exponitur. Nova significatio vocis* πλήμνης. Τόρμος. *Orbile. Varro exponitur contra Turnebum & Scaligerum, simulque corrigitur. Orbis rotarum, curvatura, flexura.* Κύκλος, περιφέρεια. *Scholia Homeri emendantur.* Ιτυς. *Orbes quomodo inflexi. Plinius exponitur.* Αψις. *Hesiodi versio notatur.* Αμαξα *pro rota.* Τελαπίθαμον. Κύκλος τροχικὸς. Αψὶς *nova significatione. Zetzes exponitur.* Βυμβολαὶ, ἁρμόσεις ἀψίδων. Γλοσσίδια. *Lingulæ.* Σῶτραι. Σωτρώματα. *Vieti. Glossæ liberantur a correctione.* Ιμάντες. Επίσωτρα. Κανθὸς. *Canthus. Turnebi locus. Trochus puerorum, rota, rotula. Martialis explicatur & Propertius. Clavis. Increpare adunca trochi. Orbis. Trochi adunca quæ. Trochum versare. Argutum æs trochi. Diomedes emendatur. Rota vertitans. Rotæ volumina. Scaliger notatur. Vieti. Orbes.* Αετὸν. *Versio Pollucis rejecta.* Πλημνόδετον. Θώραξ. Τέλει τροχȣ. Απαρνον, Γάρνον. Γάρκον. Δέστρον.

AXI, de quo hactenus est dictum, inseruntur rotæ. Sunt autem rotæ orbes circulive, qui axem & vehiculum cum axe sustinent, motuque suo ac circumvolutione promovent ad ulteriora. Dictas rotas putant, quod ruant, id est, cursu præcipiti ferantur. Isidorus: *Rota dicta, quod ruat.* Atqui tali cursu non semper, ac ne frequenter quidem utuntur. Itaque nec amplecti possum, quod volebat Vossius, quasi veniant a ῥοθεῖν, quia signet non tantum strepitum edere, sed etiam cum impetu ferri. Sane rotæ gradu sæpe lentissimo incedunt, præsertim, cum vehicula sunt gravata onere. Mihi dictæ potius a forma videntur, quia sunt rotundæ. Rotam sane pro rotundo usurpari pridem annotarunt viri docti, unde *rota Solis*, ejus circulus. Et in aliis vocabulis linguarum quoque aliarum, quæ significant orbiculatum quidpiam vel rotundum, similitudo vocis hujus deprehenditur, qua de re occasione alia. Rotas a Latinis aliquando quoque dici *orbitas*, ignoro, an Asconio credendum. Verba ejus extant ad Verrinam III. *Orbita duas res significat. Nam orbita & rota ipsa intelligitur, & vestigium rotæ in molli solo.* Saltem sic accipiunt nonnulli illa Virgilii lib. III. Georg.

> *——Juvat ire jugis, qua nulla priorum*
> *Castaliam molli divertitur orbita clivo.*


Videturque juvare Servius, quando illa sic exponit: *Dispono ire per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam.* Nam *egit orbitam* potest accipi pro egit rotam, egit vehiculum. Sed inclino magis eo, ut *agere orbitam* existimem sic dici, sicut *agere fossam*, vel *agere cuniculos*, producere, imprimere, infodere. Sic locus ille Virgilii huc nihil pertinebit. Neque alibi recordor orbitam hoc sensu legi. Græcis vulgo est τροχὸς. Philoxenus: *Rota*, τροχὸς. Homero quoque κύκλος. Pausanias apud Eustath. Ομηρος ꝺ τ̃ μὲν τροχον ὅλον, κύκλον ὀνομάζει. *Homerus rotam totam vocat cyclum.* Homeri locus est in Odyss. Ψ. quem adducere nil attinet. Idem ex hac causa Odyss. Z. initio ἐυκυκλον ἀπήνην appellavit. Scholiastes: Εὔκυκλον, ἔυτροχον. Κύκλοι γὰρ οἱ τροχοί. Dicit ipse quoque, rotas cyclos appellari. Est & ἄμπυξ rota apud Græcos. Hesychius; Αμπυκες, τὰ διαδήματα, ἢ χαλινοὶ, ἢ τροχοὶ, ὡς Σοφοκλῆς ἐν φιλοκτήτῃ, διὰ τὸ κυκλοτερὲς. Verba Sophoclis sunt ista:

> Ποτὲ τ̃ Διὸς Ιξίονα κατ᾽ ἄμπυκα
> δρομάδα δέσμιον. ——


Agit de supplicio Ixionis, quem fuisse alligatum rotæ, notum. Ergo ἄμπυξ, rota. Sed hoc usurpatum ita per metaphoram, non proprie, quod Eustathius testatur, nec ab alio, nisi Sophocle, ut de eo laborare longius minime necesse videatur. Fuerunt autem rotæ apud veteres non ejusdem omnes generis, aliæ simpliciores, elaboratiores aliæ. Simpliciores erant factæ simplicibus ex tabulis, neque radios habebant ullos. Latini tympana vocabant. Meminit Virgilius Georg. II.

> *Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris.*

Male Servius: *Tympana, tecta vehiculorum*, nec enim plaustra tecta fuere, rustica quippe, ac oneribus gestandis facta. Rectius Philargirus: *Rotas, ex solidis tabulis factas, tympana appellavit.* Bene autem tympana plaustris tribuit Virgilius, hoc enim genere, nec alio, temere incedebant. Probus ad Virg. I. Georg. v. 163. *Imperiti plaustra plostra appellant. Sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur, nam rotæ circa ejusdem cardinem adhibentur.* Locus memorabilis, qui nobis ista tympana describit pluribus. Nam præterquam quod eorum usum fuisse ostendat in plaustris, nec habuisse radios, docet etiam de axe, quod non fuerit ab ipsis separabilis, sed infixus firmiter, sic, ut una cum iis circumageretur. Non igitur delineatum recte tympanum a Pignorio in de Servis, pag. m. 87. ista specie: licet sic, sed perinde male, expresserit & Pætus.



Si tympanum in medio axem habuit rotundum, sicut hic exhibetur, non potuit in eo esse firmus. Longe melius, & omnino specie verissima, exhibetur ex antiqua tabula marmorea, venationem continente, Tetio in descriptione ædium Barbarinarum. In ea videas clarissime tympanum cum axe quadrata, non rotunda, quod omnino fuit necessarium. Proponam ejus effigiem, quia habet omnia locum hunc explicantia.



Habes hic primum axem plane quadratum, quem circumagi cum rota utique necesse est. Deinde circum axem canthum ferreum, quo axi jungitur. De cætero tympanum est planum, e tribus tabulis conjunctum, & asseribus transversis firmatum. Nec modiolus in eo ullus, quod notandum. Hoc enim est, quod ajebat Probus, *rotæ adhibentur circa axis cardinem*. Cardo axis ejus est extremitas, quæ hic cardo dicitur, quoniam cum ea axis ipsa & in axe rota tympanumve vertitur. Circa eam adhibetur rota, quando ibi firmatur apponiturque. Atque tympanis ejusmodi instructa rustica pleraque vehicula fuere. Cætera habuere rotas, quas ad differentiam tympanorum Probus nominavit *radiatas*. Nempe non ex solidis fuere tabulis, sed habuerunt radios. Dicti autem *radii* sunt baculi modiolo infixi, indeque procedentes ad absides. Græci appellarunt κνῆμας. Pollux: Αἱ ἐνηρμοσμέναι τῇ ἀψῖδι ῥάβδοι, κνῆμαι. *In apsidem infixi baculi dicuntur cnemæ.* Hesychius sic habet: Κνῆμαι, τὰ διερείδοντα ξύλα τὴν χοινικίδα τοῦ τροχοῦ, αἱ κερκίδες, αἱ τῶν τροχῶν ῥάβδοι. *Cnemæ infixa ligna in modiolum rotæ, radii, rotarum baculi.* Quibus verbis discimus, appellasse etiam κερκίδας. Numerus eorum antiquissimus in rotis quaternarius fuisse videtur. Ixionis profecto rotam Pyndarus in Pythiis Od. 2. facit talem. Quanquam Scholiastes factum putet, ut respondeat is radiorum numerus membris rotæ illigatis, id est, brachiis duobus & duobus cruribus. Vulgo enim habuisse plures, nempe sex. Κνήμη, inquit, ἐστὶν ἡ τοῦ τροχοῦ ῥάβδος, ἡ διήκουσα ἀπὸ τῆς χοινικίδος ἐπὶ τὸν κύκλον. Οἱ δὲ ἁρμάτειοι τροχοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἑξάκνημοί εἰσιν. Οἱ δὲ τῶν Θεῶν, διὰ ὑπερβολὴν κόσμου παρὰ τῷ Ὁμήρῳ ὀκτάκνημοι λέγονται. *Cneme seu radius est rotæ baculus, procedens a modiolo ad orbem. Vehiculariæ autem rotæ hominum habent radios sex. Deorum vero decoris quadam excellentia ab Homero dicuntur octo radiatæ.* Homeri locus, quem respexit, legitur Il. E.

Ἥβη δ' ἀμφ' ὀχέεσσι θοῶς βάλε καμπύλα κύκλα
Χάλκεα, ὀκτάκνημα, σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφίς.

Hic ὀκτάκνημα κύκλα sunt rotæ cum radiis octo. Nam κύκλα sunt κύκλοι. Hesychius: Κύκλα, οἱ κύκλοι, τροχοί. Ὀκτάκνημα vero, ὀκτὼ κνήμας ἔχοντα, sicut idem explicat. Eustathius his ita: Ὀκτάκνημα, τὰ ὀκτάραβδα διὰ πλείω στερρότητα. Κνῆμαι δὲ νῦν, αἱ ἀπὸ τῆς ἔσω χοινικίδων ἕως τῆς ἔξω περιφερείας ῥάβδοι. Οὕτω ῥηθεῖσαι πρὸς ὁμοιότητα ζωικῆς κνήμης ὑπανεχούσης τὰ ἐπικείμενα. *Octacnema, octo cum baculis propter majorem stabilitatem. Cnemæ namque hic baculi, qui ab interiori modiolo usque ad circumferentiam exteriorem procedunt, ita dictæ ad similitudinem tibiæ, in animali sustentantis ea, quæ ipsi incumbunt.* Putat Eustathius, numerum hunc radiorum adhibitum firmitatis causa. Et profecto,

A quo in rota radii sunt plures, hoc ut firmior sit, necesse est. Verum tamen neque hoc opinor attendisse, sed potius numerum apsidum. His enim vix immitti possunt pauciores radii, duobus. Prout itaque apsides in rota plures sunt, hoc radii postulantur plures. Plures autem apsides in rota magna, quam in parva. Jam cum olim rotis uterentur parvis, atque tribus, ut opinor, tantum cum apsidibus, sex radiis contenti esse poterant. Dii autem cum haberent rotas majores, (quippe quorum omnia humanis esse debent majora speciosioraque) & sic apsides in iis quatuor, radios simul requirebant octo. Ut non decoris tantum caussa, quod
B putabat Scholiastes Pindari, sed & ob necessitatem hoc sic factum fuerit. Quin imo, cum deinde rotæ pleræque apsides haberent quatuor, ut post dicam, mansisse in illis numerus iste radiorum octo videtur. Ita habes rotam cum octo radiis in vehiculo quadrigarum apud Philippum Rubenium lib. I. Ant. cap. 30. & in gemma Augustæa apud Albertum Rubenium. Cum simili numero aliquam in carpento Agrippinæ exhibet nummus antiquus, qui est penes me, expressus alias in nummis Ducis Croyiaci tab. 18. Et aliam in vehiculo Isidis apud Boissardum P. III. p. 47. Quin imo communiter
C vehicula omnia in columna Trajani cum ejusmodi rotis exprimuntur. Neque scio, annon ille quoque auctus postea sit numerus. Certe in auctore veteri de rebus bellicis Currodrepanus rotas habet cum radiis decem, vice tertia. Similiter ibi videas in Balista quadriroti. Sidonius tribuere ipsis radios duodecim videtur Carm. XXIII. v. 410. uti ad hunc modum loquitur;

Intrat turba rotas, quaterque terni
Arctantur radii, repleta donec
Intervalla crepent. ———

D Agit ibi de certamine curruli & quadrigis, quas ostendimus, habuisse temporibus Augusti rotas cum radiis octo. Non igitur vero simile, diminutum postea illum numerum, & infirmiores rotas illas factas, atque adeo duodecim hos radios Sidonii de rotis duabus exponendos esse. Potius existimo ad singulas pertinuisse. Atque hinc jam id est ab his radiis *rotæ radiatæ*, sicut supra diximus Probum appellare. *Sunt vehicula*, inquit, de plaustris agens, *quorum rotæ non sunt radiatæ*. Neque ipse solus ita nominavit, sed & Varro lib. III. de R. R. cap. 5. quando ait: *Pro mensa sustinet rotam radiatam.* Græci ipsas σκυταλωτὰς nuncupavere. Auctor E-
E tymologici: Σκυταλωτὰς τροχὰς, ῥαβδωτάς. Ἡ σκυτάλη παρ' Ἀττικοῖς βακτηρίαν σημαίνει. Videntur ex hoc loco nominasse quoque ῥαβδωτάς. Nempe passim κνήμας sive radios ῥάβδους exponunt in superioribus. Hesychius: Κνῆμαι, αἱ τῶν τροχῶν ῥάβδοι. Scholiastes Pindari: Κνήμη, ἡ τοῦ τροχοῦ ῥάβδος. Atque ita alii. Cæterum hos radios jam ante indicavimus infixos in medio quidem ligno tereti ac cavo, quod Græci vocant χοινικίδα. Ita enim vidimus ex Hesychio, Eustathio & aliis. Hesychio non tantum χοινικὶς est, verum & χοινίκη. Χοινίκη, ait, τοῦ τροχοῦ ἐν ᾧ στρέφεται ὁ ἄξων. *Chœnice est rotæ illud, in quo vertitur axis.* Non satis commode sic descripsit.
F Axis certe non vertitur in chœnice, sed vice versa chœnice in axe. Debuisset itaque, ἣ στρέφεται ἐν τῷ ἄξονι. Sed hæc ita solent excidere. Idem auctor est, vocari quoque χνόαι. Verba ejus: Χνόαι, αἱ χοινικίδες, αἱ τοῦ ἄξονος σύριγγες. Male viri docti locum istum sic accipiunt, quasi sermo de re una sit eademque. *Nominat sic*, inquiunt, *modiolos fistulasque, quibus axis inditur.* At σύριγγες τοῦ ἄξονος non significant *fistulas, quibus axis inditur*, verum *axis* ipsius *syringas*, de quibus dixi præcedenti

capite. Ergo vult hanc vocem denotare duo, & syringas illas, & chœnicidas. Latinis sunt *modioli*. Glossarium Græco-Latinum: Χοινικὶς ἡ τοῦ τροχοῦ. *Radia. Modiolus.* Bene *modiolus*, sed quid illud *radia?* Ego arbitror fuisse primum *Radia, Modiolus*, ut significaretur compendio scripturæ modiolum intelligendum *radiorum*, id est, eum, in quo fixi sint radii. Nempe plura modiolus significat, ut vas aquarium, poculum, & id genus. Itaque ne quis erraret, illud de radiis adjiciendum videbatur. Cæterum modiolus a modio est dictus, cujus speciem utcunque referebat. Erat enim instar ejus rotundus, atque intus cavus, planeque perforatus Foramen istud Græci πλήμνην appellabant. Pollux: Αὐτὸ δὲ τὸ περιειλούμενον τῷ ἄξονι, πλήμνη. *Quod circa ipsum axem volvitur, plemne.* Antecedit apud ipsum: Τὸ κενὸν τοῦ τροχοῦ τὸ ἐναρμοζόμενον τῷ ἄξονι, σύριγξ. *Cavum rotæ, quod inseritur axi, syrinx.* Unde patet, non modiolum integrum vocasse πλήμνην, sed illius foramen. Modiolus integer ei σύριγξ est, πλήμνη ejus foramen. Atque sic Hesychius: Πλήμνη ἡ χοινικὶς τοῦ τροχοῦ ἢ τῆς σύριγγος, ἀπὸ τοῦ πληροῦσθαι ὑπὸ τοῦ ἄξονος. *Plemne est chœnicis rotæ vel syringis, ex eo, quod ab axe impleatur.* Facit clarissime πλήμνην partem τῆς σύριγγος, & quidem eam, quam expleat axis. Explet autem foramen, quando illi immittitur. Ergo πλήμνη foramen, & foramen σύριγγος, quæ iccirco erit corpus totum. Neque aliter accipiendus est Hesychius, quando ait, συρίγγιον, τροχοῦ κένωμα; idem enim est συρίγγιον & σύριγξ. Et quod ipse ait κένωμα τροχοῦ, Pollux τὸ κενὸν τοῦ τροχοῦ appellavit. Phavorinus optime: Πλῆμναι, τὰ μέσα τῶν συρίγγων, εἰς ἃ ἐντίθενται τὰ τοῦ ἄξονος ἄκρα *Plemna sunt syringum medietates, in quas immittuntur axis extrema.* Facit syringes corpora tota, plemna vero media eorum, id est, foramina & cava. Quod notandum, quia sunt, qui σύριγγας accipiunt de ipsis foraminibus, & easdem faciunt cum πλήμναις. Eustathius ad Iliad. E. Εἰσὶ δὲ πλῆμναι, αἱ τῶν τροχῶν χοινικίδες, ἤτοι σύριγγες, ὅ ἐστιν ὀπαὶ, ἃς τινες καὶ χνόας φασὶ, ὡς δηλοῖ καὶ Σοφοκλῆς. Ἤγουν τὰ μέσα τῶν εἰρημένων συρίγγων, εἰς ἃς ἐντίθενται τὰ τοῦ ἄξονος ἄκρα, πλῆμναι καλούμεναι διὰ τὸ πλήθεσθαι ἢ πληροῦσθαι ὑπὸ τοῦ ἄξονος. *Sunt vero plemnæ rotarum chœnicides vel syringes, id est, foramina, quæ nonnulli quoque chnoas nuncupant, ut & Sophocles ostendit Vel medietates dictorum syringum, in quas immittuntur axis extrema, plemnæ dictæ, quod impleantur ab axe.* Quando ait, ὅ ἐστιν ὀπαὶ, non sic accipiendum est, quasi nuda intelligat foramina. Ita enim sequi non posset, ἤγουν μέσα τῶν συρίγγων. Neque enim μέσα συρίγγων sive syringum medietates aliud, quam earum foramina. Sed ὀπαὶ, quæ Polluci κενὰ, Hesychio κενώματα τροχῶν, id est, ligna tota perforata. Nempe πλήμνας ostendit aliquando significare non foramina tantum, verum ligna tota perforata. Et hoc est, quod Galenus ait com. 2. in περὶ ἀγμῶν, τὴν καλουμένην χοινικίδα τοῦ τροχοῦ, πλήμνην ὑπὸ τῶν Ἰώνων λέγεσθαι. *Chœnicida vocatam rotæ, ab Ionibus appellari plemnen.* Dicit autem amplius Eustathius, vulgo esse τὰ μέσα συρίγγων, vel, quod idem est, χοινικίδων. Quomodo fortassis est accipiendus & Diaconus ad Hesiodi Op. II. ubi ait: Πλήμνη ἡ τοῦ τροχοῦ τρύπη, ἡ πληρουμένη ὑπὸ τοῦ ἀξονίου, ἢ πλῆμναι τὰ αὐτὰ ἀκροξόνια. *Plemne foramen rotæ, quod impletur ab axe, vel plemnæ ipsa acroxonia* Nota, πλήμνας quoque accipi de ἀκροξονίαις, id est, eis axis partibus, quæ modiolis immittuntur. Neque enim alibi legisse memini hanc explicationem, præterquam apud unicum Eustathium, qui habet ita ad Il. Ψ. Τὸ ἄκρον τοῦ ἄξονος τὸ κατὰ τὸν τροχὸν, τοῦτο ἐστὶ πλήμνη τροχοῦ. *Summitas vel extremitas axis, quæ est in rota, ea plemnæ rotæ dicitur.* Sed de πλήμνῃ satis Ait Hesychius, vocasse quoque τόρμον. Verba ejus: Τόρμος, ἡ πλήμνη τοῦ τροχοῦ, εἰς ἣν ὁ ἄξων. *Tormus est plemne rotæ, in quem axem inserunt.* Fortassis a τορέω, quod sit terebratum, vel axem terat. Ad eundem fere modum Eustathius Iliad. E. nisi quod pro τόρμος scribat τόρμη. Verba ejus: Τόρμη, ἡ πλήμνη, εἰς ἣν ὁ ἄξων ἐνήρμοσται. *Torme, plemne, in quam axis immittitur.* Sicut autem radii ab una parte infixi erant modiolo, sic ab altera circulo modiolum exterius ambiente. Illum Varro videtur appellasse *orbile.* Verba ejus extant lib. III. de R. R. cap. 5. *In insula est columella, in qua intus axis, qui pro mensa sustinet rotam radiatam, ita, ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit, ut tympanum, in latitudinem duos pedes & semipedem, in altitudinem palmum.* Turnebus ad hunc locum lib. XXI. c. 23. *Est orbile rotunditas ipsius orbis, qui acutior est in fine, hic contra tabulam tympano similem habet.* At vero longe aliter exponit Scaliger. *Nihil,* inquit, *minus orbile est, quam id, quod vult doctissimus Turnebus. Nam procul dubio orbile vocat, quam Græci σύριγγα, & Poetæ χνόην. Id erat axis capitulum seu cardo, quod in modioli foramen conveniebat. Pro eo tabula cava ad modum tympani erat in summo impacta, quæ exciperet modium rotæ, ita, ut modius ipse in ejus cavum iniret, ut in acetabulum.* Postremo verba ita legit: *Ita, ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit, ut tympanum, in latitudinem duo pedes.* Dicit, orbile partem illam esse axis, quæ modiolo immittitur. Sed non satisfacit Nam postulare aliud verba, *ubi orbile SOLET esse*, videntur. Nempe ostendunt, alias quidem, & in rotis cæteris ibi esse consuevisse, at in hac illius loco aliud fuisse quidpiam. Jam si hic non fuit orbile, quomodo potest stare, quod præcedit apud Varronem: *Intus axis, qui sustinet rotam radiatam:* Si orbile, quod vult Scaliger, pars axis fuit, quæ modiolo immittebatur? Axis absque orbili Scaligeriano sustinere rotam non potest. Neque tamen probo, quod Turnebus habet de acumine in fine. Nam revera verba illa sunt corrupta. Puto autem ita corrigenda esse: *Ad extremum, ubi orbile solet esse, arcus cum tabula cavata sit.* Hoc enim Varro dicit, non fuisse in rota illa orbile, sicut in rotis cæteris, verum arcum, parti radiorum affixum habuisse, cum tabula subpacta, superne aperto foramine, ut imponi turdis cibus potusque posset. Itaque mox sequitur apud dictum Varronem: *Aqua calida & frigida ex orbi ligneo mensaque, quam dixi in primis radiis esse, epitoniis versis ad unumquemque factum, sic, ut fluat in convivam.* Orbem ligneum mensamque hic appellat, quam paulo ante tabulam cavatam, ut tympanum. Hanc verbis expressissimis fuisse ait *in primis radiis*, non in rotæ modiolo, quod Scaliger putabat. Mutat quidem in his verbis plurima Scaliger, ut opinionem suam tueatur. Verum frustra, quod liquebit omnia diligentius expendenti. Ait, aquam fluxisse ex radiis. Nihil tale Varro, mensam in primis radiis ponit. Ubi primos radios intelligit summos, id est, extremitates eorum, extrema ejus capita, quæ alias orbili solent immitti. Omnino enim per orbile circulum eum intelligit, de quo Turnebus, & nos ab initio locuti sumus. Curtio est *orbis rotarum*, quomodo paulo ante Varro *orbem ligneum* ad similitudinem hujus appellavit. Verba leguntur lib. IV. c. 9. *Aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant.* Nominatim vocat *rotarum* orbes, ut de nulla alia vehiculi parte, ac ne axis quidem possit accipi. Atque ita quoque Isidorus: *Orbita*, inquit, *vestigium carri, ab orbe rotæ dicta.* Nemo non per *orbem rotæ* hic intelligit extremum circulum, quippe qui revera solusque vestigium id facit. Virgilius similiter III. Georg.

—— *Et junctos temo trahat æreus orbes.*

Item aliquanto post:

—— *Ferratos sustinet orbes.*

Ubi *ferratos* appellavit propter canthos. Ovidius vocavit *curvaturam rotæ*, lib. II. Met. fab. 1.

——— *Temo aureus, aurea summæ*
Curvatura rotæ. ———

Pro curvatura Prudentius *flexuram* posuit in Psychomachia. Inspiciunt, ait, ubi pugnam Luxuriæ & Sobrietatis describit,

——————— *Radiorum*
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.

Græcis ad eundem fere modum est *κύκλος*. Scholiastes certe Pindari in verbis antea adductis, ubi de radio: *Ῥάβδος διήκουσα ἀπὸ τῆς χοινικίδος ἐπὶ τὸν κύκλον*. Hic plane *κύκλος*, quod Curtio est *orbis*. *Περιφέρειαν* appellavit Eustathius, similiter in verbis antea citatis. Atque sic & Dydimus, seu alius quicunque Homeri Scholiastes, ad Il. E. *Ἴτυς, ἡ περιφέρεια τοῦ ὀχήματος. Ἀψῖδες δὲ, ἐξ ὧν ἡ περιφέρεια γίγνεται τοῦ τροχοῦ*. Ita habet editio vulgata, verum mutilate, ut opinor. Ecquid enim *περιφέρεια τοῦ ὀχήματος*? Cum mox loquatur de apsidibus, & earum *περιφέρειαν* ostendat a se hic intelligi. Puto plane scriptum fuisse primo, *τοῦ ὀχήματος τροχοῦ*. Volebat enim auctor horum, quisquis est, verborum ostendere, sibi de *τροχῷ* hujus modi, non alio sermonem esse. Cæterum eodem loco discimus, Homerum nominasse *ἴτυν*. Verba Homeri:

Τῶν ἤτοι χρυσέη ἴτυς ἄφθιτος. ——

Harum (rotarum) *aurea est curvatura incorrupta*. Et sic Eustathius: *Γύρον ἴτυν, ἤγουν τὴν περιφέρειαν*. Idem ante Il. Δ. *Ἴτυν δὲ λέγει τὴν περιφέρειαν, ἀπὸ τοῦ ἰέναι, ὅ ἐστι περιιέναι καὶ περιάγεσθαι*. *Ityn vocat peripherian vel circum orbem, ab eundo, id est, circumeundo circumvolvendoque*. Habet his similia etiam Hesychius. Solebant autem veteres hos orbes arte singulari sic curvare. Qua de re Homerus dicto Iliadis loco:

Τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἐξέταμ' ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ.


Loquitur de arbore populo, *eam*, ait, *carpentarius quidem excidit ferro micanti, ut orbem rotæ flectendo conficiat pulchro currui*. Plutarchus in Pædia: *Οἱ ὀχηματικοὶ τροχοὶ πόνῳ καμφθέντες, οὐδ' ἂν γένοιτο, τὴν ἐξ ἀρχῆς δύναιντ' ἂν λαβεῖν εὐθυωρίαν*. *Rotas vehiculorum magno labore curvatas nullo possis conatu in pristinam restituere rectitudinem*. Vides plane, ad orbes illos non flexa sumsisse ligna, aut securi ad figuram orbis succisa accommodasse, verum arte laboreque inflexisse. Unde intelligimus mentem Plinii lib. XVI. cap. 43. quando ait de fraxino arbore: *Obedientissima quoque in opere fraxinus, eademque corylo hastis melior, cornu levior, sorbis lentior. Gallica vero etiam ad currus flexibilis*. Non aliam hic flexibilitatem intelligit, quam qua fraxinus curvatur flectiturque in rotas. Fiebat autem orbis non uno, verum pluribus ex lignis, quorum quodlibet a Græcis dicebatur *ἀψίς*. Propterea Scholiastes Homeri

A paulo ante: *Ἀψῖδες δὲ, ἐξ ὧν ἡ περιφέρεια γίγνεται τοῦ τροχοῦ*. *Apsides sunt, ex quibus peripheria, id est, orbis rotæ, conficitur*. Peripheriæ sive orbi uni plures tribuit apsides. Sed & Hesiodus ex hac causa facit trium solummodo spithamarum, lib. II. Oper.

Τρισπίθαμον δ' ἄψιν τάμνειν δεκαδώρῳ ἀμάξῃ.

Vertunt: *Trium palmorum curvaturam rotæ secato decem palmorum currui*, quod prodigiosum est. Quis enim currus ille decem palmorum? *Ἄμαξα* hic Hesiodo est *rota*. Proclus ad hæc verba: B *Συγκεῖται ἡ ἄμαξα, τουτέστιν ὁ τροχὸς, ἐκ τεσσάρων ἀψίδων*. Sed nec alterum est rectum. *Ἀψίς* non est curvatura rotæ, sed illius tantum pars una. Plane sicut alias quoque partes circuli sunt apsides. Hero Mj. Bibliothecæ nostræ in Defin. Geom. *Ἀψίς ἐστι τὸ ἔλαττον ἡμικυκλίου*. *Apsis est minor pars semicirculi*. Proclus ad Eucl. II. *Τὰ ἡμικύκλια καὶ τὰ τμήματα, καὶ αἱ ἀψῖδες, αἵ εἰσιν ἡμικυκλίων ἐλάσσονες*. *Semicirculi, & sectiones, & apsides, quæ sunt semicirculo minores*. Denique nec *τρισπίθαμον* trium est palmorum, sed trium spithamarum. Spithama palmos habet tres, ut *τρισπίθαμον* sit palmorum C novem. Tzetzes: *Ἡ σπιθαμὴ ἔχει δώρας, ἤγουν παλαιστὰς τρεῖς. Ὁ δὲ παλαιστής ἐστι δακτύλων δ.* *Spithama habet palmos tres, palmus autem constat digitis quatuor*. Itaque Hesiodi versus ita erit exponendus. *Trium spithamarum apsidem secato decem palmorum rotæ*. Decem illi palmi numerandi sunt secundum rotæ superficiem seu latitudinem. Tzetzes: *Τὴν μέσην δ' εὐθεῖαν τροχοῦ, νῦν δεκάδωρον ἄμαξαν φησί*. *Mediam superficiem rotæ vocat decem palmis constans*. Si media rotæ superficies decem est palmorum, integra erit ejus circumferentia palmorum circiter triginta; unde sequitur, trium spithamarum apsides seu palmorum novem D non de circumferentia integra, verum partibus illius tantum esse capiendas. Apsides igitur non integri sunt circuli, quod dicebamus, sed illius partes. Tamen Hesychius: *Ἴτυς ἡ ἐσχάτη ἀψὶς ἡ περιφέρεια*. *Ity. apsis extrema vel circumferentia*. Facit rem eandem *ἀψῖδα* & *περιφέρειαν*. Sic Pausanias apud Eustathium ad Il. E. Verba Eustathii: *Φησὶ γοῦν καὶ Παυσανίας, ὅτι ἀψὶς ξύλινος κύκλος τροχοῦ*. *Dicit Pausanias, quod apsis circulus ligneus sit rotæ*. Circulum vel *κύκλον* vocat, quod *περιφέρειαν* alii, seu orbem integrum, ut supra demonstratum est. Quemadmodum & Tzetzes ad Hesiodum: E *Πᾶσαν περιφέρειαν τοῦ ὅλου τροχοῦ, ἤγουν τὸν κύκλον*. Et paulo post: *Πᾶσαν περιφέρειαν εἶναι τοῦ τροχικοῦ κύκλου*. Ubi *τροχικὸν κύκλον* nominat cum addito, ad differentiam aliorum. Porro *κύκλον* hunc Pausanias *ἀψῖδα* nominat. Unde sequitur eandem esse aliquando *ἀψῖδα* & *κύκλον* seu *περιφέρειαν*. Hesychius iterum: *Ἀψῖδες, τὰ κύκλα τῶν τροχῶν, αἱ περιφέρειαι*. Non est dubium, quin orbes integros intelligat. Sed verius frequentiusque tamen *ἀψίς* pars est orbis ejus, sicut ab initio ostendi. Habebant autem rotæ vulgo partes sive apsides istiusmodi quatuor. Tzetzes: *Ἐκ τεσσάρων ἀψίδων συντίθεται ὁ τροχὸς τῆς ἀμάξης*. *Ex* F *quatuor apsidibus conjungitur rota vehiculi*. Proclus in verbis supra etiam adductis: *Σύγκειται τροχὸς ἐκ τεσσάρων ἀψίδων*. *Conjungitur rota ex quatuor apsidibus*. Hinc difficultas oritur in verbis antea ex Hesiodo adductis. Nam si quatuor sunt apsides in rota, quælibet vero spithamarum trium, seu, quod idem est, palmorum novem, necesse est, ut media latitudo rotæ sit palmorum duodecim. Nam, ut recte ait Tzetzes, *πᾶσα περιφέρεια κύκλου, τριπλασίων ἐστὶ τῆς οἰκείας διαμέτρου εὐθείας, πρὸς τῆς ἐκτὸς ἐπιφανείας τοῦ κύκλου*. *Omnis circumferentia*

A
circuli triplo major est diametro illius, quoad exteriorem circuli formam. At Hesiodus mediam illam latitudinem δεκάδωρον facit, hoc est, palmorum decem, non duodecim. Sed occurrit Tzetzes, ostenditque in describenda magnitudine apsidum respexisse ad exteriorem magnitudinem circuli, in describenda vero magnitudine latitudinis interiorem. Ita sane censeo voluisse verbis istis: Αἱ μὲν δέκα δωραὶ τῆς εὐθείας ἐν τῇ τοῦ κύκλου εἰσὶν ἔνδοθεν ἐπιφανείᾳ φαινόμεναι, περὶ ὧν καὶ διαλαμβάνει. Αἱ γὰρ δύο δωραὶ εἰς τὰς συμβολὰς συνεκρύβησαν, τὰς ἀπὸ τῆς ἐντὸς ἐπιφανείας, μέχρι τῆς ἐκτὸς, ἑκατέρωθεν τοῦ τροχοῦ μία δωρά. Sensus est: *Decem palmi*
B
superficiei sunt in circuli interiori facie evidentes, de quibus etiam accipitur. Nam palmos duos in commissuras habent accommodatas, quæ ab interiori facie ad exteriorem, ab utraque rotæ parte palmum dimidium. Interiorem circuli faciem expono, quod Tzetzes vocat ἐπιφάνειαν τοῦ κύκλου ἔνδοθεν, & intelligo curvaturæ sive orbis partem interiorem, quæ obversa est modiolo, & radios infixos sibi habet; sicut contra τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν partem oppositam, quæ ferro solet muniri. Hujus ambitus semper major est, quam alterius, quoniam distat longius ab axe, id est, centro. Hinc est, quod alteram, id est, interiorem, faciat pal-
C
mis duobus minorem. Dicit autem hos absumi per συμβολάς. Ubi συμβολὰς accipio de commissuris & conjunctionibus apsidum inter sese. Proclus appellavit ἁρμόσεις ad eundem Hesiodi locum. Δῆλον οὖν ὅτι τὰς ϛʹ. παλαιστὰς ἀναλῶσαι εἰς τὰ λεγόμενα γλωσσίδια ἑκάστης ἀψῖδος τῆς ἁρμόσεως τῆς εἰς ἀλλήλας. *Apparet igitur, quod sex palmi accipiantur ad lingulas, quas appellant, cujuslibet apsidis commissionis unius in alteram.* Η ἅρμοσις ἀψῖδος est apsidis unius conjunctio cum altera. Sed quid γλωσσίδια, sic speciatim in hoc opere vocata, sicut Proclus docet. Nil opinor aliud, quam clavi
D
lignei, qui a capitibus apsidum figuntur, ut eorum interventu altera alteram contineat. *Lingulas* haud dubie vocarunt etiam Latini. Hinc enim *tubi lingulati* apud Vitruvium lib. VIII cap. 7. *H. tubuli ex una parte sint lingulati, ut alius in alium inire convenireque possit.* Vides plane tubulos lingulatos, quos Græci dicerent τοὺς σὺν γλωσσιδίοις. Unde liquet, frustra esse viros doctos, qui perinde putant, sive *lingulati*, sive *ligulati* apud Vitruvium scribamus. Nam *ligulati* est a *ligulis*, quæ nil faciunt ad γλωσσίδια, quorum imitatione Vitruvius *lingulas* & *lingulati* posuit. Sed en tibi apsidem cum lingula, quæ alterius foramini debet
E
immitti.



F
a. Est ἀψίς, apsis. b. Γλωσσίδιον, lingula. c. Η ἐκτὸς ἐπιφάνεια, facies exterior. d. Η ἐντὸς ἐπιφάνεια, facies interior. e. Radii. Apsides vocantur quoque σῶστραι. Pollux: Η δὲ ἀψὶς, καὶ σῶστρα καλεῖται. *Apsis dicitur etiam sostra.* Σωστρώματα pro eo posuit Hesychius. Latinis sunt *vieti*, si audimus Augustinum. Verba ejus sunt lib. de Par. Dial. *Via dicitur a flexu, quia flexum velut incurvum vietum veteres dixerunt: unde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.* Retinenda est hæc lectio, quam docti viri alias sollicitant, si modo vieti sunt a vietum. *Vietum* enim est a *vieo*, id est, flecto. Nam quod in Glossis Stephani κανθὸς τροχοῦ, *urus* legitur, huc nihil facit, nec in *vitus* debet immutari, partim, quoniam a *vieo* non est *vitus*, partim, quoniam ibi non de *ligno* agitur, ut expresse Augustinus loquitur, verum *cantho*, quo lignum id ambitur. Quicquid ergo sit de *uro*, frustra *vitus* hoc in loco legi videtur. Sane si a via esset, *vitus* esset legendum. Verum hoc non dicit Augustinus. *Vietos* scribit, eosque vult esse a *vieto*, hoc a *vieo*. Vieo vero demum a *via*. Atque ista quidem ligna sunt, quibus rota componitur. Solebant autem ea variis muniri ferramentis etiam apud veteres, ne attererentur facile a crebra circumactione & labore cætero. Ac extremis quidem circulis inducebantur circuli alii ex ferro, qui Græcis sunt ἱμάντες. Hesychius: Ιμάντες, λῶροι καὶ τὰ κύκλῳ τῶν τροχῶν σιδήρια. *Himantes sunt lora & ferramenta circum rotas.* Nec non ἐπίσωτρα. Pollux: Τῶν δὲ περιειλημένων τῷ ἄξονι τροχῶν τὸ περὶ ταῖς ἀψῖσι σιδηροῦν, ἐπίσωτρον. *Rotarum porro circa axim circumvolutarum ferrum circa apsides, episotron.* Hesychius ἐπίσσωτρα, cum σ duplici, usurpat. Επίσσωτρα, τὰ ἐπικείμενα τοῖς τροχοῖς σιδήρεα ἐπὶ τῆς γῆς σωζόμενα. *Epissotra, incumbentia rotis ferramenta, eas integras servantia super terram.* Atque ita nominavit etiam Homerus Il. E. cujus Scholiastes vetus verbis pluribus: Επίσωτρα τὰ ἐπάνω τῶν τροχῶν σιδηρᾶ, ἢ χαλκᾶ, ἃ καὶ κανθοὶ καλοῦνται. Ο ἔξωθεν τὸν τροχὸν κατέχων σίδηρος, οἱ σιδηροῖ, ἢ χαλκοῖ κύκλοι τῶν τροχῶν. *Episotra sunt in summo rotarum ferramenta vel æramenta, quæ & canthi appellantur. Ferrum, quod exterius rotam continet. Ferrei vel ærei circuli rotarum.* Recte Scholiastes dicit, alias & κανθοὺς, id est, *canthos*, appellari. Suidas: Επίσσωτρα, οἱ κανθοὶ, τὰ ἐπάνω τῶν τροχῶν σίδηρα. *Epissotra, canthi, ferramenta in summo rotarum.* At Quintilianus vocem hanc pro Græca non agnoscit, verum Afra vel Hispana. Verba ejus extant lib. I. cap. 5. Inst. *Barbarismum pluribus modis accipimus, unum gente, quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus.* Vocem canthus facit Afram vel Hispanam. Et profecto apud Græcum veterem haud facile invenias. Casaubonus in Commentario ad Persium: *Neque nos sane apud ullum e veteribus Græcis id verbi meminimus legere. Etsi Grammatici Græci utuntur, sed tanquam petito e vulgi sermone.* Contra tamen Turnebus ad Quintiliani locum: *Videtur innuere Fabius, canthus esse dictionem Hispanicam. Hac tamen Homerus in Iliade est usus.* Sed vellemus demonstrasse notis verba Homeri locumque, ubi posuit pro ferro hujuscemodi. Nunc diu frustraque quærimus, ac ne aliis quidem annotatum reperimus. Interim ex illo sive Græco seu Hispano κανθὸς Persius primus suum formavit *canthus*, quod propterea Quintilianus perstrinxit. *Quanquam*, inquit post superius adducta, *eo, tanquam recepto, utitur Persius.* Persii locus est in Sat. V.

—— Quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum.

Persium secutus est Martialis lib. XIV. in apophoretis, tit. *trochus*:

Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Assimilat canthum trocho puerorum. Fuit autem

A trochus circulus magnus ferreus, quem pueri ludentes rotæ instar circumagebant. Itaque Latini quoque appellarunt *rotam*, sicut Græci, quod est idem, τροχόν. Præcedit enim apud Martialem proximo versu: *Inducenda rota est*. Ubi rotam aliam intelligit nullam, quam quæ eidem trochus mox vocatur. Plauto *rotula* videtur esse in Persa Act. III. scen. 3.

—— Citius jam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.


Scilicet de ludo puerili quia sermo est, diminutius uti maluit, B usurus simplici, si de vera & vehiculari voluisset loqui. Hanc rotulam non explicant satis viri docti. Dicunt ansa apprehensam in longum mitti consuevisse, ut volutaretur cum strepentibus annulis. Ansam illam Propertium appellasse *clavem*. Et leguntur verba Propertii lib. III. el. 13.

Quum pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & versi clavis adunca trochi.

Sed hic nil Propertius de ista trochi missione in longum. Clavem dicit increpare trochi versi adunca. C Ubi nihil aliud est *increpare*, quam efficere, ut quid strepitum vel sonum edat. *Adunca* vero *trochi* sint annuli ferrei, per trochum dispositi, qui commoti per trochi circumactionem, strepitum edebant. Unde Martialis lib. XIV. ep. 154.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Orbem Martialis vocat hic, quod in superiori loco *rotam*, quod notandum. Vel, adunca illa potius sunt denticuli mobiles, circulis sive annulis adjungi soliti, strepitus majoris gratia. Exhi- D buit in trocho veterum Hieronymus Mercurialis lib. III. Art. Gym. cap. 8. cujus etiam hic imaginem subjicio:



E Hic *a* sunt illa ipsa Propertii *adunca trochi*, sic dicta, propter capita utrinque leviter inflexa, ne F possent foraminibus, in quibus sursum deorsumque movebantur, facile excidere. Cæterum hæc adunca Propertius increpare ait clavem, quem nos intelligimus non ansam, qua apprehensus trochus mittitur, sed tenetur, atque circumvolvitur. Volvi enim, non emitti consuevisse docet ipse Persius, quando vocat adunca *trochi* non *missi*, verum *versi*. Hæc igitur adunca increpat clavis, dum trochum vertit, hoc est, rotæ instar crebro volvit. Quod fiebat positis decussatim funiculis duobus in trocho, qui facerent instar radiorum quatuor, & ubi se in medio tangunt, firmata clave, quæ axis loco erat, tenerique manu pueri solebat, ut, eo procurrente, rota sive trochus circa clavem circumvolveretur. Quale quid & hodie vulgatum esse per Germaniam consuevit. Sane si ejectus trochus fuisset, quod existimarunt viri docti, frustra dixisset Martialis, annulos istos sonoros in eo adhibitos, ut turba obvia illi cederet. Poterat enim ejici, ubi turba esset nulla. Et quomodo turba *obvia* trocho, qui ejicitur uno in loco? Nam, ut ejiciatur locis pluribus diversisque, non necesse est. At quando cum trocho currunt, utique currentibus passim obvia est turba, quæ isto circulorum strepitu submovetur. Circulos sive annulos expressos habes supra & signatos litera *b*. Additur iisdem tintinnabulum litera *c* notatum. Quod fortassis intellexit Martialis lib. II. per *argutum æs* in trocho.

Tam laxus, quam celer, arguto qui sonat ære,
trochus.

Quomodo Silius Italicus de cymbalis lib. XVII.

Circum arguta cavis tinnitibus æra.

Quando Martialis dicit *celer trochus*, idem videtur ostendere, quod diximus, currere videlicet cum trocho consuevisse. Sed & Plauti verba istuc pertinent superius adducta. Nam circumvertitur rotula in cursu sicut suo, sic præcipue illius, qui cum ea currit. Cæterum cum trochus iste puerilis similis rotæ fuerit, (quomodo & vocatum supra diximus, firmantque Glossæ veteres, Bulengero & Turnebo citatæ, in quibus, *trochus rotæ genus ad ludum, trochus ludentum rota*, legitur) abunde manifestum est, cur eum dixerit esse sibi posse canthum, Poeta Martialis. Martialem imitati sunt & alii in vocis hujus usurpatione. Nam & Diomedes lib. III. *Rotæ satis latus ac breviatus canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur*. Putat Casaubonus, diversa paululum notione hanc vocem usurpare Diomedem, ac Scriptores usurparunt alii. Verum mihi non videtur. Verba tamen ejus sine dubio corrupta sunt. Ecquid enim: *Latus ac breviatus*, item, *radiatus luminibus*? Præcedit apud Diomedem: *Hi, qui in bello laborant, quotiens amissos ordines reparant, ex longo & disperso ambitu in brevem & arctum orbem coguntur, rotæ scilicet similitudine evertilantis*. Comparat colligentes se in prælio in angustum orbem rotæ vertitanti. Sic enim scribendum censeo pro *evertilantis*, quod est nihili, cum *rota vertitans* sit ea, quæ se crebro vertit atque circumvolvit. Sicut enim illa rotæ extremæ sive canthi circumvolutio fit minor, breviorique orbe absolvitur, quo propius ventum est ad modiolum, ita magnus ille orbis sese colligentium postremo definit in circulum angustum. Hæc sententia Diomedis, nisi fallor, unde liquet, verba præcedentia sic esse corrigenda: *Rotæ satis latus abbreviatus canthus radiatæ voluminibus in angustum modioli circulum cohibetur*. Cohibetur, inquit, satis latus canthus in circulum angustum, voluminibus rotæ radiatæ: *Volumina* rotæ vocat ejus circumactiones, circumcursationes. *Circulum angustum modioli*, brevem illum orbem, quem conficit modiolus, cum circumvolvitur, qui revera est angustus, si cum orbe canthi ejusque circumvolutione conferas. Recte autem loquitur de rota *radiata*, quia illa sola habet modiolum, sic ut supra demonstravimus. Canthos dixit quoque Probus, verbis supra etiam adductis, ubi ajebat: *Tym-*

Tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo. Quibus verbis intelligimus, non radiatas solum rotas, sed & tympana ferro istius modi muniri consuevisse. Invenias & apud Augustinum libro de Princ. Dialect. *Via dicitur a flexu, quia flexum velut incurvum veteres vietum dixerunt: unde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.* Dicit ligna rotarum ambiri cantho, & propterea vocari *vietos*, sicut supra quoque notabamus. At pro *vietos* Scaliger vult *vitos*, quia sic Latini nominarint canthos, quod non possum comprobare. Quis enim verborum erit sensus; vitos vocant, quod cantho ambiantur; si viti ipsi sunt canthi? Sed tamen canthos veteres dixere *vitos*. Quis hoc comprobat? Marius Victorinus, qui sic habet in Arte Grammatica, cap. de Poetica: *Viere connectere est, unde vimen dictum virgulti species, & viti in rota.* Atqui nulla mentio canthorum in his verbis, tantum viros esse in rota significant. Quid igitur, si dicamus apsides hic intelligi, ac legendum esse *vietos?* Quid, si retineamus scripturam istam, & cum Vossio dicamus, viros esse ab Æolico βίτυς vel βίτυς, pro ἴτυς? Non hic canthos habebimus, sed eodem modo iterumque apsides. Certe mea opinione nihil derivatione ista verius. Nam quod in Glossis Stephani occurrit καθὸς τροχῦ, *urus*, quis certo nobis dixerit in *vitus* oportere immutari? cum de cantho alias sic proditum a nemine. Ac potest fieri, ut auctor, quisque est, earum *urvus* scripserit, quia canthi sunt ἀνάσιμα id est, urvi, vel ita flexi, ut redeant sursum versus, literæ υ jacentis figura. Sed hæc conjectura est. De canthis patet, vitos aut vietos male credi dictos a veteribus. *Orbes* potius dixere, sicut liquet ex Prudentii superius allatis verbis, ubi *orbem electri* pro cantho usurpavit. Sicut autem rotæ summitas muniri cantho solebat, ita radii ferro alio, quod Græci appellabant ἀετός. Pollux: Τὸ δ' ἐφ' ἑκάςῃ κνήμῃ σιδηρῦν, ἀετός. Vertunt: *Singulorum radiorum laminæ, pinnæ.* Ubi nescio, quid velint illæ laminæ. Nam in Græco quidem nullæ sunt. Tantum hoc dicunt: *Ferramentum cujuslibet radii appellari aetum.* Atque ita & Hesychius: Ἀετὸς τῦ τροχῦ τὸ ἐπὶ τὸν κνῆμον ἕκαςον σιδήριον. Quod Pollux ajebat ἐφ' ἑκάςῃ κνήμῃ, hoc Hesychius effert per κατὰ ἕκαςον κνῆμον. Quo intelligi videtur, ferramenta illa fuisse immissa per radios istos. Ac fortassis clavi erant ferrei, trajecti una per apsides, ut in iis capita radiorum tenerent firma. Nisi malimus exterius ambivisse, conclusosque circa capita radios ad apsides firmasse. Nam alias τὸ ἀετὸς Hesychio κυμάτιον, quod alibi est χεῖλη, labrum, osculum, ad cujus similitudinem exterius, ut opinor, claudebant apsides. Necesse vero est, ut ferramentis hisce firmati fuerint ad canthos: Nam ad modiolum alio firmabantur ferro, quod vocabant πλημνόδετον aut θώρακα. Pollux: Τὸ δὲ συνδῦν πρὸς τῇ πλήμνῃ τὰς κνήμας σιδήριον, πλημνόδετον, ἢ θώραξ. *Ferrum radios modiolo colligans, plemnodeton aut thorax.* Quando in singulari dicit σιδήριον, commune unum cunctis radiis ostendere videtur, cum ex adversa parte singuli suum ferrum proprium haberent. Neque aliud vult θώρακος vocabulum. Ambibat nempe modiolum in medio, ibique continebat radios. Modiolum ipsum custodiebat annulus ferreus, ne facile posset frangi. Pollux: Τὸ δὲ ὑπερῷον αὐτῦ (τῦ περιειλημένη τῷ ἄξονι) σιδήριον, δακτύλιος. *Ferreum autem superne cingens modiolum, annulus seu dactylios.* Δακτύλιον ostendit nominasse, quia revera nihil fuit aliud, quam annulus seu circulus. Fuit autem annulus hic ab ea parte modioli, quæ interior & vehiculi sellæ propior. Habebat & exterior aliquem, similiter δακτύλιον vocatum. Id enim volunt verba Pollucis, quando paulo post superiora inquit: Τὰ δὲ ἑκατέρωθεν τέλη τῦ τροχῦ, δακτύλιοι. *Utræque vero extremitates rotæ, dactyli seu annuli.* Non possunt aliæ intelligi extremitates, quam quas diximus. De canthis enim prius egerat. Liquetque hinc, τὰ τέλη τῦ τροχῦ esse ἄκρα, & modiolorum capita extrema denotare. Amplius modiolo inserebatur quoque ferrum, ne posset atteri ab axe. Pollux: Τὸ δὲ ἐντὸς τῆς πλήμνης σιδήριον, ὃ τρίβει τὸν ἄξονα, ἄταρνον, ἢ γάρνον, ἢ δέςρον. *Quod autem intra modiolum ab axe teritur ferrum, atarnum, garnum, aut destrum.* Tria ejus adfert vocabula. Et ἀτάρνυ nescio, an alibi fit mentio. Pro γάρνον Hesychius habet γαρνόν. Verba ejus: Τὸ ἔσω τῆς πλήμνης σιδήριον, ὃ τὸν ἄξονα τρίβει, γαρνόν, fere sicut Pollux. At apud Phavorinum γάρνον est. Neque aliter invenias apud Auctorem Etymologici magni, qui ipsa Hesychii repetit verba. Δέςρον pariter non invenio alibi, neque scio, an se recte habeat scriptum.

CAP. VII.

De Capso.

Capsum. Capsa. Junii error. Arca. Ploxinum. Ploxemum. Catullus explicatur. Sirpea stercoraria. Ovidius exponitur. Sirpiculæ. Lectio Scaligeri repudiatur. Arcera. Clabulare. Clabula, clavula. Festus explicatur, ejusque lectio vetus defenditur. Τέτερτρον. Ἐσχάρα. Τπερτερία. Πλίνθρον. Βερτέρα *unde. Eustathius refellitur. Jupiter Feretrius.* Πλινθίον θεροί. Πείρινθα. Κάνναθρον. *Xenophon & Hesychius emendati.* Θέρηγνον Θερήγανον. *Hesychius exponitur.* Μόργος. Μολγός. Ἐσχάρα *graticula. Vulcanii emendatio frustranea.* Κλίμαξ. Δίφρος. Σέλλα. *Non semper duos tantum habuit.* Τόνος. Ἱμαντοσις. *Stephani explicatio rejecta.* Ταρρίον. *Pollucis versio emendata, & dubium de quodam ejus loco.* Πίναξ. Ἄντυξ. Μεσάτιον. *Hesychius correctus.* Κυρτίον. Ἀσπὶς. Ἀξηνὶς. Ἀξῆλις. Πτέρνα. *Gualtherus rejectus. Vehicula* εὐφρόνια, *Currus arcuatus, constratus, tectus,* καμαρωτὸς, *cameratus. Tympanum.*

Superest pars una, cui solent insidere in vehiculo, qui vehuntur. Latini fere *capsum* nominarunt. Vitruvius lib. x. cap. 14. *Ad capsum rhedæ loculamentum firmiter figatur.* Et paulo post: *In rhedæ capsum, & vas æneum.* Dubitant hoc loco, *capsum* ne in casu recto dici debeat, an *capsus*. Posterius profecto præfert Junius, prius Philander, Baldus, atque alii. Sed in Glossis antiquis, ubi agitur de vehiculis, legas *capsum*, πλινθίον. Festus voce *ploxinum*: *Ploxinum appellari ait Catullus capsum in cisio.* Addit tamen Festus *capsava*, aut, ut emendandum censent viri docti, *capsamve*. Ita enim habent Schedæ Farnesianæ, servavitque solum Paulus, quando scripsit: *Ploxinum capsam dixerunt.* Unde liquet, *capsum* vel *capsa* rectum esse, *capsus* vero Junii non legi. Fuit autem capsa capsumve, ut exponit Philander, *a capiendo dicta rhedæ pars, ubi, qui vectantur, sedent.* Nempe capsæ speciem habebat, quam & arcam appellamus. Itaque hæc ipsa pars *arca* dicta invenitur a Verrio apud Macrob. lib. I. cap. 6. *Evenit, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset.* Non est alia pilenti arca, quam capsum. An & *ploxinum*? Ita

ſane velle Feſtus videtur in verbis antea citatis. Facit enim idem *ploxinum* & *capſum*. Pro *ploxino* apud Fabium eſt *ploxenum*, lib. I cap. 5. *Catullus ploxenum circa Padum invenit*. At apud Catullum ipſum, unde iſta Fabius adducit, *ploxemum* legitur, non *ploxenum*, aut *ploxinum*, ſervantque libri veteres conſenſu hanc ſcripturam. Neque tamen facile quis dixerit, quæ ſit melior, cum, quando Fabius Catullum ait inveniſſe apud Padum, Gallicam facere vocem videatur. Licet autem Gallis circa Padum fuerit in uſu, tamen, ſicut multas alias, ita hanc vel ſumſiſſe, vel communem habuiſſe cenſeo cum Græcis. Neque enim dubitare poſſum, quin conveniat πλοκαμῷ, quod ſignificat plexum contextumque quid ex vitilibus. Et profecto ſignificaſſe quid ejuſmodi Catullus videtur. Verba Catulli, quibus exagitat Æmilium, ſunt iſta:

—— *Hoc dentes ſeſquipedales,*
Gingivas vero ploxemi habet veteris.

Loquitur de enormibus ipſius dentibus, & gingivis ſtercoreis. Has comparat ploxemo veteri. Cujus comparationis ratio videtur nulla, niſi hic intelligamus, non capſum quodlibet, etiam politi ornatique vehiculi, vel arcam, ſed qualis ſolet eſſe plauſtri agreſtis, cum ſtercus fimuſve illo devehitur in agros. *Sirpeam ſtercorariam* vocavit Cato de R. R. cap. 10. Verba ejus: *Urpicem unum, crates ſtercorarias quatuor, ſirpeas ſtercorarias tres*. Et fuerunt ſirpeæ hæ in plauſtris. Unde Ovidius lib. VI. v. 679. Faſtor.

At Dominus, diſcedite, ait, plauſtroque morantes
Suſtulit, in plauſtro ſirpea lata fuit.

Quæ ſcriptura ſollicitari non debet. Tali ergo ſirpeæ comparat Catullus gingivas Æmilii, fimo ſcilicet turpi fœdatæ. Unde liquet, ploxemum fuiſſe quid compoſitum contextumque ex viminibus. Talis namque & ſirpea. Varro de L. L. *Sirpea, quæ virgeis ſirpatur, id eſt, colligando implicatur, in qua ſtercus aliudve quid evehitur*. Sirpea nihil aliud, quam oblonge quadrata capſa, e virgis contexta, corbis inſtar, quæ imponitur vel trahæ, vel plauſtro, rebus vilioribus in agro vehendis. A ſirpeis ſunt *ſirpiculæ*, quarum mentio apud Nonium voce *bolerorum*;

Tintinnabulum abeſt hinc ſirpiculæque bolerorum.

Citat Scaliger *ſirpiculique*. Sed ſic habent codices apud Nonium, convenitque, quod & *ſirpeæ*, non *ſirpei* dicantur. Oſtendit autem Lucilius, cujus eſt prædictus verſus, ſirpiculas hujuſmodi ad vehenda etiam olera uſurpatas. Credo, qualia eruta ex hortis evehi rejicique ſolebant, aut alias non magni erant pretii. Jam cum ploxema hujuſmodi ſint ſirpeæ, non poſſunt eſſe capſæ proprie ita dictæ arcæve. Nam hæ non fuerunt ex viminibus, ſed tabulis. Varro lib. IV. de L.L. *Arcera etiam in duodecim tabulis appellatur. Quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, arcera dictum*. Vides hic arcam vehicularem ſimilem arcæ vulgari ex tabulis, unde nomen ipſum vehiculi, *arcera*. Meminit & Gellius lib. XX. cap. I. *Arcera autem vocabatur ploſtrum tectum undique & munitum, quaſi arca quædam magna*. Sed de hoc vehiculo deinceps. Illud conſtat, arcam non fuiſſe vitilem aut ſirpatam virgis, verum junctam contextamque ex tabulis. Quod ſimiliter de capſo judicandum. Differebat quoque arca ſive capſum a ſirpea ſeu ploxemo in eo, quod hoc eſſet fere unius ſemper formæ, illud vero variæ. Aliter namque ſe habebat in ciſio, aliter

A in rheda, aliter in bigis quadrigiſque, ſicut ſuo loco apparebit. Interim & arca, & ſirpea, & ploximum generali voce *capſa*, ut ex Feſto liquet. Præter dicta vero genera, uno ex tabulis, altero ex vitilibus, fuit tertium ex clabulis, quod vocarunt *clabulare*, ſive clavulare. In hoc genere illud, quod alias eſt capſa, fuit non ſolidum, ſed tranſparens, clabulis videlicet aut clavulis diſtinctum. Clavula eſt a clava, baculumque aut fuſtem ſignificat. Meminit Varro lib. I. R. R. cap. 40. ubi *clavolam* appellat. *Videndum, ut ſit de tenero ramo, ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alii clavolas, alii taleas appellant, ac faciunt circiter pedales*.
B Hic bacillus teneris rami pedali longitudine eſt clavola. Cum igitur id, quod ſuperne imponi vehiculo ſolebat, ut in eo vehi poſſent ſive res ſive homines, ſcalæ prope modum ſpecie, crebris hujuſcemodi bacillis fuit circumquaque munitum, *vehiculum clavulare* vel *clabulare* dicebatur. Clabolam ſeu clavulam bacillum eſſe Feſtus quoque docet voce *Ignis*: *Ignis Veſtæ ſi quando interſtinctus eſſet, virgines verberibus afficiebantur a Pontifice, quibus mos erat, clavulam felicis materiæ tamdiu terebrare; quouſque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret*. Ita optime hæc verba legit Scaliger, cum ante eſſet *tabulam*, non *clavulam*.
C Intelligit enim Feſtus nihil aliud, quam bacillum, quem in alio tamdiu rotabant & circumagebant, donec ſcintillas emitteret. Quod autem Scaliger pro *terebrare* facit *terere*, fit fruſtra. Terebrabant enim altera clavula, quam propterea & τέρετρον Simplicius, Theophraſtus τρύπανον vocarunt. Simplicii ſunt verba lib. III. de Cœlo: Ἀπὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκθλίβουσι θάτερον τῶν ξύλων, ὡς τέρετρον ἐν θατέρῳ περιστρέφοντες. *Ignem e ligno eliciunt, alterum lignorum tanquam terebram in altero circum vertendo*. Theophraſti extant lib. V. Hiſt. Plant. Δεῖ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν, τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης
D Theodorus Theſſalonicenſis iſta vertit ad hunc modum: *Sed conceptaculum ex hac, teretrum vero ex lauro faciendum cenſent*. Ubi vocat *conceptaculum*, quod Theophraſto eſt ἐσχάρα. *Vaginam terebri* reddiderunt aliqui ex Lexicographis veteribus. Revera nihil fuit aliud, quam clavula ſeu teſſella cava, in cujus foramine alia inſtar terebri circumagebatur. Quomodo & hodie uſurpant in Indiis Orientalibus, quod ipſe vidi. Dicta vero Græcis ἐσχάρα, ut opinor, partim, quod eſſet cava, partim, quod in ea, velut foco, ignis excitari ſoleret. Cæterum vehiculi pars ea, de qua hactenus locuti ſumus, Græcis eſſe ὑπερτερία videtur. Oſtendit Pollux,
E quando poſt ſellam vehiculi, ejuſque partes, tandem claudit: Τὸ δὲ ὅλον ἐπίθεμα λέγεται ὑπερτερία. *Totum autem illud, quod imponitur*, (axi rotiſque) *vocatur hyperteria*. Puto enim hoc velle, ſellam cum omnibus ſuis partibus, & quicquid ei ſuperne in vehiculo junctum eſt, ὑπερτερίαν dici, Atque ſic Heſychius: Ὑπερτερία, τὸ ἄνωθεν τῆς ἁμάξης ἐπιτιθέμενον. *Hyperteria id, quod ſuperne impoſitum eſt vehiculo*. Idem vocat & ὑπερτερείην, paulo poſt, ubi ait eſſe τὸ πῆγμα τῆς ἁμάξης, hoc eſt, *pegma vehiculi*. Intelligit autem per πῆγμα ſive pegma compactum conjunctumque aliquid ex tabulis & lignis. Quomodo ex tabulis hujuſmo-
F di fuere pegmata ædificiorum, theatrorum, & ſimilium. Homero ipſi eſt ὑπερτερίη, Odyſſ. Z.

—— Ἀτάρ τοι δμῶες ἐφοπλίσσουσιν ἀπήνην
Ὑψηλὴν, εὔκυκλον, ὑπερτερίῃ ἀραρυῖαν.

Cæterum famuli apparabunt tibi currum altum, rotis bonis inſtructum, cum capſo. Scholiaſtes vetus eo loco: Ὑπερτερίῃ, τῷ ἐπιτιθεμένῳ πλινθίῳ τῇ ἁμάξῃ, πρὸς τὸ πλείονα βάρη φέρειν, ὑψηλοτάτῳ, ὃ καὶ πλίνθρον καλεῖται. Ἡ τῷ ὑπὲρ ἄνω τῆς ἁμάξης τετρα-

γώνῳ ξύλῳ δεχομένῳ τὸ ἐντιθέμενον φορτίον. *Hyperterie, id est, plinthio, vel oblonge quadrato, quod vehiculo est impositum, ut gestare onus possit majus, altissimo, quod & plinthrum appellatur, aut vehiculi in summitate ligno quadrato, continente onus.* Ubi nota, πλίνθρον quoque nuncupari. Puto autem per πλίνθρον vel πλινθίον nihil aliud indicari, quam quadrata forma, sed oblongiore capsam. Atque sic accipio illud ξύλῳ, quasi sermo sit de tabulis. Eustathius eodem loco ita habet: Ὑπερτερία δὲ, τὸ ἐπικείμενον τετράγωνον πλινθίον τῷ ἄξονι, παρὰ τὸ ὑπερκεῖσθαι αὐτῷ. Ἐν δὲ Ἰλιάδι πείρινθα τοῦτο εἶπεν ὁ ποιητής. Σημείωσαι δὲ ὅτι τὸ τοιοῦτον ὄνομα φέρεται πως καὶ ἕως ἄρτι. Ἐθνικοὶ γὰρ Ἰταλικοὶ παρακόπτοντες, Βερτέρην ταύτην φασὶ κατὰ παραφθοράν. *Hyperteria vero impositum quadratum plinthium super axem, ita dictum, quod incumbat illi. At in Iliade vocat peirintham Poeta. Observa vero, quod hoc vocabulum efferatur nunc quoquo modo. Nam populi Italici circumscindentes illud berteram appellant per corruptionem.* Notabimus in verbis hisce βερτέρην vocem, nihil enim proditum de ea in illorum libris, qui cum cura voces istiusmodi collegerunt. Sed quid ita pars hæc dicta est *bertera* Italicis hominibus? Ego vocem censeo corruptam, non ex *hyperteria*, quod existimat Eustathius, sed Latina *feretro*. Nam *feretrum* significasse priscis non lecticam mortualem solum arbitror, sed quodcunque, quo quid ferri posset. Quomodo & φέρετρον, unde venit *feretrum*, seu *pheretrum*, Græcis, vel, quod idem, φέρτρον, illud, in quo quid gestatur. Polybius apud Suidam in hac voce: Τότε καὶ τὸν περιλημμένον ἧκεν ἔχοντα σῦν ἐν φέρτρῳ καὶ Λίβυας ὡσεὶ χιλίους. *Tunc amatum sibi misit, habentem aprum in feretro, & Libyos quasi mille.* Φέρτρον nihil aliud hoc loco, quam id, quodcunque denique, in quo jacentem aprum gestabant. Et apparet idem ex Feretrii cognomento, quem sic a ferendo, non feriendo dictum verisimile est, cum a feriendo *Feritrius*, non *Feretrius* appellari debuisset. Quando autem de hyperteria, ut ad illam revertamur, dicit Eustathius, quod fuerit non πλινθίον simpliciter, sed τετράγωνον πλινθίον, id est, *plinthium quadratum*, de figura ejus loquitur in vehiculo illo, de quo ibi Homerus. Nam in aliis vehiculis hæc pars interdum fuit alia figura. Quia tamen in communibus & ad onera gestanda usurpari solitis hæc pars quadrata fere, igitur & in Glossis legimus, ubi agitur de ἅμαξα sive carro, *Capsum*, πλινθίον. Nam alias *capsum* non fuit semper quadratum, ut prædixi, quod tamen vox πλινθίον exigere videtur. De qua, num revera capsum, an nudam simplicemque tabulam, absque margine clausisque lateribus significet, dubitari poterat, nisi fide sua dictum Glossarium intervenisset. Nam cæteri, qui exponunt voces Græcas, de hac ejus significatione nos docere omiserunt. Nisi ad hunc modum explicemus Pollucem, quando l. 1. c. 14. de ὑπερτερία. Ἧς τὰ ἑκατέρωθεν πλευρὰ, θαιροὶ καλοῦνται, δεξιὸς καὶ ἀριστερός. *Cujus latera utrinque vocantur theri, dexter & sinister.* Ubi simul, quod nos docet de θαιροῖς, notandum, ita nempe Græcis capsi latera esse nuncupata. Cæterum pro ὑπερτερία Homerum usurpare πείρινθα monuerat Eustathius in superioribus. Et occurrit apud eum cum alibi, tum Il. Ω.

Αὐτὰρ ὄγ᾽ υἷας ἄμαξαν ἐΰτροχον ἡμιονείην
Ὁπλίσαι ἠνώγει, πείρινθα δὲ δῆσαι ἐπ᾽ αὐτῆς.

At hic filios currum cum bonis rotis mularum apparare jubet, & super eum ponere alveum. Retinui vocem *alvei*, quia alii sic reddere voluerunt. Nam quid vere fuerit, liquebit ex sequentibus. Eustathius sic habet: Πείρινθα λέγει τὸ πλινθίον τὸ ἄνω τῆς ἁμάξης, ὅπου τὰ φορτία ἐπιτίθενται, διὰ τὸ ὑπερκεῖσθαι τοῦ ἄξονος. Οἱ δὲ παλαιοὶ οὕτω φασί· Πείρινθα τὸ τετράγωνον πλινθίον τὸ ἄνω περιδούμενον ταῖς ἁμάξαις, πλεκόμενον ἀπὸ ῥιπῶν. Ῥίπες δὲ οἱ τῆς οἰσύας λύγοι. Ὥστε εἶναι ῥίπινθα. *Peirintha vocat quadratum illud super currum, super quod reponuntur onera, quia incumbit axi. Veteres autem ita dicunt. Peirintha est plinthium quadratum, quod vehiculis circumdatur, plexum ex viminibus. Sunt autem vimina virgæ ex salice.* Apparet ex his verbis, peirintham fuisse proprie non ex tabulis, sed viminibus. Atque sic Hesychius, qui πείρινθον appellat: Πείρινθος, πλέγμα τὸ ἐπὶ τῆς ἁμάξης, τὸ πλινθίον τὸ ἐπιτιθέμενον τῇ ἁμάξῃ τετράγωνον. *Peirinthus, plexum in vehiculo, plinthium, quod in vehiculo ponitur, quadratum.* Πλέγμα vocat, quod est opus e vitilibus. Convenit & Didymus, ut legimus apud Etymologici auctorem: Ὁ Δίδυμος, τὸ ἐκ ῥιπῶν πεπλεγμένον πλινθίον, ῥίπενθα, καὶ καθ᾽ ὑπέρθεσιν καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι, πείρινθα. *Didymus ex vitilibus plexum plinthium rhipentha, & per adpositionem pleonasmumque litera i peirintha* dicit appellari. Omnes peirintham accipiunt non ex tabulis, sed vitilibus confectam. Unde colligas, fuisse talem, qualis *ploxemum* Latinis dictum est, Xenophon vocavit κάνναθρον. Idem Etymologus: Δίδυμος πείρινθον λέγει ὑπὸ Ξενοφῶντος καλεῖσθαι κάνναθρον, ἐπεὶ καὶ κάνη ἡ ψίαθος. *Didymus peirinthum ait Xenophonte appellari cannathrum, quia & cane, juncus, sive calamus.* Scio, κάνη etiam cum ν simplici occurrere, sed hic duplicari debet, ut appareat, ex eo κάνναθρον oriri. Atque sic Eustathius, ex Didymo eodem, ut opinor: Ὁ δὲ Ξενοφῶν, κάνναθρον αὐτὸ φησί. Κάννη γὰρ ἡ ψίαθος. *Xenophon autem id* (peirinthum) *cannathron appellat. Canna enim calamus.* Ubi apud Xenophontem locus extet, in quo ea vox legatur, non est promptum invenire. Citat Stephanus ex lexicis vetustioribus, sed absque loci nomine, hæc ejus verba: Ἐπὶ πολιτικοῦ καναάθρου πατίει εἰς Ἀμύκλας. Sed in his καννάθρου legi oportere certum est vel ex superioribus. Neque aliter apud Hesychium scribendum, quod vel ipsa litterarum & vocabulorum series testatur. Antecedit enim proxime, καννα-βιθῆναι, sequitur, κάνναι. Hodie sic legitur: Κάναθρα, ἀστράβη ἡ ἅμαξα πλέγματα ἔχουσα ὑφ᾽ ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὰ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. *Canathra clitellæ, vel vehiculum habens quid e viminibus cannisve contextum, super quod pompam celebrant virgines, quando ad festum Helenæ abeunt.* Scribendum κάνναθρα, vehiculum, namque hoc a καννάθρῳ dictum, de quo agimus. Cum autem κάνναθρον sit a κάννῃ, sequitur hoc genus plegmatis fuisse non ex virili quocunque, nec ex saliceis virgis, sicuti de πειρίνθῳ annotavimus, sed ex canna, vel arundine palustri. Hæc enim Græcis proprie est κάννη, calamo major, arundine minor, uti Columella testatur. Quod notandum, quia liquet, etiam ex hoc genere plectere apud veteres hanc vehiculorum partem consuevisse. Est ejusdem generis & θέρηγνον. Hesychius: Θέρηγνον, τὸ ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν παράπλεγμα, τὸ ἐπὶ τῇ τῶν ἀσταχύων παρακομιδῇ γινόμενον. *Theregnon est contextum super plaustra, factum ad deportationem frumentorum.* Non aliud existimo intelligendum, quam quod vel ex calamis vel ex virgultis construebatur, corbis instar, & imponebatur plaustro, ne exciderent minuta in id posita. Quale puto & θερήγανον vocasse, cum illius usus esset maximus in messe. Hesychius generatim dicit, partem plaustri fuisse. Θερήγιον, μέρος τῆς ἁμάξης. Vix potest aliam significare partem, quam quæ nobis dicta est, cum præsertim θέρηγνον per contractionem factum a θερήγανον videatur. Appellarunt quoque μόργος. Idem: Μόργος, φραγ-

φραγμὸς, ϗ τὸ ἐπὶ ταῖς ἁμάξαις φράγμα, ἐν ᾧ τὰ ἄχυρα φέρουσι, ϗ σκυτινὸν τεῦχος, ἄλλοι τευχοβόειος. *Morgus, septum vel sepimentum plaustris impositum, in quo paleas vehunt, & vas coriaceum, alii teuchoboium vocant.* Possis hinc colligere, quod construxerint quandoque etiam ex corio, cullei fortassis modo. Unde ille ipse voce μολγὸς, quæ idem signat: Ἄλλοι δὲ μολγὸν τὸν βόειον ἀσκὸν, τίθεται δὲ ϗ ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν. *Alii molgum vocant saccum coriaceum, imponitur vero & plaustris.* Appellarunt autem πείρινθα etiam ἐσχάραν Græci, maxime recentiores. Eustathius ad Odyss. O. Εἰη δ' ἂν πείρινθα, ϗ ἡ πρὸ τούτων ῥηθεῖσα τοῦ ὑπερτερία ἐπὶ τῆς κατὰ τὴν Ναυσικάαν ἁμάξης. Ὅπερ οἱ ὕστερον ἐσχάραν καλοῦσι. *Peirintha est, quæ ante hac hyperteria dicta, in vehiculo Nausicaæ. Posteriores escharam appellant.* Ita quidem Eustathius. Verum puto diversum quid ἐσχάραν a πείρινθα fuisse, sic, ut illa esset plexa ex cannis aut viminibus more corbis, hæc vero ex asseribus tenuibus cancellatim junctis fabrefacta, qualis hodieque cernitur nostris in vehiculis. Ita enim velle vox ἐσχάρα videtur, ut quæ cratem notet, vel craticulam. Glossæ veteres: Ἐσχάρα, *graticula*. Sic scribebant sequioribus temporibus pro *craticula*, ut necesse non sit cum Vulcanio hic aliquid mutari. Habes enim in similibus Glossis *gras*, pro *cras*, *grassus*, pro *crassus*, & hujusmodi. Hinc & alibi: *Graticula*, ἐσχάρα, cum apud Philoxenum sit *Craticula*, ἐσχάρα. Craticula porro coquinarium est instrumentum, cujus regulas ferreas rectas transeunt aliæ transversæ, ut inter singulas sit spacium vacuum quadratum. Ad hanc igitur effigiem pars illa vehiculi posterioribus temporibus eleborari cœpta. Unde forsitan & nomen ἐσχάρας invenit. Pollux κλίμακα vocavit, ut opinor, lib. 1. cap. 14. ubi partes ἁμάξης sive plaustri enumerat. Ita vero describit: Κλίμαξ, τὸ προμήκες ξύλον τὸ ὑπὲρ τοῦ ἄξονος ἐκ τεττάρων συνεστηκὸς, ϗ μέσας ῥάβδους, πρόσθεν μὲν πλείους, ὄπισθεν δὲ ἐλάττους ἔχον, ἐν μέσῳ δὲ τὴν ὑπερτερίαν ἐνηρμοσμένην. *Climax sive scala prælongum est lignum, supra axem, ex lignis constans quatuor, habens in medio baculos, in priore quidem parte plures, in posteriore vero pauciores, in medio sustinens impositam hyperteriam.* Ubi nota, etiam Pollucem facere diversa κλίμακα & ὑπερτερίαν, hancque illi imponere. Fuit ergo κλίμαξ id, quod proxime incumbebat axi, plane sicut & ἐσχάρα, nec ab hac diversum extitit, nisi quod ἐσχάρα bacillos haberet & in longum & in transversum, instar craticulæ, κλίμαξ tantum in transversum, instar scalæ. Κλίμακι deinde seu ἐσχάρᾳ incumbebat ὑπερτερία, sive capsa, eaque vel ex tabulis vel ex vitilibus baculisve facta, si quæ incumbebat. Κλίμαξ enim vel ἐσχάρα modo incumbebat nuda, modo imposita sibi habebat alia quæ voce generaliori vel ὑπερτερίαν Græci, vel πείρινθα, vel κάνναθρον, vel θέρηγρον vocabant. Nuda, si quæ portanda majora, crassiora, rudiora. Non nuda, si quæ alia, & præsertim homines. Ad quos maxime spectabat, quod vocabant δίφρον. Memorat in bellicis vehiculis Homerus, ut Minervæ Il. E. & Hectoris Il. Λ. & plurimorum aliorum. Atque ita facit Pollux quoque lib. 1. cap. 10. qui de bellicis vehiculis totus est intelligendus. In non bellicis, sed civilibus, Pindarus, qui ob causam hanc Musarum currum δίφρον appellavit. Verba sunt in Isth. Od. 2.

> Ὅσοι χρυσαμπύκων
> ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον, κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι.

Quicunque in currum Musarum aurea redimicula habentium adscendebant, obviam procedentes cum inclyta cithara. Δίφρος hic est ἅρμα. Ita enim & in Pyth. Od. 5. vocat currus, quibus utebantur in spectaculis. Verba ejus sunt ad Arcetilaum, curru (ἅρματι) victorem.

> ——— Ἐν τεσσαράκοντα γὰρ πετόντεσσιν ἁνιόχοισιν, ὅλον δίφρον κομίξαις ἀταρβεῖ φρενὶ,
> ἦλθες ἤδη Λιβύας πεδίον.

Inter quadraginta lapsos aurigas integrum currum referens intrepido animo rediisti jam in Libyæ campum. Habes similia in iisdem Pythiis Ode 4. & 2. & in Olymp. Od. 1. unde constat & in ludicris vehiculis δίφρους habuisse. Fuit autem δίφρος, in quo considebant. Eustathius Il. Γ. Δίφρος δὲ τόπος τοῦ ἅρματος, ὁ τοὺς ῥηθέντας φέρων, &c. παραμένει τοῖς ὕστερον, ϗ ἐπὶ κοινότερον λεγομένης σέλλας ἡ λέξις κειμένη εὕρηται. Dicit, hoc vocabulum significare locum in vehiculo, ubi, qui vehuntur, consident, vulgoque appellari quoque σέλλαν, id est, *sellam*, quod notandum. Idem ad Il. Χ. Δίφρον λέγει τὸν ἐπὶ τοῦ ἅρματος κορυφαῖον τόπον, ἐφ' οὗ παραβάτης ϗ ὁ ἡνίοχος. Καὶ ὅτι ὑψηλὸς ἦν ὡς δηλοῖ τὸ, ἐς δίφρον ἀναβάς. *Diphron vocat locum summum in vehiculo, in quo conscensor & auriga. Quodque sit altus, apparet ex eo; in diphron enititur.* Duos tantum ait ibi consedisse, conscensorem & aurigam. Et hinc quoque putat accepisse nomen. Ita enim habet ad Il. P. Δίφρος λέγεται διὰ τὸ δύο φέρειν. *Diphros dicitur, quod ferat duos.* Quanquam non omnino ibi videatur in hanc derivationem inclinare. Convenit tamen Scholiastes vetus: Δίφρος εἴρηται ὅτι δίφερον ἐστι. Δύο γὰρ φέρει, τὸν ὁπλίτην ϗ τὸν ἡνίοχον. *Diphrus dicitur, quod sit diferus, duos enim fert, armatum, & aurigam.* Habet his similia & Etymologus. Ac fortassis ab initio & in militaribus sic fuerit. At vero semper & in cæteris hoc observatum non opinor. Certe plures in Musarum δίφρῳ locat Pindarus, & in δίφροις ludicris stare singuli consueverant, ut ex monumentis priscis certum est. Diphrus porro iste, præsertim militaris, subtus erat structus conjunctusque lignis, latera ipsius continentibus, quæ appellabantur omnia simul juncta τόνος. Sic enim intelligo, quod ait Pollux: Η μὲν ἱμάντωσις τοῦ δίφρου, τόνος καλεῖται. Vertunt: *Et sellæ colligatio dicitur tonus.* Colligatio hæc difficulter intelligitur. Ἱμάντωσιν vocarunt Græci, quando lignis transversariis continebat paries parietem, alii innexum, sic, ut in neutram partem posset inclinare. Suidas: Ἱμάντωσις δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων τοῖς οἰκοδομήμασιν. Intelligit tigna transversaria, quibus continentur erecta, ne procumbant. Tale quid & τόνος fuit in Græcorum diphro, sive sella. Stephanus exponit *funes loreos, qui intenduntur currui.* Sed hoc fieri non potest. Liquet enim ex Polluce, super tonum sellæ latera fuisse. Τὸ δὲ ὑπεράνω αὐτοῦ (τόνου) περίφραγμα, inquit, hoc est, *quod supra tonum, est periphragma*, ubi est περίφραγμα, quod sellæ latera constituit, & post indicabo. Deinde fuit τόνος, sive tonus, ima sellæ pars, quod ex eo liquet, quia habuit scabellum ante se, quod ascendebant primum, qui enitebantur in currum. Igitur non potuit materia ipsius fuisse ex loris. Equidem ex loris sæpe τόνοι esse solent; sed, ut sint ex loris, non necesse est, cum, quicquid est protensum in longum quocunque modo, id sit τόνος. Nec diversum exigit ἱμάντωσις, quam etiam de lignis usurpari Suidas testis est. Super τόνον fuit τάρριον. Ita nominarunt sellæ latera, credo, quoniam in morem cratium fuere plexa ex viminibus, aut bacillis. Est enim ταρρὸς, unde τάρριον, πλέγμα καλάμινον, id est, *plexum quid ex arun-*


dinibus, aut similibus, ut Hesychius nos docet. Pollux: Τὸ δὲ ὑπεραίω αὐτοῦ (τόνου) περίφραγμα. ὃ σκύθει εἴωθε διαλαμβάνεσθαι, τάρριον. Vertunt: *Quodque super hanc est, circumseptum, quod & tarrium dictum, corio tegi solebat*. Perperam. Debebat ita: *Quod vero super hunc* (tonum) *est circumseptum, quod corio induci solet, tarrium vocatur*. Discas ex hoc loco id, quod dixi. Nam si tarrium ex solidis fuisset tabulis, corio tegi nihil opus erat. Nunc autem tegi consuevisse constat, plane sicut hodieque fieri aliquando solet. Habebat autem τάρριον tria latera, quæ respiciebant equos. Pollux: Τρεῖς δ' ἔχοντος τοῦ ταρρίου πλευρὰς τὰς κατὰ τοὺς ἵππους. *Tria vero latera equos respicientia habente tarrio*. Sed cur tria tantum, & non quatuor? Videlicet non omnis generis vehiculum describitur hic a Polluce, verum cujus usus fuit in militia, quod jam supra monebamus. Erat autem hoc simillimum illis, quibus in circo decurrebant ad metam. Ideo habes inter nummos veteres Græcos etiam istum apud Goltzium:




Stant hic duo in diphro, ὁπλίτης alter seu armatus, ut supra eum appellabat Scholiastes Homeri, cum intenso ad ictum arcu, alter ἡνίοχος seu auriga cum frenis in manu. Diphros autem sive sella plane talis, qualis fuit & in ludicris vehiculis. Hoc est, quæ non habet nisi tria latera in altum, quartum a tergo patet, planumque & recedens servit adscensui. Quare merito tria tantum tarrii latera agnoscit Pollux. Dicit autem respexisse equos, non quod illa latera omnia equis fuissent obversa, sed quod saltem non aversa, sicut quartum. Nempe quidam diphri sunt, qui patent anterius, ut apparet ex vehiculo Matris Deum aut Cybeles, quod delineatum habes apud Rossinum lib. 11. cap. 3. & carpento Agrippinæ, proposito in nummo, quem in subsequentibus delineatum dabimus. Item alio vehiculo, cujus extat imago in Notitia Imperii. Hujus generis non esse illum, de quo hoc in loco agat, declarare Pollux voluit, quando omnia tria latera equis dixit esse obversa. Pergit autem post superiora: Τὸ ἀνώτατον ξύλον καὶ πάναξ καλεῖται δεξιὸς καὶ εὐώνυμος. Vertunt: *Supremum eorum lignum panax dexter vel sinister dicitur*. Verum cur omittunt illud καὶ? Καὶ πάναξ καλεῖται, ait auctor. Puto plane Græca ita distinguenda: Τὸ ἀνώτατον, ξύλον καὶ πάναξ καλεῖται. Ut sit sensus, habere summitatem illam duo vocabula, nominarique & *xylon*, & *panax*. Quamquam illud πάναξ mihi valde sit suspectum. Quæ namque ratio appellationis hujus? Πάναξ sane, quæ & πανάκεια ab ἀκος, id est, medicina, cujus utique non est in hoc argumento locus. Quid igitur, si legatur πίναξ? Et existimo, significare summam laterum marginem ex tabula tignove, ut essent firmiora. Sunt & ἄντυγες, non multum discrepantes. Etymol. ἄντυξ λέγεται ἡ ἀνωτάτη περικεφαλαία τοῦ ἁρματίου δίφρου, παρὰ τὸ ἄνω τετύχθαι. Ἡ δὲ εἰς τὸ κάτω τετυγμένη, λέγεται κατέτυξ. *Antyx vocatur summa galea sellæ vehicularis, eo, quod sit structa in summo. Quæ vero in imo facta, vocatur catetyx*. Ubi nota, esse quoque inter partes sellæ vehicularis unam, quæ κατέτυξ di-

A citur, ἄντυγι oppositam. Sed quid hic est περικεφαλαία? Num imminens capiti sedentis in curru tegumentum, figura circulari? At nil tale exhibent imagines vehiculorum bellicorum, quæ in præcedentibus exponit Pollux. Et Hesychius περιφέρειαν explicat simpliciter. Ἄντυγος, περιφερείας τοῦ ἅρματος. Item: Ἄντυξ, ἅρματος περιφέρεια. Auctor Etymologici Magni facit idem, cum ἐπιδιφριάδι. Ἐπιδιφριάς, ἐπιδιφριάδος, inquit, ἡ τοῦ ἅρματος περιφέρεια, ἥτις ἄντυξ καλεῖται. At vero Scholia Homeri ad Iliad. K. ἐπιδιφριάδα docent esse ἔσχατον μέρος τοῦ ἁρματείου δίφρου τῆς περιφερείας, *partem extremam in circumferentia vehicularis sellæ*.
B Itaque non potest ἐπιδιφριὰς & ἄντυξ idem esse cum περιφέρεια, cujus pars hic ἐπιδιφριάς, si ἐπιδιφριὰς & ἄντυξ idem est. Ἐπιδιφριάδα, Eustathius partem facit ἄντυγος. Ἐπιδιφριὰς μέρος ἢ τοῦ δίφρου, ἢ τῆς ἅρματος ἄντυγος, περὶ ἣν περατοῦται ὁ δίφρος. *Epidiphrias est pars sellæ vel antygis in curru, in quam sella desinit*. Scilicet hæc confunduntur, & pars sæpe ponitur pro toto. Περιφέρεια & ἐπιδιφριάς, opinione mea, idem sunt. Pars in eis summa vel extrema, quæ vocatur ἄντυξ. Eadem περικεφαλαία est, quia cingit περιφέρειαν, & finit. Quomodo & Latini ultimum extremumque rei *coronam*
C appellare consueverunt. Interim & Hesychius: Ἀντύγων χνόαι, ἀπεριφέρειαι τοῦ ἅρματος, οἱ τροχοί. In quibus verbis, præter distinctionem, nil videtur mutandum, cum τροχοὶ sint περιφέρειαι, id est, circuli ambientes currum in summo, quos alii ἄντυγας, Hesychius hic ἀντύγων χνόας nominavit. Sequitur apud Pollucem: Ἡ δὲ μέση ῥάβδος, καπάνη. *Virga autem media, capana*. Μέση ῥάβδος mihi non videtur alia, quam quæ inter latus dextrum & sinistrum, de quo antecessit. Nempe tria latera dicebat tarrium habere. Subdiderat de dextro & sinistro. Supererat, ut & tertii, quod in fronte est, significaret nomen. Quamquam ser-
D mo sit non de toto latere, verum summa ejus parte, quæ ob firmitatem ῥάβδος appellata. Sustentabat illam lignum erectum, quod μεσάτιον & ἐμπρόσθιον vocabant. Alterum existimo, quod capanæ mediæ sustentandæ foret subditum, alterum, quod in fronte diphri esset collocatum. Μεσατίου mentio est quoque in Hesychio, sed verba male connectuntur cum nonnullis aliis, quæ præcedunt, & huc nihil faciunt. Μεσάτιον, μέσον, καὶ μέρος τοῦ ἅρματος. Sic scribendum, & post μεσαώελον, quod præmittitur, ponendum punctum. At vero ligna, quæ in angulo utriusque lateris versus equos, Polluci μετῆλαι. Verba ejus: Αἱ δὲ δίδυμοι, αἱ εἰς τοὺς
E ἵππους βλέπουσαι ἀπὸ τῆς καπάνης μέχρι τοῦ κυρτίου, μετῆλαι. *Sed gemini equos respicientes a capana ad ipsam curvaturam usque, metelæ*. Διδύμους nominat, quod essent ligna duo, unum a dextro, alterum a sinistro latere, sibi similia. Hesychius ea non μετῆλας, verum, una syllaba auctius μετιτῆλας appellavit. Μετιτῆλαι, αἱ ἐξ ἑκατέρου τοῦ ἅρματος ῥάβδοι, *Metetilæ, baculi ex utraque parte vehiculi*. At quod Pollux vocat τὸ κυρτίον, arcum esse censeo, qui atrorsum diphron ambibat. Mox κυρτούμενον appellat, & a Græcis dictum ait ἀσπιδίσκην. Τὸ δὲ κυρτούμενον, ἀσπιδίσκη. Vertunt: *Ipsaque cur-*
F *vatura, furca*. Verum ἀσπιδίσκη non est *furca*. Ἀσπὶς Græcis *scutum*: hinc ἀσπιδίσκη. Credo, quod figura esset lata curvaque, scuti more. Itaque Pollucis verba sic reddenda: *Ipsa vero curvatura, scutulum*. Pergit Pollux: Τὸ δὲ ἀπὸ ταύτης (ἀσπιδίσκης) κατὰ τόνον κεκαμμένον, ἀζηλίς. *Pars ab hac juxta tonum inflexa, azelis*. Ita habet versio Gualtheri. Quæ si bona est, in Græco ἀζηλὶς legendum. Hesychio est ἀζῆσις, qui exponit τοῦ ἁρματίου ξύλον, *lignum vehiculi*. Fuit autem, credo, reflexum a scutula lignum, ab extrema sui

parte claudens latera. Memorat & ligna alia intus in sella sive diphro Pollux, quædam erecta, quædam transversa, quæ ipsam continebant. Quæ cum facile intelligantur, recensere hic omittimus. Ultima pars superest, quæ πτέρνα dicitur. De ea Pollux ita: Τὸ δὲ πρὸ τόνου οἷ πρῶτον ἀναβαίνουσι οἱ ἐπιβαίνοντες, πτέρνα. *Pars, quæ ante tonum est, cui conscendentes insistunt, scabellum.* Sic Gualtherus. At vero πτέρνα non est *scabellum*, sed τὰ ἔσχατα μέρη, quælibet extremitas. Latini *calcem* dicunt, aut *pedem*, similiter hoc sensu. Nec in diphro fuit alia, quam pars ab equis aversa, pronior nonnihil in terram, unde adscensus in tarrium dabatur. Verum quoniam hæc cuncta valde sunt obscura, nisi aliqua declarentur imagine, placet hic apponere figuram diphri veteris, prout in nummis reperitur, in quibus bigæ ac id genus occurrunt. Confer Goltzii nummos Syracusanos in tabula prima, Messanenses in tabula septima, Himeræenses in tabula undecima, & alios. A. est τόνος. B. τάῤῥιον. C. πάναξ. D. κάπανη. E. μεσάτιον. F. μετόλαι. G. ἀσπιδίσκη. H. ἄζυλίς. I. πτερα. Et hic quidem diphros est Græcorum in vehiculo militari. Cui hac parte fuit simile vehiculum circense. At in cæteris alia ejus fuit forma, sicut supra quoque annotavimus. Facit autem Pollux stantem supra ὑπερτερίαν. Quod non sic intelligendum quasi ea ὑπερτερία capsæ instar fuerit, sicut ante diximus de ὑπερτερία Nihil enim tale cernitur in antiquis monumentis, neque ratio permittere videtur. Nempe generalis vox ὑπερτερία est, ac id omne denotat, quod axi aut vehiculo imponitur. Erat vero id generis fere duplicis, vel cum parietibus, vel sine ipsis. Cum parietibus, ut in capso, sirpiculo, & hujusmodi. Quod parietibus fuit destitutum, id erat rursum duplici in differentia, nam vel ex nudis planisque compositum fuit tabulis, quo fortassis spectat specialiori sensu, quod exponunt πλινθίοις ὑπερτερίαις, quoniam πλινθίον in communi vita notat laterem, cui similis illa tabula quodammodo fuisse videtur, quia erat & quadrata, & oblonga, & plana, nullisque parietibus munita. Vel ex regulis ligneis contextum instar cratis, quod proprie intellexisse Græci per ἐσχάραν videntur. Hujusmodi ὑπερτερίᾳ imponebatur δίφρος sive sella. Sic enim imponere & alia solebant. Et en tibi plaustrum cum hyperteria instar tabulæ, super quam stat capsa viminea cum herbis, qualis sirpea Latinis.





Exhibet hoc plaustrum nobis Lucas Petus in libro de Mensuris & Ponderibus Romanorum, ex ædibus Fr. Porcii desumptum. In quo tametsi accurate omnia delineata non existimem, cumprimis vero tympana sive rotas, tamen evidenter satis ex eo discimus figuram veteris ὑπερτερίας, atque cur πλινθίον dictum fuerit, cognoscimus. Quid enim aliud tabula oblonge quadrata, simplex planaque, nobis litera A. notata, quam πλινθίον? Alterius generis in antiquis monumentis necdum observasse recordor imaginem. Nec tamen dubitare possum, quin fuerit istiusmodi.



Certe non est alia figura, quæ nobis verius exhibeat ἐσχάραν. Neque, mea opinione, illa fuit alia in agrestibus vehiculis. Manetque usus talium ἐσχάρων seu craticularum in plaustris curribusque frequentissimus, nostris etiam temporibus. Cæterum vehicula, in quibus capsa istiusmodi, sive ex tabellis, sive rebus aliis, generali voce sunt ἐνθρόνια Polluci lib. x. cap. 12. Gualtherus vertit, *sedibus instructa*, quod non satis quadrat. Fuerunt autem duplici in differentia, capsam enim illam habuerunt vel apertam, vel superne tectam. aperta non est, ut probemus, cum sit notu[...] ctam intelligimus ex Livio, qui ob eam cu[...] minavit *arcuatum*. *Curru arcuato vehi jussit*, ...

nuque ad digitos usque involuta rem divinam facere: significantes, fidem tutandam, sedemque ejus etiam in dextris sacram esse, ait lib. I. cap. 21. de Fidei flaminibus. *Currus arcuatus* hic non alius, quam clausus opere arcuato, testudinis aut fornicis instar. Quod ex eo quoque liquet, quia dicit Livius, significari per hunc arcuatum currum debuisse *fidem tutandam*; nec enim hoc potuit, nisi clauso curru atque recto. Pro curru *arcuato* Lucanus usurpavit *constratum* lib. I, ubi de covino:

Et docilis Rector constrati Belga covini.

Ita ibi legendum, sicut alias ostendam. Et sic Curtius lib. IX. cap. 10. *Vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent*. Servius dixit *tectum* ad lib. VIII. Æn. *Quidam*, ait, *pilenta tecta cisia, sed vulgo dicta tradunt*. Sic sunt emendanda ea verba, quod itidem alibi monstrabo. Plinius lib VII. ep. 21. *Huc tecto vehiculo undique inclusus, quasi in cubiculo, perveni*. Græcis hæc vehicula sunt κατάστεγα & στεγαστά, itemque καμάραι, ut nos docet Pollux supra dicto loco. Didymus καμαρωτὰς vocavit apud Athenæum lib. IV. c. 7. Ex quo sunt, qui ab Ulpiano dicta putant *vehicula camerata*, scilicet a καμάρᾳ sive *camera*, quod incurvum notat tectum, atque ita etiam de vehiculorum seu capsarum tectis usurpatum. Latini alias hæc tecta nominarunt *tympana*, si qua Servio est fides Ita enim habet lib. Georg. Virg. II. *Tympana, tecta vehiculorum*.

CAP. VIII.

De Animalibus domesticis ad vehicula.

Boves primum juncti ad vehicula. Bos ruricola, arator. Prometheus eos primus junxit. Κνώδαλα. Alii hoc Baccho tribuunt, vel Osiridi, quod explicatur. Alii Cereri, de quo Vossii sententia ponderatur. Alii Philomelo. Hyginus emendatur, Alii Buzygi seu Epimenidi, vel Habidi, quod exponitur. Lucretius refellitur & Tertullianus. Res equestris de dorso, de jugo. Isidorus notatur. An equitare prius sciverint, quam equos jungere vehiculo. Pollux examinatur & exponitur, cum Scholiaste Homeri & Plinio. Thessali, Centauri, Bellerophon, Sesamboses aut Sesostris quid invenerint. Boves adhibiti etiam ad vehicula ornatiora & civilia. Sacerdotum, Regum, Matronarum, Reginarum, militum. Leonis interpres notatur. Boves in cursu publico. Boves aliquando sat veloces. Asini ad vehicula. Vehere collo. Columella explicatur. Asini ad aratra & molas. Asinus molaris, machinarius. Muli ad vehicula. Festus explicatur. Num juncti prius, quam equi. Oxylus quid excogitarit. Scholiastes Pindari rejicitur. Muli ad currus regios imperatoriosque, item mulæ. Jumenta pro mulabus. Mulæ in vehiculis Matronarum Præsidumque in provinciis. Mulæ carrucariæ. Quid in eis spectatum. Mulæ in cursu publico, rheda fiscali, & vehiculis aliis ad iter. Mulæ celeriores mulis. Muli etiam ad rhedas. Varro emendatur. Item plaustra. Ὑποζύγια pro mulis. Locus Regum IV. cap. 5. examinatur, versioque illius Græca rejicitur. Muli ad clitellas. Mulæ ad vehicula aptiores. Ζεῦγος ἡμιόνων. Mulæ ad trahendas molas & aratra. Bos, an mula præstantior. Equi ad plaustra quoque, rarissime ad aratra.

A VEhicula cum sua sponte aut virtute propria incedere haud valeant, duci trahive debent ab aliis. Illi sunt vel homines, vel bruta. Bruta sunt vel domestica, vel feræ ad hoc domitæ. Nam omnium olim usus fuit, hodieque aliquando esse consuevit in vehiculis. Ex domesticis animalibus notissimi receptissimique boves sunt ac equi. Quorum quodnam primum ad hos usus fuerit adhibitum, dubitari posse videtur. Nam & equos in vehiculis Scriptores vetustissimi commemorare solent. Pro bubus tamen plura facere putarim. Equus sane sua indole naturaque ferocior, longeque difficilius regi potest; præterea est bellicis negociis ac pugnis
B aptior. At vero bos est genitus ad laborem, maxime agrestem. Cic. II. de Nat. Deor. *Boum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata. Cervices autem natæ ad jugum: tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda.* Hinc apud Ælianum nostrum appellatur γεωργὸς, lib. V. cap. 14. Quomodo legimus alicubi apud Priscianum:

Agricolasque boves plaustris domitare sonoris.

Ruricolas pro eo dixit Ovidius lib. I. Fast.

C *Lanigerumque pecus, ruricolæque boves.*

Hesiodo ex hac causa bos est ἀροτὴρ, lib. II. Oper. Quod occurrit & in veteri lege Attica, cujus mentionem facit Ælianus noster, ante dicto loco, & reperitur ab Arato v. 133. Phæn. Latini pariter sic *bovem aratorem* usurparunt. Suet. in Flav. *Bos arator discusso jugo triclinium irrupit*. Ovidius loco ante dicto:

—— Cedebat taurus arator equo.

D Constantino *bos* est *aratorius* l. I. t. 30. C. Theod. *Non servos aratores aut boves aratorios pignoris causa de possessionibus abstrahunt*. Jam quia bos arator est, *sociumque laboris agrique culturæ habemus hoc animal*, uti Plinius de ipso loquitur, quin ipsius quam equorum usus sit vetustior, in vehiculis ambigi vix potest. Nemo enim dubitat, quin agricultura sit antiquior militia, ad quam olim equi maxime, ac fortassis primum adhiberi consueverunt. Bovem certe primum ad agriculturam usurpatum consensu tradunt antiqui. Unde Ovid. lib. I. Met.

E *Semina tum primum longis Cerealia sulcis*
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.

Loquitur de primis temporibus orbis conditi, & argentea ætate, statimque cum agricultura ipsa, boum ad aratra & vehicula juncturam ostendit inventam, nulla facta equorum mentione. Igitur & Hesiodus, Poeta vetustissimus, non equos comparari sibi vult ad opera agrestia, sed boves. Verba ejus sunt in II. Oper.

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.

F Facit huc, quod apud Æschylum Prometheus de junctura utriusque, bovis & equi, loquens, primo loco bovem nominet. Verba ejus:

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζευγοῖς κνώδαλα
Ζεύγλαις δουλεύοντα σώμασιν θ' ὅπως
Θνητοῖς μεγίςων διάδοχοι μοχθημάτων.
Γένοινθ'. —— —— —— ——

Primus ad juga copulavi jumenta collis & corporibus servientia, ut hominibus maximorum laborum exæ-

quatores fierent. Κνώδαλα hic plane boves. Scholiastes ibi: Εζευξα ἐν ζυγοῖς κνώδαλα καὶ βόας δυλεύοντας. Boves ergo primum subjugati, & aratro, mox vehiculo adjuncti. Fuitque rei hujus auctor Prometheus, si Æschylum audimus. Nec fortassis contemnendus est, cum Prometheus sæpissime sit Noa. Vossius 1. de Idol. cap. 18. *Addam, Patriarcham Noe non in solo nobis adumbrari Saturno, sed etiam Prometheo*. Et hoc probat in sequentibus. Noam porro primum post diluvium excoluisse agros notum. Diodorus Siculus hoc tribuit Dionysio seu Baccho, cognomento Sabacio, Jove ac Proserpina edito. *Ingenii hunc ajunt acumine præstitisse*, (καὶ πρῶτον ἐπιχειρῆσαι βῦς ζευγνεῖν) *primumque boves instituisse jungere sub jugum, primumque sementem fecisse*. Quod de origine Bacchi hujus Sabacii habet Diodorus, fabulosum est. Nam Sabazius vel Σαβάζιος est *Sabaoth*, Deus ipse, a quo artes omnes, & sic istam quoque, accepimus. Vide Vossium lib. II. Idol. cap. 14. & Dickinsonum in Delphis Phœnicizantibus cap. 10. Potest tamen seposito hoc cognomento Bacchus esse Noa quoque, quomodo & in aliis sub hoc nomine intelligendus est. Maxime, cum de Baccho Indico confirmet Arrianus in de Rebus Indicis: Βόας ὑπὸ ἀρότρῳ ζεῦξαι Διόνυσον πρῶτον λέγουσι. *Aiunt, Dionysium seu Bacchum primum ad aratrum junxisse boves*. Nisi malumus Indicum hunc Dionysium esse ipsum illum, qui Ægyptiis appellabatur Osiris. Juvat, quod Tibullus de Osiride lib. I. el. 7.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris.

Et Servius ad illa Poetæ lib. I. Georg. *Uncique puer monstrator aratri: Alii Triptolemum, alii Osirim volunt, quod magis verum est*. Sane Osiris est Chamus, Chami ve filius, qui cum post diluvium condiderit Ægyptum, quid est mirum, si aratrum ibi primus dicatur reperisse. At sic quoque gloria inventi revertetur ad Noachum, cujus filius fuit Chamus. Et hæc quidem hactenus non male se habere videntur. Cætera fabulis propiora, ut quod de Cerere Hyginus habet fab. ult. *Ceres fruges serere, boves domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere docuit*. Quanquam Cererem hanc Vossius esse putet Isidem, Osyridis uxorem. Sed videtur repugnare Triptolemi ætas, qui cum vixerit post Abrahami tempora, quomodo alumnus esse Cereris potuerit, Osyridis æqualis, parum liquet. Nam quod Triptolemum ipsum explicat Osyridem, propterea non quadrat, quia ipse quoque auctor hujus rei traditur, nec est verisimile, mulierem hoc primum invenisse. Quid? quod Petellides Gnosius non Cererem, sed filium ipsius Philomelum laudet isto nomine. Verba sunt Hygini ad Aratea: *Hermippus, qui de sideribus scripsit, ait, Cererem cum Jasione, Thusci filio, concubuisse. Ex his, ut Petellides Gnosius, historiarum Scriptor, demonstrat, nascuntur filii duo, Philomelus & Plutus: quos negant inter se convenisse. Nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse. Philomelum autem necessario adductum, quodcunque habuerit, ex eo boves duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse, itaque arando & colendo agros ex eo* (sic legendum est, non *eos*) *se aluisse, cujus matrem inventum miratam, ut arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem appellasse*. Hic miratur Ceres, filium non plaustrum modo ducentem, sed & *arantem*, quasi nil de eo ipsa sciverit. Quanquam falsum esse hoc oporteat, vel propter ea, quæ jam ante disseruimus. Multo autem magis illud, quod a Plinio affertur lib. VII. c. 57. ***Bovem & aratrum Buzyges Atheniensis invenit***. Pro *Buzyges*, in vetustis libris *Briges*, item *Bytyges* occurrit. Verum *Buzyges* est rectum. Fuit autem Buzyges, qui alias & Epimenides est dictus. Servius ad Georg. I. *Osyris significatur, Philostephanus* περὶ εὑρημάτων, *vel Epimenides, qui postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem*. Hesychius: Βυζύγης, ἥρως ἀττικὸς, ὁ πρῶτος βῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας. Εκαλεῖτο δὲ Επιμενίδης. *Buzyges, heros Atticus, qui primus boves ad aratrum junxit. Vocatur autem Epimenides*. Quis hic fuerit Epimenides, haud liquet. Nam Philosophus antiquus hujus nominis fuit Cnosius ex Creta, non Atheniensis. At noster ἥρως ἀττικὸς, quomodo Plinio *Buzyges Atheniensis*? Tamen, quoniam Atheniensis dicitur, Cerere vel Osyride vetustior fuisse. Saltem, si quid veri huic narrationi subest, ad Athenienses ea solos spectabit. Plane sicut ea, quæ de Habide occurrit, (lib. XLIV. Justini cap. 4.) ad solos pertinet Hispanos. Verba ejus sunt, de Habide: *Boves primus aratro domari, frumentaque sulco quærere docuit*. Non potest Habides hic esse Cerere vel Osyride vetustior. Cæterum fuisse boum usum in vehiculis ante usum equorum etiam ex eo colligas, quod equos primus ad vehiculum junxisse dicatur Neptunus. Fuit enim Neptunus antiquissimus Japetus, filius Noachi, quem ostendimus per Prometheum indigitari, boum primum domitorem. Scholiastes Pindari ad Od. IV. Pyth. de Arcesilao, ubi εὐίππυ Κυράνας facit mentionem: Τὴν Κυράνην εὔιππον εἶπεν, οὐκ ἐκ τῆς παρατυχούσης, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τοὺς Λίβυας διδάξειε τὴν τῶν ἁρμάτων κατάζευξιν. *Cyrenem vocat equestrem, non casu aliquo, sed quod Neptunus Libyos docuit jungere vehicula*. Κατάζευξις non potest hic intelligi, nisi quæ fit junctis equis, quoniam ad εὔιππον refertur, quod explicare debet. Hanc ergo Neptunus reperit post illam boum subjugationem, quæ auctorem habet Prometheum. Neque aliud videtur voluisse Statius Theb. VI. istis verbis:

—— Neptunus equo (si certa priorum
Fama) pater primus teneris læsisse lupatis
Ora, & littoreo domitasse in pulvere fertur.

Sic ista distinguenda sunt. Male namque punctum ponitur post *pater*. Quæ habet Statius de equo, aliter, quam de juncto ad vehiculum, intelligenda non videntur. In hoc enim universi consentiunt, quod ad currus primum fuerint aptati. Palæphatus in fabula de Centauris: Πρότερον οὐκ ἠπίσταντο ἐφ' ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἅρμασιν ἐχρῶντο. Vertit Tollius: *Nescivere prius equis vehi, sed curribus solum utebantur*. Loquitur de illis, qui vixerunt ante Centauros. Floruerunt autem ipsi temporibus Ixionis, Thessaliæ Regis, qui duabus circiter generationibus excidium Trojanum antecessit. Unde potest colligi, quanto ars equestris sit recentior curruli. Eustathius de iisdem Centauris, ad Il. I. Αρματηλατεῖν ἀφέντες, κελητίζειν ἐπετήδευσαντο, ἤγουν ἀζεύκτοις ἵπποις ἐποχεῖσθαι. *Omisso vehiculorum usu docuerunt singulari equo vehi, vel equitare equis nullo vehiculo junctis*. Apparet, equos jugales & vehiculorum usum habitum vetustiorem. Itaque non video, qua commotus ratione ita scripserit Lucretius lib. V.

Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraque vegere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla.

Quanquam videatur habere consentientem sibi Tertullianum, qui sic lib. de Spectac. cap. 5. *Res equestris retro simplex de dorso agebatur*. Hic res eque-

equestris *de dorso* ea est, quæ perficitur de dorso equi, cum homo ipsi insidet, opponiturque illi, quam mox nominat *de jugo*. Quod ignoro, an sit assecutus Isidorus, quoniam lib. XVIII. cap. 27. ubi affert reliqua, hoc omittit. Verba ita habent: *Res equestris antea simplex agebatur, & utique communis usus reatus non erat.* Adde cætera: Liquet enim, omnia ex Tertulliani dicto loco esse desumpta. In quo cum legatur *reus*, non *reatus*, hoc quoque nescio, an debeat haberi sanum. Quicquid fuerit, censent Isidorus & Tertullianus rem equestrem non de jugo, id est, equis subjugatis junctisque ad vehiculum, sed de dorso per conscensionem in eorum terga factam esse primam, atque sic Lucretium sequuntur. Quod nec memoriæ rerum, nec naturæ ipsi convenire satis videtur. Certe, si, quod supra demonstratum est, initio adhibuere boves, eosque junctos ad aratrum aut vehiculum, simplicius erat ab ipsorum junctura venire ad juncturam equorum, quam ad ipsorum conscensionem equitationemque. Adde, quod ob ferociam equus vehiculo junctus rectius & facilius regatur. Nisi quis existimet, Lucretium ad sola respexisse bella, inque his equos simplices ante currus usurpatos putasse. Quanquam & de eo possit dubitari. Pollux sane Trojanis temporibus simplicium equorum conscensionem existimat fuisse ignoratam. Verba ejus lib. I. cap. 10. 9. Λίβυες δὲ καὶ ἀπὸ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες, μάχονται. Οὗτος γὰρ οὐκ οἶδε μονίππους ἱππέας. *Afri vero de curribus equisque junctis, sicut & Homeri heroes, pugnant. Hic enim unico equo utentes equites non noverat.* Quando negat Homerum scivisse singulares equites, fallere videtur. Nimis enim clara sunt, quæ habentur Iliad. K.

Καρπαλίμως δ' ἵππων ἐπεβήσατο. Κόπτε δ' Ὀδυσσεὺς
Τόξῳ. Τοὶ δ' ἐπέτοντο θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

Confestim autem equos adscendit, verberabat autem Ulysses arcum, hi vero volabant celeres ad naves Achivorum. Loquitur de Diomede, quem ait conscendisse non vehiculum, sed equos. Sed & in Odyss. E. ab equitante accipit similitudinem, quod non potuisset, si equitationem ignorasset. Verba sunt Homeri de Ulysse naufrago:

Ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων.

In unum lignum conscendit, velut equum singularem compellens. Nominatim κέλητα hic vocat. Porro κέλης, ut est auctor Scholiastes vetus, quem nonnulli Didymum appellant, ὁ ἐστὶν ὁ ἄζυκτος ἵππος, *equus vehiculo non adjunctus.* Latini pari modo *celetem equum* appellarunt, ut liquet ex XXXIV. lib. Plin. cap. 5. Non igitur ignorasse potuit Homerus hoc genus κέλητος, sicut Homerus ipse appellat, vel μονίππου, sicut a Polluce explicatur. Atque ita quondam censuit & Brodæus. Neque tamen, si Homerus scivit, eo usurpasse temporibus Trojanis necesse est. Et observant veteres Magistri errorem hac in parte apud Homerum. Eustathius: Οἱ παλαιοὶ λέγουσι καὶ ὅτι ἀναχρονισμοῦ σχήματι ἐνταῦθα χρῆται ὁ ποιητής. Κέλητες γὰρ οὐκ ἦσαν παρὰ τοῖς ἥρωσιν, ἀλλ' ὑστερογενὲς τὸ εὕρημα. *Veteres ajunt, figura anachronismi usum hic Poetam esse. Celetes enim vel singulatores non fuere inter Heroes, inventum namque ætatis posterioris.* Sed fortassis non necesse est, ut Homerum arguamus. Nam ne ipse quidem usquam Heroes suos facit inter se certamina ex equis edere. Quod unicum voluisse Pollux videtur in verbis præcedentibus. Nam alias non tam indiligentem credimus fuisse Homeri lectorem, ut loca superius allata ignoraverit. Et agit totum illud caput non de re vehiculari in universum, verum ea, quæ recepta est in bello. Atque tali modo etiam accipienda verba Scholiastis ad Il. O. Κελητίζειν ἵππον κέλητα ἐλαύνειν. Κέλης ὁ μονάμπυξ, παρὰ τὸ κέλλειν, βαδίζειν. Ὅθεν καὶ κελευθός. Ἐπὶ τὸ παλαιὸν ὡς ἐπίπαν τοῖς ἅρμασιν ἐχρῶντο. *Celetezein, equo celete vehi. Celes, equus singularis, a celein, id est, incedere. Unde & celeuthos. Antiquitus per universum fere vehiculis utebantur.* Vult, opinor, usos veteres vehiculis ad prælia, nec nisi sero receptam nostram equitandi rationem. Neque colligas fere aliter ex Sacris. Sane Pharaonis exercitus, qui est inter antiquissimos, quorum ad nos memoria pervenit, a Mose censetur numero non equitum, sed curruum aut vehiculorum. Verba Mosis Exodi 14. de Pharaone: *Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & Duces totius exercitus.* Similia legas de exercitu Sisaræ Judicum cap 4. *Clamaveruntque filii Israel ad Dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos.* Licet autem curribus ad prælia sint usi ante singulares equos, tamen penitus ignotam extra prælia quoque equitationem fuisse non necesse est. Nam, ut supra vidimus, diu ante tempora Trojana eam ad venationem usurparunt Thessali. Quomodo intelligendus Plinius, quando ait lib VII. c. 56. *Pugnare ex equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt,* docuisse ferunt. Fuit enim pugna ista non adversus homines in prælio, sed tauros in venatione, unde nomen Centaurorum acceperunt, sicuti Palæphatus testatur. Sed & ante Thessalos adhibuerunt ad res alias, si verum est, quod habet idem Plinius de Bellerophonte verbis paulo ante occurrentibus: *Equo vehi Bellerophontem* docuisse ferunt. Vixit enim Bellerophon ante CHRISTUM anno circiter MCCCLX. ut Petavius existimat, id est, annis centum triginta & amplius ante Thessalicos Centauros. Sane, quando nominatim scribit *vehi* equo docuisse, videtur Bellerophonti hoc tribuere, quod celeritatem equi ad itinera conficienda primus observarit, & ad usus adhibuerit humanos. Quanquam ne hoc quidem forte ipsi aliter concedi possit, quam quatenus ostenderit apud suos. Nam alias de Sesanchose, quem & Sesostrem appellant, Ægyptiorum Rege, Dicearchus: Πρῶτον φασὶν αὐτὸν εὑρεῖν ἵππων ἄνθρωπον ἐπιβαίνειν. *Ajunt eum primum invenisse, quomodo conscendere homo equum possit.* Vixit Sesostris, ut doctissimus in his supputat Rupertus, circa annum mundi MMCDLXXV. Unde liquet Bellerophontem antecessisse annis quasi centum atq;quindecim, cum Bellerophontis ætas cadat in annum mundi MMDXC. Jam cum hos omnes longo intervallo superaverit Neptunus, quem junxisse equos ad vehicula ostendimus, hanc rationem esse illa altera vetustiorem, clarum arbitramur. Adhibuerunt autem boves olim non ad aratra solum, operave rustica, sed & alia vehicula. Sic quo Sacerdos Junonis ire ad sacra solebat, bobus trahebatur. Colligitur ex historia Cleobis & Bitonis, de quorum matre, quæ Sacerdos talis fuit, Herodot. lib. I. Δέον πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι ἐς τὸ ἱρόν. Οἱ δὲ σφιβόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. *Oportebat plane matrem eorum vehiculo juncto ire ad templum, boves vero ex agro in tempore non veneant.* Simile quid observatum in Sacerdote Dianæ. Heliod. lib. III. de Chariclia eo munere fungente: Ἤγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁρμαμάξης ὑπὸ συνωρίδος λευκῶν βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur in carpento, quod jugum*

boum album trahebat. Apud Gallos etiam regiis vehiculis adjungebantur. Eginhartus in vita Caroli Magni de Rege Gallorum seu Francorum: *Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis & bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, sic domum redire solebat*. Manet eadem consuetudo hodieque apud regulos Indorum, sicut discimus ex Itinerario Olearii, qui vidisse se hujusmodi aliquem cum vehiculo a bobus tracto scribit lib. IV. cap. 29. verba postea recensebo. Romæ jungebantur carpentis feminarum. Hinc Lampridius in Heliog. c. 4. *Facta sunt Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, &c. quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum*. Reginarum vehicula traxisse apud Æthiopas videntur. Ita sane describit Heliodorus lib. X. Ἐφ' ἅρματος βοῶν λευκῶν ἡ Χαρίκλεια αὐτῇ Περσίννῃ ἐπὶ τὴν Μερόην παρεπέμποντο. *In curru boum alborum Chariclia & Persina Meroen deducebantur*. Ad vehicula, in quibus sarcinæ militares, vix alia quondam animalia. Inde Pollux lib. I. cap. 10. Χρεία δ' εἰς τοὺς πολέμους, σκευοφόρων μὲν ὄνων, ἐπισκευαζομένων δὲ βοῶν ὑφ' ἁμάξαις. *Ad bellum vero opus est arma ferentibus asinis, bobus ad currus præparatis*. Et Mauritius noster docet, quomodo tegi hæc vehicula debeant, ut, qui ex eis pugnant, habeant velut murum ante se, καὶ οἱ βόες φυλάττωνται ἀπὸ τῶν βαλλομένων σαγιττῶν, *& boves præstentur tuti a jactu sagittarum*. Libri XII. parte secunda, §. 18. unde idem intelligitur. Accedit & Leo, quando ita habet cap. XI. §. 46. Ἐπινοήσεις δὲ εἰς τοὺς βόας τῶν ἁμαξῶν. Mutilate reddidit interpres: *Observabis etiam boves diligenter*: cum debuisset, *boves vehiculorum*, scribere. Vegetius collocat & ad carpenta, in quibus vehuntur onagri, si scriptura ejus non est vitiosa. Ita namque habet lib. II. cap. ult. *Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus portantur armati*. Dicit portari onagros illos in carpentis bobus, pro, a bobus, trahentibus videlicet carpenta illa. Fuit olim boum usus etiam in cursu publico. Hinc Imperator Constantinus in l. 1. t. 5 lib. VIII. C. Theod. *Si quis iter faciens bovem non cursui aestinatum, sed aratris deditum, duxerit abstrahendum*. Ostendit, boves certos huic negocio adhibitos, qui fuere alii, ab agresti operi addictis. Meminit & Constantius Imperator in epistola ad Helpidium ejusdem tituli l. 11. *Pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur*. Item Arcadius & Honorius, l. 53. *Si qui vel per unam mutationem veredum mulamve aut bovem superducendum esse crediderit, memoratam fisci viribus multam inferat*. Verum quomodo in cursu publico animal tam tardum? Puto non tam homines, quam species fiscales, opera eorum deduci consuevisse. Quanquam nec tam lenti ubique boves. Referam, quod memorat Olearius in Itinerario suo, loco antea indicato: *Postea fiebat nobis obviam regulus Indorum cum Indicis equitibus nonnullis & servulis. Vehiculum ipsius peculiari ratione structum incumbebat rotis duabus parvis in axi non vulgari, verum ferro bene crasso, quod sursum erat inflexum inter rotas, discurrentibus. In vehiculo superne tecto sedebat Myrsa una cum alio flexis ad inferiora pedibus. Vehiculum ipsum trahebant boves Indici coloris albi pulcherrime nitentes, collis brevibus, in cervice prope humeros gibbosis, quorum cornua rubro colore picta erant. Circa collum multa habebant tintinnabula. Temo supra boves eminebat. In fronte vehiculi sedebat auriga, boves regens fune per nares ipsorum trajecto. Et currebant ipsi tanta celeritate arteque, quanta possit equus optime edoctus*. Habes

A hic boves Indicos, equis nihilo tardiores. Quales credere possumus & ad cursum illum publicum adhibitos, si opus esset festinatione. Post boves nescio, annon ad vehicula sint juncti asini, & ipsi ante equos. Certe ipsi quoque mitiores tractabilioresque sunt. Habesque inter ministeria agrestia non minus asinos plaustrarios, quam boves. Cato de R. R. cap. 11. *Boves duos, asinos plostrarios duos*. Columella de eodem lib. VII. c. 1. *Non minima pondere vehicula trahit*. Voluit hoc ipsum in subsequentibus: *Pleraque utensilia & vehere in urbem & reportare collo vel dorso commode potest*. B Nam *vehere collo* dicuntur, cum jugo ad collum firmato vehit trahitque vehiculum, & opponitur τῷ *dorso vehere*, quod fit per clitellas dorso impositas, ut notum. Quin imo Afri quidam eos solent jungere aratro. Plin. lib. XVII. c. 5. *In Byzacio Africæ illum centena quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cum siccus est, arabilem tauris, post imbres vili asello, & a parte altera jugi anu, vomerum trahente, vidimus scindi*. Neque alio respexit DEUS ipse, quando inter leges cæteras hanc edit Deut. 22. *Non arabis in bove simul & asino*. Nempe & Judæis usitatum fuit asinis arare. Unde apud Esaiam c. 30. *Boves & asini terram colentes*. C Neque ignorarunt penitus Itali. Unde Varro II. R. R. 6. *Plerique deducuntur etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campania*. Et lib. I. c. 20. *Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis arant*. Alias solenne ipsorum ministerium, trahere machinas farinarias, easque reciproco gressu circumrotare, quemadmodum ex Luciano Apulejoque novimus. Columella lib. VII. c. 1. *Jam vero molarum & conficiendi frumenti pene solennis est hujus pecoris labor*. Atque ob hanc caussam inter cætera, quæ ruri necessaria, Cato *asinum molarium* commemorat c. II. Erant enim, qui gestan- D dæ farinæ tantum putant destinatum. Alfeno JCto *asinus* est *machinarius*, l. 60. ff. de Leg. III. qui ex eadem ratione censet in prædiis legatis contineri. Meminit ejusdem Ulpianus l. 12. §. 10. ff. de Instr. vel Inst. ubi jungit machinæ frumentariæ; unde intelligitur esse plane Catonis molarium, id est, eum, *qui molam machina quadam inclusam volvit & torquet*, sicut a Turnebo explicatur. De hoc locutus quoque Catullus est illo versu:

Et non p istrino traderis atque asino

Ad quem laudat Barthius Epigramma vetus lib. E XXIV. Adv. cap. 5.

Cum possis parvo sumptu conducere asellum,
Qui soleat teretes vertere rite molas.

Quamvis autem & plostrarii sint asini, crebriores tamen & frequentiores in vehiculis sunt muli, quos & ipsos ante equos aliqui existimant adhibitos. Festus: *Mulis celebrantur ludi in Circo Maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui vehiculoque adjungi*. Dicit, primum currui adjunctos, quod intelligendum puto non respectu omnium quadrupedum, ita nam- F que falsum esset, verum solorum equorum. Quanquam & de hac re possit dubitari. Scholiastes enim Pindari Oxylum auctorem jungendorum mulorum facere videtur. Verba ejus sunt ad Pind. Pyth. Od. V. Ἀστράβην πρῶτος κατέζευξε Ὀξύλος ὁ Αἰτωλός. Hic ἀστράβη, ut opinor, *mulus*, ut sit sensus: *Mulum primus junxit Oxylus Ætolus*. Hesychius profecto: Ἀστράβη τίθεται καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβατικῶν ὄνων. Οἱ δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖστον μὲν τὴν σωματικὴν ἡμίονον. οὕτως ἔλεγον. *Astrabe ponitur etiam pro asino, quem conscendimus. Plerumque autem sic vocantur muli clitella-*

rii. Quibus verbis liquet, *ἀστράβην* mulum esse. Facit tamen mulum non currulem aut vehicularem, verum clitellarium. Convenitque Pollux lib. VII. cap. 33. ubi vehiculario opponit. Ὄνος, inquit, *ἡμίονος, ἀστράβη, νωτεὺς* & *ζύγιοι*. Καὶ *τὸ μὲν τῶν νωτέων ἡμιόνων ἀγώνισμα, ἐκαλεῖτο κάλπη, τὸ δὲ τῶν ζυγίων, ἀπήνη*. Hic *ἀγώνισμα ἡμιόνων νωτέων* est, quod fit *ἀστράβαις*. Sic Oxylus non primus junxerit ad currus, sed in ludis publicis mulos instituerit clitellarios, seu illud genus, quod a Græcis calpe dictum fuit. Floruit Oxylus tribus circiter ætatibus post bellum Trojanum, ut qui patrem Hæmonem, avum Thoantem habuit, qui Thoas Atrei filiorum fuit socius in bello Trojano, quemadmodum ex Pausaniæ Eliacis cognoscimus. Quod abunde monstrat, non ab ipso primum junctos ad vehiculum fuisse mulos. Facit enim eorum in vehiculis mentionem etiam Homerus, ut Odyss. Z.

Οἱ μὲν ἄρ' ἐκτὸς ἄμαξαν ἐΰτροχον ἡμιονείην
Ὅπλεον, ἡμιόνους θ' ὕπαγον, ζεῦξάν θ' ὑπ' ἀπήνῃ.

Illi quidem foris currum velocem a mulis tractum instruebant, mulos vero subigebant, adiungebantque vehiculo. Atque ita legimus & locis aliis. Sed nec in ludis publicis Calpen instituit, si credimus Pausaniæ, ut qui Paræcum Achæum auctorem ejus faciat circa Olympiadem demum septuagesimam atque primam. Ut videre Pindari Scholiastes debeat, quo pacto sua tueatur. Muli sane diu ante Oxylum fuere noti, nec modo alias, sed & ad vehicula adhibiti. Neque tamen credam ante equos usurpatos, cum haud dubie genus ipsum serius extiterit. Quicquid sit, mulorum usus fuit longe frequentissimus in re vehiculari. Atque apud Homerum quidem ipsius Priami Regis currum ducunt, Il. Ω. Sed & Nausicaæ, filiæ Regis Alcinoi, Odyss. Z. Etiam Medea, regia filia, lib. III Apollonii, v. 840. jubet

Οὐρῆας ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ.

Mulos adjungere vehiculo. Nam per *οὐρῆας, ἡμιόνους* innui Hesychius testatur. Unde constat magna in dignatione apud veteres fuisse. Neque post eviluerunt. Nam & Cæsares Imperatoresque illis usi suis in vehiculis. De Nerone Sueton. cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis*. Idem de Vespasiano, cap. 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiluisse*. Nota, *mulas* utrobique dici, non *mulos*, illarum enim usus crebrior ad vehicula. Quod abunde poterit liquere etiam ex sequentibus. Conjuges Imperatorum mulas frequentissime in vehiculis habuere. Inde videas carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ, matris Caii; Domitillæ conjugis Vespasiani; Faustinæ conjugis Antonini, atque aliarum. Credo pertinere huc & verba Plinii lib. XXXIII. cap. 3. *Nostra ætate Poppea, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat*. Delicatiora jumenta mulas puto significare. Certe apud alios quoque *jumenta, mulæ*. Sic apud Juvenalem sat. III. cum præcessisset: *Sed jumenta vocant*: sequitur: *Dudum mulio virga adnuit*, unde constat, jumenta esse mulas. Et in Sulpitii Severi Dialogo II. cap. 4. legimus: *Consumit Gallicas mularum pœna mastigias*; cum tamen antecesserit: *Agi, quo ire cœperant, jumenta præcipiunt*. Præter Reges Imperatoresque, ipsorumque seu conjuges, seu alias conjunctas, etiam aliæ opulentiores honestioresquæ feminæ ad vehicula habebant mulas. Inde Senatusconsultum Heliogabali, cum luxu earum usus fieret promiscuus, de matronis, *quæ asino veheretur, quæ carpento mulari*. Et solebant a maritis exigere, præsertim locupletiores elatioresque. Tertullianus lib. II. ad Uxorem, cap. 5. eo respexit illis verbis: *Unde, nisi a diabolo maritum petant, bonum exhibendæ sellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis*. Viris quoque in dignitate constitutis serviebant in vehiculis. Præsidibus Provinciarum sane Alexander Severus constituit *mulas senas, mulos binos, equos binos*, cum in aliquam dimitteret provinciam, sicuti Lampridius in vita ejus cap. 12. notavit. Ubi bene Salmasius mulas pertinuisse ait ad rhedas vel carrucas. Dicit autem ibi Lampridius, fecisse hoc Severum *exemplo veterum*. Sed illi quidem veteres mularum nullam, quantum scio, faciunt mentionem, de mulis solis loquuntur. Liv. lib. XLII. cap. 1. *Magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis*. Sic Suetonius de Augusto, qui pro rebus pecuniam præberi eis jussit, cap. 36. *Auctor fuit, ut Proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur*. Mulos igitur habebant olim, non mulas, eosque non ad carpenta vel carrucas, verum clitellarios. Postea mollitie crescente sumsisse quoque ad carrucas videntur easque mulas. Usurparunt certe & alii. Inde *mularum carrucbariarum* mentio apud Ulpianum l. 38. §. 8. ff. de edicto ædil. *Quæsitum est, si mula talis sit, ut transjungi non possit, an sana sit? & ait Pomponius sanam esse, plerasque denique carrucarias tales esse, ut non possint transjungi*. In his porro datam operam observo, ut essent nitida, ut ejusdem omnes coloris. Hoc enim respectu Seneca, reprehendens luxum sui temporis, ep. 87. *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ, unius omnes coloris?* Neque alia fortassis caussa, quod sic pretia illarum augerentur. Martialis certe memorat venditas quandoque carius, quam domos. Verba lib. III. ep. 62.

—— *Pluris mula est, quam domus, empta tibi.*

Mulos habuerunt etiam in cursu publico. Inde Arcadius & Honorius Imperatores l. 53. de Cursu publico Cod. Theod. *Si qui vel per unam mutationem veredum mulamve super ducendam esse crediderit, &c.* Et nominatim in fiscali rheda observamus apud Sulpitium Severum Dial. II. cap. 4. *Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat, &c.* sequitur, quomodo verberarint Martinum, & ob id jumenta eorum porro ire nequiverint. *Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias*. Solebant quoque jungi vehiculis vulgaribus, quibus iter faciebant. Hinc Ausonius ad Axium Paulum, quem ad se invitat, Ep. 8.

Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ.

Et ad Paulum, ep. 14. quem cupit venire, verum nullis vectum mulabus:

Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.

Ubi nota, celeritatem mularum laudatam. De qua nescio quis in Catalectis etiam Virgilianis ad Sabinum:

Sabinus ille, quem videtis hospites
Ait fuisse mulio celerrimus
Neque ullius volantis impetum cisi

Nequisse præterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam.

Vocat mulionem celerrimum propter mulas, quas habebat celeres in vehiculo, quo solenne iter faciebat vel ad Mantuam, vel ad urbes alias. Quod liquet etiam ex sequentibus, ubi mentionem facit mularum. Atque hæc est caussa, cur de suo vehiculo, quo faciebat iter, Seneca epist. 87. *Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est. Mulæ vivere se ambulando testantur.* Vult illo se vehiculo incessisse lento gradu, contra consuetudinem communem. De celeritate illa mularum testes sunt & alii. Nam & Ausonius supra *rapere* petorrita dicebat, quod celeritatem illam indicat: & de omnibus ab equa genitis testatur Plinius, quod sint *veloces in cursu*. Quamquam vero mulas habuerint frequenter ad hoc genus vehiculorum, tamen mulos quoque ad id usurparunt. Inde namque *muli* sunt *rhedarii* apud Varronem lib. III. de R. R. cap. ult. *Celerius voluntate Hortensii ex equili educeres rhedarios, ut tibi haberes, mulos.* Scaligeriana & Commeliniana editio præfert *mulas*. Verum altero modo legitur in vetustioribus codicibus. Et Varro ipse ad hos usus mulos nominat, non mulas. Verba ejus lib. II. cap. 8. *In grege mulorum spectanda ætas & forma, alterum, ut vecturis sufferre labores possint, alterum, ut oculos aspectu delectare queant. Hisce enim binis cunctis omnia vehicula in viis ducuntur.* Loquitur de vehiculis in viis, & ad ea mulis, non mulabus. Sed quid est, *labores sufferre vecturis?* Quinam illi *vecturi*, quive *labores*? Puto plane, Varronem scripsisse *vecturæ*, ac intellexisse laborem mulorum, quem perferunt in vectura. Quomodo apud Virgilium est *labor operum*, apud Tullium *labor rerum*, & id genus. Fuit alioqui animalis hujus usus etiam in plaustris ad trahenda onera. Docet historia de Atheniensi mulo, Plinio memorata lib. VIII. cap. 64. *Mulum LXXX. annis vixisse, Atheniensium monumentis apparet, eo gavisi, cum templum in arce facerent, quod, derelictus senecta, scandentia jumenta comitatu nisuque adhortaretur.* Nisum hic intelligit jumentorum, id est, mulorum, in plaustris educendis in altum. Docet Plutarchus, qui eandem rem sic describit, libro de Solert. Animal. Τῶν συνειργασμένων προθύμως ἤδη δι' ἤδη γῆρας ἀφειμένων ὀρέων εἷς κατερχόμενος εἰς Κεραμικὸν, καὶ τοῖς ἀνάγουσι ζεύγεσι τοὺς λίθους ὑπαντῶν ἀεὶ συνανέστρεφε καὶ συμπαρετρόχαζεν. *Mulorum unus, qui alacriter opus adjuverat, sed jam ob ætatem vacatione donatus fuerat, in Ceramicum descendens, ac junctis ad plaustra lapides vectantia occurrens perpetuo una versabatur currebatque.* Et adhuc clarius in vita Catonis Majoris: Ἡμιόνων μίαν φασὶ καταβαίνουσαν ἀφ' ἑαυτῆς πρὸς τὰ ἔργα, τοῖς ἀνάγουσι τὰς ἁμάξας ὑποζυγίοις ἀκρόπολιν συμπαρατρέχειν καὶ προηγεῖσθαι. *Mularum unam ajunt sua sponte venisse ad opus, unaque cum jumentis, quæ in arcem trahebant plaustra, cucurrisse ac præivisse.* Ὑποζύγια hic *jumenta*, id est, *mulæ*. Nam & apud Græcos illo sensu sæpe vox hæc reperitur. Sed est observandum in his verbis dici mulam in feminino, quæ mulus est & in præcedenti loco, & apud Plinium. Μίαν, inquit, & ἑαυτῆς, quod ad mulam pertinet. Ego tamen malo credere fuisse mulum. Mulos enim masculos potius adhibebant ad hoc genus agreste, quam mulas feminas. Monstrat ipse etiam Homerus Il. P. quando ita infit:

—— Ὡς θ' ἡμίονοι κρατερὸν μένος ἀμφιβαλόντες
Ἕλκωσ' ἐξ ὄρεος κατὰ παιπαλόεσσαν ἀταρπὸν
Ἢ δοκὸν, ἠὲ δόρυ μέγα νήϊον.

A *Tanquam muli validis viribus sumptis trahunt ex monte per asperam viam vel trabem, vel lignum ingens navale.* Cujus circiter temporibus, aut paulo post, florens Naeman Syrus & ipse mulos onera trahentes Regum IV. cap. 5. memorat. Verba Græcorum Interpretum: Δοθήτω δὴ τῷ δούλῳ σου γόμος ζεῦγος ἡμιόνων. Interpres Latinus sic exposuit: *Concede mihi, servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra.* Quod significat onus, non quod trahere, sed gestare possint. Atque sic accepit & Luther. *Goviel Zuuey Mauler tragen. Quantum muli duo ferre possunt.* Eadem sententia Castalionis fuisse videtur, vertit enim: *Duorum mulorum onus.* Eadem Tremellii & Junii: eadem interpre-
B tis Svetici, atque aliorum. Et profecto muli frequentissime ad hoc adhibiti, ut ferrent onera in dorso. Phædrus noster lib. II. cap. 8.

Muli gravati sarcinis ibant duo;
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.

Senec. ep. 123. *Omnes jam mulos habent, qui chrystallina, & murina, & cælata magnorum artificum manu portent.* Nempe sicut notat Columella lib. VI. cap. 37. *Clitellis aptior mulus, illa (mula)*
C *quidem agilior.* Quia celerior agiliorque mula, ideo illius fuit usus in vehiculis, præsertim iis, quibus faciebant iter, sicut supra notabamus; at mulus, quia firmior validiorque, ideo ad gestandas in clitelliis sarcinas adhibitus. Hinc *mulus clitellarius* apud Plautum in Mostellaria Act. III. sc. 1. *Muliones mulos clitellarios habent.* Non tamen id Naeman volebat, quod interpretes plerique censuerunt. Aliud sane ζεῦγος ἡμιόνων, aliud *duo muli clitellarii*. Ζεῦγος enim dici nequit aut intelligi, nisi de conjunctis ad jugum, sicut ipsa ratio vocabuli testatur. Atque ita locum illum Re-
D gum intellexit magnus vir Samuel Bochartus. Nam sic reddidit Latine: *Detur, quæso, servo tuo onus paris mulorum:* exposuitque: *Id est, bigæ mularis.* Ut sic Naeman voluerit, non quantum ferre muli duo possint dorso, sed quantum trahere vehiculo. Unde simul constat, mulos jungi ad plaustra & vehicula oneribus gestandis parata consuevisse. Solebat quoque jungi molis farinariis, ut asini. Isidorus sane ob hanc causam mulos putat appellatos. Μύλη namque *mola*. *Mulus*, ait, *Græco tractum vocabulum habet. Græce enim, quod jugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas.* Et apud Suetonium
E in Julio cap. 31. memorantur *muli e proximo pistrino ad vehiculum juncti*, qui non alii, quam ad molas farinarias destinati. Ad aratra quoque aliquando adhibebant. Columella lib. VI. cap. 37. *Uterque sexus (mulorum) & viam recte graditur, & terram commode proscindit, nisi pretium quadrupedis rationem rustici oneret, aut campus gravi gleba robora boum deposcat.* Videtur hoc loco Columella boves robustiores facere mulis. Contra censet Homerus, qui ne mulabus quidem putat in hoc opere posse comparari. Verba ejus sunt Iliad. K.

F Ἡμιόνων, (αἱ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον.

Mularum (hæ enim bobus præstantiores sunt ad trahendum in novali profundo compactum aratrum. Hic mulas præfert bobus. Sed est ista apud Homer. comparatio non de robore instituta, sed celeritate. Eustath. Φασὶν οἱ ἔμπειροι ὡς μετὰ τὴν πρώτην τῆς γῆς ἐργασίαν, βοῶν δεῖ, σχολαιοτέρων ὄντων καὶ γενναιοτέρων, ὡς ἂν βαθεῖα γένηται ἡ τομὴ, ἐν δὲ τῇ νειῷ ἤδη προεσχισ-

μέρη, χρήσιμον τὸ τῶν ὀρέων γένος, μᾶλλον ὡς ὀξύτερον. Τοιοῦτον γὰρ τὸ ὀρεικὸν ζεῦγος, ὥσπερ αὖ τὸ τῶν βοῶν ἰσχυρότερον. *Ajunt periti, quod primæ ſubactioni terræ conveniant boves, quoniam ſint tardiores, & laboris patientiores, ut profundi ſulci agantur. In ſubacta vero & aratro ſciſſa utilius ſit genus mulorum, ut quod ſit celerius. Tale namque jugum mulare, quemadmodum contra boum eſt robuſtius.* Sed ad genus ultimum eſt veniendum, id eſt, equos. Hos vero ad vehicula jungi ſolitos notiſſimum. Et jam ſupra prolixe hac de re locuti ſumus. Fuitque uſus hic eorum non in militaribus ſolummodo vehiculis, iiſve, qualibus in urbe itineribuſve incedebant, verum etiam agreſtibus. Quo reſpectu Virgilius lib. III. Georg. ubi agit de cura circa equas gravidas:

Non illas gravibus quiſquam juga ducere plauſtris,
Non ſaltu ſuperare viam ſit paſſus. ——

Neque enim opus erat iſta admonitione, niſi equi alias equæve jungi plauſtris conſueviſſent. Ad aratra tamen juncti rariſſime videntur. Varro ſane, Columella, cæterique, quando mentionem faciunt arationis, boves tantum memorant vel tauros, equos nunquam. Neque apud Virgilium aut Scriptorem alium veterem aratorem equum memini legiſſe. Similiter Jureconſulti veteres, ubi fundi enumerant inſtrumenta, boum & jugalium, nunquam equorum nominatim faciunt mentionem. Eadem Græcorum fuit conſuetudo. Nuſquam certe Pollux loquitur de equo ad aratrum. Et omnino equos cenſeo in magno quondam pretio fuiſſe, ac iccirco adhiberi raro potuiſſe ad hæc opera. Contra quam videmus hodie per multas Europæ fieri regiones, ubi bobus arare inter notas paupertatis apud agreſtes ſolet numerari. Sed de his occaſione alia.

CAP. IX.

De feris & ſimilibus domitis ad vehicula.

Feras ad vehicula qui primus junxerit. Hyginus emendatur. Inter eas uſurpati cameli. Salmaſii lectio Pliniana comprobatur, & Græca Eſaiæ refellitur. Cameli veloces. Juncti ad aratra quoque. Elephanti in curru Regum ac triumphantium. Plinius, Diodorus expoſiti, Demſterus notatus. Capitolinus emendatus. Fuerunt etiam in carpentis Auguſtorum circenſibus & quadrigis, item in vehiculis onerariis & aratris. Leones in curru, & quis Romæ primum junxerit. Κῶλος quid. Dalechampius notatur, & Athenæus exponitur. Pardi & tigres in vehiculis. De Servio, ejuſque quadam hiſtoria ſuſpicio. Item urſi, & apri, & origes, & ſtruthiones, & bubali, & biſontes. Oppianus arguitur & explicatur, itemque Solinus. Tum aſini ſylveſtres, & cervi, & canes, & hirci. Leguntur & hermaphroditæ equi & onelaphi in vehiculis. Athenæi locus examinatur.

PRæter domeſticas, veteres nonnunquam ſive magnificentiæ, ſive luxus oſtentationiſque cauſſa vehiculis jungebant feras. Eſtque hoc inventum minime recens, ſed jam ante tempora Trojana notum, quando de Admeto Hyginus fab. 50. *Alceſtim Pelei filiam cum complures in conjugium peterent, & Pelias cum multos eorum* A *repudiaret, ſimultatem bis conſtituit, ei ſe daturum, qui feras beſtias ad currum junxiſſet: Iis, quum vellet, aveheret. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut ſe adjuvaret. Apollo cum ab eo eſſet liberaliter tractatus, cum in ſervitium fuit ei traditus, aprum & leonem ei junctos tradidit, quibus ille Alceſtim in conjugium avexit.* Sic emendo locum hunc, in quo ante fuit; *Is quam vellet:* ſine ſenſu. Cæterum ferarum aliæ accedunt propius ad domeſticas animantes, aliæ non item. Ex his, quæ accedunt propius, cameli ſunt, & elephanti. De CAMELIS ergo primo loco dicemus. Etſi enim Plinius uſurpatos ad vehicula videatur negare, tamen B diverſum comprobabimus. Verba Plinii ſunt lib VIII. c. 18. ubi de camelis agit: *Omnes jumentorum miniſteriis dorſo funguntur, aut vicem equitatus in prælio.* Ita bene locum hunc emendat Clariſſimus Salmaſius, cum ante legeretur: *Omnes jumentorum in iis terris dorſo funguntur, atque etiam equitantur in præliis;* abſque ſenſu. Dicit Plinius, fungi jumentorum miniſteriis *dorſo*, non cervice vel collo, quod huic eſſe oppoſitum, ſupra notabamus, uſurparique de iis, quæ ſarcinas onerave geſtant; & fungi talibus miniſteriis *omnes*. Unde conſtat, Plinium camelos jugales C aut vehicularios ignoraſſe. Memoravit tamen eos etiam ex Prophetis Eſaias cap. XXI. v. 7. Nam, ut auctor eſt Clariſſimus Bochartus, intelligendus ibi *currus, quem cameli vehunt*, teſte Symmacho, non ἀναβάτης καμήλου, ſicut vertunt Græci, vel *aſcenſor cameli*, ſicut reddiderunt Latini, cæterique interpretes. Nec res fuit tam rara vel inſolita per Orientem. Nam & Strabo lib. XV. ubi loquitur de elephantis: Νέαρχος φησὶ, μέγιστόν τε νομίζεσθαι κτῆμα ἐλεφάντων ἅρμα. Ἄγεσθαι δ' ὑπὸ ζυγὸν καὶ καμήλους. Vertunt: *Scribit Nearchus, quod maxima poſſeſſio exiſtimetur elephantis bigæ, duci enim ſub jugo, ut camelos.* Sed vertendum D eſt: *Duci vero etiam ſub jugo camelos.* Oſtendit Nearchus, non elephantos modo per Indiam vehiculis adjungi, ſed & camelos, idque ibi ſolens eſſe, licet alibi non faciant. Uſurpavit tamen Ptolemæus Philadelphus etiam in pompa ſua, quæ deſcripta extat apud Athenæum lib. V. Memorantur enim ibi συνωρίδες καμήλων ἐξ ἑκατέρου μέρους τρεῖς: *utrinque bigæ tres camelorum.* Ex Romanis idem fecit Nero, de quo Sueton. cap. II. *Commiſit etiam camelorum quadrigas.* Ubi tamen vox, *commiſit*, docet, non ſimpliciter traxiſſe tantum, ſed certaſſe curſu quoque in Circo. Atque eſt non contemnenda nonnullorum ex ipſis E velocitas, ut Plinius lib. VIII. cap. 18. teſtatur. Igitur & de Sagaræis Ælianus lib. XII. cap. 34. Hiſt. Anim. Σαγαραῖοι τῇ Ἀθηνᾷ καμήλων ἀγῶνα ὅσα ἔτει σὺν αἰδοῖ τῇ τῆς θεοῦ ἐπιτελοῦσι. Γίνονται δὲ ἄρα παρ' αὐτοῖς αὗται δρομικώταταί τε ἅμα καὶ ὤκισται. *Sagarenſes quotannis ſumma adverſus Minervam obſervantia ei celebrant camelorum certamen. Enim vero velociſſimi apud ipſos procreantur.* Neronem imitatus eſt Heliogabalus, ſimia ipſius. Nam Lampridius de eo cap. 23. *Dicitur junxiſſe etiam camelos quaternos ad currus in circo privato ſpectaculo.* Quaterni cameli ſunt, quos quadrigas camelorum Suetonius appellavit. Cameli ad F poſtremum aliquando quoque ſerviebant aratro. Leo ſane Africanus affirmat, Numidas vulgo terram exercere equo & camelo. Utut autem camelorum uſus fuerit non plane nullus in vehiculis, tamen longe major fuit elephantorum. Atque primum quidem Reges ipſi ELEPHANTOS in curru ſuo apud Indos habuere. Curtius lib. VIII. cap. 9. *Rex breviora itinera equo conficit, longior ubi expeditio eſt, elephanti vehunt currum, & tantarum beluarum corpora tota contegunt auro.* Secuti

postea exemplum hoc & Reges alii. Sic in pompa Regis Syriæ Antiochi habes apud Athenæum lib. v. cap. 5. ἐλεφάντων ἅρμα, *currum elephantorum*. Et in alia pompa Ptolemæi Philadelphi apud eundem paulo post Calixenus Rhodius commemorat ἐλεφάντων ἅρματα εἰκοσιτέσσαρα, *elephantorum currus viginti quatuor*. Apud Romanos ornabant currus triumphantium, fuitque primus Pompejus, qui hoc instituit. Plin. lib. VIII. cap. 2. *Romæ juncti elephanti primum subiere currum Pompeii Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur.* Plinii sententia, nisi fallor, ea est, Liberum seu Bacchum primum triumphasse junctis ad vehiculum elephantis. Atque ita Demsterus ad Rossini x. *Bacchus de Indis devictis triumphaturus quatuor elephantos jugo summisit.* Laudat deinde auctorem Diodorum Siculum lib. IV. At ille nihil de vehiculo, nec de elephantis quatuor, tantum egisse πρῶτον τὸν ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ, *primum omnium triumphum super elephanto Indico* testatur. Quæ verba volunt, vectum elephanto ipso, cui nimirum insidebat. Itaque non bene Demsterus, ac ne Plinius quidem, nisi alios secutus sit auctores, quam quos Diodorus. Post Pompejum elephantos ad currum triumphalem junxisse Cajum Cæsarem scribit idem Demsterus, loco supra nominato: *Post hunc* (Pompejum) *Cajus Cæsar Gallico Triumpho* junxit. *Sueton. cap.* 37. At illo quidem loco nihil tale videas. Sed nec alibi de Cajo memorat, quod de Gallis triumpharit, adeo nil tradit de ipsius elephantis. Triumphum ejus de Germanis narrat cap. 47. sed nec eo loco ulla mentio elephantorum. Pergit Demsterus, & Claudium quoque junxisse ait in triumphali curru ex ejusdem Suetonii cap. 11. Sed non magis illo loco mentio currus triumphalis. Sermo est de curru in Circensi pompa, sicut postea videbimus. Idem post Claudium nominat Domitium. *Deinde*, ait, *Domitius Allobrogibus Arvernisque superatis. Suet. in Nerone, cap.* 2. Suetonii eo loco hæc sunt verba: *Cn. Domitius* (atavus Claudii) *in Consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis elephanto per provinciam invectus est*. Nulla mentio hic triumphalis currus, & videri potest non tam vehiculo, cui adjunctus foret elephantus, quam elephanto ipso vice equi usus. Subdit amplius Demsterus Gordianum. Credo Gordianum tertium innuere. Nam in cæterorum vita, a Capitolino proposita, nihil videas de elephantis. At de hoc sic habet cap. 27. *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Hic quadrigas elephantorum accipit Demsterus pro quadrigis triumphalibus, quia sequitur de triumpho At mihi non videntur ista cohærere. Eccur enim, quia Persas vicit, quadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non sunt elephanti proprie ac speciatim usitati Persis. Dein quid hoc est? *Quadrigæ elephantorum decretæ, ut triumpho Persico triumpharet.* An triumpho Persico triumphare aliter non potuit? Itaque vix credo sic Capitolinum scripsisse. Potius ita hæc legenda censeo: *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, atque, qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Quicquid sit, quadrigæ elephantorum Gordiano hic decretæ, non ut iis triumpharet, sed ut ex lapide marmoreve formatis publico loco honoraretur. Nunquam enim triumphantibus a Senatu legimus decretum, quo animalium genere uterentur in curru: at honores, statuas, bigas, quadrigas decretas invenimus sæpissime. Et sequitur statim apud Capitolinum, *Misit theo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus hujusmodi*, quæ omnia de statuis intelligenda. Sic itaque & Gordiano decretæ quadrigæ cum elephantis, sicut loco alio uberius monstrabimus, ubi seorsum de honore hoc agemus. Superest Alexander Severus, de quo clare Lampridius cap. 57. *Pedes palatium conscendit, quum retro currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur.* Item Aurelianus, de quo Zonaras tom. III. *Romam reversus quadrigis elephantorum triumphavit.* Quanquam hujus rei mentionem nullam faciat Vopiscus, qui tamen cætera triumphi diligenter executus est. Post currus triumphales, elephantos habemus in carpentis Augustorum, quibus honorabantur in pompa Circensi. Videturque honor ille primum tributus a Senatu Octavio. Suetonius in Claudio cap. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & in Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit.* Habes ecce currum Augustæum cum elephantis in circensi pompa. Et ne putes imaginarium fuisse, verum a vivis tractum elephantis, dabo locum Xiphilini, qui sic de eodem, vita Neronis: Καὶ οἱ ἐλέφαντες οἱ τὴν τοῦ Αὐγούστου ἁρμάμαξαν ἄγοντες, ἐς μὲν τὸν ἱππόδρομον εἰσῆλθον, καὶ μέχρι τῶν βουλευτῶν ἑδρῶν ἀφίκοντο. *Et elephanti, qui trahebant currum Augusti in Circum ingressi eo usque, ubi Senatores sedent, processerat*. Trahunt & procedunt hic elephanti juncti ad Augusti eum currum. Factum porro hoc imperio Neronis, unde liquet, diu eam consuetudinem mansisse. Post Augusti currum hunc, invenio & Claudii, itemque Vespasiani, similes Augustæo, in antiquis nummis. Nam Scriptores temporum illorum, quantum scio, memorare omiserunt. Pertinacis tantum legimus apud dictum Xiphilinum, ubi de Severo: Προσέταξε χρυσῆν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσαγεσθαι. *Jussit statuam ejus auream curru elephantorum in Circum vehi*. Cæterum hæc consuetudo monstrandi magnorum virorum imagines vectas curru elephantorum in solenni pompa etiam Græcis Macedonibusve fuit usitata. Athenæus sane scribit lib. v. cap. 8. ubi pompam Ptolemæi ex Calixeno commemorat: Καὶ ἐπὶ πᾶσιν Ἀλεξάνδρου, ὃς ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἀληθινῶν ἐφέρετο χρυσοῦς, Νίκην καὶ Ἀθηνᾶν ἐξ ἑκατέρου μέρους ἔχων. *Præter hæc cuncta Alexandri, qui aureus in curru veris elephantis juncto ferebatur, Victoria & Pallade ejus utrumque latus claudentibus.* Apud Romanos habitus honor iste etiam Imperatricibus. Sic aviæ Liviæ *in circensi pompa currum elephantorum* decrevit Claudius, ut jam supra ex Suetonio vidimus Agrippinæ, Faustinæ aliarumque currus similes cernuntur in antiquis nummis. Amplius junxisse observamus elephantos ad vehicula, quibus certabant in Circo. Quanquam ignorem, an hoc quisquam fecerit, præter unicum Heliogabalum. Lampridius de eo, cap. 23. *Fertur & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse*. Τὸ *agitasse* monstrat, fuisse ludicrum istud instar certaminis curulis in Circo, quanquam Heliogabalus non in Circo, sed in Vaticano agitaverit. At vehiculis aliis, quibus portabantur onera, junxisse innuit & Seneca, quando inquit lib. II. de ira, cap. 31. *Aspice elephantorum jugo colla submissa.* Indis hoc vulgatum fuit. Plinius lib. VI. cap. 19. de Indis loquens diversis: *Unum super hæc est genus, venandi elephantes domandique; iis arant, iis invehuntur.* Quanquam illud *invehuntur* possit accipi de non curru vectis, verum ipsi elephanto insidentibus, qua re nihil fuit apud eos usitatius. Interim & alterum in usu habuisse, vix est du-

bium. Sane faciunt id hodieque, atque memorat Acosta, junctos ad tormenta ænea, quorum in militia esse usus solet. Neque forsan alio respexit Strabo, quando ait lib. xv. de Indis: Μέγιστόν τε νομίζεσθαι ἐλεφάντων ἅρμα φησί. *Maxima possessio putatur elephantorum currus.* Item, ὑπὸ ζυγῶν ἄγεσθαι φησί. *Ajunt duci sub jugo.* Atque ad hunc modum de Adriano Spartianus: *Colossum stantem atque suspensum per Detrianum architectum, & de eo loco, in quo nunc templum urbis est ingenti molimine, ita, ut operi etiam elephantes quatuor & viginti exhiberet.* Postremo & aratris adjunguntur. Plinius lib. vi. cap. 19. ubi de ipsis agit: *Iis arant, iis invehuntur, hæc maxime novere pecuaria.* Item lib. viii. cap. 1. *Indis arant minores, quos appellant nothos.* Solinus cap. 65. *Elephantos venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem aut arant, aut vehuntur.* Ad vehicula veteribus adhibiti etiam LEONES. Primus, qui hoc Romæ fecit, M. Antonius memoratur. Plinius lib. viii. cap. 16. *Jugo subdidit eos, (leones) primusque Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem civili bello cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Quando Plinius primum eum vocat, qui sic junxerit leones, plures postea fecisse ostendit. Primus enim est respectu plurium, qui sequuntur. Quanquam memoria paucorum superest. De uno legimus Heliogabalo, apud Lampridium: *Junxit sibi & leones.* Alias & in pompa Ptolemæi mentio leonum in vehiculis. Ita enim habet Athenæus loco antea laudato: *Post hos prodierunt leonum duodecim bigæ.* Ita vertit Dalechampius. At in Græco est συνωρίδες κώλων δεκαδύο, nulla mentio leonum. Κῶλος enim animal est Scythicum, album, inter cervum & arietem. Strabo lib. vii. Ἔστι δὲ τῶν τετραπόδων ὁ καλούμενος κόλος μεταξὺ ἐλάφου καὶ κριοῦ τὸ μέγεθος, λευκός, ὀξύτερος τούτων τῷ δρόμῳ. *Habent autem animal quadrupes, quod ab iis colos dicitur, magnitudine inter cervum & arietem media, album, cursu quam illa velocius.* Vocat κόλον, quod Straboni κῶλον. Hesychio existimo κολὸν esse. Verba hæc sunt: Κολόν, κολυσόν. Μέγαν τράγον κέρατα οὐκ ἔχοντα. Omnino hic κολὸς, quod reliquis κῶλος vel κόλος, quod liquet, quia dicit fuisse hircos majores, absque cornibus. Convenit enim magnitudini, quam in eis Strabo notat. Neque alia est caussa, quare in enumeratione diversorum vehiculorum apud Athenæum præcedat, συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, *hircorum bigæ sexaginta.* Nempe quia fuit animal cognatum hircis, ideo adjectum illis est. Legimus & PARDOS in vehiculis, sed rarissime. Martialis de temporibus Domitiani, quibus visum hoc spectaculum, lib. 1.

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tygres
Indulgent patientiam flagello, &c.

Habes hic non pardos solum, sed & TYGRES. Quales nescio, an ad currum junxerit & Cæsar Julius seu potius Augustus. Virgilius profecto de Daphnide v. Ecloga hoc modo:

Daphnis & Armenias curru subjungere tygres
Instituit. ———

At hoc Servius intelligit de Augusto. *Hoc*, inquit, *aperte ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Vult, quantum intelligo, hoc dicere, Augustum sacra Liberi instituisse, atque ideo dici subjugasse tigres. Nempe tigres in vehiculo sunt Liberi seu Bacchi, sicut loco alio docebo. Verum aliud est *subjungere tigres*, & aliud Bacchum seu Liberum junctis ad

A vehiculum tigridibus Romam adducere. Neque si dicamus Bacchum feras, & in eis tigres domuisse, aliquid efficiemus, cum nec Daphnis isto loco facere fingatur quidquam, quod ad Bacchum pertineat, nec in Cæsare Bacchum intelligere queamus. Ut sit cogitandum, annon sicut alia, sic ejusmodi spectaculum dederit Augustus. Plinius lib. viii cap. 17. *Divus Augustus Q. Tuberone, Fabio Maximo, Consulibus, IIII. Nonas Majas theatri Marcelli dedicatione tigrin primus omnium Romæ ostendit in cavea mansuefactum.* Alias & Heliogabalus in curru tigres habuit. Lampridius: *Junxit & tigres, Liberum sese vocans.*
B URSOS memorat Martialis ante dicto loco istis verbis:

——— *Freno Libyci domantur ursi.*

Putat Lipsius per ursos Libycos intelligendos esse leones. Nempe Libyam ursos alere non existimat. Sed diversum monstrat Clarissimus Salmasius magni Operis pag. 311. quem proinde arbitramur hic sequendum, sicut factum a Clarissimo Gerhardo Vossio lib. iii. Idol. cap. 52. Freno autem domitos non aliter intelligendum,
C quam in curru aut vehiculis. Ursis addo APROS; namque & de his Martialis dicto loco:

Et quantum Calydon tulisse fertur
Paret purpureis aper capistris.

Puto hic capistra intelligi, quibus regunt, qui adjunctos habent in vehiculo. Possunt quidem & capistra esse, quibus ora ipsorum clauduntur, & ducuntur ipsi. Quomodo in cœna Trimalcionis *tres albi sues adducti sunt, capistris & tintinnabulis culti.* Sed tamen non penitus insolitos fuisse in vehiculis, ostendit nummus aliquis Trajani,
D expressus ab Onuphrio in ludis Circensibus pag. 87. qui exhibet vehiculum ab apro & leone tractum, præeunte Hercule cum clava. Meminit & Occo alicujus, sed diversi, ut opinor, a priori. Descriptio illius hæc est in Trajano: *Diana Lucifera curru a leone & apro vecta dextra facem tenet, præeunte Hercule, Deam retro aspiciente, clavam dextro humero spectante, sine alia inscriptione.* Facit hic Dianam in curru, cum in altero Onuphrii sit Victoria, quæ, præter facem in dextra, palmam tenet in sinistra. Sed & ibi est inscriptio, cum hic sit nulla. Unde colligas non difficulter id, quod dixi. Apud
E Athenæum in pompa Ptolemæi habes quoque bigas ORYGUM. Μετὰ τούτοις συνωρίδες ὀρύγων ἑπτά. *Post hæc bigas septem orygum.* Sunt autem oryges ea figura, qua vulgo monocerotes traduntur. Eadem in pompa leguntur & STRUTHIONES ad vehicula. Ita namque habet: Στρουθῶν συνωρίδες ὀκτώ. Id est: *Struthorum bigas octo.* Major ibi numerus vehiculorum, quæ habebant BUBALOS. Συνωρίδες ait βουβάλων δεκαπέντε, *bigas bubalorum quindecim.* Quo loco bubalos debemus intelligere non boves feros, sive uros, verum animal diversum, ex caprearum genere, de quo Maxi-
F mus Bochartus Part. 1. Hist. Animal. lib. iii. cap. 22. BISONTES legimus apud Martialem, isto versu:

Turpes essedа trahunt bisontes.

Unde simul colligas, non esse usquequaque verum, quod de iis habet Oppianus, nempe ἀμαιμάκετον γένεθλον, *indomitum genus* existere. Nisi fors accipimus de domandi raritate difficultate-

que. Quo respectu Plinius quoque lib. VIII. cap. 15. *Gignit Germania insignia boum ferorum genera jubatos bisontes, &c.* Non intellexit Solinus, itaque de suo sic exposuit cap. 32. *Bisontes frequentissimi, qui boves feris similes, setosi colla jubis, horridi ultra tauros, pernicitate capti assuescere manu nequeunt.* ASINOS SILVESTRES in vehiculis memorat Athenæus in sæpe dicta pompa Συνωρίδες τέσσαρες ὄνων ἀγρίων. *Bigas quatuor asinorum silvestrium* habuit. Hos Latini alias *onagros* nominant, qui cum ipsi quoque aliquibus credantur arte nulla posse domari, hoc exemplo diversum ostendunt. Quanquam vel ipsa vehiculorum aut bigarum hic nominata paucitas ostendat, minime frequentem fuisse onagrorum subjugationem. Id quod & de subjugatione bisontium, bubalorum, struthionum, orygum, aprorum, tigridum, pardorum & similium censendum. CERVOS crebrius adhibuere, memoratque Athenæus in prædicta pompa bigas ἐλάφων ἑπτὰ, *cervorum septem.* Quin imo apud Patrenses solenne fuit, ut virgo sacra Dianæ in festo quodam publico veheretur curru cervis juncto. Pausanias in Achaicis: Καὶ ἱερωμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Ultima vehitur virgo sacerdos in pompa curru a cervis tracto.* Nescio, an simile quid observatum apud Gothos fuerit. Regem enim eorum curru cervis juncto vectum legimus apud Vopiscum vita Aureliani. *Fuit*, inquit, *alius currus, quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum: quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi Optimo Maximo ferebatur.* An hoc fuerit solenne Gothicis Regibus, sicut Francicis curru bobus juncto vehi, ignoro. Saltem quia Rhenonum, quos nominant Rangiferos, species non multum est diversa, quorum per Septentrionem, unde Gothi oriundi sunt, usus olim fuit longe frequentissimus, in eorum defectu adhibuisse cervos amore patriæ consuetudinis, forrassis non absurdum est putare. Hoc profecto videmus, etiam Aurelianum tali curru vectum. Quale quid & legimus de Alagabalo seu Heliogabalo. Lampridius cap. 28. *Processit in publicum & quatuor cervis junctis ingentibus.* Cervos in vehiculis exhibuit Domitianus quoque, sicut discimus ex Martiale lib. 1. ubi spectacula illius describit. Nam post alia sic quoque habet:

Mordent aurea--lupata cervi.

Quod sine dubio de bigis vel quadrigis cervorum intelligendum est Atque istæ quidem feræ domitæ ad vehicularem usum. Quæ ostendunt abunde, tabulam ab Onuphrio Panvinio exhibitam in de Ludis Circensibus pag. 11. non esse a pictoris sculptorisve ingenio confictam penitus, sed ad veritatem rei ipsius bigas leenarum, cervorum, leonum, capreolorum ibi decurrere. Ante cæteras autem omnes biga canum quoque ibi cernitur. Scilicet & CANES jungere vehiculis quandoque consueverunt. Lampridius de Heliogabalo dicto loco: *Canes quaternos ingentes junxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam; idque privatus in agris suis fecit.* Sæpius ostendit hoc fecisse, & cum adhuc privatus esset, & deinde, cum venisset ad imperium. Ait autem sic *vectatum* esse, quod ignoro, an de simplici vectatione tantum debeat intelligi, num potius de ludicra ad metam, qualis esse consueverat in Circo. Nam & ad hanc rem adhibitos aliquando canes legimus. Dio sive Xiphilinus lib. LXI. *Cum propter hoc Neronis studium ii, qui equos alebant, una cum aurigis superbe extollerentur, ac proinde erga Prætores & Consules perquam petulanter se gererent, Aulus Fabricius Prætor uti noluit illis, justa mercede cum quibusdam certare recusantibus, sed* κύνας διδάξας ἕλκειν ἅρματα, ἀντὶ ἵππων εἰσήγαγε, *canes doctos currus agere pro equis introduxit.* Patet manifeste, bigas canum ad metam decurrentes in prædicta tabula ex vero esse formatas. Exemplo canum jungere quandoque HIRCOS etiam consueverunt. Nam apud Athenæum sæpe dicto loco leguntur συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, *bigæ hircorum sexaginta.* Similia de capris discimus ex Martiale, quando ait lib. 1. ep. 52.

Gestari junctis nisi desinis Ædile capris.

Nec res penitus insolita nostris etiam temporibus: ipsi namque vidimus nonnunquam capros canesque in plostellis. Id vero prodigiosum atque singulare, quod hermaphroditas equas Nero junxerit. Plinius lib. XI. cap. 49. *Ostentabat Nero hermaphroditas subjuges carpento suo equas, in Treverico Galliæ agro repertas, ceu plane visenda res esset, Principem terrarum insidere portentis.* Possunt huc referri onelaphi Ptolemæi, si vera est scriptura Huraldini codicis Athenæi. Nam ubi vulgatus in sæpe dicta pompa exhibet bigas ἐλάφων ἑπτὰ, codex ille aliique habent ὀνελάφων ἑπτὰ, quod esset genus animalis ex asinis cervisque mixtum. Quanquam autem forte non omnimode repugnet procreari tale animal casu quodam, sicut ex vulpecula & cane, item tigride & cane procreantur aliquando, quæ vocantur ἀλωπεκίδες vel μετέχοντες, ut videre licet apud Gratium, & Ulitii ad eum notis pag. 174. vel sicuti ex asino equaque, qui vocantur muli; sic inventos esse uno tempore tam multos onelaphos, ut potuerint septem bigas conficere vix persuaderi mihi patior, atque ideo scripturam communem existimo servandam.

CAP. X.

De hominibus ad vehicula junctis.

Homines vehiculis adjuncti. Cathedrarii. Lecticarii. Corp ra lecticariorum. Lipsius notatur. Lecticas gestare non semper proprium servorum. Geruli. Κλινοφόροι. Διφροφόροι. Φορεῖς. Φορειοφόροι. *Trabarii. Vvoverii explicatio Sidonii repudiata. Savaro notatus, & Sidonius correctus. Astrabarii. Philargyrii dissensio ab aliis observata. Senici locus distinctus. Subire sub jugo. Jungere se sub jugo. Currus Ladislai. Jungere ad currum homines per superbiam consuetudo vetus. Lectio Lucani contra Argolum defensa. Pampillum, vox nihili. Lampridii locus expenditur.*

PRæter bruta sæpe homines adhiberi solent ad vehicula. Est autem hæc ipsorum opera vel solennis, vel singularis & inusitata. Solennis opera duplicis est generis, nam vel gestando promovent vehicula, vel trahendo. Gestant vehicula *cathedrarii*, quorum servilis fere conditio fuit. Meminit Sidonius lib. 1. ep. 11. de Curione: *Per cathedrarios servos domum raptus ac reportatus est.* Hic servi cathedrarii, qui gestant cathedras, sicut vocat Phædrus noster, lib. III. cap. 9. *Lecticarios* etiam vocabant. Hinc Suet. in Othone cap. 6. *Muliebri sella in castra contendit,* ac

ac deficientibus lecticariis cum descendisset, &c. Sella muliebris est cathedra, & lecticarii, cathedrarii, qui etiam hoc loco servi. Alias sunt lecticarii proprie, qui lecticas gestant. Sulpicius apud Ciceronem lib. IV. ep. 12. *Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meis lecticariis in urbem eam referre*. Quando ait, meis lecticariis, etiam hos habuisse servos ostendit. Quanquam autem hi servilis fere conditionis essent, tamen publice habebant, quoque ex minuta plebe, qui hoc munere fungebantur. Inde corpora eorum legimus in inscriptione veteri:

TIB. CLAUDIO
AUG. LIB
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM
CÆSARIS.

Tigranus hic libertus est, & tamen ex Lecticariorum corpore, qui Cæsari ministrabant. Quare nescio, qua ratione Lipsius ex hoc lapide conatus sit probare, lecticariorum ministeria inter servilia fuisse. Licet enim ita fuerit apud privatos, tamen aliter publice res habuit. Sed & alias amicitiæ officiique caussa ministerium hoc obibant. Quomodo legimus apud Suet. vita Claudii, cap. 10. *Ab his* (militibus) *impositus lecticæ, & quia servi diffugerant, vicissim succolantibus in castra delatus est*. Similia occurrunt apud eundem vita Othonis cap. 6. Martialis ipse non veretur istiusmodi officium præstare.

Lecticam sellamque sequar: nec ferre recuso.

Posteriori ævo dicti lecticarii etiam, qui efferebant funera, ex instituto Constantini magni, de quo consulendus est Kirchmannus lib. II. de Funer. cap. 8. Alias & *gerulos* appellavere. Seneca IV. Benef. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus?* Græci *κλινοφόρους* nominasse videntur. Ita sane habet Lexicon vetus Argentoratense: *Lecticarius, κλινοφόρος*. Maluerunt tamen *διφροφόρους* alii vocare. Ita sane legas apud Plutarchum: *Πολλοὶ συνίπωσαν, ὥσπερ γυναικὸς πολυτελοῦς, τῆς τραγῳδίας κομμωταὶ καὶ διφροφόροι*. Nam apud Athenæum lib. XII. c. 2. peculiarem notat ministrum aulæ Persicæ, qui præbere descendenti e vehiculo Regi sellam auream solebat, ne pedibus terram tangere cogeretur. Verba sunt Dinonis: *Cum Rex e curru descenderet, nec desiliebat, etiamsi exigua feret altitudo a terra, nec, ut egrederetur, manibus circumstantium fulciebatur. ἀλλ᾽ ἀεὶ αὐτῷ χρυσοῦς δίφρος ἐτίθετο, καὶ τούτῳ ἐπιβαίνων κατῄει, καὶ ὁ βασιλέως διφροφόρος εἰς τοῦτο εἵπετο. Sed ei semper admovebatur aurea sella, in quam egressus e curru descenderet, ejusque rei gratia semper regiæ sellæ gestator sequebatur*. Quanquam fortassis & alias curam sellæ ejus habuisse videatur, Regique eam præbuisse, quotiens esset opus. Plutarcho quoque sunt *φορεῖς*. Ita namque habet vita Artaxerxis: *Donavit Timagoræ φορεῖς τοὺς κομίζοντας αὐτὸν ἄχρι θαλάσσης*. In Glossario antiquo legimus *φορειοφόρους* pro ipsis. *Φορειοφόρος, lecticarius*. Alterius autem generis sunt, qui vehicula trahebant: quorum pariter est duplex ratio. Quidam enim ante se solebant propellere, alii post se trahere. Prioris generis existimo fuisse, qui chiramaxium impellebant. Et patebit amplius, cum de ipso vehiculo agetur. Veteribus in usu multo fuisse non videtur. Hodie est frequentissimum, non in hortis modo, sed & monumentis aggeribusque struendis. Posterius genus trahebat vel communia vehicula, vel sacra. De communibus res ipsa docet. Nec enim dubitare possumus, quin habuerint, qui fune plostellum religatum post se traherent. Quomodo nunc quoque fieri videmus cum in agris, tum in urbibus, ubi duo tresve birotum cum non parva sarcina trahere per plateas consueverunt. Pertinere huc *trabarii* videntur, quorum mentio est apud Sidonium lib. VI. ep. 1. Verba hæc sunt: *Tu nihilominus b statorum antesignanorum paulisper contubernio sequestratus, ultimos calones tuos lixasque non despicis, & ad extimos trabariorum, qui per insipientiam suam adhuc ad carnis sarcinas sedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers*. Woverius ad hunc locum ita notat: *Trabariorum*) *ita fere omnes MSS. sed opt. liber meus, & ad extimos triariorum &c. Fort. triariorum. Sed nihil mutandum. Nam & vulgatæ lectioni in facili interpretamentum comminisci*. Sed non ideo, quia interpretamentum comminisci facile, lectio altera repudianda. Ratio enim, cur *triariorum* legi nequeat, est evidens, quia illi, quorum hic est mentio, sunt inter lixas & calones, multo hastatis atque antesignanis inferiores. At de triariis nihil unquam tale proditum. Pro optimis & præstantissimis militibus semper habebantur. Liv. lib. VIII. cap. *Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis*. Hactenus ergo recte retinetur *τὸ trabariorum*. Neque deest viris doctis aliqua interpretatio. Vossius in Etymologico: *Atraba est trabarius, qui trabis vehit sarcinas*. Savaro in Notis: *Trabarii sunt, qui trabis & sarracis sarcinas & militaria vehunt impedimenta: sic a trabis trabarii dicti sunt. Sunt autem trabæ vehicula, quibus frugum culmi comminuebantur*. Miror Savaronem trahas voluisse sic exponere. Si enim talia fuere vehicula, quid ita illis impedimenta exercitus vehuntur? Et profecto trahis vehi sarcinas impedimentave militum nemo hactenus, opinor, legit. Quotquot veterum Scriptorum Latinorum Græcorumve illam rem exponunt, vehicula, plaustra, *ἁμάξας* & id genus nominant. Quare mihi valde sunt suspecti trabarii illi. Et quid, si legamus, *& ad extremos astrabariorum*? Ita procul dubio Sidonius scripsit; perque astrabarios intellexit eos, qui astrabas & jumenta clitellaria ducunt; ut sit ab astraba, astrabarius, sicut a clitella, clitellarius, a rheda, rhedarius & id genus. Sane prima syllaba in astrabarius apud Sidonium facillime absorpta esse potuit per syllabam ultimam haud ita dissimilem vocis præcedentis, & *b* non multum differt ab *b* in Manuscriptis. Postremo astrabarum usus frequentissimus in bello, sicut suo loco indicabitur. Sed si apud Sidonium sunt astrabarii, non intelligi possunt illi, qui trahunt trahas ipsi, equove juncto ducunt, atque adeo nec referri ad hanc classem. Quanquam non defuerint veteribus, qui trahas aliave istiusmodi vehicula post se traxerint, licet forte certum non habuerint vocabulum. Venio ad vehicula sacra, ea quoque constat homines traxisse funibus. Athenæus in Ptolemæi pompa lib. V. ubi de vehiculo, cui effigies imposita erat Bacchi: *Μετὰ τούτους τετράκυκλος πηχῶν τεσσαρεσκαίδεκα, ὀκτὼ δὲ τὸ πλάτος ἤγετο ὑπὸ ἀνδρῶν ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. Post hos rotis quatuor currus longus cubitos quatuordecim, latus octo, agebatur a centum & octoginta viris*. Ita paulo post de alio vehiculo, in quo Nyssa Bacchi nutrix: *Μετὰ δὲ ταύτας ἤγετο τετράκυκλος πηχῶν ὀκτὼ πλάτος ὑπὸ ἀνδρῶν ἑξήκοντα. Post has alter currus quatuor rotarum latus octo cubitos a viris sexaginta ducebatur*. Atque sic observes etiam in aliis. Similiter apud Virgilium Trojani ducunt sacratum Palladi equum. Versus sunt II. Æn.

Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, & stuppea vincula collo
Intendunt. —— —— ——

Dictys Cretensis: *Destructa murorum parte cum joco lasciviaque induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.* Et in universum de thensis Asconius in Verr. III. *Thensas dici putant, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Præter has solennes vehicula deducendi consuetudines, accidit aliquando, ut homines adjungerentur ob defectum jumentorum. Quomodo leguntur juncti olim Cleobis & Biton ad matris suæ plaustrum. Meminit Philargyrius ad Georg. III. *Cydippe Argivæ Junonis sacerdos, cum boves deessent, filios suos Cleobin & Bitonem plaustro subjunxit, & sic ad templum deducta est, quod fas non erat illam venire sine plaustro.* Dicit Philargyrius, matrem eos subjunxisse; at, qui primus hanc descripsit historiam, Herodotus ultro subiisse jugum ait. Ἐκκλειόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ οἱ νεηνίαι, ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν ζεύγλην, εἷλκον τὴν ἅμαξαν. *Juvenes exclusi tempore, jugum subeuntes plaustrum pertraxerunt.* Atque sic Hyginus cap. 254. *Inter quam trepidationem Cleops & Bitias pro bobus sub jugo se junxerunt, & ad fanum sacra & matrem Cydippem in plaustro duxerunt.* Nota, esse Cleopen Hygino, qui Herodoto & aliis est Cleobis, & Bitian, qui cæteris est Bito. Nam & Servius sic vocat ad prædictum Virgilii locum, ubi etiam ipse, *matrem, subeuntes jugo, ad templa duxere.* Sic sunt distinguenda illa verba, quæ se male habent in vulgatis *Subire jugo*, est, quod Hyginus dixit, *jungere se sub jugo.* Necessitate licet alia juncti olim homines. Legimus quippe anus ad aratra sine dubio inopia quadam jumentorum. Plinius lib. XVII. cap. 5. *In Byzacio Africæ campum post imbres vili asello, & a parte altera jugi anu vomerem trahente vidimus scindi.* Manuscripti & Chiffletianus codex habent, *jungi anum vomerem trahentem*, quod rem clarius exponit. Quanquam a recepta lectione minime fortassis recedendum. Non sunt dissimiles multum dicti olim apud Hungaros *currus Ladislai.* Nam cum incursione Tartarorum sub Ladislai IV. imperio vastatis omnibus jumenta quoque defecisse it, homines ad plaustra & aratra juncti. Quod vehiculorum genus odio Ladislai appellabant, sicut dixi. Memorant Bonfinius & alii temporum illorum Scriptores. Invenimus aliquando junctos homines per superbiam, & in signum aliquod victoriæ. Nec est ista consuetudo recens, verum pridem usurpata Sesostri apud Ægyptios. Josephus nominat Susacum. Diodorus lib. I. *Qui gentium devictarum regna indulgentia ipsius tenebant, aut alioquin principatus acceperant, maximos stato tempore cum donis in Ægyptum ventitabant. Quos Rex exceptos cætera honorare & eximie provehere, sed templum vel urbem ingressurus, equos a quadrigis solvere, Regesque ac Duces quaternos subjugare solebat: planum ita cunctis, ut putabat, faciens, quod aliorum potentissimis totoque orbe clarissimis, bello subactis, in virtutis certamine sibi comparandum habeat neminem.* De eodem Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Victo Sesostre Ægypti Rege, tam superbo, ut prodatur annis quibusque sorte Reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, sicque triumphare.* Hinc Lucanus lib.

Venit ad Occasum mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

Argolus in Notis ad Onuphrium pro *Occasum* citat A *Oceanum*. Nimirum quoniam in Oriente fuit Sesostris, præterea Oceanus extremum mundi, sicut dixi pridem in libris de Mil. Navali; Occasus autem non magis mundi extremum, quam Oriens, vel Meridies, vel Septentrio. Sed omnino retinendum est *Occasum*, quoniam postremum Sesostri fuit bellum cum Scythis, qui Ægyptiis ad *Occasum*. Sesostri hac parte similis fuit Cyrus, uti testis est Cedrenus, quando sic de ipso pag. m. 117. Ὁ Κῦρος αἰχμαλωτεύσας πολλοὺς βασιλεῖς, καὶ ἔχων αὐτοὺς ἐν φυλακῇ, προσέταξε κατὰ ἑορτὴν τοῖς ὤμοις αὐτῶν φέρειν τὸ τετράιππον ἅρμα, ἐν ᾧ αὐτὸς ἐπωχεῖτο. B *Cyrus cum multos haberet Reges captivos & in custodia detineret, solenni quadam festivitate eos trahere suis humeris quadrigas jussit, quibus ipse vehebatur.* Postremo & lasciviæ caussa junctos homines legimus. Nam de Heliogabalo Lampridius c. 29. *Junxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerumque nudus, quum illum nudæ traherent.* Ita habent cum Schreveliana editio nupera, quæ Salmasii, Casauboni, Gruteri editiones sequitur, tum Henrici Stephani, atque aliorum. Notant tamen pro *ad papillam*, Palatinum Manuscr. exhibere ad *pampillum*. Atque ita editores Fori Romani repererunt suis in codicibus, C unde *genus delicati currus* sunt interpretati. Sed pampilli quidem nulla ratio denominationis liquet, sive Græcam linguam sive Latinam consulemus. Quare sunt, qui *pompilli* legere hic malunt. Sed de pompa nulla loquitur Lamprid. Deinde nec *pompillum* legimus, sed *currum pompaticum*. Isid. lib. XX. cap. 12. *Carpentum pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum.* Nempe sic *ad ventum pompaticum* dixit Tertullianus adv. Valent. cap. 16. Apud quem cum reperiatur & *pompalis*, *pompalem* quoque *currum* dici potuisse liquet. Quare dubito de integritate hujus loci, & quidvis potius, quam D *pompillum* aut *pampillum* legere volo. Neque tamen τὸ *papillam* possum amplecti; ecquid enim est, *jungere mulieres ad papillam?* Quid papilla facit ad juncturam? Deinde, cum de pluribus mulieribus sit sermo, cur non *ad papillas* potius dicendum fuit? Neque cogitare possumus sic junctas, ut jugum funesque cingerent earum papillas. Nemo enim ad hunc modum diceret, *jungere equos ad collum, vel cervicem.* Quoties illud *jungere ad* occurrit, toties fit mentio rei, cui quid adjungitur, & quæ ducenda trahendave venit, ut jungere ad currum, ad aratrum. Quare alia excogitanda lectio, E de qua dicemus amplius, cum ad vehicula ipsa ventum erit. Neque enim dubitare possum, quin sub voce *papillam* vehiculi genus quoddam lateat.

CAP. XI.

De jugo & funibus, quibus junguntur.

Jugum, unde. Ζυγὸς *pro bovibus mulisve junctis.* F *Athenæi & Polybii explicatio rejecta. Materia jugi lignum. Locus Esaiæ expenditur. Jugum unctum oleo. Jugum buxeum, æneum, ferreum. Figura ejus eadem in omni genere jugalium. Jugum fuit curvum. Stevechii & Lipsii figuræ rejectæ.* Ζεύγλη. *Sub uno jugo duo, aliquando tria, sed non nisi certo fine.* Μέσαβα. *Gualtherus notatur.* Ἀκροχηνίσκοι. *Curtius exponitur. Cælata juga.* Γλυφὴ, ἄκρον ζυγοῦ. *Hesychius explicatur & emendatur. Stephani explicatio rejicitur.* Ζυγόδεσμον. *Pollux emendatur.* Ζυγοδέτης. *Lora.*

Juga lorata. Subjugæ. Cato emendatur. Ἑστωρ *Ὀμφαλὸς ζυγοῦ. Λέπαδνα. Eustathius explicatur, item Pollux.* Μαχαλιστῆρες. *Antilena, postilena. Plautus exponitur contra Lambinum.* Ὑπουρίς. *Pertinet ad clitellas.* Διερειστὴρ. *Vossius rejicitur. Jugum equis solitum imponi.* Ζύγιοι ἵπποι. *Jugales. Item mulis atque asinis, & quidem in collo, ac libere, ut possent excutere.* Λόφος. *Statius exponitur.*

ANimalia, quæ ad currus junguntur, jungi fere solent interventu jugi. Sic enim vocabant instrumentum illud, ad quod & temo vehiculi & funes cæteri, quibus trahebant, religabantur. Dicebatur vero jugum ita a jungendo, uti Varro testis est. *Jugum*, ait, *& jumentum a junctu*. Quanquam forte rectius cum Gerhardo, Vossio statuamus contra sese rem habere, ac a *jugo* venire *jugare*, item *jungere*. Jugum autem a Græco ζυγὸς derivari, permutatione quadam literæ ζ, cui similem Latini non habent, in I, quomodo & a μεῖζον *majus* est. Ζυγὸς profecto Græcis, quod Latinis jugum. Philoxenus: *Jugum*, ζυγός. Licet hoc ζυγὸς fortasse sit a ζεῦγος, quod, ut Hesychius est auctor, notat πᾶν τὸ ἐζευγμένον, id est, quidquid conjugatum sociatumque est. Quomodo est ζεῦγος pro bobus junctis apud Athenæum lib. I. cap. 13. ubi agitur de saltatione Magnesiorum. Μάχεται πρὸ ζεύγους ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλόν. Καὶ τέλος ὁ λῃστὴς δήσας τὸν ἄνδρα, τὸ ζεῦγος ἀπάγει. Perperam Interpres: *Raptis armis ante jugum arator pugnat, tibiæ modis corporis motum adaptans. Ad extremum vero prædo vinctum aratorem cum jugo abducit*. Ζεῦγος enim hic sunt juncti boves, quibus arator sparsa semina simulabat insinuare terræ. Sic ζεῦγος mulæ carrucariæ apud Polybium in Exerc. Peirasc. pag. 154. Καὶ τῶν ὀρεοκόμων, καὶ τοῦ ζεύγους, καὶ τῆς ἀπήνης αὐτῆς ὑπαρχούσης. Ubi pariter interpres male, *iisdem pilento, bigis ac mulionibus*. Nihil enim hic de bigis agitur, sed mulabus. Materia ipsius vulgo fuit lignea. Inde habes apud Esaiam cap. 10. *Auferetur jugum de collo tuo, & computrescet jugum a facie olei*. Dicit, *computrescet*, quod non convenit in aliam materiam, præsertim, cum addatur caussa, oleum. Græci omiserunt: Ita namque habent: Καὶ καταφθαρήσεται ὁ ζυγὸς ἀπὸ τῶν ὤμων σου. At Junius & Tremellius: *Imo disturbabitur jugum propter oleum*. Clarius Castalio: *Jugum ex cervice auferetur, jugo præ pinguitudine corrupto*. Nempe hoc vult, nisi fallor, fore, ut oleum nimis jugo inunctum non conservet ipsum, sed corrumpat. Solebant enim instrumenta illa lignea, quo fierent durabiliora, oleo inungere. Cato R.R. c. 98. *Amurca decocta* (ea fex est olei) *ligneam supellectilem omnem si ungues, non putrescet, & cum ea terseris, splendidior fiet*. Apud Homerum in vehiculo Priami buxeum est jugum. Verba sunt Iliad. Ω.

Κὰδ δ' ἀπὸ πασσαλόφιν ζυγὸν ᾕρεον ἡμιόνειον
Πύξινον, ὀμφαλόεν τ', εὖ οἰήκεσσιν ἀρηρός.

Apaxillo jugum abstulerunt mulinum, buxinum, umbilicosumque, bene clavis aptatum. Notat hic Eustathius, ita factum ab Homero, cum ad indicandum robur, tum, quod sermo esset Regis de vehiculo, alias non fuisse usitatum. Verba ejus: Τὸ δὲ πύξινον, ἔστι μὲν καὶ πρὸς στερρότητα, ἔχει δέ τι καὶ κάλλος βασιλικῷ πρέποντος ἀπήνῃ. Οὐκ οὖν ὁ ζυγὸς βόειος τοιοῦτος εἴη. Dicit, jugum vulgare, ac quale bobus solebat imponi, non fuisse istiusmodi. Et profecto supra demonstravimus e carpino vel acere fieri consuevisse. Sicut autem vulgo lignea fuere juga, sic nonnunquam legimus & ænea. Nam Horatius III. Carm. od. 9. ita habet, de Venere loquens:

Diductosque jugo cogit æneo.

Et Apollonius lib. III. Argon. ver. 1283. de bubus Æatæ:

—— Ἴδε ζυγὰ χάλκεα ταύρων.

Ærea vidit juga taurorum. Sed & ferrea occurrunt. Claudianus:

—— —— *sub juga ferrea mittit*
Cornipedes. —— ——

Et jam olim DEUS ipse apud Jeremiam Prophetam cap. 28. *Jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor, Regi Babylonis*. Forma jugi fuit eadem in cunctis animalibus, cujuscunque essent generis. Quod colligimus ex eo, quia neque Græci neque Latini differentiæ alicujus meminerunt. Nam quod Cato de R. R. cap. 11 *jugum* memorat *plostrarium*, & mox *asinarium*, non tam pertinet ad formæ aliquam diversitatem, quam ad usum alium & alium, quando illud pertinuit ad plaustra, hoc ad molas. Deinde, quia, quæ in jugo boario memorantur partes, eædem iisdemque cum nominibus occurrunt & in jugo equorum, quod ex Polluce liquet, qui lib. I. cap. 10. 10. jugum equorum sic describit, sicut alii jugum boum, aliorumve animantium, ut constabit ex sequentibus. Denique ostendunt hoc imagines & monumenta prisca, quando ea specie, qua boum, etiam equorum juga exhibent. Quod ante omnia notandum, ne talia nobis imaginemur juga equorum, qualia hodie per Germaniam regionesque alias sunt in usu, orbiculata clausaque, & quibus equi colla inserunt. Nam contra veterum juga habuere ligna non duplicia, & coeuntia in orbem, sed simplicia, eaque leviter inflexa circa medium, curvaque. Inde Ovid. I. de Arte:

Præbet & incurvo colla premenda jugo.

Non igitur perite satis, quisquis in Stevechianis notis ad Vegetium quadrigas pinxit falcatas, pag. 215. equis quatuor imposuit tignum rectum instar asseris loco jugi. Sed nec Lipsii imago, quam proponit in Notis ad libros de Cruce p. m. 116. est conveniens, & nos infra dabimus ex Trajani Columna alia specie. Curvatura illa Græcis ζεύγλη. Pollux: Τὰ κοῖλα τοῦ ζυγοῦ, ὑφ' ἃ ὑπάγονται οἱ ἵπποι, ζεῦγλαι. *Curvaturæ jugi, sub quas mittuntur equi, zeuglæ*. Observandum, quod unius jugi curvaturas faciat plures. Τὰ κοῖλα, inquit, & tamen de uno tantum jugo loquitur. Videlicet non singula jumenta singula quoque apud veteres habuere juga, verum jugum unum simul incumbebat duobus. Inde factum, ut pro duobus istis jumentis uno in jugo duplex esset curvatura. Quod de uno jugo in jumentis pluribus dixi, liquet vel ex Columella, quando capite de domandis bubus lib. VI. *Per hæc blandimenta triduo fere mansuescunt, jugumque quarto die accipiunt*. Unum modo jugum memorat in pluribus. Similiter & lib. II. cap. 2. *In opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, jugumque melius aptum cervicibus insideat*. Quinimo lib. VI. c. 2. jugum memorat, quo tres simul jungi possint boves, pertinens singulariter ad eos domandos. *Si*, ait, *non pigeat jugum fabricare, quo tres jungantur, hac machinatione consequemur, ut etiam contumaces boves gravissima opera non recusent*. Memorat hoc jugum velut singulare, atque

alias non usitatum, unde liquet, vulgo habuisse, quibus jungebantur tantum duo. Neque alia est caussa cur Latinis pariter ac Græcis jugum boum de duobus usurpetur. Eadem fuit ratio in equis. Ovidius propterea in curru Solis, quem ducebat Phaeton, f. 3.

Consternuntur equi, & saltu in contraria facto
Colla jugo eripiunt, abruptaque lora relinquunt.

Jugo uni eripiunt colla plura, pluresque equi. Itaque & ipsi plures unico sub jugo, contra quam receptum nostris esse moribus consuevit. Quia ergo jugum unum pluribus, &, ut postea liquebit, duobus simul incumbebat, ideo in eo curvaturæ binæ, quæ a Græcis ζεύγλαι dicebantur. Errant enim, qui existimant fuisse ligna propendentia a jugo, hinc inde boum colla amplexantia: quando nulla talia in imaginibus antiquis. Etymologici auctor: Τὰ ζυγῷ τὰ τιθέμενα ἐπὶ τὰς αὐχένας τῶν βοῶν, οἱ μὲν ζεύγλας, οἱ δὲ βοείας, οἱ δὲ μέσαβα καλοῦσιν. Facit auctor hic eadem esse ζεύγλας atque μέσαβα. Porro, μέσαβα sunt lora quædam jugi, ut mox dicam. Sed notandum, ζεύγλαν duo denotare, lora ista, atque curvaturam. Ideo & de μεσάβῳ seu μεσάβῳ Stephanus, quod aliquibus sit ἡ τοῦ ζυγοῦ γλυφὴ, ἔνθα αἱ αὐχένες τῶν βοῶν δέδενται. *Jugi cavitas, in quam colla boum inseruntur, religanturve.* Sane ζεύγλας apud Pollucem non intelligi posse lora, vel ex eo liquet, quia statim post superius allata verba sequitur, ὧν τὰ ἄκρα, ἀκροχνίσκοι. Vertit ista Gualtherus, *quarum* (zeuglarum) *extremitates cornua vocantur*. Si zeuglarum extremitates cornua, quomodo possint esse lora, quorum extrema sive capita nemo unquam, credo, nominavit cornua? Quanquam Græca parum proprie reddiderit Gualtherus: Alia enim *cornua*, alia ἀκροχνίσκοι. Nam ἀκροχνίσκοι proprie extremitates, quæ desinunt in anserculos. Nimirum fuit ea consuetudo veterum, ut in jugis, præsertim equorum, extremitates sive capita formarent specie animalis alicujus, sive avis, maxime vero anserculi, quod videmus apertissime in jugo boum, quod occurrit in columna Trajani, ista specie.



Habes satis clare ἀκροχνίσκον in hoc jugo. Ad eundem fere modum cernitur in jugo alio a Lipsio in Notis ad lib. III. de Cruce exhibito, quanquam ibi pictoris inscitia canis aut piscis potius, quam anseris, speciem exhibeat. Appellabatur autem illa extremitas ἀκροχνίσκος, non quod semper ibi anserculi haberet effigiem, sed quod plerumque. Namque in quadrigis, quas diligentissime delineatas exhibet Philippus Rubenus lib. I. Elect. cap. 30. pars illa jugi desinit in helicem, cochleæ figura. In vehiculo Darii ab uno capite Nini, ab altero Beli habebat effigiem. Memorat Curtius lib. III. cap. 3. cujus verba non satis hactenus intellecta, explicant abunde, quæ hucusque diximus. *Distinguebant*, inquit, *internitentes gemmæ jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem.* Loco anserculi jugum illud effigies Nini Belique habebat, unam in dextro, alteram in sinistro capite, non demissas, ut paulo ante anserinum caput vidimus in jugo bovino, sed subrectas, ut opinor, quia scribit, *eminebant*. Atque hæc *cælata juga*, quorum mentionem facit Propertius lib. II.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Cælata hic, in certas effigies formata, isto modo, sicut dixi. Habuerunt tamen & simplicia, nullisque istiusmodi sculpturis cælaturisve culta, quorum postea effigiem exhibebo. Nunc cum satis constet, ἀκροχνίσκους esse in jugis, ζεύγλας esse partem jugi necesse est, quia capita seu ἄκρα ζευγλῶν Pollux appellari dicit ἀκροχνίσκους. Neque aliud intellexisse censeo Hesychium, quando ita scripsit: Ζεύγλη. Ζυγὸς, ἢ τὸ ἄκρον ζυγοῦ καθὸ ἐντιθῆ, τοὺς τραχήλους τὰ ζῶα. Quod Pollux appellavit κοῖλα, alii dixerunt γλυφὴν, id Hesychius ἄκρον τοῦ ζυγοῦ hic reddidit. Intellexitque illud superne inflexum, quod imponitur cervici, & cui cervix veluti inseritur. Itaque is ipse paulo ante: Ζεύγλας, ζυγοὶ, ἢ μέρη τοῦ ζυγοῦ, καὶ ζεύκτηρες ἱμαντόδεσμοι. Tria dicit hoc vocabulum significare, jugum integrum, vel certam ejus partem, vel lora quædam sive coria. Si partem ejus, alia profecto esse nequit, quam de qua huc usque dictum est. Sed apud eum loco ζεύγλας mallem ζεύγλαι legere, ut subsequentia respondeant. Ζεύγλαι interim & ζεύκτηρες ἱμαντόδεσμοι, ut Hesychius testatur, hoc est, lora jugorum, non *juga falcata*, ut Gualtherus reddidit absque sensu apud Pollucem lib. I. cap. 14. Μέσαβα exponit Etymologus, de quibus Hesychius: Μέσαβον, ἐξ ὠμοβοείων ἱμάντων, ᾧ τὸ ἰσοβοεῖα πρὸς μέσον τὸ ζυγὸν προσδέουσι ὅ τινες ἐχέβοιον. Sic ibi legendum videtur, non ἢ τὸ ἰσοβεία, sicut mea habet. *Messabum est lorum ex crudo corio, quo temonem alligant ad medium jugum, quidam echebœum appellant.* Bene τίνες, id est, *quidam*, nam echebœum aliter exponunt alii, ut mox dicam. Interea μέσαβον esse funem illum, quo temo alligatur jugo, firmat quoque Tzetzes ad Hesiodum. Μέσαβοι δὲ (inquit) οἱ λῶροι, οἱ μέσοι ὄντες τοῦ ζυγοῦ, καὶ συνδέοντες τὸν ῥυμὸν τῷ ζυγῷ. Ubi nota, quod sit Tzetzæ μέσαβος, qui μέσαβον Hesych. *Mesabi*, ait, *sunt lora, in medio jugi, quæ temonem jugo adfirmant.* Pollux quoque ad hunc modum lib. I. c. 13. Ὁ δὲ πλατὺς ἱμὰς, ὁ τῷ ζυγῷ παρακαθαπτόμενος, ἐχέβοιοι, ἢ μεσόβοιον, καὶ μεσάβοιον καλεῖται. Stephanus non recte *lorum bovem adjungens aratro* explicavit. Neque satis evidenter Gualtherus: *Lorum autem illud latum jugum contingens.* Quid enim est *contingens*? Loquitur de loro, quod jugo alligat temonem, de quo apud Pollucem proxime præcesserat. Et hoc est παρακαθαπτόμενος ζυγῷ, lorum, quod alligatur jugo. De quo speciatim hic observat Pollux, quod fuerit πλατὺ sive latum. Idem lib. I. c. 10. p. 10. ζυγόδεσμον vocavit. Τὰ δὲ συνάπτοντα αὐτὸ τῷ ζυγῷ, ζυγόδεσμα καλεῖται. Ita meus Francofurti an. MDCVIII. excusus. Verum sine dubio legendum συνάπτοντα αὐτὸν, ut respiciat ῥυμὸν, de quo præcedit. Et verterunt: *Jugum autem huic alligantia, jugalia lora dicuntur.* In quibus verbis illud *huic* sine dubio ad temonem retulerunt. Aliis est ζυγοδέτης. Hesych. Ζυγόδεσμος, ὁ ἱμὰς τοῦ ζυγοῦ, ὃν ἔνιοι ζυγοδέτην. Latini generali voce *lora* vocant. Inde habes apud Catonem de R. R. cap. 10. *Juga cum loris ornata tria.* Et Curtius de jugo Gordii loquens lib. III. cap. 1. *Ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit, vel implevit.* Ausonius de iisdem epist. 24.

Ocyus illa jugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse ducem reor. ——

Virgilius ex hac caussa dixit *juga lorata* in Moreto: A

Subjuga parentes cogit lorata juvencos.

Speciatim tamen observo lora ista esse, quæ Latini *subjugas* vocarunt. Glossæ veteres: Ζεύγλη, *subjuga*. Catonem puto lora istæc appellasse *subjugia*, cap. 63. diversamque ostendisse longitudinem eorum in plaustro & aratro. Verba habent ita: *Funem torculum esse oportet extentum P.LV. &c. subjugia in plostrum P. XVIII. funiculum P. XV. in aratrum subjugia lorum P. XVI.* Corrigenda hinc, quæ leguntur apud eundem cap. 135. *Subjugia in lustrum lora ped. XIX. funiculum P. XV. in aratrum subjugia lora P. XII.* Ita habet mea editio a Comelino anno 1595. publicata. Sed scribendum, pro *in lustrum*, *in plostrum*, & pro *P. XIX. P XIIX.* sicut contra in superiori loco pro *P. XVI.* B mallem *P. XII.* Vulgo putant, subjugia fuisse lora, quibus jugum collis boum equorumve aptabatur. Verum major apud me Glossarum fides, quæ ostendunt ad temonem jugumque pertinuisse. Solebat autem lorum hoc religari circum clavum, quem a jugo habebant trajectum, Græcis ἕστωρα vocatum. Scholiastes vetus Homeri Il. Ω. Εστωρ πάτταλος τῷ ζυγῷ ἐνιέμενος ἐν ἄκρῳ τῷ ῥυμῷ πεπηγώς. Ενθα κρίκος ἐμβάλλεται, καὶ τὸ ζυγόδεσμον ἀποδέδεται εἰς συνοχὴν τοῦ ζυγοῦ. *Hestor est paxillus jugo immissus, in summo temonis defixus, in quem injicitur annulus, & religatur lorum jugi, ut jugum contineat.* Ita Pollux: Ο δὲ πάτταλος, ὁ διηρημένος ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ ἐπὶ τὸν ῥυμὸν ᾧ τὰ ζυγόδεσμα C περιελίττεται, ἕστωρ. *Paxillus a jugo ad temonem erectus, cui lora jugi induntur, hestor.* Docent, paxillum istum fuisse in jugo, & transmitti consuevisse per temonem, quia temonem jugo imponebant, ut ostendam in sequentibus. Circulum quoque sive annulum injecisse paxillo illi demonstrant, qui annulus sine dubio in capite temonis fuit. Meminit hujus annuli Homerus etiam Il. Ω. in vehiculo Priami:

—— Επὶ δὲ κρίκον ἕστορι βάλλον
Τρὶς δ' ἑκάτερθεν ἔδησαν ἐπ' ὀμφαλόν.

Annulum paxillo injecerunt, ter vero utrinque ligarunt, juxta medium. Sic hæc explico; nam D ὀμφαλὸν expresse Scholiasti veteri τὸ μέσον τοῦ ζυγοῦ, *jugi medium*. Et temonem cum loris ad medium jugi religari consuevisse superius demonstratum est. Quando ait, *ter ligarunt*, lorum illud ter circum temonem jugumque vult fuisse ligatum firmitudinis majoris gratia. Quo fine quoque longum habebant. Quod Homerus quoque indicat, quando præmittit:

Εκ δ' ἔφερον ζυγόδεσμον ἅμα ζυγῷ ἐννεαπήχω.

Extuleruntque lorum cum jugo novem cubitorum. Facit lorum longum novem cubitos, quod est brevius nonnihil, quam quale Cato exigit in plaustro. Vult enim esse pedum XVIII. cum novem cubiti faciant pedes tantum tredecim cum dimidio. Dicit autem Homerus ter ligasse ἑκάτερθεν seu *utrinque*, quod accipio de utraque parte paxilli sive hestoris, ut in medio illorum vinculorum emineret, quæ simul ὀμφαλὸν ζυγοῦ ambibant. Habebat enim medium illud quædam foramina, per quæ firmitatis majoris gratia lora illa trajiciebant simul, cum temonem alligarent. Unde Hesychius: Ομφαλόεντα, ὀμφαλοὺς ἔχοντα ζυγόν. Ομφαλοὺς δὲ λέγουσι τὰς ἐν τῷ ζυγῷ τρώγλας, ἐφ' ὧν αἱ ἡνίαι δέδενται. *Umbilicatum, jugum umbilicos habentem. Umbilicos autem vocant foramina sive cava jugi, in quibus lora religantur.* Fuerunt autem illa non tam integra foramina, quam incisuræ quædam ad hoc factæ. Sic enim accipio, quod ait Eustathius: Ομφαλόεν δὲ, τὸ, ἢ κύκλους τινὰς κοίλους ἔχον ὀμφαλοειδεῖς, ἢ γλύμμά τε κοῖλον περὶ τὸ μέσον τοῦ ζυγοῦ, ὅπου οἱ ἱμάντες περιτίθενται. *Umbilicatum vero, quod habet circulos quosdam cavos umbilicorum figura, vel incisuram cavam circa medium jugi, circa quam ligantur lora.* Præter lorum, temonem jugo alligans, video & lorum aliud a jugo circa colla boum. Exhibet manifeste pictura proxime proposita, & quam Lipsius de Cruce publicavit. Similiter in illis bobus occurrit, quos ex Porcii marmore dedit Petus libro de Ponderibus & Mensuris. Boves trahunt aratrum, cum jugo istiusmodi.



Habes hic lorum a capite jugi, quod hic simplex est, descendens ambiensque bovis collum. Græcos λέπαδνα existimo vocasse. Eustathius Il. E. Λέπαδνα κυρίως, πλατεῖς ἱμάντες, οἷς ἀνεδεσμοῦντο οἱ τράχηλοι τῶν ἵππων πρὸς τὸν ζυγόν. *Lepadna proprie lora lata, quibus colla equorum religantur ad jugum.* Dicit primum manifeste, lora hæc pertinuisse ad colla, eaque religasse ad juga, quod notandum. Deinde lora hæc fuisse ait lata. Atque hac effigie cernuntur in bobus plaustri, quod in tabula marmorea expressum servant ædes Bar-



barinæ. Hic ſane lorum ſive corium eſt bene latum, quod colla boum ligat ad jugum. Verum non de boum jugo loquitur Euſtathius, ſed equorum. Credo, quod in verbis Homeri, quæ exponit, eſſet mentio equorum. Pollux aliter nonnihil de hoc genere lib. 1. cap. 10. p. 11. *Τὰ δὲ ἀπὸ τῶν ῥυμῶν ἀπηρτημένα, τὰ ὑπὸ τοὺς αὐχένας τῶν ἵππων ἑλιττόμενα, λέπαδνα. Quæ vero a temone extenſa ſub equorum collis conſtringuntur, lepadna.* Facit ipſe lepadna deſcendere non a jugo, verum a temone. Sed cum Euſtathio conſentit etiam Heſychius: *Λεπάδια, ἱμάντες πλατεῖς, οἷς ἀναδέονται οἱ τράχηλοι τῶν ἵππων πρὸς τὸν ζυγόν.* Ita habent editi, ſed legendum Λέπαδνα, quod jam Stephanus obſervavit. *Lepadna*, inquit, *lora lata, quibus religantur colla equorum ad jugum*. Expreſſe dicit πρὸς τὸν ζυγὸν, *ad jugum*, non ad temonem. Poteſt tamen verum eſſe etiam alterum, ſi credamus illa lora pependiſſe ab una parte a temone, ab altera revincta fuiſſe ad jugum. Et hoc velle ἀπηρτημένα Pollucis videtur. Auctor Etymologici alio nomine vocata putat μασχαλιστῆρας. Λέπαδνα, inquit, *οἱ κατὰ τῶν ἱππίων στηθῶν ἱμάντες, οἱ μασχαλιστῆρες. Lepadna ſunt lora circa pectora equorum, quæ & maſchaliſteres.* At hæc inter ſe diſtinguit, & diverſa facit Pollux. Nam poſt ea, quæ de lepadnis, ſubdit: Τὰ δὲ *ὑπὸ τοὺς ὤμους τῶν ἵππων, μασχαλιστῆρες. Quæ vero ſub ſcapulis equorum, maſchaliſteres.* Ponit maſchaliſteres *ὑπὸ τοὺς ὤμους*, cum lepadna ſint *κατὰ τῶν στηθῶν*. Et certe lepadna omnes agnoſcunt in collo, vel, quod idem eſt, in pectore. At maſchaliſteres eſſe circa ſcapulas humeroſque ipſa vox earum docet. Nam μασχάλη Græcis *ala* vel *axilla*. Heſychius: *Μασχαλιστὴρ ὁ διὰ τῆς μασχάλης δεσμὸς τοῦ ὑποζυγίου, τὸ αὐτὸ καὶ μασχαλίς. Maſchaliſter, vinculum per axillas jumenti, quod & maſchalis.* Credo tamen, duo iſta lora interdum in ſummo fuiſſe conjuncta, indeque factum eſſe, ut pro eodem ſumerentur. Ita ſuſpicor ex imaginibus vetuſtis, quæ ab Onuphrio ex tabula marmorea ædium Farneſiarum ſunt delineatæ. Ecce tibi cervum currui in Circo ita junctum.



Cingulum, quod collum atque pectus ambit, & lepadnon, quod ſuper humeros & axillas decurrit ad ventrem, maſchaliſter, utrumque in ſummo conjungitur nodo, in quo fuiſſe annulus tenendis frenis videtur. Atque ita cernas & in quadrigis a Rubenio deſcriptum lib. 1. Elect. cap. 30. Erant tamen, qui alterutro carebant. Quod ex iiſdem Onuphrii imaginibus apparet, quarum aliquæ lorum habent circa collum, aliquæ tantum circa humeros. Et fortaſſis poteſt hoc ex eo eſſe, quod, quæ animalia non habebant jugum, ut ea, quæ trahebant ſolis funibus a latere jugariorum, ea nec haberent lepadna, ſive lora circa collum, ſed tantum circa humeros & ſcapulas, id eſt, maſchaliſteres, ad quas funes horum puto fuiſſe religatas, ſicut ad lepadna jugum ac temonem. Certe, ſi conſideramus bene Rubenii quadrigas, quæ omnium diligentiſſime ſunt pictæ, alia videmus lora circa colla jugariorum, alia circa colla funariorum. Hæc enim tenuia & parva ſunt: at illa jugariorum prorſus lata, & a loris triplicibus inter ſe compoſita, manifeſteque jugo, cujus caput, deſinens in helicem ſeu ſpiram a latere unius equi, aperte cernitur, innectuntur. Cæterum, hoc loramenti genus quomodo Latinis dictum ſit, hactenus ignoro. Nam τῆς *antilenæ* vox, quam quidam afferunt, idonea auctoritate caret. Neque *poſtilena*, unde antilenam deformarunt, proprie de loro uſurpatur, ut apparet ex Plautinis verbis, in quibus ſolis illa vox occurrit. Ita namque habent in Caſinæ A. I.

Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe,
Ut poſtilena poſſit ex te fieri.

Hic profecto poſtilena *lorum craſſum*, ſicut explicat Lambinus, ſignificare non poteſt. Nullum enim lorum natura ſua curvum. Flecti quidem in utramque partem poteſt, at per ſe curvum non eſt. At vero poſtilena, etiam priuſquam poſtilena fiat, debet eſſe curva, ut poſtilena poſſit fieri. Dicit enim Plautus, *te curvum faciam*, non ut *ſis*, ſed ut ex te *poſſit fieri* poſtilena. Quare melius, qui lignum incurvum interpretantur, quod mox ipſe facit Lambinus. Nihil eo ligno hodieque vulgatius in jumentis clitellariis, mulis maxime. Lignum eſt tres circiter digitos latum, unum vero craſſum, figura literæ Π Græcorum non abſimili, niſi quod obtuſiores rotundioreſque habeat angulos. Ejus extrema duo capita firmantur ad clitellas, cætera muli nates ambiunt ſub cauda, unde & in lexico Argentoratenſi ὑπουρὶς, id eſt, *ſubcaudale*, dicitur. Illud lignum poſtilena neque uſum habet ullum in iis animalibus, quæ adjuncta vehiculis. Cæterum, quia poſtilena lignum, ejus imitatione dici antilena nequit, nullum enim lignum iſtiuſmodi ab anteriori parte, neque in clitellariis, neque in vehiculariis jumentis. Lego tamen in antiquo Lexico Argentoratenſi: *Antilena*, προστηθίδιον. Et in Lexico Cyrilli: Στηθιστὴρ, *antellinæ*. Item in Philoxeno: *Antilena*, ἱμὰς ἵππων, & mox, *antelena*, διερηστήρ. Ὅ ἐστιν ἱμὰς ἵππων περὶ τὸ στῆθος. Quibus verbis declaratur, per antilenam ſignificari non lignum aliquod, quale poſtilena fuit, verum lorum, idque circa jumentorum pectus. Quanquam, quid poſtremo loco ſit διερηστὴρ, haud intelligam, & διαστηθιστὴρ vel cum Martinio διερειστὴρ exiſtimem legendum. Porro, ſi eſt lorum, illud ipſum fuerit, quod Græci λέπαδνον dixere. Interim vix dubito, quin Latinum ſaltem vocabulum ſit novum, ac fortaſſis ne id quidem ſignet, quod eſt λέπαδνον. Invenio id enim uſurpatum apud Mauritium noſtrum, non in vehiculariis, ſed ſellariis. Mauritius noſter lib. 1. c. 2. *Καὶ μικρὰ τουφία κατὰ τῶν ὀπισθοτελίνων καὶ ἀντελίνων. Parva tuphia in poſtilenis & antilenis.* Loquitur de equitibus illorum temporum, qui cum habuerint ſellas in equis, ſicut liquet ex eodem capite, valde mihi veroſimile, antilenas haſce inventas eſſe cum ipſis, & ad eaſdem proprie pertinuiſſe, neque ullo modo ſpectaſſe ad juga, vel ſignificaſſe illa lora, quibus ad vehicula trahenda utebantur. Certe Græca quoque, quæ in Gloſſis occurrunt, nova ſunt, nec apud veteres recepta, ut appareat rem quoque novam denotare. Accedit quoque Iſidorus, qui ob cauſſam hanc expreſſe: *Antella, quaſi ante ſella, quemadmodum poſtella, quaſi poſt ſella.* Nam *antella* & *poſtella* ipſi, quod aliis *antilena* & *poſtilena*. Unde aperte ſequitur, ad ſellas pertinuiſſe. Fueruntque hæc omnino ἱμάντες, id eſt, lora coriacea, ſicuti Philoxenus teſtatur, hodieque receptum eſt. Nec vi-

dere possum caussam, quare vestes maluerit explicare Vossius in Lexico. *Sane vestem fuisse de cauda dependentem arguit, quod antilena item vestis erat, qua pectus equis tegebatur*, ait, postilenam explicans. Verum talem de cauda dependentem vestem nemo prodit veterum, nec in ullis monumentis aut imaginibus antiquis potest observari. Atque istoc quidem jugum apud veteres. Solebat autem jugum istiusmodi usurpari non in bubus tantum, quæ res notissima, verum etiam in equis. Liquet ex loco Curtii, quem attulimus in præcedentibus, & Virgilius lib. III. Æn.

Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes & frena jugo concordia ferre.

Hinc apud Græcos ζύγιοι ἵπποι, apud Latinos *jugales*. Sic enim equos istiusmodi appellat Virgilius Æn. VII. & Servius ad lib. V Æn. *Jugis*, pro *equis jugalibus*. Mulis quoque imponi solebant. Unde Claudianus in Epigrammate de mulabus Gallicis:

Et pareant duro libera colla jugo.

Etiam asinis. Itaque habes apud Catonem *jugum asinarium* in de R. R. c. 11. *Jugum plostrarium* 1. *jugum vinarium* 1. *jugum asinarium unum*. Et hac ex caussa apud eundem cap. 62. *Juga boum, mulorum, asinorum* nominantur, pro tot paribus. Illud etiam notandum, quod hæc juga haberent in collo. De bubus res est nota, quanquam aliqui religarent ad cornua, quod minus probabatur. Columella lib. II. cap. 2. *In opere boves arcte junctos habere convenit, quo minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibus insideat. Hoc enim genus juncturæ maxime probatum est. Nam illud, quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum, fere repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt. Neque immerito: Plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quam cornibus* De mulabus discimus ex Martiale, quando lib. IX. in Edilum epigrammate, quo nil dicit esse tritius, inter alia sic ait:

Non ruptæ recutita colla mulæ.

vocat enim *ruptam*, quæ est læsa a jugo. Læsionem porro illam facit in collo, quod appellat recutitum, quia labra vulneris reflectuntur hiantque. De equis discimus ex Scholiaste veteri Homeri, quando ζυγὸν exponit, τὸ ἐπιτιθήμενον ξύλον ταῖς τραχήλοις τῶν ἵππων, *lignum impositum collis equorum*, ad Il. E. Inde Curtius lib. IV. cap. 15. *Equi crebra jactatione cervicum jugum excusserant*. Quibus verbis simul liquet, non fuisse religatum valide, sed potuisse excuti. Hinc de Solis equis Ovidius in fabula Phaetontis: *Saltu in contraria facto Colla jugo eripiunt*. Tacitus Vita Agr. cap. 31. de Brigantibus, respectuque hujus rei: *Nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere*. Et Florus lib. II. cap. 14. de Macedonibus: *Sed prior jugum excutit Macedo*. Sed & *imposita* tantum juga iccirco dicuntur. Cicero de Nat. D. *Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus*. Græci partem illam colli appellabant λόφον. Eustathius Il. Ψ. *Λόφος δὲ ἐπί τε βοῶν καὶ ἵππων καὶ ἡμιόνων, τόπος τοῦ τραχήλου, ᾧ ἐπιτίθεται ὁ ζυγός*. Statius tamen juga ponere in pectore videtur lib. VI. Theb. illo versu:

—— Nunc avidi prono juga pectore tangunt.

Non intelligo, quomodo tetigerint juga pectore, si fuerunt in collo. Nam de viris currus agitantibus sermo esse non potest, quia reliqua non ipsos spectant, verum equos. Sed fortassis sermo est de jugis non propriis, sed præcedentibus, quoniam velut ex opposito dixerat ante: *Spatio, quo quisque valebat diducti* fuere. Quanquam, cum sit ibi sermo de quadrigis, quarum interiores tantum equi jugum habent, quomodo id subsequentes tangere potuerint, perinde intelligere haud valeam. Igitur notandum, non hic cohærere *tangunt pectore*, verum absolute dici, *juga tangunt*. Dicuntur tangere juga, qui pedibus cursu in altum sublatis genubusque hoc faciunt, maxime, si ipsi pectora collumque flectant, sicut fit in concitato cursu. Quo respectu quoque additur *avidi prono pectore*. Vult enim pectus per aviditatem studiumque currendi habuisse pronum inclinatumque ad terram. Cum quo, quia & cervix & jugum ipsum inclinabatur, fieri profecto poterat, ut genubus tangerentur juga.

CAP. XII.

De ratione jungendi.

Uni jugo juncti duo tantum. Olim erant singuli per se, alii post alios in vehiculo. Isidorus explicatur. Temo perpetuus, quid. Emendatio Salmasiana expenditur, vetusque Isidori lectio stabilitur. Temones plures, unus post alterum. Τετράρυμος, ὀκτάρυμος. *Centum juga in vehiculo. Protelum. Protelare. Nonius explicatur. Protendi ordines equorum. Equi singuli longa serie. Claudianus, Martialis & Cato explicantur. Clisthenis ætas, & quid invenerit. Funarii prisci quales.* Παρήοροι. *A fronte, non latere jugalium stabant. Homerus explicatur.* Τετράζυγον & τετράρυμον *differant. Alexandri mirum vehiculum, in quo singularis junctura. Tota ratio jungendi breviter explicata. Funes.* Σειρὰ Ἡνίαι. *Pollucis versio notata & Gyphanii. Eustathius expositus.* Ρυτῆρες. Ελκυστῆρες. *Helcia, tæniæ, copulæ, juncturæ, jungula.* Κόσμος μάλων. *Argenteæ juncturæ. Funes quo religati.* Μεσάτιος & μεσάτιον *differunt. Equi, cum ad currum firmantur, dicuntur jungi. Juncti muli pro vehiculo. Junctos conscendere. Currus juncti. Juges & juncti differunt. Sejuges non sunt sex juncti. Isidorus explicatur. Jungere & jugare differunt.* Ζευγνύναι ἵππους. Ζεῦγος. Τρίζυξ. Τετράζυξ. *Philoxenus emendatur. Abjungere. Abjugare.* Αποζευγνύναι. *Sejungere. Dejungere. Scaliger & Taubmannus notati. Interjungere. Martialis vetus lectio contra Scaligerum probata & exposita. Equus dexter, sinister. Equi medii. Equus dexter & medius dexter differunt. Jugales & medii num fuerint sexus feminini. Argolus & Salmasius rejecti. Equæ velociores maribus. Funalibus non semper tributa in Circo victoria. Introjuges, qui* Οἱ ἔξω τοῦ ζυγοῦ. *Unus tantum equus in triga vel quadriga, cui victoria debebatur.* Παρήωροι, σειράφοροι, σειραῖοι, ἀκροτῆρες. *Chrysostomi lectio defensa contra Salmasium.* Δεξιόσειροι. *Dexter. Lævus. Primus. Secundus. Argolus & Salmasius iterum rejecti. Silii locus examinatus, & Stablii. Stablius aliter emendatus, atque a Salmasio factum. Funalis dexter præcipuus in curru, non sinister. Primus funalis est dexter. Equorum juncturas quis primus omnium ostenderit.* Ιπποτροφία. Αρμα ζεῦξαι.

Jugis usos esse veteres ad juncturam, ante vidimus. Quæ vero ista fuerit junctura, quove

modo ſingula, quo bina, terna junxerint anima- A lia; unone jugo omnia, num vero pluribus, & utrum quædam nullo, id nunc eſt diſpiciendum. Atque olim quidem boves, equos, aſinos uno jugo adjunxiſſe duos, manifeſtum eſt. Hinc enim *jugum boum*, *equi jugales*, & id genus, ſicut ſupra quoque vidimus. Quin imo de ſydere, quod plauſtrum appellarunt Græci Latinique vetuſtiſſimi, ſic Hyginus in Poet. Aſtron. *Ex ſeptem ſtellis duæ, quæ pariles, & maxime in uno loco viderentur, pro bubus haberentur, reliquæ autem figuram plauſtri ſimularent*, conſtituerunt. Dicit eas ſtellas habitas pro bobus, quæ maxime pariles & vicinæ, quoniam ut in uno juncti jugo videbantur. B Sed ignoro, annon ſtellæ ipſæ explicationi huic repugnent: Neque enim una ab alterius conſiſtit latere, ſed altera alteram a tergo veluti conſequitur. Ut aut valde rudes veteres in formandis iſtis imaginibus fuiſſe, aut hanc novam & ex præſenti uſu deſumptam Hygini eſſe interpretationem oporteat. Sane, quin & alias bovem unum junxerint poſt alterum, ſi eſſent plures, & vehicula oneraria vel ruſtica, ego quidem dubitare nequeo. Et colligitur ex equis, qui ſic juncti antiquiſſimis temporibus. Iſidorus: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat, perpetuoque, & qui omnibus equis injiceretur. Jugo primus Ciriſtenes Sicionius tantum medios jugavit*. Vocat temonem du- C plicem *perpetuumque*, quando alter ab alterius capite procedit. Hoc enim *perpetuum* Latinis, quando abſque intermiſſione quid procedit, quomodo *perpetua foſſa*, *montes perpetui*, *trabes perpetuæ*, de continuis nulloque interſtitio diruptis diviſisque uſurpantur. Jam ſi temo duplex, illeque perpetuus, neceſſe eſt, ut ad unum duo equi & ad alterum ante hunc iterum duo equi alii primis temporibus fuerint firmati. Scio, aliter hæc verba legere Salmaſium in Exercitationibus Plinianis, nempe illo modo: *Quadrigarum currus duplici te-* D *mone olim erat, perpetuoque, & quod omnibus equis injiceretur, jugo*: Atque ita illud *perpetuo* referre non ad duos temones, ſed ad jugum. Verum adverſatur emendationi huic primo conſtans codicum omnium lectio, in quibus ſemper *qui* eſt, quod referri, niſi ad temones, nequit. Deinde jugum unum unquam pluribus impoſitum, quam duobus, in vehiculo vulgaribus ad bellum pertinentibus, qui probabitur? Contra duobus tantum indi conſueviſſe ſcimus nos vel ex Homero, qui vixit annis circiter trecentis quinquaginta ante nominatum Iſidori Ciriſtenem, vel, ut ſcribi oportebat, Cliſthenem. Verba ſunt manifeſtiſſi- E ma Il. Π. ubi deſcribit pugnam Sarpedonis cum Patroclo:

Τὼ δὲ διαστήτην· Κρίκε δὲ ζυγὸν ἡνία δέ σφι
Σύγχυτ᾽, ἐπειδὴ κεῖτο παρήορος ἐν κονίῃσι.

Hi autem diviſi ſunt, ſtridit vero jugum, funeſque confundebantur, poſtquam jacebat in pulvere funalis equus. Hic, niſi fallor, trigæ deſcribuntur, certe trium in curru equorum mentio fit nominatim. At jugum non in tribus omnibus, ſed tantum in duobus, quia tertius παρήορος, id eſt, F extra jugum fuit conſtitutus. Homerus itaque neſcivit jugum iſtiuſmodi continuum aut perpetuum quale prodidit Salmaſius. Unde quoque ſequitur, cum tanto Cliſthenes ſit recentior, quod primus jugum duobus tantum equis in plurium equorum curru imponere non inſtituerit. Contra temonum plurium, unius poſt alterum collocatio vetuſta eſt. Eam enim legimus & in vehiculis Abradatis Cyrique, qui vixerunt circa illa ipſa Cliſthenis tempora, ut mirum non ſit, ſi hanc conſuetudinem mutavit. Xenophon profecto lib. v. Pæd. Abradatis currum vocat τετράρυμον ἐξ ἵππων ὀκτώ. *Inſtructum quatuor temonibus & equis octo*. Et paulo poſt currum Cyri ὀκτάρυμον, *inſtructum temonibus octo*, tractum vero ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν, *octo jugis boum*. Unde quoque diſcimus quod jam alias oſtendi, veteres quot paria animalium haberent ad vehiculum, tot habuiſſe temones, hocque valuiſſe non in bobus magis, quam in equis, fuiſſeque omnium eandem rationem. Nec eſt, ut exiſtimemus, quod Salmaſius putabat, temones illos fuiſſe juxta ſe collocatos, alios dextros, alios ſiniſtros. Ita enim ſimiles fuiſſent currus illi τετρίπποις. At Xenophon non dicit habuiſſe ὄκτιππον, vel ἑκκαιδέκιππον, quomodo hujus generis alia vehicula ἕξιππα, τέτριππα & ſimiliter Græcis nominantur, verum ὀκτάρυμον, vel τετράρυμον. Deinde, quis omino Cyri ætate legit ὄκτιππον, ſeu octo juges? ut de aliis non dicam. Sed nec ad poſtremum, quomodo vel boves vel equi ſedecim uno in vehiculo æqua fronte ſtatui jungive potuerint, apparet, quod tamen in Cyri curru fuit neceſſe, ſi eum ex ſententia priori explicemus. Quare ſupereſt, ut credamus, temones illos quatuor vel octo fuiſſe alios poſt alios, id eſt, *perpetuos*, ſicut Iſidorus appellabat. Maxime, cum ex temonibus Xenophon vehicula iſta, unum ὀκτάρυμον, alterum τετράρυμον, potius, quam ex equorum numero, maluerit appellare. Quid, quod iſta ratio deinde quoque fuerit ſervata in onerariis vehiculis? Docet manifeſte Lucilius Sat. XII. cum ait:

Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non p ſſunt. —— ——

Centum juga ſunt centum paria, quorum quodlibet ad ſuum propriumque jugum eſt firmatum. Hæc centum paria protelo ducunt quidpiam, quando ducunt conſtituta longa ſerie. Hoc enim *protelo* ſignificat. Quemadmodum res ipſa, quando ita longa ſerie conſtituuntur, Latinis *protelare* dicitur. Unde Nonius: *Protelare, rurſus adjungere*. Ita enim recte emendavit Faber, & ex libris optimis expreſſit Mercerus. Dicit, *rurſus adjungere*, quod eſt, adjuncto jam uni jugo jugum aliud adjungere, & huic rurſum aliud. Quod factum aliquando, donec eſſent centum, indicat Lucilius, qui numerus jugorum, niſi aliis ante alia collocatis, intelligi non poteſt. Habemus itaque vehicula vetuſtiſſimis temporibus ſic juncta, ut, ſi plura boum aut equorum eſſent paria, alia antecederent, alia ſequerentur, ſerie continua, interjuncto inter ſingula temone, qui, quia mutuo ſe excipiebant longo ordine, iccirco ab Iſidoro *perpetui* ſunt dicti. Eandemque rationem videmus ſervatam poſtea quoque in vehiculis onerariis, ſive boves ea ducerent, ſive muli, ſive equi. Pertinet huc enim locus etiam alius Lucilii ex Sat. VI. ubi ait:

Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri
Ducere protelo validis cervicibus poſſent.

Nam & hic protelo ducunt tauri, quando longa ſerie alii poſt alios junguntur. Sed & ex Sulpitio Severo hoc diſcimus, qui fiſcalem rhedam ſic deſcribit ſui temporis. Verba ſunt Dial. II. c 4. *Per aggerem publicum plena militaribus viris fiſcalis rheda veniebat. Sed ubi Martinum in veſte hiſpida nigro & pendulo pallio circumtectum contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta hæſerunt. Deinde funibus implicatis protentos illos, quibus, ut ſæpe vidiſtis, miſera illa animalia conglobantur, ordines miſcuerunt*. Non eſt dubium, quin *protenti ordines* jumen-

A mentorum hoc loco sint alii ante alios longa serie incedentes. Ideoque funium fit mentio in his verbis, quibus implicati non intelliguntur, nisi junctos isto modo dicamus. Adde, quod communis numerus equorum in tali rheda fuerit vel denarius, vel octonarius, quantus nusquam vel rarissime legitur in curribus, qui æqua fronte equos habebant collocatos. Constantius Imperator in l.8.C. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad rhedam æstivo temppre, hyemali decem*. Nisi quis non duas & duas incessisse mulas hic existimet, verum pro se singulas, quam fuisse rationem antiquissimam jungendi, maxime in onerariis vehiculis & ad itinera B spectantibus, jam ab initio monstravi. Claudianus Epigr. de Mulabus Gallicis, in essedа:

Quamvis quæque sibi longis discurrat habenis,
Et pateant duro libera colla jugo,
Ceu constricta tamen servit, patiensque laborum
Barbaricos docili concipit aure sonos.
Absentis longinqua valent præcepta magistri,
Frenorumque vicem lingua virilis agit.

Non potuisset elegantius exprimere consuetudinem Gallicam jungendi jumenta, quæ hodieque durat, nec apud Gallos modo, sed & Germanos C passim est recepta. Vere ibi quodque sibi discurrit, absque ullo socio. Quo respectu quoque Claudianus *libera colla* dixit, non quod libera omnino essent, sed quod libera a socio. Et hoc est, quod subdit, *servire tamen ceu constricta*, nam *constricta* sunt conjuncta copulataque cum alio sub eodem jugo. Currebant igitur hæ mulæ pro se singulæ, una post alteram, longo tractu. De eadem ratione accipio & Martialem lib. V. epigr. in Paulum:

Vixque datur longas mulorum vincere mandras,
Quæque trabi multo marmora fune vides.

Marmora namque trahuntur *multo fune*, quando D equis mulisve pluribus longo ordine ante se junctis vehuntur. Quo fortassis fine ibi mulorum longas habuere mandras, sive stabula, quia mulis tra hi multis consueverant. Item Catonem, quando ait lib. V. Orig. de bubus: *Sed protelo trini boves unum aratrum ducent*. Ducent, ait, trini, non communi ratione, missique sub unum jugum, sed *protelo*, id est, alii post alios juncti. Quomodo & apud Plinium habes *octonos boves ad singulos vomeres anhelantes*, lib. XVIII. cap. 18. Sicut autem ratio hæc absque dubio vetustissima, nec in onerariis aut itinerariis solummodo, sed & militaribus vehiculis olim servata, ita eam postea, saltem in mili- E taribus, aut quæ ad speciem illorum facta erant, ludicris & ad spectacula destinatis Clisthenes immutavit. Isidorus loco antea laudato: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat perpetuoque, & qui omnibus equis injiceretur. Jugo primus Clisthenes Sicionius tantum medios jugavit, eisque singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini funarios vocant, a genere vinculi, quo prius alligabantur*. Clisthenes hic Sicionius Sicioniorum fuit tyrannus, cujus mentionem facit Athenæus, Polyænus, Frontinus atque alii, vixitque circa tempora Solonis, ut F observat ex Herodoto Clarissimus Vallesius in annotatis ad Excerpta Diodori, hoc est, circa Olympiadem quadragesimam & septimam. Ante quod tempus proinde, si audimus Isidorum, quadrigæ habuerunt equos non æquali fronte constitutos, verum duos ante, duos post, cum duplici temone. Clisthenes temonem priorem demsit, equosque divisos, unum a dextra, alterum a sinistra posuit, ut deinde æqua fronte omnes quatuor incederent. Sed quid est, quod addit Isidorus, equos utrinque additos dictos *funarios* a genere vinculi, quo PRIUS alligabantur? An & prius funibus alligati? At ajebat ante duplicem habuisse temonem. Nec exponit nobis hoc Salmasius, qui & ipse ante Clisthenis ætatem omnes facit jugales. Verba ejus hæc, sunt: *Prius quatuor equos sic jungebant, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus injiceretur, Tum nullus in curru funalis equus fuit, sed omnes jugales*. Si nullus tum funalis, quomodo Isidorus dicit appellatos funarios a genere vinculi, quo *prius* quoque & ante ætatem Clisthenis alligabantur? Et profecto, quin quadrigæ veteres habuerint jugales omnes, dubitari nequit, saltem ob temonem duplicem, quoquo illum modo, sive perpetuum, sive alterum juxta alterum intelligas. Unde ergo Isidori funarii, & quidem ante Clisthenis ætatem? Ego puto ita dictos non respectu quadrigarum ante Clisthenem, sed trigarum. In his enim habuisse ut jugales duos, ita unum παρήορον, supra etiam ex Homero vidimus. Sed de hoc παρηόρῳ seu funario est dubium, quem habuerit olim locum. Salmasius æquali eum fronte collocat cum jugariis. Verba ejus in Exercitationum magno opere p.900. *Heroes ut plurimum trigis usi leguntur in bello. Duobus subjugis equis adnexus erat vinculis alius equus extra currum, quem παρήορον dicebant*. Extra currum ait, hoc est, a latere equorum reliquorum. Sed si hæc trigarum fuit ratio vetustissimis temporibus, scire caussam velim, cur, cum facerent quadrigas, mallent addere temonem, quam funali uni, quem in dextro latere adjunctum jam jugariis habebant, ut Salmasius existimat, funalem alium adjungere in sinistro? Atqui illud maluisse ante Clisthenis ætatem necesse est, ut credamus, si Salmasii stamus sententiæ. *Equos*, ait Salmasius, *sic jungebant, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus injiceretur*. Cur, quod incommodum putarunt in trigis, ut tres equos mitterent sub unum jugum, id putarunt non incommodum in quadrigis, ut sub jugum unum mitterent quatuor? An quid minus verosimile potest dici? Quare mihi semper is παρήορος in trigis visus non a latere jugalium adjunctus, verum fronte. Ac putavi posse ita colligi vel ex Homero, quando scribit Il. Π. in hunc modum:

Κὰδ δ' ἔπεσ' ἐν κονίῃσι μακών, ἀπὸ δ' ἔπτατο θυμός.
Τὼ δὲ διαστήτην· κρίκε δὲ ζυγὸν, ἡνία δέ σφι
Σύγχυτ', ἐπειδὴ κεῖτο παρήορος ἐν κονίῃσι.

Decidit vero in pulverem hinniens, avolavit autem anima. Hi autem divisi sunt: Stridit autem jugum, habenæque ipsis confundebantur, postquam jacebat extrajugalis in pulvere. Annotandum est, quod divisos fuisse dicat jugales, postquam cecidit funalis, id est, hunc ad dextram, alterum ad sinistram partem instituisse cursum; Divisionis namque hujus ratio videtur nulla alia, quam quod ante ipsos jaceret funalis. Hoc enim jacente difficile erat, ut in latus unum ambo jugales discederent. Nec transire juncti poterant, nisi simul prolaberentur. Eustathius hoc ipsum indicat illis verbis: Τὸ δὲ διαστήτην, καιριώτατα εἴρηται. Πεσόντος γὰρ τοῦ παρηόρου, ἡ ξυνωρὶς διΐσταται, ἢ ταραγμῷ συγχυθέντες, ἢ ἄλλως πρὸς ἀντέρεισιν, ἵνα μὴ συγκατενεχθῶσι *Illud, divisi sunt, opportune dictum est. Cadente namque funali, duo jugales sunt divisi, vel pavore consternati, vel alias objecto obstaculo, ne simul deferrentur ad terram*. Obstaculum sive ἀντέρεισις Eustathii, ob quod necesse fuit, ut dividerentur a se mutuo jugales, aliud intelligi non potest, quam quod fecit equus tertius funalis ante pedes ipsorum prolapsus. Nam si cecidisset a latere, poterant profecto jugales manere conjuncti, imo & cursum tenere suum, illo reciso. At apud Homerum post casum

funalis dividuntur, & discedunt in partes diversas, eoque remoto, de novo incipiunt cursum instituere rectum, seque conjungere. Sic enim clare ait, postquam resectum funarium ostendisset;

Τὼ δ' ἰθυνθήτην, ἐν δὲ ῥυτῆρσι τάνυσθεν.
Τὼ δ' αὖτις συνίτην ἔριδος πέρι θυμοβόροιο.

Hi autem recta iverunt, inque habenis directi sunt, & rursum coiverunt propter contentionis fervorem. Αὖτις συνίτην ait, unde jugales a se mutuo divisos fuisse manifestum est, non hos a funario, quod existimare posset, qui rem non bene ponderaret. Ex quibus cunctis tandem sequitur, funalem tempore Homeri non stetisse fronte æquali cum jugalibus, sed eos præcessisse. Sane, si funalis æqua fronte stetit cum jugalibus, qui potuerunt hi procedere longius, altero jacente? Nam cum esset ad jugales revinctus, casu suo ipsos quoque tenuisset. At vero, quia hic procedunt, inter ipsos & funalem spacium aliquantum necesse est fuisse, quod intelligi non potest, nisi funalem ante jugales statuamus. Jam cum in trigis fuerit funalis, steteritque ante jugales, etiam postea, cum a latere adjunctus est jugalibus, nomen id, quod olim habuit, servavit, quoniam adjunctus fuit non temone, verum solis funibus, plane sicut ante. Scilicet res tota sic se habuit, mea sententia. Primum omnium & antiquissimis temporibus sub jugo uno juncta duo jumenta æquali fronte, intercedente uno inter utrumque temone. Hæc cum non sufficerent vel ad celeritatem, vel ad onus trahendum, addita duo alia simili ratione, id est, sub uno jugo, intercedenteque uno temone, qui temo firmatus est ad caput prioris temonis. Nemo enim veterum temones duos ipsi vehiculo junctos & sibi a latere positos unquam nominavit. Cum ne juga quidem duo satis essent, addita alia & alia, singula cum temonibus suis. Inde currus τετράρυμοι & ἑκτάρυμοι, de quibus supra disseruimus. Sed accidebat aliquando, sive oneris levitate, sive penuria jumentorum, ut adjungerentur animalia tantum tria. Hic duo veteri ratione juncta sub jugo uno, cum uno temone: Tertium vero itidem veteri ratione collocatum ante cætera, sed solis funibus religatum, nullo imposito jugo, quia uni jugum non temere solebat imponi; nec intercedente temone, quia nunquam temo sine jugo, nec ab uno temo recte trahitur. Hæc ratio mansit longo tempore in trigis quadrigisque, donec Clisthenis ingenium accessit. Vidit enim, credo, minus apte flecti equos serie longiori ambulantes, & temone duplici impeditos. Ideo temonem alterum sustulit, & si quadrigæ essent, exemplo trigarum equos duos fecit funarios, alterum vero ad dextrum, alterum ad sinistrum latus jugariorum collocavit. Si trigæ, veterem funarium retinuit, tantum locum immutavit, effecitque, ut deinde omnes tres vel quatuor æquali fronte incederent. Atque hoc, opinor, est, quod ajebat Isidorus de Clisthene, *mediis equis*, qui soli tunc habebant jugum, cum ante haberent etiam cæteri in quadrigis, *singulos ex utraque parte applicuit*, qui nimirum ante fuerunt non singuli, sed in uno jugo conjuncti, nec ex utraque parte, sed a fronte, & applicuit *simplici vinculo*, quali *prius* etiam *alligabantur* in trigis, unde nomen σειραφόρων apud Græcos, apud Latinos *funariorum* servabant, quod habebant ante hanc mutationem Clisthenis, non quidem in quadrigis, quæ funarios habebant nullos, verum trigis. Hæc nostra est sententia de veteri jungendi ratione ante Clisthenis ætatem temporibus Homeri, & quæ deinde auctore Clisthene in quadrigis fuit observata. Salmasius, ut dixi, adversatur, omnique tempore ivisse æqua fronte equos quatuor existimat, quem hac in parte sequuntur alii, Vossius quoque in de Originibus, voce *Funis*. Adscribam totum locum, ut necesse non sit adferre Salmasii verba quando ea compendio refert. *Funales sive funarii equi, quos Græci dixere σειραίους, & σειραφόρους, & παρασείρους, & παραόρους. Hi erant, qui in quadrigis, ubi fronte æquata equi quatuor irent, latus clauderent duobus jugalibus, qui in medio irent. Ergo hoc ordine ibant, dexter funalis, dexter jugalis, sinister jugalis, sinister funalis. Ac quemadmodum jugales vocabantur, quia interjecto temone jungerentur, ita funales vocabantur, quia a dextra sinistraque jugalium loro seu fune adnecterentur. Antiquis vero temporibus in quadrigis non duo jugales erant, sed quatuor. Neque enim tum unus erat temo, sed geminus, dexter & sinister, ac dextro duo, totidem sinistro temoni equi nectebantur.* Facit dextrum & sinistrum temonem in vehiculo, quod ex nullo veterum probari poterit. Nemo enim novit, nisi unum. Et qui possit, cum sit fueritque semper μέσον ἀπὸ τῦ ἄξονος, ut loquitur Hesychius, vel, ut Phavorinus, μεταξὺ κατὰ μῆκος τῦ ἅρματος ξύλον, id est, medium ab axe, in medio vehiculi extentum lignum. Temones certe gemini ambo in medio fuisse nequeunt. Postremo ipsa ratio temonis repugnat. Cum enim eo flecti debeat vehiculum, plures esse nequeunt in uno, quod quidem eis regatur. Nam temones reliqui in τετραρύμῳ, exempli gratia, vel ἑκταρύμῳ non ad vehiculum pertinebant, verum juga, & in iis equos. Singulis enim paribus singuli temones tribui solebant, idque ante Clisthenis ætatem etiam in militaribus vehiculis. Post in onerariis quidem mansit, at in militaribus Clisthenis est ratio servata, collocatique duo equi sub jugo, cæteri absque jugo in lateribus, æquali cum duobus illis fronte. Sic, ut bigæ quidem non haberent nisi jugales duos sub uno jugo; trigæ pariter jugales duos, sed a dextro latere funalem unum absque jugo. Uni enim soli jugum nunquam imponebant, unde Claudiani quoque mulæ, quarum una cursitabat post alteram, habent *libera colla jugo*. Quadrigæ vero præter funalem in dextro, funalem alium etiam in sinistro latere, atque ita jugales duos, funales duos, omnes æqua fronte constitutos, sicut sæpe in antiquis nummis & marmoribus cernuntur. Jam cum quadrigæ non habuerint, nisi jugales duos, temonem unum, sequitur errare plurimum, qui cum τετραρύμοις faciunt easdem. Sicuti Henricus Stephanus in Lexico, voce τέτρωρος, & Martinius. Cujus posterioris in Lexico Philologico, voce *quadrijugis*. hæc sunt verba: *Quadrijugis, τέτρωρος, &c. Gloss.: Quadrigum, τετράζυγον; Lego quadrijugum, est & τετράρυμον.* Perperam τετράρυμον seu *quadrijugum* & τετράρυμον idem esse arbitratur. Nam quadrijugum vehiculum equos tantum habet quatuor, at τετράρυμον bis totidem, id est, octo. Diodorus manifeste ostendit in vehiculo Abradatis, de quo supra etiam locuti sumus. Deinde τετραρύμε jugales omnes, funales nulli; Contra fuit in vehiculo quadrijugo, cujus pars dimidia equorum erat funalium. Postremo in τετραρύμῳ equi duo, antecedebant duos, & hi duos alios, & hi rursum alios duos; At in quadrijugo ibant omnes quatuor fronte æquali. Habebant autem veteres non trigas modo & quadrigas ista ratione junctas, ut in iis equi duo tantum essent jugales, reliqui funales, omnes æqua fronte incederent, sed & plurium aliquando equorum vehicula, & in universum omnia, quæ apud Græcos sicut τέθριππα efferuntur. Ut sunt ἕξιππα, quorum mentio est apud Athenæum. Latini *sejuges* vocarunt, ut ex Plinio est notum. Occurrunt & *septemjuges* in tabula veteri ludorum Circensium apud Onuphrium, qui, opinor,

Græcis fuere incogniti: Nomen certe eorum apud neminem reperias. *Decemjuges* commemorat Suetonius, qui & ipsi Græcis ignorantur. Sunt & bis seni equi apud eundem in curru Jovis, cap. 94. Aug. E quibus, nostra sententia, duo tantum fuere jugales, ad temonem quippe unum tantum constituti, reliqui funales. Nec enim habere plus, temone uno, hæc vehicula solebant, sicut dixi. Quare tanquam singulare quid & novum Diodorus memorat in curru, quo funus Alexandri ducebatur, quod haberet quatuor temones. Verba hæc sunt lib. XVIII. *Τεττάρων δ' ὄντων ῥυμῶν, ἑκάστῳ τετραστοιχία ζευγῶν ὑπέζευκτο τεττάρων ἡμιόνων ἑκάστῳ ζυγῷ προσδεδεμένων, ὥστε τοὺς ἅπαντας ἡμιόνους εἶναι ἑξήκοντα καὶ τέσσαρας.* *Quatuor temones cum essent, unicuique ordo jugorum quadruplex adjunctus erat, quaternis mulis jugo alligatis, ita, ut omnium mulorum numerus esset sexaginta quatuor.* Quatuor temones hic intelligi non possunt alii post alios, ut in onerariis vehiculis, hoc enim novi nil fuisset, sed a lateribus juncti. Quod ex eo etiam colligitur, quia quivis temo habebat *τετραστοιχίαν ζευγῶν*, post quam non potuit collocari temo alius. *Τετραστοιχία* enim est, cum juga quatuor se mutuo, unum post alterum, excipiunt. Itaque illi quatuor temones ita erant juncti ad vehiculum, ut æquales essent, neuterque ante alterum poneretur, sed alter esset ab alterius latere. Temones singuli trahebantur a jugis quatuor mulorum, quorum quodlibet habebat mulos quatuor, duos jugales, duos funales, consuetudine vulgari: erantque illa juga non a latere, sed in frontem, unum post alterum, collocata per *τετραστοιχίαν*, quod fuit plane novum. Sedecim enim muli æqua incedebant fronte, post hos totidem alii, idque quarta vice, ita tamen, ut temonem quemlibet juga promoverent quatuor, quæ a tergo sese mutuo excipiebant. Quod, ut dixi, fuit novum quidpiam & singulare, ac neque ante neque postea translatum in communem usum. Communis usus non recepit, nisi duo genera, unum ante Clisthenis ætatem, alterum post ea tempora. Illud fuit, cum jumenta tria, quatuor vel plura junguntur pro se singula, quod hodieque durat, maxime per Sueviam in plaustris, quibus vehunt sarcinas mercatorum; vel cum duo & duo longa serie, sed, ut inter singula paria intercedat temo cum jugo suo, qualis ratio & ipsa nunc in usu est, præsertim, quando plaustris suis carbonarii ex sylva Hercynia per adjunctos boves vehunt res suas in vicinas urbes; vel si ante duo jumenta jugaria eat unum funibus firmatum ad posteriorum illorum temonem, quæ similiter non ignota hodie est ratio, præsertim rusticis per Alsatiam, qui non temere alia utuntur. Posterius genus, & quod habet Clisthenem auctorem, fuit illud, cum jumenta omnia æquali collocantur fronte, duo media sub jugo, cætera firmata funibus ad axem. Qualis ratio videtur antiquata hodie, nisi ejus instar servare currus Batavorum arbitramur, quibus vulgo facere itinera sueverunt. Raro enim illis duos, plurimum tres jungunt equos, pari omnes fronte, in quibus illud quoque servant, quod funem tertii axis capiti alligant. Mansit porro illa Clisthenis consuetudo non modo in Circensibus vehiculis & ludicris, in quibus ipse primus usurpavit, sed & aliis, ut triumphalibus similibusque ad ornatum pompamque pertinentibus, quod liquet ex vetustis monumentis. Quin imo posterioribus temporibus & in ipsa præfecti Prætorii Urbisque carruca eam observamus, sicut in Notitia Imperii est delineata. Equi omnes quatuor incedunt pari fronte. Quanquam illi equi non sint alii jugarii, alii funarii, verum omnes ratione simili nudis tænis copulisve juncti absque jugo. Unde conjectamus, desiisse tum & Clisthenis consuetudinem, ventumque propius ad eam rationem esse, quæ in nostris est vehiculis recepta. Nam & in ipsis equi nudis copulis junguntur. Licet nostra differant in eo, quod nos collocemus equos non æquales omnes in fronte, verum duos & duos longa serie, nec temones habeamus plures, nisi unum, primis duobus & a vehiculo proximis interjunctum. Cæterum, quemadmodum in vehiculis antiquis equi duo medii fuerunt juncti per lora jugalia in jugo, ut jam ante aliquoties ostendimus, sic cæteri non in jugo, verum axe ipsoque curru *simplici vinculo*, ut Isidorus loquebatur. Vinculum id Græcis est *σειρά*. Pollux lib. I. cap. 10. *Ἵπποι οἱ ἑκατέρωθεν, παρήοροι, καὶ παράσειροι καὶ σειραῖοι, καὶ αἱ τούτων ἡνίαι, σειραὶ καὶ παρηωρίαι.* Vertit Gualtherus: *Equi, qui utrinque assistebant, pareori, adjutorii, catenati & siræi vocabantur, horum vero habenæ, catenæ & lora.* Pleraque hæc prava. Nam Græcorum *παράσειροι*, non *adjutorii catenative* Latinorum, quos ignorant penitus, sed *funarii*, ut mox dicam. Deinde nullus sermo de *habenis* est hoc loco, sed de funibus, quibus equi ad vehicula junguntur. Illi sunt *ἡνίαι* in his verbis. Denique hi funes nunquam a Latinis appellati *lora* vel *catenæ*, verum *funes*. Inde habes *implicatos funes* in rheda fiscali apud Sulpitium Severum verbis supra recitatis. Sed & equorum *funariorum* appellatio inde orta, ut ex Isidoro liquet. Ἡνίας Græcis esse funes istiusmodi apparet ex eodem p. 11. ubi post *ἡνίας* varias postremo subdit, *αἱ δὲ, σειραῖος ἱμάς.* Ubi rursum imperite Gualtherus, *habenæ aliæ lora dextra dicuntur*, cum debuisset, *quædam, funes tractorii.* Neque aliud, opinor, voluit Eustathius ad Il. T. ubi ait: *Τοὺς δὲ ὀπίσω κατατεινομένους ῥυτῆρας, ἡνία, παρὰ τὸ ἐνοῦν τοὺς ἵππους ὑπὸ τῷ ἅρματι.* Certe *ὀπίσω κατατεινόμενοι*, hoc est, *retro extenti*, funes alii in vehiculis sunt nulli, qui quidem dici possint *ἐνοῦν τοὺς ἵππους ἅρματι*, id est, *equos jungere currui*. Nec *ἡνία* alia, quam *ἡνίαι*. Homerus ipse in verbis supra citatis:

——— ——— Κρίκε δὲ ζυγὸν, ἡνία δέ σφι
Ῥύγχυτ'. ——— ——— ——— ———

Ubi ne Gyphanius quidem recte, *habenæque ipsis confundebantur*, pro *funes implicabantur*. Nam sequitur, postquam submovisset impedimentum eorum Patroclus:

Τὼ δ' ἰθυνθήτην, ἐν δὲ ῥυτῆρσι τάνυσθεν.

Quod & ipsum perperam Gyphanius reddidit: *Hi autem recta iverunt, inque habenis directi sunt*, debuisset enim, *inque funibus recte tentis processerunt*, vel, *& funes recte intensos traxerunt*. Nam *ῥυτῆρες* hic, qui paulo ante *ἡνία*. Scholiastes ibi: *Ῥυτῆρσι, χαλινοῖς, ἡνίαις. Παρὰ τὸ ἐρύειν, ὅ ἐστιν ἑλκεῖν.* Dicit *rhyteras* & *henias* idem esse, illas ita dici ab *eryen*, quod *trahere* significet. Quibus verbis liquet, *ῥυτῆρας* pertinuisse ad trahendum, fuisseque *ἡνίας*, id est, funes tractorios. Hesychius: *Ῥυτὴρ, ἡνίον, λῶρος, ἱμάς, ἑλκυστήρ. Ῥυτῆρες, ἡνίαι, ἱμάντες τῶν ἵππων, οἷον ἑλκυστῆρες.* Exponit per *ἑλκυστῆρας*, qui plane funes sunt tractorii. Ita Auctor Etymologici: *Ῥυτὴρ, ἑλκυστήρ.* Apulejus ad exemplum hoc vocavit *helcia* Latine. Verba ejus lib. IX. Asini: *Defectum me, helcio sparteo dimoto nexu machinæ liberatum applicant præsepio.* Paulo ante idem *tænias* appellat. *Illico scitissime tæniæ sparteæ totus innixus discursus alacres obibam.* Sunt eidem & *copulæ* in verbis sequentibus, ubi ait, de jumentis ad molas jungi solitis: *Copulæ sparteæ tritura continua exulcerati.* Capitolinus maluit *juncturas* nominare in Vero, cap. 5. *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent.* Casaubonus sic exponit: *Jun-*

ctura est, qua junguntur mulæ carrucariæ, ut jumenta aut boves ad aratrum jugo. Voluit, si recte mentem ejus assequor, juncturam esse in carrucis, quod jugum in aratris. Atqui etiam in carrucis jugum. Inde namque Phædrus noster lib. III. cap. 7. ubi Mulam talem carrucariam loquentem facit cum musca:

Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Jugum flagello temperat lento meum.

Quare junctura esse nequit jugum in carruca. Salmasius existimat vocatam alias & *junglum*. Jungla porro sunt Philoxeno funes, sive lora. Verba ejus: *Jungla*, ἡνίαι ζευκτικαί. *Jungla* sunt contracte, quæ alias *jungula*, quomodo & *ungla* pro *ungula*, *singla* pro *singula*, & ejusmodi. Philoxenus exponit ἡνίας ζευκτικὰς, id est, funes, qui jungunt. Tales igitur & juncturæ erunt ex Salmasii sententia. Quanquam verius existimem, fuisse juncturas non funes modo, vel lora vehiculo annexa, sed &, quicquid firmaret in equis funariis. Videlicet funarii juga non habebant, sed eorum loco lora largiora circum pectus absque jugo, sicuti videmus in antiquis monumentis, maxime quadrigis Rubenianis. Illa igitur lora una cum funibus helciariis copulisve una voce, *juncturæ*. Hinc Julius Paulus III Sent. t. 7. *Carruca cum junctura legata, mulæ quoque legatæ, necnon & mulio videtur*. Interpres vetus ista verba sic exponit: *Si carruca cum junctura per legatum dimissa fuerit, carpentum cum junctura, & mulæ debentur*. Nisi quis adhuc amplius juncturas hic significare putet non funes modo helciarios, & lora pectoralia in funariis, sed ipsa quoque juga cum loris necessariis in jugalibus. Quod ego quidem censeo rectissimum. Liquet enim in legato isto juncturæ vocem esse prorsus generalem, & significare non instrumenta modo cuncta trahendo vehiculo in mulabus necessaria, sed ipsas quoque mulas: Adeo ad funes tantum helciarios non posse restringi. Unde etiam adducor, ut diversa censeam significasse jungla, & juncturas. Et *juncturas* denotasse omnia mularum cum jugalium tum funalium ornamenta; *jugla* vero solas copulas, seu funes helciarios. Sane, quæ Ulpiano in l. 19. ff. de auro, argento, &c. sunt *juncturæ*, eæ Auctori Basilicorum μύλων κόσμος, id est, *ornatus mularum*. Verba Ulpiani ea sunt: *Lectum plane argenteum, vel si qua alia supellex argentea fuit, argenti appellatione non continetur, si numero argenti habita non est. Ut in junctura argentea scio me dixisse, quod non in argentario paterfamilias reponebat*. Basilicorum ista: Τῷ λεγάτῳ τοῦ ἀργύρου, οὔτε ἡ ἀργυρᾶ κλίνη, οὔτε ἄλλος τῆς οἰκοσκευῆς ἄργυρος περιέχεται, εἰ μὴ καὶ ταῦτα ὁ διαθέμενος εἶχεν ἐν ἀριθμῷ ἀργύρου. Οὐδὲ ὁ τῶν μύλων κόσμος, ὅτε μὴ ἐν ἀργενταρίῳ ἀπόκειται. Nemo potest dubitare, quin hic κόσμος μύλων sit *junctura*. Jam vero κόσμος referri ad ἡνίας ζευκτικὰς solummodo non potest. Κόσμος enim, quicquid ad vehiculum trahendum mula requirit. Quomodo apud Xenophontem est κόσμος κυνῶν pro iis omnibus, quibus canes instruuntur vel armantur. Quo exemplo aliquando etiam apud Latinos *ornamenta* leguntur, & apud Livium, Cornelium, alios, *ornati equi*, *ornati elephanti*, pro instructis ad prælium vel equitationem. Hinc intelligitur, quomodo apud Capitolinum esse argenteæ juncturæ queant. Nam per eas & juga, & lora pectoralia, & helcia, omnia argento culta ornataque indicantur. Qualis ideo & apud Ulpianum est intelligenda. Neque potest esse mirum de helciis, id est, funibus, cum & ipsi fere essent latiores. Ut enim catenas cogitemus, caussa nulla est, cum Gualtherum vox σειρῶν deceperit apud Pollucem, quam perpetuo catenas denotare putavit, cum σειραὶ sint sæpe funes tenti ex loris. Suidas: Σειραῖς, πλεκτοῖς ἱμᾶσι. Solebant autem funes illi helciarii, de quibus ante dixi, & quorum usus erat in funariis, non ad temonem religari, sed ad currus, ut jam dixi, nominatimque axis capita, quæ ultra rotas prominebant. Unde Claudianus lib. I. in Ruf. v. 344. sub persona Martis: *Nexusque rotarum Tende, Pavor*. Barthius eo loco: *Nexus tendere, est lora capitibus axis adnectere, quibus currus trahebatur, non enim temonibus erant alligata ea lora, sed capitibus axium, ut clarum ex nummis aliisque picturis priscis*. Et hi quidem funes, quibus jungebantur ad vehicula. Præter eos autem erant quoque, quibus jungebantur inter sese ipsi. Docet Pollux, quando ait lib. I. cap. 10. Ἀπὸ δὲ ἵππου ἐπὶ ἵππον ὁ ἀπηρτημένος ἱμὰς, μεσάτιος. *Lorum vero ab uno equo pertinens ad alterum, mesatios*. Ubi nota, esse aliud μεσάτιος, aliud μεσάτιον, hoc enim denotare partem sellæ in curru, de qua dixi aliquid in præcedentibus, illud vero funem, qui est inter equos, & alterum alligat alteri, ne libere possint evagari, contra uno frenis adducto, simul reliqui adduci. Atque hoc est, quod superius ajebam non potuisse ex jumentis sic ad currum junctis, ut æquata omnia essent fronte, unum cadere, ut non eo casu cætera progredi impedirentur. Quocunque autem jumenta firmarentur modo ad vehicula, sive æqua fronte, sive alia post alia, *jungi* dicebantur. Virgilius lib. V. Æn.

Jungit equos curru genitor.

Quod Virgilius hoc loco dici *jungere curru*, pro *in curru*, id eidem alibi est *jungere ad currum*. Atque ita & Suetonius in Julio cap. 31. *Mulis e proximo pistrino ad vehiculum junctis*. Hinc sæpe absolute *juncti*, pro junctis ad vehiculum. Columella lib. III. cap. 21. *Arbores serendi caussa collo vel mulo clitellario afferre, sed juncto advehere non permittitur*. Junctum mulum dicit, pro ad vehiculum junctum, & per eum integrum vehiculum intelligit. Simili ratione Cornelius *jumentum junctum* usurpavit. Verba sunt in Timoleonte cap. 4. *Propter valetudinem vectus jumentis junctis*. Itaque mox sequitur apud ipsum: *Atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat*; quia per jumenta juncta integrum vehiculum significavit. Hinc apud Virgilium *junctos conscendere*, pro conscendere vehiculum, lib. XII. Æn.

—— Cum prima in prælia junctos
Conscendebat equos. —— ——

Sed & *currus juncti* sic dicuntur absolute, pro adjunctis simul equis. Vellejus lib. II. cap. 114. *Erat desiderantibus paratum, junctum vehiculum*. Virgilius IV. Georg.

Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Paulo alii sunt *equi juges*, nempe non qui modo quovis juncti ad vehiculum, sed qui juncti inter se æquali fronte, ac velut sub eodem jugo. Festus: *Juges, ejusdem jugi, pares. Unde & conjuges, & sejuges*. Non hoc vult, quasi *juges*, qui sint sub eodem jugo, nam ex sejugibus duo tantum habuere jugum, sicut supra dixi, sed qui ejusdem jugi, hoc est, ordinis. Quomodo & in Tacticis *jugum* seu ζυγὸς est, ἐκ παρεστηκότων πλῆθος, ut ad Arrianum & Mauritium nostrum pridem annotavimus, id est, multitudo eorum, qui a latere se mutuo tangentes stant longa serie. Itaque adjunxit, *pares*, id

est, pari modo collocati. Plane illo modo, quo & sejuges locantur, quos exempli caussa hic adduxit. Nam sejuges sic dicti non a *jugo* instrumento, quod imponi solet collis jumentorum; Nunquam enim equi sex sub uno constituti jugo, nec in sejugibus unquam amplius, quam jugum unum duobus mediis tantummodo impositum: Sed a *jugo* verbo, quod est juxta colloco, ut sint sejuges, equi sex, juxta se continua serie collocati, non ante se bini & bini. Certe, si a jugo instrumento dicti essent sejuges, vel significarent equos sex sub uno jugo, vel significarent equos plures sub sex jugis, quorum tamen neutrum verum est, cum sint equi sex æquali fronte collocati. Plane sicut & quadrijuges sunt equi quatuor hoc modo juncti. Quod cognoscimus ex curru Solis, de quo sic Ovidius:

——— ——— ——— Tritumque relinquunt
Quadrijuges spacium, nec quo prius ordine currunt.

Certe nemo fuit unquam, qui non equos in hoc curru faceret æquali fronte incedentes. Itaque & *quadrigas* appellarunt. Tertullianus libro de Spect. *Quadrigas Soli sanxerunt*. Nempe & quadrigæ, velut quadrijuges, aut quadrijugæ. Fronto apud Gellium lib. XIX. cap. 8. *Quadrigæ semper, etsi multijugæ non sunt, multitudinis tamen tenentur numero, quoniam quatuor simul equi juncti quadrigæ, quasi quadrijugæ vocantur*. Dicit, non esse *multijugas*, id est, multa habere imposita sibi juga vehicularia, habere tamen simul junctos equos, id est, pares & ejusdem jugi, sicut Festus supra loquebatur, vel, quod idem est, jugatos inter sese ac conjunctos. Quomodo intelligendus quoque Isidorus, quando ait: *Quadrigæ & bigæ, trigæ & sejugæ ab equorum numero & jugo dictæ*. Vult, a jugo dictas, non quod jugum unum habeant, sed quod inter se jugentur. Hoc enim proprie *jugare*, a quo differt *jungere*. Jugantur enim animalia, cum vel sub unum mittuntur jugum, vel æquali fronte, velut sub jugo uno, constituuntur. Junguntur autem, quando quovis modo firmantur ad vehiculum. Græci pæne ad eundem modum *ζευγνύναι* vel *συζευγνύναι ἵππους* dixerunt, ut Latini *equos jungere*, quemadmodum ex Homero constat. Sed & sicut illi *currum jungere*, ita hi *ζευγνύναι ἅρμα* usurparunt. Quod jam olim annotavimus in Indice ad Ælianum, ubi tamen perperam per absentiam nostram, etiam in secunda editione, cum non paucis aliis hujusmodi, est vulgatum *ζευγνύειν*. Verba Æliani extant lib. II. cap. 27. de Anniceri Cyrenensi: *Ζεύξας οὖν τὸ ἅρμα, περιήλασεν ἐν Ἀκαδημίᾳ δρόμους παμπόλλους*. Usurparunt autem hoc etiam, cum junguntur æqua fronte. Unde *ζεῦγος* etiam de bigis, trigis & quadrigis. Pollux lib. X. cap. 12. *Ζεῦγος πᾶν ἀνακαλεῖται τὸ ἐζευγμένον, κἂν εἰ τριῶν ὑποζυγίων, ἢ καὶ τεττάρων εἴη*. Parum commode Gualtherus: *Jugum omne subjugatum dicitur, sive trium jumentorum sit, sive quatuor*. Mallem ego: *Zeugos dicitur, quicquid junctum est, etiamsi sit trium quatuorve jumentorum*. Nam apud Latinos *jugum* usurpari solet nunquam, nisi de duobus. Et docere Pollux voluit, vocem *ζεῦγος* apud Græcos, quæ & ipsa vulgo bigas denotat, significare aliquando trigas etiam, & quadrigas. Nempe non est a *ζυγὸς*, instrumento jugatorio, sed a *ζευγνύω* verbo. Possunt autem plura *ζεύγνυσθαι* sive jungi, atque ita *ζεῦγος* fieri. Quanquam pro *ζεῦγος* in trigis quadrigisque *τρίζυξ* & *τετράζυξ* dicere maluerint. Lexicon Argentoratense: *Quadrijugi*, *τετράζυγες*. Philoxenus: *Quadrigum*, *τετράζυγον*. Ubi tamen mallem legere *quadrijugum*, ut intelligatur vehiculum, cum & *τετράζυγον* sit ita dictum *ἅρματος* respectu. Sicut au-

A tem *jungi* dicebantur jumenta, quando firmabantur ad vehiculum, sic, quando solvebantur, *abjungi*. Propertius II. eleg. 18.

Quam prius abjunctos sedula lavit equos.

Virgilius Georg. III.

——— ——— ——— It tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum.

Pro *abjungere* Philoxenus habet *abjugare*, quod exponit Græce *ἀπολύειν*, id est, *solvere*, quomodo
B Virgilius idem: *Tauris juga solvet arator*, Eclog. IV. & Georg. III. in fine:

Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

Græcis alias hoc est *ἀποζευγνύναι*, quod in Glossis est *sejungere*. Verba earum: *Ἀποζευγνύω*, *sejungo*. Num & *dejungere* sic usurparunt Latini? Censet Scaliger ad superiora Propertii. *Abjungere equos*, ait, *& dejungere, idem*. Amplexus hoc Taubmannus quoque ad Plauti Asin. III. scen. 3. ubi Poeta:

C *——— ——— Ne nos dejunge amantes.*

Sed hoc loco *dejungere amantes* non est *ἀποζευγνύναι*, verum *διαζευγνύναι*, fitque, cum alter amantium ab altero separatur, quod non fit, quando abjunguntur equi, tum enim non tam separantur ipsi a se mutuo, quam a curru. Sane Ciceroni quoque *dejuncta*, quæ separata a se mutuo, ut Scaligero non possim consentire. Ita enim habet in de Universo: *Ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quæ dejuncta fuerunt*. Illud rectius idem Scaliger, quod diversum signet *interjungere*. Nam hoc, inquit, est *dejungere equos, donec cibo recreati sint*. Ac osten-
D dit sic locutum esse Martialem, ubi ait lib. III. ep. 25.

Exarsitque dies, & hora lassos
Interjungit equos meridiana.

Puto autem verbis hisce respexisse Martialem ad eorum consuetudinem, qui vehicula locabant. Hi enim solebant tempore meridiano requiescere paulisper a cursu, & in dispositis ad id stabulis cibum equis præbere, quod in usu hodieque est, Germanisque *aubspanen*, Belgis Baravisque *pleisteren* vocatur. Idem voluisse Martialem eundem lib. II. ep.
E 6. recte observatur ab eodem. Verba ejus ita habent:

Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas.

Non, ut Scaliger citavit: *Interjungere quæris ad Bovillas*. Aliud hoc enim, nec quod vult Poeta, qui in voce *Bovillas* & *Camœnas* ludit, innuitque frustra quærere in litteris Severum & carminibus doctis, quæ hic Camœnæ sunt, remissionem aliquam, cum ingenium ipsius cogat eum ire ad Bovillas, id est, rustica & crassa. Recte, inquam, observatur, etiam hic *interjungere* nil esse aliud, quam paulisper requiescere, abjunctosque equos pabulo reficere.
F Nam quod putant tractum esse a curru, cujus rotæ interjecto sude junguntur, ut quiescant, nihil est. Lexicon Argentoratense: *Interjungo*, *ἐφίσαμαι*. Mallem, *ἐφίστημι*. Quomodo habemus apud Arrianum lib. V. *Ἐπέστησε τοὺς ἱππέας τοῦ πρόσω*, similiter pro cohibere, moram injicere, facere quiescere. Jungebantur autem jumenta alia in dextra parte, alia in læva, quod in bubus quidem iisdem non temere faciendum monet Varro lib. I. R. R. cap. 20. *Neque pertinaciter, quem feceris dextrum, in eo ma-*

nendum. Quod si alternis fit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies. Observa, nominare *dextrum*, qui a dextra parte jugi, *sinistrum*, qui a sinistra: Idem namque & in equis fuit solitum. Hinc Ausonius:

Pegasus hinc dexter currat. ——

Cæterum, in quadriga dextri sinistrique non modo, qui in jugo, sed &, qui in fune, sic, ut jugalis unus & proximus ei funalis essent dextri, & contra reliqui sinistri. Dicebantur autem jugales etiam *medii*, quod essent in medio funalium constituti. Scholiastes Aristophanis, & ex eo Suidas: Ζυγιοι ἵπποι, οἱ ὑποβαλλόμενοι τῷ τοῦ ἅρματος ζυγῷ, τουτέστιν ὁ μέσος ἀριστερὸς καὶ ὁ μέσος δεξιός, καὶ ἁπλῶς ὁ μὴ παράσειρος οὕτω λέγεται. *Zygii seu jugales equi, qui jugo vehiculi sunt subditi, hoc est, medius sinister, & medius dexter, & simpliciter, qui non paraseirus seu funalis, ita appellatur.* Alius igitur *dexter medius*, sive μέσος δεξιός, & alius *dexter*, sive δεξιός. Ille enim jugalis, cum hic fere funalis, ut mox dicam. Jugales hosce putant vulgo fœminas fuisse. Argolus ad lib. I. Onuphr. de Lud. Circens. *Insuper jugales equæ, ut indigniores, maribus equis interponebantur, atque in medio collocabantur.* Putat jugales fuisse indigniores in quadrigis, minusque utiles, ideo ad id equas captas. Laudatque assertionis hujus suæ auctorem Hyginum, qui in descriptione currus Solaris: *Hi funales sunt mares, fœminæ jugariæ, &c.* Atque sic jam olim & Salmasius tradiderat. Verum primo falsum, equas fœminas esse maribus deteriores in hoc negocio. Ælianus, cui, ut Romano, ignota esse res hæc utique non potuit, l. VI. Hist. Anim. c. 36. Ἴδια δὲ ἄρα τῶν ζώων καὶ ἐκεῖνα λέγεται· Αἱ ἵπποι εἰς ἁρματηλασίαν ἐπιτηδειότεραι εἶναι πιστεύονται. *De animalium natura hæc quoque feruntur: Equæ ad rem currulem aptiores esse creduntur.* Hinc Horatius II. Carm. 16.

—— —— *Tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa.* —— ——

Et Virgilius lib. I. Georg.

—— *Eliadum palmas Epirus equarum.*

Quo loco Servius: *Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Jovis Olympici curuli certamine. Nec mireris, equas currere. Nam, ut dicit Plinius, velociores sunt ideo, quod in cursu urinam faciunt.* Vides verbis manifestis, ad certamen currule prælatas equas, ut velociores. Igitur & Glauco, certaturo quadrigis, equas tribuit Philargyrus ad Virgilii Georg. III. *Glaucus Sisyphi filius, cum ad mimicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, & equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse ac morsibus laniasse dicuntur.* Servius aliam reddit caussam, equas tamen ut velociores adhibuisse in curru ipse quoque firmat. *Dilaniatus est Glaucus,* inquit, *effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet a coitu, ut essent velociores.* Sed & apud Herodotum in VI. legimus de equabus Cimonis: Καταντίον δ' αὐτοῦ αἱ ἵπποι τεθάφαται αὗται αἱ τρεῖς ὀλυμπιάδας ἀνελόμεναι. Ἐποίησαν δὲ καὶ ἄλλαι ἵπποι ἤδη τὠυτὸ Εὐαγόρεω Λάκωνος. *E regione ejus sepultæ sunt equæ illæ, quæ tres Olympicas victorias reportarunt. Fecerant hoc jam aliæ equæ, quæ fuerant Evagoræ Laconis.* OEnomaus quoque vicit Pelopem non equis, sed equabus, uti docet Scholiastes Apollonii lib. I. vers. 754. Αἱ δὲ Οἰνομάου ἵπποι, Ψίλλα καὶ Ἁρπιννα. Habes ecce & earum vocabula. *Equæ vero OEnomai,* ait, *Psilla & Harpinna.* Et in Tabula veteri, equorum Circensium nomina continente, quam publicavit Onuphrius, habes *Romulam, Gemmulam, Aunaram, Murram, Aristam*, victores in ludis circensibus, quæ sine dubio fuere feminæ, non mares. Denique Plinius est auctor lib. X. cap. 63 *vicisse Olympia* etiam *prægnantem Echecratis Thessali* equam. Adeo ex Hygino contra eas nil concludi potest. Deinde nec hoc verum, feminas fuisse semper jugales. Certe, si, quodvult Salmasius, victoria tributa non jugalibus in curru, sed funalibus, equas, quas superius ex Herodoto, Plinio & Tabula veteri nominavimus, fuisse non jugales, verum funarias, necesse est, quia victores celebrantur. Plinius clarissime de una Echecratis prægnante loquitur, quæ absque dubio in curru ejus extitit funalis. Quanquam forte ne hoc quidem fuerit perpetuum, ut funalibus victoria deberetur. Nam in tabula Cecchinorum legimus de Diocle: *Duobus introjugis Cotyno & Pompejano vicit.* Item: *Diocles præcedens eum introjugis tribus, Abiggio Lucido, Par·ta L. vicit.* Item: *Vicit CXXXXIIII. ampliatis titulis suis, Cotyno, Galata, Abigeio, Lucido, Pompejano, introjugis quinque.* Hic *introjuges* dicuntur, qui sunt intra jugum, quod est idem ac *jugales*, atque opponuntur funalibus, qui dicuntur extra jugum esse. Scholiastes Sophoclis in Electra: Σειραῖον ἵππον, τὸν ἔξω τῆς ζυγῆς δεξιόν. *Funalem equum, eum, qui est extra jugum, dextrum.* Si funales extra jugum, qui sunt intra jugum, non funales erunt, sed jugales. Auctor tabulæ *introjuges* vocavit, quibus proinde qui vicit, is non vicit funalibus. Quorum introjugum quia nominatim hic fit mentio, colligitur, victoriam cum ipsis haud fuisse frequentem, quippe quæ foret difficilior, indeque toties funales, cum est sermo de victoria, nominari. Quando autem auctor tabulæ illius ait, non duobus modo, sed & tribus, imo quinque introjugis vicisse, non hoc puto dicere, habuisse simul equos quinque unico sub jugo, id enim nec lectum unquam est, nec cum conditione jugi unius videtur convenire, sed diversis vicibus usurpasse hos introjuges, eosque fuisse tam doctos, ut non uni tantum semper deberetur victoria, sed & alteri, & tertio, & quarto, & quinto, singulis nimirum suo tempore. Nec enim victoria unius cursus pluribus, quam uni equo, tribui solebat. Inde habes in iisdem tabulis, *Fortunatus factionis Prasinæ in victore Tusco victor CCCLXXXVI.* Item, *in Abigeio victor eminuit & sine flagello.* Idem docet alia tabula integra, in Basilica Petri spectanda. Cæterum, qui funales Latini, seu funarii, illi Græcis παρήωροι, σειράφοροι, σειραῖοι. Pollux Οἱ μὲν ὑπὸ τῷ ζυγῷ, ζύγιοι, οἱ δὲ ἑκατέρωθεν, παρήωροι, καὶ παράσυροι, καὶ συράφοροι καὶ συραῖοι. Dicti quoque ἀκροτῆρες. Chrysostomus in Oratione de Circo: Ἐν ἅρματι αὐτοῦ μέλανες, ὑποζύγιοι μὲν, ὁ ᾅδης καὶ θάνατος, ἀκροτῆρες δὲ σότος καὶ ἀπόλεια. Scio, summum virum Clarissimum Salmasium hic emendare ἀορτῆρες. Sed hæc lectio ibi bis occurrit, quod fatetur ipse; Vix autem verisimile, potuisse utroque loco corrumpi. Deinde ἀορτῆρες dictos esse hos funales nemo alius ex antiquis docet. Nec fortasse dici potuerunt, si analogiam vocis recte ponderamus. Est enim ἀορτὴρ, τὸ ἀπῃωρημένον, ut exponit auctor Etymologici, hoc est, ejusmodi aliquid, quod ex alto est suspensum, descenditque ab αἴρω, quod est elevo, vel in altum tollo. Adeo non simplex notat lorum, sed ejusmodi, quo quid alte suspenditur. Quomodo, exempli gratia, tali loro sive balteo suspenditur gladius. Unde apud eundem ἀορτὴρ ὁ ἱμὰς δι' οὗ τὸ ξίφος κρέμαται. Et apud Hesychium ἀορτῆρες, οἱ ἀναφορεῖς τοῦ ξίφους, ἢ οἱ κρίκοι τῆς θήκης, id est, non baltei solum, sed & annuli, e quibus theca suspenditur. At vero nihil tale convenit in funales equos, non illi altius ligati sunt cæteris, sed nec currum ipsi altius suspendunt, vel ad altiora ducunt. Itaque potiori ratione dicti

sunt ἀκρωτῆρες, quia fuerunt ἐν τοῖς ἄκροις, id est, A in summitatibus, in extremitatibus, sicut jugales ἐν μέσῳ. Sæpe namque Græcis ἄκρα apponuntur μέσοις, & extremitates notant. Quomodo apud Ælianum nostrum ἀκραφύλλων leguntur, & in noto proverbio sunt ἄκροι δάκτυλοι, extremæ digitorum partes,& in Glossario Argentoratensi, *extremus*, ἄκρος,legitur. Fuerunt autem & hi alii dextri, alii sinistri.Dextri,qui a dextro jugalium latere,sinistri, qui a sinistro stabant. Dextri Græcis δεξιόσειροι. Scholia Sophoclis in Antigona: Δεξιόσειρος, κατὰ τὸ δεξιὸν φερόμενος κέρας. Η δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἵππων τῶν ἐν τοῖς ἅρμασι παρασειρόντων. Meminit B horum etiam Hesychius in voce σειραφόρον, ubi ait post alia, ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων. Sinistri sine dubio ad hoc exemplum ἀριστερόσειροι, quanquam nusquam legantur. Δεξιὰς & ἀριστερὰς etiam simpliciter vocarunt, credo, quod in quadrigis essent maxime tales. Sophocles in Electra:

—— —— —— Δεξιὸν δ' ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.

Latini pariter *dexteriorem* & *sinisteriorem funalem* usurparunt. Sueton. Tib. cap. 6. *Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali e-* C *quo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore vehe-retur*. Ausonio simpliciter sunt *dextri* & *læves*, si audimus Argolum. Verba Poetæ sunt in Epitap.35.

Pegasus hinc dexter currat sibi, lævus Arion
Funis & ad quartum det tibi Castor equum.

Ad hæc sic citata Argolus: *Equus funis est equus funalis*. Sic ergo dexter & lævus, qui in funibus, id est, funales. Cæterum, hi ipsi *primi* quoque dicebantur & *secundi*. Nam in quadrigis funalis sinister, primus, funalis dexter, secundus. Argolus idem: *Funales digniores erant, & præsertim sini-* D *ster. Nam cum circa metam eundum esset, interior ad metam erat sinister, atque ille pæne totum cursus ordinem sustinebat, & primus equus dicebatur, ut contra, funalis dexter, secundus. Silius: Quod ferret lora secundus Panchates*. Atque ita & Salmasius in Exercitationibus Plinianis. Verum potest esse dubium de funali sinistro. Manifeste namque Hesychius prærogativam illam dextro tribuit, quod Salmasius ipse observavit. Verba Hesychii: Σειραφόρος οἰωνός, ἡγεμονικός. Dicit, hoc vocabulum Græcum, quod Latinis etiam funalis, omen alias vel ducem denotare. Et paulo ante: Σειραφόρον, ἡγεμονικόν, μετῆκται δὲ ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων. E *Seirophorum, principale, translatum vero ab equis funalibus dextris*. Ad quæ verba etiam Salmasius: *Ergo funales dextri in curru potissimi, utpote qui ducatum cæteris præbeant*. Sed mox adjicit: *Hoc in bellicis & aliis, si forte, curribus locum habuerit, in agonisticis & Circensibus secus obtinuisse videtur*. At ego, cur in his, non illis obtinuerit, caussam nullam video. Neque enim dubium, quin Circenses ludi velut umbra esse præliorum cum quadrigis debuerint. At in pugnis ludicris, quantum licet, res ad veritatem comparatur. Nec evincit diversum Silii testimonium, quod Salmasius adducit. F Verba sunt ex libro XVI.

Tertius æquata currebat fronte Peloro
Caucasus; ipse asper, nec qui cervicis amaret
Applausæ blandos sonitus, clausumque cruento
Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.
At docilis freni, & melior parere Pelorus
Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam.

Hic Salmasius: *In quadriga Iberi agitatoris duos funales nominatim commendavit, Caucasum & Pelorum, illum dextrum, hoc est, δεξιόσειρον, hunc sinistrum, nunquam demum a meta aberrantem, sed doctum interiore orbe metam stringere, eos æquata fronte ambos currere dicit, quia funalis uterque*. At hæc omnia a mente Silii longissime sunt aliena. Non hic loquitur de duobus equis in curru uno, sed diversis. Pelorus, quem hic Salmasius facit funalem sinistrum in curru Iberi, non fuit in curru Iberi, verum Durii. Monstrant sequentia manifestissime, cum post interjecta quædam de Peloro subdat:

Nobilis hunc Durius stimulabat in æquore currum.

Deinde, quando ait Caucasum cucurrisse *æquata fronte Peloro*, non hoc ideo dicit, quia *funalis uterque fuit* in curru Iberi, verum quia cursu se mutuo, quisque tamen suo in vehiculo æquabant. De quo nemo dubitare poterit, qui locum ipsum inspicere non gravabitur. Fuit sane Caucasus adeo non Iberi equus, ut pertinuerit ad Atlantem potius, ipso Silio auctore. Ita enim ait ipse post superius adductum versum:

Caucasus antiquo fidebat Atlante magistro.

Jam cum nulla sit inter Caucasum & Pelorum oppositio, male hic pro Peloro contra Caucasum pronunciatur. Imo contra, cum in curru Atlantis solus hic nominetur Caucasus, non minus ille, quam Pelorus, funalis sinister erit, cum hos solos in vehiculis Salmasius existimet nominari. Sed nec locus Statii prodesse potest ad rem de funali sinistro probandam. Ea certe verba, quæ leguntur l. VI. Theb.

—— —— —— *Dum non cohibente magistro*
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

Arionem equum fuisse sinistrum funalem haud ostendunt. Potius dextrum arguunt, quando verbis claris *Arion dexter* nominatur. Nam, ut *dexter* referamus ad *exerrat*, ratio est nulla. Neque valet locus Virgilii ex Æn. V. *Quo tantum mihi dexter abis?* Quia hæc dicuntur de gubernatore navis ac navigio, cujus ratio est alia, quam equorum. Faciamus enim in quadrigis Arionem fuisse funalem sinistrum, an abire ille potuit in partes dextras? Annon obsistentes ad illa parte sibi habuit tres alios? Adversus quos non abeuntes prius, qui potuit ipse solus abire, aut ad abitum ipse in sinistra parte collocatus eos compellere? Præterea expresse Statius *exerrat* dicit. Non autem exerrare intelligitur, nisi qui exterius est constitutus, & ab illa exteriori parte longius digreditur, quorum neutrum de funali sinistro cogitari potest, qui cum exerrat, abit ad sinistram partem, non ad dextram. Præterea, nec verba, quæ sequuntur, hoc ostendunt. Ita enim sonant:

—— *Laxo quum tandem ex orbe reductus*
Æquoreus sonipes premit, evaditque parumper
Gavisos. —— —— —— ——

Dicit quidem hoc loco summus vir: *Hæc non possunt convenire, nisi in eum equum, qui sinister est. Nam is equus, qui alium habet ad sinistram inter metam & ipsum, non potest dici ipse metam interiore rota stringere*. At equoreum sonipedem, seu Ariona strinxisse metam interiore rota, Statius non dicit, *pressisse* dicit, quod ad metam non refertur, verum ad *gavisos*, id est, eos, qui antecesserant, & victoriam in manibus habere crediderant. Hos pressit, dum institit, æquavit, & parumper evasit. Quæ res tam de dextro, quam sinistro funali, intelligitur. Ut propterea in verbis Statii necesse non sit ali-

quid mutari, quo Arionem sinistrum faciamus funalem, potius, quam dextrum. Nam Salmasii quidem emendatio, ut de cæteris nil dicam, valde libera est. Ego ita mallem:

——— Nam flavus Arion
Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos
Stat, sociumque jugi, comitesque utrique laboris
Secum alte suspendit equos.

Vellem autem jugi socium explicari de jugali equo, socio Arioni non itidem jugali, verum funali, ut sit *socius*, vicinus, & is præterea *jugi*, hoc est, jugalis, comitesque *utrique*, illi equo jugi, seu jugali, & Arioni funali, funalis & jugalis alius. Certe Arionem in dextro latere fuisse etiam hoc docuerit, quod primus horret monstrum in Circo sibi objectum. Nam id a latere sinistro objectum non fuisse colligitur ex eo, quia ibi decurrebant quadrigæ, mediæ inter currum Arionis & metam. Præcedit enim:

Obstitit Hippodamus, mediasque immisit habenas.
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem
Viribus Herculeis, & toto robore patris
Axe tenet prenso. ———

Sed nec a fronte, quia sic non primum terruisset Arionem, sed equos omnes quatuor. Unde superest, ut a latere dextro credamus factum. Ubi cum primum terruit Arionem, in illa parte funalem fuisse necesse videtur. Sane de funali dextro, velut præcipuo, præter Hesychium testatur quoque Scholiastes Sophoclis in Antigone: Δεξιόσειρος, γενναῖος, οἱ γὰρ ἰσχυροὶ ἵπποι εἰς τὴν δεξιὰν σειρὰν ζευγνῦνται τοῦ ἅρματος. *Dexter funalis, generosus: nam equi fortes ad funem dextrum in vehiculo religari solent.* Neque ratio deesse potest. Nam cum circa metam flectendum esset vehiculum, quiescente propemodum funali sinistro, quippe cujus gyrus metæ vicinior, eoque brevior esset, funalis dexter pæne solus conficere cursum, gyroque amplissimo secum trahere cæteros cogebatur. Nemo melius docuerit, quam Sophocles, cujus ea de re leguntur verba in Electra:

Κεῖνος δ᾽ ὑπ᾽ αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων,
Ἔχριμπτ᾽ ἀεὶ σύριγγα. Δεξιὸν δ᾽ ἀνεὶς
Σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.

Quem locum sic interpretatus est Rattalerus:

Columna at ille hærens sub extrema movet
Agitatque currus, deinde habenas dexteri
Laxans equi cohibet sinistrum. ———

Vides, ut in circumactione circa metam dexter funalis currere cogatur, retracto & cohibito sinistro. Adeo sunt frustranea, quæ habet Salmasius: *Præstantissimus quadrigæ equus, & adprime flecti facilis frænoque docilis ac cæteris doctior ad funem sinister locabatur.* Cuncta enim ista modo sese habent contrario, & in dextro requirebantur. Unde quoque verba Silii de Peloro, non ut funali sinistro, verum dextro, exponenda puto. Nam quando dicit:

Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam:

Non hoc vult, quasi steterit interior respectu equorum reliquorum in eadem quadriga, id est, propior abfuerit a meta, & sic extiterit funalis sinister: Sed dicuntur hæc in comparatione cum equis aliis, qui

A malebant exerrare, nec adigi tam facile poterant ad cursum metæ vicinissimum capessendum. Postremo dextrum funalem fuisse honoratiorem colligo & ex Suetonio, quia illi in curru Augusti triumphali imponitur Marcellus, cum Tiberius sinistro veheretur, sicut supra vidimus. Nam Marcellus carior Augusto fuit, multumque semper Tiberio prælatus. Tacitus Hist. I. cap. 15. *Augustus sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit.* Omnibus necessitudinibus Marcellum prætulit Augustus. Non est autem verisimile, quem tantopere amavit, in tam solenni negocio postponere privigno, ac deteriori loco esse voluisse. B Unde plane sequitur, quod ajebam, funalem dextrum honoratiorem & præstantiorem fuisse. Frustra dicitur, fuisse currum Augusti triumphalem, non Circensem, de Circensi namque idem ex superioribus apparuit. Sed & in Circensi curru funalem dextrum appellarunt primum, uti vidimus, quod non erat usque quaque conveniens, si præstantior sinister fuisset. Id quod firmat & Ausonius in Epitaph. 35. quod Theodosii jussu scripsit equo, nomine Prosphoro, & mea sentemtia sic debet legi:

C

Hunc titulum vani solatia sume sepulchri,
Et gradere Elysios præpes ad alipedes.
Pegasus hinc dexter currat. Tibi lævus, Arion,
Funis sit. Quartum det tibi Castor equum.

Respicit Prosphorum, & hinc, id est, proxime abs te, currat Pegasus, qui sit dexter in jugo, At tu Arion funem habeas, eumque lævum. Quartum equum det Castor, non funalem & ipsum, sed jugalem. Sic enim jugalem sinistrum appellari solitum necesse est, etiam si Salmasium audimus. Nam & ipse funalem lævum appellari solitum secundum ex Silio testatur, quando Silius de Panchate D equo: *Quod ferret lora secundus.* Sic enim ait: *Ex omnibus unum Panchatem urget & excitat ad palmam, quia ferebat lora secundus, id est, quia funalis erat sinisterior.* Si funalis dexter in quadriga fuit primus, sinister secundus, sequitur, jugalem dextrum fuisse tertium, sinistrum quartum. Nisi putamus, aliud significare *funalem secundum*, & aliud *equum secundum* in quadriga: Hunc esse non funalem, sed jugalem dextrum, ut sint ita numerati, funalis dexter primus, jugalis dexter secundus, jugalis sinister tertius, funalis sinister quartus. Quanquam quartum equum dictum, qui ex mente Salmasii omnium fuit præstantissimus, durum videatur. E Itaque & contrariam numerationem facit, sic, ut funalis sinister primus sit, jugalis sinister secundus, atque sic deinceps; Quæ quia consuetudini ac naturæ ipsi adversatur, cui sinistra deteriora semper esse consueverunt, testimonio idoneo probari debet, antequam in eam consensum nostrum præbeamus. Funalem sinistrum dictum esse *secundum*, non primum, novimus ex Silio, ipseque Salmasius fatetur; Eundem alia numeratione dictum primum non novimus, ac ne rationem quidem, qua dici primus debuerit, nempe quia fuit præstantissimus, amplectimur, quippe quam jam falsam esse demonstravimus. F Nobius primus dexter est, neque alium apud Ausonium intelligimus, sive sicut nobis visum est, sive sicut voluit Salmasius, legamus. Atque ista quidem equorum jungendorum ratio in vehiculis, quotiens æquata fronte incedebant, hæc vocabula eorum. Si vero non æquata fronte, verum longa serie, tum fuisse primos dictos funales, postremos jugales existimo. Nec fortassis alia est causa, quare & deinde funales primi secundique dicti sunt, postquam æquata fronte conjungi cum jugalibus cœperunt, quam quod ante, cum adhuc eos præ-

præcederent, hæc vocabula haberent. Cæterum, hanc omnem equos ad vehicula jungendi rationem artemque primus docuisse dicitur Prometheus. Nec enim tam de vehiculis, quam arte jungendi ad ea animalibus, nominatimque equis accipio, quod habet Æschylus, ubi sic loquentem facit:

—— Πρῶτος--ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον φιλωνίυς ἵππυς. ——————

Primus ad vehicula junxi frenigeros equos. Alii hoc tribuunt Neptuno, qui hoc primum docuerit Barcæos, Libyæ gentem. Ita namque Phavorinus ex Mnasea, &, quem exscribit, Hesychius: Βαρκαίοις ὄχοις. Λιβυκοῖς. Οὗτοι γὰρ ἐσπούδαζον περὶ ἱπποτροφίαν. Φασὶ δὲ αὐτοὺς καὶ πρώτους ἅρμα ζεῦξαι διδαχθέντας ὑπὸ Ποσειδῶνος. *Barcæis vehiculis, hoc est, Libycis. Hi enim in alendis equis operam magnam posuerunt. Ajunt vero ipsos primos currui equos adjunxisse, a Neptuno edoctos.* Ubi nota, ἱπποτροφίαν atque ἅρμα ζεῦξαι pro eodem poni. Facit enim, ut intelligamus, quid voluerit & Stephanus, quando ita de Barcæis, voce Βάρκη: Οἱ τὰς ἱπποτροφίας παρὰ Ποσειδῶνος ἔμαθον. Vult nimirum idem, quod Hesychius, a Neptuno edoctos artem modumque, quo ad currus equos jungere deberent. Quod de Barcæis hi, id generatim Scholiastes Pindari extulit de Libyis: Ποσειδῶν τοὺς Λίβυας διδάξειε τῶν ἁρμάτων καταζεύξιν. *Neptunus Libyas docuit currus jungere.* Nempe Barcæi sunt ex Libyis. Sed ad alia est veniendum.

CAP. XIII.

De armis vectantium, seu frænis.

Fræna quis invenerit. Pelethronius an Chiron. Plinius exponitur. Turnebus rejicitur. Minerva χαλινῖτις. *Orea.* Στόμια. Χαλινός. *Oria. Festus emendatur.* Ηνίον. Δακτύλιοι. Εχῖνοι. Τὰ κοῖλα τῶν ὑποστομίων. Υποστόμια. Τρίβολοι. Λύκοι. *Lupi. Fræna lupata fræna. Lambini explicatio rejicitur.* Ιπποι λυκοσπάδες. *Plutarchi versio emendata & Xenophontis.* Κύρκυμα. *Curcuma. Non sunt fræna, quod putabat Salmasius.* Φιμός. Επιστομεῖν. *Camus.* Λωρόσακκος. *Versio Pollucis rejecta. Fiscella. Camerarii versio Xenophontis improbata, & Pollucis iterum, qui uterque emendatur.* Χειλωτήρ. *Hesychius correctus.* Παραστόμιον. Τροχοί. Χαλινὸς λεῖος, τραχύς, σκληρός, ὑγρός. Σύμβολαι χαλινοῦ. *Pollux emendatur.* Στόμια πριονωτά. *Obeli in frænis.* Ὀβελίσκοι. *Xenophon expositus contra Camerarium, & Pollux contra Gualtherum.* Χαλεπῶς διατρέχει τὰ τοῦ χαλινοῦ, *quid sit.* Αξονες. Ψέλλια. *Hesychius & S. Jobus explicati. Vetus interpres Bibliorum & Castalio rejecti.* Ψάλιον *pro fræno.* Υποχαλινίδια. *Xenophon iterum exponitur.* Κορυφαία. *Aurea.* Γενειαστήρ. Ηνία. Ῥυτῆρες. *Habenæ.* Αγωγεῖς. *Lora.* Καλαυνωτιαῖα. Δακτύλιοι. Θαιροδῦται. *Ubi fuerint. Temperare ora frænis. Fræna inhibere, succutere, ducere, retro tendere, adducere.* Ανακρούειν. *Fræna dare, immittere, effundere, laxare, remittere,* ἐνδιδόναι, ἐξορμᾶν ἡνίαν. Ταγύειν ἱμᾶσιν. *Fræna tenere, concutere, quatere, flectere.* Τὸν χαλινὸν μεταβάλλειν. *Capistrum.* Φορβιά. Φορβαία. Κάπιστρον. *Non est* στομίς, *quod Salmasius putavit. Stomis, postomis. Lucilii locus examinatur. Capistra ferrata. Servius revellitur, & Virgilius explicatur. Postomis unde. Capistrorum usus.* Κημός. Φιμός. *Capistrare fiscellis.* Φιμοῦν. *Os servorum claudi fiscellis solitum, aut pellibus.* Φιμωθέντες. *Aristophanis locus examinatur.* Φιμώσητε τὸν αὐχένα. *Hesychius explicatur.* Σπαρτίον. *Capistrare.* Φιμοὶ αὐλωτοί. *Versio Pollucis rejecta.* Κώδων. *Tintinnabulum, tintinnaculum, tinnibulum. Hesychius bis corrigitur, semel Eustathius. Pollux explicatur.*

UT propositum felicius expediant vectantes, armis aliquibus uti consueverunt. Ea vero spectant vel ad equos, vel ad currus. Ad equos spectant, quibus vel continentur & reguntur, vel concitantur ad cursum. Ad currus, quibus vel iter eorum redditur facilius, vel, cum opus est, impeditur sistiturve. Arma, quibus continentur reguntur que equi, fræna sunt. Ea putant Pelethronium excogitasse. Plin. VII. c 56. *Frænos & strata equorum Pelethronium ajunt invenisse.* Quis hic fuerit Pelethronius, indicare docti omittunt. Ac existimet nonnemo, Chironem innuisse, quia ipse ita dictus fuit. Phavorinus: Πελεθρόνιος ὁ Χείρων, ἀπὸ τοῦ Πελεθρόνου, ἐν ᾧ ἐτράφη. *Pelethronius est Chiron dictus, a Pelethrono, ubi educatus est.* Habet eadem & Hesychius, ex quo Phavorinus forte sumsit. Sed Chironem fræna invenisse veterum nemo prodidit. Præterea vixisse Chironem Trojanis demum temporibus est notum, ut qui fuerit magister Achillis. At iis temporibus in usu frequentissima fræna, imo ante quoque cognita, ut ipse auctor eorum credi nequeat. Postremo Virgilius non Pelethronium unum, sed Pelethronios Lapithas, gentem totam, hujus rei facit auctorem, lib. III. Georg.

Fræna Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere.

Lapithæ Thessali sunt, dicti Pelethronii a Pelethronio, oppido Thessaliæ, sicut Servius est auctor. Quanquam cum in gente quoque illa non plures, verum unum aliquem excogitasse rem hanc necesse sit, Plinii Pelethronium, unde postea Pelethroniis in universum id tributum est, existimo fuisse Regem veterem, urbis illius conditorem in Thessalia. Meminit ipsius unicus Philargyrus in explicatione dicti Poetæ loci. Verba ejus: *Pelethronios Lapithas ideo appellavit, quia sunt Thessali. Pelethronium antrum est, ubi Achillem Chiron erudivit. Alii Pelethronium Regem Lapitharum volunt.* Dicit, Pelethronium, a quo Pelethronii vocati, alios explicare antrum, alios Regem veterem Lapitharum. Quem necesse est per Plinii Pelethronium intelligi. Qui cum conditor Pelethroniorum fuerit, inde factum, ut in universum Pelethronii invenisse dicerentur. Plane sicut de Atheniensibus Justinus lib. II. cap. 6. *Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere. Arare quoque, & serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt,* quæ tamen omnia certorum inter ipsos hominum inventa fuere, sicut aliunde novimus. Unde nec placere potest, quod existimabat Turnebus, in Virgilio vocem *Pelethronii* accipiendam gignendi casu, singulari numero, ut cum Plinio Virgilius concordet. Nam ne sic quidem idem dicet, cum sit aliud tribuere quod Pelethronio, aliud Pelethronii Lapithis, qui manent Pelethronii Lapithæ etiam post obitum Pelethronii. Quo tempore si quæ inveniunt, Pelethronii Lapithæ invenisse, non autem ipse Pelethronius, dici possunt. Cum hic non tam Pelethronii fræna, quam Pelethronius ipse, & propter ipsum cives ejus, Pelethronii Lapithæ, invenisse dicantur. Alii tamen nec Lapithis, nec Pelethronio Regi & conditori ipsorum, sed Minervæ putant hoc deberi. Scholiastes Pindari ad od. 12. Olymp. ubi reddit caussam,

cur Minerva Ἑλλώτια sit dicta: Ἕτεροι δέ φασι διὰ τὸ ἑλεῖν τὸν Πήγασον ἐν χαλινῷ ὑπ' Ἀθηνᾶς δοθέντι Βελλεροφόντῃ, πανήγυριν καὶ ἱερὸν Ἑλλωτίας Ἀθηνᾶς ὑπ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι. *Alii ajunt, propter captum fræno Pegasum, quod Minerva Bellerophonti dedit, sacrum & templum Hellotias Minervæ ab ipso institutum.* Meminit ejusdem rei Pausanias, eidemque ex hac caussa structum ait templum aliud, in quo sub nomine *Frænatricis* coleretur: Τοῦ μνήματος δέ ἐστιν οὐ πόρρω, χαλινίτιδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Ἀθηνᾶν γὰρ θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τά τε ἄλλα Βελλεροφόντῃ φασὶ, καὶ ὡς τὸν Πήγασον οἱ παραδοίη, χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτὴ τῷ ἵππῳ χαλινόν. *A sepulchro non multum distat Frænatricis Minervæ fanum. Minervam etenim ajunt præ cæteris Diis Bellerophonti cum aliis rebus opitulatam, tum vero a se domitum, fræno imposito, Pegasum dedisse.* Fuit in eadem sententia & Mnaseas, propterea enim τὸ ἡνιοχεῖν Minervæ tribuit, cum τὸ ἁρμαζεῦξαι invenisse Libycos ante retulisset. Τὸ δὲ ἡνιοχεῖν ἀπὸ Ἀθηνᾶς, ὡς Μνασέας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης, ait Phavorinus voce Βαρκαίοις. *Frænare Minervam auctorem habet, ut ait Mnaseas in libris de Libya.* Verum per Minervam non intelligenda quædam ex humano genere, sed vis ingenii ac rationis. Quod apparet, quoniam Bellerophon æqualis fuit Aodi judici Hebræorum, ante cujus tempora jam nota erant fræna. Certe ante ista tempora leguntur currus Pharaonis, quos infrenes fuisse, nemo facile crediderit. Fræna tamen primis temporibus sine dubio fuere simplicissima, ex nudo ferro, quod inferebatur ori equorum. Quomodo videmus hodieque rusticos clavos duos ferreos a capitibus in annulum flexos jungere, frænique loco usurpare. Latini genus istoc *orea* vocarunt. Unde Cælius apud Festum: *Equusque mihi sub feminibus occisus erat, oreas detrabo, inspectante Lucio Stertinio.* Dicit, *detrabo*, quia loris ad caput erant revinctæ, quæ proinde juncta hic cum ferramento per oreas intellexit. Alias oreæ proprie sola illa ferramenta, quæ inferebantur ori, sic ab ore dicta. Ideo apud Catonem III. Orig. legimus: *Equos* (antique, pro equus) *respondit, oreas mihi inde, tibi cape flagellum.* Facit *indi* oreas, id est, inferi, immitti, sine dubio respectu oris. Græci στόμια vocarunt simili ratione. Inde Pollux lib. II. cap. 4. Στόμιον χαλινοῦ τι μέρος. *Stomium seu orea, pars est fræni.* Quanquam cum sit χαλινὸς proprie, quod ori inditur, hæc pars ejus fuerit præcipua. Pollux idem lib. I. cap. 10. ubi de fræno, illiusque partibus: Τὸ δὲ εἰς τὸ στόμα ἐμβαλλόμενον, χαλινός. *Quod ipsi ori solet injici, chalinos.* Gualtherus pro χαλινὸς habet *cannus*, quod, quid sit, ignoro. Nisi forte scripsit *camus*. Sed est aliud quid camus, ut post indicabo. Χαλινὸς interea ferramentum totum, quod inferebatur ori equi, στόμιον pars ea, quam apprehendebat vel mordebat ore. Hinc sæpe pro iisdem usurpantur, & Xenophon, quod in libro de Re Equestri προσφέρειν τὸ στόμιον dixit, aliquanto post τὸν χαλινὸν προτείνειν extulit, velut æquivalente locutione. Imo στόμιον proprie ferramentum unum χαλινοῦ, unde supra Pollux partem ejus dixit. Nempe fræni ea pars, quam inferebant ori, constabat ferramentis duobus ansa inter se connexis, ut flecti possent, sicut hodieque videmus. Ferramentum quodlibet per se est στόμιον, & sic duo στόμια, χαλινός. Quod & in oreis valet. Inde namque est, quod oreæ in plurali de fræno uno usurpentur, sicut supra vidimus, oreas uni equo detrahi, uni equo indi. Nempe frænum est a frendo, uti putant, quod in in eo frendat equus, id est, dentibus crepet: Itaque id totum notat, quod in ore equi. At idem oreæ in plurali, unde oreas unius fræni plures esse

A manifeste colligas. Pro *oreis* apud Festum *orias* habemus voce *aureax*. *Aureax, auriga. Aureas enim dicebant frænum, quod ad aures equorum religabatur. Orias, quo ora coercebantur.* Ita puto legendum. Scaliger sic edidit: *Aureax, auriga. Aureas enim dicebatur frænum, quod ad aures equorum religabatur. Orias, quo ora coercebantur.* At præcedit proxime: *Aureas dicebant frænos, quibus equorum aures rediguntur.* Quod sine dubio est rectius, cum *aureas* in casu primo pro *aurea* veterum nemo usurpaverit. Cæterum, in his oriis seu oreis habebant ferramenta varia minutaque, ut annulos, globulos, & id genus, quibus equus

B luderet. Pollux lib. I. cap. 10. Χαλινοῦ τὸ μὲν μέσον, ἑνώιον, τὸ δὲ περὶ αὐτὸ δακτύλιοι, ἐχῖνοι, τρίβολοι, ὥσπερ μασᾶται ὁ ἵππος. *Fræni medium, henium, quod autem circa ipsum, dactylii, echini, triboli, quos equus mandit.* Quibus verbis ἑνώιον ostendit significare id in freno, quo in medio jungitur. Est hoc autem ansa duplex in capite utriusque oreæ, de qua dixi supra: Altera enim alteri inserta conjunguntur, quæ conjunctio ansarum Polluci ἑνώιον, ab ἑνόω, id est, jungo, unio, & ex duabus rebus unam facio, quomodo hic duæ oreæ per ansas istas uniuntur. Circa has nunc an-

C sulas dicit Pollux habuisse δακτυλίους, id est, annulos ferreos, catenatim junctos, quod & hodie in usu solet esse. Pollux alio loco: Τὰ στερεὰ, καὶ προμήκη, καὶ ἀλλήλοις ἀντιμπλεκόμενα ἐν ἁλύσεως ἰδέᾳ, δακτύλιοι καὶ δάκτυλοι. *Longa vero illa duraque, sibique mutuo catenæ instar connexa, dactylii & dactyli.* Habuisse quoque ait ἐχίνους, id est, ut existimo, globulos oblongos, eosque crebris aculeis asperos. Indicat Xenophon de Re Equestri, quando frænorum genus duplex facit. Τούτων, ait, ἔστω ὁ μὲν λεῖος, τοὺς τροχοὺς εὐμεγέθεις ἔχων. Ὁ δὲ ἕτερος, τοὺς μὲν τροχοὺς καὶ βαρεῖς καὶ ταπεινοὺς, τοὺς δὲ ἐχίνους, ὀξεῖς. *Horum unum genus lævius orbes gran-*

D *diores habeat, alterum orbes cum graves, tum depressos, echinos autem acutos.* Utrique generi tribuit τροχοὺς, alteri etiam ἐχίνους, eosque ὀξεῖς, unde asperos fuisse constat. Budæus orbiculos echinatos putat fuisse, quibus fræni essent conferti, quod non potest verum esse. Frænum, sive ferramentum illud, quod inferebatur ori, non habebat præter unum articulum in medio, beneficio duarum ansularum mutuo se tenentium. Et licet eas jungas etiam orbiculo peculiari, unus tamen ille solusque erit. Jam vero in fræno uno non est ἐχῖνος, sed ἐχῖνοι, in plurali, sicut ex Polluce liquet. Quare illis fræni nequeunt fuisse conferti. Potius existi-

E mantur globuli olivarum instar, sed asperati, circa oreas volubiles. Unde & Hesychius: Ἐχῖνοι τοῦ χαλινοῦ μέρος. Plures in uno fræno memorat. *Echini*, ait, *pars fræni.* Polluci alio loco sunt τῶν ὑποστομίων τὰ κοῖλα, id est, *hypostomiorum cava.* Ubi hypostomia exponit χαλινοῦ σιδήρια, quæ proinde nihil erunt alia, quam στόμια. Κοῖλα vero eorum, illi globuli, propter cavitatem & volubilitatem ita dicti. At vero τρίβολοι, opinione mea, triquetræ sunt lamellulæ, dependentes ab annulis, in oreis. Meminit & Hesychius. Τρίβολοι, ait, ἀκάνθης εἶδος, ὅθεν καὶ τὸ τοῖς ἵπποις ἐν τοῖς χαλινοῖς ἐντιθέμενον. *Triboli, genus*

F *spinæ, unde &, quod equis in frænis inditur.* Putes loqui, velut de unico in frænis tribulo. Et nescio, annon tribulus aliquando sit ferrum illud latius triangulari figura, quod dependere solet ab ἑνωίῳ ansaque, sive illa simplex sit, sive in modum semicirculi curvata, in qua plures annuli hodieque. Quanquam & in annulis cæteris interdum ferramenta ejusmodi figuræ adhiberi soleant, quæ proinde magis Pollux intellexit. Pertinent ad hoc genus quoque λύκοι, hoc est, *lupi*. Hesychius: Λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήρειον. *Lupus parvum ferrum in*

frænis. Aperte dicit, ἐν τοῖς χαλινοῖς, unde partem eorum constat fuisse, & quidem talem, quæ in os soleret inseri. Ovidius IV. Trist. el. 6.

——— *Duros accipit ore lupos.*

Lupi plane hoc in loco sunt Græcorum λύκοι. Sed hæc pars peculiaris fuit, nec in frænis omnibus. Propterea, quæ habebant, dicta sunt *lupata*, velut armata lupis. Virgilius III. Georg.

——— *Duris parere lupatis.*

Servius hoc loco: *Lupatis, frænis asperrimis. Dicta autem lupata a lupinis dentibus, qui inæquales sunt.* Vult, nisi fallor, ferramenta fræni, ori solita inseri, non fuisse æqualia & lævia in hoc genere, sed aspera, ac modo lupinorum dentium, inæquali serie aculeorum, armata. Hinc, quæ apud Virgilium *dura*, ea Claudiano *rigida lupata*, in Cons. Prob. v. 82.

——— *Rigidisque docet servire lupatis.*

Pro lupatis integre *lupata fræna* dixit Horatius I Carm. od. 8.

——— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frænis.

Lambinus isto loco: *Lupati fræni, quibus equi ferociores coercentur, a lupinorum dentium similitudine, seu a lupo instrumento ferreo, unco & tortuoso, instar dentium lupinorum, quod pro lupato fræno usurpatur.* Quale instrumentum ferreum intelligat, ex quo dictum sit lupatum, nescio. Lego equidem apud Vegetium lib. IV. cap. 23. *lupum*, quem exponit *ferrum, in modum forficis dentatum.* At hic nil ad frænos facit, quod ostendit forfex, cui lupus ille comparatur. Fuit enim forfex ferrum uncatum duplex, quod immissum ponderi tenebat illud, ut per funes posset erigi in altum, sicut ex Vitruvio apparet, lib. X. cap. 2. ubi etiam a Barbaro effigies ipsius traditur. Talis forfex nil commune habet cum frænis, ut ignorem, quare scripserit Lambinus, *pro lupato fræno usurpari.* Lupatum est a dentibus lupinis, quorum & asperitatem & inæqualitatem referebat. Itaque nec usurpatum, nisi in ferocioribus, quos existimarunt aliqui propterea λυκοσπάδας ἵππους Græcis dictos. Plutarchus lib. II. Symp. q. 8. Ἵππους λυκοσπάδας οἱ μὲν ἀπὸ τῶν χαλινῶν τῶν λύκων ἔφασαν ὠνομάσθαι, διὰ τὸ θυμοειδὲς καὶ δυσκάθεκτον, οὕτω σωφρονιζομένους. *Equos lycospadas sunt nonnulli, qui a frænis, quæ lupata dicuntur, appellatos putent, ob ferociam & contumaciam sic domitos.* Ita vertunt ista. Ego vero λύκους ipsa dicta esse lupata non existimo. Quare puto sic vertenda, *qui a frænorum lupis ajunt appellari.* Sunt enim hic non λύκοι χαλινοὶ, sed λύκοι χαλινῶν, cohærentque ἀπὸ τῶν λύκων τῶν χαλινῶν, pro τῶν λύκων, τῶν ἐν χαλινοῖς. Quod monendum fuit, quia video τοὺς λύκους sive lupos accepisse aliquos pro χαλινοῖς seu frænis ipsis. Quia vero lupi pars peculiaris fræni certi, quod ex eo dictum est lupatum, ideo non satis commode, qui στόμιον sic reddunt, inter quos est Camerarius in versione Xenophontis. Nec enim lupatum στόμιον, sed pars ejus, neque στόμια omnia, lupata. Putat Salmasius hoc fræni genus dictum quoque κούρκουμα. Sic enim habet pag. 1001. magni operis: *Lupata multis nodis ferrei olivarum instar, ac sibi cohærentibus fiebant. Inde curcumam nuncupavere, quæ vox frænum vel lupatum proprie significat.* Ut hoc firmet, adducit verba Pollucis, sic de frænis

A veteribus loquentis: Τοῦ χαλινοῦ τὰ σιδήρια περιφερῆ καὶ πριονωτὰ, τροχοί. At hoc nihil ad lupata. Quærit Pollux, qui sint τροχοὶ in frænis, & ait esse σιδήρια περιφερῆ καὶ πριονωτὰ, id est, ferramenta circularia & denticulata. Talia ferramenta dicit appellari τροχοὺς communi nomine in cunctis frænis, id est, orbiculos, annulos, rotulas. Sunt enim τροχοὶ proprie rotæ, sic a vertendo nominatæ, quia rotarum instar illi annuli circa oreas, velut circa axem, vertebantur ab equis ludentibus, ut mox indicabo. At longe alii sunt λύκοι, ut constat ex prioribus. Sed tamen λύκοι, κούρκουμα. Ego

B vero neque hoc existimo, quia curcuma diversa sunt a frænis. Docet l. unica C. Nulli in fr. *Aliis autem gemmis fræna & equestres sellas & baltheos suos privatos exornare permittimus, de curcumis omnem prorsus qualiumcumque gemmarum habitum præcipimus submoveri.* Manifeste in his verbis alia sunt fræna, & alia curcuma. Nam cum illis concedatur ornatus gemmarum, his penitus adimitur. Liquet autem, olim curcuma quoque exornasse gemmis. Jam si curcuma fuissent lupata, quomodo sic exornari potuerint, non video, quippe quæ inserebantur ori, nisi per lupata fræna simul cum habenis intelligenda putamus. Postremo liberat nos dubitatione omni Hesychius, quando

C explicat κημοὺς. Verba ejus: Ἐν κημῷ, ἐν κουρκούμῳ. Facit idem κούρκουμον & κημόν. At κημὸς est certum genus fræni, de quo Strabo lib. XV. de Indis agens: Ἀντὶ δὲ χαλινῶν φιμοῖς χρῆσθαι, κημῶν μικρὸν διαφέρουσιν. Vertit Casaubonus: *Capistris pro frænis uti, quæ a camis non multum differunt.* Liquet hinc, κημὸν fuisse non χαλινὸν, ac ne φιμὸν quidem, sed peculiare genus, quod Casaubonus *camum* reddidit. Nempe χαλινὸς inserebatur ori, φιμὸς non inserebatur, verum circumponebatur. Esaiæ cap. 37. Ἐμβαλῶ φιμὸν εἰς τὴν ῥῖνά σου. Quod vulgatus reddit: *Ponam circulum in naribus tuis.* Unde

D constat, non inseri ori, sed circumdari vel imponi naribus, & esse velut circulum aliquem. Puto autem eum circulum habuisse uncos, fodiendis naribus equorum. Tale namque aliquid Hebræa insinuant. Igitur & Castilionius: *Unco meo naribus injecto te retraham.* Et Tremellius: *Ponam hamum meum in naso tuo, & frænum meum inter labia tua.* Frænum ponitur inter labia, id est, inseritur ori, at φιμὸς in naso, & est uncatus seu hamatus. Et quoniam in naso ponebatur, inde Hesychius φιμοῦν, ἐπιστομίζειν explicavit, & apud Lucianum nescio quis, σιωπᾶν ποιῶ φιμὸν αὐτοῖς περιθείς, quod plane circumponi circum os naresque

E consuevisse demonstrat. At κημὸς id est, quod Latini reddiderunt *camum*, sicut Casaubonus voluit. Qui consentientem sibi habet Hieronymum, ita exponentem supra indicatum Esaiæ locum. Sed & Ps 31. ubi Græca habent: Ἐν κημῷ καὶ χαλινῷ τὰς σιαγόνας αὐτῶν ἄγξαις. Hieronymus vertit: *In camo & fræno maxillas eorum constringe.* Κημὸς igitur est *camus.* At κημὸς non unius fuit generis, unus de genere frænorum, alter aliud instrumentum quoddam. Docet Hesychius. Κημὸς, ait, ὁ περιτιθέμενος τοῖς ἵπποις εἰς ὃν αἱ κριθαὶ βάλλονται, καὶ εἶδος χαλινοῦ. *Camus, qui circumponitur equis, ut avena ei immittatur, & species quædam freni.* O-

F stendit κημὸν seu camum significare aliquando id, cui avena pabulumque solet inseri, & sic circa equi os religari. Λωρόσακκον vocavit Mauritius noster lib. I. c. 2. ubi ostendimus fuisse saccum scorteum, hoc fine religari solitum ad ora equorum. Vide Notas nostras p. 394. huc enim faciunt. Pollux paulo aliter: Τὸ μὲν ὅλον τῷ στόματι τοῦ ἵππου περιτιθέμενον χαλκοῦν ἠθμῶδες, κημὸς καλεῖται. Vertit Gualtherus: *Sed colli instar equino ori circumdatum ferrum, frænum*, quod ineptum. Primum autem scribi debet,

coli instar. Colum est vas, minutis foraminibus pertusum, quo ad percolandum uti solent. Ejus habuit speciem non *frænum*, sicut vertit Gualtherus, verum κημὸς sive *camus*. Dicit autem ferreum fuisse. Solebant nempe ex ferro struere corbis instar reticulatim plexo, quod equorum induebant oris, ne valerent lædere quem morsu. Id Polluci est χαλκοῦν ἠθμῶδες, quia coli aut cribri speciem habebat. Latini *fiscellam* appellarunt. Cato de R. R. cap. 54. *Fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur boves, cum arabunt.* Sunt hoc loco fiscellæ velut fiscinæ aut corbes, e funiculis aut viminibus reticulatim plexæ, quibus occludebant ora bovibus, ne inter arandum herbas & pabulum possent invadere. Tales habuerunt quoque in equis, sed ex ferro, ut ostendit Pollux, cum essent mordaces. Meminit & Xenophon in de Re Equestri: Εἰδέναι δὲ χρὴ τὸν ἱπποκόμον καὶ τὸν κημὸν περιτιθέναι τῷ ἵππῳ, καὶ ὅταν ἐπὶ ψῆξιν, καὶ ὅταν ἐπὶ κυλίστραν ἐξάγῃ. Καὶ ἀεὶ δὲ ὅποι ἂν ἀχάλινωτον ἄγῃ, κημοῦν δεῖ. Ὁ γὰρ κημὸς ἀναπνεῖν οὐ κωλύει, δάκνειν δὲ οὐκ ἐᾷ. Hoc ita vertit Camerarius: *Sciet etiam curator equo accommodare capistrum, quoties vel ad destrictionem vel ad volutabrum educere volet, denique, quocunque sine fræno ducendus est, capistrum induetur. Nam hoc respirationem non impedit, & morsibus tamen obstat.* Parum apte. Qui enim capistrum magis obstet morsibus, quam frænum? vel qui omnino obstet? Itaque κημὸς non est capistrum, verum plane istiusmodi fiscella, qualis a Polluce describitur. Qui ejusdem meminit paulo post par. 10. Ἢν μὲν γὰρ κεχαλινωμένον ἄγει, οὐδὲν αὐτῷ παραινῶ, ἢν δὲ ἀχαλίνωτον, κημοῦν τὸν ἵππον. Ὁ γὰρ κημὸς ἐνδάκνειν μὲν οὐκ ἐᾷ, ἐκπίνειν δὲ οὐ κωλύει. Ita habent editi, unde & Gualtherus vertit: *Sed qui equum fræno parentem habuerit, nihil hunc jubeo. Si vero effrenem, camo utendum est. Hic enim mordere non sinit, bibere tamen non prohibet.* Inepte omnia. Num enim κεχαλινωμένος, *fræno parens*? num ἀχαλίνωτος, *effrenis*? Qui deinde fit, ut hic *bibere* opponatur τῷ *mordere*? Verba Pollucis sunt desumpta ex Xenophontis antea laudato loco, qui ostendit, pro ἐκπίνειν ἐκπνεῖν scribendum esse. Sic habebimus hunc loci totius sensum: *Qui frænatum ducit equum, ei hoc præcipi necesse non est, at vero, qui absque fræno, ei camo aut fiscella utendum. Nam fiscella mordere equum non sinit, spirare tamen non impedit.* Cur spirare non impedit? quia est ἠθμῶδες χαλκοῦν, id est, ferrum cribri instar undique perforatum. Hoc aliud est ab eo, εἰς ὃν αἱ κριθαὶ βάλλονται, ut ait Hesychius. Nam hordeum seu avena qui manere possit in ferro ita perforato? Ergo illud potius, quod λωρόσακκον nominarunt. Pollux vocat χειλωτῆρα, lib. 1. cap. 11. Ἐφ' οὗ δὲ ἐσθίει ὁ ἵππος, κρεμαμένου μὲν ἐκ τῆς κορυφαίας, περιτιθεμένου δὲ τῷ στόματι, χειλωτήρ. Non videtur satis intellexisse Gualtherus, vertit enim admodum obscure: *Quod autem ab aurea extensum ori circumdatum est, in quo equos comedit, crates dicitur.* Quid hic est, *extensum ab aurea*? Κρεμάμενον non est *extensum*, sed *dependens*. Nempe dependebat saccus ille ab ore, ad quod revinctus erat. Deinde nec *in* eo comedebat, sed *ex* eo. Pabulum indebatur sacco, inde per partes equus educebat. Χειλωτὴρ ergo plane λωρόσακκος, nisi putamus illum solidum ex corio pannove, hunc reticulatim textum ex funiculis fuisse, sicut hodieque solet fieri, quia χειλωτὴρ a χειλὸς, id est, fræno. Hesychius: Χειλὸς, τροφὴ, βρῶσις, χόρτος, καὶ πᾶν ἄλλο χόρτασμα. Ita ibi censeo scribendum, non χιλός, docetque ipsa series & ordo litterarum. Nam præcedit χειλιάστυες, & sequitur χειλοῦται. Non ignoro, scribi alias per simplex *i*, sed & isto modo reperiri ex Eustathio cognovimus. Neutrum autem horum κημὸς, quatenus est εἶδος χαλινοῦ, sicut supra testabatur Hesychius aliquando usurpari. Nam hujusmodi κημὸς, Latine *camus*, specie non multum erat diversus a φιμῷ. Φιμὸς autem circulus circa os & nares equi, qualis proinde fuerit & camus. Hinc Phavorinus: Φίμα, κημὸς, παραστόμιον, φιμός. Pro iisdem habet, atque παραστόμιον exponit, hoc est tale quid, quod apponi solet ori. Ubi tamen male fecerit, quisquis acceperit pro fiscella. Nam distinxit Hesychius in superioribus a κημῷ, qui est εἶδος χαλινοῦ, quod Stephanus non observavit. Camum sic exposuit Isidorus: *Camus genus asperi fræni est, quo caballi superbi coerceri solent, dictus a curvitate. Χαμὸν enim Græci curvum dicunt.* Facit camum curvum, & asperum. Unde conjicias, quoniam & ori naribusque solebat imponi, non fuisse alium, quam quem hodie Germani *Naas-band*, id est, vinculum narium, vel *kappezaum* appellant. Quale quid proinde fuerit & κούρκουμον, sive *curcumum*, non lupatum cum nodis ferreis, olivarum instar, quod Salmasius putabat. Neque aliter intelligenda verba sunt Achmetis cap. 261 quæ sunt talia: Εἰ δὲ ἀντὶ δεσμῶν σιδηρῶν, ἤτοι κουρκούμου οἱ εἰρημένοι μέγιστοι ὑποταγέντες ἐλθοῦσι (?) ἐν αὐτῷ. Comparat δεσμοῖς σιδηροῖς, quia erant velut vinculum narium, sicut supra & Germanos dixi appellare. Nam Vegetius Artis Veterinariæ lib. II. cap. 33. aliud quid ea voce videtur innuere, quando ait: *Curcumam constrictam oportet imponi, ne depravet dentes & labia.* Præter lupos habuerunt etiam τροχοὺς in oreis seu στομίοις, aut ὑποστομίοις. Hi non fuerunt δακτύλιοι seu annuli catenati, quod colligitur ex Polluce, qui ab eis distinguit lib. 1. cap. 11. De ipsis vero ita ait: Καὶ τῶν ὑποστομίων τὰ περιφερῆ καὶ πριονωτὰ, τροχοί. *Hypostomiorum illa rotunda & serrata, rotæ.* Fuerunt ergo instar rotarum orbiculata & volubilia, exterius serræ instar aspera. Quibus equi ludebant, dum frequenter vertunt lingua. Habebantque fræna fere omnia, non tamen eodem modo, quædam majora, alia minora, unde & eorum differentia. Nam χαλινὸς λεῖος, *frænum leve* habebat τροχοὺς εὐμεγέθεις. At vero χαλινὸς τραχὺς *frænum durum* τροχοὺς καὶ βαρεῖς καὶ ταπεινούς, sicut constat manifeste ex verbis Xenophontis, quæ jam superius attulimus. Pollux de eadem re, secutus Xenophontem lib. 1. cap. 11. Εἰσὶ δὲ σκληροὶ χαλινοὶ, οἱ ἔχοντες τροχοὺς τραχεῖς καὶ ἐχίνους ὀξεῖς. ὑγροὶ δὲ, οἱ εὐρείας καὶ λείας ἔχοντες τὰς συμβολὰς, ὡς ῥᾳδίως κάμπτεσθαι, καὶ πάντα, ὅσα περιτίθεται περὶ τὸ σῶμα, εὐρύστομα καὶ οὐ σύμπυκνα. *Sunt autem dura fræna, quæ habent rotas asperas, & echinos acutos. Mollia vero, quæ amplas & leves commissuras, ut facile possint flecti, eaque omnia, quæ circum os ponuntur, patula, nec compacta.* Sic expono ista, interpreti parum intellecta: Et observo, primum χαλινοὺς σκληροὺς Polluci esse, qui Xenophonti τραχεῖς, item τροχοὺς τραχεῖς, qui eidem βαρεῖς καὶ ταπεινοί. Contra χαλινοὺς ὑγροὺς, qui Xenophonti λεῖοι; qui sic dicti, quod haberent συμβολὰς λείας. Ubi συμβολὰς existimo vocari, quæ alio loco Polluci sunt ἡνία, id est, juncturas illas orearum, vel per ansas, vel per circulos integros, aut dimidios. Sed quæ illa πάντα περὶ τὸ σῶμα? & qui fit, quod hic nihil de τροχοῖς, quæ differentiam frænorum maxime faciebant, sicuti ex Xenophonte constat? Puto esse vitium in scriptura, & pro περὶ τὸ σῶμα, περὶ τὰ στόμια oportere legi. Στόμια, ut dixi supra, ferramenta illa duo sunt, quæ inseruntur ori equorum, in capitibus per ansas circulosve juncta. In his τροχοὶ, ut vere dicantur περιτίθεσθαι. Neque alia sunt εὐρύστομα καὶ οὐ σύμπυκνα, quam τροχοὶ εὐμεγέθεις, sicut Xenophon locutus fuit. Pro χαλινοῖς σκληροῖς

Aristophanem opinor usurpasse στόμια πριονωτά. Sic enim accipio, quæ habet Pollux lib. X. cap. 13. Στόμια δὲ πριονωτὰ, ἔφη ἐν ἀνάγύρῳ Αριστοφάνης. Nam docuerat in præcedentibus, πριονωτὰ τῶν ὑποστομίων esse ἐξοχὰς, ut sint πριονωτὰ, istiusmodi rotulis ferratis armata, & sic dura fræna. Observo & obelos in frænis, Græce ὀβελοὺς. Est de his insignis Arriani locus in Indicis: Περὶ ἄκρῳ τῷ στόματι τοῦ ἵππου ἐν κύκλῳ ἔχουσι δέρμα ὠμοβόϊνον, ῥαπτὸν, περιηρτημένον, καὶ ἐν τούτῳ χάλκεα κέντρα ἢ σιδήρεα, οὐ κάρτα ὀξέα, ἔσω ἐστραμμένα. Εν δὲ τῷ στόματι σίδηρον αὐτοῖσιν οἱ ἵπποι ἔχουσιν, οἷόν περ ὀβελὸν, ἔνθεν ἐξηρτημένοι εἰσὶν αὐτοῖσιν οἱ ῥυτῆρες. Επηνὰν ὦν ἐπεγάγωσι τὸν ῥυτῆρα, ὅ, τε ὀβελὸς κρατεῖ τὸν ἵππον, καὶ τὰ κέντρα, οἷα δὴ ἐξ αὐτοῦ ἠρτημένα οὐκ ἐᾷ ἄλλο τι ἢ πείθεσθαι τῷ ῥυτῆρι. *Circa oris extremum equi in ambitum habent ex corio bubulo pellem, consutam, & circumcirca alligatam, & in ea cuspides æreos aut ferreos, non admodum acutos. In ore vero ipso equi habent ferrum, instar obeli, in quo obfirmatæ procedunt habenæ. Quando igitur habenas adducunt, obelus imperat equo, & cuspides ex eodem procedentes pungunt, nec permittunt eum nisi obtemperare frænis.* In his frænis ὀβελοὺς seu *obelos* puto esse veruculos, seu ferramenta paulo longiora, cuspide armata, quæ immissa oris, stimulabant ipsa. Est enim obelus ima sui parte latior, paulatimque desinit in acumen forma sive specie pyramidali. Atque talis ille in Indorum frænis. Quanquam non in ipsis solis fuisse videatur, sed & aliis. Neque enim alius est ὀβελίσκος apud Xenophontem in libro de Re Equestri, mea quidem opinione. Verba ipsius: Τὸν μὲν σκληρὸν ὅπῃ ἂν ὁ ἵππος λάβῃ, ὅλον ἔχει πρὸς τὰς γνάθους, ὥσπερ καὶ ὀβελίσκον ὁπόθεν ἄν τις λάβῃ, ὅλον αἴρει. Camerarius sic reddidit: *Nam rigidum qua vis parte prehensum retinet equus totum inter maxillas, perinde ut veru ubilibet prehendas, totum sustuleris.* Non videtur Camerarius intellexisse mentem Xenophontis. Ecquid enim est, *veru ubilibet prehendas, totum sustuleris*? Mihi non est dubium, quin loquatur de ejusmodi obelo, quem immissum ori equus tenet dentibus, & sic vim ipsius eludit. Ut sic reddi debeant postrema: *Perinde ut obeliscum si prehendat, totum tenet.* Pollux lib. I. cap. 11. Τοῖς θυμοειδέσιν οὐκ ἐμβλητέον σκληροὺς χαλινούς. Αναλαμβάνουσι γὰρ αὐτοὺς εἰς τὸ στόμα, ὥσπερ ὀβελίσκους, ἀλλὰ ὑγρούς. Vertit Gualtherus. *Quapropter ferocioribus aspera fræna injicienda non sunt, hæc enim veluti obeliscos arripiunt robustos quidem & firmos.* Non sunt alii hi ὀβελίσκοι, quam illi Xenophontis, cum ex eo locus totus sit desumptus. At hic eos equi dentibus arripiunt tenentque, unde liquet, ibi quoque sic accipiendos esse. Sed quid illud, *robustos quidem & firmos*, apud Gualtherum? De obelis sermonem esse liquet: At quo pacto ibi ἀπαγεῖς? Credo, quia erant solidi, ex unico solidoque ferro, nullis articulis flexibili. Plane sicut erant & duriora fræna, quæ his facit similia. Ην δὲ χαλεπῶς ἕκαστα τοῦ χαλινοῦ διατρέχει καὶ συνιθῇ, τοῦτ᾽ ἐστι σκληρὸν εἶναι. Vertit Camerarius: *In quo vero omnes particulæ fræni graviter discurrunt atque colliduntur, illud frænum rigidum erit.* Non est assecutus Xenophontis mentem. Χαλεπῶς διατρέχει dicuntur, cum frænum est immobile, ac inflexibile, cum in eo annuli, dactyli, & id genus non laxi, sed adstricti. Huic generi oppositum est alterum, de quo idem: Ο δὲ ἕτερος ὥσπερ ἡ ἅλυσις ποιεῖ. Ο γὰρ ἂν ἔχῃ τις αὐτοῦ, τοῦτο μόνον ἄκαμπτον μένει, τὸ δὲ ἄλλο ἀπήρτηται. Dicit, illud genus esse instar catenæ, in qua si prehensa fuerit pars aliqua, illa sola fit immobilis, cæteræ vero omnes possunt moveri. Ubi ergo catenæ instar mobile est frænum, molle erit, hoc est ὑγρὸν, ut vocat Xenophon, aut μαλακὸν, ut est apud Pollucem lib. X. cap. 13. Ubi vero penitus immobile, σκληρόν. Qualis cum sit obeliscus, quoniam ἀπαγὴς, id est, ex uno ferro absque articulis fabrefactus, liquet, cur eum ad genus durioris fræni retulerit. Præter oreas in freno, quas & ἄξονας appellat Xenophon, quando ait, οἱ κατὰ μέσον ἐκ τῶν ἀξόνων δακτύλιοι κρεμάννυνται, sunt & ψέλλια. Sic autem appellasse catenas sub mento equi tensas putant. Pollux lib. I. Τὸ δὲ περὶ τὸ γένειον διειρόμενον, ψέλλιον. *Quod vero menti subtenditur, psellium.* Ita quidem Gualtherus. Verum διειρόμενον est id, quod *insertum*, non quod *subtensum* est. Sic διειρόμενον περὶ τὸ γένειον, id erit, quod juxta mentum solet inseri. Hoc vero non catena sub mento tensa, verum annulus a latere ore e insertus, a quo habena procedere consuevit. Docet aperte Xenophon, quando ita scribit de eo, qui conscendere parat equum: Τὸν ῥυταγωγέα χρὴ ἐκ τῆς ὑποχαλινιδίας, ἢ ἐκ τοῦ ψαλίου ἠρτημένον εὐτρεπῆ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα λαβεῖν. Non est aliud hoc loco ψάλιον, quam quod Polluci ψέλλιον. At in hoc habena. Nam sic reddidit Camerarius: *De fræni parte inferiore seu etiam de annulo bullave hujus religatum lorum ductorium apte sinistra manu prehendet.* Vides ut lorum ductorium, id est, habena, religatum sit ἐκ τοῦ ψαλίου, quod Camerario est *de annulo bullave*. Credo, quod illi annuli vulgo bullis auratis ornantur. Revera tamen ψάλιον seu ψέλλιον solus ille annulus, ab utraque oris parte fræno insertus, ad quem religantur habenæ. Nisi quod interdum huic addantur alii, ut fiat instar alicujus minutæ catenæ. Atque inde Hesychius: Ψάλια, κρίκοι, δακτύλιοι. Neque aliter intelligenda verba Jobi cap. 40. Δήσεις κρίκον ἐν τῷ μυκτῆρι αὐτοῦ. Ψελίῳ δὲ τρυπήσεις τὸ χεῖλος αὐτοῦ. Vertit vulgatus: *Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus.* Sed ψέλιον, quod Polluci ψέλλιον, Hesychio ψάλιον, nil aliud hoc loco, quam circulus sive annulus. Solebant enim ferarum malis perforatis inserere annulos ferreos, ut per immissos in illos annulos funes ducerent, & huc illucque flecterent, sibique obsequentiores facerent. Quod nos ipsos in ursis aliquoties vidisse meminimus. Atque hinc est illud τρυπήσεις ψελίῳ, quod non recte Castilionius videtur accepisse, quando reddidit: *Et buccam cuspide perforabis.* Ψέλιον enim non est *cuspis*. Suidas περιοχὴν exposuit adducto hoc ipso Jobi loco, quod significat aliquid, quod rem aliam tenet clausam. Sed Castilionius respexit magis ad Hebræum textum, in quo acutum quid significatur. Nam & Tremellius ita: *Aut spina perforabis maxillam ejus.* Omnino ψέλιον apud Jobum uncus circularis est, in quo per maxillas transmisso captos suspendere solent pisces. Ut sensus sit, non poteris Leviathan, maximum ex cetorum genere, sic uncato circulo tenere clausum captumque, sicut soles pisces minutos in circulo tali suspendere. Atque quia ψάλιον est circulus, quo moventur fræna, quando adducuntur habenæ, propterea sic dictus est. Est enim ψάλλειν sæpe κινεῖν, Hesychio teste, id est, *movere*. Quinimo ex causa hac quandoque frænum totum denotat, quomodo & alias pars aliqua eximia pro toto solet usurpari. Hesychius: Ψαλίοις ἵππων, χαλινοῖς ἵππων. Κωλυτηρίοις. Ψαλίον, κωλυτήριον, χαλινός. Et paulo post: Ψαλὸν, εἶδος χαλινοῦ. Et hæc quidem ψέλλια Pollucis. At quid est, quod præmittit Xenophon, velut huic non multum dissimile, quando ait: Εκ τῆς ὑποχαλινιδίας, ἢ ἐκ τοῦ ψαλίου? An ὑποχαλινιδία quoque

A ψάλιον seu annulus hujusmodi? Camerarius *fræni partem inferiorem* reddidit, quod vix intelligitur. Pollux memoravit inter ἱππικὰ ὄργανα, id est, instrumenta equestria, lib. I. cap. 12. ubi tali ordine recensentur: Σειραγωγεὺς, ῥυταγωγεὺς, κέντρον, μύωψ, ὑποχαλινίδια, ἡνία. Gualtherus prorsus imperite vertit *ocreas*: Verba ejus: *Equestria instrumenta sunt, catena, habena & lorum equi, stimulus, calcar, ocreæ, habenæ*. Non video, qua ratione ὑποχαλινίδια verti possint *ocreæ*. Nam ὑποχαλινίδια est singularis numeri, sicut manifeste docet Xenophontis locus, quod non observasse Gualtherus videtur. Unde quoque rectius apud Pollucem ὑποχαλινιδία scribi existimo. Sane ὑποχαλινιδία est a χαλινὸς, id est, frænum. At quid hoc ad ocreas? Potius existimem ὑποχαλινιδίαν esse ferramentum longius ab orea dependens, cui habena alligatur. Scilicet duplicia habebant fræna, quædam cum simplicibus annulis in oreis, alia cum ferramentis longioribus, quæ quia propendebant ab oreis, seu axe, aut χαλινῷ, id est, illo, quod inferebatur ori, inde dicta ὑποχαλινιδίαι. Nam χαλινὸς proprie id ferrum, quod insertum ori mandunt equi, hinc ὑποχαλινιδία, quasi quod sub illo ferro, quia inde propendet. Ecce tibi fræni utriusque effigiem ex columna Trajani.



B Sunt hæ imagines desumptæ ex Lafrerii operibus, qui omnium optime ac diligentissime singula delineavit, ut vix possit ambigi. Videturque insuper & series vocabulorum apud Pollucem docere. Sequitur enim mox ἡνία, id est, lorum seu habena, quæ ad ferrum istud solet religari. Et hæc quidem ferramenta freni, quæ ut ad os caputque firmarentur, opus erat loris. Eorum unum Græci appellabant κορυφαίαν, eratque illud, quod ab equi vertice præter aures tendebat ad os. Pollux: Ὁ δὲ ἀπὸ κορυφῆς τοῦ ἵππου ἐκτεταμένος ἱμὰς ἐπὶ τὸν χαλινὸν κορυφαία. *Lorum ab equi vertice tendens ad frænum, capitale*. Ita vertit Gualtherus. Dixi præter aures. Docet Xenophon in de Re Equestri, unde nostrum desumsisse arbitror: Πῶς δὲ χέται τὸν χαλινὸν, πῶς δὲ περὶ τὰ ὦτα τὴν κορυφαίαν. Vertit Camerarius: Videbimus, *& lupos, quo pacto ore, & verticale lorum, quo pacto ad aures admittat*. Verum χαλινὸς non sunt lupi, sicut liquet ex superioribus: Nec περὶ τὰ ὦτα *ad aures*. Mallem sic exponere: *Videbimus, quo modo & admittat frænum ore, & lorum circa aures*. Liquet autem plane, κορυφαίαν pertinuisse ad aures, ut existimem non esse aliam, quam quæ *aurea* est Festo, & ab *orea* distinguitur. *Aureas dicebant frænum, quod ad aures equorum religabatur*. Meminit ejusdem Xenophon & in sequentibus, ubi docet, quomodo imponi frænum debeat: Τὰς μὲν ἡνίας περιβαλὼν περὶ τὴν κεφαλὴν καταθέτω ἐπὶ τῇ ἀκρωμίᾳ, τὴν δὲ κορυφαίαν τῇ δεξιᾷ αἰρέτω, τὸ δὲ στόμιον τῇ ἀριστερᾷ προσφερέτω. Exponit Camerarius: *Habenas ob caput in summis armis ponat, verticale autem attollens in dextra teneat, ac lupos sinistra admoveat*. Ubi *verticale* reddit, quod supra *verticale lorum*, Gualtherus *capitale* dixit. Liquet autem totum id intelligi in quo frænum, non unum modo lorum, quoniam non utitur στομίῳ, & præter illud στόμιον ac κορυφαίαν nihil memoratur ad frænandum equum. Est tamen seorsum & γενειαστὴρ inter fræni lora. Pollux sic de eo: Ὁ δὲ περὶ τὰς γενείας. Vertit Gualtherus: *Quod circa maxillas, maxillare*. At γένειον, mentum. Philoxenus: *Mentum*, γένειον. Sic erit lorum non circa maxillas, sed mentum. At vero lorum illud, quo auriga frænum moderatur, Græcis est ἡνία. Hesychius: Ἡνίαι, λῶρα χαλινοῦ. Ἡνίαις, χώροις, τόποις, ἢ λώροις τῶν χαλινῶν. Dicit, lora frænorum ita nominari. Vocantur & ῥυτῆρες. Pollux: Αἱ δὲ ἡνίαι καὶ ῥυτῆρες. Suidas: Ῥυτῆρες, χαλινοὶ ἱμάντες, ἡνίαι. Dicit expresse, hoc vocabulo significari ea lora, quæ ad frenos spectant. Quod notandum, ne hic cogitemus helcia, de quibus alio loco dixi. Latinis sunt *habenæ*. Philoxenus: *Habenæ*, ἡνίαι, Lexicon Argentoratense: *Habena*, ἡνία, ἀγωγεύς. Observa, etiam ἀγωγέας appellasse. Suidas: Ἀγωγεῖ, ἱμάντι ᾧ ἄγεται ὁ ἵππος. Atque ita usurpavit Xenophon, Polybius, & alii. Idem voluit Hesychius, quando scripsit: Ἀγωγεὺς ὁ ἱμάς. Nam ἱμὰς est *lorum*. Ita autem etiam Latini habenas appellarunt, maxime Poetæ. Virgilius lib. I. Æn.

Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

Phædrus noster lib. III. cap. 7.

Et lora frænis continet spumantibus.

Ovid. lib. II. c. I. in verbis Solis ad Phaetontem:

Corripe lora manu. ——————

Cæterum, hæc lora a frænis per dorsa jugalium decurrebant ad aurigam, unde κατανωτιαῖα, id est, *per tergum decurrentia*, appellabantur. Pollux: Τῶν ἡνιῶν αἱ μὲν κατανωτιαῖοι καλοῦνται. *Ex loris aliqui nominantur catanotiæi*, hoc est, decurrentes per tergum. Nisi quis existimet, signari per ἡνίας hoc loco non tam fræna, quam lora alia a jugo per tergum ad caudam decurrentia, quod videtur esse verius. Interim sic protenta fuisse certum est, ac ne turbarentur facile, aut deciderent, transmissa per annulos quosdam. Pollux: Οἱ σιδηροῖ κύκλοι, δι' ὧν διήρηνται αἱ ἡνίαι, δακτύλιοι.

Ferrei circuli, per quos trahuntur habenæ, dicti dactyli. Docet, dactylos vocasse. Nuncupabant quoque *θαιροδύται*. Hesychius: Θαιροδύται οἱ ἐν ζυγῷ δακτύλιοι. δι' ὧν οἱ ῥυτῆρες. *Thærodytæ annuli in jugo, per quos transmittuntur habenæ*. Quibus verbis simul discimus, ubi annuli illi fuerint, videlicet in jugo. Apparet tamen ex Onuphrii picturis, saltem in Circensibus vehiculis habuisse etiam in summo maschalisteris, si modo recte sese habent. Usus erat omnium, ut haberent in obsequio jugales, quod Horatio est *temperare ora frenis*. Pertinebat huc, ut pro ratione negotii lora cum frænis vel attraherent, vel remitterent, & vel in hanc vel in illam partem flecterent. Primum dicebant *frænos inhibere*. Livius I. cap. 48. *Inhibuit frænos is, qui jumenta agebat*. Valerius eandem rem proponens lib. IX. cap. 11. sic ait: *Is, qui jumenta agebat, succussis frænis constitit*. Unde colligas esse idem & *succutere frænos*. Ovidio hoc est *ducere*, lib. XV. Met. f. 1.

——— Ego ducere vana
Fræna manu, spumis albentibus oblita, luctor,
Et retro lentas tendo resupinus habenas.

Hic *retro tendere habenas*, & *ducere fræna* idem est. Nempe *ducere* simplex, pro *adducere* ponitur: Est enim *adducere*, attrahere. Cicero in Lælio: *Commodissimum est quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis, vel remittas*. Græcis hoc est ἀνακρούειν καὶ ὑπὸ χαλινοῦ καταβιάζεσθαι τὸν ἵππον, ut ex Luciano discimus. Secundum dicebant *fræna dare*. Livius lib XXXIV. cap. 2. *Date frænos impotenti naturæ & indomito animali*. Virgilius lib. I. Æn.

—— Et laxas sciret dare jussus habenas.

Idem est *immittere fræna seu habenas*. Virgilius iterum lib. IX. Æn.

—— Immissis pars cæca & concita frænis.

Ubi tamen plus est *immittere*, quam *dare*, quoniam, qui dat, non tenet ea adstricta, nec tamen libera plane patitur esse fræna, qui vero immittit, sinit quoque esse libera. Alibi pro *immittere*, Poeta idem dixit *effundere*. Ut lib. V. Æn.

—— Manibusque omnes effundit habenas.

At pro *dare*, usurpant & *laxare fræna*. Quomodo Lucanus lib. VII. *Frænosque furentibus ira laxat*. Cicero in verbis antea citatis ita usurpavit *remittere*. Græcis hoc est ἐνδιδόναι τὸν χαλινὸν, item ἐξορμᾶν ἡνίαν, uti Pollux docet lib. I. Homero fere τανύειν ἱμᾶσιν. Ut Il. Ψ.

Ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν.

Ubi Nestor vetat filio, loris extensionem facere ab initio, & sic ad cursum nimis concitare suos equos. Alterum vero πάντα χαλινὸν ἀνεῖναι, ut de voluptate Basilius locutus est. Medium ex his est *fræna tenere*. Respexit auctor Dialogi de Caussis corr. eloq. cap. 31. *Orator tenebit habenas animorum, &, prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem*. Horatius pro eo dixit *temperare*. Solebant autem equorum excitandorum gratia percutere ipsorum colla habenis, quod ex Xenophonte discimus. Pollux imitatus ipsum hoc appellat ἀνακλᾶσαι τὸν αὐχένα ἐκ τοῦ χαλινοῦ. Item ἀνακρούειν τῷ χαλινῷ. Virgilio hoc est *concutere fræna* lib. VI. Æn.

——— Ea fræna furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.

Silius dixit *quatere* lib. XVI.

——— Quatit æquore aperto
Lora suis victor. ———

Quod si tardiores sunt, habenis eos verberant, præsertim in defectu flagellorum. Silius lib. XVI.

Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora.

Simili ratione habes apud Statium lib. VI. Theb.

Verberibusque jubas, & terga lacessit habenis.

Curtius lib. IV. cap. 15. *Exaudiebantur tantum strepitus habenarum, quibus equi, currum trahentes, identidem verberabantur*. Tertium dicebant *flectere*. Ovidius lib. II. Met. de Phaetonte:

Ipse pavet, nec, qua commissas flectat habenas,
Nec scit, qua sit iter. ———

Pro *flectere habenas* idem alibi usurpavit *flectere ora equorum* aut *equos* ipsos *habenis*. Ut in Ep. ad Pisonem:

Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
Mobilibus frænis in aperto flectere campo.

Virgilius sic dixit *contorquere ora* lib. XII. Æn.

Ora citatorum dextra contorsit equorum.

Solebat autem hoc fieri frænis in alterutrum latus conjectis, quod Pollux τὸν χαλινὸν μεταβάλλειν ἐφ' ἑκατέραν τὴν γνάθον appellat. Male Gualtherus vertit: *Frænum in utramque trajicere maxillam*. Nam ἐφ' ἑκατέραν non est *in utramque*, sed *ad alterutram*. Vult, oportere frænum conjici vel ad dextram maxillam aut genam, vel ad sinistram, si flectendus equus, de quo ibi sermo. Atque hic frænorum usus. Sequitur nunc *capistrum*. Id ita *a capite jumentorum dictum* ait Isidorus. Nempe, sicut oreæ ab ore, ita capistra a capite, quia illæ inferebantur ori, hæc circumdabantur capiti. Erant enim capistra, quibus equi jumentave, sublatis frænis, tenebantur, unde quoque sunt, qui capistra dicta putant. Qua de re videri Vossius potest. Varro lib. II. de R. R. cap. 6. ubi agit de pullo asinino, & qua ratione primo secundoque post partum anno debeat haberi. *Proximo anno patiuntur esse cum his, & leniter capistris aliave qua re habent vinctos*. Vides, capistris vinciri tenerique, verum leniter. Inde *mollia capistra* apud Virgilium lib. III. Georg.

—— Inque vicem det mollibus ora capistris.

Ubi Servius: *In vicem. Frænorum scilicet, ne adhuc tenera ora lædantur*. Quibus verbis constat, alia esse fræna, alia capistra: Illa lædere ora, hæc non lædere. Nempe fræna pertinebant ad ora, inserebantur ori: Contra capistra pertinebant tantum ad capita, neque ori indebantur. Itaque nec ora lædebant. Græcis vulgo est φορβιά. Philoxenus: *Capistrum*, φορβιά. Sed in Glossis est φορβαία. Ita namque habent: *Capistrum*, φορβαία. Glossæ Græcæ habent φορβεάν. Atque ita etiam apud alios reperitur, nisi quod accentum referant ad syllabam priorem. Hesychius: Φορβεία, ἕλκυστρον, περιστόμιον, καπίστριον. Vides,

per καπίστριον exponi, quod est Latinorum *capistrum*. Moschopulus: Ἀπὸ τῆς φορβῆς, ἤγουν τοῦ κοινῶς καπιστρίου. Suidas: Φορβιαὶ, περιστόμιον, καπίστριον. Quando Suidas & Hesychius per περιστόμιον exponunt, ostendunt manifeste, non inferi ori, sed alias circumponi ei consuevisse, hoc enim proprie est περιστόμιον. Et in eo differebat a frænis. Idem liquet ex instrumento tibicinum φορβειὰ vocato, quod utique non inserebatur ori, sed tenebat illud justo modo. Itaque Scholiastes vetus Aristophanis in Vespis explicat τὸ περικείμενον τῷ στόματι τοῦ αὐλητοῦ δέρμα, ἵνα μὴ σχισθῇ τὸ χεῖλος αὐτοῦ. *Id, quod ori tibicinis circumpositum, loramentum, ne labra ejus findantur*. Vide Salmasium Exercit. Plin. pag. 833. ibique pertinentem huc picturam. Et quia parum discrepat hæc φορβειὰ, iccirco στομίδα capistrum quoque dictum Salmasius putavit. Στομὶς, ait eo loco, *idem, quod capistrum*. Nempe ita habet etiam Hesych. Φορβειὰ, ἡ αὐλητικὴ στομίς. Sed mihi hic Hesychius non voce propria & æquivalente per omnia, sed qualicunque usus esse videtur, ut ostenderet, quid φορβειὰ significaret. Nam alias στομὶς immittebatur ori, sicut liquet ex superioribus, φορβειὰ nequaquam. Præterea nemo reperitur, qui φορβειὰν atque στομίδα diceret esse idem. Nam Lucilii quidem versus, quem adducit, penitus huc facit nihil. Verba ejus:

Trulleu' postomis huic ingens de naribus pendet.

Hic Salmasius existimat legendum: *Trulleus pro stomide*, ut faciat Latinum *stomidem*, pro eo, quod in Græcis esset στομὶς, id est, φορβειὰ, seu capistrum. At hic sermo esse de capistro nequit. Nam expresse Lucilius id, quicquid est, pendere ait de naribus, quod profecto nihil convenit in capistrum. Capistrum est περιστόμιον, ambit os, at postomis pendet de naribus, quæ inter sese differunt plurimum. Deinde Nonius expresse ferrum ait fuisse. Verba ejus: *Postomis dicitur ferrum, quod ad cohibendum equorum tenaciam naribus vel morsui imponitur, Græce* ἀπὸ τοῦ στόματος. Si ferrum fuit, utique capistrum explicari nequit; Nam capistrum fuit lorum. Inde ἱμάντες pro capistris apud Homerum locis pluribus. Ut Il. Θ. ubi equi soluti a jugo ligantur capistris istiusmodi. Neque alia est caussa, cur Virgilius capistra dixit *mollia*. Nam quod legimus alio loco apud Virgilium *capistra ferrata*, nihil obstat. Sunt illa peculiaria, hædis ablactandis facta. Docent ipsa verba ejus:

Multi jam excretos prohibent a matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.

Servius hoc loco: *Ferratis capistris, id est, duris*. Parum ex sententia Virgilii, qui intelligit vere ferrata, id est, ferro confixa. Solebant enim capistris illis addere aculeos ferreos, extantes circa nares hædorum, ut, si ad capras veniant, oraque uberibus admoveant, metu istorum stimulorum ferreorum repellantur, sicut hodieque passim est in usu. At hæc capistra nil ad nostra, quæ omnino fuere coriacea, vel ex loris plexa. Subdit Nonius, id ferrum pertinuisse ad cohibendam equorum tenaciam. Tenacia equorum est, cum frænis nolunt parere. Hinc apud Liv. lib. XXXIX. cap. *Equum tenacem, non parentem frænis asperioribus, castigandum esse*. At qui hoc possit capistrum, quod non potest frænum? Capistri sane usus fuit mollior, ut qui neque os coerceret. Itaque non potest de capistro Lucilius egisse. Neque placet τὸ *pro stomide*, quod Salmasius restituit. Nullus stomidis hic est locus. Στομὶς ad fræna pertinet, φορβειὰ non pertinet ad fræna, sed est sui generis. Pollux: Τῆς ἐπιφατνιδίας φορβειᾶς μὴ ποιείτω ἅμμα, ἔνθα ἡ κορυφαία περιτίθεται, ὡς μὴ ἑλκόμενον τοῦτον καὶ περὶ τὸ χαλινοῦσθαι δυσκολαίνειν. Facit diversa Pollux, usum φορβειᾶς, & χαλινοῦσθαι, quorum posterius, cum fiat per στομίδα, non potest φορβειὰ & στομὶς idem esse. Adde, quod observet Dousa, versum illum reperiri scriptum aliter in lexico quodam veteri, & ad hunc modum:

Postomides huic de naribus ingentes pendent.

Si postomides plures pendent de unius naribus, qui significare possint capistra? Nemo enim plura ea uni equo imponit. Neque tamen in eorum sum sententia, qui exponunt circulum ferreum, dentatum naribus equorum ferocientium imponi solitum, quem in præcedentibus ostendimus vocari camum. Circulum enim illum sive camum nemo unquam fecit pendentem de naribus, sicut manifeste hic de postomide Lucilius testatur. Magis eo adducor, ut existimem significare instrumentum, quo utuntur mulomedici fabrique nostri, quando urunt secantve equos. Ferrum duplex est ac longiusculum, ab uno capite ansatum, ut aperiri claudique possit, crebris dentibus intus asperum, quod in superiori labro equi fixum verissime dependet. Germani *eine Preins* appellare consueverunt. Juvat plane, quod ajebat supra Nonius, non solum naribus, sed etiam *morsui* imponi. Hoc enim in nullum instrumentum aliud magis convenit. Non profecto in camum, ac ne in capistrum quidem, minime vero stomidem, cum nunquam stomis imponatur. Non igitur postomis stomis est, nec apud Lucilium in stomis immutari potest. Quod & ex eo liquet, quod Nonius ait postomidem dictum ἀπὸ τοῦ στόματος, hoc enim sic intelligo, quod ab his vocabulis ἀπὸ στόματος formatum sit *postomis*, quasi quod ἀπὸ τοῦ στόματος, hoc est, ab ore, dependeat. Neque obstat lectio vulgata Nonii, imo ex hac interpretatione accipit lumen, cum intelligitur, eum, quisquis tandem hic exagitatur, habuisse ita trulleum & vas vinarium ingens ori affixum, ut eo liberare se non magis potuerit, quam equus postomide. Postomis itaque non est στομὶς vel stomis, sed nec capistrum significat, quippe quod nec ferrum erat, nec a naribus pendebat, verum lorum aut funis, quo præligabant capita jugalium. Auctor Etymologi ex Herodiano Grammatico, voce ἀρειή: Φορβεία σημαίνει τὸ σχοινίον τοῦ ἀλόγου τὸ περιστόμιον, τὸ καπίστριον. *Phorbeia est funis circa os jugalis, capistrium*. His capistris alligabant jugales in stabulis, nec officiebant ea, quo minus sumere possent pabulum, unde constat, quod & ante dixi, non habuisse illa inserta ori. Hippiatrica seu de Re Equestri: Τὰς δὲ φάτνας ὑψηλοτέρας εἶναι δεῖ, ὡς αἰωρεῖσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς φορβέας, καὶ ἀνανεύσαντας λαμβάνειν τὴν τροφήν. *Præsepia vero oportet esse altiora, ut in eis suspendi possint capistra, & nihilominus animalia sublatis capitibus sumere pabulum queant*. Sicut autem φορβειὰ proprie apud Græcos est capistrum, sic interdum video pro eo positum κημόν. Ita sane habes in Lexico Argentoratensi: *Capistrum*, κημός. Etiam φιμὸς hoc sensu aliquando usurpatus videri potest. Nam quod extat in Lege Mosaica Deut. 25. Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, & vulgatus reddidit, *non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, id Grotius in notis ad hæc verba explicat, *non capistrabis*, & addit, *ita enim Plinius loquuntur & Columella*. Verum inspicienti utrumque auctorem aliud videbitur. Plin. sic ait lib. XVIII. c. 19. *Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistrari oportet, ne germinum tenera præcerpant*. Hic usurpat non capistrare

strare simpliciter & per se, verum *capistrare fiscellis*, quæ duo inter se differunt plurimum. Nam qui simpliciter capistrantur, illi illigantur capistris, & qui capistrantur fiscellis, eis adduntur fiscellæ, quorum hoc prohibet ipsos capere cibum, illud non prohibet. Unde liquet in Lege Mosaïca non prohiberi, ut capistrentur, sed ut capistrentur fiscellis. Et hoc proprie φιμῶν. Φιμοὶ enim os claudebant, erantque craticulatim ex funiculis viminibusque plexi sacculi corbesve, quos vocabant fiscellas Latini, Græci alias κημοὺς, quemadmodum superius ostendi. Scholiastes Aristophanis in Equitibus: Ὁ τοῖς ἵπποις περιτιθέμενος ὅπως ἐκαλεῖτο κημὸς, ὁ καλούμενος φιμός. *Fiscella, quæ circa os equorum ligari solet, & alias vocatur phimos, ita dicitur.* Et quoniam φιμοὶ claudebant os, inde habemus in Glossis: Φιμοῦμαι, *obmuteo, commut o, commutesco, compescor* Φιμῶ, *compesco*. Nempe, quia non bobus solummodo vel equis, sed & hominibus fiscella obligari os solebat, ne id possent aperire. Servi frequentissime sic coerciti, præsertim in pistrinis, ne possent edere, farinamque subducere. Sed & silentium hoc modo ipsis impositum videtur. Unde Seneca de veterum humanitate adversus servos, & servorum apud illos libertate, ep. 47. *At illi, quorum os non consuebatur.* Ubi *consui* plane Græcum φιμοῦσθαι, peræ scilicet ac sacculi instar ambitu collecto, & funiculo constricto. Neque aliud existimo voluisse Ammianum, quando scribit de Persis lib. XXIII. *Nec ministrandi apud eos famulo mensæque adstanti hiscere vel loqui licet, vel spuere, ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur.* Alludit sine dubio ad τὸ φιμοῦσθαι, solitum hoc fine usurpari. Cum primis vero in damnatis hoc receptum fuit, ne liberam emittere possent vocem. Et hinc φιμωθέντες Zenobii, quos memorat & Heinsius Exerc. Sacr. pag. 69. Putant viri summi, pertinere huc & locum Aristophanis in Nubibus:

Φιμώσατε τούτου τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα.

Sed nos sumus alia in sententia. Nempe sermo ibi est de Cleone furti & ambitus damnato, quem sic puniri volunt. Non est autem pœna sufficiens tantorum delictorum, si eam modo illo tantum accipiamus, quo prædictum est. Adde, quod hic non simpliciter sit positum φιμώσατε, sed additum τὸν αὐχένα. Vulgo φιμὸς pertinebat non ad αὐχένα sive collum, sed ad στόμα sive os. Quando ergo dicitur φιμώσατε τὸν αὐχένα nulla intelligitur conclusio oris, verum colli, sive gutturis & faucium. Qualem fieri nonnunquam consuevisse φιμῷ, sicut nunc nervo arcui dempto, vel hinc intelligitur. Neque aliam opinor fuisse causam, quare Hesychius sic scripserit: Φιμοῖ, δεσμεύει, ἐμπράττει, ἄγχει. Est enim ἄγχειν strangulare, fauces constringere. At τὸ φιμοῦν vulgo sumptum significat tantum os concludere loro, qui φιμὸς est Græcis. Chrysostomus pro eo dixit σπαρτίον. Verba ejus Orat. 5. in Esaiam: Καὶ ἐξῄει λοιπὸν, καθάπερ οἱ τὴν ἐπὶ θάνατον ἀπαγόμενοι, σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντες. Hic plane σπαρτίον est φιμὸς, id est, lorum, seu potius funis sparteus, quo claudebatur os damnati, cum supplicium de eo esset sumendum. Idem Or. 9. de incomprehensibili DEI natura: Σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος λαβὼν ἐξήγετο τὴν ἐπὶ θάνατον ὁδόν. Vertunt: *Fræno in os injecto ad supplicium ducebatur.* Perperam. Non enim in os injectum fuit, verum circa os ligatum, ita, ut maxillis per lorum illud ad superiora constrictis aperiendi ejus nulla facultas esset. Id quod abunde Græca indicant, quando habent ἐπὶ τοῦ στόματος, non ἐν τῷ στόματι. Hoc ergo lorum σπαρτίον, credo, quod non esset semper ex corio, sed sæpius ex sparto, non quod ex illo φιμῷ *habena seu funis* esset *aptata, quo carnifex damnatos ad supplicium trahebat*, sicut volunt viri longe doctissimi. Dicit enim expresse Chrysostomus de illo σπαρτίῳ, quod damnatus id habuerit circa os. Occurruntque similia apud ipsum verba Homil. 4. in Es. Ἐξάγουσιν αὐτοὺς τὸ σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντας. Item Hom. I. ad Macab. Τὸ σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντα. Σπαρτίον istiusmodi, seu φιμὸν, Pacatus noster Latine appellavit *frænum*. Verba ejus cap 29. *Cum lictorum arma, cum damnatorum fræna tractassent.* Non sunt alia hic *damnatorum fræna*, quam φιμοὶ seu σπαρτία, sicut dixi jam in Notis ad eum locum in Editione secunda. Et hoc quidem est φιμῶν, quod Plinius vocavit *capistrare fiscellis*. Columellæ locus, quem & ipsum laudat Grotius, huc prorsus nihil facit. Loquitur enim ibi Columella non de bobus, aut conclusione oris, verum simplici religatione. Ita namque habent lib. VI. cap. 19. *Primis duobus statuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur, vel boum cornua religantur.* Capistrari dicuntur jumenta hoc loco, quando simpliciter alligantur, sicut alligari solent in stabulis ad præsepia. Nempe sunt capistra sæpe qualiacunque vincula, etiam ex viminibus facta. Idem Columella lib. IV. c. 20. *Cum ad summum palum recta vitis extenta est, capistro constringitur, ne fœtu gravata subsidet curvaturque.* Capistrum hoc loco dicitur vinculum ex vimine, quo summus vitis ramus in capite devinctus religatur ad jugum solenni hodieque ratione. Quod an locum habeat etiam in φιμὸς & φιμῶν Græcorum, necdum habeo compertum. Illud singulare est, quod reperiantur & φιμοὶ αὐλωτοί. Sic enim habet Pollux: Ἐκαλοῦντο δέ τινες αὐλωτοὶ φιμοὶ, διὰ τὸ κώδωνας ἔχειν ἐπηρτημένους, οἷς ἐγχρεμετίζοντες οἱ ἵπποι ἦχον ἐποίουν προσόμοιον αὐλῷ. Vertit Gualtherus: *Sunt & fræni quidam fistulati eo, quod tintinnabula habeant appensa, quibus equi inhinnientes sonum reddunt fistulæ persimilem.* In hac versione multa sunt, quæ probari non possunt. Primum φιμὸν reddit *frænum*. At pro fræno illam vocem usurpari nusquam observavimus. Nam Pacati locus agit non de instrumento equestri, verum ad supplicia & pœnas pertinente. Deinde nec αὐλὸς est *fistula*, sed *tibia*, quæ differt plurimum. Præterea nec illud quadrat, quod fræna illa dicat habuisse tintinnabula, & tamen dicta esse fistulata. Nam a tintinnabulis qui dici queat fistulatum? Sed & illud parum liquet, quomodo illa tintinnabula sonora facere potuerint hinnitu potius, quam motu corporis, & agitatione alia. Equidem κώδωνας esse vulgo tintinnabula discimus ex Glossis, quæ sic habent: Κώδων, *tintinnabulum*. In Glossis aliis *tintinnaculum* scribitur. *Tintinnaculum*, κώδων. In aliis *tinnibulum*. Sic enim habent: *Tinnibulum*, κώδων. Quicquid autem sit de varia formatione vocis, ea instrumenta vulgo denotari per κώδωνας, quæ agitatione pulsuque sonum edunt, certum est. Præterea videmus in antiquis monumentis dependentia ex equis tintinnabula. Nam in nummo æreo Imperatoris Heraclii, cujus effigiem exhibet Lipsius in de Cruce, habes Imperatorem in vehiculo sedentem, quod a tribus trahitur equis, e quibus tertius, qui antecedit cæteros, habet tintinnabulum inter primos duos pedes ante pectus pendens. Sed & phaleras, & fræna culta olim apud veteres Romanos sic fuisse observat Phavorinus. Κώδωνας, ait, ἐν ταῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων οἱ στρατηγοὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς εἶχον, ὥσπερ καὶ νῦν. Κωδωνοφαλαροπώλους λέγει Ἀριστοφάνης τοὺς χρωμένους κώδωσι. Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁμοίως, ὅπερ ἐγὼ Βαρῖνος

πολλάκις ἑώρακα. *Tintinnabula in phaleris & frænis equorum milites apud veteres habuere, sicut nunc quoque. Equos cum phaleris tintinnabula habentibus memorat Aristophanes de iis, qui usurpant. Simile quid & Romanis usitatum, sicut ego Varinus sæpissime conspexi.* Locus Aristophanis, quem respexit, extat in ipsius Ranis, istis verbis;

Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους.

Hoc sic reddiderunt Latine: *Effingens Memnonas, cygnosque noliphalaropolas.* Sed non exprimunt sententiam vocis Græcæ, ea namque illud notat, quod est dictum in superioribus, cujus respectu poterant dixisse *nolaphalaropullos*. Nam & Scholiastes ibi aperte: Κωδωνοφαλαροπώλους Ἀπολλώνιός φησιν, ὅτι παρήγαγε χρωμένους κώδωσί τινας, κώδωνας ἐν τοῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων ἔχοντας. *Codonophalaropolus, id est, nolaphalaropullos, Apollonius ait vocare, quod proponat quosdam nolis seu tintinnabulis utentes, qui tintinnabula in phaleris & frænis habent equorum.* Dicit aperte, in phaleris & frænis equorum habuisse ista tintinnabula. Ut sic πῶλοι denotent non *polas*, ut verterunt, verum equos. Et de talibus accipiendum est, quod habet Diodorus lib. XVIII. agens de mulis in curru Alexandri, καὶ παρ' ἑκατέρων τῶν σιαγόνων εἶχεν ἐξηρτημένον κώδωνα χρυσοῦν, *& ad utramque maxillam habebant extans tintinnabulum ex auro*. Sicut autem hæc de tintinnabulis in frænis certa sunt, sic incertum, an quid faciant ad Pollucem, nam ipse loquitur non de phaleris, nec frænis, sed φιμοῖς. Deinde φιμοὺς appellat non κωδωνοφόρους, sed αὐλωτούς. Maximum vero, quod hic obstat, illud est, quod κώδωνες hic sonum edant non agitatione, sed hinnitu equi, eoque fine appendantur. De κώδωσι vulgaribus sic ait Suidas: Κώδων, παρὰ τὸ ἐν τῷ κινεῖν ᾄδειν. *Codon seu tintinnabulum est dictum, quod tinnitum sonumve edat, quando movetur.* At κώδωνες apud Pollucem edunt sonum tum demum, cum in eos hinnit equus. Quare potius adducor, ut existimem has κώδωνας fuisse instar cymbalorum æreas patellas, intus cavas, sensimque dilatato ambitu patentes, in quas dilapsus equi hinnientis sonus, majori voce relabebatur. Hesychius: Κώδων, σάλπιγξ, ἠχεῖον, κύμβαλον, μύκων, κάλυξ. Ita hæc sunt distinguenda. Dicit κώδωνα, quem alias nolam seu tintinnabulum exponunt, significare quoque tubam, vasculum æneum, voce repercussa sonum edens, cymbalum, mycona, & calycem. Quibus verbis & per ea adductis rebus liquet abunde, κώδωνα significare cavum aliquod ex ære, quod acceptum majore claritate reddebat sonum. Convenit Scholiastes Sophoclis in Ajace, quando ait: Κώδων, τὸ τῆς σάλπιγγος πλατύ. *Codon est illud in extremitate tubæ patulum latumque.* Nam & hoc ejusdem plane speciei est cum cæteris. Hujusmodi κώδωνας igitur seu patellas cymbalorum specie habebant aliquando in φιμοῖς, quæ, quia sonum reddebant repercussum equi voce, ideo rectissime αὐλωτοὶ vocati sunt. Hesychius: Αὐλωτοὶ, φιμοὶ οἱ κημοὶ διὰ τὸ τοῖς κημοῖς κώδωνας προσῆφθαι, εἰς ὃ ἐμφυσῶντες οἱ ἵπποι φωνὴν σάλπιγγος προΐεντο. Sic editum est in vulgatis, sine sensu. Legendum absque dubio ac distinguendum: Αὐλωτοὶ φιμοὶ ἢ κημοὶ, διὰ τὸ, &c Sententia est: *Phimi aut cami tibiali, quia camis codones addebant, in quas inflantes equi vocem tubæ edebant.* Ostendit, sonum illum fuisse gravem tubæ instar, unde manifestum est, huc nihil pertinere tintinnabula, de quibus ante dictum fuit. Maxime, cum & ipse afferat, non aliter edidisse sonum, quam inflati ab equis, quod quo pacto factum sit, ostendit Pollux, quando pro Hesychii ἐμφυσῶντες ἐγχρεμετίζοντες usurpavit. Cum Hesychio convenit & Eustathius, cujus verba de hac re leguntur in Il. Σ. Αἰσχύλος καὶ φιμοὺς (male in Basileensi Editione, quatuor, legitur θημοὺς) λέγει αὐλωτοὺς, διὰ τὸ κώδωνας φησὶ προσῆφθαι αὐτοῖς, οἱ ἐμφυσῶντες οἱ ἵπποι, ὡς φωνὴν σάλπιγγος προΐεντο. Γράφει δὲ οὕτως. Ὃς εἶχε πώλους τέτταρας ζυγηφόρους, φιμοῖσιν αὐλωτοῖσιν ἐστομωμένας. Memorabile in his verbis Æschyli est testimonium. Nam ostendit, genus hoc φιμῶν pertinuisse ad equos, quos & ipse πώλους vocat, sicut supra Aristophanes, qui hinc lucem accipit, nec ad equos singulares ita, ut ad eos, quos adjungere ad vehicula solebant. Ob hanc causam enim πώλους ζυγηφόρους vocat, quasi tu *jugales* aut *jugarias equas* diceres. Sed & illud ἐστομωμένας φιμοῖσιν declarare videtur, quasi κώδωνας illos seu patellas habuerint religatas ad ora, fiscellarum instar. Quæ fortassis causa est verissima, cur φιμοὶ αὐλωτοὶ sunt dicti. Non quod φιμοὶ hic essent fræni, sicut hactenus intellexerunt apud Pollucem & alibi viri docti, verum quod fiscellæ ad hunc modum formatæ, ut haberent istar patellæ cymbalive, aut tubæ. Quam verissimam sententiam existimo, & propterea Pollucis locum integre sic expono: *Appellantur vero & fiscellæ quædam tibiatæ, quia habent appensas codonas, id est, patellas, instar cymbalorum aut orificiorum patentium in tubis, quas cum equi binnientes inflant, edunt sonum veluti tubarum.*

CAP. XIV.

De flagellis stimulisque.

Virga. Ῥάβδος. Κέντρον. *Stimulum.* Βούκεντρον. Βουκεντροβήργια. Μάστιγες. *Flagella. Duplex horum genus.* Καλαύροψ. *Grotius rejectus. Scholastes Aroti correctus.* Ἱμάσθλη. Φραγγέλλιον. *Flagra, flagella, flagelli, scuticæ, flagræ. Hesychius correctus. Anguillæ. Monumenta bubula.* Βούπληγες. Ἄκονα. Ὑσπληξ. Ὑστριχίς. Ὑστριξ. *Flagrum catenatum ossibus. Interpres Luciani notatus.* Ἀστραγαλωτὴ μάστιξ. *Plutarchi versio notata, & Athenæi, qui exponitur.* Μύωπος. *Pollux explicatur.* Ἐγκεντρίδες. *Scorpiones.* Βούνευρα. *Hesychius emendatur.* Κιστηρίς. *Alia.*

Diximus de armis, quibus continentur reguntur que equi, ea igitur nunc videamus, quibus pelluntur & concitantur ad cursum. Horum primum simplicissimumque *virga* est. Meminit Curtius lib. VII. cap. 4. in equis: *Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur.* Earundem usus fuit etiam in jumentis cæteris, ut mulabus, de quibus Juvenalis Sat. III.

Sed jumenta vocant, & Sol inclinat, eundum est.
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Adnuit. — — —

Sic habes in Notitia Imperii depictum mulionem cum virga juxta mulas in carpento Præfecti Prætorio, & Præfecti Urbis Romæ. Sed & ob hanc caussam facta constitutio Constantini l. 2. Cod. Theod. de Cursu publico: *Placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro.* Et fuit olim virgarum usus tam receptus, ut nonnulli populi his solis rexerint animalia quoque sua, non solum concitarint, atque ita virgas habuerint loco frænorum. Lucanus lib. IV. de Massylis.

Et gens quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frænorum nescia virga.

Idem observatur de Mauris & Mazacibus. Nemesianus Cyneg.

—— Quodque inferens, quod liber uterque,
Nam flecti facilis, lascivaque colla secutus
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ:
Verba sunt præcepta fugæ, sunt verba fræni.

Meminit & Strabo l. XVII. in Masæsylis: Μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ ϗ εὐπειθέσιν, ὡς ἀπὸ ῥάβδου οἰακίζεσθαι. *Parvis equis usi, celeribus tamen, adeoque facile parentibus, ut virga regantur.* Ex hoc loco discimus, virgas istas appellasse ῥάβδους. Glossæ veteres: Ῥαβδος, *virga, vimen.* Sic Herodianus lib. VII. Καὶ ἱππεῖς ἄρισοι, ὡς ϗ χαλινῶν ἄνευ, ῥάβδῳ μόνῃ τὸν δρόμον τῶν ἵππων κυβερνᾶν. De Numidis loquitur. Verba sic exponit politissimus Politianus: *Equitandi peritissimi, sic, ut equos etiam infrenos virga tantum currentes moderentur.* Post virgas usurparunt κέντρα. Pollux lib. X. cap. 12. Τοῖς ἡνιόχοις κέντρων δεῖ. Vertunt: *Aurigis conveniunt stimuli.* Atque sic habemus in Glossis, nisi quod in neutro genere vocabulo utantur. Ita enim scribunt: Κέντρον, *stimulum.* Vulgata ratione legas in lexico Argentoratensi: *Stimulus*, κέντρον. Sed & altera apud Plautum in Menæchmis V. scen. 2.

Jam adstiti in currum, jam lora teneo, jam stimulum in manu est,
Agite equi, facitote sonitus ungularum appareant.

Quibus verbis simul discimus, stimulis & equos consuevisse concitare. Neque aliud de Græcorum κέντροις produnt. Suidas: Κέντρα, τὰ τῶν ἵππων πλῆκτρα. Item paulo ante: Τοὺς ἡνιόχους κεντροτύπους καλοῦμεν, τοὺς τοῖς κέντροις τοὺς ἵππους πλήττοντας. Utroque loco κέντρα dici ait, quibus equi stimulantur. Eadem de caussa apud Homerum sunt κεντρηνεκέες ἵπποι Il. E. & aliis locis. Hesychius exponit τοῖς κέντροις εἴκοντας ϗ πειθομένους, id est, *qui stimulis cedunt parentque.* In bubus hoc solenne fuit. Unde Græcis βούκεντρον, & βουκεντροβέργια. Sic enim vocabant recentiores, non βουκεντροβέργιον, ut Meursius putabat, a non βεργίον, sed βεργία, pro βέργα, id est, virga, quia fuit virga acuta. Tibullus:

Et stimulo tardos increpuisse boves.

Item Manilius:

—— Stimulo junctis instat de more juvencis.

Et Perottus: *Stimulus proprie instrumentum est, quo punguntur boves.* Fuit autem instrumentum hoc nil aliud, quam pertica cum cuspide acuta. De pertica manifeste docet Plautus in Asinariæ Act. II. scen. 4. quando Leonida servum verberaturus ait:

Utinam nunc stimulus in manu mihi sit. ——

Et aliquanto post subjungit:

Tanquam, si claudus sim, cum fusti est ambulandum.

Hic enim, quod vocavit ante *stimulum*, *fustem* deinde exponit. De cuspide in ea liquet ipso ex vocabulo, cum sit a στίζω, id est, *pungo*, quod sine cuspide non potest fieri. Videtur autem cuspis illa fuisse vel simplex ipsius perticæ, vel ex ferro acuto, perticæ immisso. Hinc Victor Uticensis lib. I. *stimulos ferreos* nominatim memorat, quod non erat facturus, si sic omnes fuissent armati. Verba

A ejus: *Quantis sacerdotibus quantisque illustribus onera ingentia ut camelis vel aliis generibus jumentorum imposuerint, neque enarrare, quos stimulis ferreis ad ambulandum urgebant.* Neque alia de caussa Philoxenus: *Stimulum*, κέντρον σιδηροῦν. Et hujusmodi fuere stimuli, quorum meminit Statius lib. VI. in certamine curuli:

Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera. ——

Item Silius lib. XVI. in simili certamine:

Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora.

B Expressit eos optime Rubenus ex lapide antiquo ad portam Nomentanam lib. I. Elect. cap. 30. ubi effigies alicujus decurrentis in Circo cum quadrigis. At Græcorum κέντρα paulo aliter exponunt, nempe μάστιγας, quæ sunt *flagella*, ut mox dicam. Scholiastes vetus ad Homeri Il. E. Κεντρηνεκέας, τοὺς τοῖς κέντροις. ὅ ἐστι μάστιξι κεντρουμένους. Atque ad hunc modum etiam Hesychius: Κέντρον, δόρυ, μάστιξ. Item Eustathius ad Il. Ψ. Κέντρον δὲ ᾧ σπέρχονται ἵπποι, καὶ ταῦθα ἡ μάστιξ, παρὰ τὸ κεντεῖν. *Centron vero, quo urgentur equi, idem* C *atque mastix, sic a pungendo dictum.* Habent pro eodem μάστιγα & κέντρον. An, quod μάστιξ interdum ipsis nudum significaret *flagrum*, id est, baculum, sive fustem? Certe, quod apud Eutropium in Tarquinio Superbo legitur, *fustes* excogitasse, id Suidas in voce Σούπερβος effert μάστιγας ξυλίνους. Quasi duplex genus fuerit μαστιγῶν, unum ἱμάντινον, de quo postea, & alterum ξύλινον, hocque simplices denotarit fustes. Videturque idem velle etiam Eustathius, cum ait in superiori loco: Ιστέον δὲ ϗ ὅτι κυρίως κέντρον, τὸ στίζον ἐστί, διὸ ϗ ταυτὸν παρ' Ὁμήρῳ κέντρον ϗ μάστιξ. Ἐκ τοῦ στίζειν γὰρ ἤτοι κεντεῖν ἡ μάστιξ. *Sciendum vero, quod proprie* D *centron sit id, quod pungat, unde secundum Homerum centron & mastix idem est; Nam a stinguendo seu pungendo dicta mastix.* Μάστιξ sane, sicut vulgo sumitur, non pungit, verum verberat. Suidas: Μάστιξ, δι' ἧς τὸν ἵππον πλήττομεν. *Mastix, qua equum verberamus.* Dicit, πλήττομεν, non κεντοῦμεν aut στίζομεν. Itaque alia est μάστιξ Homeri, alia vulgaris. Illa κέντρον, id est, stimulus, seu baculus acuminatus, aut cuspide ferrea instructus: hæc cum loris. Pro stimulo Græcos etiam καλάυροπα usurpasse Grotius existimat in Arateis p. 4. Nempe tribuunt Booti. Scholia Arati, quorum Auctor Theon Alexandrinus: Βοώτης, καλά- E βροπα φέρων, ὅ ἐστι ῥόπαλον. Ita editur, cum legendum sit καλάυροπα, ut recte Grotius notavit. Jam vero Manilius de eodem loquens, Aratumque exponens:

Quod stimulo junctis instat de more juvencis.

Sed est usus libertate sua Manilius. Aliud enim stimulus, aliud καλαύροψ. Quod vel unus docuerit Hesychius, quando exponit ξύλον ᾧ τοὺς βόας βάλλουσι, hoc est, *lignum, quo boves verberant.* Verberari eo boves ait, non pungi, sicut fieri stimulis consuevit. Sed & reliqua figura ejus docet. Eu- F stathius de ea ita habet Iliad. Ψ. Καλαύροψ ἡ βουκολικὴ ῥάβδος. Ἐστι δὲ ξύλον κατὰ τὸ ἕτερον μέρος ῥοπὴν ἔχον, ὅ ἐστι καμπτόν. *Calaurops est bubulcorum baculus, est autem fustis ab alterutra parte habens rhopen, id est, curvitatem.* Ostendit, fuisse incurvum. Neque aliter exhibetur in Arati imaginibus antiquis a Grotio publicatis, cum in Arctophylacis imagine, pag. 13. tum in Engonasim, p. 5. At stimuli fuerunt recti, sicut ex quadrigis Rubenianis intelligitur. Sed

de bubulcorum baculo dicemus pluribus, & ex professo in nostro *de Opilione* Commentario. De stimulis hoc annotamus, quod interdum cuspides habuisse videantur satis firmas, sic, ut servire hastæ loco possent. Ita enim legimus de Sagmare filio Anath, Judicum III. *Ipse Israelitas defendit, cæsis baculo, quo boves stimulantur, sexcentis Palæstinis*. Ita habet Castalio. Sed & Junius Tremelliusque: ***Percussit Peleschthæos sexcentos viros stimulo bovis.*** Lutherus quoque: *Mit einem Ochsensteckon* id est, ***baculo boum***, quo haud dubie stimulum intellexit. Græci habent: Ἐν τῷ ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Quod servavit vulgatus, reddiditque: ***Percussit de Philistiim sexcentos viros vomere***. Sed alterum convenientius videtur. Sicut autem μάστιγες habuere, quæ fuerunt stimuli, sic quoque, quæ fuere flagra seu flagella, non ex baculo nudo, sed alligato illi loro. Docet Eustathius, quando ait ad Il. Ψ. Ἱμάσθλην, ἤγουν μάστιγα, ὅπερ ἐκ μέρους τὸ πᾶν δηλοῖ; ἤτοι ἐκ μόνου τοῦ ἱμάντος τὴν δὲ αὐτοῦ καὶ τοῦ ξύλου συγκειμένην μάστιγα. *Himasthlen, aut mastiga, ex parte totum indicans, vel ex loro solo compositam ex ipso simul atque baculo mastiga*. Habes manifeste μάστιγα ex baculo & adjuncto illi loro. Et quoniam ex loro, inde quoque ἱμάσθλη dicta est. Hesychius: Ἱμάσθλη, μάστιξ, ἀπὸ τοῦ ἱμάσσειν ὅ ἐστι τύπτειν τῷ ἱμάντι. *Himasthle, mastix, ab himassein, quod est verberare loro*. Fiebat tamen etiam e lino aut junco, plexo more funis. Etymologicum: Φραγγελῶ, ἐκ τοῦ φραγγέλειον, ὃ σημαίνει σειρὰν ἐκ σχοίνου πεπλεγμένην, ἣ κέκληται μάστιξ. *Phrangelo, ex phrangeleio, quod significat funiculum ex junco plexum, qui vocatur mastix*. Observa, quod ejusmodi mastiga vocaverint φραγγέλειον. Johannis II. de CHRISTO Salvatore: Καὶ ποιήσας φραγγέλλειον ἐκ σχοινίων. Quod vulgatus reddit: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis*. Quanquam cum hic nominatim addat ἐκ σχοινίων, *de funiculis*, videantur habuisse etiam de non funiculis, id est, ut ego explico, de loris. Scholiastes Aristophanis in Acharm. pag. 406. Ἱμάντας δὲ, λώρους, φραγγέλια. Τὸ γὰρ παλαιὸν φραγγέλαις ἔτυπτον οἱ λογισταὶ τοὺς τῆς ἀγορᾶς. *Coria, lora, phrangelia. Apud veteres enim phrangeliis cædebant Præfecti eos, qui in foro*. Locus observatione dignus, qui ostendit, fecisse CHRISTUM ex more ἀγορανόμων sive λογιστῶν, quod adhibuerit φραγγέλλειον, seu, ut Scholiastes scribit, φραγγέλιον, in reformando foro rerum venalium. Latinis instrumenta hæc sunt *flagra*, seu *flagella*. Glossæ: Μάστιξ, *flagellum*. Glossæ aliæ: *Flagellum*, μάστιξ. Atque ita vulgo. At apud Philoxenum sunt *flagelli*, non *flagella*. Verba ejus: *Flagelli*, μάστιγες. Porro, quoniam ex loris erant coriaceis, hinc in iisdem Glossis antiquis titulo περὶ δερμάτων id est, *de pellibus*, memorantur. Sed & *scuticarum* inde habebant vocabulum, si vulgo credimus. Scuticam enim exponunt flagellum ex pelle, sive loris. Martialis profecto lib. x.

Scuticaque loris horridis Scythæ pellis.

Et est scutica a Græco σκυτάλη, quæ Suidæ βακτηρία ἀκροπαγὴς ἢ φραγγέλιον, id est, illud ipsum, quod supra μάστιγα nominabamus, seu flagellum. Distinguit tamen Horatius scuticam flagellumque, illamque facit minus gravem aut molestam, quando ait Sat. I. scen. 3.

——— ——— ——— ——— *Assit*
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum, horribili sectare flagello.

Quæ sit utriusque differentia, haud liquet. Puto tamen hic intelligi flagellum non simplex, sed plane *horribile*, id est, non ex loris tantum, sed & rebus aliis compositum, de quibus postea dicemus. Vulgo enim eadem fuisse flagella scuticasque censeo. Flagella sane per diminutionem sunt a flagris. At flagra scuticæque velut res eædem leguntur in Glossis: ***Flagra, scutica***, σκύτη, σκύτος. Ubi nota, *flagram* fœminino genere usurpari. Deinde habemus expresse σκυτάλας ab Hesychio φλαγέλλια expositas, quæ non dubitare possumus, quin sint *flagella*, Græcis recentioribus, quippe qui eadem ratione φλαγελλοῦν usurparunt pro Latino *flagellare*. Itaque flagella sunt, quæ alias & scuticæ. Verba Hesychii sunt illa: Σκυτάλαι βακτηρίαι οἱ αἱ ἱππικαὶ ἶλαι καὶ ὄφεων εἰσὶ φλαγέλλια. Ita habet meus Hagenoæ editus. Sed scribendum βακτηρίαι ἢ αἱ, vel, ut habet Phavorinus, sine dubio ex Hesychio, βακτηρίαι καὶ αἱ. *Scytalæ, fustes, vel turmæ equestres, vel flagella ex serpentibus*. Per ἴλας ἱππικὰς, seu turmas equestres, intelligit certum schema earum, forma scutulæ. Scutula idem est ac rhombus. Fragmentum incerti auctoris Censorino solitum adjungi cap. 7. *Scutula, id est, rhombos, quod latera paria habeat, nec angulos rectos*. Hinc ergo σκυτάλαι illæ acies equestres, quæ aliis ῥομβοειδεῖς. At φλαγέλλια ὄφεων existimo hic esse, qualia Furiis tribuuntur. Pacatus noster cap. 42. *Minax umbra ob os ejus oculosque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angue flagra quatiebas*. Ficta vero hæc ex anguibus videntur, cum propter caussas alias, tum quia usitatum quondam fuit scuticas ejusmodi seu flagella facere ex coriis anguillarum, in quarum locum non inepte Furiæ serpentes adhibebant. Glossæ Isidori: *Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri, quæ vulgo scutica*. Nota, scuticas hujusmodi *anguillas* appellatas, sine dubio, quod ex pelle anguillarum fierent. Vulgares erant ex corio bubulo. Hinc Plautus in Mostell. Act. IV. scen. I.

Castigabit eos bubulis exuviis.

In Sticho Act. I. scen. I. nominavit ***monumenta bubula***, quoniam commonefaciunt ignavos aut delinquentes. Græci hac de caussa βουπλῆγας vocarunt. Phavorinus: Βουπλὴξ, βούκεντρον, ἢ μάστιξ, γινομένη ἀπὸ τμήματος βύρσης. ***Buplex, stimulus, aut flagellum factum ex corii segmine***. Loquitur de corio bubulo in lora secto, indeque factum flagellum ostendit, quod est μάστιξ alias, ut superius ostendi. Hesychius: Βουπλὴξ, μάστιξ. Vulgo βουπλὴξ, βούκεντρον, id est, stimulus, quo urgentur boves. Glossæ veteres: Βούκεντρον, *stimulus*. Etymologici auctor: Ἄκαινα ἐστὶ ῥάβδος, τὸ καλούμενον βούκεντρον. Ostendit, baculum fuisse ita nominatum, sicut supra docebamus, eumque alias & ἄκαιναν vocari solitum. De quo & Hesychius: Ἄκαινα μέτρον τι, ἢ κέντρον ἐν ᾧ ἀροτριῶντες κεντοῦσι. ***Acena, mensura, vel stimulus, quo arantes pungunt***. Sed præter baculum ejusmodi, stimulandis bubus factum, βουπλὴξ significat & flagellum, ex corio bovino in lora secto, quo verberabant. Aliquando hæc flagella etiam ex pilis leguntur habuisse, præsertim suum vel porcorum, unde quoque ὑσπλῆγας vocabant. Auctor Etymologici Magni: Ὑσπλὴξ, φραγέλλιον, ἀφετηρία βούκεντρον. Λέγεται παρὰ τὸ ἀπὸ τῶν τριχῶν τῶν ὑῶν, τουτέστι τῶν χοίρων γίνεσθαι τὴν μάστιγα. ***Hysplex, flagellum, carceres, lorum, ita dicitur, quod fit flagellum ex crinibus suum, seu porcorum***. Hesychio est ὑστριχίς. Verba ejus ista sunt: Ὑστριχὶς, μάστιξ πεπλεγμένη ἐξ ὑείων τριχῶν. ***Hystrichis, flagellum, plexum ex crinibus suum***. Et sic Scholiastes vetus Aristophanis in Pace: Ὑστριχὶς, ἡ ἐξ ὑείων τριχῶν μάστιξ. ***Hystrichis flagellum ex crinibus suillis***.

Observa, quod Hesychius exponat πεπλεγμένην, hoc est, *plexam* ex ejusmodi crinibus. Nam habebant alias ex corio, cui crines adhuc adhærebant. Quod genus Aristophani est ὕστριξ, si est fides Suidæ. Ita enim ipse ait: *Ὕστριξ, ἐκ δέρματος μετ' αὐτῶν τῶν τριχῶν μάστιξ. Hystrix est flagellum ex corio cum ipsis adhuc pilis.* Dubitant viri eruditi, quale corium oporteat intelligi, suisne, an hystricis, quod est Lybiæ animal. Mihi de hystrice nil credibile videtur, cum quia fera est, & peregrina, & captu minime facilis, tum quia non tam τρίχας habet sive crines, quam κέντρα, id est, aculeos. Unde forsitan & auctor Etymologici: *Ὕστριξ, ὕστριχος, ἡ ἐκ τῶν τριχῶν τῶν ὑῶν μάστιξ. Hystrix, flagellum ex pilis suum.* Facit clare non ex hystricis aculeis, sed pilis suum histricem, quos fuisse in ipso corio relictos ex Suida intelligimus. Putamus autem factum hoc partim eo, quod sic essent durabiliora flagella, partim eo, quod acrius urerent, & stimularent. Habent enim pili tales setæque aculeorum instar Quo fine aliquando flagellis addere consueverant & ossa. Apulejus lib. III. Asin. *Arrepto deinde flagro, quod semiviris illis gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multimodis commulcant ictibus.* Et paulo post: *Cunctis stramentis me renudatum ac de quadam quercu destinatum flagro illo pecuinis ossibus catenato verberant.* Ubi *catenatum ossibus* appellat, quia habebat talos illos longa serie catenæ instar innexos loris, vice frequentium nodorum. Lucianus, unde ista sumsit Apulejus, ita habet: *Καὶ τὰ στρώματά μου πάντα περισπάσαντες, γυμνὸν ἤδη προσδέουσί με δένδρῳ μεγάλῳ, εἶτα ἐκείνῃ τῇ ἐκ τῶν ἀστραγάλων μάστιγι παίοντες.* Quod interpres non intelligens ita reddidit: *Fuste ex nervis facto me ad necem verberant.* Quasi ἐκ τῶν ἀστραγάλων μάστιξ fustis esset ex nervis. Μάστιξ non est fustis, sed flagellum, ἀστράγαλοι vero non nervi, verum tali. Crates apud Pollucem istiusmodi flagellum appellavit μάστιγα ἀστραγαλωτήν. Verba Pollucis lib. x. c. 12. Παρὰ δὲ Κράτητι ἐν ταῖς Ἑορταῖς καὶ ἀστραγαλωτή τις μάστιξ ὠνόμασται. Etiam in his Gualtherus lapsus est: Vertit enim: *Apud Cratetem vero in Festis Flagellum nodosum nominatur*: Cum debuisset, *flagellum talis catenatum* sive *tessellatum*, Apuleii exemplo. Meminit & Eustathius ἀστραγαλωτῶν μαστίγων ad Iliad. Ψ. item Plutarchus adversus Colotem circa finem, ubi ait: Οὐδὲ μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς Μητρῴοις κολάζουσι. Quæ verba sic interpres reddidit: *Et ne liberali quidem dignus flagello, sed nodoso illo, quo Gallos in Magnæ Matris sacris delinquentes puniunt*: Cum rectius vocasset *flagellum talis armatum*, vel, ut Apulejus dixit, *catenatum*, cujus locum eleganter hic illustrat, ostenditque hoc solenne Gallorum, sive Sacerdotum Cybeles, Matrisve Deorum, fuisse supplicium per hujus generis flagella. Unde Apulejus quoque *flagrum, quod semiviris illis gestamen est*, appellavit. Usurparunt & Parthi, de quorum Rege Posidonius lib. XXIII. tradit, quod amicos, ad cœnam ad se vocatos, eo consueverit castigare. Verba extant apud Athenæum lib. IV. c. 13. Ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσι ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦται. Quod interpres ita vertit: *Virgis lorisque nodosis, quia innexi tali sint, verberatur.* Mallem ego: *Virgis, in quibus lora cum implexis talis.* Nam ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσι posuit, non res diversas, verum unam intelligens, flagellum scilicet, ex virga sive baculo & loris istiusmodi concinnato, pro ῥάβδοις ἱμαντίναις. Non autem ossibus solummodo, sed & brevibus aculeis ista flagellorum lora veteres armabant. Meminit Constantinus Imperator l. 2. C. Theod. de Cursu Publ. *Quoniam plerique*, inquit, *nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia publica cogunt, quicquid virium habent, absumere, placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro, cujus in capite infixus brevis aculeus pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere.* Non existimo sermonem esse hic de stimulo, sed vero flagro, id est, baculo cum loris, qualis alias flagellum. Hinc enim Philoxenus: *Flagrum*, σκῦτος. Sed nec hodie cessavit penitus istiusmodi flagrorum sive flagellorum usus. In extremo lori capite addunt ferrum stimulis minutis asperatum instar ferri in calcaribus. Suspicorque plane ex hac caussa μύωπας retulisse inter instrumenta aurigarum Pollucem lib. x. cap. 12. Τοῖς ἡνιόχοις, ait, κέντρων, μαστίγων, μυώπων, ἐγκεντρίδων. Nam μύωπες seu calcaria alia qualia calcibus pedum alligari solent, quo pacto spectare ad aurigas potuerint, non dispicio, quippe qui non equis, sed vehiculis insidere solerent. Nec fortassis aliorsum spectant ἐγκεντρίδες. Item enim alias est ἐγκεντρὶς & μύωψ. Certe velut singulare ac diversum notat in equestribus instrumentis ἐγκεντρίδας τοῖς ποσὶ κατὰ τὰς πτέρνας οἱ ἱππεύοντες περιεδοῦντο, id est, calcaria, quæ calcaneis pedum equitantes alligant, quod necesse fuisse non videtur, si id ipsum instrumentum usu simili paucis versibus ante prodidisset. Sed nec κέντρον simplex innuere videtur, cui alias sine dubio subjecisset statim, nec inseruisset μάστιγας. Postremo etiam Grotius sic exponit *scorpiones*, qui leguntur III. Reg. cap. 12. ubi vetus Interpres: *Ego cædam vos scorpionibus. Scorpionibus*, inquit, *id est, flagellis aculeatis ad modum scorpionum.* Solebant autem flagella modo unam teniam, funiculum, vel lorum, modo duo pluráve habere. De uno res vulgata est. Et agnoscit supra Eustathius μάστιγα ἐξ ἱμάντος καὶ ξύλου, quod nisi de uno loro accipi non potest. Sed & in antiquis monumentis ita cernas atque nummis. De pluribus colligimus ex monumentis aliis. Neque aliam ob caussam Johannes de flagello CHRISTI Salvatoris, loco superius nominato: Φραγγέλλιον ἐκ σχοινίων, hoc est, flagellum non ex uno, verum pluribus funiculis. Non est, ut hic funes cogitemus plexos; singuli pro se alligabantur. Unde Martialis etiam de scutica, lib. x. ep. 61.

Scuticæque loris horridis scytæ pellis.

Vocat *lora horrida* unius scuticæ in plurali, & quidem *horrida* opinor, quod essent pilis adhuc obsita & aspera, sicut supra demonstravimus fuisse usitatum. Quomodo & Apulejus *flagrum contortis tæniis LANOSÆ velleris fimbriatum* dixit, & tænias plures de flagro uno usurpavit. Sed en tibi flagella ex marmoribus veteribus ludorum Circensium expressa.



Primum flagellum est ex sepulchro marmoreo, in ædibus Columnensibus ab Onuphrio in figura L propositum. Secundum extat apud eundem in figura G. Tertium est ex tabula Fulginiensi, ibidem pag. 11. publicata. E quibus discas porro, non eo-

dem modo istas tænias coriaceas seu lora consuevisse ad bacillos firmare; Alii namque ea circumligabant capiti, ut ex imagine secunda cernitur, alii inserebant veluti in summo. Et hæc quidem sunt flagella veterum. Ad quæ ignoro, an referre debeam & Βύνδρα. Meursius quidem ita habet in Glossario: *Βύνδρον, flagellum e nervis bubulis*. Sed revera fuit non e nervis bubulis, verum ipse nervus bubulus, sicut vox ostendit. Nervus autem bubulus, bovis genitale, quomodo & alias hoc sensu nervus invenitur. Latini *tauream* appellarunt. Quomodo Juvenalis Sat. VI.

—— —— —— *Taurea punit*
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.

Taurea hic nervus bubulus, Græcis recentioribus βύνδρον. Atque ideo in Onomastico veteri Petri Danielis apud Turnebum habes: *Taureæ, plagæ, nervi*. Adde, quæ notavimus ad Mauritium nostrum pag. 524. Quanquam aliquando taureæ non tam ex pene bubulo quam corio fuisse videantur, & sic recte referri posse inter flagella. Quomodo ex hac caussa legimus in Lexico Argentoratensi: *Taurea*, ῥινός. Et apud Hesychium est, μάραινα, μάστιξ, ῥάβδος, γαυρία, cum scribendum sit, quod pridem viri docti monuerunt, μάραγνα, item ταυρεία. Sequiturque mox, μάραγνα, γῆ ταυρεία. Ubi illud γῆ ineptum delendum est, locusque sic scribendus: Μαράγνα, τῇ ταυρείᾳ. Verba sunt desumpta ex veteri Magistro, qui hanc expositionem annotaverat ad locum alicujus Poetæ, apud quem hoc casu ea vox occurrebat. Cæterum, uterque locus Hesychii ταυρείαν exponit μάραγναν. μάραγνα vero μάστιξ. Pollux lib. X. c. 13. Ὁ μέν τοι Πλάτων ὁ κωμικὸς ἐν Κλεοφῶντι, μάραγναν τὴν μάστιγα ὠνόμασεν. *Plato comicus in Cleophonte flagellum maragnan appellavit*. Sic igitur & ταυρεία sive taurea flagellum erit. Verum *taurea* nonnunquam quoque *nervus*, quod est plane βύνδρον. Hesychio est κιστηρὶς. Sic enim habet: Κιστηρὶς, βύνδρον. Quod vocabulum videtur ei inditum a κιστῶ, cujus meminit Etymologici auctor, deducitque a κίειν, velut ea pars, in qua sedes desideriorum atque voluptatis. Sed ad alia procedendum.

CAP. XV.

De axungia & similibus.

Axungia. Unguen. Λῖπος. Στέαρ. *Lexicon Argentoratense corrigitur.* Ὀξύγγιον. *Arbina. Hesychii lectio defensa contra Salmasium & Meursium, & explicata.* Ἀξύγγιον. Ἀξύγκιον. *Moschopulus emendatur. Amurca. Sufflamen. A Salmasio dissentitur.* Ἀγκύλειον ξοχῶν. Ἐπιχλδ̀ς. Τροχοπέδη. *Succula. Comenius rejicitur.*

ARma memoravimus, quæ ad equos spectant, restant illa, quæ ad vehicula. Nam cum etiam in illis culpa quædam possit residere, quo minus commode facileve duci queant, ei occurrendum erit. Culpa ejus maximum in rotis est axeque: Nisi enim volubilitas earum ratione aliqua juvatur, ægre solent circumagi, præcipue, si vehiculum onere aliquo sit grave. Hac de causa pridem cœptum, ut unganıur axes pingui medicamine, quod *axungiam* Latini nominarunt. Recte namque Vossius in Etymol. *Axungia ita dicta, quod ea curruum axes ungantur, ut facilius circa eas volvantur rotæ, brevique tempore majus conficiant spacium.* Et confirmat Plinius lib. XXVIII. cap. 9. *Axungia antiqui maxime axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur, unde nomen.* Palladius simpliciter appellat *unguen*, lib. I. t. 17. *Tantundem sumes unguinis, quod vocamus axungiam.* Græcis λῖπος est. Tzetzes ad Hesiodum: Πλήμναι εἰσὶ τὰ ξύλα, τὰ τῷ ἄξονι ἀντερείδοντα, εἰς ἃ πολλάκις τὸ λῖπος ἐμβάλλουσιν οἱ γεωργοί, ἐπὶ τὸ ταχέως διατρέχειν τὴν ἅπασαν ἅμαξαν. *Modioli sunt ligna, axi respondentia, in quæ sæpius axungiam immittunt agricolæ, ut celerius currere vehiculum totum queat.* Ita Philoxenus: *Axungia*, λῖπος ἐν ᾧ τοὺς ἄξονας χρίουσιν. In antiquo Lexico Argentoratensi στέαρ redditur. Verba ejus hæc sunt: *Axungia* στέαρ, ὗον. Nempe στέαρ & λῖ[illegible]: idem. Hesychius: Στέαρ λῖπος, ζύμη. Sed quid illud ὗον? Mihi non est dubium, quin distinctione sublata legendum sit στέαρ ὕειον. Vult nimirum axungiam fuisse ex adipe suillo, quod στέαρ ὕειον significat. At Plinius axungiam & Græcos ait nominasse. Ita namque habet loco supra indicato: *Axungiam etiam Græci appellare eum in voluminibus suis.* Verum hoc de Græcis ejus ævi est intelligendum, cum axungia sit vox Latina, sicut ipse fatetur. Sane ὀξύγγιον occurrit apud Dioscoridem lib III. cap. 104. qui aut ejus tempore, aut paulo ante vixit. Sed & alii deinde ita usurparunt. Inde habes in Glossario veteri: Ὀξύγγιον, *arbina, unguen, unguina*. Ubi *unguen* usurpatum vides eo modo, sicut apud Palladium *Arbina* est *arvina*. Lexicon Argentoratense: *Arvina*, λῖπος. Glossæ aliæ: *Arvina*: λίπος ἄνευ σαρκὸς. Meminit & Hesychius: Ἀρβίννη, κρέας σικελοί. Mutant hoc in loco Scaliger & Meursius vocem κρέας in στέαρ, citra caussam, ut opinor. Scilicet ἀρβίννη vel ἀρβίνη Græcum & Latinum *arvina* est ab Æolico ἄρβιξ, pro quo Latini fecere *arvix*, & postea *arvinus*. Est autem *arvix* idem, & quod alias vocatur, *aries*, sicut pluribus ostendit Vossius in Etymologico. Ergo *arvinus, a, um*, significabit, id quod est ex ariete. Hoc autem non ad adipem ipsius pertinebit magis, quam ad carnem. Ut mihi dubium non sit, Hesychium per ἀρβίννην docere voluisse, Siculos intellexisse κρέας, id est, *carnem*, eamque arietinam. Quanquam alias significarit quoque ejus adipem, ut ex superioribus cognovimus. Quo etiam videtur respexisse Hesychius, &, cum alias ἀρβίνη esset λίπος ἄνευ σαρκὸς, ut supra indicabant Glossæ Philoxeni, docere voluisse Siculis significare quoque κρέας. Id quod eo mihi probabilius apparet, quia στέαρ nimis longe abit a κρέας, cujus tamen sensus non est alienus ab hoc loco. Pro ὀξύγγιον dixerunt etiam ἀξούγγιον propiore sono. Ita enim reperitur apud Phæmonem, & Alexium Comnenum, sicut Meursius notavit. Sed & est ἀξούγκιον apud Moschopolum, cujus hæc sunt verba: Λίπος τὸ ἐν σαρκὶ, ἀξούγκιον. Ita habent editi. Sed distinctio delenda est, cum ἀξούγκιον ad præcedens τὸ referatur. Hoc vult, λίπος significare adipem carni junctam. Ut sit quædam differentia inter ipsum & ἀξούγκιον. Hoc significare λίπος ἄνευ σαρκὸς, ut Philoxenus dicebat supra, id est, adipem absque carne, separatam scilicet: Illud vero ἀξούγκιον ἐν σαρκὶ, id est, adipem cum carne. Cæterum, cum axungia Græcis λῖπος sit, ut Tzetzes docet, illud vero adipem significet quemcumque, inde colligas, hunc adhiberi solitum in istos usus. Maxime vero laudabatur suillus. Plinius profecto lib. XXVIII. c. 10. verba superius adducta de axungia retulit ad adipem suillum. Antecedit enim ante omnia: *Proximum in communibus adipis laus est, sed maxime suilli*. Sequuntur postea varii ejus usus. Postremo additur: *Antiqui maxime axibus vehiculorum perungendis utebantur*. Unde illud manifeste discimus. Neque alia est caussa, cur in Lexico veteri axungia exponatur στέαρ ὕειον, ut superius ostendi. Respexisse quoque Martialis huc videtur, quando ait lib. II. ep. 78.

Coscone, qui longa putas epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.

Scilicet adipe unguntur axes, qui est pinguis. Pingue porro, quicquid sordidum, crassum, stupidum. Nonius: *Pingue positum pro impedito & inepto.* Subdit testimonium Ciceronis ex lib. IV. Academ. ubi ait: *Quod ipsi Antiocho pingue videtur & sibi ipsi contrarium.* Et sic Flaccus I. Sat. 3.

Tardo cognomen pinguis damus. ——

Accedit, quod ad axes usurpetur adeps suillus, suem autem indicare hominem impurum atque lutulentum vulgo constat. Apud Romanos loco adipis adhibebant aliquando amurcam. Cato de R.R. cap. 97. *Amurca decocta axem ungito, & lora, & calciamenta, & coria, omnia meliora facies.* Plin. lib. XV. c. 8. tradit eadem, ex eopse Catone. Idem, quomodo decocta fiat, ostendit lib. XXII. c. 3. *Multo*, inquit, *omnis amurca decocta efficacior. Coquitur in cupreo vase ad crassitudinem mellis.* Est autem amurca sordidum illud, quod emergit in oleo. Servius ad Virgilii Georg. I. verba, *nigra perfundere amurca*: *Olei*, inquit, *sordibus, sed his, quæ præcedunt. Nam sordes, quæ sequuntur oleum, fæces vocantur.* His ergo sordibus decoctis suadet Cato axes unguendos. Quanquam vix existimem, fuisse hoc vulgare. Varro enim lib. I. c. 49. de amurca: *Ex olea fructus duplex, oleum, quod omnibus notum, & amurca, cujus utilitatem quod ignorant plerique, licet videre e torculis oleariis fluere in agros, ac non solum denigrare terram, sed multitudine facere sterilem.* Si utilitatem amurcæ plerique ignorarunt, & ut rem rejiculam passi sunt defluere, vix ad axes adhibuerunt. Deinde nec hoc scio satis, an axungiæ loco commendarit Cato. Potius putavit roborari, sicut reliquam supellectilem ligneam, si bibissent altius oleosam hanc amurcam. Videturque hoc ostendere, quod habet in superioribus, *omnia meliora facies.* Coria profecto, lora, calciamenta meliora, durabiliora & validiora ibi intelliguntur. Quod proinde pertinuerit & ad axes. Manet ergo axungia veterum ex adipe suillo. Sed an solo, num aucto rebus aliis? Hodie certe picem nauticam alibi, alibi resinam cum cera una decoquere cum eo consueverunt. Sed hoc veteribus quoque fuisse receptum, vix opinor. Plinius profecto lib. XXVIII. c. 9. cum axungiæ, quam memorat ex adipe suillo, medicinas memorat, nil in ea notabile refert præter ramenta ferri ex axe. *Sic quoque*, ait, *utili medicina, cum illa ferrugine rotarum.* Præter ferruginem rotarum, id est, ramenta ex attritu ferramentorum in modiolo, & axe, indeque nigras sordes, nil in axungia vulgari memorabile recenset. Atque istoc quidem est, quo vehiculorum cursum adjuvabant. Quoniam vero aliquando sisti debuit, eo quoque fine habebant instrumentum. Id vocare *sufflamen* Latini solebant. Juvenal. Sat. VIII.

Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul.

Et qui ejusmodi impedimentum rotæ injiciebat, *sufflaminare illam* dicebatur. Seneca in extremo Apocolocynt. *Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.* Docet uterque *sufflamen* & *sufflaminare* spectasse ad rotas, easque adstringendas, & impediendas a circumactione. Ut mirari satis nequeam Salmasium, qui in epist. de Cruce p. 414. accepit de furca temonis potius, cum hæc tamen nihil pertinuerit ad rotas. Cæterum, sufflaminare rotas solebant plerumque, cum ex editiore loco descendendum esset ad depressiorem. Tum enim metus erat, ne rota nimio cursu circumacta vel in jumenta faceret impetum, vel vehiculum ipsum subverteret. Hinc jocus Augusti in Haterium, cujus meminit Seneca Procem. IV. Contr. *Tanta erat Haterio velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque divus Augustus optime dixit: Haterius noster sufflaminandus est, adeo non currere, sed decurrere videbatur.* Bene *non currere*, quia fit in plano, & cum justo temperamento, *sed decurrere*, quia fit ex superiori loco ad inferiora, & propterea cum immodica præcipitatione, ob quam sufflamen adhibendum. Meminit ejusdem dicti D. Hieronymus Epistola ad Pammachium: *Q. Haterius ingenium in numerato habebat, ut sine monitore tacere non posset, de quo egregie Cæsar Augustus: Quintus, inquit, noster sufflaminandus est.* Rotæ scilicet instar, quæ decurrens sine sufflamine stare non potest. Græcis ἀγκύϱιον ἁμάξης vel τροχῶν. Philoxenus: *Sufflamen*, τροχῶν ἀγκύριον, βοήθεια, κούφισμα ἁμάξης. Solebat autem fieri ex ferro. Sic nos docet Scholiastes vetus ad prædictum Juvenalis locum. *Sufflamen*, ait, *vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, & animalia vexent.* Lubinus ad eundem locum catenam putavit fuisse. Ita namque ait: *Rotam sufflamine stringere, est catenam rotæ injicere, ne currus e declivi monte descendens in præceps feratur.* Et huc facere videtur, quod appellat *vinculum* Scholiastes. Quanquam mea sententia fuerit non catena simplex, sed uncata, sive talis, quæ in capite haberet uncum ferreum, qui injectus radio rotam non sinebat circuire. Id quod colligo ex Philoxeni interpretatione, cum ἀγκύριον significet quid curvum & uncatum. Contra Vossius existimat fuisse lignum. Sic enim habet in Etymol. *Dicitur sufflamen de ligno, quo currus in declivibus locis nimio impetu ruentes cohibentur.* Nempe aliquando lignum quoque sive fustem inter radios rotarum immittebant, ut earum sisterent circumactionem. Ita discimus ex Eustathio Odyss. Ψ. ubi ait: Φασὶ δὲ ἐποχλέα τὸ διαβαλλόμενον ξύλον διὰ τῶν τροχῶν, ὅτε κατὰ τοὺς τόπους ἔρχοιτο, καὶ κωλύων αὐτοὺς ἐκτρέχειν κατὰ πρανοῦς ἐπὶ βλάβῃ τῶν ζυγοῦς. *Vocant autem epochlea lignum, quod rotas trajicitur, cum ad declivia loca ventum est, vetans eas decurrere per præcipitia cum detrimento jugalium.* Observandum est a Græcis lignum illud dictum ἐποχλέα. Athenæus lib. III. c. 21. Οἶδα δὲ καὶ Ἡρώδην τὸν Ἀττικὸν ῥήτορα ὀνομάζοντα τροχοπέδην τὸ διαβαλλόμενον ξύλον διὰ τῶν τροχῶν, ὅτε κατάντεις τόπους ὁ ὀχούμενος ἐπορεύετο, καί τοι Σιμαρίστου ἐν τοῖς συνωνύμοις ἐποχλέα τὸ ξύλον τοῦτο ἐπονομάσαντος. *Herodem Atticum Rhetorem ego quidem scio trochopeden appellasse lignum, quod per rotas trajicitur, cum per loca declivia curru vectus iter facit, quamvis Simaristus in Synonymis lignum hoc epochlea nominarit.* Vides plane lignum fuisse instrumentum hoc, dictumque Græcis ἐποχλέα. Fuisse vero singulare quod Herodes Atticus id nominarit τροχοπέδην, quasi quod rotas impediat. Neque enim ante ipsum quisquam ita nuncupavit. Quod autem apud Philoxenum sufflamen, explicatur etiam βοήθεια, item κούφισμα ἁμάξης, id fit sine ratione. Κούφισμα enim est, quod levat. Glossæ: Κούφισμα, *levamen.* At sufflamen non levabat, potius impediebat. Et quid? si dicamus aliud quid habuisse Philoxenum in animo, cum ista scriberet. Nempe id, quod a vehiculi extremo collocatur, ne, cum enitendum est ad altiora, ipsa volubilitate rotarum relabatur. Lignum est & ipsum, teres, a capite armatum ferro bifurcato, quod pone tractum sequitur, cum vehiculum procedit, at cum recedit, furca terræ immissa, cursum omnem impedit, nec permittit illud relabi. Nisi potius ad machinulam referri debet, qua vehicula sublevabant, cum vel fractus esset axis, vel eximenda rota, vel ipsum e fossa erigendum. *Suculam* Latine reddidit Comœnius. Verum longe aliud quid succula fuit, nempe machina generis tractorii, constans tereti

ligno, duobus pluribusve vectibus trajecto, utrinque æqua extantibus longitudine, sicuti Budæus tradidit. Effigies illius cernitur in Notis ad Vitruvium p.209. Editionis Elzevirianæ. At machina, de qua ego loquor, non est generis tractorii, sed elevatorii, quod in altum erigit. Ferrum est denticulatum, longum, a summo furcatum, ab imo leviter inflexum. Id intra stipitem ligneum oblongum arcte conclusum erigitur beneficio rotularum, per dentes ferri decurrentium, quas homo validus ansa ferrea in gyrum versa pro arbitrio circumagit. Germani mei vocant *eine Binde*, a vertendo, quia conversione crebra ferrum longum procedit receditve, prout ratio negotii videtur postulare. Quanquam, quæ de verbis Philoxeni adferimus, nobis ipsis sint incerta dubiaque. Cum has machinas veteribus fuisse notas ambigamus, certe veterum sciamus neminem, qui earum aliquam fecerit mentionem.

CAP. XVI.

De vehiculorum ornamentis.

Ἁρματα ποικίλα. *Ornamenta vehiculorum ex ære, plumbo albo, stanno, argento, auro. Aurea vehicula nulla. Ex argento cælata. Cælare, in argento cælare, quid. Vehicula auro distincta. Staticulum, quid. Sigillum. Eborata vehicula, gemmata. Politiani versio notata. Isidorus emendatus. Instrata vehicula. Sternere arceram. Rotæ æneæ auro cultæ. Axis ferreus. Temo argenteus. Jugum aureum. Incoquere argentum. Habenæ aureæ. Bracteæ in habenis. Fræna aura.* Ἁρμα χρυσοχάλινον. *Interpres vetus Esræ notatur. Strata equorum aurea & purpurea. Phaleræ. Monilia gemmata. Pectoralia aurata. Juncturæ argenteæ. Meursii lapsus. Sublimia ornamenta. Crines equorum inter aures collecti in nodum.* Χρυσάμπυκες. *Soleæ argenteæ, aureæ. Mulæ unius coloris. Coloris candidi. Lucianus explicatur contra Erasmum. Mulæ unius magnitudinis. Julius Africanus exponitur. Mulæ bene saginatæ. Muliones cum vestitu albo, coccineo, &c.*

VEnio ad vehiculorum ornamenta: Nam & ipsa exornabant varie temporibus antiquis. Inde legas apud vetustissimum Homerum ἅρματα ποικίλα non uno loco, quæ intelligi vix possunt, nisi diversimode exculta atque exornata. Hesych. Ποικίλα, πεποικιλμένα, κεκαλλωπισμένα. *Pœcila, variegata, exornata.* Fuerunt vero illa ornamenta olim fere ærea. Hinc enim apud dictum Poetam Il. Δ. ἅρματα ποικίλα χαλκῷ, *currus ære ornati*. Similiter habemus locis aliis. Ut Il. K. petit Dolon ab Hectore præmii loco sibi dari Pelidis

Τὰς ἵππους τε καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.

Inveniuntur tamen & ex plumbo albo apud ipsum. Ut Il. Ψ.

Ἅρματα δὲ χρυσῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε.

Vertunt: *Currus autem auro ornati stannoque.* Sed κασσίτερον est plumbum album. Plinius lib. XXXIV. cap. 16. *Pretiosissimum plumbum candidum a Græcis appellatum cassiteron.* Et mox: *Plumbum album habuit auctoritatem & Iliacis temporibus teste Homero cassiteron ab illo dictum.* Quibus verbis respexisse adhunc locum videtur. Quanquam & stannum veteres adhibuerint, sed postea, & invento Galliarum, fuitque stannum illud incoctum æreis operibus in vehiculis, ut liquet ex ejusdem Plinii dicti libri cap. 17. Homerus in superioribus addebat etiam χρυσῷ, unde constat ista ornamenta aliquando quoque aurea fuisse. Atque ita videas apud eundem Il. K. in vehiculo Rhesi Thracum Regis:

Ἅρμα δέ οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται.

Currus autem ei auro & argento scite fabrefactus est. Nota, & argentum adhiberi solitum hoc fine. A Latinis, nisi fallor, hæc vehicula *ærata*, *argentata* vel *aurata dicta*. Lampridius in Heliogab. *Habuit vehicula & aurata, contemptis argentatis & æratis.* Vopiscus in Aureliano: *Dedit potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, cum antea ærata vehicula fuissent.* Erant autem ornamenta hæc vel sparsim hic & illic affixa vehiculo, vel eidem undiquaque inducta. De posteriori genere accipio παγχρύσους δίφρους Myrtili apud Sophoclem in Electra:

Μυρτίλος ἐκοιμάθη
Παγχρύσων δίφρων.

Ratallerus ita vertit:

Præceps datus ex aureis
Provolutus est quadrigis.

Sed vehicula tota quidem aurea non existimo habuisse: inducta solum ornamentis aureis fuere. Ideo παγχρύσους appellavit, quasi essent, quæ haberent aurum non per omnia, sed in certis tantum partibus. Ita sane πάγχρυσον οἶκον Dianæ Ephesiæ appellat Aristophanes in Nubibus Act. 1. scen. 6. quæ tamen aurea non fuit. Scholiastes optime illo loco: Πάγχρυσον οἶκον λέγει τὸν πολυτελέστατον ναόν. *Auream per omnia ædem vocat templum exquisitissime cultum & ornatum.* Ita ergo & δίφρος πάγχρυσος, exquisitissime ornatus currus: Quomodo & ὁλόχαλκον ῥέδιον alibi ostendimus accipiendum non de prorsus ænea rheda, verum ære undiquaque inducta ornataque. Quæ vero qualiaque fuerint ex auro, metallisque cæteris, illa ornamenta, non est promptum satis dicere. Apud Plinium quidem ita legitur lib. XXXIII. cap. 3. de Romanis: *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Curtius quoque de vehiculis Darii lib. III. c 3. *Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata*: Verum, qualis ea fuerit cælatura, non commemoratur. Puta tamen *argento*, vel *ex argento cælare*, nil significare aliud, quam effigies argenteas eminentes extantesque facere in vehiculis. Hoc enim & alias Latinis est *cælare*. Sic *cælata pocula* intelliguntur. Et apud Livium lib IX. *scuta* habes *auro cælata*; quæ sunt culta imaginibus variis ex auro eminentibus & protuberantibus. Ita ergo & vehicula habebant culta ornataq; Ipsa erant per se ex ligno, more solito. Huic deinde ligno cælatæ imagines variarum rerum, florum, animalium, hominum, Deorum, ex ære, argento, auro, addebantur. Atque hoc, opinor, est, quod volebat Plinius, quando dixit, cælata *ex argento*. Non erant vehicula ipsa argentea, & imagines dein expressæ cæto, hoc enim cælare *in argento*. Quomodo Virgilius Æn. 1.

Cælataque in auro fortia facta patrum.

Sed imagines solæ cæto erant formatæ ex auro argentove, ac impositæ vehiculis. Hinc apud eundem Curtium de vehiculo Darii legimus, *utrumque currus latus Deorum simulachra ex auro argentoque expressa*

expressa decorabant. Sola illa simulacra erant aurea & argentea, non currus ipse totus. Nam *expressa* hoc in loco quidem non sunt alia, quam *cælata.* Vopiscus iccirco vehicula istiusmodi vocavit auro argentoque *distincta*, in Aureliano: *Currus regi tres fuerunt. In his unus Odenati argento & auro operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Habes & hic currum Persicum, a Persarum Rege dono datum, ac propterea haud dubie formatum ea specie, qua solebant apud Persas. At fuit non argenteus vel aureus, verum auro argentoque distinctus. Qui autem est *distinctus*, nisi hic illicque variis imaginibus ex auro argentoque cælatus? Adornatum auro argentoque nominavit Curtius lib. x. cap. I. ubi de opibus Persagadæ, qui & ipse Persicæ fuit originis: *Equorum domiti greges sequebantur, currusque argento & auro adornati.* Neque aliter intelligenda verba Plinii superius laudata, ubi de vehiculorum ornamentis loquebamur stanneis. *Cœpere*, inquit, *& esseda, & vehicula, & petorrita exornare, similique modo ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria pervenit, quæque in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Ridicule hoc loco viri docti *staticulum* exponunt *currus genus.* Quæso enim, quomodo, si genus fuit currus, potuisset atteri in vehiculis, quod Plinius testatur. Currus certe non est *in* vehiculo, sed ipse sibi est vehiculum, nec in vehiculo atteritur, sed atteritur, si atteritur, per se ipse. Sed nec, si genus fuit currus, cerni potuit in scyphis. Nec enim ulla genera vehiculorum, quæ imponi scyphis poculisve consueverunt. Ac ne illos quidem recte puto facere, qui *staticulum* signare volunt *essedi anteriorem partem, in qua firmus & status manet, qui habenas equis regit.* Non enim magis pars hæc, quam vehiculum integrum, cerni, terive in scyphis solebat, quod tamen de staticulis confirmat Plinius. Contra staticula Plinio imagines & emblemata, qualibus ornari atque incrustari multis scyphis apud veteres solebant, atque unde maximam accipiebant admirationem æstimationemque. Ciceroni sunt *sigilla*, & scyphi eis ornati *scyphi sigillati.* Verba ejus in Orat. VI. Ver. *Quum sederem domi tristis, accurrit Venerius, jubet me scyphos sigillatos ad Prætorem statim afferre.* Hic profecto scyphi sigillati, in quibus cernebantur staticula, sicut Plinius loquitur. Nempe staticula sunt a statuis, pro quibus iccirco usurpavit Hieronymus: *Uxor Loth fit staticula salis.* Pari sensu legas apud Tertullianum adversus Gnost. cap. 2. aliisque locis. Et quia statuis parvis, sigillis, imaginibus, sive ex toto, sive ex dimidio speciem suam exhibentibus, adornabant scyphos, sicut effigies ipsorum Baysio in libello de Vasculis exhibitæ testantur, icirco Plinius staticula cerni memoravit in scyphis. Qualia deinde staticula transferebantur etiam ad esseda, & petorrita, & id genus alia vehicula, artificiosissime cælata, & crustarum instar hic illic imposita, unde postea vehicula ipsa cælata dicebantur. Solebant autem hæc staticula vel sigilla fieri non ex metallis solum, sed & rebus aliis, ut ebore. Hinc *eborata vehicula* Plauto quoque memorata in Aulularia Act. II. scen. I.

> *Clamores, imperia, eborata vehicula, pallas, purpuram.*

Lampridius in Heliogab. *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis.* Memorat hoc loco Lampridius etiam gemmata, id est, gemmis pretiosisque lapidibus distincta. Id enim proprie *gemmatum* Latinis. Philoxenus: *Gemmatum*, ψηφωτὸν, διάλιθον. Herodianus nominat διαλίθων πεποικιλμένον lib. v. ubi de hujusmodi Heliogabali vehiculo: Συγκαθεσθεὶς αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ διὰ χρυσοῦ πολλοῦ καὶ λίθων τιμίων πεποίκιλτο. Vertit Politianus: *In vehiculo imperatorio confidente, quod erat auro multo gemmisque exornatum.* Quanquam, cum φορεῖον alias lectica quoque sit, dubitari hoc de loco posset, nisi de vehiculis Heliogabali gemmatis etiam Lampridius testaretur. Habebant ergo & gemmata vehicula Romæ, saltem Heliogabali temporibus; Aliis enim temere non legas. Nam Aureliani peregrina fuere, Odenati scilicet, & a Persarum Rege missa dono. Vopiscus sic de ipsis, triumphum Aureliani describens, cap. 33. *Currus regii tres fuere. In his unus Odenati, argento, auro & gemmis operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Tamen & de curru Constantii, quo intravit urbem, Ammianus lib. XVI. *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quædam misceri videbatur alterna.* Tribuit alias & Uraniæ Deæ Politianus in versione sua. *Ipsum porro Dei simulacrum impositum vehiculo, quod esset auro pretiosisque lapidibus exornatum, deducebat ex urbe in suburbanum*, ait. At Herodianus aliter: Τὸν δὲ Θεὸν, inquit, αὐτὸν ἐπιστήσας ἅρματι χρυσῷ τε καὶ λίθοις τιμιωτάτοις πεποικιλμένον κατῆγεν ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ παράστειον. Quæ verba docent, non currum, sed simulachrum Dei auro gemmisque fuisse cultum: Cum πεποικιλμένον non ad ἅρματι, quo cum casu minime convenit, sed Θεὸν sit referendum. Imitatione tamen istiusmodi vehiculorum postea Prudentius in Psychomachia tribuit Luxuriæ.

> —— *Currum varia gemmarum luce micantem.*

Et hi quidem sunt ornatus, quibus culta Regum, Principum, aliorumve virorum magnorum, vehicula videntur. Reliquorum communiter fuere picta. Primis quidem temporibus veneto, post russato colore. Ita sane de pilentis Servius ad Virgil. VIII. Æn. v. 666. *Erant autem tunc veneti coloris, non, ut nunc sunt, russati.* Repetit hæc eadem Isidorus lib. XX. cap. 12. nisi quod pro *nunc* male hodie legatur *tunc* in vulgatis libris. Color venetus est pallide virens, ac quasi vitreus, similis marinis fluctibus, propterea κυάνεος a Græcis appellatur. Nominarunt & cæruleum. Isidorus lib. XVIII. c. 41. *Junxerunt equos venetos aquis vel aeri, quia cæruleo sunt colore.* Equi veneti cærulei dicuntur esse coloris. Itaque venetus color cæruleus est, talemque veteres in vehiculis habuere. Videtur allusisse Virgilius, quando de vehiculo Neptuni lib. V.

> *Cæruleo per summa levis volat æquora curru.*

At russus color, qui successit veneto, est πυῤῥὸς, qui Latinis alias & luteus, qui hodieque in vehiculis ad usum revocari cœpit. Ante magis frequens fuit ruber, qui veteribus est μιλτίτης sive miniacius. Quanquam & priscis temporibus apud Romanos *in Capitolio Jupiter in quadriga miniacea* legatur, uti docet Servius ad Virgilii Eclog. VI. Possis credere instrata quoque vehicula tapetis aut linteis apud veteres. Hinc enim fortasse Paulus l. 5. § I. ff. de supell. Leg. *De tapetis autem vel linteis, quibus insternuntur vehicula, dubitari potest, an sint in supellectile.* Neque alio respexisse putes Sextum Cæcilium apud Gellium lib. XX. cap. I. ubi de arcera: *Arcera vocabatur plostrum*

tectum undique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata. Et in lege veteri apud eundem ex tabulis duodecim proposita *sternere arceram* est vehiculum vestimentis ita adornare. Quanquam de tapetis, vestimentis, linteis hujusmodi non sciam satis, an ad decus pertinuerint. Videntur sane magis superne imposita pluviæ arcendæ causa, sicut hodieque tegi alicubi non corio solum, sed & panno viliore consueverunt. Certe tectum undique vehiculum Cæcilius hic memorat, & tectum vestimentis. Neque alia est caussa dubitationis in proposita Pauli lege. Nempe, quoniam tapetes tegumenta illa fuerant, poterant B videri sicuti toralia in supellectile connumeranda. Quia tamen operiebant atque involvebant vehicula, ideo dicuntur se habere potius sicut pelles, quibus involvuntur vestimenta. Nec enim est ratio alia, cur pellibus ejusmodi a Paulo comparentur. Sed de istiusmodi vehiculorum tectis loco alio. Interea vix dubito, quin & ipsis in vehiculis quandoque ornatus splendorisque caussa habuerint tapetes aliaque id genus vestimenta pretiosa. Video nimirum talia circumdata vehiculo Imperatorio Heraclii, quod in nummo veteri exhibetur apud Lipsium de Cruce. Suntque ibi non picta solum, sed & gemmis margaritisque culta. Nam Home- C rus velle aliud videtur, quando de vehiculis Lycaonis Il. E. *Currus*

Καλοὶ, πρωτοπαγεῖς, νεοτευχέες, ἀμφὶ δὲ πέπλοι
Πέπτανται. ——————————

Pulchri, recens compacti, nuper facti, circum vero stragula expansa sunt. Scholiastes quidem vetus sic ad locum hunc: Περὶ αὐτοὺς πέπλοι. Πέπλοι δὲ λεπτὰ ὑφάσματα. *Circum eos pepli, sunt vero pepli vestes tenues*, quasi tenuibus & subtilibus his vestibus fuerint ornati. At Eustatius: Πέπλος οὐ τὸ ἱμάτιον οὐδ' ἐνταῦθα, ἀλλὰ ὕφασμά τισιν δονακοειδὲς καταπετάννυμενον τῶν δίφρων εἰς ἀπόβυσιν καπνοῦ καὶ κόνεως, καὶ τῶν τοιούτων. Vult, nisi fallor, tantum storeas fuisse, quas vehiculis domi repositis circumdabant, ne inquinarentur a fumo pulvereque. *Peplus*, ait, *non est vestis hic, sed textum secundum aliquos ex arundinibus, curribus circumdatum, ut arceat fumum, & pulverem, & id genus alia*. Neque alia interpretatio convenire cæteris hujus loci melius videtur. Certe ornata fuisse vestimentis etiam, cum starent domi, vero non est consentaneum. At tegi contra quaslibet injurias istiusmodi storeis ne quidem hodie ignotum est. Præter hæc habebant aliquando alia quoque ornamenta. Ipsa namque vehicula per se lignis eminentioribus, velut regulis, cymatiis, toris, coronis, & ejusmodi, decorabantur circa oras. Ita habes cultas bigas quadrigasque partim apud Philippum Rubenum lib. I. Elect. cap. 30. partim apud Onuphrium Panvinium in imaginibus variarum tabularum, unde istas quoque huc transtulimus.

Simili ratione in Notitia Imperii carruca Præfecti D urbis variis ornata cernitur, sive globis, sive orbibus, habetque sculpta velut delphinorum capita, in longas squamas desinentia ex utroque latere. Ac hæc quidem ornamenta ipsorummet sunt vehiculorum. Seorsum vero legas rotas æneas, cum circulis aureis & canthis æreis in curru Minervæ apud Homerum Il. E. Apud Ovidium lib. II. Met. in vehiculo Solis est:

—————— *Aurea summæ*
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo. E

Prudentius in Psychomachia facit currum Luxuriæ habentem

———————— *Radiorum*
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.

Eodem in curru memorat

Et solido ex auro pretiosi ponderis axem. F

Imitatione quadam currus Solaris apud Ovidium, ut puto, cui & ipsi

Aureus axis erat.

Apud Homerum axis potius est ferreus in vehiculo Minervæ, ut firmior, onerique ferendo convenientior, maxime, cum ad prælium accommodandus currus esset. Idem Homerus in vehiculo eodem temonem facit argenteum, qui apud Ovidium est aureus. Facit & jugum aureum, quod apud Ovidium est ornatum gemmis.

Per juga chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

Et revera tale fuit in vehiculo Darii, de quo Curtius lib. III. c. 3. *Distinguebant internitentes gemmæ jugum, ex quo eminebant duo aurea simulachra cubitalia*. Loco auri gemmarumque adhibebant alii plumbum album, solebatque illud incoqui æneis presertim jugis. Plinius lib. XXXIV. cap. 17. *Plumbum album incoquitur æreis operibus, Galliarum invento, ita, ut vix discerni queat ab argento, eaque incoctilia vocant. Deinde argentum incoquere simili modo cœpere, equorum maxime ornamentis jumentorumque jugis Alexia oppido: Reliqua gloria Biturigum fuit*. Hic incoquere argentum vel plumbum album jugis æneis nil aliud, quam, cum fundi debent, cocto æri & liquefacto plumbum tale vel argentum addere, ut plus splendeat, penitusque accipiat argenti colorem. Præter vehicula, illorumque partes, etiam ad-

juncta ipsis animalia exornabantur. Habenas profecto legimus in ipsis aliquando aureas, unde currus ipsi Græcis *χρυσήνιοι*. Hesychius: Χρυσήνιος, *χρυσᾶς ἡνίας ἔχων, οἱ δὲ καλάς*. Aliquando bracteas solummodo addebant aureas argenteasve. Unde Prudentius in Luxuriæ curru commemorat

—— Bracteolis crepitantia lora.

Fuerunt hæ bracteolæ clypeolorum instar aut claviculorum, sicut suspicamur ex Notitia Imperii, in qua occurrunt hac effigie in equis carruchæ superius memoratæ. Habenis addebantur fræna aurea. Meminit Cassianus de Reg. Cœnob. Æg. in vehiculo duorum tribunorum: Τριβοῦνοί τινες δύο μετὰ πολλῆς κόμπης εἰσεληλύθεισαν, ῥέδιον ἔχοντες ὁλόχαλκον, καὶ χρυσοχαλίνους ἵππους. *Tribuni quidam duo vehebantur multa cum pompa, rhedam habentes totam æratam, & equos cum frænis aureis.* Apud Esram lib. III. cap. 3. equi sic ornati appellantur *ἅρμα χρυσοχάλινον*, quod Interpres vetus male vertit *currum aureo fræno*. Meminit & Virgilius in equis Æneæ missis dono ad vehiculum seu currum. Sic enim de ipsis:

Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum

Dicit autem amplius Virgilius, tectos quoque auro equos illos fuisse, hoc est, habuisse vestes ex auro, quibus erant operti. Quare antecedit quoque:

—— Jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

Idem Seneca accommodat ad vehicula suorum temporum ep. 87. *Quid*, ait, *ista vehicula cælata, instrati ostro alipedes, &c.* Ornabantur & phaleris, ut ex equis Solis liquet apud Prudentium, cujus verba mox adducam. Fuerunt autem phaleræ clypeoli rotundi, quos in fronte habebant. Etymologus: Φάλαρα τὰς προμετωπιδίας, ἀσπιδίσκας τὴν κόσμησιν, τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων. *Phaleræ, frontalia, clypeoli, ornamenta in fronte equorum.* Item monilibus circa collum. Diodor. lib. XVIII. de mulis in curru, quo cadaver Alexandri Regis deferebatur in Ægyptum: Περὶ δὲ τοὺς τραχήλους λιθοκολλήτους. *Habebant circa collum monilia gemmis distincta.* Atque ista sunt, quæ instar fasciorum circa colla equorum cernuntur in antiquis monumentis, & superius ex columna Trajani a nobis cap. 13. sunt expressa. Tum accedebant lora in pectore, auro multo culta. Hinc Prudentius in vehiculo Solis, quod describit lib. I. contra Symmachum:

Et frænos phalerasque, & equorum pectora anbela
Æris inaurati, vel marmoris aut orichalci
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.

Atque ita videas plane in dictis aliquotiens Notitiæ Imperii quadrigis. Neque alia horum omnium est species in equis vehiculo Imperatoris Heraclii junctis. Nisi bis decurrentem per lora omnia orbicularum seriem margaritas accipere malimus. Illud singulare, quod hæc ornamenta Prudentius faciat non ex ære solum orichalcove inaurato, verum etiam ex marmore. Nec enim intelligo satis, quomodo ex eo fieri potuerint. Leguntur etiam juncturæ, quibus ad vehiculum destinantur, ex argento. Inde sunt *juncturæ argenteæ* apud Ulpianum, de quibus egi satis in superioribus. Capitolin. in Vero, c. 5. *Data & vehicula cum mula-*

A *bus ac mulionibus cum juncturis argenteis.* Cum juncturis *aureis* citavit Meursius in de Luxuria Romana cap. II. memoriæ vitio, ut opinor. Quanquam forte non defuerint, qui haberent etiam ex auro. Apud Gaudentium profecto tr. 13. leguntur ornamenta aurea equorum mulorumque, quæ intelligi aliter, quam ut simul & juncturas innuant, vix possunt. *Brutis quoque*, inquit, *animalibus, equis & mulis, ex argento & auro sublimia ornamenta componunt.* Sunt hic *sublimia* ornamenta, nisi fallor, pretiosa & eximia, propter auri argentique copiam, quam habebant adjunctam. Ad hæc omnia crines quoque animalium collectos in unum B colligatosque ac erectos aureis funiculis in fronte habebant, eratque vetustissimum hoc ornamentum, Iliacis etiam cognitum usurpatumque temporibus, unde *χρυσάμπυκας* equos sic ornatos Homerus appellavit, Il. E. Scholiastes vetus eo loco: Χρυσάμπυκας *χρυσοχαλίνους, ἀπὸ μέρους, ἢ χρυσοκόμους. Κυρίως γὰρ ἄμπυξ καλεῖται σειρὰ κατάχρυσος, ἢ ἀπὸ μετώπου τεινομένη, ᾗ συνδοῦνται αἱ τρίχες.* *Chrysampycas, aureos habentes frænos, a parte, vel comas aureas. Proprie namque ampyx appellatur funiculus auratus, a fronte extentus, quo colligantur crines.* Eustath. Ἄμπυξ ἐκαλεῖτο σειρὰ κατάχρυσος τὰς περὶ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων τρίχας συνδέουσα. *Ampyx dictus C est funiculus auratus, quo crines in fronte equorum colligantur.* Crines hi funiculis istis erant subrecti in altum, ut inter aures surgerent instar pennarum. Hesych. Χρυσάμπυκος, *χρυσοῦς δεσμοὺς ἔχοντας παρὰ τὸ ἄμπυκα, ὅ ἐστιν ἡ τῶν τριχῶν εἰς τὸ ἄνω ἀνάληψις. Chrysampycos, aureos funiculos habentis, ex ampyca, quod est crinium quædam in altum collectio.* Pedibus mularum suffigebant aliquando soleas argenteas. Ita sane de Nerone Sueton. c. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis.* Conjux vero ejusdem fecit etiam ex auro. Plin. l. XXXIII. c. 3. *Nostra ætate* D *Poppea, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Equi mulæque unius omnes plerumque fuerunt coloris, nam & hoc inter decora vehiculorum atque ornamenta pridem cœpit numerari. Hoc respectu Seneca ep. 87. *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ, unius omnes coloris?* Sicut nempe vulgo consueverant habere. Curtius de vehiculo Jovis apud Persas l. III. c. 3. *Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi.* Virgilius de Turni curru & adjunctis illi equis lib. XII.

E *Qui candore nives anteirent, cursibus auras.*

De triumphantibus apud Romanos Serv. ad l. IV. Æn. *Qui triumphat, albis equis utitur quatuor.* Etiam privatorum ista fuit cura. Hinc Abdias lib. III. *Nicolaus, quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quatuor mulis candidis.* Observa simul ex his locis, inter cæteros colores antelatum esse candidum. Itaque & Lucianus optimates Romanorum describens in de Mercede Cond. Ἀποδημεῖν ἐπὶ λευκοῦ ζεύγους ἐξυπτιάζοντας. Ubi perperam Erasmus reddidit *rhedam albam*: *Peregrinari alba in rheda resupinatos.* Cum debuisset F vertere: *Sublatos in vehiculum ab albis tractum equis.* Ζεῦγος enim non est *rheda*, verum par jugalium, quod alibi ostendi. Fuitque hæc de eo sententia non recens, verum vetustissima, ipsique cognita Homero, qui propterea de Rhesi Thracum Regis vehiculo equisque Il. K.

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Candidiores nive, ad currendum autem ventis similes. Magnitudo quoq; spectata videtur, & ut essent

omnes equi mulive pares. Hinc enim Julius Africanus l. 34. ff. de Ædil. Edicto *quadrigas & mulas PARES* memorat, quæ simul vendantur & redhibeantur omnes. Scilicet, si ex his perit una, cæteræ etiam fiunt inutiles, quia pari magnitudine substituere aliam non perinde promptum. Verba Africani: *Interdum etsi in singula capita pretium constitutum sit, tamen una emptio est, ut propter unius vitium omnes redhiberi possint vel debeant, scilicet, cum manifestum erit, non nisi omnes quem empturum vel venditurum fuisse, ut plerumque circa comœdos, vel quadrigas, vel mulas pares accidere solet.* Seneca in verbis præcedentibus ostendit, habuisse quoque bene saginatas. *Quid*, ait, *ad rem pertinent mulæ saginatæ?* Neque, quæ sunt saginatæ, illæ nitent, nitor autem decens est in jumentis. Non autem animalia solum, sed &, qui agebant ea, ornare consueverunt. Ita, qui Darii currus regebant, vestes habebant albas, virgas aureas. Curtius lib. III. cap. 3. *Aureæ virgæ & albæ vestes regentes equos adornabant.* Pro vestimentis albis canusinati fuere muliones Neronis. Suetonius: *Fecisse iter traditur soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Canusinati sunt vestiti lana Canusina, quæ fuit rutila, & alioquin erithra appellata, ut ex Plinio cognoscimus. Memorat vestitos cocco Martial. l. X. epigr. de Mevio:

Pullo Mævius alget in cucullo,
Cocco mulio fulget Incitatus.

Bene *fulget*, quia cocci color fuit splendidissimus. Ad eundem fere modum exhibetur in Notitia Imperii membranacea coloribusque picta. Habet enim sive pallium, sive largius vestimentum aliud coccineum supra prasinum sagulum in sinistrum humerum rejectum, cum ocreis rubentibus. Et hæc quidem ornamenta.

CAP. XVII.

De iis, qui quacunque ratione spectant ad vehicula.

Auriga. Ηνίοχος. *Agitator. Philoxenus emendatur, & Lucilius. Aureax. Locus Festi expenditur. Vossii sententia improbatur, & Scaligeri. Festus corrigitur. Aureax solitarius. Aurigarius. Magister.* Ηνιοστρόφος. Αρματηλάτης. Ζευγηλάτης. *Mulio. Codex Theodosianus emendatur. Plaustrarius. Rhedarius. Cisiarius.* Αμαξάριος. *Ulpianus corrigitur. Carrucharius. Glossæ veteres emendantur. Quadrigarius. Trigarius. Plinius explicatur. Torrentius refutatur.* Διφρηλάτης. Διφρηλάτης. *Aurigæ fœminæ. Vallæ versio Herodoti rejicitur. Currus agere, ducere*, ἁμαξεύειν. *Trahere currum.* Αμαξαν ἕλκειν. Αμαξεύειν. *Curru vehere quem.* Ηνιοχεῖν. Εγκρατεῖν τῶν ἡνιῶν. *Habenas tenebant sinistra, flagellum dextra. Flagellum repositum in jugo, vel theca. Sustinere currum.* Επέχειν. *Strigare. Impellere currum, retorquere, agitare.* Ορθῶς ἐλαύνειν. *Flectere.* Παρατρέπειν. *Versare.* Στρέφειν. Περιελαύνειν. *Vox & clamor aurigæ, strepitusque. Sedet in sella prima seu temone primo. Ambulat interdum prope jugales. Versio Dionysii rejecta.* Ορεωκόμος. *Seneca expositus. Mulio excalceatus. Aurigæ servi, aliquando & liberi. Quartarii. Perpetuarii. Ars aurigandi.* Δρόμος. Αρματτροχίαι. *Orbita. Vestigia rotæ.* Τροχαί. Αρματηλασία. Διφρηλατικὴ ἐπιστήμη. *A quo inventa. Valuerunt ea Barcæi quondam & Libyci & Cyrenenses. Aurigationes variæ. Donaria aurigarum.* Παράβαται. Παροχούμενοι. Οχούμενοι. *Sedentes rheda. Conscendere, adscendere, inscendere vehiculum.* Επιβαίνειν. Αναβαίνειν. *Tolli in currum.* Αναβιβάζεσθαι. Ανάγειν εἰς ἅρμα. *Currum occupare. Vehiculo sedere.* Καθῆσθαι ἐπὶ τοῦ ἅρματος. *Ingredi vehiculo, volare, rapi, vehi, portari, excuti, versari. Contra hoc postremum vota aurigarum. Ad conscensum saltus, scala. Tempus conscendendi virgæ nutu significatum. Ad descensum saltus. Carpentarii.* Αρματοπηγοί. Αμαξουργοί. Αγροπηγοί. *Trigarii. Cisiarii. Junctores. Jugarii. Veterinarii. Veterina.* Ιππίατροι. *Mulomedici.*

Superest, ut agam de hominibus ad vehicula spectantibus. Horum primus est *auriga*, qui currum equosque dirigit. Servius ad XI. Æn. v. 85. *Aurigæ sunt proprie currus regentes.* Dictum vero aurigam sic ab aureis, quas & oreas appellavere, Vossio libenter credo, quia sit, qui regat aureas, id est, fræna. Græcis namque ad eundem modum est ἡνίοχος, quo significatur is, qui tenet lora. Glossæ veteres: *Auriga*, ἡνίοχος. Philoxenus: *Auriga, agitur*, ἡνίοχος, ἐλάτης. Sed quid hic est *agitur*? Ita namque habet Stephani editio. Scribe *agitator*. Glossæ Græcæ: Ηνίοχος, *auriga, agitator*. Nempe sunt agitatores fere titulo solenni aurigæ bigarum quadrigarumque Circensium. Suet. Ner. cap. 22. *Tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos quærens*. Et in Cajo, cap. 55. *Agitatori Cythico commessatione quadam in apophoretis vicies H. S. contulit*. Hinc inscriptiones veteres: M. AURELIO, AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ. Item: C. APULEJUS DIOCLES, AGITATOR FACTIONIS RUSSATÆ. Item: CL. AURELIO POLYPHEMO, DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS RUSSATÆ. Quanquam etiam sic appellentur aurigæ alii & vulgares. Lucilius apud Ciceronem l. XIII. ep. Att. 21. cujus versus ita debet legi:

Sustineat currum ut bonus sæpe agitator equosque.

Cicero ipse adhuc clarius lib. IV. Qu. Acad. *Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, præceps erit.* Loquitur de loco præcipiti, qualis cum in Circo non sit, liquet de auriga vulgari esse sermonem. Similiter Virgilius lib. III. Æn.

Una ingens Periphas, & equorum agitator Achilles.

Pro auriga posuerunt aliquando *aureacem*. Festus certe ita habet: *Aureax, auriga*. Verum contra Vossius in Etymol. *De aureax, quod Festus dicit, probatur etiam cum veteri Glossario, tum Glossis Isidori, in quibus exponitur* ἱππαστής *& eques solitarius, ut omnino aureax ex horum mente sit, quem Græci* κέλητα *vocant*. Habet hæc, ut multa alia, Vossius a Scaligero, qui plane tradit eadem in Festi Notis. At si κέλης sive eques solitarius significatur voce aureacis, aureax auriga esse nequit, sicut Festus voluit. Nam auriga regit currum, sicut supra testabatur Servius, κέλης vero currum habet nullum. Verum non id dicunt Glossæ, quod volebant Scaliger & Vossius. Scaliger sic habet: *Aureax. Glossarium: Aura, ex solitarius*, ἱππαστής. *Lege aureax, solitarius*. Ita Scaliger. Sed in Glossis Stephani nulla est distinctio, continua serie sic habent in editione prima: *Aura ex solitarius*, ἱππαστής. Quare scribo, commate sublato: *Aureax solitarius*, & in-

terpretor de aureace non communiter accepto, qui auriga fuit, verum sic peculiariter & cum epitheto ad differentiam alterius vocato, id est, equite. Neque obstant Glossæ Isidori, quæ sic habent: *Aureax, eques solitarius.* Sunt enim desumptæ ex peculiari quodam loco, in quo fuit sermo de hujusmodi aureace, sicut multæ aliæ libelli ejus. Adde, quod sint distinctissima *solitarius* & *eques solitarius.* Hic enim oppositus est desultori, qui duobus simul pluribusve uti equis consuevit. At solitarius simpliciter sic positus pro equite non reperitur. Contra fuit in aureace. Dicebatur aureax, & auriga, & eques, verum hic ad differentiam alterius non aureax simpliciter, sed aureax solitarius. Atque hoc est, quod volebat Festus. Sunt, qui aurigas etiam *aurigarios* existimant vocatos apud Suetonium in Nerone cap. 5. ubi ait: *In prætura mercede palmarum aurigarios fraudavit.* Sed si aurigarii hoc loco sunt aurigæ, non aurigas quoslibet, sed bigarum trigarumve in ludis Circensibus denotabunt. Nam ad hos palmæ pertinent. Potius *magistri* dicebantur voce generali Claudianus epigr. I. loquens de Mulabus Gallicis:

Absentis longinqua valent præcepta magistri.

Sic Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus movebantur jumenta.* Græcis non ἡνίοχος solummodo aurigam denotat, sed & ἡνιοστρόφος. Ita enim nominatur a Philippo lib. IV. epigr. Etiam ἁρματηλάτης dicitur. Hesychius: Ἁρματηλάτης, ἡνίοχος. In Glossis est ἐλάτης, uti supra vidimus. Sed aliis vocatur ἐλατήρ. Hesychius iterum: Ἐλατήρ, ἡνίοχος. Item ζυγηλάτης. Hesychius iterum: Ζυγηλάτης, μεταβάτης, ἡνίοχος. Possis hinc colligere, quod & μεταβάτης dictus sit. Sed hoc nomen proprie ad eos pertinet, qui currus regunt militares, sicut alibi jam dixi. Sicut autem hæc communia eorum sunt vocabula, qui currus regunt, ita habuerunt quoque propria. Capta erant ea vel ex animalibus diversis, quæ trahebant currus, vel ex ipsis curribus vehiculisque aliis & aliis. Animalium respectu speciatim dicebantur *muliones.* Licet enim muliones aliquando quoque sint, qui agunt mulas clitellarias, frequentissime tamen eos denotant, qui regebant carrucharias. Senec. ep. 87. *Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est. Mulæ vivere se ambulando testantur; Mulio excalceatus non propter æstatem.* Mulio hic non est alius, quam qui regebat mulas in vehiculo. Similiter Sueton. cap. 30. Neron. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Pertinet huc quoque *mulio, qui per imperitiam impetum mularum retinere, vel propter infirmitatem sustinere non potuit;* De cujus pœna, si hominem obtriverit, quærit Gajus l. 8. ff. ad L. Aquiliam: Itemque ille, de quo Martialis lib. IX. epig. in Edilium:

Nihil est tritius Edili lacernis, &c.
Nec pigri rota quassa mulionis.

Quanquam videantur dicti aliquando notione generaliori, qui quæcunque denique agebant animalia currulia. Sic profecto capio, quæ leguntur passim in Cod. Teodos. t. de cursu publico, de mulionibus. Ut, l. 31. *Nec mulionibus, nec carpentariis, nec mulomedicis cursui publico deputatis mercedem a quoquam sinceritas tua siverit ministrari.* Sic opinor ibi legendum, non *fuerit*, quod est in vulgatis, ac ne *fabiat* quidem, quod nonnulli viri docti censuerunt. Atque ita censuisse video nunc demum etiam Jacobum Gothofredum, atque lætor. Esse vero muliones hoc in loco aurigas qualescunque liquet, quia cursus publicus non per mulas solum, sed & equos, aliaque animalia, perfici solebat. Respectu vehiculorum quidam sunt *plaustrarii*, qui plaustra regunt. Ita sane nominantur Ulpiano l. 27. ff. ad L. Aquil. §. 33. Verba ejus: *Si ex plaustro lapis ceciderit, & quid ruperit vel fregerit, Aquilia actione teneri plaustrarium placet, si male composuit lapides, & ideo lapsi sunt.* Alii *rhedarii*, qui rhedas. Cicer. in Mil. *Adversi rhedarium occidunt.* Usurparunt hoc vocabulum & Græci ultimis temporibus. Aretas ad Apocalyps. cap. 18. Ῥαιδη, ἀφ' ἧς καὶ τὸ ῥαιδάριος πέπτωται. Alii *cisiarii*, qui cisia. Ulpianus antea laudatus in l. 13. ff. Locati: *Si cisiarius, dum cæteros transire contendit, cisium everterit.* In Basilicis vocatur ἁμαξάριος. Verba: Εἰ ἁμαξάριος φιλονεικῶν προβαλεῖν, στρέψει τὴν ἄμαξαν. Leunclavius hæc ita reddidit: *Si caruchārius, dum cæteros ante vertere contendit, carucham everterit.* An, quod in dicta lege hodie sic scriptum est, *si cisiarius, id est, carrucharius, &c.* Sed haud dubie hæc glossa est, eaque haud satis apta, cum a cisio diversa sit carrucha. Legas tamen quoque *carrucharios*, qui carruchas ducunt. Glossæ veteres: Καρουχάριος, *mulocisiarius, caruchārius.* Observa hic, sic appellatum Græcis etiam recentioribus. Deinde unico scriptum esse *r*, cum id alias geminetur. Sed quid est, quod exponant quoque *mulocisiarium?* Quomodo cum cisiario hic muli conjunguntur? Meo animo scribendum *mulio cisiarius* distinctis vocibus videtur. Nempe mulio generale nomen est, ut superius monstravi. At vero *mulio cisiarius*, qui regit mulas in cisio. Est & *quadrigarius*, qui quadrigas ducit in Circo. Asconius: *Quadrigarius, qui in Circensibus quadrigas agitabat.* Usurpavit ita Varro lib. II. R. R. cap. 3. *Peritus belli alios eligit atque alit ac docet, aliter quadrigarius & desultor.* Non est alius hoc loco quadrigarius, quam qui quadrigarum agitandarum caussa eligit instituitque equos. Philoxenus: *Quadrigarius*, ἁρματηλάτης, ἱππηλάτης, ἡνίοχος. Glossæ aliæ: Ἁρματηλάτης, *quadrigarius.* Habes & *trigarium* apud Plinium lib. XXVIII. cap. 17. *Feruntque & Neronem Principem hac potione recreari solitum, cum sic quoque se trigario approbare vellet.* Tamen hic Torrentius trigarium interpretari mavult eum, qui ornandi instruendique agitatores gerit curam, sicut discas ex ipsius Notis ad Suetonii Neronis cap. 5. Nempe illud *approbare se trigario* putabat dictum, sicut *approbare se magistro.* Quomodo & Suetonius ipse, *Cajo talem & se & exercitum approbavit*, vita Galbæ cap. 6. At *trigarius, a, um*, est adjectivum, nec necesse, ut ad virum tantum referatur. Et quid, si intelligamus cursum? Quid, si certamen trigarum? Verum apud Plinium in libris optimis non legitur *trigario*, sed, una littera adposita, *strigario*, unde optime Salmasius ad Solinum: *Cum sic quoque strigario approbari vellet.* Est videlicet strigarium, ut ipse docet, locus, ubi exercentur equi ad certamen curule, ita dictum, pro *spacio strigario*, ut sit approbari strigario idem atque adprobari per strigarium, hoc est, spacium illud, atque simul exercitium, quod in eo institui solebat. Apud Philoxenum omissa prima littera *trigarium* est, exponiturque τόπος ὅπου ἵπποι γυμνάζονται, id est, *locus, ubi equi exercentur.* Atque ita scribitur & Aurelio in Regionibus Urbis Romæ, ipsique Plinio lib. XXXVII.

cap. 3. Ut proinde frustra in superius adductis A verbis aurigam trigarum requiramus. Græcis genus hoc vocari *διφρώτης* consuevit, a *δίφρῳ*, qui fuit proprie in hujusmodi ac militaribus vehiculis. Ita sane appellavit Sophocles. Apud Lucianum *διφρηλάτης* est, in dial. Jovis & Solis, ubi Jupiter ad Solem de Phaetonte loquens: *Τοιῦτον ἡμῖν τὸν καλὸν ἡνίοχον καὶ διφρηλάτην ἐκπέπομφας. Talem nobis pulchrum aurigam atque rectorem currus emisisti.* Et hi quidem varii sunt aurigæ. Quos notandum amplius non fuisse viros semper, sed quandoque etiam mulieres. Docet vel Homerus, apud quem Juno pro auriga est in curru Minervæ, B & Minerva in curru Diomedis. De priori verba sunt Poetæ in Iliad. E.

> Ἥρη δὲ μάστιγι θοῶς ἐπεμαίετ' ἄρ' ἵππους.

Juno autem scutica velociter urgebat equos. De posteriori legitur in eodem libro prolixe, ubi inter cætera hoc quoque:

> Λάζετο δὲ μάστιγα καὶ ἡνία Παλλὰς Ἀθήνη.

C *Corripuit autem flagellum & habenas Pallas Minerva.* Annotandum, quod hic agat de vehiculis bellicis ac militaribus, adeo non potest mirum esse, si nonnunquam hoc acciderit in cæteris. Quomodo apud eundem Odyss. Z. vicem aurigæ præstat Nausicaa, aliæ apud alios. Nam & apud Herodotum legimus Zavecibus solenne fuisse, ut in bellis aurigas haberent fœminas. Verba sunt in Melpomene: *Μαξύων δὲ Λιβύων Ζαύηκες ἔχονται, τοῖσι αἱ γυναῖκες ἡνιοχεῦσι τὰ ἅρματα ἐς τὸν πόλεμον. Maxium autem Libyum confines sunt Zaveces, ubi fœminæ aurigantur currus in bellum.* Ita vertit Valla, sed intelligendum est, ut dixi, non D quod ipsæ curribus certaverint, sed quod certantium virorum fuerint aurigæ. Cæterum, officium eorum communissimum, quod Latini vocant *currus agere* vel *ducere*, hoc est, jumentis animalibusque ad currendum ambulandumve compulsis vehiculum idoneo itinere promovere. Ovid. II. Metam. fab. 1. de Jove:

> ——— Non aget hos currus.

Et fab. 5.

> *Quilibet alter agat portantes lumina currus.* E

Justin. lib. XLI. cap. 6. *Per sanguinem ejus currum egit.* Val. Maxim. lib. IX. cap 11. *Supra corpus duci vehiculum jussit.* Græcis istoc una voce, *ἁμαξεύειν*. Unde Plutarchus in Eumene: *Ἁμαξεύων διὰ πενίαν*, vel *ἐλαύνειν*. Unde Lucianus ante dicto loco: *Εἶπον καὶ ἡλίκος ὁ κίνδυνος, εἰ μὴ ὀρθῶς ἐλάσειε.* Animalia dicebantur *trahere*. Sueton. Augusto, cap. 94. *Videre visus est filium super currum laureatum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Simili ratione loquebantur Græci. Dio lib. LIX. *Τὸ ἅρμα τὸ πομπικὸν ἐφ' οὗ ἤχθη, ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν.* Quod si vero vehicu- F lum esset onerarium, non tam *ἕλκειν*, quam *ἁμαξεύειν*, hoc reddebant, si est vera Suidæ observatio, voce *ἀμπρεύοντες*. Unde inter alia: *Ἀμπρεύειν κυρίως τὸ μετὰ ἁμάξης πορεύεσθαι.* Propriam ait vocis hujus esse hanc significationem. Quod si præter aurigas alii quoque vehiculo insiderent, eos dicebantur *vehere*. Sic enim Latini quoque reddere hoc negotium solebant. Ovid. ep. 21.

> *Hunc Venus in cœlum curru vexisset eburno.*

Fiebat porro hoc per habenas, quas tenebant. Quod *ἡνιοχεῖν* a Græcis proprie vocatur. Quemadmodum qui per eas vere poterat jumenta regere, ac prout usus postulat, vel concitare, vel sistere, *ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν*. Lucianus in Dial. Jovis & Solis: *Καὶ ὡς ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν, καὶ μὴ ἐφιέναι τῷ θυμῷ τῶν ἵππων. Uti habenas regere, neque impetum permittere equis deberet.* Habenas tenebant una manu, altera flagellum. Apollonius III Argon. de Medea:

> Καὶ ῥ' ἑτέρῃ μὲν χειρὶ λάβ' ἡνία, τῇ δ' ἄρ' ἱμάσθλην.

Altera manu capit habenas, altera flagellum. Et flagellum quidem capiebant dextra, sicut idem docet, unde consequens, quod habenas tenuerint rexerintque sinistra. Verba ejus aliquanto ante:

> —— Καὶ δαιδαλέην ἱμάσθλην
> Δεξιτερῇ, ἔλαεν δ' διὰ ἄστυος. ———

Elaboratissimam scuticam cepit dextra, & per urbem fecit iter. Et quoniam utrumque sic tenebant, flagellum inquam & habenas, inde Phædrus noster, de auriga loquens, lib. III. cap. 7. vocat eum, qui

> *Jugum flagello temperat lento,* ——
> *Et lora frænis continet spumantibus.*

Flagellum, si non amplius illius esset usus, jugo equorum applicuisse videntur. Facit sane Tydides apud Homer. Il. Ψ.

> Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε παμφανόωντος·
> Κλῖνε δ' ἄρα μάστιγα ποτὶ ζυγόν.

Ipse autem e curru humi desiliit nitido, acclinavit igitur flagellum jugo. At vero Pollux ad hoc memorat, nescio quas, thecas: *Προσθετέον δὲ, ὅτι οὐκ ἐν τοῖς ἅρμασιν ἀπετίθεντο τὰς μάστιγας, ἀλλὰ οἱονεὶ θήκη ἐκαλεῖτο.* Vertit Gualtherus: *Notandum quoque, quod non in curribus flagella deposuerint, sed fere theca quædam appellatur.* Postrema sensum habent nullum. Mallem vertere: *Sed eo, quod quasi theca vocatur.* Cæterum, qualis illa theca, quove in loco fuerit, non declarat, neque discere adhuc aliunde potuimus. Ac videtur, nescio quid, deesse istis verbis, de quo alias deliberabimus. Habenas vero aurigæ, si volebant currere jugalia, & vehiculum celerius incedere, remittebant: Sin ire tardius, vel subsistere, adducebant, sicut alias ostendi. Ac posterius quidem quando faciebant, dicebantur *currum equosve sustinere.* Lucilius apud Ciceronem lib. XIII. ad Atticum, ep. 21. *Sustineat currum, ut bonus sæpe agitator.* Græcis est *ἐπέχειν*. Unde *ἐποχὴ*, quod Cicero *retentionem* vertit. Verba ejus dicto loco: *Carneades retentionem aurigæ similem facit ἐποχῇ.* At vero equi tum dicebantur *strigare*. Unde mula carrucharia Phædri nostri lib. III. cap. 7.

> *Namque, ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.*

Quando autem faciebant prius, *currum* dicebantur *impellere*. Ita Silius lib. XVI. quanquam de multitudine loquens:

Impellit currum clamor, vocesque faventum.

Erat vero longe hoc frequentius altero, cum fere cursu uterentur concitato cunctis in vehiculis, is maxime, quibus vehebantur publicis in viis. Inde velut singulare ac insitatum notat Seneca in suo vehiculo, epist. quod in eo mulæ AMBULANDO tantum testarentur sese vivere, neque cursu properarent solito. Sed & musca hoc intuitu ad mulam carruchariam apud Phædrum nostrum:

Quam tarda es, inquit, non vis citius progredi?

Optime, *non vis*, & cum increpatione quadam, velut quæ officium deserat suum. Neque opus, ut mutetur, quando & alii hoc verbo sic utuntur. Senec. ep. 47. *Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum?* Plinius lib. IX. ep. 17. *Vis tu remittere aliquid ex rupis?* Fuit autem ea currendi consuetudo vetus: Nam & de Medeæ curru mulisque Apollonius lib. III. v. 884. ubi egredientem urbe describit: Item mox, cum revertitur, v. 1154.

Θυμὸν ἐπειγόμενοι ποτὶ δώματα. ——

Festini proruebant & ad ædes. Ipse Homerus suis temporibus mulas Nausicaæ facit currentes. Odyss. Z.

Αἱ δ' εὖ μὲν τρώχων, εὖ δὲ πλίσσοντο πόδεσσιν.

Illæ scite currebant, & pulchre penetrabant pedibus. Erat porro iter vel antrorsum, vel retrorsum. Illud vel in rectum, vel in latera. Retrorsum fiebat ex metu fere lapsus, aut alterius incommodi obstaculive, atque tum *retorquere currus* dicebantur. Virg. XII.

Aversos toties currus Juturna retorsit.

Servius: *Aversos retorsit, pro retorsit & avertit.* Bene, antecessit enim retorsio, sequebatur aversio. Quod si aversi currus fuissent, non erat opus, ut retorquerentur. Statio divisim est *retro torquere* lib. VI. Theb.

—— *Cum fræna ipsosque frementes*
Oblitus palmæ retro Tyrinthius heros
Torsisset. —————————

Antrorsum fiebat, cum iter esset commodum, nec quid impediret. Ac primum quidem in rectum, quod fere communiter est *currus agitare.* Quomodo Virgilius lib. III. Georg. de certamine curruli, in quo itinere recto decurrebant:

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Luciano hoc ὀρθὴν ἐλαύνειν. Ita namque habet in sæpius laudato Dialogo Jovis & Solis: Εἶπον δὲ καὶ ἡλίκος ὁ κίνδυνος, εἰ μὴ ὀρθὴν ἐλαύνοι. *Dixi etiam, quantum periculum foret, si non recta via currum ageret.* Deinde in latus dextrum vel sinistrum, quod Latinis *flectere vehiculum.* Livius lib. I. cap. 48. *Flectens carpentum dextra in Orbium clivum.* Sic legendum ibi docuit celeberrimus Gronovius. Et profecto Tullius quoque in Verrinis *flectere curru de foro in Capitolium* usurpavit, quod non multum discrepat. Homero παρατρέπειν esse videtur, illo versu Il. Ψ.

Ἀντίλοχος δὲ παρατρέψας ἔχε μώνυχας ἵππους
Ἐκτὸς ὁδοῦ. ——————

Antilochus autem flectens impellebat unungulos equos extra viam. Quod si cursus in incertum esset orbem, aurigæ currum dicebantur *versare.* Virgil. lib. XII. Æn.

—— *Tu currum deserto in gramine versas.*

Servius hoc loco: *Versas, huc atque illuc agis. Homerus* ἔστρεφον. Docet simul, Græcis, nominatimque Homero, istoc esse στρέφειν. Si in certum, Græcis est περιελαύνειν. Quod ex Æliano nostro discimus, qui sic habet de Anniceri lib. II. v. Hist. cap. 27. Ζεύξας τὸ ἅρμα περιήλασεν ἐν Ἀκαδημίᾳ δρόμους παμπόλλους. Ut vero promptius hæc facerent aurigæ, vocem fere addere solebant, eamque modo hanc, modo illam, pro negotii diversitate. Docet Claudianus in toto epigrammate de mulabus Gallicis. Imprimis autem ista pulchra sunt & huc pertinentia:

Læva jubet, lævo deducunt limite gressum,
Mutavit strepitum, dexteriora petunt.

Recte vocat *strepitum* vocem illam aurigarum, quia fit peculiari murmure sonove, eoque alio & alio. Si augendus erat cursus, tollebatur clamor. Unde Homer. Il. Ψ.

Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν, ὁμόκλησάν τ' ἐπέεσσιν.

Percusserunt flagellis, clamaruntque verbis. Statius Theb. VI.

Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera; Voce
Nominibusque cient Pholoen Admetus & Irin.

Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Jumenta cum omnia solo fixa ac si ænea signa riguissent, tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde sonantibus nihil penitus movebantur.* Solebant autem aurigæ vel sedere in vehiculis, vel juxta ea ambulare. Insedisse constat vel ex Suetonio, qui sic habet in Flavio cap. 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse.* Non intelligitur desiliisse, nisi qui sedit antea in vehiculo. Sic apud Homerum Mercurius vehiculum Priami ducturus conscendit. Verba Poetæ sunt Il. Ω.

Ἦ καὶ ἐπαΐξας ἐριούνιος ἅρμα καὶ ἵππους
Καρπαλίμως μάστιγα καὶ ἡνία λάζετο χερσίν.

Dixit, & exsiliens Mercurius in currum & equos statim flagella & habenas accepit manibus. Atque sic solebant plerisque in vehiculis, illis maxime, quibus utebantur in longinquis itineribus. Sed & in bellicis hoc obtinuit, quod liquet exemplo Minervæ apud eundem, Sthenelum submoventis a vehiculo Diomedis in prælio, ejusque occupantis locum. Poeta sic exponit Iliad. E.

———— Ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσε
Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παρὰ Διομήδεα δῖον.

Hic autem (Stheneleus a curru amotus a Minerva) *confestim desiliit. Hæc vero* (Minerva) *in currum adscendit ad Diomedem nobilem.* Locus vero eorum erat sella prima. Phædrus noster lib. III. cap. 7.

Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Jugum flagello temperat lento meum.

Agere de auriga, manifestum est. Ergo sedere illum sella prima facile colligitur. Dicta porro sella prima numeri respectu credi potest, cum vehiculum haberet plures, sicut fere habuerunt, quibus facere itinera consueverant. Atque hujus explicationis quidem argumentum certum habemus in imagine, quam monumentum vetus exhibet, apud Onuphrium propositum in Antiquitatibus Veronensibus hoc modo:



Quod si quis existimet intelligendum esse militare, in quo tamen mulas junctas alibi non lego, posset prima sella significare primam ejus partem, spectantem ad mulas. Pro sella prima Statius temonem dixit in ejusdem rei memoratione lib. I. Sylv. in Epithalamio, ubi loquitur de curru Veneris:

Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. ——

Quomodo & Virgilius ob hanc caussam Metiscum, Turni aurigam, facit prolabi a temone lib. XII. Æn.

Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longe lapsum temone relinquit.

Nempe sella prima proxima est temoni, sic, ut ipsi immineat, vel incumbat, quod ex imagine præcedenti videmus. Ideo & Propertius istum locum *temonem primum* appellavit lib. IV. eleg. 8.

—— *Ipsa sedens primo temone pependit*
Ausa per impuros fræna movere locos.

Primus temo non est proprie intelligendus, sicut censent viri summi, ac ob id auriga constituendus in temone; Verum primam ejus signat partem, ubi *pependisse* dicitur, hoc est, leviter innixus fuisse, *sedens* non in temone ipso, verum sella, quæ vicina primo temoni, hoc est, parti temonis illi, quæ prima est a vehiculo. Nam *primus temo* ita dictus, sicut *prima labra* apud Ciceronem, & sicut apud Valerium Maximum *prima palus*, sive *primus lacus*, lib. I. cap. 4. ubi perperam *proximum lacum* emendarunt, quod in Notis ad eum ostendetur. Certe etiam in militari-

A bus vehiculis sedisse aurigam, & sedisse prima sella, ante militem seu pugnatorem, docet Curtius lib. IV. cap. 15. quando ait: *Auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est.* At vero cæteris in vehiculis, præcipue urbanis, mulierum usibus servientibus, atque ad splendorem factis, non sedebant, verum ambulabant juxta jugales. Sic enim accipio verba Dionysii Halicarnassei, quæ habet lib. IV. in historia Tulliæ, Tarquinii uxoris: Αἱ ἡμίονοι τὸ πτῶμα ἰδοῦσαι διεταράχθησαν, καὶ ὁ προηγούμενος αὐτῶν ὀρεωκόμος παθών τι ἐπὶ τοῦ ὄψεως ἐλεεινὸν ἐπέστη.
B Vertit Gelenius: *Mulis ad cadaveris conspectum territis, ipse quoque auriga commotus est, &, inbibito ad miserabile spectaculum progressu, oculos in Dominam reflexit.* Quæ obscura sunt & ambigua, cum non appareat, suumne an mularum progressum inhibuerit. Ego propius sequendo Græca sic expono: *Mulæ, cum spectassent cadaver projectum, perterrefactæ sunt, quique ducebat eas, mulio, commotus ad misericordiam eo spectaculo, substitit.* Ipsum mulionem ait Dionysius substitisse. Quomodo vero substitisse intelligetur, nisi prius ambulaverit? Atque ita plane Livius, in eadem historia: *Restitit pavidus, atque inhibuit fræna is, qui jumenta agebat.* Item
C Valerius Maximus: *Is, qui jumenta agebat, succussis frænis constitit.* Ubi nota, ὀρεωκόμον Dionysii ab utroque verti non *aurigam*, verum *eum, qui jumenta agit.* Aurelio Victori est *mulio*, in vita Servii, sive alius est Illustrium Virorum vitas scripto prodens: *Mulionem evitantem per ipsum corpus carpentum agere præcepit.* Ad eundem modum ambulans auriga cernitur in nummo veteri Heraclii Imperatoris, quem vulgavit Lipsius lib. III. de Cruce. Imperator ipse sedet in vehiculo augusto, pedibus ab equorum latere incedit auriga, una manu fræna, altera flagellum te-
D tens. Similiter ambulantem exhibet pictura vetus in Notitia Imperii prope equos in carrucha Præfecti Urbis. Neque aliud voluisse videtur Seneca ep. 87. quando de mulione illius vehiculi, quo ipse faciebat iter: *Mulio excalceatus non propter æstatem.* Certe alias excalceatos fuisse ostendit propter æstatem, quibus suum hunc opponit. At si propter æstatem, consequens videtur, quod non sederint, sed ambulaverint, cum sedentibus in vehiculo calcei non potuissent esse molesti. Et hoc quidem munus fuit aurigarum. Ipsi generis vilissimi plerumque extiterunt, ac sæpissime
E servilis. Unde Martialis lib. XI.

Mulio viginti venit modo millibus Aule.

Et Labeo in l. 60. ff. Locati: *Servum meum mulionem conduxisti.* Liquet, habuisse servos muliones, eosque non sibi solum, sed & aliis, quos certo pretio elocabant. Eratque hoc frequentissimum, præsertim in urbe, propter frequentissimum vehiculorum usum. Quare quoque inter ministeria urbana numeravit Paulus l. 99. ff. de Leg. 3. *Muliones*, ait, *de urbano ministerio sunt.* Erant tamen aliquando & liberi, varieque suam
F operam elocabant aliis. Hinc *quartarii* nonnulli dicti, de quibus Festus: *Quartarios appellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quæstus capiebant.* Non ostendit, cujus quæstus partem quartam cœperint. Sed verisimile videtur ejus intelligere, quem faciebant, qui elocabant mulas. Apud Senecam in ludo Claudii sunt *perpetuarii*, joco, ut existimant, conficti. Quanquam nil prohibeat sic vulgo dictos credere, qui statis temporibus faciebant iter ex Galliis in Italiam per totum annum. Cum præsertim memo-

moret hic Lugdunenses & Lugdunum, quo frequenter solenniterque contendisse etiam ex Claudiano colligitur. Aliquando hoc negotium obibant etiam, qui in magna erant dignitate. Sic profecto apud ipsum etiam Homerum Nausicaa, apud Apollonium Medea mulas regunt. Dionysius Siciliæ tyrannus, cum ad eum venisset Plato, ipse vehiculum duxit, cui habuerat impositum. Ælianus noster lib. IV. Hist. Var. cap. 18. Καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραιβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Αρισώνος. *Et sustulit eum in currum Dionysius junior, ipse habenas regens, Aristonis vero filium faciens sessorem.* Heliogabalus Imperator τοὺς τε Θεοὺς αὐτοῦ ἐπὶ ἅρματι χρυσῷ καὶ λευκοῖς ἑξαζύγοις ἵπποις ἀναβιβάσας αὐτὸς ἡνιόχει, ait Joannes Antiochenus, hoc est, *Deorum suorum simulacrum aureo impositum vehiculo trahentibus equis sejugibus eximii candoris deducebat, ipse aurigam agens.* Quin imo ipsa Juno ita ducit Minervam, & Minerva Diomedem, apud supra laudatum Homerum Iliad. E. Neç fortasse mirum est, cum inter artes non profecto minimas aurigatio numeraretur. Liquet exemplo Anniceris, de quo Ælianus noster lib. II. Var. Hist. cap. 27. Αννίκερις ὁ Κυρηναῖος ἐπὶ τῇ ἱππείᾳ μέγα ἐφρόνει, καὶ ἁρμάτων ἐλάσει. *Anniceris Cyrenensis ob artem equitandi & regendi currus multum superbiebat.* Fuit hic Anniceris Philosophus, & tamen arte ista sese ostentavit, quod non potest credi fuisse facturus, nisi vulgo artem magnam & laudabilem existimassent. Neque sane dubium, præsertim de aurigatione illa, qua in Circo ludisve aliis currulibus utebantur. De qua loquens Nestor etiam apud Homerum Iliad. Ψ.

Μήτι δ' ἡνίοχος περιγίνεται ἡνιόχοιο.

Arte auriga superat aurigam. Nec ambigit vir ætate usuque rerum spectatissimus, hanc artem ipse ibi docere filium suum, perque hoc propriam illius ostendere peritiam. Quin imo ne postea quidem longo tempore celebrari desierunt aurigæ istiusmodi, ornarique palmis præmiisque aliis. Suetonius de Domitio, abavo Neronis, cap. 3. Ner. *Domitius non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello.* Nero ipse censeri voluit hac arte, quod post etiam alii fecere Cæsares. Et fortasse fuit non omnino contemnendum, quod fecisse Annicerin memorat Ælianus: Περιήλασεν ἐν Ακαδημίᾳ δρόμους παμπόλλους, οὕτως ἀκριβῶς φυλάττων τὸν δρόμου τὸν στοῖχον, ὡς μὴ παραβαίνειν τὰς ἁρματοτροχίας, ἀλλ' ἀεὶ κατ' αὐτῶν ἰέναι. *In Academia circumvectus est multis vicibus, tanta cura custodiens curriculi vestigia, ut non egrederetur orbitas, sed iisdem perpetuo inhæreret.* Lucianus rem eandem commemorans in Encomio Demosthenis sic ait: Φασὶν τὸν Κυρηναῖον ἁρματηλασίαν ἐπιδεικνῦντα, πολλοὺς περὶ τὴν ἀκαδημίαν ἐξελάσειν δρόμους, ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἁρματοτροχίας ἅπαντας, μηδὲ παραβάντα, ὥσθ' ἑνὸς δρόμου σημεῖα κατὰ τῆς γῆς ὑπολείπεσθαι. *Ajunt Cyrenensem demonstrantem aurigandi peritiam multos ante Academiam flexus, omnes in eadem orbita, nec ullatenus exerrans, ut unius tantum itineris in terra vestigia relinquerentur.* Δρόμους hic uterque vocat vehiculi incessus sive cursus. Αρματοτροχίας vero, vias in terra. Apud Hesychium compendiosiori scriptura sunt ἁρματροχίαι. Ita namque habet: Αρματροχίαι, αἱ τῶν τροχῶν ἐν τῇ γῇ ἀποχαράξεις. *Harmatrochiæ sunt rotarum in terra notæ.* Latini *orbitas* appellavere proprio vocabulo. Glossæ veteres: Αρματοτροχιά, ἡ χάραξις τοῦ τροχοῦ, *orbita.* Asconius ad Verrinam III. *Orbita, vestigium rotæ.* Quod χάραξιν Glossarum auctor, Hesychius ἀποχαράξιν, id Asconius *vestigium* interpretatur. Atque ita Isidorus: *Orbita, vestigium carri, ab orbe rotæ dicta.* Sensit & Ovid. II. Met. f. I.

Hac sit iter, manifesta rotæ vestigia cernes.

Sunt & τροχιαί. Hesychius: Τροχιαὶ, αἱ τῶν τροχῶν χαράξεις. Per hæc igitur vestigia orbitasque perpetuo tenore incedere, Anniceris exemplo, res erat non cujuslibet, sed exercitati, artemque edocti, quam Ælianus ἔλασιν ἁρμάτων, Lucianus junctim ἁρματηλασίαν appellavit. Ut nunc nihil dicam de cæteris, quæ peculiariter in Circo ludisve similibus observari debebant. Quibus omnibus haud dubie Anniceris valebat, cum præsertim esset Cyrenensis, Cyrenensesque arte hac ante alios populos præstarent. Maximus Tyrius Dissert. VII. Παιδεύματα Κρητικὰ, θῆραι, ὀρειβασίαι, τοξεῖαι, δρόμοι. Τὰ Θετταλὰ, ἱππική. Τὰ Κυρηναϊκὰ, διφρεῖαι. *Instituta Cretica, venari, superare montes, sagittare, currere. Thessalica, equitare. Cyrenaica, aurigare.* Pari modo Stephanus in Βοιωτία ex Ephoro: Εφορος δέ φησιν, ὅτι Κυρηναῖοι περὶ τὴν διφρελατικὴν ἐπιστήμην ἠχόληνται. *Ephorus ait, quod Cyrenenses circa scientiam currulem fuerint studiosi.* Ubi nominat διφρελατικὴν ἐπιστήμην, quæ ἔλασις ἁρμάτων atque ἁρματηλασία cæteris scriptoribus. Putabatur autem ars hæc inventa primum a Minerva, traditaque Barcæis. Ita namque Hesychius in Βαρκαῖος ex Mnasea: Τὸ δὲ ἡνιοχεῖν ὑπὸ Αθηνᾶς ἔμαθον, ὡς Μνάσεας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης. *Aurigandi artem didicerunt a Minerva, ut ait Mnaseas in libris de Libya.* Pari modo Stephanus in Βάρκη, qui & ipse habuit ex Mnasea, ut videtur: Ηνιοχεῖν δὲ παρὰ Αθηνᾶς ἔμαθον. *Aurigandi artem vero a Minerva didicerunt.* A Barcæis venisse ad Cyrenenses Libyasque cæteros videtur. Nam & Barce vicina est Cyrenes. Unde Sylius lib. III. conjungit:

—— Barce sitientibus arida venis,
Nec non Cyrene. —— ——

Et Barcæum idem, quod Libycum. Suidas: Βαρκαίοις. Λιβυκοῖς. Βάρκη γὰρ πόλις Λιβύης. *Barcæis, Libycis. Nam Barce urbs Libyæ.* Sed & currus Barcæi dicti, qui alias Libyci. Hesychius: Βαρκαίοις ὄχοις, Λιβυκοῖς. Quod eruditissimus Bochardus vidit jam ex Sophoclis Electra didicisse. Quanquam autem aurigarum munus viri aliquando magni obirent ipsi, tamen in vehiculis plerisque hoc negotium committebatur aliis, iisque fere vilioribus. Cæterum, aurigæ quando ex quacunque caussa omittebant munus suum, aliorum ritu arma sua, id est, lora, flagella, pectines, & id genus, suspendebant Diis, Castori præsertim & Polluci, donaria. Quod discimus ex parodia veteri, quæ est inter Catalecta Virgiliana de Sabino, ubi Poeta:

—— Propter hoc novissimum
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere, nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

Scaliger τὸ *proximum* suspectum habet, atque *ploximum* substituit. Nequicquam, ut opinor, quando *ploximumque pectinem* non possunt cohærere. Præterea hic *proximum* perinde videatur positum, ut superius *novissimum*. Qui vero vehebantur

in vehiculis, Græcis παραβάται sunt, quemadmodum ex Æliano cernimus. Nam is usurpavit non de iis, qui utuntur curru bellico, quod Poetæ fere faciunt, sed de aliis quibuscunque. Atque ad hunc modum Hippodamum παραιβάτην nominat & Apollonius lib. I. v. 754. Dionysio Halicarnassensi lib. VII. sunt παροχούμενοι; Aristophani simpliciter ὀχούμενοι in Pluto. Aliis dicuntur ἔποχοι. Hesychius: Ἔποχος, ὁ ἐπὶ τοῦ ὀχήματος. Ἔποχοι, οἱ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων ἐπιβαίνοντες. Latini una voce non appellant. Vitruvio lib. X. cap. 14. sunt *sedentes rheda*. Ciceroni *vehentes curru*, qui sic habet in de Clar. Or. *Sed in te intuens, Brute, doleo, cujus in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit fortuna.* Hi cum itineris faciendi caussa eniterentur in vehiculum, dicebantur *conscendere*. Ovid. III. Trist. el. 8.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum.

Suetonius usurpavit *adscendere* cap. 2. Tiberii: *Fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est.* Plautus etiam *inscendere* in Asinaria, ubi ait: *Quadrigas si nunc inscendas Jovis, atque hinc fugias, &c.* Græcis hoc est ἐπιβαίνειν ὀχήματος. Lucianus in Somnio: Ἐπίβηθι τούτου τοῦ ὀχήματος. Herodianus lib. IV. cap. 12. Τοῦ ἅρματος ἐπιβαίνοντι προσκομίζουσι, &c. At Homerus etiam ἐμβαίνειν ὀχήματι usurpavit, Il. E.

Ἵπποισίν μ' ἐκέλευε καὶ ἅρμασιν ἐμβεβαῶτα.

Lucas ἀναβαίνειν maluit Actor. cap. 8. Παρεκάλεσέ τε τὸν Φίλιππον, ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ. Quod si non sua, verum aliena ope vel licentia veniebant in vehiculum, *tolli* dicebantur. Cic. III. de Nat. Deor. *Sol in currum Phaetontem filium sustulit.* Sic Horat. II. sat. 6.

——— Quem tollere rheda
Vellet iter faciens, & cui concredere nugas.

Et Ovidius Fastorum lib. VI.

At Dominus, discedite, ait: plaustroque morantes
Sustulit, in plaustro sirpea lata fuit.

Græcis hoc ἀναβιβάζεσθαι. Lucianus in Dial. Sol. & Jov. Ἀναβιβασάμενος ἐπὶ τὸ ἅρμα, ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτόν. Micyllus ita vertit: *In currum impositum submonui, quo pacto oporteret insistere viæ.* Verum ἀναβιβασάμενος non est *impositum*, nec ad Phaetontem refertur, sed ad Solem. Quare mallem: *Tollens vero ipsum in currum, &c.* Philostratus pro eo usurpavit ἀναθέμενος. Sic enim loquitur in vita Dionis: Τραϊανὸς ἀναθέμενος αὐτὸν ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, &c. Æliano nostro est ἀνάγειν ἐς vel ἐπὶ τὸ ἅρμα. Verba ejus lib. IV. cap. 18. Ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος. Jam, postquam conscendissent, currum dicebantur *occupare*. Ovidius II. Met. 2.

Occupat ille levem juvenili corpore currum.

Occupat hic non est conscendit, verum tenet, quod ex eo liquet, quia currus levis dicitur corpore ipsius, etiam dum occupat. Non autem levis gravisque dici potest currus hoc respectu quidem, nisi corpus comprehendat. Livius pro eo dixit *vehiculo sedere*. Verba ejus lib. I. cap. 34. *Ei carpento sedenti, cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert.* Cicero addit præpositionem lib. V. Att. 8. *Hanc epistolam dictavi, sedens in rheda.* Græcis est καθῆσθαι ἐπὶ τοῦ ἅρματος. Lucas loco superius laudato: Ἦν τε ὑποστρέφων, καὶ καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος. Iter porro erat vel tardum, vel concitatum. In illo dicebantur *ingredi*. Tac. XII. Ann. 42. *Carpento Capitolium ingredi, qui mos est Sacerdotibus.* Suet. Tib. cap. 9. *Quas ob res ovans, & curru urbem ingressus est.* In hoc *volare*. Cicero pro Rosc. *Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavi.* Item *rapi*. Plaut. Pœnulo I. f. 2. *Ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.* Juvenal. f. VIII.

—— Volucri Carpento rapitur pinguis Lateranus. ——

Vehi ad utrumque genus pertinet. Inde habes apud Tullium Philipp. II. *Cisio celeriter ad urbem vectus.* Et apud Ovid. IV. Trist. el. 2.

Hos super in curru Cæsar victore veheris.

Portari dixit Cornelius Nepos in Phocione cap. 4. *Cum propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculoque portaretur.* Quin imo aliquando ipse currus vehere quem dicebatur. Ovid. Fast. I.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.

Quod si via salebrosa esset, vel alias accideret, ut e vehiculo dejicerentur, *excuti* dicebantur. Ovid. XV. Met. f. I.

Excutior curru. ——————

Item *versari*. Jul. Firmicus lib. VIII. cap. 17. *Aut vehiculo versatus vel enervatus interibit.* Currus vero ipse *everti*, sive id fieret hominis vel aurigæ culpa, quomodo ait Ulpianus loco alias laudato: *Si cisiarius, dum cæteros transire contendit, cisium everterit:* sive vitio equorum, quomodo ait Curtius lib. IV. cap. 15. *Equi crebra jactatione cervicum etiam currus everterant.* Ac posterius quidem στρέφεσθαι vel στρέφειν Græcis. Ita namque reddunt Ulpiani verba Basilicorum Auctores: Εἰ ἁμαξάριος στρέψει τὴν ἅμαξαν. Prius vero ἐκκυλισθῆναι. Homer. Iliad. Ψ.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο παρὰ τροχὸν ἐξεκυλίσθη.

Ipse vero ex curru juxta rotam excussus est. Luciano est ἐκδιφρεύεσθαι. Verba sunt de Phaetonte in Dial. Jovis & Solis: Ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ, ἵνα περ ἔπεσεν ἐκδιφρευθείς. *Juxta Eridanum, quo loco decidit curru excussus.* Ne quid vero tale fieret, aurigæ præsertim quærebant vitare, votis etiam conceptis, imploratisque Diis semitalibus, qui viarum & itinerum habere curam credebantur. Huc allusit auctor Parodiæ veteris de Sabino, quæ est inter Catalecta, ubi inter alia de Sabino auriga sive mulione:

Neque ulla vota semitalibus Deis
Sibi esse facta. ———

Cæterum, ad conscensum viri fere utebantur saltu. Ausonius epigramm. 8.

Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

Virgilius lib. XII. Æn.

——— Saltuque superbus
Emicat in currum. ———

Neque aliter intelligendus est Homerus Iliad. Ω. ubi agit de Mercurio vehiculum Priami conscendente loco aurigæ:

Η, καὶ ἐπαΐξας ἐριούνιος ἅρμα καὶ ἵππους.

Est enim ἐπαΐξας, ἀΐξας ἐπὶ τὸ ἅρμα, ut Eustathius exponit, quod non est *irruens*, ut vertunt vulgo, verum plane *insiliens*. Quomodo Plutarchus habet in Pompejo: Ἐπὶ δὲ Πομπήϊον εὐθὺς ἀΐξας. At vero fœminæ videntur habuisse scalas. Plutarchus in de Adulat. Οὐδὲ γὰρ τὰς ἐν Κύπρῳ κολακίδας ἐπειδὴ διέβησαν εἰς Συρίαν, κλιμακίδας προσαγορευθείσας, ὅτι ταῖς γυναιξὶ τῶν βασιλέων ἀναβαίνειν ἐπὶ τὰς ἁμάξας δι' αὐτῶν ὑποκατακλινόμεναι παρεῖχον. *Neque adulatrices Cyprias, quæ, postquam in Syriam transiverunt, climacides* (quasi scalares diceres) *appellatæ sunt, quod Regum uxoribus vehicula conscendere volentibus se substernerent, adscensumque eis præberent*. Sane, nisi scalas quasdam habuissent vulgo, saltem delicatiores, fœminis istis scalariarum nomen indi non videtur potuisse. Tempus conscendendi, maxime in meritoriis vehiculis, significabat mulio virgæ aut flagelli crepitu. Juvenalis respexit sat. III. istis verbis:

Sed jumenta vocant, & Sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Adnuit: ergo vale, nostri memor. ——

Jam sicut adscendebant viri saltu, ita saltu descendebant quoque. Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. de militibus vectis rheda fiscali: *Qua permoti injuria militantes, præcipitatis in terram saltibus, se dederunt*. Ovidius lib. XII. Met. f. 3.

Tum vero præceps curru fremebundus ab alto
Desiliit. ——— ———

Pariter legas apud Homerum Il. Ψ.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε παμφανόωντος.

Ipse autem e curru humi desiliit nitido. Similiter Il. E. de Sthenelo:

——— Ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως χθόνα βῆσε.

Hic autem confestim desiliit. Et hi quidem sunt præcipue, ad quos res currulis pertinet. At qui currus fabricant, sunt *carpentarii*. Mentio eorum in notitia artificum urbis Romæ, quæ proponitur in l. C. de Excusatione artificum. Unde simul patet, alios hos esse carpentarios, alios illos, quos superius commemoravimus. Certe, quomodo aurigæ inter architectos, medicos, pictores, statuarios, marmorarios, & id genus, numerari queant, non dispicio. Ita ergo erunt, qui Polluci ἁρματοπηγοὶ & ἁμαξοπηγοί. Verba ejus: Καὶ ἁρματοπηγὸς δὲ καθ' Ὅμηρον προσήκοι ἂν τεκτονικῇ καὶ ἁμαξοπηγὸς εἴποις. Homeri locus, ad quem respicit, est Il. Δ. ubi Scholiasti veteri exponitur, ἅρματα συμπηγνύων. Hesychius: Ἁρ-

A ματοποιός, τέκτων, ἢ ἁρματοπηγός. Suidas nominat ἁμαξουργούς. Verba ejus: Ἁμαξουργοί. Ἁμαξουργοὺς λέγουσι τοὺς ἀγριοπηγούς. Εἶδος δὲ οἱ ἀγριοπηγοὶ τεκτόνων, οἳ τὰς ἁμάξας κατασκευάζουσι, καὶ πάντων τῶν ἀγρίων ξύλων εἰσὶν ἐργάται. Ubi nota, etiam vocatos esse ἀγριοπηγούς, quod feras distortasque cunctas arbores in usus suos converterent. Quanquam forte carpentarius sit proprie, qui carpenta facit, quomodo *trigarius*, qui trigas, *cisiarius*, qui cisia, quorum itidem vocabula in notitia illa leguntur. Verba sese habent isto modo: *Carpentarii, sculptores, dealbatores, cusores,* B *trigarii, cisiarii, bractearii, &c.* Omnes mea opinione sunt artifices, qui fabricare pertinentia ad currus consueverunt. Nam & sculptores sculpebant, & dealbatores pingebant, & cusores armabant ære ferrove, & bractearii inducebant ebore, argento, auro. Carpentariorum mentio etiam in l. 31. lib. VIII t. 5. Cod. Theod. ex qua liquet, certos ad cursum publicum destinatos fuisse, habuisseque vestem & annonas ex publico. Num & habuere, qui peculiari arte onerarent, sicut hodie habere solent? Certe non cujusvis est, diversi præsertim generis, onera sic in vehiculo componere, ut & firma jaceant, & C pondere suo cursum vehiculi laboremq; jumentorum promoveant. Quare non magnopere dubitare possum. Quanquam sæpe ipsi facerent plaustrarii. Unde apud Ulpianum lege Aquilia tenetur plaustrarius, *si male composuit lapides, & ideo lapsi sunt e plaustro*, l. 22. ff. ad L. Aquil. §. 33. Memoratur in vetustis Glossis aliquis ζεύκτης, vertiturque *junctor*, forsitan, quod in jungendis mulis ad vehiculum præstaret suam operam. Nam & in alio Lexico titulo de artificibus legitur: *Junctor*, ζεύκτης. Apud Columellam lib. I. cap. 6. *jugarius* videtur: *Lata bubilia esse oportebit pedes decem, vel minime novem, quæ mensura & ad* D *procumbendum pecori & jugario ad circumeundum laxa ministeria præbeat.* Hic jugarius videtur esse, qui adjungit boves jugo. Nisi malis capere pro eo, qui jugarios boves curat. Quomodo jugaria fuit Juno, quæ jugatos sive conjugatos curare homines putabatur. Pertinent huc quoque, qui Latinis dicti *veterinarii*, a veterinis, id est, jumentis, quæ qualiacunque vehunt onera. Nam Cato generaliter exponit apud Festum. Festus ita dicit: *Veterinam bestiam jumentum Cato appellavit a vehendo.* Paulo quidem aliter Opilius eodem loco: *Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat.* E Loquitur haud dubie Opilius de jumentis non vehicularibus, sed clitellariis; Solebat enim onus impositum clitellis religari uno fune ad ventrem, altero ad uterum sive imam ventris partem, sicut hodieque receptum est in mulis clitellariis. Sic veterina bestia non erit curilis, aut jugata. Verum latius interpretatur Cato, & invenias apud Philoxenum, *veterina bestia*, ὑποζύγιον, quod proprie significat eam, quæ sub jugum mittitur, hoc est, vehiculo adjungitur. Juvat quoque Plinius lib. XVII. cap. 23. quando de ipsis: *Namque ut veterina a jugo volutatio juvat.* Nam volutatio F a jugo est, qua se volvunt in pulvere, postquam liberata sunt a jugo. Non autem liberata a jugo intelliguntur, nisi quæ prius sub jugo fuerunt. Ab his ergo veterinis sunt veterinarii, qui jugalium hujusmodi gerunt curam. Meminit eorum Columella lib. XI. cap. 1. *Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus fossor aut fœni sector, nec minus arborator & vinitor, tum etiam veterinarius.* Ubi videtur intelligere eum, qui quocunque modo notitiam habet bonam veterinorum, eaque scit probe curare. Quanquam fere alibi

accipiat specialiori notione pro jumentorum medico, nec jumentorum modo, sed & pecoris cujuslibet. Unde lib. VI. cap. 8. agens de boum quodam morbo, unde fastidium eis oritur: *Vitiosa incrementa linguæ, quas ranas veterinarii vocant.* Et lib. VII. cap. 5. ubi agit de morbis ovium: *Ovem pulmonariam similiter & suem curari convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant.* Alias sunt *mulomedici*. Jul. Firmicus lib. VIII. cap. 13. *Hoc Oriente qui natus fuerit, aut erit auriga, aut equorum nutritor & cultor, vel eorum exercitator, aut mulomedicus vel equitiarius.* Hinc habes crebro eorum mentionem in Cod. Theodosiano inter ministeria cursus publici. Ut, l. 31. *Nec mulionibus, nec carpentariis, nec mulomedicis, cursui publico deputatis.* Græcis sunt *ἱππίατροι*. Glossæ veteres titulo de Divitiis: *Mulomedicus*, *ἱππίατρος*.

CAP. XVIII.

De vario vehiculorum usu.

Usus vehiculorum generalis. Initio adhibita in agris. Plaustrum inter sydera. Post in itineribus. Mulieres potissimum vehiculis quondam usæ, post promiscue adhibita. Romæ ad hoc rhedæ meritoriæ. Harum usus rarus ad portanda onera. Vehicula sacra Deorum, ut quadrigæ Jovis. Livius emendatur. Item Solis. Thensæ Alia. Ficta Poetarum vehicula Jovis, Junonis, Saturni, Rheæ, Neptuni, Protei. Natalis Comes atque Erythræus notantur. Martis. Demsterus notatur. Veneris, Dianæ, Plutonis. Color cæruleus. Cereris, Bacchi, Solis. Sol quadrigas primum invenisse credebatur, & quare. Natalis Comes iterum notatur. Currus Auroræ. Aurora pro Sole. Gyraldus rejectus, & emendatus Fulgentius, ac Hyginus. Currus Lunæ. De Ausonii loco nova sententia. Juvencæ. Currus Noctis. Vehicula Olympica & Circensia. Quibus Diis dicata fuerint. Tertullianus explicatus, ejusque vetus lectio defensa. Equus venetus, prasinus. Vehicula vera Diis consecrata. Quædam ad verorum effigiem in fastigiis ædium sacrarum collocata. Vehicula ad portandas res sacras in pompa Circensi & Bacchi. Ad gestandos Sacerdotes. De sensu Taciti suspicio. Vehicula Regum apud gentes multas, aliorumque honoratiorum. Romæ Præfecti Prætorii & urbis, Vicarii urbis, Consulum, Senatorum. Gellii locus expensus. Currus ob præclara merita. Ἅρμα pro equo. Currus Victorum Olympicorum, Triumphantium. Currus ob animi constantiam, & fidem. Currus honoris caussa missus ob viam. Recepti ab illis in currum ob honorem. Currus datus ob sexus reverentiam matronis, item Sponsæ in nuptiis. Brissonius notatur. Currus ænei, marmorei, & id genus, honoris gratia, decret. Triumphantibus, eis quoque, qui publicum præbuissent munus, quales simul curru vecti per Circum. Currus honorarii alii, etiam cum elephantis. Currus ludicri in Abaco. Currus ad comœdias, medicinam. Ἰατρὸς ἐπιδίφριος. Ad litterarum deportationem. Diploma ei rei. Cursus vehicularis non est idem cum angariis. Veredi. Vehicula domicilii & habitationis. Justini lectio defensa. Plinius emendatus. Vehicula cubiculorum vice. Vehicula ad exercitationes corporis, gestationes in porticibus. Vehicula ad recuperandam valetudinem. Ad sublevandas membrorum infirmitates, pedum, oculorum, ætatis. Ad deportandos defunctos honoris gratia, vel minuendos sumptus, vel ad contumeliam, vel ob necessitatem ex multitudine funerum, aut longinquitatem viæ. Currus ad supplicia. Trahi, discerpi quadrigis. Hercules num auctor hujus rei. Πῶλοι, equi. Lipsii emendatio Senecæ rejecta. Comminuti plaustris. Rotæ supplicium. Gallicula. Barthius notatur. Rota Græcanica longe alia, quam Germanorum. Erasmus, Frischlinus, Rhodiginus notati. Ignis & flagella cum rota. Vehiculis impositi per infamiam. Vehicula ad prælia. Διφρίαι variæ, quidque notent. Pollux explicatur. Persica, Libyca, Cyrenaica διφρία. Vehicula in munimentum castrorum, ad securitatem itinerum, defensionem in pugna, portationem machinarum, & armorum militarium, superanda flumina, excludendos hostes a persecutione diuturniori, & id genus.

Usus vehiculorum in humana vita fuit varius & multiplex. Unus generalis ad portanda onera, transferendaque ea de loco uno in alium. Sed cum ea onera non sint generis unius ejusdemque, inde nati usus alii aliique pro diversitate finium, ad quos ea onera referebantur. Primum omnium in agris usurpata videntur ad expedienda opera rustica, quæ carere nequeunt subsidio vehiculorum. Ac fortassis hæc est caussa, quod in cœlos ipsos astraque transtulerint. Nam quod sydus ursam vulgo nuncupant, id initio plaustrum est vocatum. Mansitque illa appellatio apud gentes fere omnes, omnium saltem gentium agrestes rusticosve, quos primos observasse sydera propter cultum agrorum non est vero alienum. Hyginus lib. II. Poet. Astr. in Arcto minori: *Majorem arctum complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græce appellarunt.* Et post pauca: *Initio qui sidera perviderunt, & numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non arctum, sed plaustrum nominaverunt.* Plaustrum ergo sydus illud non Latinis modo antiquissimis, sed & Græcis, qui vocarunt *ἅμαξαν*. Idem Arabes & Hebræi vetustissimi fecere, ut testatur Scaliger ad Manilium, neque alia est consuetudo gentium Germaniæ magnæ omnium mirabili consensu. Adeo non potest dubitari de antiquo hujus rei usu. Post vehicula videntur usurpata in itinere. Plaustris sane seu vehiculis Jacobum, patrem suum, & uxores fratrum liberosque ad se adduci ex Mesopotamia in Ægyptum curasse Josephum legimus Gen. XLVI. Quo tamen ex loco colligat fortasse quispiam, nec inepte, mulierum olim senumque usui potissimum fuisse destinata, viros juvenesque pedibus plerumque iter consuevisse facere. At sequentibus temporibus promiscue cesserunt omnibus. Ita Naaman Syrus vehiculo facit iter in Judæam, de quo lib. IV. Reg. cap. 5. *Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæ.* Similia legimus de Thesaurario Candacis, Reginæ Æthiopum, in Actis, cap. 8. *Et revertebatur sedens super currum suum.* Vel, ut Græca habent, *καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος αὐτοῦ*. Eadem Græcorum fuit consuetudo. Nam vehiculo & Pisistratus profectus est in prædia vicina teste Herodoto lib. I. & Triptolemus totum fere orbem pervagatus, quod Hyginus docet. Latini vehiculis frequentissime sunt usi ad itinera, viri fœminæque. Tarquinius mox circa initia urbis ab Sabinis Romam proficiscitur *carpento sedens cum uxore*, quæ sunt Livii verba. Neque aliter deinde factum. Cicero de se ipso lib. V. ad Attic. epist. 17. *Hanc epistolam dictavi sedens in rheda, cum in castra proficiscerer.* Adde lib. VI. ad Attic. ep. I. ubi habet paria de Vedio.

Plinius quoque de se lib. X. epist. 26. *Nunc destino partim onerariis navibus, partim vehiculis provinciam petere*. Ac habebant ideo recentioribus temporibus Romæ atque alibi, qui rhedas & id genus elocarent eo fine sub mercede, quæ proinde *meritoria vehicula* nuncupabantur. Suetonius in Julio c. 50. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expetitus meritoria rheda, centena passuum millia in singulos dies*. Et in Caligula cap. 39. *Quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis*. Tanquam singulare quid commemorat, quod vehiculis meritoriis sit usus Cajus ad deportationem instrumenti ejus. Nempe alias non ad res, sed homines, nec gestationem, sed profectionem pertinebant. Cæterum, ut hi duo modi primi antiquissimique fuerunt, quibus constitit vehiculorum usus, ita postea divisi sunt in varias multiplicesque species pro diversitate negotiorum pertinentium vel ad pacem, vel ad bellum. Ac in pace quidem primum vehicula usurpata in sacris, tributaque Diis ipsis. Tale ἅρμα Διὸς ἱερὸν, *currus Jovi sacer*, apud Herodotum lib. VII. quem religione summa colebant Persæ, inque itineribus & expeditionibus secum habebant Reges. Curtius lib. III. cap. 3. in pompa Darii: *Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi*. Ubi nota equos albos in hoc curru solennes. Atque sic receptum fuit etiam aliis, maxime Romanis. Ideo vitio Camillo datum, quod hoc genere equorum usus esset in vehiculo triumphali, tanquam æmulatione quadam Jovis, ἱερὸν γὰρ ἡγῆντο τὸ τοιοῦτον ὄχημα τῷ βασιλεῖ καὶ πατρὶ τῶν θεῶν, *sacrum enim tale vehiculum habent Deorum patri & Regi*, ut Plutarchus in Camilli vita loquitur. Livius lib. V. cap. 23. de eadem re: *Curru equis albis juncto urbem invectus: Parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant*. Ostendit & ipse, albos equos proprios putatos Jovi. Verum nescio, an integra sint loci hujus verba. Cui enim hic æquiparatur Dictator? Utrum equis? Quomodo? Nec enim intelligitur, imo ne quidem eis Livius æquiparatum voluit, sed Jovi. Quare illud *equis* non est casus tertius, sed ultimus. Jam si casus ille ultimus, oratio non est integra, quia nihil est, quod τῷ *æquiparatum* respondeat. Quare puto Livium scripsisse, *Jovi Solique equis æquiparatum*. Fuit nempe vocabulo *Jovi* adnexum *s* ex sequenti voce *Soli*, & quia in secundo casu cœpit legi, etiam vocem Soli eo casu putarunt collocandam. Cæterum, ex verbis Livii apparet, etiam Soli currum Romanos tribuisse, eumque pariter cum equis albis. Ubi vero currus hos habuerint, non liquet. Mihi verisimile videtur, respexisse ad eos, quos circumducebant in pompa Circensi, atque thensas alias vocabant. Sane *thensa Jovis* legitur apud Suetonium in Vespasiano, & ὄχος τῆς Ἀθηνᾶς, id est, *thensa seu vehiculum Minervæ*, item ὄχος Ἄρεος, id est, *thensa seu vehiculum Martis*, apud Dionem in Circensi pompa. Sed & Dii reliqui Deæque, nec non Heroes, & ex hominibus in Deorum numerum relati, sua in Circensi pompa habuisse vehicula compertum est. Quale quid ne Græcis quidem plane incognitum fuisse videtur, quum & Ptolomæus Philadelphus in pompa sua Bacchum aliosque Deos sic traduxerit, ut apud Athenæum lib. V. legitur. Ac fortassis sua res hæc accepit initia ex imitatione sacrorum Judaicorum, cum in iis semel iterumque arca fœderis vehiculo imposita & in locum suum traducta legatur. Ipse David hoc observavit cum suis, de quibus ita lib. II. Sam. cap. 6. habemus; *Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum*. Alias vehicula tributa Diis, sed figmento quodam, a Poetis & Pictoribus. Atque Jovi quidem assignabant quadrigas ipsi quoque. Inde Plautus in Amphitruone.

Quadrigas si inscendas Jovis, nunquam effugies
infortunium.

Ubi nota, his quadrigis summam tribui celeritatem, quod existimant ex eo fieri, quoniam celerrimo curriculo rapi Jupiter ex Olympo in terram, & rursum ex terris in Olympum fingatur. Verum rectius putabimus hoc inde ortum, quia Jupiter non est alius paganis, quam qui vulgo Sol vocatur, cujus cursus est celerrimus. Sed de Sole postea. De Jove ac celeritate currus ejus etiam Lucianus videtur testari, quando currum facit alatum in Piscatore; Ὡς μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. *Ut magnus Jupiter curru vectus alato*. Sumsit Lucianus hoc ex Platonis Phædro, ubi Plato quoque: Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. *Magnus Imperator cœli Jupiter curru vectus alato*. Imitatur & Horatius, quando *volucrem* appellat currum eum lib. I. Carm. od. 34.

Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Sed dispiciendum, annon volucris alatusque currus hic dicatur propter aquilas, quas nonnulli adjunxere loco equorum. Sane in Hygini picturis sat antiquis non sunt equi, verum aquilæ, in curru Jovis. Juno & ipsa curru fingitur incedere, sed tracta pavonibus. Ovid. lib. II. Metam.

——————— Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.

Saturno picturæ Hygini currum tribuunt cum draconibus adjunctis, qui caudas suas ore præhendunt & absumunt. Quod non puto alibi occurrere. Rheam, quæ & Isis vel Cybele, fingebant uti curru tracto leonibus. Hinc Lucret. lib. II.

Hanc veteres Grajum docti cecinere Poetæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones.

Consentiunt Virgil. Æn. II. Claudianus de Raptu Proserpinæ, ac alii, monumenta item prisca nummique, quales cernuntur apud Anton. Augustinum in gente Volteja, Rossinum, atque alios. Leones illi quondam homines fuisse finguntur, Hippomanes videlicet ac Atalanta, post ira Numinis conversi in feras. Ovid. l. X. Met. f. 14. de ipsis agens pluribus, postremo claudit:

Pro thalamis celebrant sylvas: aliisque timendi
Dente premunt domito Cibeleia fræna leones.

Habet etiam Neptunus currum sententia Poetarum, eumque quadrijugis junctum. Hinc Orpheus de eo:

Κυμοθαλὴς, χαιτῶπα, τετράορον ἅρμα διώκων.

Quadrijugum impellens currum, summo æquore labens. Plato ad illius currum equos jungit sex in Critia: Τὸν μὲν θεὸν ἐφ' ἅρματος ἑστῶτα ἓξ ὑποπτέρων ἵππων ἡνίοχον. *Constituerunt Deum*, (Neptunum) *currui insistentem, sex alatorum equorum aurigam*. Ubi observa, equos hosce dici alatos. Nam alii quidem equos nominant nudos. Ut Virgil. lib. V. Æn.

Jungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Fræna feris. ——— ——— ———

Et fortasse Plato non tam alas aliquas in eis intellexit, quam celeritatem singularem. Nam & Virgilius statim post prædicta:

Cæruleo per summa levis volat æquora curru.

Quomodo & lib. I. Æn. de Neptuno:

—— *Curruque volans dat lora secundo.*

Pro equis hippocampos alii in eo posuere, neque illos sex, vel quatuor, sed duos, si est verum, quod habet Schottus in Dial. XII. Antiq. *C. Marius*, ait, *Arpinas, belli arte manuque promptus, in Nummis cusum caput edidit Neptuni, &c. A tergo in biga habenis regentem cernas hippocampos.* Sane apud Fulvium Ursinum quoque in gente Crepereja curcus cernitur cum hippocampis, hoc est, equis in pisces desinentibus, duobus, cui insistit aliquis cum tridente. Sed, num is Neptunus sit, certo haud dixerim, cum hoc genus Proteo tribuat Virgilius lib. III. Georg.

Est in Carpatio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus equor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Pulchre *bipedum equorum*, quia pars eorum posterior in pisces erat deformata. Unde Servius: *Equi enim marini prima parte equi sunt, postrema resolvuntur in pisces.* Equos marinos vocat, quos Schottus hippocampos. Tales ergo Proteus, non Neptunus habuerit. Neptuno tamen sunt, qui cete tribuant pro equis, vitulosque marinos. Natalis Comes lib. II. *Alii maluerunt ejus currum trahi a vitulis marinis & cete, quam ab equis.* Qui sint illi alii, non declarat. Observo interim ex numero illorum esse Erythræum, quando ita notat ad Virgilii lib. V. Æn. p. m. 241. *Homerus Odyss. V. currum describit Neptuni, τὰ κήτη μεγάλα.* Verum ego nihil tale invenio apud Homerum. Verba ibi sunt Ulyssis naufragi, & inter fluctus natantis: *Vereor,*

Ἠὲ ἔτι μοι καὶ κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων.

ne mihi cete immittat magnus Deus. Hæc verba nihil faciunt ad currum Neptuni, timuisse Ulyssem ostendunt, ne a piscibus devoretur. Et qui possint, cum præcedat paulo ante apud ipsum quoque de Neptuno:

Ὣς ἄρα φωνήσας, ἵμασεν καλλίτριχας ἵππους.

Sic locutus impulit pulchricomos equos. Tribuit & Homerus equos Neptuno in curru, non cete, neque vitulos marinos. Memorant Poetæ currum quoque Martis cum equis. Ipse Homerus Il. O.

Ὣς φάτο· Καὶ ῥ' ἵππους κέλετο δεῖμόν τε, φόβον τε
Ζευγνύμεν. ——— ——— ——— ———

Sic dixit, (Mars) *& equos jussit Metumque Fugamque jungere.* Per Metum Fugamque, sunt, qui putant equos intelligi sic nominatos. At Eustathius Martis filios exponit. Equos sane memorat in curru Martis etiam Calaber, verum quatuor, eosque vocat Æthona, Phlogium, Combon, & Pholum. Pro equis Demsterus locat leones. Verba ejus sunt in Comment. ad Rossini X. cap 29. *Antonius Heliogabalus triumphabat tigribus, ut referret Bacchum, leonibus, ut Martem, denique canibus, ut exemplo careret.* Habet, ut testatur ipse, ex Lampridio. Verum primo falsum est, quod ait triumphasse. Nusquam hoc Lampridius, quod alibi jam dixi. Deinde nec id verum, quod de Marte prodit. Nulla Martis mentio in verbis Lampridii, sed Matris Deum, id est, Isidis vel Cybeles. Ita enim habent: *Junxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans.* Verba hæc non bene Demsterus inspexit, & ex Matre Martem nobis deformavit. Veneri tribuerunt currum cum columbis. Docet pictura vetus Hygini, & Ovidius lib. XV. Metam. ubi de Venere:

Perque leves auras junctis invecta columbis.

Apulejus quoque lib. VI. Asini, de curru Veneris agens: *De multis, quæ circa cubiculum Dominæ stabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris incessibus picta colla torquentes, jugum gemmeum subeunt, susceptaque Domina lætæ subvolant.* Quibus verbis nota quatuor nominari, cum in picturis Hygini duæ tantum cernantur. Sunt tamen, qui pro columbis cygnos memorant. Ut Horatius lib. III. Carm. od. 28. ubi sic describit:

——— ——— *Quæ Cnidon*
Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Junctis visit oloribus.

Et Papinius lib. I. Sylvarum in Epithalamio, de Venere:

—— *Amyclæos ad fræna citavit olores.*

Ipse etiam Ovid. hoc facit lib. X. Metam.

Vecta levi curru medias Cythera per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.

Sappho ei tribuit passeres, quod est singulare. Ita enim habet carmen ejus ad Venerem, quod legitur apud Dionysium Halicarnasseum in libro de structura Orationis:

——— ——— ——— Ἦλθες
Ἅρμ' ὑποζεύξασα· Καλοὶ δέ σ' ἆγον
Ὠκέες στρουθοὶ, πτέρυγας μελαίνας
Πυκνὰ δινέοντες. ———

Venisti curru vecta. Pulchri te ferebant agilesque passeres, ales nigras crebro moventes. Dianæ currum finxerunt trahi a cervis. Callimachus:

—— Χρύσεον δ' ἐζεύξατο δίφρον
Ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια Θεὰ κεμάδεσσι χαλινά.

Et fræna, quæ aurea cervis imponis, cum ducis ad currum aureum. Apollonius lib. III. Argon. v. 877.

Χρυσείοις Λητωῒς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηυῖα
Ὠκείαις κεμάδεσσι διεξελάῃσι κολώνας.

Aureo in curru stans Diana velocibus cervorum hinnulis colles transvehebat. Atque hac effigie Diana cernitur etiam in nummis veteribus & monumentis aliis. Pluto apud Poetam currum habet cum equis. Docet Claudianus in Gigantom.

——— ——— *Rex ille silentum*
Lethæo vehitur curru, lucemque timentes

Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spissas cæruleis tenebras e naribus efflant.

Nota, nares eis equis tribui cæruleas, quia color is equorum integrorum fuit. Intelligitur vero cæruleus, non qualis Cœli, cum est serenum, sed cum obscurum atque tenebrosum. Cyaneum & Indicum alias vocarunt, qualis distat proxime a nigro. Hinc Ovidius eosdem equos vocat atros lib. V. Met.

Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
Exierat, curruque atrorum invectus equorum
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.

Nempe Pluto Jupiter est inferus. Sicut ergo candidos, qui est superus, habere fingebatur equos, sic ex adverso alter atros. Numerus equorum putatur quaternarius. Claudianus in de Raptu Proserp. ubi Pallas ad Plutonem:

Audes Tartareis Cœlum incestare quadrigis.

Idem nomina eis dat Orphnæi, Æthonis, Nyctei, & Alastoris, lib. I. Cereris currus trahitur ab anguibus. Sic Orpheus in carmine de ipsa, primus forsan hujus commenti auctor;

Αρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.

Currum jungens anguibus frænatis. Angues illi putabantur bini, unde Ovidius lib. V. Met.

——*Geminos Dea fertilis angues*
Curribus admovit, frænisque coercuit iras.

Neque aliter effigiem ejus repræsentant nummi veteres. Claudianus istiusmodi vehiculum ei tribuit, in de Raptu Proserpinæ, ubi & de cætero describit eleganter. Bacchum quoque curru vehi voluerunt, quem trahant tigres. Ovidius lib. I. de Arte;

Jam Deus in curru, quem summum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Virgilius lib. VI. Æneid.

Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Idem tamen Ovidius & lynces ei tribuit in curru. Versus extant lib. IV. Metam.

————*Tu bijugum pictis insignia frænis*
Colla premis lyncum: Bacchæ Satyrique sequuntur.

Bijuges appellat, unde sequitur, duos tantum habuisse. Quomodo & Martialis ei duos tantum tribuit tigrides, lib. VIII. ad Domit.

Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Post hos invenio & Soli datum currum a Poetis, sive Phœbo. Describit eum pluribus Ovidius in fabula Phaetontis. Et Prudentius hac de re in lib. I. contra Symmachum:

Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti. ————————

Ubi quod commemorat quadrigas, proprium & peculiare est in curru Solis, quando Solem primum quadrigas censet invenisse. Ita discimus ex Hygino, quando ait lib. II. Astron. *Admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod Princeps quadrigis inter Deos est usus.* Ante Solem ergo nullis Dii usi quadrigis putabantur, ipse primus junxit equos quatuor, ex sententia Poetarum. Quanquam commenti hujus caussa, quod per anni partes currat quatuor. Fulgentius in Mytholog. lib. I. *Huic quoque quadrigam adscribunt, illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite die metiatur spacium.* Quatuor ergo equi semper sunt in curru Solis, erratque sine dubio Natalis Comes, quando putat Homerum nominare tantum duos. Verba ejus ita habent lib. V. cap. 13. *Homerus lib. XIII Odyssea duos tantum Solis equos numeravit, Lampum scilicet, & Phaetontem.* Sed errat Natalis, quando hi non Solis equi apud Homerum sunt, sed Auroræ. Verba Homeri manifesta sunt.

Λάμπον καὶ Φαέθονθ', οἵ τ' ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.

Lampum & Phaethonta, qui Auroram juvenes ducunt. Non Solem ait ducere, sed Auroram. Equorum Auroræ mentionem facit & Ovid. lib. I. Amor. el. 8. ubi eis roseum tribuit colorem;

————*Nigri non illa parentem*
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Parens Memnonis Aurora tradebatur, sicut notum. Aurora igitur secundum Poetas vecta equis & ipsa, verum binis, iisque roseis, qui Phaeton & Lampus dicebantur. Unde Pacuvius in Tyeste: *Non illic luteis Aurora bigis*. Ubi nota, luteas pro roseis, quas Nonius tamen splendidas exponit. Pædo quoque in obitum Mæcen. de Aurora loquens;

Illius aptus eras roseas adjungere bigas.

Contra tamen etiam Virgilius lib. VI. Æn. *Roseis Aurora quadrigis.* Sed hic Solem denotare recte vidit Donatus, de quo & Servius ad ista verba: *Donatus dicit, Auroram cum quadrigis positam Solem significare.* Sol igitur non binis, sed quaternis vectus equis, neque rosei, sed purpurei coloris. Ita namque Ovidius testatur epist. 21.

Demere purpureis Sol juga vellet equis.

Sed quid faciendum Martiali, qui & ipse duos tantum Solis equos nominat? Verba ejus hæc sunt:

Quid cupidum Titana tenes? Jam Xanthus & Æthon
Fræna volunt. ————————

Gyraldus sane putat, ipsum quoque duos tantum illi tribuisse. Verba ejus in Syntagmate VII. *Martialis tamen duos solum memorat* Solis equos. Sed non necessario hinc colligas, quia duos solum memorat, duos quoque solum tribuisse, sæpe namque unum modo nominari videmus in quadrigis, quod jam alibi notatum. Itaque & ipsum memorasse hos, sed sine reliquorum exclusione, arbitramur. De quadrigis certe eo minus dubitare possumus, quoniam & nomina equorum & sexum veteres prodidere. De nominibus scimus ex Fulgentio, qui sic habet lib. I. Mytolog. *Unde & ipsius* (Solis) *equis condigna sic nomina posuerunt, id est,*

Erythreus, *Actæon*, *Lampos*, *Philogeus*. Eadem verba legas apud Commentatorem veterem Germanici, p. m. 144. sed ut pro *Lampos* exhibeant *Lampros* meliori ratione, cum *Lampron* uterque *lucentem* vel *ardentem* reddant. Alii alia posuere nomina, sed & ipsa quatuor, ut sit nullum de quadrigis dubium. Ovidius II. Metam.

Interea volucres, Pyroeis, & Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent. ———

B De sexu cognoscimus ex Hygino, qui sic habet lib. I. cap. 183. *Equorum Solis nomina: Eous, per hunc Cœlum verti solet; Æthops, quasi flammeus est, concoquit fruges. Hi funales, sunt mares. Fœminæ jugariæ, Bronte, quæ nos tonitrua appellamus; Sterope, quæ fulgitrua.* Ita enim censeo legendum, pro *Eos*, *Æthyops*, *qua fulgitura*. Pro *jugariæ* male hactenus excudi *locariæ* Salmasius quoque vidit. Factum autem hoc ex eo, quia primum *jocariæ* fuit scriptum solennissima τῶ *u* in *o* & *g* in *c* mutatione. Jugariæ igitur fuerunt fœminæ, funales vero mares, secundum Hyginum, licet ipse quoque in eorum appellatione a reliquis dissentiat. Et hæc quidem satis de nominibus equorum Solis atque sexu. Nam quæ ex Homero tradit nomina is ipse Hyginus, nec in iis, quæ supersunt ex Homeri scriptis, leguntur, quantum scio, & fœdissime sunt depravata, sicut alibi ostendam. Illud observatione dignum, quod ad currum Solis Claudianus jungat non equos, verum gryphes. Verba leguntur in sexto consulatu Honorii:

At si Phœbus adest, & frænis grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe.

D Sed nimirum sequitur hac parte philosophiam & traditiones Indorum. Quod jam Vossius notavit ex Philostrati lib III. de vita Apollonii, cap. 14. ubi sic Philostratus: Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ἰνδοῖς, καὶ ἱερὰ νομίζεσθαι τοῦ ἡλίου. Τέτριππά τε αὐτῶν ὑποζευγνύναι τοὺς ἀγάλμασι τοὺς τὸν ἥλιον ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας. *Has enim aves ajunt esse in India, ac Soli sacras, ac quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.* Ubi nota τετρίππων sive quadrigarum vocem, quando & apud Indos hunc, quem dixi supra, numerum animalium in curru Solis creditum ostendit. Jam, ut Soli, sic & Lunæ tribuerunt currum. Virgil. lib. X.

Jamque dies Cœlo concesserat, almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum.

Dicebatur autem uti bigis, non quadrigis. Manilius:

Quadrijugis ut Phœbus equis, & Delia bigis.

Color putabatur albus, sive niveus. Ovidius I. de Rem. Amor.

F *Ut solet in niveis, Luna vehetur equis.*

Nota nominatim equos memorari, quod & fit ab aliis. At Ausonius pro iis habet juvencas. Verba extant ep. 19.

Jam succedentes quatiebat Luna juvencas.

Sed quæ illæ juvencæ? Num boves? Ita sane judicat Prudentius, qui propterea lib. I. contra Symmachum de Luna:

Nunc bigas frænare boves ———

putatur. At in picturis antiquis Hygini currus ejus trahitur a duabus puellis: Quæ cum & ipsæ sint juvencæ seu juvenculæ, de Ausonii animo possis dubitare; maxime cum & Ovidius juvencæ vocem usurpaverit de puella, ep. 5.

Graja juvenca venit, quæ te patriamque domumque
Perdat: Io prohibe; Graja juvenca venit.

In vetusto carmine apud Fulgentium lib. I. Mytol. vehiculo Lunari adjunguntur tauri. Verba sic se habent:

Astrigeroque nitens diademate Luna bicornis
Bullatum bijugis conscenderat æthera tauris.

Claudianus cervos nominat in eo, in Sec. Conf. Stilich. v. 286.

—— *Cervi currum subiere jugales,*
Quos decus esse Deæ primi sub limine cœli
Roscida fœcundis concepit Luna cavernis.

Sed hic Luna Dianam magis repræsentat, de qua diximus in præcedentibus. Quotiens autem vere Lunam significat, boves potius usurpant, vel equos. Quomodo Auctor vetustus Hymnorum:

Ζευξαμένη πώλους ἐριαύχενας αἰγλήεντας
Ἐσσυμένως προτέρωσ' ἐλάσῃ καλλίτριχας ἵππους.

Junctis equis longæ cervicis fulgidis impetuose prius agitavit equos pulchricomos. Dant & Nocti bigas Poetæ. Claudianus in de Raptu Proserp. v. 275.

—— *Sparso Nox humida somno*
Languida cæruleis invexerat otia bigis.

E Quibus verbis bigæ ceruleæ nigras denotant, quomodo & Plutonis equi sunt cærulei, ut supra est ostensum. Præter hæc vehicula, Diis erant consecrata, quibus certabant in ludis. Ita Græci dabant in Olympicis spectaculis, & similibus. Romani habuere in Circo, ubi bigas quidem emittebant in honorem Lunæ. Tertullianus de Spectaculis cap. 5. *Bigas Lunæ sanxerunt*. Isidorus: *Bigas Lunæ consecraverunt*. Bigæ istæ fuerunt equorum, quorum unus nigri, alter candidi coloris erat. Isidorus rursum: *Bigas Lunæ consecraverunt, quoniam gemino cursu cum Sole contendit, sive quia & nocte videtur & die. Jungunt enim unum equum nigrum, alterum candidum*. Videntur & mulares bigæ huc referri oportere. Nam de his, in ludis publicis, usurpari solitis, non aliis, accipio, quæ leguntur apud Festum: *Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod tam sterilis ea sit, quam mulus, vel quod, ut mulus non suo genere, sed equi creetur, sic ea Solis, non suo fulgore luceat*. Præsertim, cum præcedat proxime a Paulo Festi Breviatore adductum: *Mulis celebrantur ludi in Circo maximo, Consualibus*. Trigas dabant Diis inferis. Isidorus: *Trigas consecrarunt Diis inferis*. Et paulo post, ubi causam addit: *Trigas Diis inferis, quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, juventutem, atque senectam*. Quadrigas referebant ad Solem. Tertullianus: *De jugo vero quadrigas Soli sanxerunt*. Pariter & Isidorus,

dorus, atque alii. Erat porro color harum quadrigarum duplex tantum ab initio, albus, & roseus, sive russeus. Hoc enim vult Tertullianus libro de Spectaculis, cap. 5. ubi ait: *Nam initio equi duo soli fuerunt, albus & roseus: Albus hyemi, ob nives candidas, roseus æstati, ob Solis ruborem, voti erant*. Pro *duo soli*, sunt, qui *duo Solis* legant, unde hic de Solis equis Commentator, Laurentius de la Barre. At nil tale voluit Tertullianus, colorum in Circo numerum binarium solummodo fuisse ostendit, postea demum factum quaternarium. Ideo subjungit: *Sed postea, tam voluptate quam superstitione provecta, roseum alii Marti, alii album Zephyris consecrarunt: Prasinum vero Terræ Matri vel Verno; venetum Cœlo, & Mari, vel Autumno*. Hic sane prasinus & venetus equus non de colore in equis, qualis nullus est in eis, sed quadrigis totis, omnique illarum apparatu, est accipiendus. Id quod hac occasione annotandum. Sed & hoc non omittendum, licet Soli sacræ forent quadrigæ, colores tamen earum pertinuisse roseum seu russeum ad Martem, album ad Zephyros, prasinum ad Terram, venetum ad Mare vel Cœlum. Vel, ut alii exponunt, prasinum ad ver, russeum ad æstatem, venetum ad autumnum, niveum ad hyemem. Sed de his occasione alia. Habebant & sejuges in honorem Jovis. Isidorus: *Sejuga maximus currus currit Jovi, propter quod maximum Deorum suorum eum esse credunt*. Porro citra usum aliquem consecrata quoque Diis vehicula habuere. Liquet exemplo vehiculi, quod in Midæ regia repositum Gordius Jovi dedicaverat. Justinus lib. XI c. 7. *Ille* (Gordius) *plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum, Majestati regiæ consecravit*. Nec fortassis aliter fecere alii post finita rustica opera, si genus aliud vivendi instituissent. Sed & quæ capta habuerunt ex hostibus, suspensa in postibus consecrare Diis solent. Unde Virgilius lib. VII.

Multaque præterea sacris in postibus arma
Captivi pendent currus curvæque secures.

Et Servius hoc loco: *Sacris in postibus, ubi spolia consecrabantur*. Habuerunt ergo inter cætera spolia suspensa & currus, idque in postibus ædium sacrarium. Quinimo curruum simulachris quoque istas ædes adornabant. Plutarchus in vita Romuli: *Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum, atque eum in templo Vulcani dedicavit, cui imposuit statuam suam, quam Victoria coronat*. In Græco est *χαλκῦν τέθριππον*, quod significat currum cum adjunctis equis quatuor. Non igitur verus ille currus fuit, sed ex ære ad similitudinem veri formatus, una cum equis. Et solebant veteres hoc genere ornare templa maxime in summo. Testantur primo nummi veteres ingenti copia, Græci Latinique, ut & monumenta alia. Deinde Scriptores: Quomodo de templo Delphici Apollinis videmus prodere Justinum lib. XXIV. cap. 7. ubi de Brenno: *Prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse*. Et de templo Apollinis Palatini Romæ Propertium lib. II. eleg. 3.

Auro Solis erat supra fastigia currus.

Formabantur porro currus hi ad instar bigarum quadrigarumque primum ex auro, quod superiora docent. Dein ex ære, quod exemplo Romuli cognoscitur. Sed & Livius de iis lib. X. cap. 23. *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, Jovemque in culmine cum quadrigis posuerunt*. Currus hi nonnunquam inducebantur auro. Livius iterum lib. XXXV. cap. 41. *Judicia in fœneratores eo anno multa severe sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio & P. Junio Bruto. De multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ*. Invenio & fictiles ejusmodi quadrigas. Festus voce Ratumena: *Equi feruntur non ante constitisse, quam pervenerit in Capitolium, conspectumque fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Jovis templi*. Eadem narrat Plin. lib. XXVIII. cap. 2. & tali modo, ut appareat non infrequens fuisse. Post hunc usum, qui honori Deorum tributus, vehicula etiam adhibita rebus sacris deportandis. Ita legimus de sacris Cereris apud Servium lib. I. Georg. *Ipsa* (Eleusina mater) *est etiam Ceres, Romæ quoque sacra hujus de plaustris vehi consueverant*. Et de rebus in pompa Circensi solitis circumduci apud Macrobium lib. I. Sat. cap 6. ex Verrio: *Evenisse, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset*. Simile quid in sacris Bacchi observamus receptum, nam in iis membrum virile in plostello ductum. B. Augustinus lib VII. C. D cap. 19. ex Varrone: *In Italiæ compitis quædam sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis & usque in urbem postea vectabatur*. Amplius vehicula observamus tributa sacris hominibus sive Sacerdotibus. Apud Thessalos profecto Sacerdos Dianæ curru vehebatur. Unde Heliodorus lib. III. describens pompam sacram ejus Deæ, Charicliamque Sacerdotem: Ἡγεῖτο ἐφ' ἁρμαμάξης ὑπὸ συνωρίδος λευκῆς βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur harmamaxa, quam trahebat biga boum alborum*. Et Pausanias lib. VII. de ejusdem Deæ pompa apud Patrenses: *In ea virgo, quæ sacerdotio fungitur, postrema omnium cervorum bijugo curru vehitur*. Consimili modo apud Argivos Sacerdos Junonis templum adire non pedibus debebat, verum curru. Herodotus in Clio, ubi verba refert Solonis: Ἐούσης ὁρτῆς τῇ Ἥρῃ τοῖσι Ἀργείοισι, ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγει κομισθῆναι ἐς τὸ ἱερόν. *Cum dies festus Junonis apud Argivos esset, oportebat omnino matrem eorum ad templum venire junctis bobus*. Loquitur de matre Cleobis & Bitonis, quæ Sacerdos Junonis fuit, quod & ipse docet, & testatur Cicero in Tuscul. I. *Primum Argiæ Sacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur, &c.* Sic apud Romanos virgines Vestales vehebantur curru. Quod cognoscimus ex Prudentio, quando sic de aliqua:

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
Pilento residens molli. ————

Et huc trahunt viri docti, quæ leguntur apud Tacitum XII. Annal. cap. 42. de Agrippina: *Carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & sacris antiquitus concessus*. Quanquam forte hoc ad Vestales solas non sit adstringendum, cum præsertim Artemidorus lib. I. cap. 58. testetur, curru in somniis per urbem vehi, virginibus bona sacerdotia portendere. Non autem fœminis sacerdotibus solummodo hoc reperimus tributum, sed & viris. Sic enim de Fidei Flamine apud Romanos

Livius lib. I. cap. 20. *Ad Fidei sacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi jussit*. Post hunc, in sacris, etiam alius vehiculorum usus erat in negotiis aliis, spectans pertinensque ad honorem. Ita enim constitutum fuit apud Ægyptios antiquissimis temporibus, ut curru veherentur Reges, quod ex Mose quoque cognoscimus, qui mentionem facit hujus consuetudinis lib. I. c 41. Similis Persarum consuetudo, quod non uno loco docet Xenophon in Pædia. B. Augustinus, in quæst. ex utroque testam. cap. 115. *Persarum Reges vehiculis feruntur. Nam veteres Reges Persarum nec videbantur a populis*. Athenæus lib. XII. c. de eodem Rege: Ὅτε εἰς ἐσχάτην αὐλὴν ἔλθοι, ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἅρμα, ἐνίοτε δὲ ἐφ᾽ ἵππους, πεζὸς δ᾽ οὐδέποτε ἑωράθη ἔξω τῶν βασιλείων. *Cum ad aulam ultimam venit, conscendit currum, interdum & equum, pedibus vero ire nunquam extra regiam conspicitur*. Apud Gallos quoque Reges olim vecti curribus. Eginhartus de Gallorum seu Francorum Rege: *Quocunque eundum erat, carpento ibat*. Romani serius hoc instituerunt tamen, ut carpentis veherentur Imperatores, quanquam sic, ut sua uterentur libertate, si equis vehi mallent. De Nerone Suetonius: *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur*. De Heliogabalo Lampridius: *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis & eboratis*. Sic Heraclii extat nummus, Lipsio editus in calce operis de Cruce, in quo cernitur Imperator carpento sive alio Imperatorio vehiculo insidens. Etiam apud Indos valuit hæc consuetudo, si quæ Curtio est fides. Ita namque habet lib. VIII. c. 9. *Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum*. Atque ista fortasse caussa, cur inter cætera Regum insignia Theodoretus referat & vehicula. Verba ejus serm. 10. Τὸ μὲν τῆς βασιλείας περιτίθενται σχῆμα τὴν ἁλουργίδα, τὸν στέφανον, τὸν θρόνον, τὸ ζεῦγος, τοὺς δορυφόρους. *Regiæ dignitati addita est species per purpuram, coronam, thronum, currum, satellites*. Deinde datum hoc honori etiam eorum, qui munus quoddam nobile in Republica sustinerent. Quo fortasse pertinet, quod de Pharaone Ægypti Rege legimus, tribuisse Josepho, ut in curru proxime a suo veheretur. Romani saltem sic instituerunt apud se, quanquam serius, & Cæsarum demum temporibus. His enim factum, ut carpento veheretur Præfectus Prætorii, quod ex Notitia veteri colligimus, in qua præter alia insignia Prætorii Præfecto tribuitur etiam carpentum. Idem subinnuit Cassiodorus, quando Præfectum Prætorii in formula ipsius, quæ est lib. VI. c. 3. comparat Josepho, *qui carpentum reverendus ascendit*. Simili vehiculo & Præfectus urbis est ornatus, de quo idem Cassiodorus dicto lib c. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem*. Et Vopiscus initio Aureliani: *Vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris, Junius Tiberianus, accepit*. Sed & Vicarius urbis isto genere utebatur. Cassiodorus c. 15. libri ante indicati de eo differens: *Ad similitudinem summorum carpento veheris*. Currus etiam pertinuit ad Consules. Inde Cassiodorus rursum lib. II. c. 2. ad Consulem designatum: *Respice te super omnium humeros atque ora volitare*. Et paulo ante: *Celsos currus* (ita enim legit Lipsius, non *cursus*) *nisi confidentia magna non appetit*. Senatoribus concessum, ut carrucis ingrederentur honoris gratia. Lampridius de Alexandro Severo, in vita ejus, c. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit: Interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores vectarentur*. Loquitur de carrucis non simpliciter, sed argentatis, quod notandum. Nam carrucis aliis etiam ante Severum incedebant. Imo priscis jam temporibus hoc obtinuit, si quæ fides Basso, cujus verba refert Gellius lib. III. c. 18. ubi differit de pedarii Senatoris appellatione: *Hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in Commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset*, &c. Sed repugnat, quod a Plinio refertur de Metello lib. VII. cap. 43. *Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquam ulli alii ab condito ævo, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam. Magnum & sublime, sed pro oculis datum*, quos nimirum rapto ex incendio ædis Vestæ Palladio amiserat. Manifeste testatur, nemini ante Metellum hoc indultum. Neque potest ambigi de fide Plinii, cum supersit hodieque ejus rei monumentum, in quo inter cætera hoc quoque:

TRIBVIT. EI. P. R. VT, QVOTIES IN SENATVM IRET,
CVRRV VEHERETVR AD CVRIAM. QVOD A
CONDITO ÆVO NVLLI ALII CONTIGIT.

Quæ pæne ipsa Plinii sunt verba. Jam si Metellus fuit primus, cui concessum curru vehi in curiam, aliquanto serius institutum hoc necesse fuerit, quam Bassus putavit. Nisi forte arbitramur id, *in curiam*, a Glossa esse apud Gellium, cum & curru vecti alias videantur, licet non in curiam, quemadmodum ostendam, cum de curru erit agendum. Quicquid sit, hoc saltem verum est, tributum postea Senatoribus, ut curru, nominatimque carruca, veherentur. Ab his denique transiit ad honoratos omnes. Qua de re habemus legem Gratiani, Valentiniani atque Theodosii, quæ cum alibi, tum in Codice Justinianeo extat lib. XI. t. 19. istis verbis: *Omnes honorati seu civilium seu militarium vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis, intra urbem sacratissimi nominis semper utantur*. Post hos invenimus etiam extra ordinem hoc concessum aliquibus, propter singularia quædam merita. Pertinetque etiam huc, quod de Josepho legimus & Pharaone, Ægypti Rege, apud Mosen, Genes. 41. *Fecitque eum* (Josephum Pharao) *adscendere super currum suum secundum*. Cassiodorus sane speciatim hoc tributum sapientiæ ipsius ait, lib. VI. cap. 3. *Cum Pharao, Rex Ægyptius, de periculo futuræ famis inauditis somniis urgeretur, nec visionem tantam humanum posset revelare consilium, Joseph, vir beatus, inventus est, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentissime subveniret. Ipse primum hujus dignitatis infulas consecravit, ipse carpentum reverendus ascendit*. Ostendit autem hoc exemplum, quam vetusta sit hæc consuetudo, & jam apud Ægyptios recepta. Videtur id ipsum obtinuisse postea & apud Persas Ita namque apud Esram lib. III. c. 3. juvenes sapientia inter se certantes: *Dicamus unusquisque nostrum sermonem, qui præcellat: Et cujuscunque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureo fræno*. Sic interpres vetus. Nec recedit Castalio, vel Junius, cum ille reddat, *conferet aureis frænis currum*; Hic vero, *curru vehetur cum equis frænatis auro*. Græci ita habent: Δώσει αὐτῷ Δαρεῖος ὁ βασιλεὺς δωρεὰς μεγάλας, ἅρμα χρυσοχάλινον, quod hoc ipsum videtur confirmare: Maxime, cum & Josephus iisdem prope verbis lib. II. c. 4. hoc enarret: Τούτῳ γέρας δώσειν νικητήριον, ἅρμα χρυσοχάλινον, licet vertat liberalius nonnihil Gelenius, *in cubatu quoque*

ac vectatione usurum instrumento aureo. Quanquam alibi de hac apud Persas consuetudine difficulter quid invenias. Ut fortassis non immerito quis ambigat, an ἅρμα χρυσοχάλινον sit currus cum frænis aureis apud Esram. Nempe ἅρμα Græcis equum quoque denotat, quemadmodum apud Latinos currus sæpe ponitur pro equo, sicut Servio jam ad Virgilium notatum est. Ita Xenophonti ἁρμαλδλκὸν in Pædia usurpatur. Quia tamen & sic equum fere non simplicem, sed vehiculo adjunctum, iccirco temere ab expositione vulgari haud fuerit recedendum. Apud Græcos quoque non omnino ignoratum hoc fuisse videtur. Nam & Hector apud Homerum Il. K. currum se cum equis datum ait illi, qui explorare castra hostium ausus fuerit. Ita namque ait:

> Τίς κέν μοι τόδε ἔργον ὑποσχόμενος τελέσειε
> Δώρῳ ἐπὶ μεγάλῳ. Μισθὸς δέ οἱ ἄρκιος ἔσαι.
> Δώσω γὰρ δίφρον τε δύω τ' ἐριαύχενας ἵππους.

Quis mihi promittit conficere hoc negotium sub præmio eximio? Dabo ei namque vehiculum duosque equos arduæ cervicis. Etiam, qui Victores in ludis Olympicis extitissent, curru honorabantur, quo disjectis quoque urbis mœnibus ingrederentur in patriam. Vitruvius lib. IX. præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut, cum reverterentur in suas civitate cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in patrias revertantur*. Meminit ejusdem rei Plutarchus II. Sympos. 5. itemque Diodorus lib. III ut nunc alios omittam. Olympionicarum morem imitati sunt Romani, Ducesque suos post victoriam in bello triumphare curru voluerunt. Unde Seneca I. de Benef. cap. 5. *Quid habet per se corona pretiosum? quid prætexta? quid fasces? quid tribunal & currus? Nihil horum honor est, sed honoris insigne*. Currus hic est currus triumphalis, sicut recte Lipsius exponit. Et quia eo triumphabant, inde currus sæpe ipsum denotat triumphum. Ut in illo Ciceronis lib. XV. ep. 6. ad Catonem: *Et si non modo unus, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est, quem ego currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?* Non absimile est, quod de Ausum virginibus memorat Herodotus lib. IV. consuevisse quotannis certo die inter se pugnare lapidibus, post fortissimam ex eis imponere vehiculo, & ornatam armis ducere circum paludem. Κοινῇ παρθένον τὴν καλλιστεύουσαν ἑκάστοτε κοσμήσαντες κυνέῃ τε Κορινθίῃ καὶ πανοπλίῃ Ἑλληνικῇ, καὶ ἐπ' ἅρμα ἀναβιβάσαντες, περιάγουσι τὴν λίμνην κύκλῳ, inquit. Curru curiam ingrediendi jus honoremque apud Romanos consecutus est Metellus ob animi constantiam, qua ex mediis flammis, etiam cum oculorum suorum damno, Palladium eripuit, cum templum Vestæ arderet, qua de re jam supra egimus. Ob fidem Constantina dedit delatoribus, ut curru circumveherentur. Ammianus lib. XIV. *Accenderat super his incitatum propositum ad nocendum aliqua mulier vilis, quæ ad palatium ut poposcerat intromissa, insidias ei latenter obtendi prodiderat a militibus obscurissimis: Quam Constantina exultans, ut in tuto jam locata mariti salute, muneratam, vehiculoque impositam per regias januas emisit in publicum, ut iis illecebris alios quoque ad indicanda proliceret paria vel majora*. Erat & hoc apud veteres receptum, ut quem honorarent misso obviam vehiculo. Sic a Nerone factum in honorem Teridatis, de quo Xiphilinus lib. LXIII. Ἐν δὲ τῇ Ἰταλίᾳ ζεύγεσι πεμφθεῖσιν ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἐκομίσθη. *In Italia vectus est vehiculis a Nerone ipsi missis*. Et a Dionysio in honorem Platonis, de quo Plutarchus in Dione: Καὶ γὰρ ἅρμα τῶν βασιλικῶν αὐτῷ παρέστη, κεκοσμημένον διαπρεπῶς, ἀποβάντι τῆς τριήρους. *Nam ei* (Platoni) *currus unus ex regiis præsto fuit, cum descenderet e triremi*. Plinius Dionysium excepisse illum curru scribit in littore, lib. VII. c. 3. *Platoni, Sapientiæ Antistiti, Dionysius tyrannus, alias sævitiæ superbiæque natus, vittatam navem misit obviam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit*. Ubi nota, quod Plutarcho ἅρμα τῶν βασιλικῶν, id Plinio esse *albas quadrigas*, quia hujus generis Regum vehicula plerumque fuere. Quod de Regibus Persarum jam notavit Barnabas Brissonius lib I. de Reg. Pers. Ælianus noster eo amplius Dionysium aurigam scribit fuisse lib. IV. Var. cap. 18. Ὅτε κατῆλθε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κληθεὶς, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστείλαντος τοῦ Διονυσίου, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Ἀρίστωνος. *Cum in Siciliam venisset Plato, multis crebrisque litteris Dionysii evocatus, Dionysius junior in currum eum imposuit, ac ipse quidem egit aurigam, sessorem vero fecit filium Aristonis*. Invenimus quoque aliud honoris genus, ut, qui dignitate major esset, in vehiculum reciperet minorem. Id quod observatum fuit apud Imperatores Romanos. Hinc Vellejus de Octavio lib. II. capit. 59. *Quem* (Octavium) *C. Cæsar comitem habuit, nunquam alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo*. Photius de Dione Chrysostomo: *Viguit Trajano Romæ imperante, cum quo diu multumque vixit in ea existimatione atque honore, ut cum Augusto communi interdum carpento veheretur*. Et quia facere hoc neglexit Constantius, ideo superbus fuit habitus. Ammianus lib. XVI. *Quod autem per omne tempus imperii nec in consessum vehiculi quenquam recepit, nec in trabea socium privatum adscivit, ut facere Principes consuevere, & similia multa, quæ elatus in altum supercilium, tanquam leges æquissimas, observavit, prætereo*. Locus annotatione dignus, qui ostendit manifeste, hanc fuisse Principum Imperatorumq; olim consuetudinem. Fecerunt idem Magistratus alii. Hinc Vopiscus de se ipso initio Aureliani: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris ac præfata reverentia nominandus Junius Tiberianus, accepit*. Porro, & ob sexus reverentiam honoremq; legimus tributum mulieribus, ut uterentur vehiculis, præsertim, si ad publica & solenniora quædam prodire negotia cogerentur. Ita pridem receptum fuit per Italiam, qua de re Ovidius lib. I. Fastorum:

> *Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.*

Colligitur hoc idem ex Valerii oratione apud Liv. lib. XXXIV. c. 7. ubi de matronis Romanorum: *Universis dolor & indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi, tanquam in illarum civitatibus, non in sua, imperium sit*. Agit ibi Valerius de abolenda lege Oppia, qua interdictum fuit matronis Romanis, vehiculo incedere, quod concessum olim erat teste dicto Liv. lib. V. c. 25. *Grata ea res, ut maxime, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur*. Vehebantur itaque vehiculis matronæ etiam Romanæ, quod faciebant pridem per Italiam aliæ, idque partim propter sexum, partim munificentiam, qua inopiæ publicæ subvenerant. Ac licet per viginti annos ob le-

gem Oppiam hoc usu fuerint privatæ, tamen postea eundem receperunt & retinuerunt omni pæne tempore. Fuit eadem consuetudo Græcorum. Idcirco Scholiastes Aristophanis: *Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο. Athenienſium mulieres curru vectæ ad magna Eleusina proficiscebantur.* Et Hesychius: Κάναθρα, ἅμαξα πλεκτὰ ἔχουσα, ἐφ' ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. *Canathra vehiculum est cum textu vimineo, in qualibus vehi virgines solebant in pompa, cum proficiscebantur ad sacra Helenæ.* Didymus apud Athenæum lib. IV. c. 7. ubi agitur de Hyacinthiis, festo Spartanorum: *Virginum autem aliæ cantharis vehiculis, ligneo textu clausis, magnoque sumptu ornatis, aliæ curribus agonisticis vehuntur.* Noctu addere lucernam debebant, ex lege Solonis. Plutarchus: Μηδὲ νύκτωρ πορεύεσθαι ἐφ' ἁμάξῃ κομιζομένην, λύχνου μὴ φαίνοντος. *Non permisit noctu, nisi curru vectam, prælucente face, iter facere.* Imprimis observatum hoc in nuptiis, si Sponsa ducenda esset ad virum. Solebat enim sellæ insidens in currum imponi, quam consuetudinem non ita pridem observavit quoque celeberrimus Joan. Georgius Grævius in eruditissimis lectionibus Hesiodeis, cap. 21. Nempe mentionem ejus facit ipse etiam Hesiodus in Scuto Herculis, v. 273.

—— —— Τοὶ μὲν ἐϋσσώτρου ἐπ' ἀπήνης
Ἦγοντ' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.

Alii quidem fabrefacto in curru ducebant viro uxorem, multusque hymenæus excitabatur. Hinc Plutarchus in de Virtutibus Fœm. ubi de Chiis: Ἀγομένης δὲ τῆς νύμφης ἐπὶ ζεύγους. *Cum autem Sponsa duceretur in vehiculo, &c.* Pollux lib. III. cap. 3. Ἐπὶ ζεύγους δὲ αἱ νύμφαι ὡς ἐπιπολὺ μετάγονται. *Vehiculo vero Sponsæ plerumque vehebantur.* Adde Suidam voce Ζεῦγος, ubi late ritum omnem describit: Item Synesium ep. 3. quos laudat & Brissonius in de Ritu Nupt. pag. m. 515. Nam Apuleii quidem locus, quem & ipsum citat, huc non pertinet, quippe in quo nupta vecta dicitur octophoro. Fuit enim hoc receptum etiam non nuptis, quod jam in superioribus ostensum est. Datus autem honor apud veteres non modo per currus veros, sed & ex ære marmoreve factos. Quales innumeri leguntur, apud Pausaniam præcipue. Nimirum Græci dabant omnibus, qui in ludis publicis curru extitissent Victores. Plinius lib. XXXIV. cap. 5. *Græci cæletas dicabant in sacris Victores. Postea vero, & qui bigis vel quadrigis vicissent.* Quanquam non his solis, sed & aliis, quos insigni honore volebant ornatos. Sic enim Philippum quoque Regem filiumque ejus Alexandrum coluere. Unde idem Plinius dicti libri cap. 8. de Euphranore statuario: *Fecit & quadrigas bigasque. Item Alexandrum & Philippum in quadrigis.* Ab his res transiit ad Romanos, qui sic triumphantes primum honorarunt, teste dicto auctore. *Unde*, inquit, *& nostris currus in his, qui triumphavissent.* Deinde illos, qui dedissent Populo munus. Quo respexit Cyprianus in sermone primo de Jejunio, ubi ait: *Quanto istic & apparatus uberior & sumptus largior exhibendus est, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur.* Videtur & Plinius hoc voluisse dicto ante loco, quando dicit: *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui Prætura functi curru vecti essent per Circum.* Nam *curru vecti per Circum* possunt intelligi, qui auctores muneris & ludicri pompæ Circensi adfuissent. Sic enim receptum fuit. Unde Juvenalis Sat. X.

Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi?

Et Symmachus VI. ep. 41. *Natali urbis suffectum Consulem currus, quo vehebatur, evolvit, per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.* Triumphum vocat pompam Circensem, ante ludos Circenses, quos dabat Consul ea die. Atque hoc est ἅρμα ἱερὸν, seu sacrum vehiculum, quod memorat Dionysius Halic. lib. V. *Alter Consul, Manius Tullius, in sacris his & ab urbe denominatis ludis, dum pompa deduceretur, e sacro curru in ipso Circo prolapsus est.* Postea res venit ad Imperatores Cæsaresque, quibus & ipsis currus decreti. Quomodo Pollio de Pisone: *Cæteri consulti statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pisoni decreverunt.* Erat tamen differentia inter hos & triumphales currus, quod hi essent rotundi, specie verorum, quibus incedebant triumphantes, illi specie eorum, quibus certabant in Circo, sicut monumenta prisca docent. Etiam hoc observandum, quod hi currus facti non cum equis solum, sed & elephantis. Docent utrumque Capitolinus in Maximinis, quando ita scribit acclamatum Principibus: *Victoriæ caussa Principibus nostris, Maximo, Balbino & Gordiano, statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus.* Faciunt alios currus triumphales, alios cum elephantis, ut apparet. Nam per statuas cum elephantis currus esse intelligendos, si nil aliud, nummi saltem temporum eorum ostenderent. Collocabantur autem currus illi in locis celebrioribus, circis, arcubus, & id genus. Unde Prudentius lib. II. in Symmach.

Frustra igitur currus summo miratur in arcu
Quadrijugos —— —— —— ——

Et in nummis Augusti, Domitiani, Alexandri Severi, aliorumque, currus ejusmodi, etiam cum elephantis, videas non semel. Pertinebant alias vehicula etiam ad ludos & certamina. Nam & Græci eis inde a temporibus Trojanis currebant, posita certa meta, ad quam contenderent, quemadmodum Homerus ipse auctor est. Liquetque amplius ex libro VI. Statii, ubi pariter certamina Græcorum talia describit. Postea res est deducta ad solennia Græciæ spectacula, quod notissimum, unde tandem Romam venit in Circum. Dionysius Halic. lib. VII. c. 72. *Reliquum est, ut & de certaminibus, quæ post pompam* (Circensem) *inibantur, paucis disseram. Primus erat quadrigarum, bigarum singulariumque equorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympia, & nunc quoque.* Sed de Circi certaminibus Onuphrius & alii abunde. Nero instituit, non in Circo, sed in Abaco, nec quadrigis veris, sed eburneis. Suetonius in vita ejus, cap. 22. ubi de summo ejus studio equorum & Circensium: *Inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in Abaco lusit.* Casaubonus ad hunc locum: *Satis constat, hoc genus lusus expressisse in Abaco Circensium simulacrum: Nam ea manifesto mens Suetonii.* Addit, idem factitatum ab Heliogabalo in triclinio, sicque intelligendum Lampridium, ubi ait, cap. 27. *Quadrigas Circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans.* Sed vix mihi dubium, quin de veris agat hic quadrigis, non formatis ex ebore. Quia sequitur: *Convivas senes agitare cogens, nonnullos honoratos.* Scilicet, ut alii alia, & in his gladiatorum etiam certamina, sic Heliogab. quadrigas Circenses in cœna & ad mensam spectabat. Quod non potest mirum videri, qui cæterum ejus cogitare volet luxum. Vehiculorum quoque u-

ſus olim fuit aliquis in Tragœdia; In eis enim agere ante theatrorum ſcenarumque inventionem, & in vulgus ludere dicteriis ſolebant. Quam ob rem Horatius in de Arte Poetica v. 275.

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis.

Meminit & Sidonius Carm. IX. v. 232.

Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpin.

Lambinus ad Horatium: *Antequam ſcena eſſet inventa, Theſpis in plauſtris tragœdias docebat, idemque agebat.* Et Johannes Bond. *Theſpis Athenienſis, primus Poeta tragicus, tragœdias docuit, atque egit in plauſtris, quibus poetæ circa vicos fuerunt circumacti, antequam ſcena eſſet inventa.* Scaliger tamen factum hoc exiſtimat non ante ſcenæ inventionem, ſed ante deſtinationem ejus in peculiari quopiam fixoque loco, ſcenam enim penſilem tum ſolitam haberi, ut in plauſtris poſſet circumvehi. Verba ejus lib. I. Poet. cap. 6. *Satis conſtat illud, a Theſpi Poeta factam nitidiorem tragœdiam, qui primus penſiles ſcenas in plauſtris circumegit.* Simili pæne modo Medici nonnulli circumvehere medicamenta ſua ſolebant, & velut ſcenam artis ſuæ inſtruere, quod ne hodie quidem eſt ignotum. Græci eos ob hanc cauſam ἰατρὺς ἐπιδιφρίυς appellabant, ut ex Troilo Sophiſta in prologo ad Hermog. obſervamus. Heſychius: Ἐπιδίφρια, τὰ ἐπὶ τῷ ἁρματίῳ δίφρῳ. Sic ergo & ἰατρὸς ἐπιδίφριος, quia de vehiculo medicinam profitebatur. Eſt & ille celebris apud veteres vehiculorum uſus, quando eis nuncii & tabellarii currebant. Auctor ejus apud Romanos fuit Auguſtus, de quo Suetonius cap. 49. *Quo celerius ac ſub manum annunciari cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit.* Subjicit & cauſam, cur vehiculis eos uti maluerit. *Commodius*, inquit, *id viſum eſt, ut, qui a loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, ſi quid res exigeret, poſſent.* Meminit vehicularis hujus curſus etiam Plutarchus in Galba, ſimulque oſtendit, qua ratione illa obtinuerint vehicula. *Servos publicos*, inquit, *deſtinaverunt Conſules ad deferendum Imperatori Senatuſconſultum, & conſignata dederunt diplomata: Quorum ſigno cujuſque oppidi Magiſtratus per diſpoſitos currus tabellariorum curſum accelerant.* Factum hoc ait interventu diplomatis, quod Pancirollus in Comment. ad Not. Imp. p. 23. codicillos exponit duplicata charta. Sed inclino magis in ſententiam Budæi, qui teſſeram cum ſigno principali ait fuiſſe. Plutarchus enim σφραγῖδα memorat in eo, alibique δίπλωμα σεσημασμένον vocat, quod aperte oſtendit, ſignum in eo ab impreſſo ceræ annulo fuiſſe, ſive id Principis unius, ſive aliorum Magiſtratuum, præſertim in provinciis degentium, fuerit. Quo præſertim refero, quod habet Plinius lib. X. ep. 14. *Rex Sauromates ſcripſit mihi, eſſe quædam, quæ deberes quam maturiſſime ſcire, qua ex cauſſa feſtinationem tabellarii, quem ad te cum epiſtolis miſit, diplomate adjuvi.* Item, quod habetur apud eundem epiſt. 121. & in reſponſione Trajani ubi ait: *Nec dubitandum fuiſſet, ſi expectaſſes donec me conſuleres, an iter uxoris tuæ diplomatibus, quæ officio tuo dedi, adjuvandum eſſet.* Verba, *quæ officio tuo dedi*, Buchnerus certe ſic exponit: *Quorum concedendorum tibi poteſtatem pro ratione officii, quod in præſenti ſuſtines, dedi.* Quanquam nil obſtet, quo minus ipſis inhæreamus verbis, credamuſque datos Præſidibus provinciarum aliiſque Magiſtratibus ab Imperatore ipſo codicillos ſigno Imperatorio munitos ad iſtiuſmodi uſus. Cum præſertim, quod ex his Plinii epiſtolis obſervamus, tanta religione tractaverint, nec ad alia quam publica negotia dederint, niſi venia ipſius Imperatoris ante impetrata. Erat autem opus diplomatibus & ſignis iſtiuſmodi, ne ex cauſſa qualibet quislibet exigere vehicula poſſet ab iis, quibus onus præſtandi ea incumbebat, ſed liqueret, præſtari in uſus Reipublicæ ac Principis. Multo magis autem poſtea hoc neceſſe fuit, cum a privatis hoc onus translatum eſt ad Fiſcum poſt Severi tempora, ne abſque cauſſa publica patrimonium Imperatoris ab omnibus conſumeretur. Cæterum, hunc curſum putant viri docti inſtitutum ad exemplum Angarorum atque Aſtandarum apud Perſas, item Hemerodromorum apud Græcos. Et profecto, ſi reſpiciamus uſum & propoſitum, ubique illud quidem fuit idem. At Græcorum Hemerodromi currebant pedibus. Unde Livius lib. XXXI. cap. 24. *Et reſpondiſſet, ni ſpeculator (Hemerodromos vocant Græci, ingens die uno curſu emetientes ſpatium) Athenas perveniſſet.* Perſarum vero Angari equitabant, nulliſque utebantur vehiculis, ſicut liquet ex prolixa eorum deſcriptione, quæ legitur apud Xenophontem lib. VIII. Pæd. Unde & Herodotus lib. VIII. Τῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέυσι Πέρσαι, Ἀγγαρήιον. *Hunc curſum equeſtrem Perſæ vocant Angarium.* Contra curſus Auguſteus & Romanus vehicularis fuit. Hinc Capitolinus de eo in vita Antonini cap. 12. *Vehicularium curſum ſumma diligentia ſublevavit.* Neque alia eſt cauſſa, ob quam equos ad hunc curſum deſtinatos olim nominaverint *veredos*. Feſtus: *Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id eſt, ducerent.* Quanquam poſtea res immutata fuerit, dictique veredi etiam equi ſimplices abſque rheda, deſtinati ad hoc munus. Unde Procopius lib. XI. de bello Perſ. Ὁ δ᾽ ἵππος τοῖς δημοσίοις ὀχήμενος, ὡς δὲ βερέδυς καλεῖσθαι νενόμικεν. *Equus vero, quo utuntur in viis publicis, quales uſitatum veredos appellari.* Nempe ſequentibus temporibus obtinuit, ut curſus hic equeſtris eſſet, ſicut idem Procopius teſtatur, ex quo deſcripſit etiam Pancirollus. Verba hæc ſunt: *Imperatores Romani modum excogitarunt, quo cuncti ſibi quam celerrime poſſent nunciari, & ut ſcirent, quæ ubique inter hoſtes agerentur, & ſi qua in civitatibus ſeditio, vel quid aliud improviſum a Præſidibus, vel aliud quomodocunque oriretur, & ut annua tributa velociter & tuto transmitterentur. Publicum ergo & celerem quendam curſum hoc modo inſtituerunt: Viro expedito ad iter diei ſtationes conſtituerunt quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat. Quadraginta vero equi in ſingula manſione ſtabulabantur, & itidem hippocomi, ad curandos, quot poterant, equos, erant deſtinati.* Sed de curſu iſto jam prolixe alii. Venio ad uſum alium, quo fuerunt, qui vehicula haberent loco ædium & in eis habitarent. Celebres hoc nomine ſunt Scythæ, quando inde nomen quoque pepererunt ſibi, atque *hamaxobii* ſunt appellati. Theodoretus in Paneg. Joann. Chryſ. apud Photium: Πρῶτος παρὰ τοῖς ἁμαξοβίοις Σκύθαις θυσιαστήρια ἔπηξας. *Primus apud Scythas hamaxobios aras extruxiſti.* Nempe *hamaxa* Græcis plauſtrum eſt. Habitabant autem in plauſtris corio contectis. Juſtinus lib. II. cap. 2. *Uxores liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus coriis imbrium hyemiſque cauſſa tectis pro domibus utuntur.* Mallent viri docti legere *corticibus* pro *coriis*, ſed nil immutandum, nam de coriis teſtatur etiam Cinnamus lib.

1. Hist. ubi de Scythis: *Plaustris se circumdederunt*, βοείαις πάντοθεν βύρσαις περιλαβόντες, *quæ coriis bovinis superne habebant contecta*. Sed de hac re dicam & sequenti libro. De plaustris confirmat & Ammianus, quando tribuit Alanis, qui Scythæ sunt, lib. XXXIX. *Vagantur supersidentes plaustris, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conserunt*. Item lib. XXXI. *Nec enim ulla sunt eis tuguria, aut versandi vomeris curæ, sed carne & copia victitant lactis, plaustris supersidentes, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conferunt, sine fine distentas*. Item post: *Velut carpentis civitates impositas vehunt, maresque supra cum fœminis coeunt. Et nascuntur in his & educantur infantes, & habitacula sunt illis perpetua, & quocunque ierint, illic genuinum existimant larem*. Eadem commemorat & de Hunnis. Adscribam verba ejus etiam de ipsis: *Omnes sine sedibus fixis, absque lari vel lege aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant, ubi conjuges ex villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & ad usque pubertatem nutriunt pueros. Nullusque apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus, natusque procul, & longius educatus*. Eandem olim veterum Gothorum consuetudinem fuisse, discimus ex B. Ambrosio, qui propterea de ipsis ep. 73. *Ut Gothis olim plaustra sedes erant, ita nunc plaustrum ecclesia est*. Vocat *sedem*, quod alias est *domicilium*. Quemadmodum & Mela lib. II. *Hujus flexum Briges amnis secat, Agathyrsi & Sauromatæ ambiunt, quia pro sedibus plaustra habent, dicti hamaxobitæ*. Ubi nota, dici *hamaxobitas*, qui aliis sunt *hamaxobii*, & ad genus hoc in plaustris habitantium referri Agathyrsos etiam, & Sauromatas. Etiam de Æthiopibus ex Philostrato colligimus, qui lib. VI. cap. 12. vitæ Apollonii, eos ἐφ' ἁμαξῶν πεπολισμένους nominat, hoc est, tales, qui rempublicam suam habeant in vehiculis. Nescio, an Cimbros quoque in hunc censum referre debeamus. Equidem sic Plinius lib. VIII. cap. 40. *Canes defendere Cimbris cæsis domus eorum plaustris impositas*. Sed hæc lectio est Dalechampii. Alii libri habent, *cæsis Dominis*. Rhenanus edidit: *Cimbros cæsis Dominis e. p. impositi*. Hermolaus Barbarus: *Cimbro ac cæsis Dominis eorum plaustris impositis*. Puto lectionem veram esse: *Canes defendere Cimbras, cæsis Dominis eorum plaustris impositis*. Loqui de mulieribus Cimbrorum videtur, quæ maritos secutæ fuerant in bellum. Eas defenderunt canes, cum viri essent cæsi, plaustrisque impositi, quo eripi hostibus ad sepulturam possent. Nisi malimus, *cæsis Dominis earum, plaustris impositas*, ut impositæ plaustris ipsæ mulieres intelligantur, ritu militiæ, de quo in sequentibus. Sane de Cimbrorum mulieribus Plutarchus etiam in C. Mario: Αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι. *Fœminæ consistebant in plaustris pullatæ*, quanquam nihil habeat de canibus. Cæterum, ut his vehicula domorum vice habebantur omni tempore, ita aliis nonnullis ex occasione, noctu præsertim, quod de Regibus Hebræorum observat Grotius. In defectu namque domus vehiculum pro tecto eis ait ac cubiculo fuisse. Idque colligit ex lib. 1. Reg. cap. 26. ubi sic vulgata: *Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio*. Grotius hoc loco ita notat: *In tentorio: LXX.* ἐν λαμπήνῃ. *Ita vocabatur currus Regius, teste Polluce. Optime. Nam Reges solent, ubi domus non sunt, dormire in curribus: Et vox* עגלה *ab eadem origine currum significat plurimis in locis*. Pertinebant alias vehicula ad valetudinem. Atque primum quidem ad exercitationes quasdam corporis. Firmat Plinius exemplo suo. Inde lib. IX. ep. 36. ad Fuscum: *Ubi hora quarta vel quinta, (neque enim certum dimensumque tempus) ut dies suasit, in Xystum me vel cryptoporticum confero, reliqua meditor & dicto, vehiculum conscendo*. Et paulo post: *Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam si diu tacui vel ambulavi, post somnum demum lectionemque non vehiculi, sed, quod brevius, quia velocius, equo gestor*. Bene, *gestor*, ad gestationes enim referebant, ipsi quoque Medici. Celsus lib. II. *Genera gestationum plura, sed tamen levissima est navi vel in portu, vel in flumine, vehementior in alto mari vel lectica aut scamno, acrior vehiculo*. Ac de istiusmodi gestatione accipio, quod de Trimalcionis puero in chiramaxio lato memorat Petronius, ut dicam alio loco. Solebat porro hæc gestatio institui in porticibus plerumque aut nemoribus ad hoc adornatis. Unde Juvenalis Sat. IV. de Crispino:

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.

Lubinus hoc loco: *Viridaria & hortos egregios intellige, in quibus vectabantur, & umbram captabant in calore æstatis*. Deinde morbos quoque, si quando eis essent infestati, pellere vectatione tali quærebant. Ita Seneca gestatione tali utebatur, quo abstergeret bilem, faucibus hærentem. Ipse Epist. 55 *A gestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. Mihi tamen necessarium erat concutere corpus, ut, sive bilis insederet faucibus, discuteretur, sive ipse ex aliqua caussa spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio, quam profuisse mihi sensi. Ideo diutius vehi perseveravi, invitante ipso littore*, &c. Laudant Medici & in capitis affectionibus, visu debilitato, paralysi, epilepsia, febribus ad postremum, quod prolixe Hieronymus Mercurialis lib. III. Artis Gymnasticæ, cap. 10. & lib. VI. cap. 10. testatur. Sed &, si qui alias ob morbum pedibus uti difficulter possent, ministerio vehiculorum incedebant. Inde illud legis XII. tab. *Si in jus vocat, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato*. Quod exponit Sext. Cæcilius apud Gellium lib. XX. cap. 1. his verbis: *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus forte ægris esset, aut quo casu alio ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicate arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum*. Liquet, plaustro aut vehiculo usos tales, si quando procedere in publicum necesse foret. Ita cum se ipsum sauciasset Pisistratus, ἧκεν εἰς ἀγορὰν ἐπὶ ζεύγους κομιζόμενος, inquit Plutarchus in Solone, hoc est, *rheda vectus in forum*. Neque alio retulerim, quod legitur de Erichthonio. Servius ad Georg. III. Virg. *Erichthonius ad tegendam pedum fœditatem junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem*. Dicit quidem, factum ad tegendam pedum fœditatem. Verum ea non tam fœditas quam infirmitas intelligenda, quando pedes dracontes volunt habuisse. Sunt enim draconteі, quibus reptant serpuntque potius, quam ambulant. Cœci quoque usi sunt vehiculis, cum in publico versari deberent. Cornelius de Timoleonte, cap. 4. *Hic cum ætate jam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit, &c. Veniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis*

junctis, atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat. Eadem commemorat Plutarchus. Respexerunt porro huc, qui apud Romanos etiam Marcello cœco vehiculum decreverunt, quo in curiam itaret. Qua de re quia dixi satis in superioribus, hic nihil repeto. Videtur autem in universum hoc tributum senibus, ut vehiculo uterentur. Inde in lege XII. tabularum ante adducta: *Si ævitas vitium extitit*. Et Gellius prædicto loco: *Arcera nimis ægri aut senes portari cubantes solebant*. Hac de caussa etiam Ausonius epist. 14. ad Paulum senem:

Pelle soporiferi senium nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.

Memoratque de Antiocho Medico Galenus, quod annos natus plusquam octoginta, si ei longius ire necesse esset, sella aut vehiculo uteretur. Sic de Spurinna septem & septuaginta annorum Plinius lib. III. epist. 1. *Deinde considet, & liber rursus, aut sermo libro potior: Mox vehiculum ascendit; Assumit uxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, ut me proxime*. Quæ exempla simul docent, non ob infirmitatem modo, sed & exercitationem, adhibita a senioribus. Venio ad alium vehiculorum usum: Solebant enim eis aliquando exportari defuncti. Atque primum quidem factum hoc honoris gratia: Nam Matronæ, quæ filios habuissent in curuli dignitate constitutos, curru sellaque curruli efferebantur. Ita colligit Jos. Scaliger ex illo Propertii lib. IV. el. 12. ubi Cornelia ad Paulum;

—— —— —— Sim digna merendo
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

Veteres habuerunt *aquis*, sed alteram sui codicis ait esse lectionem, additque: *Hæc confirmant, quæ superius dixi, nempe Matronas honorariis vestibus, curru & sella curuli efferri, quæ filios consulares aut aliis curulibus Magistratibus functos relinquerent. Nam equi honorati sunt curules, vel currus prætorius, in quo sella curulis*. Deinde sumptus minuendi gratia in pauperibus ac servis. Apud Massilienses profecto sic obtinuit, de quo Valerius Maximus lib. II. cap. 1. *Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent; Altera, qua liberorum, altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehuntur*. Ubi nota plaustri usum in hoc negocio. Forsitan fecerunt ita & Romani, maxime, cum servi essent sepulturæ tradendi, quando & in aliis pecorum ritu habuere, pecora vero mortua plaustris evehuntur. Damnatos profecto extulere plaustris, idque contumeliæ fiebat caussa, quæ non aliunde orta videtur, quam quod sic pecoribus & servis redderentur similes. Herodianus lib. IV. cap. 6. *Τὰ δὲ πτώματα φερόμενα μεθ᾽ ὕβρεως πάσαις ἁμάξαις ἐπιτεθέντα, ἔξω τῆς πόλεως κομισθέντα σωρηδὸν κατεπίμπρατο, ἢ ὅ πως δὴ ἐρρίπτετο*. *Ipsa cadavera plaustris omnibus per contumeliam imposita atque extra urbem exportata acervatim aut temere injecta rogis comburebantur*. Loquitur de amicis & ministris Getæ Imperatoris, quos Caracalla frater condemnatos hac infamia notaverat. Videntur tale quid & illi attendisse; qui sic Commodi cadaver extulere. Idem auctor lib. II. *Τὸ μὲν οὖν σῶμα τοῦ βασιλέως ὕπω κλαπὲν, ἐκκομισθέν τε τῆς αὐλείου θύρας, νύκτωρ ὀχήματι ἐπιθέντες, εἰς τὸ προαστεῖον ἀπέπεμψαν*. Ita Meursius emendat, cum priores, imo postea quoque Argentorati excusi habeant *ἀστεῖον*, quod haud dubie depravatum est. Sensus: *Corpus principio furtim elatum ac per noctem vehiculo impositum in suburbium miserunt*. De suburbio est sermo, ubi culina, locus pauperum, servorum, damnatorum sepulturæ destinatus. Præter hæc consuetudo efferendi mortuos in vehiculis obtinuit quandoque, cum in lue publica præ multitudine defuncti non possent efferri in lectis. Qua de re testimonium habemus Zonaræ in Const. Copron. ubi agit de pestilentia ingenti per Siciliam, Calabriam & Græciam: *Tanta fuit morientium multitudo, ut efferri non possent, sed plura cadavera simul curribus imposita veherentur*. Et Paulus Diaconus de pestilentia simili sub Constantino: *Ex necessitate multa excogitatum est, quod super animalia tabulæ sternerentur, & ita super has impositi mortui deferrentur. Pari modo & alii in plaustris suprapositi asportabantur*. Legimus hoc ipsum aliquando factum ob itinerum longinquitatem. Sic enim Athenienses civium suorum, qui cecidissent in bello, cadavera tot componebant arcis, quot habebant tribus, & sic referebant in urbem vehiculis, quod ex, nescio quo, veteri testatur Alexander Ferrariensis lib. III. cap. 10. Nisi respexisse Thucydidem putamus, qui sic ea de re lib. II. Interprete illius optimo, Enegkelio Barone: *Eadem hyeme Athenienses more patrio exequias bello primum absumptis publice fecerunt, in hunc fere modum: Extructo triduo ante tabernaculo, occisorum ossa proponunt, & suis quisque aliquid pro lubitu addit. Cum vero efferendum est funus, arcas ex cupresso, suæ quamque tribus ossa continentes, currus singularum tribuum singulas vehunt, &c. Comitantur funus pro voluntate cujusque cives peregrinique, & fœminæ cognatione eos aliqua attingentes ad sepulchrum lamentantur. Ponunt eos in publico monumento, quod est in pulcherrimo suburbio civitatis*. At his verbis, currus istos secum habuisse in militia, Thucydides non ait, quod tamen Alexander videtur voluisse, quando ait: *Cadavera tot arcis componebant, quot erant tribus, & referebant in urbem vehiculis*. Itemque Alexander Neapolitanus, seu ab Alexandro, qui expresse lib. VI. Genial. Dier. cap. 14. *Inolevit mos Athenis, ut singulæ tribus singulas arcas, in quibus cadavera & dispersas reliquias illorum, qui bello ceciderant, suæ cujusque tribus, inquisita colligerent, in expeditione vehiculis ferant*. Non, inquam, latas arcas in expeditione dicit Thucydides, sed in urbe congesta in eas ossa, ut sic singulæ plaustris singulis ad sepulchrum publicum possent deferri. Itaque habuerint sua ex alio quopiam uterque Alexander, vel Thucydidem non recte assecuti fuerint, necesse est. Quanquam vero non repugnet, ossa quoque reportasse domum in vehiculis. Qui enim alias quivissent commode? Adde, quod & alibi sic sueverint. Quod colligimus exemplo Alexandri, quem in curru Alexandriam perlatum memorant. Diodorus lib. XVIII. *Συντετελεκὼς τὴν ἁρμάμαξαν, ἐφ᾽ ἧς ἔδει κατακομισθῆναι τὸ βασιλικὸν σῶμα, παρεσκευάζετο τὰ πρὸς τὴν κομιδήν*. *Harmamaxa, qua regium cadaver transvehendum erat, jam confecta, ad translationem ejus se præparabat*. Paulo aliter Ælianus noster lib. XI. cap. ult. ita tamen, ut & ipse currum memoret in hoc negotio. Et sic alibi quoque observamus factum. Ita namque circumvehere cadaver Regis sui defuncti Scythæ consueverunt, teste Herodoto in Melpomene. *Quum Rex eorum decessit*, inquit, *accipiunt mortuum corpore incerato, alvo evulsa atque expurgata, quam silere contuso & thimiamate apiique semine & anisi quum expleverunt, resuunt rursus, impositumque plau-*

stro cadaver ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ, &c. *Postmodum Regis cadaver carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant, quæ ipsos comitatur ad eos, unde primum venerant.* Sed hoc satis. Occurrit & vehiculorum usus aliquando ad supplicia & pœnas. Quo referimus, quod Homerus prodit de Hectore ad currum religato ab Achille, atque sic per terram tracto, lib. x. Iliad. Dictys Cretensis lib. III. *Achilles cum cæde inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in unum pedibus vinculo, currui postremo adnectit. Dein, ubi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita curru concitato per campum, qua maxime visi poterat, pervolat, hostem mirandum in modum circumtrahens: Genus pæne novum miserandumque.* Sed hoc quidem Hectori evenit jam occiso. At vero vivo filiæ Limones adultero, per Hippomenem, unum ex Codri posteris. Heraclides in Polit. Ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας μετὰ τῆς θυγατρὸς τῷ ἅρματι. *Ipsum* (adulterum) *necavit, currui alligatum una cum filia.* Simili modo Betim ultus est Alexander, de quo Curtius lib. IV. cap 6. *Per talos spirantis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi, gloriante Rege Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda.* Alia est ratio, quando nocens alligatur vehiculis duobus, & sic distrahitur in partes. Priscis temporibus hoc accidit Metio apud Romanos. Livius lib. I. c. 28. *Exinde duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Metium. Deinde in diversum iter equi concitati lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, portantes.* Florus lib. I. cap 3. *Ruptorem fœderis Metium Fufetium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit.* Habes nominatim currus: Ad quos quo pacto religatus fuerit, declarat Dionysius Halicarnassensis. Et Servius ad Virgilii VIII. *Metium post victoriam captum Tullius Hostilius religavit ad duas quadrigas, ita, ut ab unis quadrigis traherentur manus, pedes vero ab alteris: Quibus agitatis velociter, eum crudeli morte discerpsit.* Sunt, qui supplicii hujus auctorem faciunt Herculem. Freinshemius in Notis ad Florum: *Id supplicii Herculem invenisse ferunt.* Respexit, ut opinor, Godelevæum, qui ad Livium, ubi de Metii supplicio, hoc modo: *Hoc supplicii genus ab Hercule inventum esse constat, qui florenti adhuc ætate Regem Euboeæ Pyrechmen bellum Bœotiis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas dispertiretur partes, ut refert Plutarchus cap. 13. Paral.* Sed nonnihil differunt, alligare ad currus cum quadrigis, aliud ad equos simplices. Hoc factum ab Hercule, non illud. Ita enim Plutarchus ipse: Πώλοις δὲ προσδήσας, καὶ εἰς δύο μέρη διελὼν τὸν Πυραίχμην ἄταφον ἔῤῥιψεν. Male vertunt: *Pullisque equi alligatum in duas partes discerpsit, insepultumque abjecit:* Deberent enim, *equis alligatum*, quoniam πῶλοι Græcis sæpe simpliciter sunt *equi*. Et sic ipse statim in historia Metii: Τὸν βασιλέα δύο πώλοις συζεύξας διεσπάραξεν. Ubi similiter reddendum erat: *Duos jungens equos eum discerpsit.* Licet vero & Plutarchus nudos equos nominet in Metii supplicio, & iccirco illud Pyrechmes huic assimilet, fecit tamen id, secutus alios auctores, contra sententiam plerorumque Romanorum. Ipse Varro lib. I. de Gente Pop. Rom. *Metium Suffetium equi ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.* Meminit alias supplicii hujus & Seneca ep. 14. ubi licet legat Lipsius, *distracta in diversum actis cruribus membra*, tamen *curribus*, quod habent vulgati, & Gronovii optima editio, præferendum, cum *acta crura* parum commode dicantur, quæ flexis arboribus sunt innexa, neque crura solum, sed & brachia religari consueverint. Reperimus etiam, qui subjecti plaustris, comminutique rotis fuerunt. Memoratque nominatim Plutarchus in Galba delatorem Aponium hujusmodi supplicio affectum. Ἀπόνιον δέ τινα τῶν κατηγορικῶν διατρίψαντες, ἁμάξας λιθοφόρους ἐπήγαγον. *Aponium quendam ex delatoribus prostraverunt, & per corpus ejus onusta lapidibus plaustra egere.* Aliquando rotæ solæ huc adhibitæ, quomodo videmus hodieque sontes rota contundi ad mortem. Quanquam genus hoc sit recentius, &, ut Bodinus censet lib. v. de Rep. excogitatum a Germanis. Gallo-Francis tribuit Barthius lib. IX. Adv. c. I. propter ista Galteri lib. VIII. Alex.

Hoc habitu quondam Burchardum Flandria vidit
Solventem meritas, occiso Principe, pœnas.
Quem rota pœnalis pro tanto crimine torsit,
Totaque confregit Ludovico vindice membra.

Item, quod in Glossis rota sit *Gallicula*. Verba veteris Glossarii, sub titulo Excerptorum laudati, ita habent: *Galliculæ*, τροχάδες. Nec videtur error in scriptura, quando & in Glossis Græco-Latinis ita reperitur, τροχὰς, *gallicula*. Sed gallicula hic nihil pertinet ad rotam, quam nec τροχὰς significat. Rota Græce est τροχὸς, non τροχὰς, quod sine caussa Barthius in τροχὸς putavit immutandum: Τροχὰς vero gallicula. Hesychius: Τροχάδες, σανδάλια ἀπὸ αἰγείου δέρματος. Vides, adeo non significare rotam, ut sint sandalia de genere calceorum, qualia & gallicæ & galliculæ. Itaque in conjectatione sua frustra Barthius hic fuit. Nec tamen repugnem, apud Gallos Francosque genus hoc supplicii fuisse olim receptum, propter verba Galteri, quæ aperte memorant confracta membra. Rotas habuere Græci quoque ac Latini, sed solummodo ad torquendum, non adimendam vitam. Talis rota, in quam reponebantur servi, cædebanturque virgis. Scholiastes vetus Aristophanis in Pace: Οἱ δοῦλοι σφαλλόμενοι ἐπὶ τοῦ τροχοῦ δεσμευόμενοι καὶ συρόμενοι ἐτύπτοντο, ἀνακλώμενοι ἐν αὐτῷ. *Servi delinquentes super rotam religati & tracti verberibus multabantur, in ea reflexi.* Religabantur vero manibus. Quod indicat Achilles Tatius lib. VI. Φερέτω τροχὸν, ἰδοὺ χεῖρες, τεινέτω. Sic enim distinguendum est, Salmasio auctore, atque explicandum: *Rotam inferat; Ecce manus, eas extendat.* Quid autem est ἀνακλώμενοι apud Scholiast. vel *reflexi in ea?* Puto machinam sic fuisse structam, ut nocens ab una parte religatus incumberet orbi bene lato, eoque circumacto tenderetur. Suidas in voce τροχισθεῖσα: Ἀπὸ τοῦ τροχοῦ ὅπερ ὄργανον βασανιστικὸν, καὶ διατεῖνον τὰ σώματα. Verbum hoc *dictum a rota, quæ instrumentum tortorium, quo corpora extenduntur.* Neque mirum, cum in pedibus haberent religata pondera, si modo recte sese habent, quæ leguntur apud Josephum in de Maccabæis. Verba hæc sunt: *Illigari igitur, mole pedibus appensa, atque innecti rotæ jubetur Maccabæus, ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut solutis hinc inde visceribus, venisque distentis, dolores ipsius & pœnæ crescerent.* Ita sese habent verba Erasmi, qui hunc librum reddidit Latine. At Josephus ipse ita loquitur: Ἀνέβαλον αὐτὸν περὶ τὸν τροχὸν, περὶ ὃν κατατεινόμενος ὁ εὐγενὴς νεανίας, ἐξάρθρος ἐγένετο, καὶ κατὰ πᾶν μέλος κλώμενος. In quibus verbis nil occurrit de ponderibus, tantum membra singula dicuntur extenta, & articulos omnes e

loco ſuo emotos, ipſe damnatus poſtremo conjectus *περὶ τὸν τροχὸν*, quod plane id ſignificat, quod dixi. Non videlicet ligatum ſuper radios, ſed in orbe ſive circulo rotæ. Quare illa quoque non ſunt recte reddita, quæ ſequuntur: *Ταῦτα λέγοντι πῦρ ὑπέστρωσαν, καὶ διηρέθησαν τὸν τροχὸν προσεπικατατείνοντες. Εμολύνετο δὲ πάντοθεν αἵματι ὁ τροχὸς, καὶ ὁ σωρὸς τῆς ἀνθρακίας τοῖς τῶν ἰχώρων ἐσβέννυτο σταλαγμοῖς, καὶ περὶ τοὺς ἄξονας τοῦ ὀργάνου περιέρρεον αἱ σάρκες.* Eraſmus ita vertit: *Hæc eo loquente præparatur incendium, &, ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur, atque ita tendentibus corpus radiis & contrahentibus flammis, coſtis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur.* Nihil tale dicitur in Græcis, quorum ſenſus verus hic eſt: *Iſta dicenti ſubſtraverunt ignem excitaruntque, rotam juxta intendentes. Rota vero undiquaque maculabatur ſanguine, prunarum autem cumulus rore humorum deſtillantium extinguebatur, & circa machinæ axes diffluebant carnes.* Nihil hic de radiis rotæ, ſed de axe, cui incidebant carnes corporis lacerati, quod impoſitum fuit orbi. Sed nec, quæ de igni habentur, ſatis intellexit Eraſmus. Putavit in eum una cum rota fuiſſe conjectum damnatum. At Joſephus prunas ait ſubſtratas, ut alligatus rotæ non tenderetur ſolum, ſed & torreretur. Atque ſic receptum fuit in hoc genere, ideo ignis fere una cum rota memoratur. Achilles Tatius, poſt ea, quæ de rota paulo ante protulit: *Φερέτω καὶ μάστιγας, ἰδοὺ νῶτος, τυπτέτω Κομιζέτω πῦρ, ἰδοὺ σῶμα, καιέτω. Afferat & flagra, ecce tergum, verberet. Ferat ignem, ecce corpus, comburat.* Sic enim diſtinguit explicatque Salmaſius. Atque ſtatim poſt: *Λάμβανε κατ᾽ ἐμοῦ τὰς μάστιγας, τὸν τροχὸν τὸ πῦρ Cape in me flagra, rotam, ignem.* Apulejus lib. III. Aſini: *Nec mora, cum ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Habes ecce ignem ſimul cum rota. Sed & flagra, quia, ſicut dixi ab initio, & hoc receptum fuit, ut ſimul damnati verberarentur. Ariſtophanes in Pace:

Επὶ τοῦ τροχοῦ χ᾽ ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

Vertit Florens Chriſtianus:

Flagris ſecetur, & trabente eat rota.

Quod non ſatis eſt evidens, quando non ibant tracti rota, ſed ei impoſiti trahebantur ad divulſionem membrorum, & interea proſcindebantur flagris, idque veritatis extorquendæ vel alterius rei obtinendæ gratia, non vero adimendæ vitæ, in quo rota Græcienſis a rota Germanorum Francorumve differebat, contra quam plerique docti cenſuere. Gerardus ad Plutum Ariſt. *Noxii alligabantur rotis, ut radiis rotarum convulſi lenta quidem morte, ſed maximo cruciatu, illic perimerentur.* Neutrum horum verum, nam nec alligati radiis, nec perempti. Docet ipſe Ariſtophanes:

Επὶ τοῦ τροχοῦ σε δεῖ σ᾽ ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν, ἃ πεπανούργηκας. —— ——

Sententia eſt clariſſima, *ſuper rotam*, ait, *te incurvatum hic oportet proloqui, quæ feceris prava.* Friſchlinus perperam ſic reddidit:

—— —— Nam oportet te, rotæ
Illic revinctum & radiis inſertum, tua
Flagitia profiteri.

Nulla mentio hic radiorum: Tantum dicit rotæ tormento eo compulſum iri, ut veritatem profiteatur. Veritatis ergo exprimendæ cauſſa, non perimendi ſontis, rota eſt inventa, ut ne Cœlius Rhodiginus quidem recte cum rota Germanorum junxerit. *Rotæ tormentum*, ait lib. X. cap. 5. *Germanorum fere peculiare cenſetur: Ita tamen, ut ejus meminerit Ariſtophanes Pluto.* Falſum hoc. Non agit de rota Germanorum, verum ea, quam vocavit *Græcienſem* Apulejus. Itaque nec illud probum, quod ſequitur: *Rotæ inſeruntur noxii, & membratim rotarum convulſi radiis lentitudine mortis maximo cruciatu perimuntur.* Non perimuntur rota veteri Græcienſi, ſed torquentur. Ita torquetur peregrinus ille apud Plutarchum in vita Niciæ, qui cladem Athenienſium in tonſtrina narraverat, ut rei a ſe nunciatæ proderet auctorem. Ita fuerunt, qui Phocionem cenſuerunt torquendum ad edendos conjurationis ſocios, priuſquam ad ultimum duceretur ſupplicium, apud eundem Plutarchum in vita Phocionis. Pertinet huc quoque dictum Plauti, quando ait Act. II. Ciſtell. ſcen. I.

Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer.

Sed de rota ſatis, redeo ad integra vehicula, quæ adhibebantur quoque ad infamiam. Quomodo apud Scythas, qui vates falſus erat, imponebatur plauſtro ſarmenti onuſto, quæ ſimul accendebantur igne. Herodotus lib III. *Falſos vates hunc in modum necant: Plauſtrum concameratum, ubi ſarmentis referſerunt, bobuſque junxerunt, vaticinos pedibus implicatis, & manibus poſt tergum revinctis, atque ore obſtructo, extendunt in medium ſarmentorum: Incenſiſque ſarmentis territando agitant boves, quorum boum multi cum vaticinis concremantur, multi ambuſti, cremato utique plauſtri temone, aufugiunt.* Romani parricidas affecturi ſupplicio, plauſtro deferebant ad mare juncto bobus nigris. Ita docet Gloſſarium vetus, quod citat Savaro ad Sidon. IV. ep. 24 *Fuit lex quædam hujuſmodi omnibus hominibus, ut, qui parricidium feciſſet, publice in culleo miſſus cum vipera & cane & ſimia & gallo, impiis animalibus, impius homo ſuper plauſtrum, junctum nigris bobus, deferretur in mare, & projiceretur in profundum.* Eadem plane habet Doſitheus, Grammaticus Græcus, in Sententiis & Epiſtolis Hadriani Imperatoris, ex quo adducit Demſterus ad Roſſinum verbi græcis, ut alter ex altero tranſcripſerit. Neſcio, num quid ſimile receptum fuerit apud Græcos in proditoribus. Phocion ſaltem, hujus criminis reus, ita vectus eſt. Plutarchus in ejus vita: *Καὶ πρῶτον τὸ σχῆμα τῇ κομιδῇ λυπηρὸν, ἐφ᾽ ἁμάξαις κομιζομένων αὐτῶν διὰ τοῦ Κεραμικοῦ πρὸς τὸ θέατρον. Species vecturæ fuit triſtis admodum, plauſtris vecti per Ceramicum fuerunt ad theatrum.* Atque hi vehiculorum uſus fere pacis tempore. Fuit & eorum uſus non exiguus in bello. Populi profecto antiquiſſimi hoc genere pugnarunt. Quod ex ipſo Moſe diſcimus, qui exercitum Pharaonis & Ægyptiorum æſtimat ex ſolis curribus. Verba ejus Exodi 14. *Junxit ergo currum, (Pharao) & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum. Tulitque ſexcentos currus electos, & quicquid in Ægypto curruum fuit, & Duces totius exercitus.* Simili modo in exercitu Seſoſtris Diodorus lib. I. memorat *ζεύγη πολεμιστήρια δισμύρια καὶ ἑπτακισχίλια, currus militares ad viginti ſeptem millium numerum.* Sic de Jabin, Rege Cananæorum, legimus in libro Judic. cap 4. *Nongentos habebat falcatos currus.* Habuerunt

& Assyrii. Diodorus lib. II. de Nino memorat, quod in exercitu suo adversus Bactrianos adhibuerit ἅρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων, *currus falcatos paulo minus decem millibus & sexcentis*. Persæ non alio genere magis parari victoriam putarunt. Inde Curtius lib. IV capit. 9. *Ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentæ falcatæ quadrigæ unicum illarum gentium auxilium sequutæ sunt.* De Persis & Dario loquitur, ipsorum Rege. Neque recens fuit institutum hoc Persarum, sed vetustum plane. Meminit enim Diodorus lib. II. auxilii Priamo missi a Teutamo, Rege Assyriorum, curribus ducentis Susianorum, qui sunt Persæ: Ἄλλους δὲ τοσούτους Σουσιανοὺς σὺν ἅρμασι διακοσίοις ἐξαποστεῖλαι. *Totidem Susianos cum ducentis curribus illi misit*. Transiit hæc consuetudo etiam ad Thraces. Polyænus lib. IV. de Alexandro: Θρακῶν παρασκευασμένων καταγνὺς ἁμάξας πολλὰς ἐπαφιέναι τοῖς Μακεδόσι. *Thraces paratos esse didicit, ut magnam vim curruum in Macedones immitterent*. Indos. De quibus ante dictus Curtius lib. VIII. cap. 14. *Summa virium in curribus. Senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios ab utroque latere dispositos, cæteri aurigæ erant, haud sane inermes, quippe jacula complura, ubi cominus præliandum erat, omissis habenis in hostem ingerebant*. Sic describit currus istos Indorum, Regisque Pori, unde constat, non fuisse, quales vulgo in militia, præcipue Græcorum, fuerunt recepti. Ut hoc ipsum forte Clariss. Freinshemium monere debuerit, ne in dubium Curtii fidem vocaret. Nec enim, si alii Indorum, excepto auriga, epibatas seu propugnatores habuere duos tantum, quod Ælianus tradunt atque Strabo, & ipsum quoque diversum est a consuetudine Græcorum, necesse videtur, ut idem statim de Indis, quibus Porus imperabat, statuamus. Curribus pugnarunt Græci quoque. Ideo vetusta mentio eorum etiam apud Homerum. Eadem Libyæ gentis consuetudo. Docet junctim Pollux lib. I. cap. 10. Λίβυες ἀπὸ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγνυμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες, μάχονται. *Libyci ex curribus, ad quos juncti equi, quemadmodum Heroes Homeri, præliantur*. Ita locum hunc vertendum monui in meis ad Arriani tactica Notationibus. Num & Lacones? Inter species διφρείας enim apud Pollucem dicto loco est & ἡ λακωνική. Præterea in illo Pollucis loco toto agitur de curribus non aliis, quam militaribus. Sed quæ διφρεῖαι illæ, quarum species tres memorat, Libycam, Persicam, & Laconicam? Puto significare non certam quandam & peculiarem rationem agendi currus, in peculiari equorum concitatione consistentem, verum singularem speciem, cum respectu curulis constructionis, tum respectu eorum, qui ex curribus pugnabant, & armorum, quibus utebantur. Quod colligo ex loco Xenophontis, qui extat lib. VI. Pædiæ, ubi Persicam διφρείαν explicat, eique opponit Trojanam & Cyrenaicam. Verba sic se habent: Καὶ τὴν μὲν Τρωϊκὴν διφρείαν πρόσθεν οὖσαν, καὶ τὴν Κυρηναίων ἔτι νῦν οὖσαν ἁρματηλασίαν κατέλυσε. Τὸν γὰρ πρόσθεν χρόνον καὶ οἱ ἐν Μηδίᾳ καὶ Συρίᾳ καὶ Ἀραβίᾳ καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἅρμασιν οὕτως ἐχρῶντο, ὥσπερ νῦν οἱ Κυρηναῖοι. Sermo est de Cyro: *Trojanam, ait, rationem aurigandi, quæ olim fuit recepta, & Cyrenaicam, quæ nunc quoque usitata est, omisit. Superiore namque tempore & Medi, & Syri, & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita utebantur, ut nunc Cyrenaici*. Subdit postea, quid Cyrus immutaverit in structura curruum, & armatura illorum, qui pugnare ex iis debebant. Unde liquet, διφρείαν esse rationem certam præliandi ex curribus, aliter aliterque se habentem pro ratione curruum ipsorum & præliantium ex ipsis. Rationemque illam memorari quintuplicem, Libycam, Asiaticam vel Cyrenaicam, Persicam, Trojanam, & Laconicam. Atque ita Laconas seu Spartanos quoque habuisse quondam currus suos in bello, eosque peculiari quadam structos ratione armatosque, quæ a structura cæterorum differebat; eamque esse διφρείαν Λακωνικὴν, quam Pollux memorat. Quæ vero illa fuerit differentia, in defectu auctorum de hac re tradentium, haud profecto dixerim. Troicam, Asiaticam seu Cyrenaicam, & Persicam cognoscimus quadamtenus ex Xenophonte, alibique explicamus; At vero Libycam & Laconicam descriptam hactenus non observavimus. Ut sufficere nobis debeat, quod fuisse utriusque aliam a prædictis rationem sciamus. Nisi forte Libycam putamus eam ipsam, quæ & Cyrenaica. Videturque velle Scholiastes Pindari, quando, quod de Cyrenaicis proposuit, deinde explicat de Libyis. Verba sunt in Oden IV. Pyth. Τὴν Κυρήνην δ' εὔιππον εἶπεν οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τοὺς Λίβυας διδάξειε τὴν τῶν ἁρμάτων κατάζευξιν. *Cyrenen vocat bonam equis*, (Stephanus & docti viri alii non satis commode reddiderunt *equestrem*) *non ex eo, quod tunc accidit, sed quia Neptunus Libyas docuit juncturam vehiculorum*. Non potuisset tribui Cyrenaicis, quod ad Libyas pertinuit, si non Cyrenaici etiam Libyæ fuissent. Ita amplius cognoscimus ex Stephano, qui Libyn etiam Cyrenen ait dictam: Λιβύη, χώρα πολυώνυμος, ὡς Πολυΐστωρ. Γῆ Ὀλυμπία, Ὠκεανία, &c. Αἰθιοπία, Κυρήνη. *Libya, terra, quæ multa habet nomina, ut ait Polyhistor. ut terra Olympia, Oceania, &c. Æthiopia, Cyrene*. Itaque vix alia Libyca est ratio, quam Cyrenaica. De Laconica dubitamus, cum præsertim ejus alibi, quam apud Pollucem, mentionem nullam videamus fieri. Præter Græcos autem, interque eos nominatim Laconas seu Spartanos, invenimus usos curribus ad prælia & alios Europæ populos, ut Gallos Belgasque, quorum bennæ ac covini veteribus non semel memorantur. Hinc Lucanus quoque lib. I. de Belgis:

Et docilis Rector constrati Belga covini.

Et de Gallis Livius lib. X. cap. 20. *Essedis carrisque superstans armatus hostis, ingenti sonitu equorum rotarumque, advenit*. Britannis nihil fuit olim usitatius. Memorat jam Tacitus in Vita Agricolæ, cap. 12. *Quædam nationes & curru præliantur. Honestior auriga, clientes propugnant*. Et ante ipsum Mela lib. III. cap. 6. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallice armati*. Num & alii sic prælia commiserint, nescimus, nisi de Romanis aliquid colligere ex Auctore veteri de Rebus Bellicis volumus, propter Currodrepanos vulgares, singulares & clypeatos, quos describit. Sed hoc valde recens fuerit, necesse est, atque rarum, cum Scriptores nulli memorarint. Priscis sane temporibus ignorasse, vel unicus docuerit Polybius, qui, cum diligenter omnem Romanorum descripserit militiam, currus ne uno quidem in ea nominavit verbo. Cæterum, hic primus usus est vehiculorum in bello, pertinens ad prælia & acies. Est & usus alius, ad claudenda firmandaque castra, qui non Romanis quidem, aliis tamen populis admodum fuit receptus. Ac de Gallis quidem pridem est testatus Sisenna lib. IV. Historiarum, cujus verba Nonio servata voce *Carra* hæc sunt: *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt*. De Helvetiis discimus ex Cæsare, qui sic lib. I. Bell. Gall. cap. 6. *Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est; Propterea, quod*

pro vallo carros objecerant. Idem testis est & de Germanis, nominatimque Harudibus, Marcomannis, Triboccis, Vangionibus, Nemetibus, Sedusiis, Suevis, libr. I. dicti operis, cap. 51. Fuit & Cimbrorum ea consuetudo, quod colligimus ex Floro, quando lib. III. cap. 3. fœminas eorum scribit, *objectis undique plaustris atque carpentis* post virorum cladem pugnasse. Gothis tribuit Ammianus lib. XXXI. *Haud longo spatio*, ait, *separatum vulgus inæstimabile Barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tanquam intramuranis cohibita spatiis, otio fruebatur & ubertate prædarum*. Gethis vicinisque Claudianus in Rufinum lib. II. v 127. ubi sic de ipsis, quos communi nomine appellat Barbarum:

Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum
Asperat alternis sudibus, murique locata
In speciem cæsis obtendit plaustra juvencis.

Ubi nota, consuevisse interdum plaustris curribusve hisce coria exterius apponere, contra ictus ingruentium ab hoste telorum, & quo tutius ab eis in subeuntes pugnarent, qua de re cum alibi, tum quoque ad Mauritium nostrum egimus. Scythas vulgo habuisse intelligimus ex Luciano, ubi Toxaris Scytha in ejus nominis dialogo: Ἔνθα ἡμῖν τὸ ἥμισυ τοῦ στρατοπέδου, καὶ μέρος τῶν ἁμαξῶν ἦν. Οὕτω γὰρ ἐστηνώσαμεν. *Ubi nobis dimidium copiarum & pars plaustrorum erat. Sic enim castra fueramus metati*. De Thracibus ex Arriano discimus, qui sic statim ab initio de ipsis: Ξυναγαγόντες ἁμάξας, καὶ προβαλόμενοι πρὸ σφῶν ἅμα μὲν χάρακι ἐχρῶντο ταῖς ἁμάξαις ἐς τὸ ἀπομάχεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν εἰ βιάζοιντο. *Congregatis plaustris, & ante se collocatis*, (Interpres liberalius, *in orbem dispositis*) *simul pro vallo utebantur eis, ut ex iis, si premerentur, pugnarent*. Barbaris in universum omnibus tribuit Vegetius lib. III. cap. 10. ubi agit de diversa muniendi castra ratione. *Omnes barbari*, ait, *carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum securas a supervenientibus exigunt noctes*. Usurparunt tamen & Romani quoque sequioribus temporibus, ut ex Leone, Mauritio, cæterisque Tacticorum Scriptoribus, cognoscimus. Et jam de Narsete Agathias lib. II. ubi agit de ipsius castrametatione: Καὶ τοὺς τῶν ἁμαξῶν τροχοὺς, ἃς δὴ ὡς πλείστας ἐπήγετο, στοιχηδὸν ἐς ἀλλήλους ἁρμόσας, ἐνέπηξε τὰ ὀπίσω τῷ ἐδάφει, ἄχρι καὶ ἐς τὰς πλήμνας περιχώσας, ὡς μόνα τὰ ἡμικύκλια ὑπερανέχειν καὶ προβεβλῆσθαι. *Et curruum, quorum maximam habebat vim, rotas ordine inter se consertas solo infixit, terra ad modiolos rotarum usque aggesta, ita, ut circumferentiæ dimidia tantum pars extaret & promineret*, ut Vulcanius hæc vertit. Non vero ad munitionem castrorum solummodo, sed & integri exercitus, in itinere constituti, pertinebant, si qua vis ab hoste timeretur, aut insultus. Quod ostendit Polyænus lib. III. ubi de Timotheo testatur, quod contra Olynthios servarit exercitum suum in itinere, τὰς ἁμάξας πυκνὰς ἄγων καὶ συνηρτημένας, τοὺς δὲ ὁπλίτας τούτων ἔξωθεν περιβαλὼν, *currus constipatim ducens & conjunctim, eisque circumdans armatos*. Pollio in Gallienis, cap. 13. *Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati*. Cælius Rhodiginus lib. XVIII. cap. 24. explicans hunc locum ita scribit: *Sic interpretantur nonnulli, ut carraginem facere, verbo barbariem resipiente, sit perinde, ac si dicas, conclamare vasa. Sed & carraginem facere dixeris non recte minus, viam aperire, qua commeent plaustra: Quando & carraginem ratione hac usurpat pleraque Italia, vel proverbio teste*. Verum, quicquid sit de proverbio Italiaque, nihil tale voluit Pollio in prædicto loco, sed per *carraginem facere* intellexit carros inter se conjungere vel construere, ut per eos ita consertos, & a latere utroque tergoque incedentes, medius inter eos exercitus tutum ab hoste possit iter facere; qua de re loco alio pluribus agemus. Ad postremum etiam in ipso prælio sic suos muniebant aliquando, maxime, si metueretur fuga. Cæsar de Bell. Gall cap. 51. *Omnem aciem suam rhedis & carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur*. Simile quodammodo Indorum institutum apud Curtium lib. IX. cap. 1. *Barbari*, ait, *vehiculis inter se junctis dimicaturi occurrerunt, transiliebantque in vehicula strenuo saltu, cum succurrere laborantibus suis vellent*. Ubi juncta inter se vehicula non aliter intelligenda, quam ut dixi. Quare sequitur de Alexandro: *Vincula, quis conserta erant*, (vehicula) *jussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur*. Sed & de Vacceis Frontinus lib. IV. cap. 7. 33. *Vaccei, cum a Sempronio collatis signit urgerentur, universas copias cinxere plaustris*. Est & tertius vehiculorum usus in militia ad deportanda primum tela majora cum suis machinis. Inde inter vehicula exercitum sequentia Mauritius noster lib. XII. cap. 18. numerat τὰς βαλιστροφόρους ἁμάξας, (sic enim legendum, non βαλιστρόφους, quod in Notis monui) hoc est, *currus balistas portantes*. Vegetio videntur esse *carrobalistæ* tela, ducta istis curribus. Verba extant lib II. cap. ult. *Legio primum omnium instruitur jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carrobalistas habere consuevit, quibus muli ad trahendum deputantur*. Idem memorat onagros in vehiculis, eodem loco: *In una legione esse solent decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes. In carpentis bobus portantur armatis, ut, si forte hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi*. Sic distinguo locum hunc, qui se male habet in vulgatis: Deinde pertinebant ad gestationem armorum, si fiebat iter, neque metus erat ab hoste. Unde Mauritius noster lib. XII. cap. 19. Ἐὰν οἱ ἐχθροὶ πλησίον ὦσι, τὰ ὅπλα αὐτῶν βαστάζοντας τοὺς ὁπλίτας περιπατεῖν δεῖ, καὶ μὴ εἰς τὰς ἁμάξας ταύτας καταλιμπάνειν, ἵνα ὦσιν ἕτοιμοι πρὸς τὴν μάχην. *Si appropinquent hostes, graviter armati debent incedere gestantes arma sua, nec ea relinquere in vehiculis, quo sint parati ad prælium*. Hic monentur, ne appropinquante hoste arma relinquant in vehiculis, sed eis sese muniant. Ex quo sequitur. habuisse alias deposita in eis. Neque alia fortassis caussa, quod non raro videamus apud Auctores veteres etiam in itinere decursum ad arma, si quando ex inopinato hostis ingruebat. Ita Curtius lib. III. cap. 8. *Itineri quam prælio aptiores erant, raptimque arma capiebant*. Sed & alias in eis arma habebant, ut, si quovis modo sua perdidissent, haberent, unde promerent alia. Hinc capta legimus *plaustra coriis ac minoribus sagittis onusta* apud Nonium voce *catapulta* ex Sisennæ lib. III. Ultimus est usus ad gestandas sarcinas militares alias, de quo frequentissime Scriptores. Hinc illud Curtii lib. VI. cap. 6. *Planicies spaciosa erat, in quam vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid deinde esset imperaturus, jumenta jussit abduci, suisque primum sarcinis, face subdita, cæteras incendi præcepit*. Habes manifeste sarcinas in vehiculis. Quod & aliunde sæpius colligitur. Præter hos solennes propriosque, sunt & usus alii vehiculorum. Ut cum in flumine collocantur ad coercendam vim aquarum, quo facilius transire possit exercitus.

Quo videtur referendum, quod habet Cæſar lib. I. Bell. Civ. cap. 64. *Legiones expeditas educit, magnoque numero jumentorum in flumine ſupra atque infra conſtituto tranſducit exercitum*. Nam, jumenta currus plauſtraque ſignificare interdum, alibi jam oſtendi. Singularis eſt inventi, quod de Datame refert Polyænus lib. VII. Verba ſunt hujuſmodi, ut Vultejus vertit; *Datames ſupra fluvium magnam viam contendit, & curribus binis conjunctis binos alios impoſuit, eoſque clavis inter ſe compegit, & juxta cantbos ab inferiori parte tabulas affixit, ut ne rotæ in limum fluminis deprimerentur. Viros autem valentiſſimos, qui optima jumenta attraherent, tranare juſſit. Poſtea currus compactos in fluvium immiſit. Hoc pacto cum poſteriores impellerent, ii vero, qui trajecerant, ab anteriore parte traherent magnis funibus ſuſpenſos, injectis ſuperius ſarmentis atque lignis, fluvium cum ſuis copiis tranſmiſit*. Sic Vultejus, paulo tamen obſcurius. Polyæni mens eſt hujuſmodi, feciſſe Datamen in defectu pontis, ut per currus in flumine conſtitutos exercitum poſſet traducere. Itaque non binos tantum, ſed & duos & duos (*ἁμάξας συνδυο ζευξας*) conjunxiſſe. Verum, quia fuit flumen altius, his impoſuiſſe currus alios. Jam ut ſic juncti copulatique duci poſſent per flumen, primum viros ſtrenuos juſſiſſe illud ſuperare natando cum jumentis validis, ad hæc jumenta in adverſa ripa conſtituta jam alligaſſe funes validos, quibus attraherent vehicula ſerie longa inter ſe connexa, & ut promptius hoc poſſet fieri, fuiſſe, qui a tergo vehicula iſta propellerent. Poſtremo, ne in limo ſubſiderent rotæ, tabellas eis affixiſſe. Ita conjeciſſe ſarmenta in plauſtra, & ſuper ea tabulas, ut per eas exercitui pateret via. Hæc ſententia eſt Poliæni, quam interpreti dabit facile, quiſquis noſtra conferre cum Græcis volet. Ut enim Græca quoque proferamus, prolixitas verborum prohibet. Vehiculis in anguſto itinere conſtitutis accenſiſque Demetrius impedivit perſecutionem hoſtilem, ſicut idem teſtatur lib. IV. Πλῆθος ἁμαξῶν σωρεύσας κατὰ τὸ στενώτατον τῆς δυσχερείας πῦρ ἀνῆκεν. Οἱ μὲν πολέμιοι τὴν πυρκαϊὰν ὑπερβαίνειν οὐκ ἠδύναντο. *Curruum multitudine coacervata in anguſtiſſimo difficillimoque loco ignem ſubdidit. Hoſtes incenſum ignem tranſire non poterant*. Jam ut vehiculorum fuit uſus in militia & bello, ita & in belli præludiis, hoc eſt, venationibus. Sic ſaltem de Garamantis legimus apud Herodotum lib. IV. Nec fortaſſis non eſt factitatum aliis, priſcis maxime temporibus, antequam ars equitandi publice invaluiſſet. De quo alii deliberent.



JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
DE
RE VEHICULARI
LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De varia & multiplici vehiculorum differentia.

In hoc capite agitur de multiplici vehiculorum figura, primum respectu rotarum, dein capsarum, tertio adjunctorum animalium. Postea subjicitur multiplex eorum usus sive in pace, sive in bello.



CUM superiori libro de vehiculis in universum copiose satis, sicut opinamur, actum sit, res ipsa postulat, ut nunc persequamur explicationem singulorum, & quem usum in negociis habuerint humanis, demonstremus. Possunt autem omnia considerari vel respectu formæ suæ, vel respectu finis operumque, quibus destinantur. Nam materia quidem jam exposita est in præcedentibus. Et qui genus unum fabricant vel conficiunt, etiam alterum fere facere consueverunt. Quando igitur attendimus ad formam, hoc est speciem vehiculorum ac structuram differre illam intelligimus vel respectu ipsorum, vel respectu eorum, a quibus duci solent aut moveri. Prius genus quoque suas habet differentias, si attendimus vel ad rotas, vel ad corpus reliquum. Rotarum intuitu sunt vehicula nonnulla, quæ eas habent aliquas, sunt item nonnulla, quæ iis penitus destituuntur. Ea quoque, quæ posterioris generis, non eodem sese habent modo. Nam quidem loco rotarum habent aliud quidpiam, cui subnixa feruntur, alia nil omnimodo. Ad priorem classem pertinent trahæ ac id genus; ad posteriorem clitellæ, sellæ, lecticæ, ac ejusmodi. At vero quæ instructæ rotis, habent eas aliquando plures, aliquando pauciores. Alia quippe innituntur & incidunt unica, ut chiramaxium; alia duabus, ut birota, carrus, bigæ, ac id genus; alia quatuor, ut rheda, carpentum, & similia. Si attendamus corpus reliquum, apparet aliqua habere capsam, aliqua vero non habere. Habent enim lecticæ, rhedæ, carpenta, & ejusmodi: at plaustra, & trahæ, & quæ simili constructa specie plerumque non habent. Etiam quæ vehicula capsam habent, differunt, pro diversa ejus specie. Nam modo est quadrata, modo rotunda, vel semirotunda. Sed ad quadrata capsa modo æquilatera est, nec multo longior, quam latior; modo oblonga, sic ut longitudo latitudinem exsuperet plurimum. Rotunda capsa est, quæ nullos habet angulos, sed circulari forma instar urcei vel cupæ clauditur. Semirotunda, quæ non undiquaque clausa, sed dimidia sua parte aperta instar lunulæ, idque vel a fronte, vel a tergo. Primi generis sunt rhedæ, secundi currus triumphales, tertii bigæ, quadrigæ, carpenta magistratuum, currus militares, & ejusmodi. Quæ vehicula & in eo differunt, quod nonnulla capsas habeant ex solidis integrisque tabulis constructas, ut arcere, quædam textas ex bacillis aut viminibus, ut cophini, bennæ ac id genus. Differunt & pro constructione reliqua: sunt enim quædam tecta vehicula, quædam vero aperta. Tecta sunt, quorum capsa superne constrata est velut tecto, contra pluvias, vel pulverem, vel radios solares. Aperta, quorum capsa tecto tali destituitur. Respectu eorum, a quibus duci vel moveri vehicula debent, observamus, esse quædam gestatoria, quædam vero tractoria. Gestatoria sunt, quæ portantur, quorum differentia in eo, quod portentur quædam a jumentis, quædam ab hominibus. Sed & in eo sunt diversa inter se, quod alia portentur in dorso, ut clitellæ, aliæ in humeris, ut fercula, sellæ, lecticæ, aliæ a latere, ut bastarnæ ac id genus. Quæ trahuntur, pariter trahuntur vel a jumentis, vel ab hominibus. Homines trahunt vel post se adducendo, vel ante se propellendo agendove. Propellendo, quando qui agit & movet vehiculum, pone sequitur, quomodo fit in chiramaxio. Adducendo, quando qui movet, antecedit, sicut fit in cæteris. Jumenta trahunt una semper forma, nempe post se adducendo, res enim absurda est ac ridicula, jumenta jungere post currum. Cæterum & ista differunt pro numero eorum, a quibus trahuntur. Alia quippe ab animali tantum uno promoventur, ut monacus, alia a binis ut bigæ, alia a pluribus, ut trigæ, sejuges, & id genus. Differunt & in modo adjungendi. Quædam enim habent animalia omnia æqua collocata fronte, alia vero singula, vel bina sese mutuo excipientia longa serie. Atque ista quidem est diversitas vehiculorum, si respicimus ad eorum speciem ac formam. Respectu vero finis ac negotiorum possumus nonnulla nominare sacra, reliqua non sacra. Illa sunt, quæ ad sacra quoquo modo pertinent, possuntque dividi vel in ea quæ attribuuntur diis, vel in ea, quæ servire solent ludis sacris ac spectaculis. Diis tribuuntur vel ficta, vel vera. Prioris generis sunt quadrigæ Jovis ac Solis, bigæ Junonis, Veneris, Lunæ, atque sic deinceps. Posterioris generis sunt vel usurpata hominibus, vel ad speciem illorum ex quacunque materia expressa, quæ dedicari diis solebant. Ad primam classem pertinet plaustrum Gordii, currus capti ab hostibus & collocati in templis, similiave vehicula. Ad secundam, quadrigæ fictiles, marmoreæ, eburneæ in fastigiis templorum, aliisque locis. Quæ spectaculis ludisve solebant servire, spectabant vel ad pompam, vel ad certamina in

eis. In pompa quædam gestabantur, ut fercula, (A) quædam trahebantur, ut tensæ, quadrigæ deorum, carpenta Cæsarum, Augustarum, atque aliorum. In certaminibus decurrebant modo bigæ, modo quadrigæ, eæque vel equis junctis, vel aliis animalibus. Vehicula non sacra sunt, quæ negotiis inserviunt humanis. Pertinent porro hæc vel ad bellum, vel ad pacem. Bellica vehicula vel præliis inserviebant, vel castris atque itineribus. Quæ serviebant præliis, faciebant hoc vel per se apparatuque proprio, ut currus falcati, vel gestatione armatorum, qui ex ipsis pugnarent, ut currus militares alii. Itineribus serviebant vel gestando, ut clitellæ jumentorum dossuariorum, vel vehendo, (B) ut plaustra castrensia & id genus. Quæ ipsa quandoque munimenti vicem castris præbebant ambitu suo ac circumdatione. Vehicula quorum usus est in pace, vel sunt agrestia, vel urbana. Agrestia pertinent ad agros operaque rustica. Habentque rotas, ut plaustra, plostella, vel sunt rotis destituta, ut trahæ, & id genus. Urbana pertinent ad urbes, eorumque usus, qui in urbibus versantur. Horum vehiculorum alia possunt dici necessaria, alia non necessaria. Necessitas vel ad valetudinem refertur, vel ad alia. Et quoniam valetudo, vel invaletudo potius, quandoque est perpetua, quandoque temporaria, quædam illi serviunt, (C) ut sellæ podagricorum, currus eorum, qui sunt destituti pedibus, & hujusmodi; quædam huic, ut lecticæ subitariæ, arceræ instratæ, atque alia id genus. Necessitas quæ ad alia refertur, spectat ea, quatenus vel intra urbem sunt, vel extra eam. Extra urbem est necessitas vel deportandi oneris, vel faciendi itineris. Ad prius genus pertinent vehicula vel privata, vel publica. Illa sunt vel mercatorum, vel opificum ac similium, quæ rursum vel gestatoria, vel tractoria. Publica sunt, quibus deportantur species ex provinciis, vel tributa ad Principem. Ad posterius genus spectant (D) primum vehicula tabellariorum, ut veredi, rhedæ fiscales publicæque ac hujusmodi; deinde vehicula privatorum, quoquo modo iter facientium. Intra urbem occurrit fere necessitas custodiendi decoris pudorisque. Pertinent huc sellæ, lecticæ, carpenta matronarum & virginum. Vel necessitas excludendæ turbæ ac conficiendorum negociorum. Pertinent huc sellæ virorum. Vehicula non necessaria vel ad honorem pertinebant, vel ad splendorem, voluptatem, luxum. Ad honorem spectabant vehicula triumphantium, victorum in ludis publicis, magistratuum, sacerdotum, ac similium. Ad luxuriam vero atque voluptatem, vehicula aurata, (E) argentata, gemmata, cælata regum Imperatorumve, lecticæ sellæque splendidissimæ mulierum impudicarum, meretricularum, & id genus alia plurima. Et hæc sunt, ex quibus multiplex vehiculorum differentia facillime colligitur.

CAP. II.

De clitellis, furculis, ærumnis, & id genus.

Clitellæ. Bos clitellas. Consuetudo vetus alludendi ad fabulas per prolationem primorum ex eis vocabulorum. Fragmentum Petronii Traguriantum, Terentius & Cicero explicantur. Clitellarum vox unde. Commentator Cruquii emendatur. Sagma alia a σάγμα, alia a σάγω. Sagum quid. Lampridius contra Salmasium exponitur. Stratum. Stramentum. Sagma, salma, sauma. Saumrosi. Versio Pollucis rejicitur, Κανθήξια. Versio Aristophanis castigatur, ipse aliter exponitur. Ὄνοι (F) *οἱ κανθήλιοι. Philelphus, Septimius, alii refutantur. Gellius exponitur. Interpres Aristophanis Græcus & Suidas revelluntur. Cantherii. Cretellæ. Comenius notatur, item Calepinus, Junius, Vossius, alii. Cantherium. Canton, cant. Cantjas, κάντ. Varro rejicitur. Livius exponitur. ἄντυγες. Astrabæ vehicula pro sedilibus. σαγμοσέλλιον. Hesychius & Etymologus explicantur. Clitellæ aliquando sella, contra Salmasii sententiam. ærumnulæ. Furcillæ. Furcæ. Plautus explicatur. Sarcina pro fœtu in utero. Labores pro doloribus in partu. αἴρω. Fungerus & Vossius revelluntur. Lacuna in Festo notatur. æro. Phormio. Tabella. Lipsii imago rejecta. Unci in clitellis. Constringere, religare sarcinas. Fisci asinorum. σαγή. Pulvilli, centunculi sub clitellis. Frontinus explicatur. Instrata. Clitellaria. Asini, equi clitellarii. σαγμάρια. Caballus, equus sagmarius. ἀστράβα. σωματηγὸν, ἀναβατικὸν. ἀναβατικοὶ ὄνοι. Salmasius notatur. ὑποζύγιοι non semper, quæ in vehiculis. ἀστράβαι. κανθήλιοι. Cantherii. Sectorum equorum usus frequens in itineribus. Varro explicatur. Cantherii homines. Geruli. Commentator Cruquii notatur. Laturarii. Laturas locare. Bajuli, operarii, bajulatores, sarcinarii, sarcinati. Glossæ Savaronis emendantur. Nutritores. Vossius notatur. Ærumnosi. ἀχθοφόροι. βαστακταὶ. Glossæ Savaronis iterum emendantur. Βασταγή. Bastaga. Bastagarii. Βασταγεῖς. Βασταγάριος. Cod. Theodos. explicatur. Tergo gestabant onera. Νωτοφόροι, νωτάρεις. νωτεῖς. Hesychius emendatur. Νωτεῖς & ζύγια differunt. Hesychius denuo emendatur. Dossuarii. Tintinnabula dossuariorum. Suertius refutatur. Pictiles balthei. Multi dossuarii in ministerio Præsidum provinciæ. Muli cantherii. Muli Præsidum dati ex publico, eique redditi. Lampridius emendatur. Grex jumentorum. Merces ductæ per plateas, asinis impositæ. In bello portabant arma. Sarcinaria. Sagmaria. Leonis Tactica correcta. ἀδέσποτα. Leo iterum emendatur. τύλδον. Sagmariorum usus varius. Contubernia singula habebant bina sagmaria. Leo iterum emendatur. Mulus centuriatus. Cicero exponitur cum Festo, qui corrigitur.*

VEhicula differre diximus non una ratione, sive formam spectes, sive usum. Sed cum usus respectu sint nonnunquam varia, quæ si attendas formam, sæpe eadem, idcirco rectius, opinor, ac commodius fecerimus, si narraverimus observata differentia, quam accipiunt non ab usu, sed a forma. Primum autem omnium occurrunt vehicula, quæ sunt destituta rotis, ac ne quidem alia re vice illarum instructa, qualia diximus gestari. Hujus generis sunt *clitellæ*, quibus onera imponi, & de loco in locum transportari consueverunt, idque vel per homines, vel per jumenta, ut mox ostendemus. Nam *clitella*, ut Perottus ait, *instrumentum, quo sarcinæ colligatæ mulis, sive jumentis, sive camelis asinisve portantur*. Ubi jumentorum vocem vix accipere de aliis debemus, quam de equis, uti ex sequentibus liquebit. Nam bubus quidem nunquam legimus apud veteres impositas clitellas, licet hodie non ubique sit incognitum, videreque memetipsum meminerim in Helvetiis prope Basileam. Ubi rusticus non clitellas modo, sed & frenum bovi sive tauro imposuerat. Sed veteribus res est absurda, ut ex Cicerone constat. Fabius, qui Ciceronis locum respicit, lib. V. Inst. c. II. *Confine est παροιμίας genus illud, quod est velut fabula brevior & per allegoriam accipitur. Non nostrum onus: bos clitellas*. Quibus verbis innuit, circumlatam vulgo fabulam de homine absurdo

stolidoque, qui clitellas bovi imposuerat, suo atque bovis malo. Fuisse vero ejus fabulæ initium, *Bos clitellas*, eoque in hoc dicto allusisse Ciceronem. Nempe sic solebant in isto parœmias genere. Quod discimus ex Fragmento Petronii, quod nos primi Notis illustrare conati sumus. Ita namque ibi Trimalcio p. 34. editionis nostræ: *Et ipse vobis rem horribilem narrabo. Asinus in tegulis. Cum adbuc capillatus essem*. Ita locus ille debet distingui. Verba illa: *Asinus in tegulis*, per se consistunt, & spectant ad notam illa tempestate fabulam, ad quam allato hoc ejus initio alludit Trimalcio, tanquam quid illi simile allaturus. Scilicet in ea memorabatur asinus in summa parte ædium ipsoque tecto ambulans, quod stupendum omnibus ac prodigiosum videbatur. Quomodo apud Lucianum admirationi asinus est μωυόσας ἐκ τῶ ὑπερῴω, *ostentans se ex superiore tabulato*, quem est imitatus Apulejus lib. X. Omnium vero optime clarissimeque hæc cognoscitur ex Terentio, qui sic loquentem facit Lacheten A. IV. Hecyræ sc. 3.

—— Jam nos fabula
Sumus, Pamphile; Senex atque anus.

Donatus eo loco: *Senex atque anus: Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput indicant, & incœptum hujusmodi fabularum*. Item paulo post: *Pronuncia; Senex atque anus; quasi initium fabulæ*. Dicit, in comœdia, cum ad ea verba ventum erit, *senex atque anus*, non ut cætera proferenda voce tali, quasi pertinerent ad comœdiam & ipsa, verum alia pronunciatione, quasi enarranda esset aliqua fabella. Ea nimirum, cujus argumentum sit, ac initium, *Senex atque anus*. Ad hunc ergo modum Cicero quoque, *bos clitellas*, ex fabellæ initio, seu argumento, arguens rem absurdam, atque antea non visam. Quod viri docti hactenus non satis assecuti sunt. Cæterum quod Perottus dixit de clitellis, firmat quoque Festus Pauli. *Clitellæ*, ait, *dicuntur, ea, quibus sarcinæ conligatæ mulis portantur*. At quod idem addit verbis ante recitatis, *dictas a colo, quod ejusmodi animalis ornamentum sint*, dubitationem habet magnam. Nam a *colo* non est *colitum*, unde *colitellæ*, & per syncopen *clitellæ* possent fieri, sed *cultum*. Magis ergo faveo Scaligero, qui ad Festum ita habet: *Græci* κλιτὸν *dicunt locum in vallem demissum, a quo clitellus formarunt Latini*. Objicias, aliud esse locum, de quo Scaliger, & aliud instrumentum illud, de quo nobis sermo. Sed respondet Vossius in Lexico, κλιτὸν vocari, quicquid sit declive, a verbo κλινω, quod *inclino* significat. Porro talia esse latera quoque clitellarum, ut jumentorum dorsa, a quibus scilicet utrinque per eorum latera dependent. Sunt clitellæ alias Latinis *sagmæ*. Ita certe Commentator vetus Cruquii ad Sat. I. ecl. 5. Horatii. *Clitellas, sagmas, sive sellas, quibus strati muli sarcinas & onera gestant*. Ita ibi est legendum, non *saginas*, quæ huc nihil faciunt. Sagmæ namque sunt clitellæ, atque instar quoddam sellarum habent, licet proprie non sint sellæ, cum in sellis sedeant, in clitellis non sedeant, sed imposita habeant onera & sarcinas. Isidorus lib. XX. cap. 16. ubi agit de variis equorum instrumentis, atque inter ea & sagma. *Sagma*, inquit, *quæ corrupte vulgo dicitur salma, a stratu sagorum vocatur, unde & caballus sagmarius, mula sagmaria*. Quod Isidorus putat, *sagmam* esse appellatam a *sagis*, in eo nescio, annon erret. Prorsus namque est a Græco σάγμα, quod clitellam denotat. Vetus lexicon a Stephano laudatum. σάγματα, κανθήλια, *clitellæ aut strata jumentorum*. Quanquam & hic poni videantur non de clitellis solis, sed & stratis. Ut fortasse non omnino

A debeat contemni, quod ab Isidoro dictum est, ut viri docti fecere. Aliud tamen sagma, cum clitellam signat, & aliud, cum stratum; illud quippe est a σάγμα, hoc vero potius a σάγος. Nempe σάγος ab Hebræa voce סבר, sicut bene docet Vossius, quo significatur *tegere*, vel *operire*, quia σάγος tegumentum quodvis. Neque aliud Latinis *sagum*. Non amictum modo, sed & vestem quamlibet, qua quid operiunt, significat. In ipsis equis posuit Capitolinus vita Veri c. 6. ubi de equo volucri. *Sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat*. Casaubonus eo loco: *Quæ alii coopertoria vel tegumenta equorum dicunt, ea sæpe* B *nominantur saga, ut hic*. A tali sago, *sagma*, qua jumenta insternuntur, item *sagmaria*, ita strata. Neque aliter accipienda sunt apud Lampridium, vita Heliogabali c. 4. *Semiramica facta sunt senatusconsulta, ridicula, de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento, quæ equo sagmario veberetur*. Frustra hic ὁ πάνυ equum saginarium deducit a σάγμα vel σαγὴ, *quod jumentis onera bajulantibus imponitur*, sicut ipse explicat. Σάγμα enim tale pertinebat non ad ea, quibus equitandi caussa insident, sed ad illa, quæ gestare solent onera. C Et quo pacto insedisset sagmæ istusmodi honestior matrona, Romæ præsertim, ubi omnia splendidiora? Adde, quod ætate illa major fuerit mollities earum, quam ut vehi possent super clitellas. Postremo sellæ aut strata pertinebant ad homines, non sagmæ, non clitellæ. Ipse vir doctissimus: *Differt sagma a sella: nam sagma proprie est, quod jumentis, onera bajulantibus imponitur: Sella equorum est, vel aliorum animalium, quibus homo vebitur*. Si sagma, cui imponi sarcina consuevit, quomodo ab ea dictus sit sagmarius, cui matrona debuit insidere? Igitur convenientius, ut a sagma derivemus, quæ a sago est, ut significetur in decreto Heliogabali D equus, qui sit stratus sago, eaque pretiosiori, quomodo & Veri equus coopertus fuit sagis, fuco tinctis. Hoc enim ex dignitate fuit matronarum Romanarum. Sagum istiusmodi simpliciter & *stratum* appellarunt. Seneca ep. 80. *Stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus*. Petronius in Fragmento; *qui asinum non potest, stratum cedit*. Apulejo lib. VIII. est *stramentum*, ita enim vertit Luciani στρώματα. Lucianus ita habet: καὶ τὰ στρώματά μου πάντα περιεσπάσαντες. Apulejus ita: *cunctis stramentis me renudatum* vestarant. Atque stratum istiusmodi fuit primum antiquissimumque in equis mulisve, diuque usurpatum ante E sellas ligneas, quod jam alii docuere. Fuitque non unum, sed interdum multiplex, ut mollius in eo sederent. Quomodo Xenophon de Persis lib. VIII. Pæd. Νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν εὐνῶν. οὐ γὰρ τῆς ἱππείας οὕτως, ὥσπερ τῆς μαλακῶς καθῆσθαι ἐπιμέλονται. *Num autem stragula plura in equis habent, quam in lectis, non enim tam equitationis, quam sessionis mollioris studiosi sunt*. Quanquam strata postea sint dictæ sellæ, nec illæ solum, verum etiam clitellæ. Sic videmus apud Livium lib. VII. c. 14. *Mulis strata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis, agasones armatos imponit*. Strata mulis hic detracta, non sunt F sellæ, quod apparet, quia muli erant agasonum, qui parati non ad equitandum, sed ducenda jumenta sarcinaria, verum sagmæ seu clitellæ. His stratis oppositi centunculi, quibus agasones insidebant, vice aliorum stratorum. Quæ strata Xenophonti στρώματα, aliis *sagmæ*, unde Lampridii *sagmaria*. Cæterum hinc putes sequi, sagmam recte Isidorum explicasse. Verum aliud ostendit *salma* vox adjecta ipsi, quippe quæ notatur sagma non a sago, verum σάγματι. Nam est *salma*,

quæ deinde *saulma*, & respectu pronunciationis, A quæ omittit liquidam, & sequentem consonantem *sauma* nuncupata. Et existunt, qui sic scriptum invenerunt apud Isidorum. *Sauma* vero nihil aliud, quam *clitella*. Inde namque *saumarius* & *summarius*, hoc est *clitellarius*. Matthæus Parisinus, in An. MCCXLV. *Dedit domino Papæ triginta palafridos, cum totidem equis clitellariis, quos summarios vocamus*. Habes manifeste hic *summarios* pro *clitellariis*, unde *summa*, *sauma*, *saulma*, *salma* nil significabit aliud apud Isidorum, quam *clitellas*. Sauma sane hodieque est in usu, etiam apud Germanos meos, quibus inde *Saumroß* qui alias *sagmarii* vel *clitellarii*. B Sagmarii a Latinis dicti non ex sago voce Latina, quod videtur censuisse Isidorus, verum Græca, quod superius ostendi. Pollux lib. X. cap. 36. Σάγματα μὲν ἦν ὑποζυγίων κατὰ τοὺς πολλοὺς ἐν τῷ πέμπτῳ φιλιππικῶν ἐστὶν εὑρεῖν. Gualtherius in versione sua parum intellexit, ita namque reddidit: *Stabula vero jumentorum secundum multorum sententiam invenire licet in quinta Philippina*. Imo vero non stabula ibi, sed clitellæ memorantur, quæ Græcis σάγματα, unde *sagmaria*, σαγμάρια, hoc est jumenta clitellaria, & *sagmare*, sequioribus temporibus, pro sarcinas imponere clitellis. Græci σάττειν C nuncuparunt. Philoxenus: *Sagmat asinum*, σάσσει ὄνον, *Sagmatus*, σεσαγμένος. Qui Philoxeno *sagmatus*, in Onomastico veteri Argentoratensi est *clitellarius*. Verba: *Clitellarius*, ἐπισεσαγμένος. Alias quæ σάγματα, eadem & κανθήλια Græcis. Ita vidimus superius ex Lexico vetusto Stephani. Et Hesychius: Κανθήλια, τὰ σάγματα τῶν ὄνων. Ideo & Aristophanes in Vespis:

> Μὰ τὸν Δί' οὐδ' ἄν' ἀλλ' ἀποδόσθαι βούλομαι
> Τὸν ὄνον ἄγων αὐτοῖς κανθηλίοις,

Perperam interpres, *Minime, per Jovem testor*, D *ac tantum velim venum dare ipsis simul cantheriis deductum asellum*. Non intelligo, quid velit. Et quid enim, *venum dare ipsis simul cantheriis*? An, cantherios facere emptores? Nihil tale poeta. Vult, & intelligit venundare asinum una cum clitellis. Glossæ veteres: Κανθήλιον, *clitella*. Sed fortasse decepit interpretem Scholiastes vetus, qui sic habet: Κανθηλίοις, ὄνοις μεγάλοις. Quasi κανθήλιοι sint asini prægrandes. Nec juvatur Xenophontis testimonio, quem hic laudat. Verba quidem Scholiastis: Ξενοφῶν. Ὅτι ἐν Βαβυλῶνι οἱ φοίνικες οἱ μείζον, ἢ πληθυαῖοι τὸ μέγεθος γίνονται. οἱ δὲ πιεζόμενοι ἀπὸ βάρους ἄνω κυρτοῦνται, ὥσπερ οἱ οἱ κανθήλιοι. E Xenophontis locus, quem hic innuit, occurrit lib. VII. Pæd. ubi non est ἀπὸ βάρους, verum ὑπὸ βάρους, nec ὥσπερ οἱ οἱ κανθήλιοι, sed ὥσπερ οἱ ὄνοι οἱ κανθήλιοι, in Stephani editione. Franciscus Philelphus verba ejus ita reddidit: *palmæ pressæ onere curvantur sursum, quemadmodum canthelii asini*. Quintus Septimius apud Scholiastam Aristophanis: *presso pondere curvatæ in sublime, velut asini κανθήλιοι*. Neuter ausus est *asinos prægrandes* vertere, credo quod nescirent, quomodo magni asini sursum curventur potius, quam parvi. Nec tamen a Græca voce recedere, quod F ignorarent, qui essent ὄνοι οἱ κανθήλιοι. Nobis dubium est nullum, quin significentur clitellarii, qui gerunt sarcinas impositas clitellis. Scilicet & hi, cum imponuntur ipsis sarcinæ vel onera, non cedunt eis, imo contra dorsum erigunt, ut magis obnitantur. Plane sicut ait Xenophon de stipitibus palmæ arboris, si in iis fundamenti loco depositis saxa ingentia, & id genus imponantur. Gellius lib. III. cap. 6. ex Aristotele & Plutarcho: *Si super palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cadit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur recurvaturque*. Hic *lignum palmæ* non sunt rami adhærentes arbori, quod existimasse videntur, qui palmam Isingrinianam, insigne notissimi apud Basileenses typographi detinerunt, verum caudices & stipites ex illa arbore. Hi ponderibus suppositi non cedunt. Atque ad hunc modum muli quoque, cum clitellæ ipsis, & in eis sarcinæ onerave imponuntur. Quales ideo ad cæterorum differentiam ὄνους κανθηλίους Xenophon vocavit, non quod essent prægrandes, id quod falso Aristophanis interpreti credidit & Suidas, sed quod ferrent κανθήλια, id est sagmas aut clitellas. Latini Græcæ vocis imitatione nominarunt *cantherios*, neque mulis tantum tribuere, sed & aliis animalibus, imo ipsis etiam hominibus. Turnebus optime lib. XVIII. Adv. cap. 23. *Non solum de equis cantherium veteres dixere, sed etiam de aliis animalibus, ut Pomponius de homine: magnus manducus, camillus cantherius*. Ita optime Turnebus, sicut dixi. Sed quis sit cantherius, cum de homine usurpatur, non exposuit. Ego plane censeo sic nominatum bajulum, qui certa machina clitellis non absimili, gestaret onera in dorso. Convenit; quod vocet *magnum manducum*, hoc est, hominem voracem: tales namque plurimum consueverunt esse isti geruli, propter magnitudinem laborum. Etiam machina hoc docet. Nam quæ alias *clitella*, ea etiam *cretella*. Glossæ Isidori. *Clitellæ, cretellæ*. Porro *cretæ* ac *cretellæ* hodieque meis popularibus per Alsatiam, & præcipue Argentoratensibus machinæ furcatæ bajulatorum, quibus sustinent gestantque onera in dorso. Vulgo *Krets*, & *Kretzle* nuncupant. Speciem, quia facit ad textus rei meliorem intellectum, hic subjeci.



Qui cretellis istiusmodi seu clitellis onera gestabant, priscis dicti sunt *cantherii*. Neque scio, annon ipsas etiam sic nuncupaverint clitellas istas, seu machinulas. Sane alias res haud absimiles ita nominarunt. Nam cantherius & jugum ad quod illigatur vinea. Columella lib. IV. cap. 12. *Vetera deponemus hastilia, quibus adnectantur singulæ transversæ perticæ in imam partem ordinis, quod genus jugi cantherium vocant rustici*. Comœnius inepte, sicut multa alia, Germanice vocavit *læger*. Nam *læger* tigna crassa sunt longaque, humi deposita in cellis vinariis, bina, paribus per omnia intervallis a se distantia, ut super ea transversim disposita vasa vinaria lignea requiescant, nec ab humore ex terra exsudante corrumpantur. At cantherii non in cellis sunt vinariis, sed in vineis, perticæ erectæ,

quæ

quæ cum perticis tranſverſe alligari ſolitis exhibent fere ſpeciem Græcæ litteræ Π, quales *ſtritzen* meis popularibus dicuntur. Eratque hæc illarum appellatio ex eo, quod non multum ſua ſpecie recederent a furcis. Quomodo & in ædibus ligna, quibus ſuſtentatur tectum, velut furcis ad modum Græcæ litteræ Λ *cantherii* dicuntur. Populares mei *ſparren* vocant. An & quæ ſubjiciuntur craſſioribus caudicibus arboribuſve a materiariis, dum ſecant, ut eſt auctor Calepinus? Sequitur enim Junius in Nomenclatore, addicto Vitruvii vocabulo, quaſi ipſe ſenſu hoc poſuerit. Junium exſcribit quoque Voſſius, omiſſo licet nomine in Lexico, nam habet ipſa ejus verba. *Præterea cantherios*, inquit, *præeunte Vitruvio vocamus ligna lingulata, quæ fabri materiarii pro adminiculis ſubjiciunt materiæ ferro diſſecandæ. Belgis dicuntur ſchragen*. Optaſſem adſcripſiſſe locum Vitruvii, ubi tali ſenſu reperitur uſurpatum. Sed vix dubito, quin fidem Junii ſit ſecutus. Vitruvii profecto locum fruſtra hactenus quæſivi. Neque annotatus Baldo eſt, qui alioquin egit de hac voce, cæteriſve, qui vocabula Vitruvii ſub idoneis indicibus propoſuere. Ut plane ſuſpicer, deceptum Junium a Calepino minus diligenter attenteque inſpecto, quippe apud quem poſt allata ſuperius, ſequitur: *item cantherii tigna dicuntur, Vitruvius lib. V.* Putavit Junius, quia illud *item* interſeritur, hinc colligi, Vitruvium utroque ſenſu eam vocem uſurpaſſe, quod opinor eſſe falſum, Livius & in neutro poſuit, ſi ſequimur vulgatos. Ita enim apud eum Taurea, lib. XXIII. c. 47. *Minime ſis cantherium in foſſa*. An, quod adjectivum ſit, quemadmodum videtur Græcum, nam & illud eſt κανθήλιος, & κανθήλιον. Et habes additum ſubſtantivis, ſicut apud Xenophontem, atque Scholiaſtem Ariſtophanis κανθήλιος ὄνος. Nec fortaſſe aliter κανθήλιον intelligendum, quam ut ſimul putes addi ξύλον. Quomodo Heſychius, κανθήλια, τὰ ἐν τῇ πρύμνῃ τῆς νεὼς ἐπικαμπῆ ξύλα, de quibus egimus jam in Militiæ Navalis noſtræ nova editione. Sic κανθήλιος videri poſſit dictum a κανθὸς, quod exiſtimo fuiſſe uſurpatum olim de quacumque re, quæ curva eſſet ac in angulum coiret. Certe Gallis hodieque atque Italis *canton* de angulo in uſu eſt, Belgæ quoque ac Septentrionis populi angulum *cant* appellare ſolent. Inde *cantejas* apud Belgas illud ex filis lineis, ſericis, argenteis dentatim contextum ornamenti genus, quo utuntur circa oras veſtium ſive linearum, ſive ſericarum, quod Ger. *Epiben* nuncupant. Inde Græcis Latiniſque *canthus*, ille angulus, in quem palpebræ oculorum coeunt. Denique κάντι, vel καντὸν & κάντιον Græcis recentioribus, quicquid anguloſum, quod Salmaſius jam docuit. Inde igitur exiſtimas vocatum utraque terminatione *cantherius* & *cantherium*. Atque ita ſunt, qui putant apud Livium accipiendum. Verum mihi aliter videtur, putoque τὸ *cantherium* non neutrius eſſe generis, ſed caſum quartum a *cantherius*, nec ſignificare jugum vineæ, ſed jumentum a *cantheriis*, ſic dictum, hoc eſt lignis curvis ac ſuperne in angulum ſeu acumen coeuntibus, Græce κανθήλια, Latine alias *clitellæ*, ac fortaſſis imitatione vocis Græcæ etiam *cantheria* vocatis. Nam quod Varro cenſet, equos cantherios ſic eſſe dictos, quia ſint caſtrati, & careant teſticulis, tanquam vocarentur *carenterii*, haud dubie eſt falſum. Equidem cantherios caſtratos plerumque fuiſſe non negaverim, id vero ipſis hoc conſtituiſſe nomen, minime perſuadeor. Scilicet cantherii caſtrati ideo, ut recte poſſent eſſe κανθήλιοι, h. e. cantherii ſeu clitellarii, & evaderent quietiores, demptis teſticulis, quod fieri ſolere Varro ipſe teſtatur, itemque firmiores at-

A que durabiliores, quod experientia evincit evenire. Alterum quippe laboris continui, alterum conſociationis gratia cum aliis neceſſe fuit. Solent enim clitellaria jumenta plurimum conjuncta ſociataque ambulare cum aliis, ſui ſimilibus, quibus facile, ſi non eſſent quieta, moleſtiam & periculum crearent. Quare non, quod teſtibus carerent, dicti cantherii, ſed qui facti cantherii, eis teſtes adempti, ut hoc munere melius rectiuſque fungerentur. Cantherii vero dicti, quod deſtinati eſſent ad cantheria, Græce κανθήλια, id eſt clitellas, ſarcinaſque. Ac de talibus cantheriis exiſtimo explicanda verba Livii, ſuperius adducta. B Quod ut melius intelligamus, annotandum, quod negotium illi Taureæ fuerit cum Romano, cujus nomen erat Claudius Aſellus. Hic Aſellus provocatus ad certamen ſingulare, cum negotium faceret Taureæ adverſario, iſque ideo occaſionem quæreret ſeſe ſubducendi, petitione Taureæ commotus, qui rogaverat, ut cum equo deſcenderet in viam cavam, ubi nullo dato ad evagandum ſpacio, cominus confererent manum, confeſtim ſeſe conjicit in eam viam, ſperans obviam ſe habiturum ſibi Tauream. Sed Taurea elabendi nactus ſpacium, dum abit, joco & velut C eludens ad Aſellum, *minime ſis cantherium in foſſa*. Ita enim vulgo verba ejus leguntur, de quibus quærunt eruditi, nec quid Taurea voluerit, ſatis intelligere ſe fatentur. Dicam igitur & meam ſententiam. Primum exiſtimo, hoc dicterio reſpexiſſe ad vocabulum Aſelli, & id reſperſiſſe ſale. Nam cum aſellis muliſque fere uterentur ad geſtanda in clitellis onera, ideo cantherii hic mentionem fecit, qui proinde non de jugo in vinea, ſed jumento clitellario, mulo, aſello accipi debebit. Deinde puto verba, ſicut nunc eduntur, eſſe depravata. Nam ſi hic cantherium accipimus in maſculino, illud *ſis cantherium*, D minime cohæret. Ac obſervo, aliter legiſſe veteres eum locum. Nam Eraſmus in Adagiorum opere apud Epiſcopios impreſſo Baſileæ An. MDLXXIV. ita habet: *minime ſcis cantherium in foſſa*, quæ lectio mihi aliis videtur præferenda. Nempe ita diſtinguenda eſt, ut ſenſus prodeat idoneus: *Minime. Scis; Cantherium in foſſa*. Cum deſcendiſſet jam Aſellus in viam cavam, tum Taurea cauſſam diſcedendi quærens, jocoque obtendens: *Minime*. Quaſi diceret: ego vero minime nunc ad te in hanc viam cavam & anguſtam deſcendo. Quare? *Scis* enim, *Cantherium in foſſa*. Quibus verbis alluſit ad fabulam veterem E de cantherio aſello in foſſa, ſive via cava. Plane ad eundem modum, ad quem ſupra demonſtravimus ex Quintiliano parœmias adferri ſolere. Fabulæ argumentum poſſumus cognoſcere ex natura & ingenio aſelli ſive muli, cum gravatus ſarcinis in via cava & anguſta occurrit aliis animalibus. Sciunt enim, qui experiendo didicere, tali caſu mulum vehementer ferocire, ipſiſque cum ſarcinis inſultando aperire ſibi viam quoquo modo. Igitur id agebatur ea fabula, quomodo aſellum ſive mulum clitellarium, ὄνον κανθήλιον, ſeu cantherium haberet ſibi obviam F in foſſa equus aliudve animal, quod cum decedere non poſſet, ab eo fuerit protritum atque conculcatum. Ad hanc fabulam alludebat Taurea, quaſi diceret; *minime* ego te ſequor in hanc viam cavam, ibique tibi occurro. Scilicet tu Aſellus es. Es ὄνος κανθήλιος. *Scis*, quid doceat fabula illa: *Cantherium in foſſa* obviam habebat ſibi equus, & quæ ſequuntur. Non expecto, ut eadem arte me quoque obteras. Si hunc locum multis hactenus tentatum explico, & cantherium accipio de aſel-

lo ſive mulo clitellario. Quemadmodum & equi A
alias ſic dicti, non a *carendo*, quod careant teſti-
culis, ſed *cantberio*, quod geſtent *cantberia*,
Græce κανθήλια, hoc eſt clitellas. Quæ ſic dicta
a κανθὸς, vel καντὸς, quod in curvum ſeu in acu-
men junctum denotat, quoniam hæc erat ſpecies
ſeu figura clitellarum. Quæ κανθήλια intellexit
quoque Ariſtophanes, cum dixit, vendere ſe
ὄνοι αὐτοῖς, κανθηλίοις, non vero aſinos prægran-
des, quod Scholiaſtes putabat, cum ſint alii καν-
θήλιοι ὄνοι, alia ξυλακανθήλια, quibus conſtant
clitellæ, indeque habent ſuum nomen. Plane ſi-
cut ex hac cauſſæ quoque αὔτυγες ſunt dictæ. Phi-
loxenus: *Clitellæ*, αὔτυγες. Nempe αὔτυξ lignum B
eſt incurvum, ut in rota, in ſella vehiculi, ſimi-
libuſque rebus. Inde αὔτυξ etiam clitellæ. Sunt,
qui & *aſtrabas* putent dictas. Scaliger ad Plauti
Clitellariam: Ἀστράβα, *clitella*. Tamen aliter Iſi-
dorus: *Aſtraba, eſt tabella, ubi pedes requie-
ſcunt*. Firmat & Philoxenus: *Aſtraba*, σανὶς,
ὑποπόδιον. Sic enim legendum ibi, non *aſtrama*,
quod viri docti pridem docuerunt. Etiam Salma-
ſius ſic intellexit. Verba ejus ex epiſtola de Cruce
p. 521. *Videntur & olim bæ tabellæ ſuppedanei vi-
ce in mulis & aſinis uſum babuiſſe, ſed & in equis,
quibus feminæ veberentur*. Itaque non multo poſt C
diſtinguit a clitellis: *Alii*, ait, *clitellas eſſe volunt.
Sed clitellarii aſini mulique non ſunt* ἀναβατικοὶ,
quia ſarcinis tantum vebendis clitellæ aptæ ſunt.
Quanquam vero iſta bene ſeſe habeant, tamen
conſtat, non de ſola iſtiuſmodi tabella ſuppeda-
nea in ſella, ſed & ſella ipſa uſurpaſſe. Probus in
vita Virgilii, ubi agit de Bucolicis. *Hoc idem car-
men Aſtrabicon* (ſcribendum eſt, *aſtrabicon*) *di-
ctum eſt, a forma ſedilis, quo advecti fuerant,
qui illa cantaturi erant*. Vocat clare nominatim-
que *ſedile*, non *ſuppedaneum*. Imo ſtatim ſubdit:
Sunt autem aſtraba vebicula, dicta παρὰ τὸ μὴ
στρέφεσθαι, *quo titulo & Plautus fabulam inſcripſit,* D
in qua mulieres in ejuſmodi vebiculis inductæ. Ubi
vebicula non ſunt carpenta, vel id genus, ſed ea
ipſa, quæ paulo ante nominavit *ſedilia*, ſic dicta,
quod inſidentes eis vehebantur. Sed & Phavori-
nus convenit, quando ait: Ἀστράβη, τὸ σαγμο-
σέλλιον. Nam σαγμοσέλλιον appellat iſtiuſmodi ſe-
dile, ſive ſellam, qualis σάγμα, non clitella, quæ
non fuit ad ſedendum comparata, verum ſaga,
quæ & ſtratum vocabatur. Quod vere Probus ad-
dit, *aſtraba vebicula, dicta* παρὰ τὸ μὴ στρέφεσθαι,
firmat Scholiaſtes Demoſthenis, qui ſimul explicat
genus καθέδρας εἰς ὕψος ἀνῆκον, ὥστε τῶν καθεζομέ-
νων κατέχειν τὰ νῶτα, id eſt, *ſedilis ejuſmodi, quod* E
ſurgebat in altum, ut contineret terga inſidentium.
Scilicet quemadmodum & hodie in ſellis femina-
rum, quibus ad equitandum utuntur, hemicyclus
eſt, alta ſurgens ſupra ipſam ſellam, & inſiden-
tis claudens tergum, ne ab averſo equi latere poſ-
ſit facile decidere. Neque debet aliter Heſychius
exponi, quando ait: Ἀστράβη, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων ξύ-
λον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι. Τίθεται δὲ ἐπὶ τῶν
ἀναβατικῶν ὄνων. Stephanus ſic vertit: Ἀστράβη
*ſella ſeu ephippium ligneum, quod manu tenent ſeſ-
ſores*. At hæc verſio vix poteſt ſtare. Primum enim
ephippia non ad id ſunt comparata, uti tenean- F
tur manu. Deinde manus nulla mentio apud He-
ſychium, tantum ait, κρατοῦσιν, hoc eſt *tenent*,
occupatum nempe ſeſſione, ſicut occupari, & te-
neri ſellæ ſolent. Etiam Etymologici hæc eſt ſen-
tentia, quando ait: Ἀστράβη, ἐπὶ σκεύους εἴρηται
ξυλίνου. *Aſtraba dicitur de inſtrumento ligneo*.
Nam exponit, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων τιθέμενον ξύλον,
ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι οἱονεὶ ἀστραφή τις οὖσα, πα-
ρὰ τὸ μὴ στρέφεσθαι καὶ πίπτειν τοὺς καθεζομένους, Ubi
ἐπὶ τῶν ἵππων aliter intelligi non poteſt, quam de

inſtrumento illo, quod ipſorum tergis eſt impoſitum. Pro ſedili alias & Machon uſurpavit apud Athen. lib. XIII. cap. 5. ubi de Gnathenio meretricula.

Εἰς Πειραιᾶ κατέβαινε πρὸς ξένον τινὰ
Ἔμπορον, ἐραστὴν δ᾽ εὐτελῶς ἐπ᾽ ἀστράβης.

Hic revera Gnathenium ſedet in aſtraba, id eſt ſella tali, qualem ante explicavimus. Ideo non multo poſt luctator quidam factus ei obviam in arctiore via: *Niſi decedas*

—— Τὰ γύναια ταυτὸ καταβαλῶ
Σὺν τοῖς ὀναρίοις φησὶ καὶ ταῖς ἀστράβαις.

Affatur puerum conducentem eam, cum ancillis tribus, equitantibus in aſellis, minaturque, ſubverſurum omnes, cum aſellis ſimul & aſtrabis, quod intelligi non poteſt, niſi de ſellis. Dalechampius *clitellas* reddidit. *In Peiræum deſcendebat ad peregrinum quendam mercatorem & amatorem, ſed comitatu viliore. Sedebat illa in clitella*. Et in annotationibus, ἀστράβη, *ſella prææalta, quæ lumbos tegit, clitella*. Quaſi eadem ſit ſella, & clitella. Quæ judicio Salmaſii ſic differebant, quod in iſta equitarent, in hac ferrent onera & ſarcinas. Quanquam quæ *Aſtraba* Græce comœdia, eadem Latine Plauto *Clitellaria*. Quæ cum dicta ſit a mulieribus ſuper aſinas equitantibus, ut ex Probo ſupra indicavi, ægre inveniam, cur negemus, & de ſellis aliquando uſurpatam clitellarum vocem. Illis præſertim mulierum, quas deſcribit Probus, Græcique ἀστράβας appellarunt. Quæ clitellæ tamen quoniam diverſæ ſunt ab his, de quibus iſto loco agere decretum eſt, ne aſtrabæ quidem huc ſpectabunt. Niſi cenſeamus, aliquando denotaſſe veras etiam clitellas, quod videtur colligi ex aſtrabis equis aut jumentis, quæ fuerunt clitellaria. Et hæc quidem de clitellis animalium brutorum. Habuerunt & homines, ut apparebit ex ſequentibus. Sed eas non *clitellas* appellabant, verum *ærumnulas*. Feſtus: *Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas ſarcinas viatores gerebant. Quarum uſum quia C. Marius retulit, muli Mariani poſtea appellabantur*. Putes, Feſtum loqui de ſarcinis tantum viatorum, ſed & ad alias pertinebant. Docet, quod *furcillas* explicat. Eæ namque, quibus quælibet feruntur onera. *Furcas* dixit Plautus Ac. II. Caſinæ ſc. 8.

Sine modo rus veniat, ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.

Lambinus ad hunc locum. *Furca ad tergum aptata geſtabant carbones ſervi carbonarii*. Turnebus lib. XV. Adv. c. 3. *Furca aptati geſtabantur carbones*. Sicut hic furcis geſtantur carbones, ita alibi onera alia & ſarcinæ. Feſtus iterum. *Muli Mariani dici ſolebant a C. Mario inſtituti, cujus milites in furca interpoſita tabella varicoſius onera ſua portare adſueverant*. Quam hic *furcam* nominat, in ſuperioribus appellavit *furcillam* & *ærumnulam*. Eſt itaque idem *furcilla* & *ærumnula*, *furca* & *ærumna*, inſtrumentum ſcilicet, quo homines geſtabant onera ſarcinaſve. Alluſit Plautus in Amphit. Act. I. Sc. 2. ubi conſilio Jovis ait factum

Uno ut labore abſolvat ærumnas duas,

Alcmena, duplicemque edat partum. Nam *ærumnas* dixit eleganter, quibus concepti tenebantur filii, ſicut onera & ſarcinæ machinulis, cum præſertim fœtus in utero *ſarcinæ* ac *onera* vo-

centur, ubi vel ex Phædro nostro intelligimus. Lambinus ita explicat: *Absolvat ærumnas duas, i.e. liberetur & solvatur ærumnis duabus. Ærumnas appellat labores & dolores partus, qui sunt graves & onerosi.* Nil tale dicit Plautus. Quid enim, si ærumnæ hic labores, quomodo labore labores exsolvuntur? Dicit, labore absolutas ærumnas. Ergo aliæ ærumnæ, alii labores. *Labores* vere illi dolores partus. Ovidius eandem Alcmenam faciens loquentem,

—— Nec jam tolerare laborem
Ulterius poteram ——

& Mysis apud Terentium 1. Andr. 5. de parturiente Andria: *Laborate dolore*. At ærumnæ, quæ absolvuntur labore, quia sicut in machinulis sarcinæ, sic in utero fœtus constricti colligatique, ac propterea solvendi, sicut onus sarcinave solvitur, cum ærumna deponitur. Alludit igitur Poeta ad ærumnas veras, id est furcas, sive machinas, quibus onera gestantur. Quæ ærumnæ ita pictæ sunt ab *αἴρω*, sicut Festus docet, hoc est *tollo*, quoniam tolluntur onera in ærumnas istas, quando sunt gestanda. Bene Scaliger eo loco, *ut ab ἐλαμεὶν vel ἠλαμεὶν, lamina & lamna, ita ab αἰρομεὶν, ærumina, ærumna*. Ita Scaliger ad Festum, non Festus ipse, quod per festinationem Vossius in Etymologico notavit. Festus tantum ita: *Ærumnæ labores bonerosos significant, sive a Græco sermone deducuntur. Nam αἴρειν Græce, Latine tollere dicitur*. Dicit Festus, significare labores onerosos, non proprie, sed per translationem ab ærumnulis & furcillis, de quibus præmisit. Alias enim illud *αἴρειν* sive *tollere* nulla quadrat ratione, nam, quod Fungerus putat eo pertinere, quoniam labor onerosus *tollit ac conficit hominem*, in eo quidem frustra est, cum hoc nil commune habeat cum ærumnulis aut furcillis. Neque Vossii commentum istud quadrat, qui a *μέριμνα*, quod *anxiam solicitudinem* significare ait, deducendum putat. Ærumna nihil tale primo proprieque significabat, quod vel *ærumnulæ* vocabulum ostendit. Quomodo enim quæso diminutivum pertineret ad sollicitudinem, eamque non mediocrem, sed anxiam? Ærumna igitur ab *αἴρειν*, quia *tollit*. Nempe *tolli* debet onus, antequam gestetur. Quomodo Christus ad paralyticum Marci cap. II. *ἆρον τὸν κράββατόν σου. tolle grabbatum tuum*. Et Planudes in vita Æsopi, de iis, qui gestare permittebant Æsopo, quicquid vellet, *τῷ δὴ ὅπερ ἂν ἆραι βούληται ἐπιτρεπόντων*. & in fabula 20. de Sene mortem vocante, *ἡ γέρων ἔφη, ἵνα τὸν φόρτον τοῦτον ἄρας, ἐπιθῇς μοι*. Quia igitur ærumna onus tollitur, ideo ærumna dicta est, ut Festus docet. At, quid illud *sive* vult, apud eum, *Sive a Græco?* Non solet ita poni nude, sed habere aliud *sive*, quod ei respondeat. Id cum absit, puto locum esse mutilum, & aliqua non comparere. Censeo autem datam a Festo etiam denominationem seu originem ex Latino. Quod opinione mea fuit *fero*. Putavit enim a *fero* abjecta prima littera posse fieri *erumnam*, velut *ferumnam*, qua quid portetur. Et solebat scribi utraque ratione cum per *e* simplex, tum per *æ* diphthongum. Ut hoc similive modo locus ille debeat expleri: *Ærumnæ, labore onerosos significant, sive a Græco sermone deducuntur, nam αἴρειν Græce, Latine tollere dicitur. Sive a Latino, nam sunt erumnæ, ferumnæ, a fero, quia in eis onera feruntur cum labore*. Quanquam ego putem esse derivationem veriorem ab *αἴρω*. Nam hinc *æro* quoque sive Phormio, qui significat genus vasis spartei, quod *sportam*, sive *fiscinam* vocamus. Donatus ad Phormionem Te-

A rentii: *Phormio non a formula, sed a Phormione sparteo, quem nos æronem dicimus*. Sicut *æro*, fiscina est ab *αἴρω*, quod consensu magno volunt eruditi, ita plane & *ærumna*, machina oneribus gestandis ab eodem *αἴρω*, quia generis utriusque idem pæne usus in tollendis rebus, quæ portari debent. Differebat tamen æro ab ærumna, quod hæc esset fabrefacta ex lignis integris & solidioribus, ille vero contextus e viminibus aut sparto. Ille circa & in ambitum esset clausus, sicut solent corbes, ærumna vero minime, sed paucissimis constaret bacillis. Alias utrumque genus arbitror aptari dorso consuevisse, ac æronem eum ipsum
B esse, qui a meis popularibus *ein Rudtorb* nuncupatur. Quod de specie formaque dixi ærumnarum, constat vel ex eo, quoniam & furcæ nominatæ. Furca enim non est, in hoc quidem genere, nisi ex lignis seu bacillis solidioribus, in duo fissis cornua & patentibus. Sic ubique furca Latinis intelligitur, ut in vehiculo, in instrumento rustico, vel ad pœnas & supplicia destinato. Talis ergo fuit & ærumna. Festus & tabellam memorat in ea. *Milites*, ait, *in furca, interposita tabella onera portabant*. Fuit autem hæc tabella eo interposita, ut in ipsa ligarentur sarcinæ seu
C onera. Quomodo in cretella superius a notis exhibita in imo interposita est tabella eo fine. Quanquam cretella hodierna in eo videatur diversa a furca veteri, quod hæc lignis duobus cornutis constet, illa tantum uno, sitque illa simplex, hæc vero duplex furca. Certe si, quod ait Festus, tabella ea fuit interposita, species furcæ veteris intelligi aliter vix poterit. Nam interposita est inter duo furcæ cornua immissa, ut in ea reponatur onus sive sarcina, cornibus superne continenda. Talis ergo fuerit ærumna vetus. Nam quæ nobis species illius exhibetur ex columna Trajani a Lipsio, ubi exprimit milites duos cum sarcinis, ea
D vero nil huc facit. Nulla ibi interposita tabella, nulla furcæ cornua. Nempe illa ærumnarum Marianarum consuetudo pridem castris fuit ejecta, propter molestiam. Adde, quod ibi milites sarcinas gerant ante se, tenentes sive perticas sive hastas, ad pectus reclinatas dextris. Non sic furcæ vel ærumnæ gestabantur, sed in dorso. Ita namque supra vidimus & carbonarios fecisse. Neque caussa fuit alia, cur milites cum ærumnulis suis dicerentur muli. Muli nempe sarcinas & onera ferunt dorso. Quibus proinde ut sint similes & homines, necesse fuerit, ut & ipsi onera dorso
E suo subeant. Nam onus quidem unicum solumque facere similitudinem non potest. Hastæ ergo Lipsii vel perticæ nil ad ærumnas faciunt, aut furcas. Alia longe fuit species earum, sicut dixi. Cæterum quemadmodum ærumnæ furculæque pertinebant ad homines, ita clitellæ ad jumenta. Neque differebant multum specie ab ærumnis sive furcis, nisi quod furcæ essent simplices clitellæ duplices, furcæ paterent superne ad modum litteræ V, clitellæ vero inferne, ad modum litteræ Λ, quo aptari dorso jumentorum possent. Duplices dixi furcas, quod haberent ligna duo bifurcata parvulo distantia spatio, conjuncta tamen inter se ab
F utroque latere, plane sicut hodieque fieri consueverunt. Hæc utrimque per dorsum dependebant, indeque dicta sunt clitellæ. Festus. *Clitellæ dicuntur non tantum eæ, quibus sarcinæ conligatæ mulis portantur, sed etiam locus Romæ propter similitudinem, & in via Flaminia loca quidem devexa subinde & acclivia*. Quia loca Romæ & in via Flaminia erant acclivia mox devexa, similitudinem clitellarum habere videbantur, quia & clitellæ declives a summo jumentorum dorso, quod furcæ clitellarum velut cruribus varicatis comprehendunt atq;

A claudunt. Habuerunt alias & dependentes uncos. Docet unicus Horatii interpres vetus, loco ſupra indicato. *Clitellas, ait, ſagmas ſive ſellas, quibus ſtrati muli ſarcinas & onera geſtant, uncinis ligneis hinc inde dependentibus*. Facit uncinos illos ligneos, eoſque dependentes a clitellis hinc inde, hoc eſt, ut exiſtimo, ab utroque latere. Intelligo hoc autem de non ita libere pendulis in loro tæniave, ſed affixis ad extrema clitellarum, ſicut hodieque fieri conſuevit. Nam ad uncinos iſtiuſmodi etiam nunc religantur ſarcinæ per funes, ut ne defluant. Quo *conſtringere ſarcinas* dixit Pautus Trinum. A. III. Sc. 2.

B

—— Quid ego nunc agam?
Niſi uti ſarcinam conſtringam, & clypeum ad dorſum accommodem.

Religare, dixit Feſtus. *Furcillis religatas ſarcinas viatores gerebant*. Quanquam ſermo ſit hoc loco non de jumentorum clitellis, ſed hominum ærumnulis. Quod vero Heſych. in vocabulo *κανθήλια* ſic quoque dicit appellari *τὰ τοῖς ὄνοις ἐπιτιθέμενα λύγια πλέγματα*, h. e. texta viminea, quæ aſinis imponuntur, huc non pertinet, ſed ad genus aliud

C referri debet, quod & ipſum aſinis imponi conſuevit. *Fiſcos* appellavere Latini, meminitque Phædrus noſter lib. II.

Muli gravati ſarcinis ibant duo,
Unus ferebat fiſcos cum pecunia.

Fiſci ejuſcemodi ſunt *πλέγματα λύγια*, nam ex viminibus fiebant. Eratque uſus iſtiuſmodi fiſcorum ſive ſportarum aſellis ab utroque latere ſuſpendi ſolitorum ſicut hodieque, ſic olim creberrimus, non apud eos ſolum, qui faciebant iter, ſed & agricolas ruſticoſque. Qui & ſtercus in iis deferri ad agros curabant, aut vineas in locis edi-

D tioribus ſitas. At clitellas nemo *πλέγματα* vocavit, quoniam fuere non plexæ, ſed conſtructæ ex lignis firmis atque ſolidis. Quibus, ne aſperitate ſua læderent jumenta, ſubdere pulvillos fere ſolebant, farctos palea vel rebus aliis. Nam eſt *σάγμα*, quod clitellam notat, a *σαγῇ*, tomento, quo pulvilli replebantur, quod eſt *σάττειν* Græcis. A *σάττειν* eſt *σαγὴ*, inde *σάγμα*, pulvillus tomento repletus, clitellæ ſolitus ſupponi, unde ipſa etiam clitella ſic eſt dicta. Alii centunculos ſubjiciebant, id eſt pannos viliores craſſioreſque, ac eos ſæpe plures. Livius lib. VII. *Mulis*

E *ſtrata detrahi jubet, biniſque tantum centunculis relictis agaſones armatos imponit*. Strata hic non *ςρώματα*, ſed clitellæ, quod jam alias eſt dictum. Quibus ſublatis cum hic relinqui dicantur centunculi, neceſſe eſt fuiſſe antea in jumentis, ubi vero, niſi ſub ſtratis illis, hoc eſt clitellis. Atque ſic intelligendus & Frontinus lib. II. c. 4. *Ad implendam multitudinis ſpeciem agaſones lixaſque armatos ſimul ire juſſit, jumentorumque magnam partem inſtratorum cum centunculis*. Nam *inſtrata* hic accipio, quibus ſtrata fuere detracta relictique ſoli centunculi. Sed cur tandem ſtrata detracta?

F Docet Frontinus, quando addit, *ut per hoc facies equitatus objiceretur*. Nempe ſtrata illa ſive clitellæ longe ultra dorſum animalis eminebant, ſicut hodieque cernimus in mulis. At ſtrata equitum, ut ex panno ſimplici coriove, preſſe inhærebant. Quare ſi ſediſſet in clitellis, dolus facile fuiſſet deprehenſus, cum ſic viſi eſſent altiores, quam ſolerent vulgo equites. Et hæc quidem ſpecies clitellarum a quibus deinde jumenta omnia, quæ ferebant, *clitellaria* ſunt dicta. Ita habes aſinos clitellarios, apud Catonem, R. R. cap. 10. *Aſinos ornatos clitellarios, qui ſtercus vectent*. Item mulos. Columella lib. II. cap. ult. *Arbores ferendi cauſſa collo, vel mulo clitellario afferre*. Equos etiam clitellarios appellat Matthæus Pariſius An. MCCXLV. *Dedit domino Papæ triginta palefridos, cum totidem equis clitellariis*. Græci talia jumenta nuncuparunt *σαγμάρια*. Suidas: *σαγμάρια τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευήν*. Hinc poſtea & Latinis *ſagmaria*. Vegetius lib. III. cap. 6. *Antiqui diligentiſſime præcavebant, ne & ſagmariis clamore pavefactis milites turbarentur*. Hinc caballus ſagmarius, & mula ſagmaria apud Iſidorum voce *ſagma*. Equum ſagmarium dixit Vopiſcus in Aureliano. *Equum ſagmarium ſuum defricet*. Recentes ſaumarium, vel ſummarium appellavere, quod jam ſupra notavimus. Iiſdem Græcis etiam *ἀστράβαι* hæc jumenta. Pollux lib. VII. cap. 33. ubi de animalibus operariis: *ὄνος, ἡμίονος, ἀστράβη*. Heſychius: *ἀστράβη, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων ξύλον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι. οἱ δὲ κατὰ τὸ πλεῖστον μὲν τὴν σωμ[illegible] ἡμί[illegible]ον ἔτος ἔλεγον; ἔνιοτε δὲ πάντα ἁπλῶς τὰ σ[illegible]ματηγοῦντα ὑποζυγοῦντα*. Dicit, aſtrabam ſignificare ſellam equeſtrem, plerumque vero uſurpari de mulis, aſtrabas ſeu clitellas ferentibus: aliquando quoque pro genere omni clitellario poni. Hoc enim apud Heſychium eſt *σωματηγὸν*, opponiturque *ἀναβατικῷ*, de quo præceſſerat, *τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβατικῶν*. Ubi *ἀναβατικοὶ ὄνοι*, qui conſcendi ſolent ab hominibus, equitationis cauſſa, *σωματηγοὶ* vero, clitellarii. Ad eundem modum Euſtathius ad Odyſſ. I. *Ἀστράβαι φησιν, οἱ κατὰ μόνας σωματηγοῦντες*. Nam *σωματηγοῦντες* hic *σωματηγοὶ*, aut *σωματηγοῦντα ὑποζυγοῦντα*. ut Heſychius vocavit. Niſi velimus cum nonnullis apud ipſum ſcribere *ὑποζύγια*. Nam quod Salmaſius in epiſtola de Cruce delet, quia *ὑποζύγιοι* non ſunt *σωματηγοί*, non putamus jure fieri. Equidem & Euſtatius, *ὑποζυγίαι οἱ ὑφ' ἁμάξαις ζευγνυμένοι*, ſed alii aliter, & pro iis etiam uſurpant, quæ non juncta ſunt ad currum. Etymologus in hac ipſa voce. *Ἀστράβη. Λέγουσι καὶ αὐτὸ τὸ νωτοφόρον ὑποζύγιον*. Quod hic *νωτοφόρον ὑποζύγιον*, id Heſychio *σωματηγὸν σωματηγοῦν*, vel *ὑποζυγοῦν* vel *ὑποζύγιον*. *Ἀστράβαι* Græcis etiam *κανθήλιοι*. Hinc *κανθήλιοι ὄνοι*, clitellis ornati, ſicut ſupra pluribus monſtravi. Romani Græcæ vocis imitatione appellarunt *cantherios*. Nec enim cantherii proprie, quibus adempti teſticuli, ſed quibus impoſitæ clitellæ. Unde Sen. de Catone ep. 87. *M. Cato Cenſorinus cantherio vehebatur & hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret*. Lipſius cantherium hic exponit equum ſectum. At hoc nil notabile in Catone, nam & alii his vehebantur. Varro l. II. R. R. c. 7. *In viis habere malunt placidos equos, propter quod maxime inſtitutum, ut caſtrentur*. Video, ut caſtratis vulgo uſi fuerint in viis. Id vero ſingulare, Catonem vectum *κανθηλίῳ* ſive clitellario, in illis ipſis clitellis, quæ alias non ad equitandum, ſed onera & ſarcinas fuerunt paratæ, ac ne nudis quidem eis, ſed impoſitis hippoperis ſuper ipſas ſedens ſarcinas, quod hodieque, verum ſoli agreſtes conſueverunt. Ideo ſequitur. *O quantum erat ſæculi decus, imperatorem, triumphalem, cenſorium, & quod ſuper omnia hæc eſt, Catonem uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem, partem enim ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant*. Cantherii ergo clitellarii, ſicut *κανθήλιοι ἵπποι*. Jam ut equi mulive cantherii, ſic plane & homines, quod ex Pomponio ſuperius monſtratum eſt. Quod ipſum quoque docet, cantherios non ex exſectione dictos, quia careant teſticulis & ſemine, quod voluerunt hactenus, ſed ex *κανθηλίοις* ſeu clitellis, quas portare ſolebant. Nec enim qui ex hominibus can-

therii sunt dicti, exsecti fuere. Maluerunt tamen homines vocare *gerulos*. Nam quod apud Plautum extat III. Mostel. Sc. 2.

> —— *Muliones mulos clitellarios*
> *Habent, ego habeo homines clitellarios*,

Joco dictum est, ut apparet facile ex eo, quod præcedit: *Novitium mihi quæstum institu*. Non *clitellarios*, sed *gerulos* appellavere. Horatius lib. II. ep. 2.

> *Festinat calidus mulis gerulisque redemptor.*

Commentator quidem vetus Cruquii; *Gerulisque, h. e. sagmariis. Geruli qui portant necessaria ad fabricam*. Sed geruli non sunt sagmarii eo loco, qui a mulis nihil differunt, verum homines, qui dorso ferunt onera. Suetonius in Cajo, cap. 40. *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava exigebatur*. Ubi Casaubonus; *Geruli sunt οἱ μισθοῦ φέροντες, ut vocat Appianus IV.* Εμφυλ. *Attici φορτικοὺς & πεζίδινους vocant Latini etiam bajulos & gerones, ut Cicero in epistola quadam ad Atticum*. Quæ sit Ciceronis hæc epistola, mihi necdum liquet. Nec *gerones* alibi occurrunt. At vero gerulos de hominibus usurpavit quoque Columella lib. x.

> *Ære sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.*

Firmicus vocavit *laturarios*, pro ut recte verba ejus ex antiquis libris, emendavit Cl. Salmasius. *Operarios reddat, ac sempiternis laboribus deditos, & qui corpus suum ad opus aliquod locare consueverunt, laturarios, humeris ac dorso vitæ subsidia quærentes*. Ubi laturarii sic dicti, quod *laturas* facerent, id est onera gestarent humeris ac dorso. Philoxenus. *Latura*, φόρετρον, Hinc *laturas locare* apud Interpretem veterem Juvenalis Sat. III. quod is ipse vir doctissimus jam observavit. Appellarunt quoque *bajulos*. Ipse Tullius in Parad. *Utrum potius de bonis est quærendum, quid bajuli atque operarii, an quid homines doctissimi senserint*. Recte bajulos & operarios conjungit. Sunt enim *operarii* recentiori consuetudine, qui vetustioribus *bajuli*. Festus. *Bajulos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios*. Atque ita supra operarii apud Firmicum a cupiendi, non de omnibus vel quibuslibet, qui opus faciunt. *Bajulatores* appellavit auctor vetus Glossarum. Αχθοφόρος, *gerulus, onera ferens, sarcinarius, bajolator*. Docet locus, vocatos quoque *sarcinarios*, a sarcinis videlicet, quos ferebant. Dico, *sarcinarii*: nam *sarcinati* alii, illi scilicet, qui ex quacunque caussa gerunt sarcinas, non ad hoc conducti, & professione tales. Plautus Pœnuli A. v. Sc. 2. *Viden homines sarcinatos consequi*. Sarcinatos nominat non sarcinarios aut bajulatores, verum servos militis, sarcinas ipsius ad hospitium portantes. De bajulatoribus docent quoque Glossæ Savaronis ad Sidonii lib. VI. ep. 4. ita namque habent: βαςαταὴς, *bajolator, bajulator*. Sic ibi legendum. Nam *bajulatores* incuria typographi, pro *bajulator*, & est factum. Quod autem Vossius in lexico bajulos & *nutritores* atque *pappas* ait dictos, fit confusione bajulorum ut sunt inter ministeria domestica & pars familiæ, cum mercenariis. Familiares illi ita dicti, quod assi-

A due gestarent pueros ac infantes, de quo videsis Laurentium Pignorium, cum mercenarii ad bajulanda onera conducerentur. Num hi ab ærumnis nominati quoque *ærumnosi* fuerint, haud dixerim. Quanquam non dissuadeat, quod legitur in Petronii fragmento: *In capricorno ærumnosi nascuntur, quibus præ malo suo cornua nascuntur*. Græcis ἀχθοφόροι sunt, item βαςακταί. Glossæ: Βαςακτὴς, *bajulator*. Atque sic legendum est in Glossis Savaronis, non ut habent editi, βαςακτὴς. Βαςακτὴς est a βαςαγὴ, quod onus signat. Hesychius; βαςαγὴ, βάρος. A βαςαγῇ fecerunt *Bastagam* Latine. Inde titulus 20.
B lib. x. Cod. Theod. *De bastagæ reparatione*. Ubi bastaga non modo significat onus, sed & deportationem ejus. Indeque veniunt *bastagarii*, eadem memorabili titulo, qui sunt Græce non βαςακταὶ, quales supra dicti, verum βαςαγῆς procuratores. Docet manifeste ipsa lex, quando eis jubet præberi animal decimum, pro reparatione bastagæ. Liquet enim hinc, non ipsos ea onera gestasse, verum animalia. Unde nec huc pertinere potest, quod habetur in Corona pretiosa Meursio citatum. Βαςαγάρης, *bajulus*, ἀχθοφόρος. Non hic βαςαγάρης, qui in
C lege *Bastagarius*, quia hic jumenta oneraria regit, illa onera ipse bajulat. Solebant vero isti omnes onera gestare tergo. Hinc communi voce Græcis νωτοφόροι. Suidas. Νωτοφόρος, ὁ ἐπὶ νώτῳ βαςάζων. Loquitur non de jumentis solum, verum etiam hominibus. Hesychius: Νωτίσασθαι, ὁ μὴ ὑπὸ ζυγὸν, ἀλλὰ τῷ νώτῳ ἀχθοφορῶν ἄνθρωπος, ἵππος, ὄνος. Aperte testatur, non de equo solum asinove, sed & homine usurpari, hosque perinde, ut illos, si quando gestarent onera, id fecisse dorso. Quod confirmat Firmicus, quando de Laturariis, *dorso vitæ subsidia quæsivisse* scribit in superioribus. Diceban-
D tur ex eadem caussa & νωτάρεις. Suidas. Νωτάρης, ὁ ἐπὶ νώτῳ ἄρων καὶ βαςάζων. Ubi nota illud ἄρων, supra nobis explicatum. Hesychio sunt etiam νωτεῖς simpliciter. Νωτεῖς. οἱ ἀχθοφόροι ἡμίονοι, μὴ ἕλκοντες ζύγιοι. Sic lego illum locum non ἢ ἕλκοντες, quod præferunt excusi. Nam sunt alii ζύγιοι, alii νωτεῖς. Hi sunt ἀχθοφόροι, hoc est, onera ferentes tergo, illi ἕλκοντες, hoc est, trahentes jugis. Pollux lib. II. cap. 4. 37. Νωτοφόρος ἡμίονος, παρὰ Ξενοφῶντι, καὶ ὄνος. Καὶ νωτεῖς δὲ τούτους ἐκάλουν, ὡς καὶ τοὺς ὑπὸ ζυγῷ, ζυγίους. Sed quid est, quod νωτοφόρους etiam σωματοφύλακας Hesychius exponit? Σω-
E ματοφύλαξ, δορυφόρος, νωτοφόρος, καὶ ὁ βασιλικὸς φύλαξ. Non video, quomodo νωτοφόρος esse possit σωματοφύλαξ, cum repugnet ratio vocabuli. Suspicor, omissa & trajecta quædam, scribendumque σωματηγὸς, νωτοφόρος. Σωματοφύλαξ. δορυφόρος. Excidit σωματηγὸς, quia visum fuit idem cum σωμάλιφος in scripto codice, quod proxime præcessit. Νωτοφόρος certe nusquam custos corporis, sed qui sarcinas fert dorso, homo, mulus, asinus. Latinis hac de caussa dictus *dossuarius* vel *dorsuarius*. Philoxenus: *Dorsuarius*, νωτοφόρος. Varro lib. II. R. R. cap. 6. *Greges fere fiunt mercatorum, ut eorum, qui Brun-*
F *dusio aut Apulia asellis dossuariis comportant ad mare oleum*. Ut hic asellos dossuarios, ita capite 10. equas habet, ac jumenta alia. *Magistrum providere oportet, ut omnia sequantur instrumenta, quæ pecori & pastoribus opus sunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum. Ad quam rem habent jumenta dossuaria domini. Alii equas, alii pro his quid aliud, quod onus dorso ferre possit*. Vides manifeste dossuaria, quæ onus ferre possint dorso. Cæte-

rum hæc dossuaria jumenta, & præsertim muli varie ornati olim. Tintinnabula præsertim collo appensa habebant. Phædrus noster lib. I. cap. 8.

> —— *Celsa cervice eminens,*
> *Clarumque collo jactans tintinnabulum.*

Loquitur de mulo fiscos ferente cum pecunia. Et hic quidem unum habuit; at Apuleii ille plures, ubi & de cœtero ornatu. *Me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis,* B *& frenis argenteis, & pictilibus baltheis & tintinnabulis perargutis exornat.* Hausit uti cætera ex Luciano, qui sic de eadem re. Καὶ σκευή μοι ἦν πολυτελής. καὶ στρώματα πορφυρᾶ ἐπιβάλλομαι, καὶ χαλινοὺς εἰσεδεχόμην, ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένους, καὶ κώδωνες ἐξήπτοντό μοι μέλος μουσικώτατον ἐκφωνοῦντες. Memorat & ipse strata purpurea, frenos aureos, & tintinnabula musicum sonum edentia. Nam κώδωνες ipsius, Apuleii *tintinnabula*. Atque sic exculti equi quoque, sicut libro primo dixi. Magius de Tintinnabulis, cap. 8. *Olim oblectamenti atque ornatus gra-* C *tia muliones atque agasones equis mulisque tintinnabula alligabant, quod & hodie passim fieri videmus.* Suertius non tam ornatus caussa putat factum, quam quod sono eo animalia delectarentur. Sic enim ait ad Magium: *Assiduo compertum est, mulos valde delectari tintinnabulorum sonitu: quapropter muliones multijuga tintinnabula ad illorum colla suspendere solent, quo facilius sarcinarum labores perferant, ut Ovidius alibi canit.* Verum magis est, ut existimemus factum, quo adventantibus alii occurrentes in tempore decederent de via, præsertim cava vel angusta sono tintinnabulorum exaudito, propter caussas, quas superius adduxi. D Quanquam postea & alterum sit observatum. Videturque Phædrus noster innuere, quando malum superbum facit jactantem illud tintinnabulum, velut gaudio & per ostentationem. Phaleras aureas, quas inter ornamenta mulorum memorat Apulejus, puto esse clypeolos orbiculosve, quales hodieque in fronte ac temporibus ornamenti caussa ex ære inaurato, vel aurichalco habere consueverunt. Hesychius in voce φάλαρα generaliter ἱπποκόσμια vocasse videtur. At Suidas propius & convenientius sententiæ nostræ. Φάλαρα, τὰς προμετωπίδας, τὰς ἀσπιδίσκους, τὴν κόσμησιν τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν E ἵππων. Dicit phaleras vocare frontalia, clypeolos, ornamenta qualia equi habeant in fronte. Sicut equi, sic & muli habuere. Tapetes quoque hodie servantur, summis enim insternuntur sarcinis, partim ut legant, partim ut ornent. Ideo varias picturas habent intextas, quandoque nomina, & insignia illius, ad quem sarcinæ spectant. Sed qui *pictiles balthei?* An, quibus præcinguntur pectora, tæniis versicoloribus ornatis, aut villis, ex lana sericove? ut *pictile*, signet *pictum*, sicut *fictile*, *fictum*. Sane quomodo hic pictiles intelligi aliter debeant, F haud video. Atque ista quidem ornamenta, non dossuariorum omnium, sed præstantiorum, quod per se cognoscitur. Usus fuit multiplex. Nam jumenta quidem serviebant agris reique rusticæ, si vehendum stercus, transplantandæ arbores, aut alia id genus facienda, quod ex Catonis & Columellæ verbis supra discere potuimus. Alias vehebant sarcinas quascunque, hominum quorumlibet. Primum magistratuum ac præsidum, cum irent in provincias. Quo respexit Cicero

A in Orat. cont. Rullum, quando de Rullo, & magistratu ab eo Coloniæ deducendæ caussa constituto, quem prætoribus esse voluit similem: *Deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis, præterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili.* Habes ecce mulos in ministerio horum, sicut solenniter solebant esse in ministerio Prætorum. Sed in Pantagathi libro una voce auctius legebatur *mulis cantheriis*, quod cum Aldo & Grutero puto esse rectum. Sunt enim *muli cantherii*, ὄνοι κανθήλιοι, sic ad differentiam eorum dicti, quibus utebantur in vehiculis, alias *muli clitellarii*. B Nec enim cantherii a carendo, verum κανθηλίοις, seu clitellis, ut jam supra demonstratum est, & hic locus satis comprobare potest. Eadem quippe ratio & muli cantherii, & cantherii equi. Et quia muli cantherii, inde liquet, quod ajebam, consuevisse sarcinas prætorum, maxime tabernacula, & supellectilem ipsius bajulare. Accipiebant autem mulos istos e publico. Livius lib. XLII. cap. 1. *Magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Fiebatque hoc per privatos, qui accipiebant pecu- C niam ex publico, & ituros in provincias instruebant necessariis, interque illa mulis quoque, quod ex vita Augusti apud Suetonium cap. 36. est notum, & jam pridem expositum Sigonio lib. II. de Jure Provin. cap. 1. Quanquam hoc abolitum ab Augusto, mox per sequentes Cæsares denuo restitutum, ut vel ex Lampridii Alexandro Severo cognoscitur. Qui simul docet, elapso administrationis tempore, ut cætera, sic hos mulos restituere coactos. *Judices*, ait, *exemplo veterum, ut & Cicero dicat, & argento, & necessariis instruebat, ita ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas* D *senas, mulos binos, equos binos &c. redditari, deposita administratione, mulas, mulos, equos &c.* Observa, quod hic mulas quoque memoret in postremis, cum in præcedentibus solos nominarit mulos. Nam ostendit, locum esse mutilum, & sic explendum: *Phialas senas, mulas binas, mulos binos, equos binos.* Scriba negligentior rem eandem bis putavit positam, & ideo mulas omisit. Vehebant quoque muli, asini, equi sarcinas aliorum, iter facientium. Quomodo supra vidimus Gnathonii utensilia, Athenas deportata asellis. Seneca vulgatam hanc Romanorum iter facientium fuisse ait consuetudinem E ep. 123. *Omnes jam mulos habent, qui chrystallina, & murrhina, & cælata magnorum artificum manu, portent, turpe est, videri, eas te habere sarcinas, quæ tuto concuti possunt.* Mercium vero huc illudque transportandarum istoc solenne vehiculum. Ibantque juncti fere sociatique plures, quod superius jam monui. *Gregem* Varro nominavit illam sociatorum jumentorum multitudinem lib. II. R. R. cap. 6. *Greges fiunt fere mercatorum, ut eorum, qui e Brundusino aut Apulia asellis dossuariis comportant ad mare oleum aut vinum, itemque frumen-* F *tum, aut quid aliud.* Nec hoc faciebant mercatores solum, sed & alii, qui venale quid habebant. Ipsi agrestes in asinis circumvectare per plateas merces suas solebant. Innuit Virgilius Georg. I.

> *Sæpe oleo tardi costas agitator aselli*
> *Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens*
> *Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.*

Paulo planius Apulejus lib. IX. Asini, de hortulano loquens, cui serviebat: *Matutino me multis oleribus onustum, proximam civitatem deducere consueverat dominus, atque ibi, venditoribus tradita mercede, dorsum insidens meum sic hortum redire.* Item Lucianus: Ἀποδίδοταί με ἀνθρώπῳ κηπουρῷ τὴν τέχνην. ὁ δεσπότης οὖν ἕωθεν ἐπιθείς μοι τὰ λάχανα, ἐκόμιζεν, εἰς τὴν ἀγορὰν, καὶ παραδοὺς τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν, ἦγέ με πάλιν εἰς τὸν κῆπον. Præcipuus jumentorum ejuscemodi fuit usus in militia & bello. Nempe quicquid erat rerum necessariarum, non in vehiculis tam frequenter, quam clitellariis ejusmodi jumentis circumferre solebant. Inde *sarcinaria* Julio Cæsari lib. I. Bel. Civ. cap. 81. ubi de militibus Afranii: *Ibi & inopia pabuli adducti, & quo essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.* Sagmaria deinde vocarunt, vel equos, mulos, asinos sagmarios. Vegetius lib. III. cap. 6. *Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites. Impedimenta, sagmarii, calones vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum subsequatur.* Nempe sic & Græci appellabant. Suidas. Σαγμάρια τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον τοῦλδον, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν καὶ τὴν μετακομιδὴν τῶν ἐπιτηδείων. *Sagmaria id, quod nobis tuldum, quæ ferunt apparatum oneraque rerum necessariarum.* Verba hæc non sic intelligenda, quasi τοῦλδον quoque sit σαγμάριον, sed τοῦλδον est, quod ex omnibus sagmariis conficitur. Itaque distinguit Leo quoque cap. 10. 7. Καὶ αὐτὰ τὰ σαγμάρια, καὶ τὴν λοιπὴν ἀποσκευὴν, ἅπερ καλεῖται ἀδέστρατα (sic ibi est scribendum, non δίστρατα, quod habent editi) μετὰ αὐτοῦ τοῦ τούλδου καταλιμπάνειν. Interpres ita vertit: *Ipsa autem sagmaria, id est, sarcinas reliquosque apparatus, quæ andresta vocant, cum ipso tuldo relinques.* Hic primum prave habuit in suo codice ἄνδρεστα, pro ἀδέστρατα. Deinde sagmaria putavit sarcinas significare. At vero sagmaria non ipsæ sarcinæ, sed jumenta sarcinas portantia. Debuit igitur sic reddere: *Ipsa vero sagmaria, reliquumque apparatum, quæ vocantur adestrata, cum tuldo ipso relinques.* Ubi nota, hæc sagmaria vocata etiam ἀδέστρατα. Ipse Leo paulo est: δεῖ παραλαβεῖν τὰ ἀδέστρατα (sic iterum est emendandum, pro ἀδίστατα) ἤγουν σαγμάρια. Quanquam videatur fuisse inter ista quoque differentia, sic ut σαγμάρια significarent proprie jumenta clitellaria, ἀδέστρατα vero, cum sarcinis & oneribus jam essent gravata. Et hoc voluisse Leonem quando supra σαγμάρια καὶ τὴν λοιπὴν ἀποσκευὴν ajebat ἀδέστρατα vocata. Nam alias ἀδέστρατα sine jumentis non intelliguntur, id quod liquet ex Mauritio nostro, qui l. V. Strat. cap. 2. dicit esse ὑπὸ μικρῶν παλλίκων κρατούμενα, hoc est regimini parvorum puerorum subdita, quod nisi de jumentis explicari utique non potest. Adde, quæ in notis nostris de eadem re locuti sumus. Ἀδέστρατα igitur sunt σαγμάρια cum suis oneribus, quæ una cum carris, & vehiculis, & similibus aliis efficiebant id, quod Græci novitii τοῦλδον, Latini alias *impedimenta*, nominarunt. Cæterum in his sagmariis vel sarcinariis habebant commeatum suum, item utensilia, tum tentoriola, postremo arma quoque, qua de re non uno loco dixi ad Mauritium. Eratque illa sic divisa per exercitum, ut contubernia singula, vel bina unum haberent istiusmodi sagmarium. Leo VI. 29. Ἵππους σαγματαρίους ἢ ὑποζυγίους, εἰ μὲν ἐνδέχεται, καθ' ἕκαστον κοντουβέρνιον, εἰ δὲ μή γε, εἰς τὰ δύο κοντουβέρνια ἕνα. Ita editi. Sed pro σαγματαρίους, mallem σαγμαρίους scribere, pro ὑποζυγίους, ὑποζύγια in Barberino legit codice Cl. Holstenius, manuque sua codici adscripsit, quem ipsius munere possideo. In eodem ἕνα legitur post κοντουβέρνιον insertum. Sensus hic est: *Equos sagmarios, vel jugales, si potest fieri, singula contubernia singulos, vel si non singula, bina singulos habeant.* Interpres etiam hic minus fuit accuratus. Cæterum contubernia singula decem vel duodecim continebant milites, ut notum. Ergo singuli decem milites, vel viginti unum habebant sagmarium, cujus usus communis erat omnibus. Habebant autem non contubernia modo vel decuriæ, sed etiam centuriæ aliquem, quem *centuriatum* nuncupabant. Vopiscus in Aureliano: *Mulum centuriatum communiter curet.* Salmasius ad hunc locum. *Mulus centuriatus erat communis toti centuriæ. Recte igitur* καὶ κατὰ λόγον *mulum communem communiter vult curari.* Quibus verbis intelligimus, sagmarii illius usum fuisse communem toti centuriæ, sic ut ea, quæ spectarent non ad singulos, hoc enim pertinebat ad sagmarium contubernii seu decuriatum, sed ad totam centuriam gestaret. Simulque observatum, ut communis quoque ejus esset cura, id est ordine singuli per totam centuriam sagmarium illum suo quisque tempore curarent. Erat autem mulus, sagmarius centuriatus. Decuriatus equus videtur fuisse, supra enim Leo, ἵππους σαγμαρίους, vel ut est in editis σαγματαρίους, quod ineptum tamen puto, nominavit. Quanquam vix sit dubium, quin & mulos adhibuerint. Nam mulorum mentio creberrima hoc fine. Ita supra vidimus strata detracta mulis, quos non intelligimus alios, quam sagmarios hujusmodi. Etiam camelos ita usurparunt. Pollux lib. I. c. 10. ubi agit de his omnibus: Χρεία δ' εἰς τοὺς πολέμους σκευοφόρων μὲν ὄνων, ἐπισκευαζομένων δὲ βοῶν ὑφ' ἁμάξαις, ἡμιόνων δὲ πρὸς ἄμφω, καμήλων δὲ, ἐπισεσαγμένων τὰ σκεύη. *Ad bellum autem opus est asinis, qui ferant sarcinas, & bobus, qui jungantur ad vehicula, mulis vero, qui utrumque faciant, camelis denique, qui portent utensilia.* Ita verto locum hunc, ab interprete minus clare redditum. De camelis dixi quoque ad Mauritium nostrum, qui & ipse facit mentionem aliquam eorum ad hos usus. Jam quoniam jumenta isthæc omnia in bellis sua præstabant ministeria, hinc & jure postliminii recepta. Cicero hoc nominatim docet de mulis in Topicis. *Postliminio*, ait, *redeunt hæc; homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet.* Mulus clitellarius non quilibet, sed qui sarcinas & onera gestavit in militia, captusque fuit, hic intelligendus est. Ac de tali loquitur & Gallus Ælius apud Festum. Verba Festi hæc sunt: *Postliminio receptum Gallus Ælius in libro primo significationum, quæ ad jus pertinent, ait esse eum, qui liber ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit ex jure, quod constitutum est de postliminio. Item qui servus a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit, redit in ejus potestatem, cujus antea fuit, jure postliminii. Equi, & muli, & navis eadem ratio est.* Ita lego & distinguo Galli verba. Liquet autem satis, sermonem esse non sic universum de mulo, sed de clitellario, eoque qui gestavit sarcinas in bello, aut vehicula & currus traxit.

CAP. III.

De Ferculis.

Fercula, unde. Fercula cænarum, triumphorum, funerum. Fercula cænarum qualia. Calepinus & Stuckius notantur. Cibi plures in uno ferculo. Ferculum componere, struere. Compositores, structores. Repositorium. Baysius notatur. Plinius emendatur. Epulæ ingentes. Lampridius exponitur. Dapes ingentes. Emendatio Salmasii revellitur. Ferculi figura rotunda vel quadrata, item simplex vel duplex. Theca repositorii. Ornamenta ferculorum. Ursinus refutatur. Repositoria non sunt mensæ. Quomodo illata mensis, missus. Fercula ovantium qualia. Livius explicatur. Fercula spoliorum in pompa triumphali. Ferculis impositi homines. Quomodo portata. Onuphrii picturæ falsæ. Fercula ludorum. Torrentius rejicitur. Dio explicatur. ἅρμα ὅλον. Dio emendatur & explicatur. Pulpitum in scholis & theatris. Pompa quid. Cicero exponitur. Ferculi sunt nulli. Nizolius refutatur. Imagines motæ ab hominibus intus latentibus. Apulejus explicatur. Dii incedunt pedibus humanis. Portare Anubin. Signiferi. Noxii ad hoc negotium. Induere deos. Latere sub pompa. Seneca explicatur. Πομπὴ. Fercula funebria. Fericula. Fercula. Dio notatur & Casaubonus, & Argolus. Fercula pro muneribus & donis in funere. Feretra. Suetonius exponitur. Casaubonus denuo notatur, & Torrentius. Suetonii lectio vetus defensa. Lectum funebrem præibat imago defuncti per vivum hominem expressa. Ferre alicujus personam, induere. Persona imponitur. Plinius explicatur. Dalechampius rejicitur.

VEnio ad genus aliud, quod gestari solet, non in dorso, ut liquebit postea, verum humeris ac dextris. *Fercula* vocarunt, a *ferendo*, quod ferantur. Nam ut ab *operio*, *operis*, est primo *opericulum*, & per syncopen *operculum*, sic plane & a *fero feris* est *fericulum* primo, & deinde *ferculum* Erant vero talia primum fercula cænarum de quibus Suetonius in Augusto cap. 74. *Cænam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat.* Deinde fercula pomparum: quales primum pompæ triumphales, in quibus fercula. Suetonius iterum in Julio cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum; veni, vidi, vici.* Deinde pompæ ludorum sacrorum. Idem eodem libro, cap. 76. *Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa.* Postremo & pompæ funebres, in quibus ipsis fercula quandoque. Suetonius rursum in vita Caii c. 16. ubi loquitur de matris ejus fratrisque cineribus. *Per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit* Qualia fuerint omnia hæc fercula, nondum evidenter satis traditum a viris doctis opinamur. Ac de ferculis cænarum quidem valde sunt incerti. Fulgentius exponit missus carnium. *Ferculum*, ait, *missus carnium. Petronius Arbiter: Postquam ferculum allatum.* At alii accipiunt pro cibis ipsis. Stuckius in Antiquitatibus convivalibus: *Dapes sive cibi, qui apponuntur, fercula Latine dicuntur. Ferculum, teste Nonio, est missus cibi, ita dictus, quod mensæ inferatur.* Unde habeat hoc Stuckius non satis scire possum, apud Nonium profecto ipsum nihil tale invenias. Quare suspicor, secutum Calepinum, qui similiter: *Ferculum, teste Nonio, missus cibi, ita dictus quod ad mensam inferatur.* Sed confundit Calepinus Nonium cum Fulgentio. Deinde missum cibi vocat, quod Fulgentio est missus carnium. Postremo missum cibi putat ipsum cibum. Ac ne videatur sine auctoritate hoc facere, subdit locum Juvenalis ex Sat. 1. ubi Poeta:

—— Quis fercula septem
Secreto cænavit avus? ——

Nempe quia hic *cænari* fercula dicuntur, utique significare cibos arbitratus est. Atque sic collegit ex hoc loco ille etiam, qui Forum Romanum concinnavit. *Ferculum*, ait, *dapes dicuntur.* Sed videlicet non observarunt, Poetam figura receptissima posuisse fercula pro cibis, quæ in ferculis apponebantur. Quomodo & mensas usurpavit alicubi hac significatione, atque alii fecerunt. Nam & *tenuem mensam* Horatius, & *opimam mensam* Silius ita usurparunt. Quare fercula non magis erunt cibi dapesque, quam mensæ, si quid proprie significarint, quæras. Fercula fuere tabulæ ligneæ latiores, quibus vasa plura ciborum una vice imposita inferri mensis solebant, ita a ferendo dictæ, quia eis ferebantur cibi, mensæ imponendi. Docet omnia egregie Petronius, quando ita loquitur. *Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro expectatione magnum, novitas tamen omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita, superque proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum.* Habes hic manifeste ferculum, nec nisi unicum, in eo tamen cibos duodecim, suis comprehensos patinis, pro signis duodecim, quibus ferculum fuit pictum. Ergo unum ferculum non unius tantum fuit cibi, vel unius patinæ, sed plurium. Atque sic accipiendum est, quod habet Servius ad Æn. 1. ex Catone: *& in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Item quod de Augusto memorat Suetonius cap. 74. *Cænam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat; ut non nimio sumptu, ita summa comitate.* Non tres patinæ hic sunt intelligendæ, sed tria fercula, singula patinarum plurium, per tres missus cænæ illata. Nam sermo est non de cæna quotidiana, sed convivio, in quo quis credat Augustum tam opulentum eo præsertim tempore, quo luxuria pars magnificentiæ habebatur, tria tantum genera ciborum voluisse apponi. Et igitur ea fercula Suetonius fuisse ait sumptuosa, *sumptu* licet *non nimio*, ut sunt ejus verba. Deinde habuit Petronianum illud ferculum cibos illos *impositos*, & quidem per structorem, cujus fuit officium, cibos & patinas decenti ordine disponere. Martiali hoc est *ferculum componere* lib. v. Sat. ubi ait:

—— Veniet, qui fercula docte
Componat, veniet, qui pulmentaria condit.

Et *compositores ferculorum*, ordinatores, ciborum in eis collocatores. Servius ad Virgil. 1. *Struere, ordinare, componere, unde structores dicuntur ferculorum compositores.* Atque quoniam sic ordine repositos habebat cibos ferculum, ideo & a Petronio *repositorium* est dictum. Nam repositorium nil aliud, quam ferculum, quod hic locus evidenter docet, in quo quod ante *ferculum*, statim post *repositorium* vocatur. Baysius accepit pro tri-

tripode, qua ſuſtineatur menſa. Verba ejus in opuſculo de vaſculis: *Repoſitoria, a reponendo dicta videntur, in quibus reponebantur menſæ, quæ fortaſſe inde trapezophora dicuntur.* Addit verba Plinii, quibus probet hanc ſententiam ex lib. XXXIII. *Jam vero & menſas repoſitoriis imponimus, & ad ſuſtinenda opſonia interradimus latera.* Sed eſt ſine dubio vitioſa ea lectio. Nam ſermo ibi eſt de vaſis argenteis, ad quæ nil profecto iſta verba. Quare nihil dubito emendanda eſſe ac legenda in hunc modum: *Jam vero & in menſas repoſitoriis imponimus.* Vaſa intellige argentea, de quibus ante loquebatur. Senſus optimus, & mutatio nulla, tantum revocatur *in* ex ſequenti voce, cujus prima littera totidem conſtans lineolis, abſorpſerat. Dicit, *imponi* vaſa illa argentea *in menſas*, & quidem cum *repoſitoriis*, in quibus ſcilicet diſponebantur plena cibis. Atque ita conſueviſſe docet ipſe lib. XVIII. cap. 35. quando ait: *Vaſa, quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitoriis relinquentia, diras tempeſtates prænunciant.* Vocat vaſa cum eſculentis ſudorem relinquentia repoſitoriis, quod non intelligitur, niſi ſteterint ſuper illa repoſitoria. Quapropter repoſitoria, in quibus vaſa cibaria reponebantur, ut cum eis inferrentur menſæ, unde alia voce quoque fercula vocata. De ferculis hujuſmodi agit & Lampridius, in vita Heliogabali, ubi ait: *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum.* Fercula non de patinis ſingulis accipienda ſunt, ſed pluribus, quia illud nihil foret memorabile, & igitur ea fercula dicuntur habuiſſe *epulas*, & quidem *ingentes*. Ubi quæri video, quæ illæ ſint ingentes epulæ. Mihi ſic videntur dici, quæ conſtarent non ex cibis minutis, ſed integris, eiſque prægrandibus animalibus, ut bubus, apris, porcis, ac ſimilibus. *Dapes ingentes* appellavit ante cap. 20. *Exhibuit & palatinis ingentes dapes, extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus pſittacorum, & faſianorum, & pavonum.* Corrigunt hic viri docti, & pro *palatinis*, *palatinas* ſubſtituunt, *dapes* vero delent, quoniam in Palatino Mſ. uno non comparet. Verum unus ille non obſtare poteſt cæteris, cum præſertim ille ipſe ex his cæteris, quamvis manu alia, adſcriptum *dapes* habeat. Nec admittit τὸ *refertas*, quod a *farctum* eſt. Farctæ namque non dicuntur patinæ, ſed epulæ ac dapes, quia erant intus oppletæ ovis, extis, ac ſimilibus, ſicut aper Trimalcionis apud Petronium refertus fuit turdis, & porcus tomaculis ac botulis. Quanquam cum ingentes illæ fuerint epulæ, ſingula fercula iis ſingulis conſtitiſſe videantur, vel repoſitoria. Quomodo & in Fragmento Petronii legimus *repoſitorium, in quo poſitus erat primæ magnitudinis aper*: & aliquanto poſt, *repoſitorium cum ſuo ingenti.* Ubi ſimul habes illud *ingenti*, unde *dapes* atque *epulæ ingentes*. Cæterum hæc repoſitoria ſeu fercula non unius erant formæ. Quod colligimus, quia id Trimalcionis tanquam contra conſuetudinem vulgarem dicitur fuiſſe rotundum. *Novitas tamen*, ait, *omnium convertit oculos. Rotundum enim repoſitorium duodecim habebat ſigna.* Non nominatim Petronius vocaſſet rotundum, ſi hæc omnium fuiſſet figura. Et quadrata quoque fuiſſe docet Feneſtella, cujus poſtea adducemus verba. Deinde quædam fercula ſeu repoſitoria hujuſmodi ſimplicia extitere, quædam duplicia, intuſque cava, ut uni eidemque ferculo duplex numerus patinarum poſſet imponi. Tale namque memoratur illud Trimalcionis apud Arbitrum. Verba Arbitri, poſt enarratos cibos in ſuperiori ferculo diſpoſitos per ſigna duodecim, de quibus ante, *Ad ſymphoniam quatuor tripudiantes procurrerunt, ſuperioremque partem expoſitorii abſtulerunt. Quo facto vidimus infra, ſcilicet in altero ferculo altilia, & ſumina, leporemque in medio.* Ubi nota, rurſum dici *ferculum*, quod ante *repoſitorium*. Nam *alterum ferculum* nil aliud, quam pars inferior repoſitorii. *Thecam repoſitorii* nominavit in ſequentibus, quia erat operta ſuperiori ferculo, ciboſque habebat in ſe reconditos & clauſos, veluti in theca. *Rogo*, inquit Trimalcio, *me putatis illa cœna eſſe contentum, quam in theca repoſitorii videratis?* Habebant quoque ornamenta ſua hæc repoſitoria ſeu fercula, uti ex Petronio apparet. Iſtuc enim pertinent ſigna illa duodecim in repoſitorio Trimalcionis expreſſa, ſive lignis diverſicoloribus, ſive lineis argenteis inter tabellarum commiſſuras infertis. Sic enim conſueverant, quod nos docet Feneſtella, Plinio laudatus lib. XXXIII. cap. 11. Verba Plinii: *Cornelius Nepos tradit, ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. Repoſitoriis argentum addi ſua memoria cœptum, Feneſtella dicit, qui obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu; ſed & teſtudinea tum in uſum veniſſe. Ante ſe autem paulo, lignea, rotunda, ſolida, nec multo majora, quam menſas fuiſſe. Se quidem puero quadrata & compacta, aut acere operta, aut citro cœpiſſe, mox additum argentum in angulos, lineaſque per commiſſuras.* Multa docet iſtis verbis de his ferculis. Primum materiæ intuitu omnia fuiſſe primum lignea. Quod formam attinet, eam primum extitiſſe rotundam, poſt factam & quadratam. Magnitudinem quoque non multo exceſſiſſe magnitudinem menſarum, hoc eſt, ut ego accipio, non longiora multo, non latiora menſis fuiſſe. Quo ad ornatum, eum quoque initio fuiſſe exigium. Primum namque operta acere vel citro, id eſt tabellis tenuibus ex iſto genere materiæ ac velut laminis exterius adglutinatis tecta fuiſſe, ſicut hodieque capſarii viliorem materiam pretioſiori operiunt. Poſt additas cruſtas ex teſtudine, qualis nobis quoque ſub vocabulo *Schildpædd* nota laudataque. Tandem adjectum argentum ab initio in angulis, dixit enim poſtea quadrata facta, per laminas, ut exiſtimo opertis, ſicut annis ſuperioribus librorum opercula, item ciſtarum anguli laminis æreis aut ferreis tegi conſueverant, in commiſſuris vero tabellarum, quibus ſuperne ornabantur, additas tenues ex argento velut lineas, quibus diſtinguerentur. Neque mihi dubium, quin iſtæ lineæ per commiſſuras ita fuerint ornatæ, ut diverſas exhiberent figuras ſtellarum, orbium, ac rerum aliarum, plane ſicut in menſa Iſiaca immiſſæ lineæ ejuſmodi figuras deorum dearumque exhibebant. Atque hæc jam fercula ſeu repoſitoria, non cibi, multo minus menſæ, quod Urſinus arbitrabatur. Verba ejus hæc ſunt in Appendice Ciacconii. *Toties autem menſas, hoc eſt repoſitoria, quoties fercula & obſonia mutari.* Quaſi fercula & obſonia ſint idem, & fercula differant a repoſitoriis, & repoſitoria ſint menſæ. Repoſitoria adeo non fuerunt menſæ, ut contra menſis imponerentur. Ideo a menſis ſupra Plinius diſtinxit, & majora dixit facta menſis, primo quidem non multum, at deinde plurimum, ut locus ille innuit. *Non multo majora*, dicit, *quam menſas fuiſſe.* Si non multo majora, quam menſæ, igitur non potuerunt menſæ ipſæ fuiſſe. Ac quoniam non alia repoſitoria, quam fercula, ideo

& hæc a mensis distinguuntur. Plinius l. XXVIII. cap. 3. *Sternutamento revocari ferculum mensamve*. Sicut hic aliud mensa, & aliud ferculum, ita paulo ante aliud mensa, & aliud repositorium. *Bibente conviva mensam vel repositorium tolli* ait. Ferebantur autem hæc repositoria seu fercula modo a duobus, modo a pluribus, prout essent majora minorave. Ita facile res ipsa docet. Apud Petronium profecto sunt quatuor, qui superiorem tantum auferunt partem. *Ad symphoniam*, ait, *quatuor tripudiantes accurrerunt, superioremque partem repositorii abstulerunt*. Si partem ejus abstulerunt quatuor, ergo duplo plures minimum intulerunt totum. Quoties autem ferculum ejusmodi inferebatur mensæ, toties missus unus dari dicebatur. Inde sæpe *missus* pro *ferculis*. Fulgentius supra: *Ferculum, missus carnium*. Atque ita usurpavit Lampridius in Heliogabalo: *Habuit etiam istam consuetudinem, ut cœnas sibi exhiberet tales: una die non nisi de fasianis tantum ederet, omnesque missus sola fasianorum carne strueret*. Non tamen ferculum est missus, si loquendum proprie, sed ferculi e culina in mensam dimissio atque deportatio, quod parum observarunt. Venio ad fercula triumphalia. Hujus generis fuere primum, qualibus suspensas hostium a se devictorum vestes & exuvias gestabant, præsertim quas dux detraxisset duci, & opima spolia vocabant. Livius lib. I. cap. 10. de iis loquens. *Romulus cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator, haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit*. Habes nominatim ferculum, & in eo spolia ducis. Quale vero fuerit, Plutarchus docet vita Romuli, ubi ait: ὁ Ῥωμύλος δρῦν τεμὼν ὑπερμεγέθη, καὶ διαμορφώσας ὥσπερ τροπαῖον, *Romulus quercum miræ proceritatis recidit, & formavit ad instar tropæi*. Quia formam dicit habuisse tropæi, hinc liquet, fabrefactum ex stipite simplici, cui in capite appositum transverse lignum brevius, figura crucis. Ista namque fuit tropæorum forma apud veteres. Tertullianus in Apolog. cap. 16. *In tropæis cruces intestina sunt tropæorum*. In tali ergo cruce lignea e quercu ferebat Romulus opima spolia. Livius ferculum vocavit, quoniam inferebat. Ferebat autem, ut opinor, erecta, sed paulisper tamen reclinata in dextrum humerum. Hic enim ejus gestitantis habitus descriptus est Plutarcho, dicto loco: ὑπολαβὼν δὲ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ προσερειδόμενον ὀρθὸν, ἐβάδιζεν: *Captum vero ferculum, dextroque applicatum humero ac subrectum gerens incessit*. Discimus, gestasse ferculum non in dorso, sed in humero, nec tamen demissum jacensque, sicut hastæ gestantur, sed erectum. Nempe arma spoliaque imposuerat, quæ obhærere aliter nequibant. Quia tamen propter pondus manu libera gestari molestum ac difficile constabat, ideo applicatum humero habebat. Atque ad hunc modum spolia opima omnia deinde delata in Feretrii Jovis templum. Factitatum idem aliquando & in aliis spoliis. Ita namque censeo accipienda verba Livii de Horatio, trigeminorum victore lib. I. c. 27. *Princeps Horatius ibat, tergemina spolia præ se gerens*. Sane quomodo præ se gesserit aliter, quam suspensa in ferculo, vix excogito. Neque sinit multum dubitare, quod sequitur de sorore ejus, cognovisse *super humeros fratris paludamentum sponsi*. Quomodo enim præ se ferens, & tamen super humeros, nisi quia ferculum, in quo suspensum fuit, humero habuit applicitum, & paludamentum ante arma cætera in humeros propendit. Præter ista fercula habuerunt & alia, quibus gestabantur signa atque alia in pompa triumphali. De hujusmodi Suetonii sunt verba superius adducta ex vita Julii, cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, veni, vidi, vici*. Habes his aperte fercula pompæ triumphalis. Est autem pompa triumphalis illa spoliorum aliarumque rerum ordine gestata multitudo. In hoc fercula cum titulis, hoc est, ut ego arbitror, cum tabulis, in quibus scripta Julii Cæsaris, *non acta belli significasse, sicut cæteros*. Liquet enim, triumphum illum plures ejuscemodi habuisse titulos, eosque indicasse breviter acta belli ejus, & res gestas. Præter eos vero unum, quo contra consuetudinem non acta belli, sed celeritas confecti notabatur. Titulus ille non ipsum fuit ferculum, sed in ferculo præferebatur, eo plane modo, sicuti & res aliæ præferebantur, ut oppida, montes, castella, & id genus, interdum picta, interdum sculpta ligno, interdum quoque pretiosiori materia. Vellejus omnes illa res appellat *apparatum* triumphi. Verba ejus lib. II. cap. 56. ubi agit de triumphis Cæsaris: *Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africani ebore, Hispaniensis argento rasili constitit*. Viri docti acceperunt de ferculis. Torrentius ad Julium Suetonii cap. 37. ubi hæc adducit verba: *De triumphi ferculis, diversa factis materia loquitur*, ait. Et sic alii. Sed ferculum proprie loquendo non est apparatus, verum id, quo apparatus gestabatur. Ideo ferculum semper ex eodem fuit genere, ligno scilicet, non ita apparatus. Suetonius pro apparatu dixit instrumentum. *Triumphum*, ait de Cæsare, *egit diverso quemque apparatu & instrumento*. Instrumentum triumphi, atque apparatum velut rem eandem posuit, & illos titulos, imagines rerum diversarum, & id genus intellexit. Habuit enim Cæsaris triumphus præter titulos etiam imagines, quales dixi. Fabius lib. VI. cap. 3. *Cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabii maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit*. Hic oppida eborea sunt in instrumento atque apparatu Cæsaris, ut Suetonius vocavit. Fabius & ipse habuit in triumpho suo, verum lignea, quod fuit usitatius frequentiusque. Hæc ergo oppida & tituli & imagines & alia id genus gestata in triumpho non nudis manibus, sed imposita ferculis, quo essent conspectiora. Neque ista inter se confundenda. Asconius in Verrina I. *Ferculis signa ante triumphantem vehi per pompam solebant*. Per signa simulacra oppidorum, arcium, & similium, præcipue vero illo in loco statuas & simulacra deorum, hosti erepta intelligit, quod ipse Ciceronis locus manifeste docet. Non autem dicit fercula seu signa vecta, verum signa vecta ferculis, quia illis ferculis imponebantur. Neque res inanimæ impositæ solummodo, sed ipsi vivi homines, clariores maximæ, ac nobiliores ex captivis. Jole apud Senecam in Hercule Oetæo v. 109. ubi loquitur de iis, qui matura morte captivitatem evaserunt.


Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

Respexit & Seneca Philosophus in de vita beata cap. 25. *In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam*. Videnturque hi ostentati cum catenis, & adpositis erectisque ex ipsorum spoliis trophæis. Memorat hoc namque in triumpho Tiberii aut Germanici

Ovidius lib. III. ep. 4. ex Ponto, quem augura-tur.

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentque ſuper vinctos trunca trophæa viros.

Ita edidit vir eruditione juxta & humanitate ſingulari Nic. Heinſius, qui & in Notis exprimi per nummos iſtam conſuetudinem bene obſervavit. Quærat aliquis, an & hæc fercula ſuperioribus fuerint ſimilia, illis inquam, quibus Romulus eſt uſus. Equidem quod illa attinet, quibus portabantur tituli, non video, cur debeamus dubitare. Poterant fortaſſis & imagines aliquæ, aliaque minutiora, præſertim ex ligno fabrefacta ſic geſtari. At de iis, quibus impoſitæ ſtatuæ gravioris materiæ, ipſique vivi homines, qui poſſit credere? Videturque aliud docere Joſephus, quando loquens de hoc genere non ferculis, ſed pegmatis impoſitos fuiſſe ait. Verba ejus ſunt de Triumpho Veſpaſiani. *Stupori erat pegmatum, quæ portabantur, fabricatio tam magna, ut occurrentes timerent, ne qui ſubierant, geſtare haud valerent, nam quædam in tabulatum tertium excreverant. Erat autem per ſingula pegmata captæ civitatis dux, ita ut captus fuerat ordinatus.* In Græco eſt, ὃν τρόπον ἐλήφθη, quod ſignificare puto, poſitum fuiſſe ibi habitu captivi, injectis catenis, ſicuti fiebat, quando capiebatur, hocque reſpicere id ipſum, quod de captivorum habitu in ferculis ſuperius notavi. Docet autem iſtis verbis Joſephus, pegmata fuiſſe, quibus duces vivi fuerunt impoſiti, hoc eſt tabulata lata, ſtructaque in altum. Ea enim proprie ſunt Græcis πήγματα, a πήγνυμι, quoniam ex lignis pluribus coagmentata, ſtructaque in altum. Fuiſſe quoque non ſimplicia, ſed habuiſſe plura tabulata, alia ſuper alia. Denique cum eſſent magna ponderoſaque, geſtata quidem ab hominibus, ſed bene multis, quod in altero genere minime fiebat. Igitur vocat πήγματα φερόμενα. Θαῦμα inquit ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν, ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. Quo plane conſtat, lata. Quomodo autem lata fuerint hæc pegmata, id non declarat. Veriſimile, hoc factum humeris ſubjectis, ſuppoſitiſque aſſeribus validis. Niſi quod extare tamen facerent ſupra humeros, & ipſa capita. Ita conjicio ex arcu triumphali ejuſdem Veſpaſiani, ſicut Lafreri manu ſculptus apud me habetur. Equidem pictura eſt parum accurate facta, quod doleo; exhibebo eam tamen, ſi fortaſſis lucis aliquod accedere inde argumento noſtro poſſit.



A Cernitur hic primum illud genus, quo geſtabant titulos. Plane namque titulos interpretor illas duas tabulas, unam præcedentem arcam fœderis, alteram ſequentem, ſuſpenſas in ferculis, quæ intelliguntur hinc fuiſſe perticæ longiores, ſic geſtatæ, uti ſupra demonſtravi. Deinde cernitur & genus alterum, cui inſiſtit arca fœderis, cum lichnucho, ſublatum ſupra capita geſtantium, niſi malimus non tam eſſe arcam, quam ferculum ipſum, id cui impoſitus eſt lichnuchus. Habuit namque arca ſuos a lateribus annulos, & per eos aſſeres trajectos, quales nulli hic comparent. Quicquid vero ſit de arca, illud plenum eſt, B geſtaſſe genus hoc elatum ſuper capita. Non ergo accurate ſatis Onuphrius in triumpho ſuo illa omnia vehiculis impoſuit, & velut in cumulum nullo ordine conjecit. Nam contra omnia exhibita ſolerter pulchreque diſpoſita, veluti Joſephus docet. Cæterum an hæc pegmata quoque nominarint fercula Latini, dubium poteſt eſſe. Quanquam cum non pugnet ratio vocabuli, præterea in re ſimillima Seneca uterque ac Ovidius fercula nominarint, mihi dubitandum parum videatur. Erant quoque fercula ludorum ſacrorum, ſicut ſupra demonſtravimus. Quæ illorum ſpecies C extiterit, eſt dubium. Torrentius partem facit ſacrorum vehiculorum ſive curruum, qui dicebantur thenſæ. Ita namque habet vita Julii. *Eſt thenſa, ut Grammatici volunt, vehiculum ipſum ſacrum, ferculum vero vehiculi pulpitum, cui ſimulacra imponebantur.* Vellem ego nominaſſe aliquem Grammaticorum, qui ferculum dixerit eſſe pulpitum vehiculi, quod vocatur thenſa; nam hactenus invenio neminem. Hoc quidem ſcio, pulpitum exponere, ſed thenſæ pulpitum vocare, id vero penitus ignoro. Quare ſuſpicor hoc eſſe de ingenio Torrentio. Quia pulpitum vocari vidit, ipſe de thenſæ pulpito conjecit. Non D profecto ita Acro, qui pulpitum expoſuit. *Fercula*, inquit, *ſunt pulpita, in quibus deorum ſimulacra reponebantur, quia in pompa Circenſi hujuſmodi ſimulacra deorum ferebantur.* Vocat pulpita, ſed thenſarum nullam facit mentionem, imo in iis deorum ſimulacra dicit *lata*, quod non convenit, ſi ea pulpita in vehiculis repoſita fuere. Quod enim eſt in vehiculo, non tam fertur, quam ducitur aut vehitur. Et qui dici fercula potuiſſent, niſi lata geſtatave fuiſſent? Denique thenſis ſeparat diſertim Suetonius in ſuperius citato loco. Verba ſunt clariſſima. *Ampliora etiam E humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in curia & pro tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompa.* Tanquam de duabus diſtinctiſſimiſque rebus loquitur. Atque ad eundem modum Dio quoque, qui hinc capit lucem. Verba ejus ſunt in lib. XLIII. Καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. Vertunt ita: *Statuam quoque tunc eburneam Cæſaris, ac poſt thenſam in Circenſibus pompis cum deorum ſimulacris vehi juſſerunt.* Satis apte, ſi rem ipſam cogitas, non ſi verba Dionis. Ἅρμα ὅλον F quippe non eſt *thenſa*. Thenſa equidem hic intelligitur, ſed ἅρμα ὅλον notat *integrum currum, integrum vehiculum*. Reſpiciebat nempe ferculum, in quo prius geſtabatur illa Cæſaris ſtatua eburnea. Id ait non fuiſſe ἅρμα ὅλον, ſed vectabulum tantum aliquod, quo geſtabatur. Poſtea demum acceſſiſſe & currum. Aliud ergo currus, aliud ſimulacrum per ſe circumgeſtatum, quod cum fieret per collocationem ſimulacri ejus ſuper ferculum, ut Acro docet, manifeſtum ſane, res fuiſſe diſtinctiſſimas, ferculum &

currum. Erat autem minus quid honore atque dignitate ferculum, quod liquet, quia primo loco decretum, ac post demum currus. Neque aliter accipienda verba sunt Suetonii, licet ipse primo loco ponat thensam. Thensam enim præmittit tanquam digniorem, non quod ante ferculum sit decreta. Imo decreto curru, ferculum sublatum, tanquam minus dignum, quod notandum, ne quis putet uno eodemque tempore Cæsari & ferculum tributum, & thensam. Primum, ait Dio, decernebant ipsi tantum ferculum, quo gestaretur imago ejus eburnea. Postea crescente adulatione, illam ipsam imaginem imposuerunt thensæ, ut necessario ferculum fuerit sublatum. Ideo & lib. XLIV. ubi novissimos honores Cæsari decretos enumerat, solius currus, nullam ferculi facit mentionem. Ἔς τε τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον, ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν ἐσκομίζεσθαι. Κἂν ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. Ita habent editi, quod vertunt: *In theatra etiam sellam ejus auream, coronamque gemmis auroque insignem (qui honor alias diis tribui solebat) inferri, atque in circum etiam introduci a multitudine jusserunt.* Sed quis unquam legit, sellam introduci a multitudine? & quid tandem est, *sellam introducitur a multitudine?* quæ multitudo intelligitur? plebisne, an equestris, num promiscua omnis? Mihi non est dubium, quin Dio scripserit vel ὄχον, pro ὄχλον, vel quæ Lipsii est conjectura in libello de Vesta cap. II. ὀχον ὅλον, sicut supra χρυσοῦν, quod prave connexum, deinde ὄχλον peperit. Ideo verba illa κἂν ταῖς ἱπποδρομίαις in Græcis a præcedentibus separantur distinctione majore, ut appareat novi quidpiam hic dici: & ipsa loquendi ratio hoc docet. Postremo sella nunquam circumlata in pompa Circensi, solum ferculum & thensa. Suetonius manifeste: *Decerni sibi passus est sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum in Circensi pompa.* Solam thensam & ferculum nominat, non addit sedem auream. Quare locus ille rectius sic verteretur: *In theatra etiam sellam ejus auream coronamque e gemmis auroque sicuti consuevit diis, inferri: itemque in Circum vehiculum induci decreverunt.* Liquet autem, sicut dixi, solius vehiculi hic fieri mentionem, nullam ferculi, quia tum cessaverat in Cæsaris imagine illius usus. Jam cum constet alia esse fercula, & alias thensas, nec ad has illa pertinere, aut ipsarum partem facere, quod Torrentius volebat, videndum erit, quali ergo specie fuerint. Acro pulpita appellat. Porro pulpita reperio duplicia apud veteres, alia in scholis, alia in theatris. In scholis erant cathedræ, de quibus stantes recitabant. Suetonius de Illustr. Grammaticis cap. 4. *Repeto quendam, Principem nomine, nonnullis diebus mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum.* Dicit disseruisse de pulpito, id est de materia quacunque informasse docuisseque auditores, id enim disserere, eaque est dissertatio, uti pridem in opusculo de stylo demonstravimus. At cum declamandum esset, pulpitum removisse. Unde constat, pulpitum fuisse locum recitantium & disserentium, non declamantium, illudque pulpitum apponi potuisse atque removeri, & sic non fixum, verum mobile fuisse. De tali agit Isidorus lib. XV. cap. 4. *Pulpitum, quod in eo lector vel psalmista positus in publico conspici a populo possit, quo liberius audiatur.* Ostendit de hujusmodi pulpitis habuisse olim lectiones sacras, recitantesque bene conspici potuisse, unde constat, fuisse eminentiora. Utrum vero tale quidpiam extiterit Circense ferculum, potest dubitari. Tertullianus profecto libro de Spectaculo cap. 16.

A vocat *suggestus*, & similitudinem habuisse ait crucium. Verba ejus, ubi loquitur de imaginibus deorum, in circo circumferri solitis: *Omnes illi imaginum suggestus insignes, monita crucium sunt.* Quando vocat *monita crucium*, ostendit admonere nos crucis. Quomodo autem possint, nisi speciem illius aliquam habuerint? Et disertim ille eo loco hoc testatur. Jam si habuerunt crucis speciem, ad illa Grammaticorum pulpita quo pertineant, non video. Theatrorum quoque pulpita huc nihil facere videntur. Illa namque tabulata sunt editiora, structa ante scenam, id est ædiculam theatralem, quæ a fronte velo claudi solet,
B ut inde velo illo sublato prodeant auctores fabularum in extructum istud tabulatum. Vetus Horatii Interpres a Cruquio editus ad Epistolam de Acta Poetica: *Per pulpita, per tabulas scenæ. Erant autem gradus, per quos ascendebatur in scenam.* Hæ tabulæ nil habent, quod nos possit admonere crucis. Et tamen Tertullianus suggestus imaginum hoc ait facere. Neque pulpita, quod sciam, alia occurrunt. Quid dicemus? Puto fercula Circensia quoque non unius generis fuisse, alia quæ crucium referrent speciem, alia quæ pulpitorum. In crucibus puto lata simulacra leviora, in pulpitis graviora. Nam lata plane con-
C stat, & lata ab hominibus, & in humeris lata. Ita namque docet Dionysius Halicarnasseus lib. VII. ubi pompam Circensem describit: Τελευταῖον δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι, μορφὰς τε ὁμοίας παρέχουσαι ταῖς παρ Ἕλλησι πλαττομέναις. *Postremo circumlatæ in pompa imagines deorum, gestatæ humeris hominum, speciem habentes eam, quæ & apud Græcos formantur.* Non existimandum est, imagines eas ita latas nude in humeris, sed super fercula repositas, ita namque suetum fuisse Acro docebat in superioribus. Si lata in humeris, & tamen cru-
D cium effigie fuerunt formata, necesse est, ut intelligamus, qualia tropæa, & triumphantium fercula fuere. Atque hinc fortassis est, quod Commodianus appellavit *ligna bifurci*. Plane namque de hoc genere accipio, quod habet de Nemesiaco, id est bajulante simulacrum Nemesis:

Succollat, quando libet, eam, (Nemesim) *&*
quando deponit,
Vertitur a se rotans cum ligno bifurci,
Ac si putes illum afflatum numine ligni.

E At vero gestabantur graviora quoque simulacra ex ebore, argento, auro. Quin imo vivi homines quandoque in speciem deorum adornati gestabantur. Julius Obsequens cap. 130. *Puer in pompa victoriæ cultu cum ferretur, ferculo decidit.* Hic pompa non triumphi alicujus est intelligenda, sed Circensis. Nam eo quidem tempore, quo hoc factum, M. Lepido nimirum, & Munacio Planco consulibus, nullus fuit habitus triumphus, uti discimus ex Dione, qui annum eum describit lib. XLVII. memoraturus sine dubio, si quis habitus fuisset. Nempe *pompa* excellentiori
F notione Latinis illam significat Circensem. In hac igitur Circensi pompa latus puer est in ferculo, cultus habitu victoriæ, quod fieri vix potuit, nisi genus alterum intelligamus, quod diximus. Fuitque genus hoc vel nihil, vel perfecto parum dissimile illi, quod in pompa triumphali Josephum pegma nominare ostendimus. Nec abludit multum, quod exhibuit in Circensi pompa Onuphrius, sive habuit ex monumentis, sive, id quod verius existimo, ex ingenio confin-

xit. Sed quid eſt, quod ait Tullius Officiorum I. *Cavendum eſt autem, ne tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur*. Poſſunt hic exiſtimari tarditates in greſſu ipſis etiam ferculis a Tullio tributæ, quod haud facile eſt intellectu. Ideo & Nizolius non fercula, ſed ferculos, id eſt homines ferentes ſive bajulos intelligendos putavit. Verba ejus: *Fortaſſe melius* (non, hoc ferculum, ſed) *hic ferculis, ut bajulus diceretur. Nam non eſt dubium, quin hoc loco pro iis, qui vaſa ſimulacraque deorum, & id genus alia in pompa ſeu triumpho ferunt, accipiatur, non ut plerique omnes exiſtimant, pro epulis aut pulpitis, ſeu aliis quibuſvis rebus: nam de inceſſu loquitur tardiore, qualis eorum ſolet eſſe hominum, quos id genus pompas ferre videmus*. Inceſſum tardiorem non putavit convenire ferculis inſtrumentis, ſed ferculis hominibus id eſt gerulis ſive bajulis, quos & ferculos exiſtimavit dictos. Verum ferculos homines ad hunc diem non opinor obſervaſſe quenquam. Neque opus, ut huc abeamus. Poſſunt enim fercula intelligi hoc loco ratione alia. Quod ut apte fiat, obſervandum, ſimulacra illa non fuiſſe omnia ejuſdem generis, alia enim erant ſolida, & ex materia eadem confecta tota, ebore puta, ære, auro. Hæc portabantur vel in ferculis crucium ſpeciem habentibus ſublatis in altum, unde *ſuggeſtus imaginum* dixit Tertullianus ſupra, quoniam gerebantur in ſublimi. Alia vero capite pectoreve tenus ex materia ſolidiori, cætera erant cava veſtibuſque ornata, intra quas ſe abdere homo, motuque ſuo ſimulacrum ipſum mobile ac animatum quaſi reddere poterat. Ita ſimulacrum ipſum incedere ac ambulare videbatur. Eſtque moris hujus vetuſtiſſimi ſervata hodieque ratio nonnulla apud Aquiſgranenſes, apud quos quotannis ſimulacrum Caroli Magni a latitante ſub toga viro circumfertur in proceſſione, uti vocant, ſolenni, ſic ut ipſa viva incedere videatur. Initium illius rei ſine dubio ab illa deorum circumgeſtatione, ac mox Cæſarearum imaginum prolatione ſimili, tempore ludorum Circenſium deſumptum. Atque ſic ſolebant & in pompa Iſidis, de qua Apulejus lib. XI. egregie. *Nec mora, cum dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt: hic horrendus ille ſuperum commeator & inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, attollens canis cervices arduas Anubis, læva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens. Cujus veſtigium continuum ſequebatur bos in rectum levata ſtatum, bos omniparentis deæ fœcundum ſimulacrum, quod reſidens humeris ſuis proferebat unus e miniſterio beato, greſſu geſtuoſo*. Per omniparentem deam, Iſidem intelligit, quæ ſub bovis ſpecie in pompa illa circumlata. Circumlata vero ab uno, quod notandum. & quidem reſidens in humeris, levata in rectum, velut ambularet, quod non intelligitur, niſi de eo, qui imaginem illam, humeris ſuſtentatam intus regebat. Itaque velut de bove viva, *ſequebatur bos*. Idem & de Anubi intelligendum, nam & ipſum *attuliſſe cervices canis arduas* ait, *geſſiſſe palmam, concuſſiſſe caduceum*, quod fiebat omne ab eo, qui intus latitabat. Unde deos illos ait *inceſſiſſe*, verum *pedibus humanis*, quia hominem bajulantem habitu ſuo contegebant. Neque aliud eſt apud veteres, *portare Anubim*, quam hanc ejus effigiem indutam, ut nunc diximus, geſtare in pompa Iſidis. Lampridius vita Commodi cap. 9. *Sacra Iſidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret*. Spartianus vita Caracallæ, cap. 9. *Mihi mirum videtur, quem ad modum ſacra Iſidis primum per hunc Romam veniſſe dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubim portaret*. Annotat hoc loco, rem fuiſſe ſingularem, quod Imperator ipſe

A Anubim portaverit. Videlicet hoc fieri per miniſtros ſacerdotum alias conſueverat. Apulejus ſupra: *humeris ſuis proferebat unus e miniſterio beato*. *Signiferos* vocarunt Imperatores Honorius & Theodoſius l. 2 lib. XIV. t. 7. C. Theod. ex qua intelligimus, fuiſſe aliquando & in corpus certum ac collegium conſociatos. Quinimo homines viliores, etiam pravi ac nocentes adhibiti, modo valentes eſſent, ac geſtare decenter valerent. Inde namque Tertullianus: *Ipſos deos veſtros ſæpe noxii induunt*. Bene dicit, induunt. Nimirum *indui* veſtimenta proprie dicuntur, quando applicantur corpori, homineſque illa ſubeunt vel intrant, a

B δύω, quod eſt *ſubeo ingredior*. Sicut ergo induuntur illa, ita pulchre vocabulo iſto declarat & illa deorum ſimulacra induiſſe, neque probo rantum, ſed & improbos. Cum præſertim ipſa quoque veſtimentis colerentur. Ita namque colligi licebat ex victoriæ cultu, quam ſupra Obſequens nominavit. Similes victoriæ leguntur & in pompa ſacra Ptolemæi apud Athenæum lib. v. cap. 7. *Proximæ*, ait, *fuere victoriæ cum alis aureis, thymiateria ferentes, tunicis veſtitæ animalium figura depictis*. Atque ita res ſe habuit in cæteris ejuſmodi ſimulacris, quorum veſtimenta quoniam ſuperinducta vel injecta ſimul habebant ſibi, qui geſtabant, ideo *in-*

C *duere deos* Tertulliano dicebantur. Qui ſimiliter & alibi: *Qui vivus cremabatur, Herculem induerat*. Habebant autem ſic injecta ſibi, ut eis tecti conſpici non poſſent, quod apud Senecam, *ſub pompa latere*. Verba extant ep. 24. *Non hominibus tantum, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementem? tolle iſtam pompam, ſub qua lates, & ſtultos territas. Mors es, quam nuper ſervus meus, quam ancilla contemſit*. Dicit, mortem, ut ſe faciat terribiliorem, conſpiciendam ſe præbere non ſua facie, ſed

D ſub perſona carnificum, gladiorum, ignium, ſicut ſolent in pompa ſæpe viliores homines latere ſub perſonis deorum dearumque, quando ipſas circumferunt, ac ſe reddere venerabiles. Putare namque ſpectatores ſimpliciores, hic Jovem, ibi Æſculapium incedere, verum ſi dematur pompa, ſi tollantur, ſi relegantur veſtimenta, ſub quibus latent, ſæpe minutum aliquem homuncionem, ſæpe noxium deprehendi. Atque hæc jam illa fercula, quibus ne fiamus ſimiles tarditate in greſſu, Cicero cavendum ajebat. Nempe qui geſtabant, ut magis repræſentarent majeſtatem diis convenientem, incedebant tarde, ſicut hodieque in Caroli

E Effigie obſervare memini, cum verſarer Aquiſgrani. Hoc Cicero putabat parum viris convenire. Viri nempe uti gradu debent. Dii non gradiuntur, non movent pedes, verum fluunt, cum appropinquant, quibus qui geſtant eorum ſimulacra, ſimiles ſe volebant facere. Calaſiris apud Heliodorum lib. III. Æthiop. *Dii & numina venientia ad nos, & a nobis recedentia in alia animalia rariſſime, in homines autem ut plurimum ſeſe transformant, ut viſum inſomnii eſſe opinemur, nobis imponentes. Quamvis igitur profanos homines latuerint, tamen quin a ſapiente cognoſcantur, effugere non poſſunt,*

F *ſed ex oculis notari poſſunt, cum continuo obtutu intuebantur, & palpebras nunquam occludant*, καὶ τὸ βαδίσματι πλέον, οὐ κατὰ διάστασιν τοῖν ποδοῖν, οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ, ἀλλὰ κατά τινα ῥύμην ἀέριον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον ἢ διαπορευομένων. *Et magis etiam ex inceſſu, qui non ex divaricatione pedum, neque tranſpoſitione exiſtit, ſed ex quodam fluxu æreo, & vi expedita findentium magis auras, quam tranſeuntium*. Hæc Calaſiris doctrina, de inceſſu deorum, quam ut probet auctoritate aliorum, addit, Ægyptios ob.

hanc caussam formasse deos junctis pedibus, non divisis instar gradientium. *Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζεύγνυντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. Quamobrem statuas quoque deorum Ægyptii ponunt, conjungentes illis pedes, & quasi unientes.* Atque sic videmus in tabula, sive mensa Isiaca Pignorio illustrata, quem hoc inobservatum transmisisse miror. Item in ipsis Isidis icunculis, quæ insuuntur cadaveribus, atque passim habentur apud talium studiosos. Postremo ne Homerum quidem ignorasse ait, verum docuisse illis versibus:

Ἴχνια γὰρ μετόπισθεν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος. Ἀρίγνωτοι τε θεοίπερ.

Quod ita vertit Bourdelotius.

Namque pedum crurumque simul vestigia pone,
Perfacile agnovi remeante, auresque secante.
Dii quoque cognosci possunt, certoque notari.

Quia ergo dii non credebantur ambulare commotis & diductis pedibus, unoque ante alterum per vices positis, ut solent homines, sed junctis immotisque potius fluere, idcirco, & qui simulacra eorum gestabant in pompa, hoc imitabantur, quod in hominibus virisque Cicero inconveniens putavit. Et hæc expositio verborum ejus, nemini, quod sciam, evidenter satis tradita. Nec repugnat, quod in verbis præcedentibus *gressum gestuosum* Apulejus in bove Isidis notaverat, id enim privatim pertinebat ad bovem, cujus speciem præ se ferre debebat is, qui sub pompa latebat. Sub *pompa* dico, exemplo Senecæ, atque ipsam imaginem bovis intelligo. Ita namque solebant, Græcos imitati, ut opinor, quibus similiter *πομπὴ* res quælibet, quæ in pompa transvehitur. Casaubonus ad lib. v. Athenæi, cap. 7. *Πομπὴ significat res singulas in pompa transvectas, sive, ut Latini loquuntur, singula pompæ fercula. Sic intellige de secunda pompa: ἐπειθ' ἡ τοῖς βασιλέων γονεῦσι κατεσκευασμένη. Sequebatur Luciferi simulacrum, ferculum divis parentibus regis & reginæ sacrum. Deinde auctor multas πομπὰς in unum cogit, & ait, μετὰ δὲ ταύτας αἱ τῶν θεῶν ἁπάντων, οἰκείαν ἔχουσαι τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν ἱστορίας διασκευήν. Quæ ita erant vertenda: Post has sequebantur deorum omnium pompæ (hoc est imagines) ornatu eo, qui historiæ cujusque illorum conveniebat.* Per ornatum historiæ illorum convenientem intelligit Athenæus talem, qualem supra in Iside ac Anubi notavimus. Ad eundem enim modum Jupiter cum corona & sceptro, Saturnus cum falce, Neptunus cum tridente, cæteri cum aliis id genus insignibus incedebant, amicti de cætero vestimentis splendidissimis. Quomodo in Antiochi pompa factum, de qua idem Athenæus capite præcedenti. *Πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, προσέτι δὲ ἡρώων εἴδωλα διήγετο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις. Omnium, quotquot apud homines vel creduntur, vel dicuntur esse dii aut dæmones, atque adeo heroum simulacra gestabantur, alia inaurata, alia stolis aureis induta.* Qui ergo dicitur apud Senecam latere *sub pompa*, is dicitur latere sub sacra imagine, proprie vero sub vestimentis imaginis, sub quibus tectus, gerebat movebatque imaginem ferculo innixam, quod incumbebat ejus humeris. Videturque consuetudo hæc fuisse nota etiam antiquissimis temporibus, memorataque ac reprehensa in Judæis ipsis a Propheta Isaia cap. 46. ubi ait: *Confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis conducentes artificem, ut faciat deum. Et procidunt, & adorant, portant illum in humeris gestantes.* Procopius profecto ad hunc locum: *Φασὶν ὡς ἐν ταῖς τῶν δαιμονίων πομπαῖς ἐκκομίζοντες ἱερεῖς τὰ ἀγάλματα φέροντες ἐπ' ὤμων τὰς πλατείας ἀχθοφοροῦντες διήρχοντο. Facere hoc dicit, sicut in pompis dæmonum sacerdotes deferunt imagines gestantes in humeris, & per plateas bajulantes incedunt.* Venio nunc ad fercula funebria. Habebant enim aliquando fercula & in funeribus. Ac primum quidem iis deportati peregre defunctorum cineres, si fuissent in auctoritate summa constituti. Sic enim de cineribus matris fratrisque Caii imperatoris Suetonius cap. 17. *Per splendidissimum quemque equestris ordinis medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit.* Ita habent libri. Quanquam alii exhibeant *fericulis*, quod non existimo contemnendum. Sic enim requirit ratio analogiæ, uti ab initio est dictum, neque insolens Suetonio, hujusmodi attendere. At *forulis*, quod in nonnullis legitur, huc facit nihil, ac ne scriptum quidem ita puto, verum *forculis*. Nempe utroque modo & *ferculis* dicebant, & *forculis*, quomodo *adversus* & *advorsus*, *advorto*, & *adverto*, atque alia id genus. Sed quæ hæc fericula, seu fercula funebria? Casaubonus ait, fuisse instrumenta, in quibus cineres erant. *Fercula*, inquit, *appellat pompatius, ut dicam cum Tertulliano, instrumentum, in quo cineres erant, cum inferrentur in Mausoleum, ob similitudinem aliquam ferculorum triumphalium.* At vero ferculum dici, cui quid insit, hactenus non puto lectum esse. Ac repugnat ratio vocabuli, quod non signat rem, quæ aliam contineat vel concludat, verum in qua alia gestetur. Cineres non ferculis includebantur, hoc enim reperimus nusquam, verum urnis. Scholiastes Lycophronis: *Mos erat, peregre mortuos cremare, cineresque ipsorum urnis inclusos in patriam perferre.* Adde reliquos, qui de funeribus scripsere. Neque dubitandum de cineribus matris fratrisque Caii. Suetonius expresse, paulo ante allata superius: *Ad transferendos matris fratrisque cineres festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret, adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit.* Non condidit in fercula, sed in urnas, sicut moris fuit. Quando igitur sequitur, duobus intulisse ferculis, non dicitur duabus urnis, sed hoc indicatur, urnas istas collocatas super fercula fuisse, atque illatas Mausoleo, id quod singulare fuit. Agrippina certe ipsa mariti sui cineres gestat in ulnis. Tacit. III. Annal. I. *Postquam duobus cum liberis feralem urnam tenens egressa navi.* Alii in humeris. Idem statim post, de iisdem cineribus & urna. *Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur.* Nulla ferculi hic mentio, quod fit in deportatione cinerum superius dictorum. Ergo hoc peculiare fuit, voluitque sine dubio divinis pene honoribus afficere matrem fratremque per imitationem ferculorum, quibus in Circensi pompa divi circumferebantur. Dio lib. LIX. fecisse putat more triumphantis, quia fuit indutus prætextam, cum funus duceret. *Τὸ ἱμάτιον τὸ περιπόρφυρον ἐνδὺς, καὶ ῥαβδούχοις τισὶν, ὥσπερ ἐν ἐπινικίοις κοσμηθείς. Prætextam amictus, ac lictoribus ornatus, tanquam in triumpho quodam.* Verum quomodo hæc ad triumphum possint referri, non video, quoniam omnia pietate singulari fieri, Cajus credi voluit. Magis est, ut credamus imitatum eos, qui deducere pompam Circensem solebant. Nam & illi splendidissime vestiti fercula & thensas comitabantur, sicut in sequentibus dicemus. Unde Casaubonus quoque rectius fecisse credi potest, si in verbis præcedentibus pro *ob similitudinem aliquam*

ferculorum triumphalium, ferculorum Circensium scripsit. Qui ne illud quidem mihi probat, quod hæc Caii fercula existimat fuisse pæne eadem cum tropæo in funere Julii. Verba ejus ita habent, paulo post superius allata. *Suetonius vocem tropæum non multo aliter usurpat extremo libro primo in funere Julii.* At ego nihil video, in quo conveniant tropæum illud & hæc fercula. De tropæo sic Suetonius: *Intra lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput tropæum, cum veste, in qua fuerat occisus.* Hic tropæum notat perticam, cum transverso baculo in summo, defixam ad lecti caput, quali in pertica etiam spolia hostilia suspendi solebant. At fercula Caii non fuerunt perticæ, sed pulpita extructa. Deinde Julii tropæum suspensam habuit vestem, in qua fuit occisus. At fercula Caii urnas non suspensas, verum impositas. Equidem tropæa illa, quoque fercula vocata, sicut supra demonstravi, tamen alia illorum species, alia horum, de quibus hic est sermo. Nisi putamus illud voluisse Casaubonum, Suetonium in funere Julii illud instrumentum Pompatius appellasse *tropæum*, sicut hic Pompatius usurpavit *ferculum*. Quicquid de hoc sit, Caii fercula non alia fuisse mihi videntur, quam qualia in Circensi pompa fuere usitata, & a Grammaticis plutei explicantur. Itaque gestata non ab uno, verum pluribus, quod innuit Suetonius, quando ait, intulisse cineres per *splendidissimum quemque* ordinis equestris, quod accipi, nisi de pluribus, non uno tantum aut duobus, nequit. Præter hæc fercula habuerunt & alia in funeribus, quorum mentionem facit Statius lib. VI. Theb.

Portant inferias, arsuraque fercula primi
Grajorum, titulisque pios testantur honores,
Gentis quisque suæ ——

Argolus in Notis ad Onuphrium hic sermonem esse putat de Pheretris, sed sine dubio est falsus. Nam intelliguntur *munera* præferri solita, ut Suetonius appellat in vita Julii cap. 84. Hæc enim simul cum mortuo cremabantur injecta igni, non pheretra (sic enim legendum apud Argalum, pro *pharetra*, quod vitio typographi nunc habetur) Ideo quoque Statius *arsura fercula* dixit in superioribus, quod ad pheretra non pertinet. Fuerunt autem ea munera non modo lances plenæ thure, de quibus Meursius in Funere cap. 22. locum hunc accepit apud Statium, sed & rerum aliarum, vestium, armorum, ornamentorum; nec sequebantur lectum funebrem, sed præibant. Suetonius dicto Julii loco: *Præferentibus munera suffecturus dies non videbatur.* Dicit aperte, *prælata* illa munera, cui autem, nisi lecto funebri mortuoque, nam de alio intelligi non potest. Mox & munera enarrat. *Turba*, inquit, *quicquid ad donum aderat, congessit: Deinde tibicines & scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam injecere flammæ & veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas.* Hæc munera in funere Julii confuse quidem ingesta, in aliis vero lata ordine, ac ut discimus ex Statio, imposita ferculis peculiaribus, quo conspectiora, splendidioraque omnia evaderent. Id enim Statius voluit verbis allatis, indeque partem non exiguam constitit nomenque habuit suum, quod *pompa funebris* appellabatur. Silius vocavit *feretra*, quæ Statius *fercula*. Ita namque ait lib. x. ubi agitur de funere Pauli.

Non conjunx native aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virum; aut cessis de more feretris
Præcedens priscas exequias decorabat imago.

Quanquam Silius non agat de muneribus cremari solitis, sed imaginibus familiaribus ex cera factis, quæ & ipsæ ante lectum funebrem in ferculis gestabantur, vel ut ait Silius, in feretris. Quin imo videntur aliquando non defunctorum modo, sed & viventium gestasse imagines, præsertim virorum principalium ac magnorum, ut splendidius esset funus: easque imagines habuisse non in perticis longioribus solidas, sed super vivos homines, intus latitantes, ut in pompa Circensi solebat. Sic enim accipienda puto verba Suetonii, quæ habentur in Vespasiani vita cap 19. *Et tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit.* Vespasianus. *In funere Favo archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audivit HS. centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Casaubonus ait, morem hunc servatum in funeribus divitum virorum, ac insignium, videlicet ut præirent scurræ ac mimi, adducitque super ea re Dionysii Halicarnassensis testimonium, qui sic habet lib. VII. *Quia etiam in illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & Satyricos choros, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant. Præcipue vero in fortunatorum virorum funeribus.* Sed Dionysius hic agit de iis qui saltabant, habituque Satyrorum cum pellibus caprinis & similibus erant ornati. Suetonius de mimo, qui ferebat personam Vespasiani, quod ad Satyros nil pertinet. Nec enim ferebat ita, ut repræsentaret Satyros, sed ut imitaretur *facta ac dicta vivi*. Quanquam hic Torrentius ex quodam libro veteri legendum putat *viri*, non vero *vivi*. Nam ait, *imperitus quispiam, quia funeris fit mentio, vivi, substituit.* Verum ego censeo locum longe aliter accipiendum, quam fecisse Torrentius videtur. Existimavit, ut opinor, Torrentius, sermonem esse de funere aliquo, quod cujus fuerit, indicare Suetonius omiserit. At mihi sermo esse de ipsius Vespasiani funere videtur. Itaque retineo *vivi*, ut sit sensus, expressisse Favum illum, & imitatum esse facta & dicta non *viri*, quod hic nimis frigidum, nec facile sic absolute de incerto ignotoque ponitur, sed *vivi* Vespasiani. Sic enim conveniens erat, quia personam ejus ferebat. Scilicet receptum erat, ut lectum funebrem præirent non imagines familiæ solummodo, sed imago ejus quoque, qui efferebatur. Dio de funere Augusti lib. LVI. *Imago autem ejus cerea, habitu triumphali conspiciebatur. Hanc a palatio ducebant consules designati. Altera aurea ex curia, tertia in curru triumphali ducebatur.* Sicut ergo hic in funere Augusti anteibat Augusti imago, ita plane & in funere Vespasiani. Sed gerebat Vespasiani imaginem Favus, qui simul omnia facta dictaque viri exprimebat. Debebat nempe similem se exhibere vivo, sicut hodieque videmus fieri in funeribus magnatum & nobilium. Anteferunt loco imaginum vexilla cum insignibus avorum atque proavorum. Sequitur cataphractarius, equo insidens, pulcherrime ornatus, qui vivam mortui referre debet effigiem. Consuetudo ista tota ex Græcis Romanisque funeribus translata est ad nostra. Nam & in illis ita defuncti præcedebat imago, interdum nuda simplexque, interdum animata expressaque dictis factisque per eum, qui latens in ferculo gestabat. Quo-

modo im funere Veſpaſiani factum, unde quoque Favum tuliſſe perſonam Veſpaſiani Suetonius ajebat. Nam *ferre perſonam* alicujus mea ſententia hic ſignificat geſtare effigiem in ferculo, atque geſtu corporis ac oratione exprimere eum, qui ejuſmodi effigie ſignificatur. Neque dubito, quin hæc locutio ſit propria translata deinde ad perſonas quaslibet, & perſonarum functiones. Quomodo & *imponere perſonam* uſurpatur, item *induere perſonam*. Nam *induere perſonam* dicitur, ſicut ſupra *induere deos* a Tertulliano demonſtravimus uſurpari. *Imponere* vero, ſicut imponere imaginem humeris, de quo pariter eſt actum. Quando igitur Suetonius de Favo ait, tuliſſe perſonam in funere, de perſona Veſpaſiani debet intelligi præcedente lectum funebrem, quam ferebat Favus ſicut quandoque ferri perſonæ ac imagines deorum ſolebant in ludis Circenſibus, ac velut vivam exhibebat geſtu ac oratione. Pertinebatque huc, quod ſequitur apud ipſum, quæſiviſſe, quanti conſtaret funeris pompa, item petiiſſe, dari ſibi centum ſeſtertia, & vel in Tiberim ſe ſubjicerent. Hoc enim conveniens erat funebri negotio, & ſepulturæ jam jam peragendæ, & cupiditatem priſtinam Veſpaſiani infamia quadam perſtringebat, de qua initio Suetonius teſtabatur. Ut proinde liqueat, non *viri*, quod putabat Torrentius, apud eum legi oportere, verum *vivi*, ut ſit ſenſus, fuiſſe hanc conſuetudinem Romanorum, ut ante funera magnatum irent, qui geſtarent ſimulacra defunctorum, non muta & immobilia, ſed a ferentibus animata per geſtus, facta, dicta, quæ conformia eſſent factis dictiſque eorum, cum adhuc eſſent vivi. Dico, hanc fuiſſe conſuetudinem, quoniam expreſſe Suetonius hoc factum teſtatur, *ut eſt mos*, quod a nemine hucuſque puto eſſe obſervatum. Ad poſtremum ſunt & fercula funerum Plinio memorata lib. x. capit. 10. ubi de milvis: *Notatum in his, rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere unquam ex funerum ferculis*. Sed hæc fercula, qualia jam ab initio nobis expoſita, plena cibis, quæ in tumulis defunctorum diis manibus apponebantur. B. Auguſtinus ſerm. xv. *Miror, cur apud quoſdam infideles hodie tam pernitioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Delechampius de cœna funerali accepit. *In funeribus*, ait, *cœna lauta apparabatur, quam ad rogum delatam cum defuncto cremarent*. At hoc alienum eſt huic loco. Nam ſi cremarunt, quid fuit mirum, ſi ex ea milvi nihil rapuerunt? Itaque non de iſta cœna ſermo eſt, ſed cibis poſtea repetitis vicibus tumulo imponi ſolitis, ut dixi. Quo reſpexit & Tertullianus in Reſurrectione Carnis, ubi ait: *At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, cum ipſos defunctos atrociſſime comburit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit*. Male referunt ad cœnam funeralem, quod apparet, quia manifeſte ait primum combuſtos, & poſt demum nutritos. Et ſervatur hodieque conſuetudo illa apud Moſchos, neque Suecis veteribus, aliiſque populis Septentrionis ignorata fuit.

CAP. IV.

De Sellis cathedriſque.

Sella geſtatoria, portatoria. Fertorium. Sella procurata. Aurelianus exponitur. Barthius & Chimentelius notantur. Fertulum. Savaro rejicitur. Seſſio bajulatoria Δίφρος. Alius eſt a lectica, & quæ illa differentia. Sella alta. Lubinus aliique notati & Juvenalis explicatus. Sellæ differebant a cathedris. Cathedræ mulierum. Sedere inter cathedras. Cathedræ longæ. Scamna. A Voſſio diſſenſum. Varro explicatur. Gradus & ſcalæ differunt. Subſellia. In his ſedent. Sella feminarum mollior. An clauſa. Δίφρος κατάστεγος a quo inventus. Eſt virorum. Κατάστεγον quid. Quomodo clauſa muliebris ſella. Suetonii locus examinatur. Adoperta ſella. Sella triplex. Plinius exponitur. Sella laxior, anguſtior. Sella num acceperit duos. Sella & ſedes differunt. Locus Taciti exponitur. Lipſius revellitur. Geſtantur etiam qui ſunt in curru. Sellula. Sella pellicea, oſſea, eborata, argentata. Lampridius corrigitur. Pellis. Chimentelius notatur. Sella bracteata. Cervical in ſella. Lecticarii, ſellarii, cathedrarii. Bini ſellam portant. Lubinus & Gonſalius notantur. Aliquando plures. Exaphoron. Late vehi, quid. Lecticarii donati uxoribus. Conducititii lecticarii. Sella ad iter infirmioribus, mulieribus delicatis. Sella ad cuſtodiam pudoris. Impudentiores conſpiciendas ſeſe dabant, quod pravis temporibus habitum civile. Sellam meretrices aperiebant proſedæ, ſellariæ. Sellæ virorum. Sellæ patronorum Lubinus & Chimentelius rejecti. In ſellis legebant, dormiebant. Sellæ in viis publicis commoditatis & occultationis cauſſa. Noxii ſellis deportati. Arcus ſellæ. Chimentelius & Pignorius rejecti. Sellæ debilium. Marcellinus exponitur. Sellæ ad exercendum corpus.

Tertium vehiculorum genus, quod geſtari ſolet, *ſella* eſt, ad differentiam aliarum *geſtatoria* vocata. Plures enim ſellæ apud veteres fuerunt. Aliæ ſtabiles ac fixæ, aliæ mobiles quidem, ſed tamen domeſticæ. Quædam proferebantur etiam in publicum, ut peculiari opere vir egregius, Val. Chimentellius docuit, quo marmor Piſanum *de honore biſellii*, pulcherrime illuſtravit. Et illuſtraturus erat pluribus, niſi præmatura mors dignum longiori vita intercepiſſet. Dum enim iſta ſcribimus, nuntium de erepto eo bonis artibus ac litteris accipimus ingratum. Inter eas ergo ſellas, quæ proferri ſolebant etiam in publicum, geſtatoria eſt. Suetonius in Nerone. ca. 26. *Interdiu quoque clam geſtatoria ſella delatus in theatrum*. Cælio Aureliano *ſella* eſt *portatoria* lib. 1. cap. 1. iſtis verbis: *Ante cibum præterea erit adhibenda geſtatio, portatoria ſcilicet ſella, ſine vehementi motu*. Eidem etiam *fertoria*. Sic enim habet lib. 1. cap. 5. *Levem & delectabilem adhibeat geſtationem, ut fertoria ſella, vel cathedra*. Dixit & *fertorium* in neutro. Verba ejus lib. 1. c 1. *Adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis, fertorio, vel ſella procurata*. Quærunt eruditi, quæ hoc loco nominetur *ſella procurata*? Barthio Adverſar. lib. XLI. c. 25. eſt, ad id commode inſtructa, & neceſſariis omnibus curata. Chimentellio, prompta, proviſa, curata. Mihi contra videtur ſella nulla unquam *procurata* dicta. Nam apud Aurelianum illud *procurata* non ad ſellam puto referendum, verum longius præceden-

tem

tem *vectationem*. Dicitur *vectatio procurata fertorio vel sella*, quæ hoc genere vectabuli instituitur. Quomodo *somnia procurata mola salsa* Tibullus lib. I. eleg. 5. sensu licet alio, usurpavit. Nam *procurare* hic compositum, pro simplici *curare*. Jam vero usitatum *curare corpus cibo*, *curare corpus somno*. Possumus igitur pari ratione dicere, *procurare vectationem fertorio*, quod hic viri docti cogitasse non videntur. Porro Savaronem video ad lib. I. ep. 12. Sidonii notare, Asconium pro *fertorio* usurpasse *fertulum*: Verba ejus: *Ditiores portabantur in lectica, quæ sella portatoria Cœlio Aureliano, & fertulum Asconio III. in Verrem*. Verum eo loco nil de sella invenias apud Asconium. Nec de *fertulis* ibi agitur, sed *ferculis*, qualia in triumphis usurpari solebant, quod jam in superioribus monstratum est. *Ferculis*, inquit, *signa ante triumphantem vehi per pompam solebant*. Pro *ferculis* in suo codice Savaro legit *fertulis*, & accepit de sellis vel lecticis. Sed nec ibi *fertulis* legitur, nec si legeretur, ulla ratione capi de lecticis sellisve deberet, quippe quorum usus nullus unquam ad gestanda in triumpho signa fuit. Ergo melius fortasse, quod Savaro idem tradit ex Aureliani lib. I. cap. 15. dici quoque *sessionem bajulatoriam*, nam Aurelianus ipse quidem nunc ad manus nobis non est: & potest *sessio* non de sella tantum accipi, sed & cathedra & scamno, cum & in his gestari solerent. De cathedra notum ex superioribus. De scamno legimus apud Celsum lib. II. cap. 14. *Gestationum vehementior est in alto mari navi, vel lectica, aut scamno*. Græci sellam, qualem hic exponimus vocarunt *δίφρον*, uti liquet ex Dionis Cassii lib. LX. verba postea proferemus. Erat autem non eadem cum lectica, quod Savaro censuit, sed plurimum diversa. Distinxerunt que veteres clarissime. Suetonius in Domitiano cap. II. qui solus sufficit: *Habitabat cum patre una, sellamque ejus ac fratris, quotiens prodirent, lectica sequebatur*. Diversitas hæc in eo primum, quod in sella sederent, sicut verbum ipsum docet, contra cubarent in lectica, quod jam Lipsius notavit. Deinde, quod sella esset altior, lectica longior; sic enim necesse erat, postulabatque in altera quidem habitus sedentis, in altera vero habitus cubantis jacentisve. Respexisse huc existimo Juvenalem Sat. III. v. 135. cum sic canit:

> *Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,*
> *Et dubitas alta Chionem deducere sella.*

Sellam albam explicant Lubinus, atque alii, qua meretrix, cui nomen Chione, alte vehebatur per urbem ac superbe. Chimentellius primo sellam intelligit non gestatoriam, sed *ubi maneret amasius*: quam putat dictam *altam*, ut *lupam demonstraret non tam curti assis, aut vulgaris indicaturæ*, sed difficilem, magnoque pretio comparandam. Sed qui explicari possit *alta*, propter magnum pretium, quum Chione, charis illis atque difficilibus opponatur? Præcedit nempe apud Juvenalem

> —— *Alter enim, quantum in legione Tribuni*
> *Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,*
> *Ut semel atque iterum super illam palpitet*—

His adulteris magno precio comparandis opponit Chionem, scortum precii minoris, ut vulgatum, & in sella per plateas ostentare, mercesque venalitias proponere solitum. Ut proinde sella ejus alto modo eo, quo volebat Chimentellius, accipi haud queat. Denique ipsa ratio loquendi valde dura est, si *sellam altam* usurpatam pro meretricula ingentis pretii diceremus. Sed nec *alta sella* proprie *superba* est, quod Lupinus putabat, verum revera exstructa & ædificata in altum. Scilicet, ut dixi, quoniam in ea sedebant, idcirco extrui altius necesse erat. Videturque in sellis æstimatum, si essent altæ, tantoque habitam splendidiorem quamlibet, quanto altior existeret: tantoque vulgatiorem, quanto esset humilior, aut depressior. Quo respectu quoque potest fieri, ut *altam sellam* cum epitheto Juvenalis dixerit, intellexeritque non vulgarem, sed splendidiorem, qua se circumferri Chione juvenum alliciendorum gratia voluerit. Non autem a lecticis solum, sed & cathedris diversæ sellæ fuisse videntur. Cælius Aurelianus sane supra indicato loco: *Levem & delectabilem adhibeat gestationem, ut fertoria sella, vel cathedra*. Tanquam res distinctas ponit. Similiter lib. II. cap I. *Gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, sive cathedra*. Quæ harum inter se diversitas extiterit, haud liquet. Chimentellius fertoriam communem & vulgarem, cathedram honestiorem atque instructiorem fuisse existimat. Sed hæc nuda est suspicio, nec in verbis quidquam allatis, quibus queat confirmari. Potius conjecerim cum Lipsio, sellas communes fuisse sexui utrique, cathedras pertinuisse tantum ad mulieres. Nam quod legitur apud Juvenalem Sat. I. v. 64.

> —— *Cum jam sexta cervice feratur*
> *Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra*
> *Signator.* ———— ———

Id cum Scholiaste veteri de lectica mallem explicare, qui sic ait: *Sexta cervice; lectica, faciente luxuria, a sex hominibus portabatur*. Quod si tamen, quoniam repugnat nomen cathedræ, quod a *κάθημαι*, *sedeo*, cathedram sic proprie vocatam quis hic putet intelligendam, ne sic quidem alia, quam muliebris erit. Nempe sermo est de falsario, qui ut luxum ac mollitiem posset alere, per subsignationem adulterini testamenti hæreditatem alienam involavit. Itaque non fuit inconveniens, quod ei cathedram attribuit Poeta. Indicavitque eo, quia *multum* ait *retulisse de Mecœnate supino*. Cum præsertim viri molliores uti sellis muliebribus haud abnuerint. Suetonius in Othone cap. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit*. Quæ hic *sella muliebris*, ea opinione mea apud Juvenalem *cathedra*. Igitur & *mollis cathedra* eidem Juvenali, quia fuit molliter pro deliciis & mollitie feminarum parata. Sic enim loquitur de Hippia mœcha famosissima Sat. VI. vers. 90.

> ———— *Famam contempserat olim,*
> *Cujus apud molles minima est jactura cathedras.*

Cathedra profecto alias ubique, nisi ubi sit respectus ad mollitiem muliebrem, de solis usurpatur feminis. Phædrus noster lib. III. cap. 9.

> *Hi speculum (in cathedra matris appositum fuit)*
> *Pueriliter ludentes forte inspexerant.*

Ita locum hunc legendum dixi ad auctorem ipsum. Liquet autem, eam cathedram in usus muliebres fuisse comparatam. Atque ideo *feminea* est

cathedra apud Martialem lib. XII. non quod esset etiam virilis, sed quod feminæ illa uterentur. Epigramma est ad Candidum, ubi agit de homine molli;

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris
Incedit, tota notus in urbe nimis,
Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber,
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret,
Non est quod timeas ——

Sensus est, eum mollem delicatumque vectum cum mulieribus in suis cathedris. Aliæ sunt cathedræ domesticæ, ut sic appellem, quibus considebant pariter feminæ, sed domi suæ, nec confundendæ cum prioribus, quod fere facere video doctos. Talis illa Martiali memorata lib. v. ep. in Cotilum, quam Rigaltius accipere de priori non debuit. Verba ejus, postquam quæsivisset, quis sit bellus homo appellandus?

Inter femineas tota qui nocte cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat.

Sermo hic non potest esse de cathedris gestatoriis, quia dicit *inter* cathedras. *Inter cathedras* enim *sedere* dicitur is proprie, qui sedet in medio earum, qui cathedras illas habet circa se, quod intelligi hoc loco, nisi de domesticis, non potest. Has cathedras ad cæterarum differentiam Juvenalis appellavit *longas*, quia gestatoriæ magis erant altæ. Verba ejus extant Sat. IX.

—— *Et strata positus longaque cathedra*
Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.

Scholiastes vetus *scamna* explicavit. *Cervicalibus*, inquit, *stratum scamnum dicit*. At vero scamna Vossius in Etymologico dicit *alta* fuisse *editaque, ut scandere opus esset*. Verum quomodo hoc demonstrare valeat, haud video. Nam Varronis quidem locus, quem adducit, longe diversum testatur. Verba sunt in lib. IV. de L. L. *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum, in altiorem, scamnum, duplicata scansio gradus dicitur.* Non hoc loco dicit Varro, scamna sic fuisse alta editaque, ut scandere opus esset, verum in lectos altos editioresque ope scamni scandisse. Facit lectos triplices, alios humiles, alios altiores, alios altissimos, ut conscenderent in humiles, adhibuisse ait *scabella*, quæ sunt scamna minora & humiliora. Ut vero in altiores, adhibuisse *scamna*. Ut denique in altissimos, adhibuisse *gradus*. Dicit autem gradus in eo fuisse diversos a scamnis, quod illi duplicem haberent scansionem. Et sine dubio hinc gradus dicti sunt. Duplicem enim scansionem faciunt duo illi gradus, e quibus constabant, qui ἁπλῶς gradus dicebantur. In quo differebant a scalis. *Scalæ* habebant gradus plures, id est tabellas, alteram alteri certis intervallis in altum impositas, quibus insistentes enituntur sursum. At vero *gradus* non habebant, nisi duos. Contra scamna nonnisi unam tabulam ejusmodi, sicut hodieque videmus in iis, quæ meis popularibus *Schæmel*, Suecis *Pall* vocantur. Jam si unum tantum istiusmodi habuerunt gradum, non profecto alta fuerunt, ut opus esset scandere, sed humilia prorsus. Itaque & *subsellia* sunt dicta, quod Vossius ipse notavit l. 2. lib. III. Cod. Theodos. de Contr. Empt. *Ut etiam si subsellia, vel ut vulgo ajunt, scamna vendantur.* Subsellia non fuerunt alta, sed minora sellis. Varro lib. IV. de LL. *Ut subsipere, quod non plane sapit, sic quod non plane erat sella, subsellium dicebatur.* Vides, subsellium non fuisse plane sellam, sed minus aliquid, & humilius. Idem ergo & de scamno judicandum. Ideo & scamnis appositis in sellas adscendebant, hoc est subselliis. Isidorus lib. XX. cap. 11. *Scamna sunt, quæ altioribus lectis apponuntur, dicta a scandendo, hinc & scabella, qui lectis parvis vel sellis ad adscensum apponuntur.* Scabella dicit, sive scamna parva apponi sellis, & subsellia intelligit. Subsellia enim scamna, & sæpe scamna parva, id est scabella; dicta scamna, quia super iis adscendebant in lectum, subsellia vero, quia erant simul sellæ minutæ humilesque, ac in iis sedebant. Nam in subselliis sedisse, notum. Sueton. in Claudio cap. 23. *Medium inter Consulum sellas, Tribunitio subsellio sedisse.* Expresse dicit, *sedisse*, simul sellis Consulum opponit subsellium tribunitium non profecto altius, qui enim possit tribunus in minori dignitatis gradu constitutus? sed humilius. Et quia idem fuit scamnum, cumque scamno eadem cathedra domestica mulierum, hinc colligitur, & cathedram illam non fuisse pari altitudine cum sella consulari, multoque minus gestatoria, quam existimo fuisse altiorem. Alia proinde ista cathedra, & alia, quæ sellam gestatoriam significat. Non tamen quamlibet, sed femineam, ut dixi. Sed quæ differentia inter sellam muliebrem, & virilem? Ego certi nihil ad hunc diem reperi. Structuram non oportet multum fuisse diversam, quia idem utrique nomen; quia viri quoque interdum vecti sellis muliebribus. Ornatus quoque tam distinctus esse vix potuit, quod tamen aliquibus video placere. An putamus sedem in his molliorem, quoniam conveniebat feminis; & est *mollis cathedra* apud Juvenalem Sat. VI. quam cum sella feminarum diximus fuisse eandem? Nam quod *mollem* dictam censet Turnebus propter pulvinaria, eo non probare possum, quia hæc in sella omni fuisse videntur. Feminarum vero mollis ideo, quia sedebant non in tabula, sed corio duplici, farcto tomento, loris binis pluribusve substratis suspenso; sicut hodieque solet, mollioris sessionis gratia. Sunt, qui feminarum quoque putant clausam fuisse, non & virorum. Et huc trahunt illud Suetonii de Othone cap. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Ac profecto legimus & apud Juvenalem Sat. I.

Ostendens vacuam & clausam pro conjuge sellam.

At quando dicunt, talem Græcis *δίφρον κατάστεγον* appellatam, hanc suam sententiam evertunt. *Δίφρος* enim *κατάστεγος* Claudiani est inventi, quod fatentur ipsi ex Dione, non in usus mulierum, sed virorum. Dio ita habet lib. LX. de dicto Claudio. *Δίφρῳ καταστέγῳ πρῶτος Ῥωμαίων ἐχρήσατο.* Ergo *δίφρος κατάστεγος* magis ad viros pertinet, quam feminas; inventa quippe a viris, & ab iisdem usurpata. Sed *κατάστεγον* non puto denotare clausum & opertum, verum superne tantum tectum. Pollux lib. I. cap. 9. *Τὸ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς, ὄροφος, στέγη, καὶ ὁ δίφρος ὑπόστεγόν τε καὶ ἄστεγον, καὶ κατάστεγον.* Ostendit verbis apertissimis, *στέγην* dictum apud Græcos, quod esset non a lateribus, sed supra caput, indeque *κατάστεγον* nuncupatum. *Δίφρος* igitur *κατάστεγος* non proprie sella est undiquaque superne ac a lateribus operta, sed solummodo in summo. Quale proinde genus invenerit Claudius, virique deinde alii transtulerint in suos usus. At fœmi-

narum revera fuerunt clausæ, hoc est opertæ etiam a lateribus. Ideo in eis secrete habitas vel in publico Tertullianus dixit in de Pallio cap. 4. *At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & caliandrum, ipsas quoque jam lecticas, & sellas, queis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere.* Si in sellis, quod Tertullianus ait, domestice ac secrete habitæ mulieres, hoc est, ita vectæ, tanquam domi essent, ac a turba omni separatæ, undiquaque tectas eas fuisse apparet. Igitur & distributor apud Juvenalem licet sellam videat, de sedente in ea conjuge illius, qui petit sportulam, non est certus, sed proferre ipsam caput petit. Postquam enim maritus, simulans videlicet, licet vacua esset sella, conjugem in ea sedere, ad distributorem: *Galla mea est, citius dimitte.* Tum distributor: *Profer Galla caput.* Quibus verbis simul existimo constare, sellas illas non fuisse clausas latis specularibus ac vitris, sic enim vel per vitra conspici potuisset, nec prolatione capitis fuisset opus, verum velis linteis coriisve, sicut hodieque receptum nobis in vulgaribus vehiculis. Potuerunt tamen vela illa coriave removeri, quod necesse fuit, ut proferret caput, imo sic convolvi, ut sella videretur nuda, plane sicut hodieque fit in vehiculis. Hoc enim Juvenalis voluit alio loco, ubi de subsignatoris falsi cathedra, quam eandem esse dixi cum sella muliebri;

——————— — *Fertur*
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra.

Bene *hinc atque inde*, nam superne quidem tecta erat, in utroque vero latere dimota habebat vela convolutaque ac suspensa. Hoc enim proprie *hinc & inde*. Addit tamen pæne, credo, quod a fronte saltem obducta illa vela manerent. Feminarum ergo cathedræ sellæve vulgo fuerunt clausæ undiquaque coriis, nisi quod per foramen exiguum diem fortassis admitterent. Virorum vero superne tantum tectæ, de cætero patentes. Neque alia fortassis caussa est, cur Otto sella muliebri usus fuerit: Contra Galba projectus e sella. Tacitus Hist. l. cap. 41. *Juxta Curtium lacum trepidatione ferentium Galba projectus e sella ac provolutus est.* Si sella Galbæ fuisset clausa, sicut muliebris esse solebat, projici & provolvi nequivisset. Nam projicitur, quod ad anteriora jacitur: provolvitur, quod ad anteriora volvitur. Hoc non potuisset fieri obstante sellæ claustro, & objectis parietibus in sella Galbæ. Sed si talis sella fuit virorum, quid ita Suetonius in Augusto cap. 54. *In consulatu pedibus fere, extra consulatum sæpe adoperta sella per publicum incessit?* Num *adoperta* hic est *clausa?* Atqui talis feminarum fuit, non virorum. An δίφρος κατάστεγος exponi debet? At hæc sella demum a Claudio inventa. Ut hoc dubium solvat Lipsius, pro *adoperta* putat *adaperta* legendum, *quasi*, ait, *sella quidem usus Augustus, sed aperta non tecta* lib. 1. Elect. cap. 19. Probat emendationem hanc & Casaubonus, verum *adapertam* non *apertam* explicat, sed *aliqua ex parte apertam. Nam*, ait, *adaperire est ὑπανοίγειν*, Sed quæ aliqua ex parte tantum est aperta, ea aliqua ex parte non aperta, ut perinde sit, sive *adoperta* legas, sive *adaperta*. Nam & *adopertum* ratione simili, quod parte quapiam opertum. Quare malo hic apertam intelligere non ex parte, sed per omnia Quomodo apud Plinium legas lib. XXXII. cap. 95. *Jus traditur alvum & vesicas exinanire, intera-*

A *nea distringere, omnia adaperire.* Sed quæ hæc adaperta vel aperta sella? num quæ aperta ex parte? jam quid est aperta ex parte? quæ pars illa? Num, quod ait Lipsius, quæ non tecta? quæ vero est non tecta? num, quæ non clausa? ita enim Lipsius intellexisse videtur. Mihi ea est, quæ non κατάστεγος, id est tantum superne nullum habebat. Nempe mea opinione triplex sella fuit: una nec superne, nec a lateribus operimento clausa, sed aperta tota, nihil differens a sellis cæteris, nisi quod asseribus immissis posset gestari. Talis Augustea. Alia, quæ superne tecto B fuit munita, de cætero aperta & ipsa. Talis Claudii, & post eum communiter virorum. Alia undiquaque cooperta clausaque. Talis fœminarum. Augustea vere aperta fuit, quia nihil habuit operimenti. Cæteræ non idem. Quo respectu & Antyllum credo de his sellis gestatoriis prodidisse, quod sint aliæ apertæ aliæ coopertæ. Sic enim ex eo Hieronymus Mercurialis lib. III. Artis Gym. cap. 11. *Sellam duplicem fuisse tradit Antyllus, alteram, in qua jacebant, alteram, in qua sedebant, quæ vel cooperiebatur, vel aperta sinebatur.* Ita Hieronymus, nam ipsum quidem consulere non licuit. Sed si muliebris sola clausa C undique, quid ita proditur de Plinio, quod sella uti Romæ voluerit hybernis mensibus, ne impediretur in legendo scribendoque a cœli inclementia. Nec enim convenire, nisi clausæ undiquaque videtur, ut excludat frigus. Verba Plinii junioris leguntur lib. III. ep. 5. *In itinere quasi solutus cæteris curis huic uni* (studio litterarum) *vacabat. Ad latus notarius cum pugillaribus & libro, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet: qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur.* Videtur dicere, vectum sella suum avunculum, ut ne cœli quidem asperitas eriperet ei D studii tempus, atque sic necesse esse, ut munita contra illam asperitatem credatur. Verum ego locum aliter opinor explicandum, videlicet de sola Plinii diligentia, nullo habito ad asperitatem cœli respectu. Vectum sella, non propter cœli asperitatem, sed ne sibi ullum studii eriperetur tempus, quod nempe fuisset ereptum, si ambulasset pedibus, quia legere tum haud licuisset. Habemus ergo sellam aliam virilem, aliam muliebrem; illam tectam superne tantum, hanc undiquaque. Fuit autem utraque vel laxior, vel angustior. Digniores ac potentiores sella utebantur laxa. Inde Seneca de Constantia cap. 14. *Quid refert quantum ha-* E *beat, quot lecticarios, quam ornatas aures, quam laxam sellam.* Itaque non unus semper solusque in sella, licet frequentissimum hoc esset, aliquando enim & duo, si quidem Lipsium audimus. Qui sic ad An. Taciti II. c. 33. ubi auctor de Narcisso: *In eodem gestamine sedem poscit sumitque. In eodem gestamine, id est, gestatoria sella, quæ a Claudio deducta in vulgi usum. Apparet, in uno gestamine plures sellas fuisse, ut hic vides in Narcisso, qui eodem gestamine sellam poscit sumitque.* In quibus tamen verbis non intelligo, quid velint sellæ plures in eodem gestamine. Nam si gestamen F ipsum sella, quomodo in sella una, sellæ plures? Sed nec sellam poscit Narcissus in eodem gestamine, quod hic ait Lipsius, verum sedem. Differunt porro plurimum inter sese *sella*, & *sedes*. *Sella*, integra & tota est fabrica, *sedes* una illa tabula, cui insident, quamque occupant, qui sella utuntur. *Sedile* quoque appellarunt. Chimentellius bene c. 24. *Sedile proprie ea pars, quam sede premimus, quomodo in Actis D. Marci vocatur, quæ Henr. Valesius profert ad Eusebii Hist. Ecclesiasticam VII. 19. In cujus cathedræ sedili, &c.*

planitie scilicet illa lignea, omni exuta fulcrorum, pedum, ornatu aut instrumento Sicut sedile pars sellæ, ita & sedes, eadem enim ratio utriusque est vocabuli. Quare qui in sella poscit sedem cum alio, non sellam aliam in ea poscit, verum locum, ubi queat sedere. Sedet, quod *gestamen*, *sellam* explicat, non caret omni dubitatione. Sermo enim ibi non est de Narcisso tantum atque Claudio, id est duobus in gestamine eodem, verum L. Vitellio quoque, & P. Largo, id est quatuor, quod ipsum quoque Chimentellio recte observatur. Porro quatuor in sella una consedisse non est verisimile, quoniam structura ejus altior, quam longior, ut dixi supra. Quare mallem de vehiculo accipere cum rotis; nam lecticam cogitare prohibet, quoniam in ea jacebant, Narcissus vero *poscit sedem*. Neque obstat vox *gestaminis*, quoniam *gestari* dicuntur, etiam qui utuntur vehiculis. Martialis lib. I. ep. de Regulo

—— cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.

Hic *equi bijugi* sunt bigæ, quibus Regulus *gestatus* dicitur. Similiter *gestatio* de vehiculo usurpata Cælio Aureliano lib. II. cap. I. *Tum gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, sive cathedra, tum longiore vehiculo.* Celsus lib. II *Genera gestationum plura, sed tamen levissima est navi, acrior vehiculo.* Quanquam ergo genus aliquod sellarum laxius extiterit, non id eo factum videtur, ut geri simul in eadem sella possent duo, sed ut, qui gerebatur, spacium haberet amplius, & hoc ipso majorem, potentiorem, gloriosiorem sese exhiberet. At quorum fortuna exilior, ii sella utebantur arctiore. Talis opinor, quam appellat *sellulam*, & Vitellio clam fugienti tribuit Tacitus III. Hist. cap. 85. *Vitellius capta urbe, per aversam palatii partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* Dicit, *defertur*, unde patet, agere de sella gestatoria: quam vocat *sellulam*, quia fuit vulgaris, ut facilius lateret, ac minuta. Cæterum hæ sellæ sua habebant ornamenta, quædam pretiosiora, quædam minus pretiosa. Inde *sella* alia *pellicea*, alia *ossea*, alia *eborata*, alia *argentata*. Lampridius in Heliogab. cap. 4. *Semiramica facta sunt senatus consulta ridicula de legibus matronalibus, quæ sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.* Tò *Semiramica* hic vitiosum est, quod liquet ex apposito *ridicula*, quod sine dubio τῷ *Semiramica* interpretatio, ex glossa recepta in textum, ac si expungendum. Pro *Semirame* mallem cogitare quid de *simiis*, quia illi proprie ridiculi, ac iccirco legere *simiatica*, vel quid tale, quod ostendat senatusconsultis istis simiarum more imitatas viros, illas de mulierum conventu senatores. Nisi cum Salmasio malumus *Symiamira*, ut intelligamus Symiamirica, sic a matre Heliogabali Symiamira vocata. Cæterum *pellicea* quæ hic vocatur *sella*, opinione mea inductam pellibus, hoc est coriis significat, estque maxime vulgaris. Nisi quis existimet, habuisse pellibus proprie sic dictis, hoc est hirtis & villosis coriis obductas. *Pellis* enim proprie, ut est detracta pecori seu animali, cum pilis, lanis, villis; cum corium, cui ea sunt adempta, coriarii alutariive opera. Isidorus lib. XI cap. I. *Pellis, mox detracta, subacta jam corium dicitur.* Vult, differre pellem a corio, quod illa sit, qualis est in vivis animalibus, cum pilis scilicet, lanisve. Cum præsertim sellis quoque aliis insternerent, ipso auctore Homero, qui sic Odyss. T.

Εὐρυνόμη φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐπ' αὐτῷ.

Eurynome affer sellam & pelles super eam. Quo in loco dubitare non debebat eruditus Chimentellius, utrum pellem pro pulvillis concinnatis & consutis, an per schema, quod appellant ἓν διὰ δυοῖν, sellam pelliceam aut coriaceam intellexerit. Nam posterius revellit evidenter illud ἐπ' αὐτῷ. Unde & Eustathius, καὶ κῶας ἐπ' αὐτῷ βάλλεται καὶ ἤγουν τίθεται. quod significat, pellem fuisse superinjectam, nempe ut in ea sederent. Prius quoque pugnat cum simplicitate veteri consuetudineque de qua etiam apud Romanos intelligimus ex Festo, quando tribuit novæ nuptæ, item Servio ad Æn. IV. ubi ait; *Sellas duas jugatas ovili pelle, superinjecta poni mos est.* Sicut autem pellicea sella est contecta vel inducta pellibus, sic *ossea* contecta vel inducta ossibus. Ita namque docet ratio vocabuli, quod significat vel ex ossibus integre constructum, vel sic exterius appositis vestitum, ut mere osseum videatur. Quomodo habemus *cultrum osseum*, apud Columellam lib. XII. cap. 45. *Illud vero, quod multi faciunt, ut ea dividant ossea cultro, & semina eximant, quod putent ex eis pomum vitiari, supervacuum est.* Item *stylum osseum* apud T. Quintium Attam in Satyra

Vertamus vomerem in ceram, mucronemque aremus osseo.

Osseum utroque loco, quod ex osse mero totum est constructum. At hoc fieri vix potuisse videtur in sella, quoniam esset major, quam ut ex ossibus construeretur. Quare potius existimo, ut osseam accipiamus respectu exterioris faciei, quæ inducta vestitaque ossibus fuit. At vero *sella eborata* ea videtur, quæ distincta ebore, ornatus gratia. Quomodo sunt *lecti eborati* apud Varronem: *Cum in eborato lecto, ac purpurei operis toto cubare videas ægrotum.* Et *eborata vehicula* apud Plautum Aulul. II. Sc. I.

Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.

Loquitur de vehiculis eburatis sive eboratis feminarum, quas libenter acciperem de sellis quoque, cum & ipsæ sint vehicula, & si alia, ebore ornari consueverint. Eboratum enim vere proprieque quod ornatum ebore. Sosipater Charisius in Instit. *Eboreum, & eboratum, & eburnum ita placuit distingui, ut eboreum sit ex solido ebore confectum, eboratum extrinsecus ebore ornatum, eburnum a similitudine eboris aptatum.* Ad eundem modum *argentata sella*, quæ ornata & exculta argento. Sic enim & apud Livium *argentati milites*, qui habent arma exculta cælataque argento. Verba extant lib. IX. cap. 40. *Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ.* Quem hic vocat *argentatum*, mox explicat *cælatum argento.* Subdit enim: *horridum militem esse debere, non cælatum auro argentoque.* Uti *miles cælatus argento* aliter intelligi non potest, quam de eo, cujus arma argento cælata, hoc est ornata atque culta. Nam *cælatum* proprie de imaginibus extantibus ac prominulis usurpatur, quod jam pridem viri doctissimi demonstrarunt. Sic arma argento cælata erunt, quæ stellas, rosas, lunulas, & alia id genus ex argento habent

exterius apposita, ex quibus *argento cælatus miles* Livio est dictus, qui eidem quoque *argentatus*. Aliæ sunt *sellæ bracteatæ*, quorum meminit Sidonius VII. ep. 8. *Licet tu deductum nomen a trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos*. Nam hæ non imaginibus solummodo & icunculis vel sigillis appositis decoratæ, sed totæ metallo tectæ. Bracteæ nimirum laminæ malleo ductæ. Glossæ: Πέταλον, *bratteum, lamina*. Sic ibi scribendum, non *blatteum*. *Bratteum* porro dicebant pro *bracteum*. Quomodo & *brattea*, pro *bractea* habetur in Philoxeno. *Brattea*, πέταλον. Hinc *bratteum* seu *bracteatum*, quod cum intus generis sit alterius, extra & in superficie laminas habet ex metallo. Sic *bracteata sella* apud Sidonium, bracteis obducta ex auro, quæ iccirco & *aurea*, nam de Consulari loquitur, quod optime Savaro annotavit, additque locum Claudiani, qui hoc docet in IV. Cons. Honorii eo versu:

Portatur juvenum cervicibus aurea sedes.

Quæ Claudiano *sedes aurea*, ea Sidonio *gestatoria bracteata*. Et hæc quidem ornamenta. Quo vero veherentur mollius, cervical fere habebant ad caput, mulieres præcipue. Vidit Lipsius quoque ex hoc versu Juvenalis, qui legitur Sat. VI. vers. 351.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Cervical vocat proprie, quia pertinebat ad fulciendas cervices. Scholiastes vetus eo loco. *Cervical, pulvinar, super quod caput inclinet*. Quibus verbis simul discimus, mulieres præsertim in his sellis sedisse non erectas plane, sed nonnihil tergo & cervicibus seu capite reclinato in pulvinar. Sedisse tamen sicut supra monui. Et testatur Scholiastes idem, quando paulo ante ad vocabulum *sellam*, notat, *in qua gestatur sedens*. Gestabantur autem opera servorum, qui communi voce cum iis, a quibus lecticæ ferebantur, dicti *lecticarii*, quod & ipsum Lipsio est observatum, itemque Chimentellio. Quod vero putant, nunquam appellatos & *sellarios*, dubitationem habet. Saltem in Glossario antiquo legas. Δίφρος, *sella*. διφροφόρος, *sellarius*. Ergo in frequentiore quidem usu alterum, quia vox *sellarii* ambigua, & de equis potuit intelligi, scortisve: non tamen solum semperque usurpatum. Quia imo & *cathedrarios* dixere. Sidonius lib. I. ep. II. *Solus Curio meus cum advesperasceret, per cathedrarios servos vespillonibus tetriores domum raptus ac reportatus est*. Quando ait, *vespillonibus tetriores*, ostendit, alias fuisse cultiores, quomodo & qui proprie sic dicebantur, gerebantque lecticas, ut deinde dicam. Erant autem vulgo bini numero, qui gestabant. Unde Juvenalis Sat. IX. v. 142.

——— Et duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata,
Securum jubeat clamoso insistere Circo.

Lubinus agi putat de lectica, nam exponit *duos servos lecticarios, qui me humeris suis in lectica portent ad ludos*. Sed lecticam ullam a duobus solitam portari non opinor, & probabo postea. Igitur assentior Lipsio, quia accepit de hoc nostro genere. *Nam sellis*, ait, *deferebantur in circum sive in theatrum, & in iis etiam persedebant*, probatque testimonio Suetonii, quod puto esse verum, & attendi etiam a Gonsalio debuisse, qui similiter de lectica accepit. Aliquando tamen auctus ille numerus, sumptique quatuor. Imo legimus & sex in sella, præsertim muliebri, credo, quod esset ponderosior, quia tecta undiquaque clausaque Juvenal. lib. I.

—— Cum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra.

Martialis genus hoc *hexaphoron* vocavit, ostenditque ingens laxumque fuisse, lib. I. epigramm. in Cæcilianum.

Cum tibi non essent sex millia Cæciliane
Ingenti late vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinumque
Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.
Quid tibi pro meritis & tantis laudibus optem?
Di reddant sellam Cæciliane tibi.

Non potest esse dubium, quin hexaphoros sit sella, ideo enim optat, ut sellam dii reddant Cæciliano, quam nempe habuit vectus hexaphoro. Est autem sella hæc hexaphoros, quia ingens. Nec opinor numerum majorem ullam habuisse. Quanquam non ponderis & magnitudinis solum gratia, sed & ex fastu ac superbia haberent multos. Quod nos docet Seneca de Constant. cap. 14. ubi de muliere: *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* Vides, in muliere ab imperitis spectatum, quot lecticariis, paucioribus nempe pluribusve sella ejus gestaretur. Erant porro sic dispositi hi lecticarii, ut, sive bini essent, sive plures, pars una dimidia gestaret a dextro, pars altera a sinistro latere. Scilicet in collo, sive humero gestabant. Inde Juvenalis supra allato loco de cathedra, quod *sexta cervice feratur*. Item de Mœsis: *Cervice locata securum jubent insistere circo*. Si in cervice sive humero, fieri non potest, quin gestarint eo modo, sicut dixi. Atque huc respexisse puto Martialem, quando supra *late vectum* scripsit Cæcilianum. Nam late vehitur, opinione mea, cujus vehiculum latum, cujus bajuli, qui vehunt, late incedunt, quod utrumque fuisse in Cæciliani sella intelligitur. Erant autem isti geruli, ut & hoc addamus, vel proprii, vel conductitii. De propriis apparet ex JCto Ulpiano, qui propterea legalis ait contineri. l. 49. ff. de Legat. III. *Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant*. Vult, mancipiis legatis, vel præcipue lecticarios contineri. Scilicet hos comparare uxoribus suis mariti, præsertim indulgentiores solebant. Quo respexit Tertullianus libro ad Uxorem: *Unde nisi a diabolo maritum petant bonum exhibendæ sellæ*. Maritus bonus exhibendæ sellæ non is solum, qui parare sellam potest nudam, sed & qui servos lecticarios ad eam gestandam. De conductitiis testis Juvenalis est, quando de Ogulnia Sat. VI.

Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Agit quidem proprie de sella, quam & ipsam conducto habuisse apud veteres intelligimus ex hoc loco; non tamen de sella nuda, sed & servis bajulis seu lecticariis. Ideo Poeta idem Sat. IX.

——— Et duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere Circo.

Cervicem locatam intelligit pro mercede, pro qua Mœsos istos conduxerat. Scholiastes vetus eo loco: *Et duos fortes, lecticarios ait, quorum laturas locem, & securus Circenses spectem.* Ubi *locare laturas* est *pecunia conducere*. Quomodo apud Varronem in præfat. lib. II. de R. R. *locare, qui adducant frumentum*, est *conducere*. Verba ejus: *Igitur quod nunc intra murum fere patres-familiæ correpserunt relictis falce & aratro, frumentum locamus qui nobis advehant, qui saturi fiamus, ex Africa & Sardinia.* Et de sellis quidem hæc suffecerint. Venio ad earum usum. Primus fuit, ut qui pedibus valerent minus, ope illarum adjuti, facere possent iter. Tacitus de Galba lib. I. Hist. cap. 35. *Nemo scire, & omnes affirmare, donec inopia veri & consensu errantium victus, sumpto thorace Galba, irruenti turbæ neque ætate neque corpore sistens, sella levaretur.* Hic Galba debilior ætate imponitur sellæ, ac in castra rapitur. Post accessit ambitio & fastus, maxime in mulieribus, nolueruntque amplius ambulare pedibus, sed vehi sellis. Inde *maritus bonus exhibendæ sellæ* apud Tertullianum, uti supra vidimus. Et apud Ulpianum sellæ inter ea, quæ mariti suis uxoribus emunt comparantve. Unde l. 49. ff. de legat. III. inter legata contineri ait *jumenta, vel lecticam, vel sellam, vel burdones*. Quanquam aliqui præbuerint, non tam, ut augerent fastum, quam ut custodirent earum pudorem, ac consulerent modestiæ, si quando prodire in publicum cogerentur. Quo intuitu Tertullianus de pallio, uti de matronis agit minus pudicis. *At nunc in semetipsas lenocinando quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & calliandrum, ipsas quoque jam lecticas & sellas, quis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere.* Noluerunt hæ uti sellis amplius, quia intra eas nimis tectas, nimis clausas se putarunt. Atque ita similiores sese fecerunt meretricibus, quam matronis. Fuit alias usus earum apud matronas longe creberrimus, & diuturno tempore servatus, quod ostendit, vel Heliogabali edictum e Senatu muliebri publicatum, cujus mentionem fecimus in superioribus. Ut non satis videam, quomodo ejuraverint, temporibus Tertulliani, qui Heliogabalum tempore non exiguo antecessit. An hoc voluit, noluisse sic in iis esse clausas tectasque, sicut primis temporibus, & a modestioribus est factum, sed sustulisse coria velaque, ac conspiciendas sese præbuisse? Nam & hoc fecisse constat liberatiores. Unde Seneca de tali: *Non, quam margaritæ suffocent quam in patente sella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque, ac maritus inspexerit.* Quin imo rusticitas est habita in marito, & argumentum exagitationis, si quis hoc negasset uxori. Seneca idem lib. I. Benef. c. 9. *Rusticus, inhumanus, ac malevolus, & inter matronas abominandæ conditionis est; si quis conjugem in sella prostrare vetuit, & vulgo admissis inspectoribus vehi undique perspicuam.* Illud *prostrare in sella* nihil aliud significat, quam conspiciendam se præbere, formæque ostentatione ad amorem sui alios allicere. Quod fecisse meretrices videntur, si quando uterentur sellis. Habuisse inquam sellas non clausas tectasque matronarum consuetudine, sed apertas. Quod significare Juvenalem arbitror lib. III. v. 135. uti de Chione meretrice.

——— At tu
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Ducere de alta sella non opinor aliud significare, quam de sella, in qua aperta plane, patenteque circumgestata præbebat se inspiciendam per vias publicas, ad congressum invitatam abducere. Quin enim & sellis circumferri sese meretrices voluerint, eo minus dubitare possum, quia usæ etiam lecticis inveniuntur. At exponunt alii de sella non gestatoria, sed qua sedebat meretrix ante stabulum cellamve meretriciam, expectabatque quæstum atque conductores. Ita namque consuevisse colligunt ex Plauti Pœnulo A. I. Sc. 2. ubi ob hanc caussam *prosedæ* nuncupantur. Verba Plauti:

—— An te ibi vis inter istas versarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias
Miseras, schœno delibutas, servilicolas sordidas?
Quæ tibi olent stabulum, statumque, sellam & sessibulum merum.

His in verbis nominatim mentio fit sellæ, cui videlicet prosedæ illæ insidebant. Commentator vetus Juvenalis hac de causa, quæ *proseda* Plauto, *sellariam* nuncupavit. Ita namque scribit ad prædictum locum: *Deducere sella: inde sellariæ dicuntur. Unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris cum alii adulteri emant.* Sellariam hic accipio non lupanar, & locum sellis meretricum consitum, ut Chimentellius, sed meretricem, sic a sella nuncupatam. Quanquam alias sellaria generis alterius fuisse videatur, ea nempe, quæ merebat in sellario. *Sellarium*, ac in plurali *sellaria* fuit locus a Tiberio excogitatus, ubi sese constuprabant mutuo in sellis. Torrentius ad Suetonii Tiberium cap. 43. *Sellaria appellata sellæ ipsæ ad libidinem dispositæ.* Ab hoc sellario, vel his sellariis *sellarii* viri, & *sellariæ* feminæ, quæ ibi sese mutuo inibant. Nam & de viris accepit Lipsius, quod habet Tacitus lib. VI. Annal. cap. 1. *Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, & spintriarum ex fœditate loci & multiplici patientia.* Nam sic ibi notat de Turnebo, & Suetonio. *Non tamen satis explicant, cur sellarii dicti a fœditate loci.* Ergo Lipsii judicio non solum feminæ sellariæ, sed & sellarii viri; juvaturque a Suetonio, qui in sellariis Tiberii memorat non *puellarum* modo, sed *& exoletorum greges*, itemque *monstrosi concubitus repertores*. Dicit autem Tacitus sellariorum vocem ante Tiberium fuisse incognitam, neque tum usurpatam de aliis, quam qui sella tali, qualem paulo ante dixi, merebant. Ut sic dubitari possit de Interpretis antiqui apud Juvenalem explicatione. Nam si sellariam intellexit proprie ita dictam, ea accipi de Chione non potest, quippe quam de sella Juvenalis putavit deducendam. Si vulgarem meretriculam, in sella expectantem ante lupanar amasios, non apparet, cur sellam eam Juvenalis tam signanter appellarit altam. Neque possunt sese satis explicare cæteri, qui cum ipso locum accipiunt de sella vulgari, qua solebant considere. Non fuit ea tam alta, ut notari hoc epitheto a Poeta debuerit. Nam quod Chimentellius existimat pro *alta* legi posse *arcta*, sine caussa & necessitate dicitur. Denique revera fuisse altam etiam id docet, quod deduci debuit de sella. Nam deducitur vere proprieque quod de loco altiore ducitur. Quomodo habemus apud Cæsarem III. Bel. Civ. *deducere de rostris conantem concionari*. Et apud Virgilium Ecl. VIII. *Deducere cœlo lunam* simili locutione. Si sella hic intelligenda vulgaris esset, qua prosedæ utebantur, non *dedu-*

cenda erat Chione, sed *abducenda*. Quare manet sella ejus alta, & propter hoc ipsum non vulgaris sessoria, sed gestatoria, quæ & hoc intuitu vocata potest esse alta, quia gestabatur alte, in cervicibus nimirum atque humeris succollantium, habebatque ipsam alte repositam. Nam & de lectica, quæ cum sella convenit hactenus, Seneca epist. 81. *Idem de istis omnibus dicas, quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit*. Sicut qui gestabantur in lectica, eminebant supra capita hominum, ita plane & qui sella, ut nil mirum sit, si deduci ea Chione debuerit. Deduci sella inquam, non sedentaria, sed gestatoria, qua hinc colligo fuisse usam, & cum ea meretrices alias. Ad quas alluserit & Seneca, quando de matronis in superioribus *prostare in sellis* voluisse scribit. Nam de sedentariis, quod putabat Chimentellius, non agere, vel inde constat, quia iis dicit *vehi*. Nec enim in his vehuntur, verum gestatoriis. Sicut autem per ambitionem fastumque meretrices, feminæ, matronæ, sic interdum viri quoque vecti sella. Istuc pertinet, quod Cæciliano exprobrat Martialis lib. 1. Epigr.

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.

Spectabat tamen sicut apud matronas, sic apud viros aliquando ad dignationem. Quo respexit Juvenalis, quando ait Sat. VII.

Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes ——

Agit de Patronis caussarum eo loco, quos non absurde colligas hinc, usos esse istis sellis, existimationis, & auctoritatis gratia. Lubinus accipit de sella sedentaria, *Post te sella*, inquit, *in qua sedeas, si collibitum fuerit*. Quemadmodum & Chimentellius pag. 135. Sed videntur tueri nostram opinionem illi servi octo, qui hic nominantur, & a Lubino ipso explicantur lecticarii. Possumus enim æque facile intelligere de servis ad gestandam sellam, quam lecticam necessariis. Cum vix consentaneum videatur, eidem & lecticam dare, & cum ea simul sellam. Gestatoriam pro festo hoc in loco intellexit & Lipsius, non sedentariam. Observavit alias hoc idem & in Consularibus Consulibusque Chimentellius, vir eruditissimus. *Indicare non desino*, ait, *hanc sellam opertam* (inventum a Claudio) *Consulibus deinceps & Consularibus fuisse adhibitam, postquam Claudius primus usurpavit*. Addit testimonium Dionis, qui post ea, quæ inventam sellam hanc a Claudio docebant, addit: καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν οὐχ ὅτι οἱ αὐτοκράπορος, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα. *Inde & nunc non Imperatores, sed nos quoque, qui consulatum gessimus sella (operta) vehimur*. Alii non tam dignationem spectabant, quam usum. Nam & legere in his solebant. Docet exemplum Plinii majoris, de quo junior III. epist. 5. *Qua ex caussa* (ut ne ullum ipsi studii tempus eriperetur) *Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem, Poteras, inquit, has horas non perdere*. Dicit, non ipsum modo usum sella, quo posset, dum negotiorum caussa de loco uno fertur in alium per urbem, librum legere, sed & nepotem suum eo animasse, ne si ambularet, horas eas nihil agendo perderet. Delicatiores etiam dormiebant in eis, quod cognoscimus exemplo Gallæ, de qua maritus apud Juvenalem Sat. I.

—— *Noli vexare, quiescit.*

Proferre caput eam dispensator, seu distributor sportulæ voluerat. Sed quia sella erat vacua, fingit maritus eam intus dormire, sicut nempe crebro faciebant. Porro quia istis omnibus fuerunt apta, ideo non intra urbem modo, sed & extra illam adhibebant in viis atque itineribus. Suetonius de Othone. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit*. Tacitus XIV. An. c. 4. *Satis constitit, extitisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, gestamine sellæ Bajas pervectam*. Aliquando hoc agebant ideo præcipue, ut laterent. Quomodo videmus in Othone paulo ante. Suetonius de Nerone cap. 26. *Interdiu quoque gestatoria sella clam delatus in theatrum*. Item de Vitellio cap. 16. *Continuo igitur abstrusus gestatoria sella, Aventinum & paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret*. Videatur idem spectasse, qui & fontes, vel quacunque caussa supplicio afficiendos includebant sellis. Nam & hoc receptum fuit. Tacitus de Epichari liberta lib. XV. An. cap. 57. *Postero die cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ, (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fasciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, & corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit*. Dicit quidem Tacitus, hoc factum, quia insistere nequibat, sed & alterum attendi potuit, cum ad illud quævis obvia suffecisset cathedra, hæc vero sella clausa fuerit; quod intelligitur ex eo, quia sibi ipsi, dum ad cruciatus gestatur, vitam adimit laqueo. Nec enim hoc potuisset, si gestantes potuissent observare. Sed & *arcus sellæ* hoc demonstrat. Namque arcus ille non pars reclinatorii in apsidem curvata ornatus caussa, quod volebat Chimentellius pag. 116. sed qui sustinebat tectum superne in sella operta clausaque. Ideo ei tanquam supra caput extanti fasciam laqueumque indidit Epicharis: ideo pondere corporis connititur, deorsum nempe, hoc enim vult pondus, non antrorsum, quod Chimentellius putavit. Marcellini quoque locus est, qui hoc idem confirmare videtur. Verba ejus lib. XXIX *Quibus* (incantamentis) *in judicio recitatis, uti non lex, non religio, non æquitas veritatem a mendaciis dirimebat, indefensi bonis ablatis, nullo contacti delicto promiscue juvenes aliique membris omnibus capti ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur*. Equidem doctissimus Pignorius in de Servis pag. 136. existimat, hinc posse colligi, quod sellis raptarentur *rei tormentis afflicti* ad supplicium. Facit cum eo etiam Chimentellius. Ego diversum censeo. Nulla enim toto loco isto tormentorum mentio. Imo contra ne quidem instituta quæstio dicitur, cum veritatem æquitas a mendacio non dirimeret, indefensique rei ducerentur. Nam quod Marcellinus ait, *captos membris omnibus*, aliud significat, constrictos nempe vinculis, sicuti solebat, de quibus supplicium erat sumendum. Unde verò formula: *I lictor, colliga manus*. Sic per translationem Ciceroni captus membris, cujus membra morbi vis captiva velut tenet in vinculis. In Orat. pro Rabirio. *Confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus atque debilis*. Quare vero magis consentaneum, ut cre-

damus ductos ſellis, ne adſpectu ſuo commovere quemquam poſſent. Sellis inquam *geſtatoriis*, non *geſtoriis*, ut Lipſius Marcellini loco ſcripſit. Denique in ſellis hiſce per geſtationem exercebant corpus, valetudinis vel conſervandæ, vel reparandæ gratia. Primi generis ſunt iſti, de quibus Seneca de Brev. vitæ, cap. 12. *Nec illos quidem inter otioſos numeraveris, qui ſella ſe, & lectica huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt.* Licet hi enim per mollitiem ac voluptatem geſtarentur ſellis, videri tamen volebant cauſſa valetudinis per exercitationem ſervandæ iſtoc facere. Quia ſic receptum fuit apud alios, & præſcriptum a Medicis. Ad ſecundum genus ſpectant, quæ leguntur apud Cælium, & a nobis allata ſunt in ſuperioribus. *Adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis fertorio, vel ſella procurata.* Atque ita locis aliis, quibus fere oſtendit, conducere geſtationem hanc concuſſionemque molliorem in dolore capitis, in epilepſia, ſi ferri queat, in mania, in paralyſi, quemadmodum ex eo docuit & Hieronymus Mercurialis lib. VI. Artis Gymnaſticæ cap. 10. Solebantque in hoc genere modo tectas clauſaſque habere ſellas, modo retectas apertaſque, prout morbi ratio poſtulabat, ſicut idem ex Antyllo obſervavit. Atque iſta quidem ſunt, quæ de ſella nobis occurrebant.

CAP. V.

De Lecticis.

Lecticæ num digniores ſellis. Lipſius rejicitur. Suetonius exponitur. Num excogitaverint Bythini. Lipſius & Scholiaſtes Juvenalis refutati. Cicero corrigitur & explicatur. Catullus aliter, ac fit a Lipſio, exponitur. Lecticæ Perſis notæ. Φορεῖον. Φορίον. *Geſtatorium. Notæ Indis Curtius corrigitur. Notæ Macedonibus & Syris. Quando Romam venerint. Gellius a correctione prava Lipſii liberatus. Species lecticarum. Lipſius denuo rejectus. Aſſeres lecticæ ad geſtandum. Gellius contra Lipſium expoſitus. Plumæ ac roſæ in pulvinis lecticarum. Pedes lecticarum ex ligno, argento, auro. Lectica operta coriis, cum feneſtra in latere. Num & vela habuerit. Aufidius Baſſus explicatur. Lipſius bis revellitur. Sidon lecticaria. Torrentius notatur. Lectica dormitoria. Aperire lecticam. Propertius explicatur, & a correctione Lipſii liberatur. Conſuta lectica. Suetonii lectio vulgaris defenditur. Ornamenta lecticarum. Aureæ lecticæ, anguſtæ, laxæ. In lecticis cubabant. Cubile pro lectica. Portabantur ſuper humeris. Suſpenſa lectica. Gonſalius notatur. Martialis exponitur. Sella plicatilis.* ὀλκαδίας. *Faldiſtorium, faldiſtolium. Lecticarii longi, Liburni. Lubinus notatur. Scholiaſtes Juvenalis emendatur. Geruli Liburni. Lectica Liburnata. Lecticarii formoſi cum veſtimentis pulchris. Senecæ lectio contra Lipſium defenſa. Canuſinati. Coloris rufi. Quatuor ad lecticam, vel ſex. Hexaphoros. Cicero liberatur a gloſſa. Octophoros. Gonſalius denuo notatur. Petronius exponitur. Lecticarii dicti non ii ſoli, qui ad lecticas adhibiti. Quidam qui geſtant alios humeris. Succollare.* Φοϱιοφόρει. *Plutarchus emendatur. Habuerunt emptos, vel acceptos dono, vel conductos mercede. Caſtra lecticariorum. Liberti geſtant lecticas. Operæ togatæ. Proſequi lecticam. Elephanti ad lecticas. Lecticarum uſus promiſcuus viris feminiſque.* Φορεῖα γυναικεῖα. σαμπόδια. *Viri infirmiores fere uſi lecticis. Hieronymus Mercurialis notatur. Octophoros lectica mulierum fere, niſi forte viri eſſent in itinere. Lecticis vecti pueri. In lectica plures ſimul. De locis binis Ciceronis ſuſpicio. Concurſare. Lecticarum uſus in itinere vetus, ſerus in urbe. Olim promiſcuus, mox matronis honeſtis ſolum conceſſus, nec ſemper. Mamertinus explicatur contra Chimentellium, & diſtinctus. In lecticis legebant, ſcribebant, dormiebant, occultabant ſeſe, ducebantur ad ſupplicium, vehebantur ægroti, vel alias infirmi. Utebantur eis etiam ad recuperandam valetudinem.* Λεκτίκιον. *Lecticæ militares pro ægrotis vel ſauciis.* ὑπολαμβάνειν, περιέχειν. *Interpres Plutarchi caſtigatus. Lecticæ lucubratoriæ. Sumpodia Græcienſia. Lectica funebris. Dio exponitur.* Λάρναξ. *Arca. Funera lecticis tectis nonnunquam elata. Cicero & Gellius exponuntur.*

POſt Sellas de Lecticis aliquid dicendum. Nempe operoſiores illis ſunt, & ſumptuoſiores. An & digniores? Negat Lipſius 1. Elector. cap. 19. *Sella*, inquit, *poſtquam recepta in uſum, dignior habita lectica. Ex Suetonii unico, & ideo notando loco in Domitiano cap. 2. Ob hæc correptus, quo magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, ſellamque ejus ac fratris, quotiens prodirent, lectica ſequebatur.* Contra cenſet Caſaubonus, cui jure merito adſtipulamur. Nimirum non hic agitur de ſella qualibet, qua geſtabantur, ſed curuli, *de qua*, inquit Caſaubonus, *ſi intelligas, non de vulgari ſella, plane ruit ὁ συλλογισμός*. Sane admoneri debuit Domitianus, ſicut auctor eſt Suetonius, & ætatis ſuæ, & conditionis, hoc eſt, nec maturum adhuc eſſe annis, & privatum forte. At hoc fieri qui potuiſſet, ſi ſellæ præcedentium patris fratriſq; fuiſſent vulgares? Nec enim in vulgaribus illi ſoli geſtabantur, qui in dignitate conſtituti eſſent publica, ſed & alii, quod ſupra demonſtratum eſt. Quare ſupereſt, ut diſcrimen fuerit non inter ſellam & lecticam, quale dicit Lipſius, ſed lecticam atque ſellam curulem. Fuit autem lectica, ſicut ſella, geſtatorium vehiculum, excogitatum primo, uti cenſet Lipſius, a Bithynis. Colligit hoc autem ex Catulli verbis hiſce, quæ leguntur Epigr. 10.

At certe tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur eſſe, comparaſti
Ad lecticam homines. — —

Apparet, inquit, *eum dicere, lecticas natas in Bithynia & inventas.* Addit, facere huic ſententiæ, quod ait Cicero lib. V. in Verrem, morem fuiſſe Bithyniæ regibus lectica octophoro ferri. Equidem ex iſto Ciceronis loco idem colligit & Scholiaſtes vetus Juvenalis ad Satyræ I. ver. 121. *Lecticarum uſum*, ait, *primi dicuntur inveniſſe Bithyni. Cicero: Nam una haud mos eſt Bithyniæ regibus vehi lectica, id eſt octophoro.* Verba Ciceronis, ſicut citat Scholiaſtes, nil huc faciunt, imo potius contrarium oſtendunt. Neque magis juvant, ſicut vulgo leguntur, & laudantur Lipſio: *Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus, vehi lectica.* Nec enim ſi Bithyniæ regibus ille mos fuit, ideo & inveniſſe neceſſe eſt, quod liquet ex Romanis, quibus ipſis poſtea hic mos fuit. Et tamen

in

in Ciceronis illo loco invenisse Scholiastes videtur, in quo sententiam fundaret istam. Nempe scriptum olim fuit apud Ciceronem: *Nam unus ut mos est Bithyniæ Regibus*. Quia Cicero illis regibus dixit morem illum esse unum, is accepit de unico & solo, atque ita illos solos initium huic mori ac consuetudini fecisse putavit. Pro illo *unus ut* ineptus scriba conjunctim fecit *unus ut*, inde natum *una hut*, & post *una haut*, vel *una haud* apud Scholiastem. Atque sic legendum apud Ciceronem ipsum videtur, non ut hodie mutilate editur, vel propter Scholiastem dictum, qui ex verbis, sicut nunc se habent, nunquam in sententiam, quam proponit, potuisset adduci. Non inquam, *nam ut* omissa necessaria voce, sed *nam unus ut* substituendum. Quanquam & si legas isto modo, nihil valide hinc afferatur; potest enim unus ille mos intelligi non exclusive, quasi apud alios non fuerit, hoc enim falsum apparebit ex sequentibus, verum eminenter, quod ante alios eo sint gavisi. Neque magis clara sunt Catulli verba. Scaliger profecto exponenda putat sensu longe alio. Nec enim illud *natum* ad *lecticam* refert, sicut facit Lipsius, sed de pecunia intelligendum ait, per comitem Consulis negotiatione quæsita in provincia. Non pigebo locum totum, licet longiorem, adscribere, quoniam declarat evidenter, Lipsium non satis intellexisse Catullum. *Diversum*, ait, *est æs natum in provincia ab eo, quod dixit, quantum provincia profuisset. Comites proconsulum duplicia commoda in provincia percipiebant: alterum ex negotiatione sua, quod hic more Græcorum argentum natum dicitur. Nam id illis est* τὸ γινόμενον ἀργύριον. *Alterum ex provincia illis obveniebat opera magistratus ipsius, quod lucellum vocabatur, ut alibi docebimus ex Cicerone. Quod ergo dicitur, & quantum mihi profuisset ære, hoc est, ecquid lucelli mihi obvenisset ex Bithynia. Hoc vero, quod natum dicitur, hoc est, quod quæsivisti negotiatione tua. Notum ex Sallustio in Jugurtha, quæ sint negotiationes togatorum, ut ipse vocat.* Hæc Scaligeriana longe doctissima ostendunt abunde, nil nos ex hoc pro Bithynis posse allegare, si de lecticarum auctore quæstio instituatur. Ac profecto pridem alibi, quam Bithynia, credo, cœpit innotescere, usus lecticarum invaluit. Legimus enim apud Persas etiam ætate Artaxerxis. Timagoram profecto is lectica donavit, sicut auctor est Plutarchus in ipsius vita, quod ostendit, usum ejus satis tum in Persis notum receptumque fuisse etiam inter viros. Idem repetitur a Plutarcho in vita Pelopidæ, ubi de Timagora: κατέβαινεν ἐπὶ θαλάσσαν, ἐν φορείῳ κομιζόμενος. Hic φορεῖον nihil aliud, quam lectica, quod apparet ex collatione loci supra dicti, ubi τὲς κομίζοντας φορεῖς commemorat, id est homines ad gestandum destinatos, quales hic de sella nequeunt intelligi, haud tum nota, verum de lectica. Philoxenus: *Lectica*, φορεῖον. Scribitur & φορίον in Glossario Cyrilli. Φορίον, *lectica*, *feretrum*. In Onomastico Argentoratensi *gestatorium* exponitur. *Gestatorium*, φορεῖον. Sed gestatorium & de sellis usurpatur. Ideo generatim Glossæ veteres Ms. Savaroni laudatæ: *Gestatorium, instrumentum, quo quis portatur*. Pro gestatorio Tacitus dixit *gestamen* lib. II. cap. Anal. cap. 33. & de rheda simili-ve vehiculo accepit, sicut alibi ostendimus. Φορεῖον tamen fere semper apud veteres *lectica*. Quam non Persæ solum, sed & Indi cognitam habuere. Illa namque Rex Indorum gestabatur. Curtius lib. VIII. cap. 9. *Quum rex sese* (ita mallem, pro *sane*, quod habet editio Blancardi) *in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat*. Quin & hodie consuetudo illa manet apud ipsos, quod testantur, qui nobis regiones illas descripserunt. Ab extremis illis Orientis gentibus, luxu fere diffluentibus, res est translata ad viciniores. Nam & Macedones usurparunt postea, memoratque Athenæus in pompa Antiochi lecticas plures, in quibus feminæ gestabantur. Verba ejus lib. V. cap. 5. Ταύταις δ' ἑξῆς ἐπόμπευον ἐν χρυσόποσι μὲν φορείοις ὀγδοήκοντα γυναῖκες, ἀργυρόποσι δὲ πεντακόσιαι καθήμεναι πολυτελῶς διεσκευασμέναι. *His proximæ fuerunt octoginta feminæ in lecticis pedes aureos habentibus, & aliæ quingentæ in lecticis cum pedibus argenteis, magna impensa cultæ ac exornatæ*. Non est dubium, quin sermo sit, non de vehiculis carpentisve, sed lecticis, quia pedes non sunt, nisi in lecticis, uti ex sequentibus constabit. Fuit porro hic Antiochus ex Seleuci posteris, qui post Antigonum Regnum Syriæ tenuit mortuo Alexandro Magno. Unde constat, Syris quoque notas lecticas fuisse. Inde forsitan in Cappadociam Bithyniamq; inde Romam pervenerunt. Quando hoc sit factum, in incerto est. Lipsius temporibus Gracchanis putat, quoniam sic legitur apud Gellium: *His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Et obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: & cum ignoraret, qui ferretur, per jocum interrogavit, num mortuum ferrent*. Verba hæc leguntur lib. X. cap. 3. in quibus pro *ex Asia*, sine cunctatione *in Asiam* Lipsius existimat scribendum. Nos tamen subsistimus cunctamurque, cum quo pacto flagitet hoc sensus, quod existimabat Lipsius, haud videamus. Annon enim missus esse Romam potuit ex Asia a Præside Provinciæ vel Prætore? Cum præsertim nominetur adolescens, qui necdum magistratum ullum caperet. Tales enim mitti a Romanis in provincias minime solebant. Et est verisimile, habuisse lecticam illam secum ex Asia, ubi usus tum earum fuit frequentissimus, atque ita spectaculum ridiculum præbuisse bubulco imperito. Cæterum quæ forma lecticarum fuerit, abunde satis traditum a Lipsio putamus lib. I. Elect. cap. 19. Facit autem duplices, alias tectas, alias vero apertas. Apertarum speciem simplicem, *asseres nimirum aliquos compactos, qui carpere pulvinum oblongum possent, in quo homo singularis porrectus jaceret*. Quos hic vocat asseres, probat mox auctoritate Juvenalis Martialisque. Verum illi alii fuerunt, nec qui constituebant lecticam ipsam, sed adjuncti, ut per eos posset gestari, ut deinde indicabo. Quare mallem tabulas vocare, quæ compactæ speciem habebant lecti funebris. Lectus funebris monstratur nobis in monumento M. Antonii Antii Lupi, tali specie, quod Lipsius ipse fatetur.



Jam vero lecto funebri lecticam similem ipse facit Lipsius, & confirmat joco Martialis lib. 11. epigr. in Zoilum, quando ait:

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Neque fuit causa potior, cur bubulcus ille apud Gellium interrogaret, *num ferrent mortuum*, lectica primum visa. Scilicet lecticam vidit esse illi similem, qua mortui efferebantur. Igitur non facta esse potuit tam ex asseribus, quam tabulis quadratis longioribus, quemadmodum in lecto funebri videmus. Asseres, quorum meminerunt veteres, non pertinebant ad structuram ipsam lecticæ, sed gestationem. Suetonius clarissime in vita Caligulæ cap. 58. *Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt*. Lipsius rectissime: *Ex hoc loco non vane quis suspicetur, asseres eos exemptiles fuisse, & facile in lecticam reponi potuisse aut tolli*. Si reponi potuerunt aut tolli, non profecto ipsa ex eis constructa esse debuit lectica. Atque ita intellexit & Torrentius. Sic enim habet isto loco. *Asseres fuerunt ligna illa, quibus innixam domini lecticam humeris subibant. Juvenal. Sat. III. ferit assere duro Alter. & Sat. VII. longo premit assere Medos. Martialis etiam: Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet*. Ergo alia lectica, & alii asseres in lectica. Lectica lectus ipse; asseres, ligna quibus portabatur, unde Juvenalis appellavit *duros* & *longos*, item *premi* eis dixit Medos, quando nempe habent humeris impositos: quomodo & Martialis Syros eis *sudare*, subeuntes scilicet. Scholiasti Juvenalis nuncupantur *amites*. Nam Poetæ illud *assere duro*, sic exponit: *Amite lecticæ, lecticarios significat*. Sic distinguo illa verba, & asteriscum tollo. *Asserem* dicit esse *amitem lecticæ*, ibique Poetam agere de lecticariis. Porro amites proprie baculi furcati, quibus retia sustinentur. Scholiastes vetus Cruquii ad Horatii Epod. c 2. *Ames proprie est furcula, ex qua rete suspenditur ad capiendas aves*. Porphyrio eodem loco: *Amites hodieque appellantur furculæ, quibus retia in venatione vel aucupio suspenduntur*. Num hujusmodi & asseres lecticarii? Vix opinor; ita enim subjectos lecticæ ac suffulcientes eam tenuisse manibus necesse sit. At contra in humeris colloque gestasse inferius patebit. Ideo existimo fuisse rectos simplicesque per lecticæ latus utrumque collocatos, in annulis fortasse, sic, ut possent eximi, multum ante lecticam prominentes antrorsum retrorsumque. Nisi forte in lecticis gravioribus præter illos asseres interdum adhibuerint & furculas, quo facilius portarent. Lipsius eos asseres in vinculis aliquibus reponit, hucque trahit verba Gracchi apud Gellium superius indicato loco. Sic enim post allata habent: *Ubi audivit, lecticam deponi jussit, stuppisque quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit*. Verum asseres eos vinculis e stuppa, id est funibus cannabinis ad lecticam religari solitos vix credimus propter cæterum lecticarum istiusmodi ornatum, quo cum funes parum utique conveniunt. Deinde ne quidem deligati eis vinculis hic dicuntur asseres fuisse, sed lectica ipsa. Quare magis censeo significare funes, lecticæ subjectos, in quibus reponi pulvinus solebat. Hoc enim conveniebat mollitiei, nec ignotum erat vulgo in lectis dormitoriis. Quod vel Cato docet, quando etiam in villa requirit *lectos loris subtentos quatuor* lib. de R. R. cap. 10. Nec fortassis alia est caussa, cur pulvinum illum *pensilem* vocarit Juvenalis Sat. 1. quam quod esset non in tabula repositus, sed suspensus funibus. Verba ejus hæc sunt:

—— —— Vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos.

Scholiastes ibi: *Pensilibus plumis: lectica, plumis strata*. Pensile profecto κρεμαστὸν, quod non convenit, nisi in id, quod in libero pendet aere. Sic plumæ pensiles erunt liberæ, sine tabula subjecta solis funibus sustentatæ. Quanquam plumæ debeant intelligi non nudæ, sed infercitæ sacco, unde Cicero *pulvinum* dixit. Verba ejus sunt in Verrem v. *Lectica octophoro ferebatur, in qua erat pulvinus perlucidus, rosa fartus*. Ubi nota, homines delicatulos pro plumis, rosas etiam adhibuisse hisce in lecticis, sicut nempe alias in lectis dormitoriis, quod alii notarunt. Pulvinum memorat & Seneca in de Consolat. ad Martian. cap. 16. *Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo urbis loco Clœlia, exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus*. Pulvinum Lipsius hic accipit de lectica, vel pulvino in lectica, nec repugno. Puto tamen & de sella posse accipi. Cæterum lectica pedes etiam habebat, numero quatuor, ut ex lecto funebri, superius depicto colligas. His insistebat, si deponeretur. Pedes hi vulgariter ex ligno. Docet Lipsius ex Catullo.

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Ditiores inducebant argento, quod demonstrat exemplo Athenionis Philosophi, cui Athenæus lib. v. cap. 10. tribuit φορεῖον ἀργυρόπουν, id est *lecticam cum pedibus argenteis*. Addo ego, habuisse etiam ex auro, ex eodem Athenæi loco, verbis, quæ superius adduximus, in quibus occurrunt φορεῖς non solum ἀργυρόποδες, verum & χρυσόποδες. Sed de ornamentis postea loquemur. Videamus lecticas opertas sive tectas. Mentio earum apud Ciceronem Philipp. 11. *At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus*. In his omnia eadem, quæ in apertis, ait Lipsius, nisi quod majorum deliciarum

fuerint, contraque aspectum hominum, sive injurias aeris clausæ undique ac munitæ. Munitæ autem pelle & velo, opere arcuato. Martialis.

> *Lectica nec te tuta pelle veloque*
> *asseret.*

Possumus intelligere hic pellem dictam proprie, vel corium, sicut & in sella, quanquam plus in corium inclinem. Scriptor vetus apud Suidam: Πλέγμα ποιήσαντες, φορείων τύπῳ γυναικείων, δέρμασι βοείοις ἐπιπλάσαντες ἀκατεργάστοις. *Fecerunt contextum simile lecticæ muliebri, coriisque bovinis inelaboratis induxerunt.* Si hæc coria fuerunt ἀκατέργαστα, id est *inelaborata*, rudia, qualia detracta bovibus, ergo pelles. Quanquam auctor ille pelles hic respexerit per festinationem captas, ut opinor, non quales alias in lecticis communiter fuerunt. Nec de his ex isto quidem loco valide colligeretur, nisi aliunde constaret de ipsis. Opus arcuatum probat Lipsius ex verbis Taciti, quæ leguntur lib. xv. An. cap. 7. ubi memorat Epicharin libertam *fasciam in modum laquei ad arcum sellæ* restrinxisse. Sed est ibi sermo non de lectica, verum sella, ut & in superioribus est indicatum. Tamen & lecticam opere arcuato tectam superne fuisse, haud negaverim, cum operiri aliter vix potuisse videatur. Nec fortassis aliter intelligendum πλέγμα Suidæ memoratum, quam de tecto bacillis aut viminibus arcuato, & inducto pellibus. Nam a lateribus quidem habuere fenestras, per quas possent prospectare, docet Lipsius ex his Juvenalis, Sat. III.

> *Namque facit somnum clausa lectica fenestra.*

Quanquam hic de una tantum sermo sit fenestra, non pluribus, contra quam intellexisse Lipsius videtur. Neque puto plures habuisse. Hæ fenestræ vulgo sine vitris fuisse videntur, at in lecticis muliebribus occlusæ vitris lapideve speculari. Unde Poeta idem Sat. IV.

> —— —— *Magnæ si misit amicæ*
> *Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.*

Scholiastes ibi: *Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.* Loquitur ambigue, ostendit tamen, ita claudi consuevisse non sellas solum, verum etiam lecticas. Ceterum si clausæ specularibus aut vitris, aperta fuisse videtur, quæ his specularibus carebat. Ac fortassis, ut in sellis, ita quoque in lecticis alia est tecta, alia vero clausa. Quod enim de velo ait Lipsius, eo tectas fuisse fenestras, neuter docet ex adductis ipsi locis. Aufidius Bassus de morte Ciceronis: *Cicero paulum remoto velo, postquam armatos vidit: ego vero consisto, ait, accede veterane, & si hoc potes saltem recte facere, incide cervicem.* Hic vela cerno, fenestras video nullas. Dicit quidem Lipsius de Cicerone: In Lectica & quidem tecta interfectum. At de tecta nominatim hactenus non observavi quenquam agere. Igitur & superne tectam facile largimur, clausam tamen specularibus aut fenestris difficulter possumus intelligere. Sane si hoc modo clausa fuisset, non fuisset satis, removeri velum, sed & aperiri fenestram. De fenestra vero nemo loquitur. Quare clausa illa quidem vitreis fuisse non videtur, verum solis velis a lateribus instructa, quæ obtendi removerive possent, pro arbitrio. Vela *plagulas* appellavit Suetonius in Tito cap. 10. *Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum.* Nullam hic fenestram aperit, sed solis plagulis dimotis cernit cœlum. Aliæ sunt *plagæ*, quarum Nonius facit mentionem, nec confundere cum his Lipsius debuit. Verba ejus: *Plagæ, grande linteum, tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam Sindonem dicimus.* Sindon lecticaria non est hoc loco, qua lecticæ occluduntur fenestræ, quod putavit Lipsius, sed qua obvelantur lecti. Docet vox toralis, quæ plane hoc significat, quod dixi. Nonius: *Torale & toralium stragulum est.* Glossæ Philoxeni: *Torale*, περικλείνιον. Vidit & Torrentius ad indicatum Suetonii locum. *Plagulæ*, inquit, *non totum illud lecticæ tegmen, sed quibus fenestra lecticæ obtegitur.* Recte plagulas a plagis secernit, quoniam res diversissimæ fuerunt. Quanquam plagulas fenestris, quales quidem ipse hic intelligit, ex vitro specularibusque fuisse obtentas frustra credi jam ostenderim. Sed nec illud placet, quod hic tegmen quoddam facit lecticæ. Quis enim id legit hactenus, vel ubi fuit? Nempe non distinguit gestatoriam lecticam a lectica dormitoria seu cubiculari. Dormitoria tegmen habuit ejusmodi, non gestatoria. Dormitoria fuit ea, in qua lectus reponi solebat; sponda vulgo nuncupata, licet sponda esset ex tabulis ligneis, hæc ex herbis. Varro: *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiam nunc fit in castris. Lectos, ne essent in terra, sublimes in his ponebant.* Hic lectica non est, qua gestantur, sed qua cubant somni causa. Ea quondam facta ex stramentis, tortis videlicet consutisque, mattæ instar, inque ipsa lectus, qui torali sternebatur vel integebatur. Nihil tale fuit in lectica gestatoria. Non plagas habebat, verum plagulas, obductas lateribus. Sive autem plagulas has removerent, sive attollerent fenestras, *aperire lecticam*, ut opinor, dicebantur. Sic accipio Propertium, quando ait lib. IV. el. 9.

> *Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,*
> *Aut lectica tuæ sudet aperta moræ.*

Verba Cynthiæ sunt ad Catullum. Vult, eum lecticæ nulli moram injicere, donec aperiatur, ut cum ea, quæ recumbit intus, possit confabulari. Cave, ait, ne lectica sudet *moræ tuæ*, hoc est, propter moram tuam, quam tu injicis. *Sudet* autem propter lecticarios, multo cum sudore sustinentes lecticam, propter moram per confabulationem tuam injectam. Ita locum hunc expono, & si confabulandum esset, prius aperiendam lecticam hinc observo. Lipsius pro *sudat*, exhibuit *sidat*, indeque correxit:

> *Aut lectica tuæ sit adoperta moræ.*

Sed non video, quid ista sibi velint. Explicavit quidem Lipsius hoc modo: *Nolo*, inquit Cynthia, *collum flectas ad summam caveam, ubi feminæ: nolo etiam lectica per viam te moretur clausa, ne curiose inspicias, quæ aut qualis vehatur.* At si clausa, quod vult Lipsius, & adoperta, qui morari potuit, quippe quæ ne quidem inspici dabatur? Docet satis Ovidius lib. II. de Remedio amoris.

> *Forte aderam juveni. Dominam lectica tenebat:*
> *Horrebant sævis omnia verba minis.*
> *Jamque vadaturus, lectica prodeat, inquit.*
> *Prodierat. Visa conjuge mutus erat.*

Hic non videt nec agnoscit conjugem in lectica clausa, donec prodiisset. Ergo quamdiu non aperitur, neminem morari lectica talis valet. Nec

enim an omnino aliquis in ea vehatur, sciri potest. Non igitur de clausa vel adoperta sermo apud Propertium, sed aperta, eo, sicut dixi, modo. Ut vero ne aperiri quidem posset, consutam aliquando legimus. Suetonius Tiberii cap. 64. *Nurum ac nepotes nunquam aliter post damnationem, quam catenatos, obsutaque lectica, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam vel consistere*. Libri veteres, ut Torrentius observat, habent *obsitaque* non *obsutaque*, quod significaret, *cinctam, circumdatam*. Verum quia *obsitum* sic absolute non usurpant, verum addunt vel *milite*, vel *custodia*, vel alia quacunque re, illud *obsutaque* puto esse probum. Nempe quæ si *obsuta lectica* non intelligebant, qui pro ea *obsitam* scripsere. *Obsuta* est *consuta*, suturaque junctis plagulis coriisve ita clausa, ut nec exterius possit aperiri, nisi rupta sutura. Et hoc voluit Tiberius, ne cuiquam nurus nepotumque tristis facies moveret animum, ne quem ipsi ad commiserationem sui & auxilium possent implorare. Invenimus autem has lecticas etiam ornatas, sive apertæ forent, sive non apertæ. Pedes aureos, argenteosque supra memoravimus in illis. Ipsas quoq; cultas bracteis est verosimile. Talis Antonini apud Herodianum lib. v. c. 8. Τὸν Ἀλέξανδρον, συγκαθεσθεὶς αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ ἦν χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθων τιμίων πεποίκιλτο. Politianus hæc sic reddidit: *Alexandro secum in vehiculo Imperatoris considente, quod erat auro multo gemmisque exornatum*. Ambigue. Nam & lectica inter vehicula. Scholiastes vetus Horatii lib. I. Sat. 2. *Lectica, vehiculum*. An intellexit currum? Atqui semper alii vel lecticam explicant, vel sellam. Appianus lib. IV. B. C. ubi agitur de Ciceronis proscripti fuga imminenteque cæde. Οἱ θεράποντες ἐκ φορείου ἐνθέμενοι τὸν Κικέρωνα, αὖθις ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἦγον. Plutarchus de eadem re in vita Ciceronis. Τὰ μὲν δεόμενοι, τὰ δὲ βίᾳ λαβόντες ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν. At hoc Brutidius Niger ita explicat Latine apud Senecam in Suasor. *Elapsus interim altera parte villæ Cicero, lectica per agros ferebatur*. Quæ Græcis φορεῖον, ea huic *lectica*. Onomasticon Argentoratense. *Lectica*, φορεῖον. Philoxenus similiter. *Lectica*, φορεῖον. Ad eundem modum legas & in Glossis Benedicti. Glossæ Græco-Latinæ; φορίον, *lectica, feretrum*. Itaque vix dubito, quin lectica sit intelligenda in Herodiano. Cum præsertim Antonino huic, id est Heliogabalo conveniat. Equidem & Lampridius de eo c. 29. *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis*. Sed & hic non carpenta solum ac id genus alia cum rotis, verum etiam lecticæ sellæve poterunt intelligi. Auream lecticam usurparunt Indiæ reges. Curtius lib. VIII. c. 9. *Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat*. Atque sic ornatas habuisse intelligimus eos, qui in eminentiori dignitate fuerunt constituti. Reliqui vulgaribus minusque cultis utebantur. Qui fortassis & angustiores habuere. Inde namque nomen etiam *lecticularum*, quod angustæ forent. Tacitus Hist. III. c. 67. *Simul ferebatur lecticula parvulus filius, veluti in funebrem pompam*. Usurpavit & Tullius modestiæ gratia, quod ipsum ostendit, minus arrogantes superbosque lecticas habuisse minores. Verba ejus lib. VII. ep. I. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta & tuere, ut facis, ut nostras villas obire, & mecum simul lecticula circumcursare possis*. At elatiores habuerunt laxas. Inde ludus Martialis lib. II. in Zoilum.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Cæterum qui lecticis hisce utebantur, cubare in illis resupini fere solebant, contra quam fiebat in cathedris sellisve, uti supra monui, Lipsiusque docuit ex Ovidii lib. I. de Arte.

Interea, sive illa thoro resupina feretur,
Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Cui nunc addo Ciceronem, qui similiter in III. Verri. de Verre: *Artagathum & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat*. Et quoniam cubabant, inde apud Senecam *cubile* pro lectica. Verba ejus lib. III. de Benef. cap. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus*. Cubabant autem in pulvino plumis farcto, quod superius ostensum est. Lecticam portabant servi per asseres ante dictos, impositos humeris vel cervicibus. De asseribus testatur Martialis:

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

De humeris & cervicibus Plinius in Paneg. c. *Ante te principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu usum pedum amiserant. Illos ergo humeri cervicesque servorum super ora nostra vehebant*. Dicit, *super ora nostra*, quia lectica eminebat supra homines ambulantes vulgo, & præsertim is, qui in ea ferebatur. *Supra capita* dixit Seneca, qui & *suspensum lectica* vocavit, quod in alto super humeros bajulantium esset collocatus. Verba ejus ep. 81. *Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit*. De cervicibus cognoscimus, præterea ex Luciano, qui sic in Cynico: κελεύετε τοὺς ἀνθρώπους ὥσπερ ἁμάξας τὰ κλίνας τοῖς τραχήλοις ἄγειν. *Jubetis homines, ut lecticas tanquam currus ferant in cervicibus*. Et ex Juvenalis Sat. VI.

Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Scholiastes ibi: *Vehitur, id est, in lectica*. Unde constat, sic lecticam ferri solere. Quare falsus est Gonsalius ad Arbitrum, qui putavit *lora a collo pendentia ponderi minori cum labore sublevando interdum superaddita* pag. m. 103. Locus Martialis, quem hoc fine laudat, nihil tale dicit. Extat lib. II. epigr. in fictum divitem.

Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella, linteisque lorisque.

Sermo hic est primum non de lectica, verum sella, de qua itidem haud constat, gestatoria ne sit intelligenda, num vero sedentaria. Deinde lora illa non dicuntur facere ad gestationem, sed spectare ad sellam; propter ipsa linteaque sella nominatur recens. Denique hæc lora Lipsius de vinculis accepit, quibus inserantur asseres, non pendentia a collo gerulorum, sed colligata in lectica. Quare lora nil huc faciunt. Ostendunt potius, ut arbitror, structuram sellæ plicatilis, quæ linteo, in quo sedebant, subtenta lora habuit, quibus sustinebatur, sicut hodieque in iis videmus. Ὀκλαδίας Græci appellarunt, uti pluribus a Chimentellio est monstratum. Neque fuit aliud *faldistorium*, quod ipse vocat *genus sellæ humilioris, & plicatilis, sine reclinatorio aut suppedaneo* pag. mihi 89. Disputant de eo eruditi, atque in diversas eunt sententias. Ego nullus dubito, quin pro *faldistorio*, legi *faldistolium* oporteat. Sic enim tota integreque erit Germanicum, a *falde, falte*, quod hodieque *plicam* denotat, & *stol*, quod est etiam nunc *sella*.

Tale *fald'stolium*, seu ὀκλαδίας in summo habuit lora, & super ea corium seu linteum, quæ quia fuerunt recentia, sellam recentem apud Martialem demonstrarunt. Unde nil ex eo de loris a collo gerulorum dependentibus Gonsalius colligere debebat. Servi porro ad negotium hoc capti longiores ac proceri. Sic colligimus ex verbis Juvenalis antea adductis, ubi nominatim *Syros longos* in lectica memorat. Simili ratione habet Sat VI.

—— Ingenti curret super ora Liburno.

Dubitat Lubinus, an de lectica, num vero lecticariis debeat accipere, imo *Liburnum* dictam lecticam putat. Verba ejus ad hunc locum. *Liburnum magnam lecticam dicit, quasi navem, & ejus bajulos liburnos. Est enim navis species a Liburnis populis. Vel intellige de lectica & grandibus e Liburnia servis lecticariis.* Ego vero liburnum de lectica nusquam scio usurpatum. Puto autem Lubino imposuisse Scholiastem veterem, qui sic habet isto loco: *Liburno, a lectica magna Liburnatos & Getulos Liburnos. Ipse, tarde venisse Liburnos, in secundo libro.* Verba hujus *a lectica magna* ita intellexit, ac si τῷ *Liburno* explicarent. Ideo *liburnum* dixit esse *magnam lecticam*. At hæc mens non fuit Scholiastæ, quasi a liburno, id est lectica magna dicerentur liburnati, seu liburni, verum contra Liburnatos & Liburnos esse dixit a lectica. Ubi *a lectica Liburni* sunt, qui eam gestant, quomodo frequentissime habemus *a custodia armorum, a Corinthiis, a stibulis, a pugione, a tabulis* & id genus apud veteres, pro ministris servisque, qui hæc talia curant. Sed qui *Getuli Liburni*, quos hic ipse Scholiastes memorat? Equidem sunt noti satis Getuli, sunt & Liburni, & Liburnos Getulos non puto quenquam observasse. Quare mihi non est dubium, quin legi *gerulos* debeat. *Geruli Liburni* sunt, qui lecticas gerunt. Ita Seneca supra III. de Benef. cap. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis.* Ipse Scholiastes libro secundo, quem laudat, id est Sat. VI. iis verbis: *Tarde venisse Liburnus. Liburnus, nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticæ, quæ liburnata est.* Vocat *liburnatam lecticam*, non, quod esset e Liburnia, sed quod servis Liburnis gestaretur. Gestabatur autem frequentissime a Liburnis, quoniam fuere proceri. Eadem fuit ratio in Syris atque Cappadocibus, quos in lecticis memorat Martialis, & Germanis, quos nominat Tertullianus. Omnes illi populi proceri fuere. De Syris vidimus. De Cappadocibus firmat Fragmentum Petronii Tragurianum p. 34. editionis nostræ. *Habebamus tunc hominem Cappadocem, longum, valde audaculum.* De Germanis præter alios & Tacitus Hist. V. cap. 15. *Germanos fluminibus suetos levitas armorum, & proceritas corporum attollit.* Voluerunt autem omnes istos esse longos, quo magis super alios in lectica sublati extarent, hoc enim decorum, & spectabile putabant. Porro non proceritatem modo, sed & formam decentem in eis spectabant. Ideo Seneca ep. 110. *Hoc ipse mihi dico, quoties occurrit cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.* Accedebat decor vestimentorum, pænulæ præcipue, quod ipsum quoque Lipsius observavit. Seneca de Benef. III. cap. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te pænulati isti, in militum quidem non vulgarem cultum subornati? quo, inquam, te isti efferunt?* Dicit *efferunt*, e domo scilicet in publicum, nec cum Lipsio scribendum *ferunt*. Vocat autem pænulatos non vulgari cultu, unde id colligitur, quod dixi. *Canusinatos* appellavit Martialis lib. IX.

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Scilicet *Canusinati* a *Canusina*, quomodo vocata pænula, quod apud Canusium optime texeretur, sicut ait Cl. Salmasius ad Tertulliani Pallium p. 80. Plinius lib. VIII. cap. 48. *Lana laudatissima Apula. Apulæ breves villo, nec nisi pænulis celebres, circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Fuerunt autem illæ pænulæ lecticariorum rufæ, quales militum. Inde supra *in cultum militum subornatos*, Seneca dixit, quod doctissimus Ferrarius in de Re Vestiaria Par. II. lib. II. cap. 8. diligentissime monstravit. Numerus eorum minimus in qualibet lectica quaternarius fuisse videtur. Ita colligas ex lectica, qua Philologia subvecta est in cœlos apud Marcianum lib. II. In ea namque tantum quatuor, Labor, Amor, Epimelia, & Agrypnia, quod jam Pignorius notavit. Senarium tamen docent auctores, quia fuit frequentissimus. Inde habes illud, etiam Lipsio laudatum: *Quid te Cappadocum sex onus esse juvat.* Istiusmodi lectica *hexaphorus* appellabatur. Cicero in Verrem V. *Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus lectica hexaphoro ferebatur.* Ita habet editio Lambini & Gothofredi. Gruteri vero cum nonnullis aliis *octophoro*. Et convenientius videtur, propter regium lecticæ splendorem. Sive autem hoc, sive illo modo legas, vocem *lecticæ* puto supervacuam, & ex Glossa irrepsisse. Solent quippe alii omittere. Martialis:

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Idem lib. VI. ep.

Invidiosa tibi quam sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Ad eundem modum solent in octophoro. Suetonius Caligula cap. 43. *Iter fecit, interdum adeo segniter, & delicate, ut octophoro veheretur.* Apulejus Apolog. II. *Vectabatur octophoro. Vidistis profecto ipsi qui adfuistis, quam improba juvenum circumspectatrix.* Est autem *octophoros* lectica, quæ ab octo fertur: nam & octo in ea habere solebant. Martialis:

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Maximus hic numerus fuisse videtur, sicut forte minimus quaternarius. Nam quod duos quoque putat gestasse Gonsalius, mihi equidem haud persuadet. Colligit id tamen ex Petronio, qui sic habet: *Procurator insulæ Bargates a cœna excitatus a duobus lecticariis in mediam viam perfertur, nam erat etiam pedibus æger.* Hic Gonsalius: *Tenuiorum olim lecticæ parvæ erant, ut commode a duobus servis possent perferri.* Quia lecticariorum hic fit mentio, etiam de lectica cogitavit. Verum non continuo necesse est: Sunt lecticarii Petronio etiam ministri tricliniorum, qui supellectilem curant. Ut in illo: *Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere.* Sunt aliis illi, qui gestant sellas, uti loco alio monstravi. Et possumus accipere de iis, qui solis ipsum gestarunt humeris, fuit namque & hoc usitatum, allusitque Auctor Declamationis in Ciceronem istis verbis: *Quem Jupiter optimus maximus in consilio Deorum admisit, Italia exulem humeris suis reportavit.* Qui sic alios gestabant *succollare*, quique gestabantur, *suc-*

collari dicebantur. Sueton. in Othone cap. 6. *Laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus est.* Casaubonus ita explicat: *Liberi homines in armos & collum receptum eum bajularunt vicibus.* Hoc modo & procurator ille succollatus esse potuit a duobus lecticariis non ad lecticas ferendas, sed lectos in triclinio curandos constitutis, cum præsertim excitatus a cœna dicatur. Neque enim fieri omnino potuit, ut lectica etiam minima, & in ea cubans adultæ ætatis homo a duobus tantum recte gestaretur. Porro sic lecticis bajulandis destinati vocabantur *lecticarii*, ut notum, item *geruli*, ut indicatum in superioribus. Græcis sunt φορειοφόροι. Glossæ veteres: φορειοφόρος, *lecticarius*. Onomasticon Argentoratense κλινοφόρυς reddit. Sed φορειοφόρος habet etiam Plutarchus in Galba. Ἀλλὰ ξιφεσι γυμνοῖς πε[illegible] αὐτῷ τὸ φορεῖον, ἐκέλευον αἰρεῖσθαι, παραφθεγγομένου πολλάκις ἀπολωλέναι, καὶ τοὺς φορειοφόρυς ἐπιταχύνοντες. Ita puto ibi legendum, nisi malis utrobique & apud ipsum, & in Glossis scribere φορειοφόρος. Nam φορεκφόρος, quod nunc in Plutarcho legitur, sine dubio est corruptum. Habebant autem illos lecticarios cum cæteris servitiis sumptu paratos suo. Aliquando munere amicorum, præsertim mulieres. Inde Martialis illud IX. in Lupum.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Minus opulenti conducebant. Habebantque hoc fine Romæ *corpora*, item *castra lecticariorum*, sicut docent veteres inscriptiones. Ubi castra intelligimus certa loca per urbem, ubi stabant parati ad ministerium, si quis vellet conducere. Memoratque P. Victor in Regione XIV. Trans Tiberim, *Castra lecticariorum*. Videntur autem corpora hæc constitisse non tam ex servis, quam conditionis imæ plebeiis, præcipue libertis. Inscriptio vetus.

TI. CLAUDIO
AUG. LIB.
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM CÆSARIS

Nominatim hunc appellat libertum. Quod autem dicit fuisse illum Claudium ex corpore lecticariorum Cæsaris, ignoro, an pertineat eo, ut constet Cæsarem ejusmodi habuisse corpus in usus suos privatos, num vero potius id corpus Cæsaris auctoritate fuisse constitutum in usus publicos & communes. Solebant enim Cæsares auctoritatem suam dare his corporibus. Unde Marcianus l. 3. ff. de Collegiis: *Nisi ex senatusconsulti auctoritate vel Cæsaris collegium vel quodcumque tale corpus coierit, contra senatusconsultum & mandata & constitutiones, collegium celebrant.* De libertis eo minus dubitari posse videtur, quoniam & alias subire lecticas honoratiorum grave non ducebant. Unde Martialis lib. V. epigrammata ad Candidum.

Exigis a nobis operam sine fine togatam,
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo,
Vix ego lecticam subsequar, ille feret.

Quando ait, *vix ego subsequar*, consuetudinem respicit officii, quod supra dixit *operam togatam*. Solebant enim honoris causa comitari lecticas amicorum honoratiorum per vias publicas. Atque hoc intuitu Poeta idem lib. X. epigr. in Paulum.

Lecticam, sellamque sequar, nec ferre recuso.

Uti nota, fuisse consuetudinem eandem in sellis, quod & ex aliis illius locis novimus. Dicit autem ne se quidem recusare lecticam ferre, nempe ipse quoque paulo ante dixerat, se *de plebe Numæ, densaque turba* esse. Unde verosimilius evadit, quod est dictum de libertis. Honorem vero eum sicut viris, ita fæminis præcipue præstabant. Quo respexit illo monito Poeta Ovidius lib. I. de Arte.

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Ac hi quidem, quos Catullus nominavit *homines ad lecticam*. Nam jumenta usurpasse nusquam invenimus. Aliud id fuit genus, quod jumentis ferebatur, ut liquebit suo loco. Recte Lipsius: *Nunquam, nisi homines ad lecticam, aliter, quam in esseda aut in rheda. Si fallo, jumentum ego.* Equidem observo apud Plinium in lectica elephantos. Ita enim habet lib. VIII. cap. 2 *Postea & per funes incessere (elephanti) lecticas etiam ferentes, quaterni singulas.* Vel, ut habent alii, *lecticis etiam ferentes.* Ubi numerus quaternarius homines quatuor exprimere debebat, quia minimum quatuor in lectica fuere. Sed fuit ea lectica non ordinarii vel recepti generis, verum admirationis & spectaculi caussa sic ornata, ut nil derogare queat Lipsianæ observationi. Cæterum lecticæ omnes in promiscuo pene usu viris fæminisque. Cicero lib. X. ad Atticum ep. 12. *Servius Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem. Septem præterea conjunctæ lecticæ, amicarum hæ sunt, an amicorum.* Habes hic lecticas, & in eis viros fæminasque, imo, quod notandum, feminam etiam in aperta. Verum fuit hæc amica ejus, mulier parum pudica, in qua nil fuit mirum. Nam & alias meretriculæ aut podoris prostituti fæminæ solebant. Cicero iterum Philip. II. *Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur.* At cæteræ magis utebantur tectis, sive clausis. Dio lib. LVII. Οὕτω γὰρ τοι κακῶς διέκειτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ κατασίγω ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι. Νομιζόμενον γὰρ πως καὶ τοῖς ἀνδράσιν, ἵνα ποτέ τις αὐτῶν ἀσθενῶς ἔχων ἐκεῖσε εἰσίοι, κατακείμενον αὐτὸν ἐσφέρεσθαι. *Adeo male affecto corpore tum erat (Tiberius) ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in Senatum adveherentur.* Καὶ τοῖς ἀνδράσιν ait, h. e. viris quoque, quod videlicet vulgo magis pertinerent ad feminas. Neque aliud φορεῖον γυναικεῖον opinione mea apud Suidam, verbis, quæ a nobis etiam supra sunt laudata. Πλήγμα ποιήσαντες ἐκλύγων, φορείων τύπω γυναικείων. Dicit contextum illum habuisse speciem, quam lecticæ muliebres, & per *lecticas muliebres* tectas seu opertas intelligit, quod ex loco toto colligitur. Ita Dio rursum lib. LX. Πρότερον δὲ ἄρα ὅ, τε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τι τινὲς ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. *Prius vero Augustus & Tiberius, & nonnulli alii vehebantur in lecticis, qualibus mulieres etiam nunc utuntur.* Hic σκιμπόδια, ὁποίοις αἱ γυναῖκες νομίζουσιν sunt Suidæ φορεῖα γυναικεῖα, id est lecticæ non quælibet, sed tectæ, seu opertæ. Nam σκιμπόδια proprie *lecticæ*, quod jam Lipsius notavit. Adhibebant tamen viri quoque, ut videmus, sed, quod ex superiore loco Dionis intelligimus, vix, nisi ægrotantes, ac infirmi, maxime in urbe. Unde venit explicandum, quod habet Martialis lib. VI. epigr. in Philippum.

Octophoro sanus portatur Avite Philippus
Hunc tu si sanum credis Avite, furis.

Hieronymus Mercurialis ex hoc loco colligi existimat, notatos, qui plures servos in lectica, quam sex numero, habere vellent. *Martialis*, ait lib. III. Gymnast. cap. II. *Philippum quendam insanum vocat, quod ab octo servis lectica ejus ob quandam divitiarum inanem ostentationem per urbem gestaretur.* Sed est falsus Hieronymus Mercurialis. Octophori frequentes satis in urbe fuerunt. Id notavit potius in Philippo Martialis, quod cum esset sanus, id est valens, integrisque corporis viribus, octophoro gestari voluerit. Scilicet octophorus opinione mea fuit muliebris fere lectica, quia tecta occlusaque, ac ex eo ponderosior. At tecta opertaque tantum pro infirmis. Octophorum mulierum fuisse docent plurima scriptorum loca. Apulejus Apologia II. de puella sponsa: *Vectabatur octophoro*. Martialis:

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Quod si ergo vir, præsertim in urbe, utebatur octophoro, vel ægrotus, vel stulte ambitiosus ac delicatus habebatur. Atque huc respexit Martialis in superiori loco, lusitque ambiguitate vocis *sanus*. Si hunc credis sanum valentemque, furis, quia nemo valens tali utitur lectica, inter viros. Ergo necesse est, ut sit non sanus, si non corpore, saltem mente. Et quia octophorus lectica muliebris, ideo in viris notata, nisi ægrotarent. Cum præsertim tarde molliterque incederet. Sueton. Calig. c. 43. *Iter conficit modo festinanter & rapide, interdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur.* Uti tamen observamus, majorem earum apud viros fuisse usum in viis extra urbem, quam in urbe. Sic enim & Verrem legimus octophoro fecisse iter apud Ciceronem. Et quia octophori lecticæ opertæ, ideo id ipsum nominatim de opertis quoque videmus, u sum earum crebriorem in itineribus fuisse. Cicero Philippica II. de Antonio. *Cum inde Romam profi iscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.* Non tam notat, quod sit usus lectica operta, quam quod ea per oppidum iter facere voluerit, contempto omni civium officio, quo eum honorabant. Similis lectica Julii, qua ex prætura proficiscens in Hispaniam avexit Masintham apud Sueton. cap. 71. uti Lipsius judicavit. At in urbe fuit hoc rarissimum. Soli ægrotantes, & in dignitate certa constituti quidem utebantur, præterque ipsos feminæ. De quibus probat amplius & Juvenalis illo versu:

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Item, Ovidius lib. II. de Remed. Amoris, ubi describit conjugem lectica prodeuntem, quam maritus ante videre non poterat. Habet quoque Martialis, quæ huc faciunt, & a nobis explicata sunt in superioribus. Præter viros autem & mulieres observo seorsum lecticis gestari solitos pueros ætatis necdum adultæ, etiam post introductum usum sellarum, quorum usus eis non permittebatur, antequam adolevissent. Huc respicitur eo Suetonii loco ex Domit. cap. 2. quem & alias laudavimus. *Ob hæc correptus, quo magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamque ejus ac fratris, quotiens prodirent, lectica sequebatur.* Dicit ætatis admonitum, per lecticam, in qua ferebatur, quod intelligi non potest, nisi eo modo, quia pueri impuberesque non sellis, sed lecticis vehebantur. Ideo & apud Tacitum Hist. III. cap. 67. de Othonis filio sic legitur: *Simul ferebatur lecticula parvulus filius.* Ferebantur autem non unus solus semper quod in sella videtur factum, sed & plures. Suetonius de Nerone vita ejus cap. 9. *Ac deinceps ejusdem* (matris) *sæpe lectica per publicum simul vectus est.* Cicero lib. X. ad Atticum ep. 12. *Servius Cytheridem secum lectica aperta portat.* Et lib. II. ad Q. Fratrem ep. 9. *Marium autem nostrum in lecticam me hercule conjecissem, non illam regis Ptolemæi Anicianam. Memini enim cum hominem portarem ad Bajas, Neapoli, octophoro Aniciano, machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, & pæne ille timore, ego risu corrui.* Locus elegans, & qui firmat partim octophorum lecticam esse, partim, quod superius observavi non apertam, verum tectam, & has tectas ab iis, qui vehebantur potuisse aperiri. De cætero sic fuisse clausas, ut quid foris ageretur, minime possent cernere. Quomodo hic Ptolemæus nihil scit de comitatu suo certumque illis machærophoris, priusquam lecticam aperuisset. Liquet autem simul in eadem lectica vectum & Ptolemæum regem, & Ciceronem, nec enim timorem illum ejus alias hic potuisset deprehendere. Denique fuisse lecticam non Ciceronis, sed Anicii alicujus, ut opinor, quam propterea *Anicianam* appellavit. Ac fortasse scripsit Cicero non *Marium nostrum in lecticam*, verum *nostram in lecticam*, ut esset manifestior oppositio inter τὸ *nostram* & *Anicianam*, liqueretque, Ciceronem pro se non usum octophoro clausa, sed lectica aperta, ut solebant cordatiores, quippe in qua nil posset istiusmodi accidere Mario, quod acciderat regi Ptolemæo. Nam eodem fere modo scripsit quoque lib. VII. ep. I. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis, ut nostras villas obire, & mecum nostra simul lecticula concursare possis.* Delent illud *nostra* cum tamen veteres codices fateantur agnoscere. Sane si lectica vehi Marius (ad quem hæc epistola est scripta) non eodem debuit cum Cicerone, concursare etiam cum eo non potuit. Videtur enim *concursare* isto loco non solum significare socium itineris præbere, sed & confabulari, colloqui, quoniam præcedit; *docebo profecto, quid sit, humaniter vivere.* Quicquid sit, hoc manifestum est, plures etiam lectica una eademque vehi consuevisse. Nec fortassis aliter exponi debet illud Juvenalis I. Satyra.

—— Dentissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.

Ut sit *densissima, plena hero, uxore, liberis*, quod Lubinus censebat. Lecticarum porro usus vetustissimus in viis erat extra urbem. Ita videmus vel illius juvenis exemplo, qui temporibus Gracchanis iter lectica fecit Romam. Sed & postea Verres & Cicero ipse usi sunt lecticis in peregrinatione, uti constat ex superioribus. Neque viris modo ea consuetudo, verum multo magis feminis, si faciendum esset iter. Sic enim & Servius uxorem suam gestari facit lectica apud Ciceronem X. ad Atticum ep. 12. Postea res est translata & in urbem, quod sub tempore Julii Cæsaris Lipsius existimat cœpisse. Ubi quidem brevi tempore invaluit adeo, ut is ipse Julius legem scribere cogeretur, promiscuumque illarum usum tollere. Verba Suetonii cap. 43. *Lecticarum usum, item con-*

A *chyliatæ, vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, ademit*. Eusebius in Chronicis hæc sic exponit. *Prohibitæ lecticis uti margaritisque, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta*. Quibus verbis intelligimus, legem eam respexisse feminas potissimum, fortassis, quod in viris necdum ita usus lecticarum factus esset frequens, neque usurparent fere, nisi languidi ac ægrotantes, Cæsare, paucisque potentioribus exceptis. Videnturque huc spectare verba Dionis supra etiam laudata, & lib. LVII. *Tiberius adeo male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam il-*
B *latus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in Senatum adveherentur*. Docet autem Eusebius personas illas certas fuisse, quæ haberent maritos, justoque matrimonio sublatos liberos. Unde constat, ante usurpasse etiam innuptas, nec has modo, sed & meretriculas. Deinde ne illis quidem omnibus concessum lecticarum usum, sed si excessissent annum quadragesimum ætatis. Qui vero dies illi certi fuerint, per quos concessus mansit usus ille, id Eusebius haud declarat. Ego suspicor, sacrorum & ludorum publicorum dies fuisse. Ac huc traho illud Propertii lib. III.

C

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum
Nec lectica tuæ sudet operta moræ.

Docet sane, his lecticis adire theatra consuevisse. Idem firmat Juvenalis Sat. VI.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Equidem hic sermo est de sella, sed illius fuit eadem cum lectica ratio, & lecticæ loco cœpit usur-
D pari. Denique cum lecticarum usus promiscuus prohiberetur, sellas surrogasse videntur. Ita factum, ut Tiberii ævo lecticæ mulieribus desinerent in usu esse, solis Senatorum uxoribus exceptis. De quo Dio lib. LVII. agens de Libone Druso. Νοσήσαντα δὲ ἐπὶ θάνατον ἔν τε σκιμποδίῳ κατεστέγῳ, ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. *Cum vero ægrotaret ad mortem, lectica operta, quali utuntur Senatorum uxores, in Senatum delatus est*. Quanquam postea per æmulationem harum cœperit revocari. Quo fortasse respexit Juvenalis, qui sub Nerone scripsit:

E

Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Nisi hanc quoque velimus Senatoris conjugem fuisse, quia magnam nominat amicam. Nam & illa, quam cum viro dicit venisse ad petendam sportulam, fuit Senatoria, lib. I. id quod Scholiastes quoque vetus ibi observavit. Quicquid fit, Domitianus saltem usum earum fœminis probrosis ademit. Suetonius in vita ejus cap. 8. *Probrosis*
F *fœminis lecticæ usum ademit*. Ubi puto non tam meretrices significari per *probrosas fœminas*, ita enim hac locutione minime fuisset opus, & jam ante ipsis fuit hoc prohibitum per legem a Tiberio latam, quam ex nuptis eas, quæ cum alienis consuevissent viris, ac ob stupra vel adulteria palam essent infames. Porro non in fœminis solummodo circa usum lecticarum observatum, ne promiscuus foret, verum etiam in viris: Disco ex Suetonio, quando de Claudio cap. 28. *Libertorum præcipue suspexit & Harpocram, cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi jus tribuit*. Ostendit clarissime hic locus, libertis, etiam Cæsaris, lectica vehi per urbem minime concessum fuisse. Solos ergo pertinebat ad ingenuos, ac ne illos quidem omnes, ut jam ex superioribus conjicitur. Quod si præterea uti ea voluere alii, hoc seorsum impetrare a Principe debuerant, qui nimirum contra latas ea de re leges jus habebat conferendi hujus beneficii. Non tamen ad Consules solos, quod quis suspicari possit eo, quia Mamertinus cap. 30. vocat *lecticas consulares*. *Pæne*, inquit, *intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas consulares jussit inferri*. Nam lecticas consulares puto hic accipiendas, quia iis consules tum vehebantur, non, quod soli consules. Quin imo Chimentellius non lecticas ibi, sed curules sellas putat exponendas. Sed obstare videtur, quod præcedit, *pæne intra ipsas Palatinæ domus valvas*. Nam curules non solum *pæne*, sed *omnino* ac revera intra valvas eas ferebantur. Neque sedes alia Consulibus in Senatu & Palatio, quod ille ipse testatur. Igitur ibi sermo de lecticis veris, quibus Consules futuri deferebantur ad curiam. Postea demum sequitur de curulibus. *Et cum honori ejus venerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes*. Hic non est *sedile*, quod paulo ante vocavit *lecticam*, nam de alia re agitur. Supra memorabat aditum Consulum ad Palatinam domum, hic vero abitum. Tum erant Consules futuri, nunc confirmati. Quare verba ista puncto etiam majore a superioribus dividi debuerunt. Quanquam ergo Mamertinus dixerit lecticas Consulares, tamen usus earum pertinuit & ad alios, ut Senatores, quod exemplo Senatoris sportulam petentis apud Juvenalem patet. Nec his modo, sed Equitibus etiam, ditioribusque aliis concessus lecticarum usus, ut exempla docent. Fiebatque hoc non pompæ semper gratia, sed quandoque jusus alicujus caussa. Nam & legere in ea, imo scribere etiam solebant. Juvenalis Sat. III.

—— Ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.

De lectica loqui certum est, docetque præter Scholiastem versus sequens ipsius Juvenalis, quem adducam in sequentibus. Igitur hic quærat aliquis, qui scribere potuerit, cum in ea cubarent, quod superius est dictum, ut cubarent resupini? Verum non existimo, fuisse perpetuum ut jacerent resupini, contra viros præsertim in sinistrum paulo inclinatos cubuisse latus, quomodo & alias solebant cubantes legere ac scribere in lectis, ut testatur Suetonius in Augusto c. 78. & ibi Casaubonus, ut nil miri, vel insoliti hic cogitari debeat. Docet Juvenalis, non modo legere ac scribere, sed & dormire in lecticis suevisse, additque caussam:

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Dicit, somnum conciliari, si claudatur fenestra, obducto scilicet velo, credo, quod sic fierent obscura intus omnia, & tenebris nocturnis similia. Solebant lecticis uti sui occultandi gratia. Quomodo de Antonio Tullius Philipp. II. *Obviam ei processit magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus*. Noluit a quoquam salutari, propterea se intra clausam abdit lecticam. Similiter clientem suum Cæsar abdit in-

dit intra lecticam. Suetonius cap. 71. *Masintham nobilem juvenem & abstrahentibus statim eripuit, occultavitque apud se diu: & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim prosequentium fascesque lictorum lectica sua avexit.* Videntur & in noxiis hoc observasse, quando trahebantur ad supplicium, præsertim si fortunæ conspectioris essent. Tacitus III. An. cap 14. de Pisone, parricidii insimulato. *Igitur inditus lecticæ & a tribuno prætoriæ cohortis deductus est, vario rumore custos salutis an mortis exactor sequeretur.* Hic aliqui credunt Pisonem lecticæ inditum abstrahi ad suplicium capitale, quod non potuissent, si non interdum sic fuisset receptum. Ægrotantes vectos lecticis, alias jam demonstravi. Tacitus de Libone II. Anal. cap. 29. *Die senatus metu & ægritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiæ.* Nota, non in ipsam curiam, sed ad fores curiæ sic delatos. Debetque hinc exponi Dio, quando rem eandem explicans lib. LVII. sic ait: Νοσήσαντα τὸ ἐπὶ θάνατον εἶτε σκιμποδίῳ καταστέγῳ ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. *Cum vero ægrotaret ad mortem, in lectica operta in Senatum delatus est.* Illud ἐς τὴν γερουσίαν non sic debet accipi, quasi lectica ejus collocata fuerit in medio Senatu, sed ut Tacitus explicavit, qui propterea in sequentibus *innixum fratri* dixit. Neque aliter intelligo eundem, quando de Tiberio simillima locutione lib. LVII. οὕτω γάρ τοι κακῶς διέκειτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ καταστέγῳ ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι. *Adeo male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit.* Lectica latum arbitror non in ipsam curiam, sed ad ejus fores, nam in ipsam quidem ferri quenquam, receptum non fuisse puto. Sed hi quidem ægrotantes usi lecticis, quia pedibus incedere haud poterant. Alii id faciebant eo, ut hoc motu recuperarent valetudinem. Ut phthisici, quibus suadet Celsus lib. III. c. 22. Verba ejus post recensionem aliorum: *Si navigationem aliqua res probibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est.* Alexander Trallianus etiam hydropicis commendat lib. IX. Κίνησις δὲ εἴπέρ τι ἄλλο, τοῖς ὑδεριῶσι συμβάλλεται, καὶ μάλιστα ἡ διὰ θαλάσσης, καὶ ἵππου, καὶ λεκτικίου. *Motus, si quid aliud, hydropicis conducit, præcipue qui fit per mare, equum, & lecticam.* Quibus verbis simul discimus, recentiores Græcos appellasse λεκτίκιον, quod Latini *lecticam*. Alii prævenire hac exercitatione morbos quærebant. Quanquam in multis fuerit mollitiei ac luxuriæ prætextus iste. Unde Seneca de Brev. vitæ c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt.* Ac hæ quidem sunt lecticæ, quarum inter instrumenta gestationum sive in urbe, sive extra eam in viis itineribusque crebro veteres injiciunt mentionem. At præter has habuerunt foris quidem lecticas militares, domi vero lucubratorias & funebres. Lecticarum militarium vetus mentio, longeque ante, quam in urbe cœperunt innotescere. Pertinebantque ad duces fere ægros ex vulneribus, vel caussis aliis. Ita Cn. Scipio tragula confixus in aciem delatus est lectica. Livius lib. XXIV. cap. 42. *Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit.* Et jam ante bello Punico primo etiam in prælio navali usus est Lutalius. Attilius de eo apud Valerium Maximum lib. II. cap. 3. *Consulem* (Lutalium) *ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum.* Non erant hæ lecticæ, quales postea in usu esse cœperunt, sed plane rudes & tumultuariæ, lecto in colligatos quoquo modo afferes conjecto. Quali genere jam olim usi etiam in urbe, si qui ægroti necessario in publicum venire deberent. Auctor virorum illustrium de Appio Claudio Cæco. *Quum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam pretio quæreretur, senex & cæcus lectica in Senatum latus turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.* Nulla cogitari hic lectica debet, qualem in superioribus descripsimus, sed subitaria, & in hunc unum diem parata. Plutarchus rem commemorans eandem in vita Pyrrhi ita habet: Ἔνθα δὴ Κλαύδιος Ἄππιος ἀνὴρ ἐπιφανὴς, ἀπὸ δὲ γήρως ἅμα καὶ πηρώσεως ὀμμάτων, ἀπειρηκὼς πρὸς τὴν πολιτείαν καὶ πεπαυμένος, ἐπαγγελλομένων τότε τῶν παρὰ τοῦ βασιλέως, καὶ λόγου κατασχόντος ὡς μέλλει ψηφίζεσθαι τὰς διαλύσεις ἡ σύγκλητος, οὐκ ἐκαρτέρησεν, ἀλλὰ τοὺς θεράποντας ἄρασθαι κελεύσας αὑτὸν, ἐκομίζετο πρὸς τὸ βουλευτήριον ἐν φορείῳ δι᾽ ἀγορᾶς. Γενόμενον δὲ πρὸς ταῖς θύραις, οἱ μὲν παῖδες ἅμα τοῖς γαμβροῖς ὑπολαβόντες καὶ περισχόντες εἰσῆγον. *Appius Claudius, clarus vir, qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens, republica abstinebat, accepta regis legatione, & rumore dilato, decreturum Senatum pacem, non potuit sibi temperare quin servis juberet, ut tollerent se & lectica per forum deportarent in curiam. Ut ad valvas pervenit, exceperunt eum filii pariter ac generi, cingentesque latera ejus introduxerunt.* Quod auctor Latinus vocavit *lecticam*, id Plutarchus nominavit φορεῖον, hoc est qualecunque instrumentum, quo quis possit gestari. Unde quoque generali voce *gestatorii* exponitur in Onomastico Argentoratensi. *Gestatorium*, φορεῖον. Dicit autem isto gestatorio deportatum non in ipsam curiam, sed ad valvas ejus, sive januam, tum sustentatum a filiis generisque, qui eum tenebant ulnis complectentes latera & tergum, & humeris subeuntes armos brachiaque ejus. Hic enim est ὑπολαμβάνειν & περιέχειν, non *excipere*, & *latera alicujus cingere*, quod interpres putavit. Quod propterea notamus, ut & confirmemus, quæ de consuetudine hac diximus in præcedentibus, & simul Auctoris Latini verba non aliter accipienda esse ostendamus. Nam *latus in Senatum*, non significat in ipsam curiam, sed ad fores, πρὸς ταῖς θύραις, ut Plutarchus loquitur. Denique a servis suis dicit gestatum, quo simul cognoscimus, etiam ad hoc genus homines adhiberi consuevisse. Meminit ejusmodi lecticæ etiam Livius in Atinii historia lib. II. cap. 36. *Consensu inde haud dubio omnium qui aderat, in forum ad Consules lectica defertur.* Cicero sic habet lib. I. Divin. *Illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum.* Vocat *lecticulam* tanquam vilem, & subitariam. Tali utebantur etiam in bello, videturque habuisse Augustus in acie Philippensi. Lactantius profecto lib. II. cap. 7. *Cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo, abstinere prælio statuisset: medico ejus Artorio Minervæ species obversata est, monens, ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica illatus est.* Similiter Valerius Maximus lib. I. c 7. eandem rem exponens: *Quod cum Cæsar audisset, lectica se deferri in aciem jussit: ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, castra ejus a Bruto capta sunt.* Uterque lectica delatum scribit in aciem. Ea porro tumultuaria fuisse videtur, quia vera mansit in castris, & ab hostibus confossa discerptaque est. Suetonius cap. 91. *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem, egressus est tamen, amici somnio monitus. cessitque res prospere, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est.* Curtius ad differentiam lecticarum cæterarum has nominatim vocat *militares*. Verba ejus extant lib. VII. capit. 6. de Alexandro: *Castris inde*

motis lectica ferebatur militari, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant. Quibus verbis simul cognoscimus, quod & in superioribus est observatum, etiam hoc lecticarum genus non per jumenta, verum homines solitum gestari. Domi habuere *lecticas lucubratorias*. Sic enim Suetonius appellat in Augusto cap. 78. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat*. Hæ lecticæ non fuerunt portatiles, sed eodem fixæ stabant loco, unico huic fini, ut in iis recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni dare operam commodius possent. Nec a lectis differebant aliis, unde *lecti* quoque vocabantur. Plin. V. ep. 5. *C. quidem Fannius quod accidit, multo ante præsensit. Visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis.* Lectus Plinii, in quo studebat Fannius, est lecticula lucubratoria Suetonii, in qua actus diurnos conficiebat Augustus. Itaque lecticæ illæ fuerunt lecti, non tamen triclinares, nec dormitorii, sed studiis dicati, constitutique in Musæis. Gellius *scimpodia Græciensia* vocavit lib. XIX. c. 10. *Memini me quondam ad Frontonem Cornelium pedes tunc graviter ægrum ire visere, atque ibi qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Græciensi, circum undique sedentibus multis, doctrina, aut genere, aut fortuna nobilibus viris.* Lipsius lib. 1. Elect. cap. 191. agens de hoc scimpodio. *Non aliud, quam lecticulam capio, in qua Romano ritu etiam domi jacebant*. Potest quidem videri propter pedum ægritudinem usus eo, verum pertinebat simul & ad studia, horum enim caussa vel præcipue adire ipsum tam frequenter solebant, ut ex aliis Gellii locis intelligitur. Et *ἱερὸν σκίμποδα* vocavit Aristophanes in Nebulis, ubi Socrates Strephiadem in eo facit exercentem litteras, & componentem sese ad discendum. Scholiastes ibi: *Τὸν κράβατον σκίμποδα λέγουσιν Ἀττικοί. Οἱ δέ φασι σκιμπόδιον*. Vides *σκιμπόδιον*, seu scimpodium Gellii esse *σκίμποδα*, hoc est *κράβατον*, sive lectum. Supersunt funebres lecticæ, id est eæ, quibus funera solebant efferri. Nam lecticas seu lecticulas vocasse gestatoria instrumenta, super quæ collocata defunctorum, præcipe honoratiorum, fuerunt cadavera, cognoscimus vel ex Nepote, qui sic vitæ Attici c. 22. *Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funebri*. Fuerunt porro hæ lecticæ non multum diversæ ab istis, quas deinde usurpare cœperunt in urbe, ac a nobis sunt expositæ in superioribus. Demonstravi hoc jam ante, joco Martialis, exemploque bubulci apud Gellium. Addo nunc & verba Ciceronis ex Philippica II. ubi de Antonio: *At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus*. Possit quis hinc suspicari, eas funebres lecticas si non omnes, saltem aliquas fuisse opertas. Videturque magis hinc probari, quam ex loco Dionis Cassii, quam pro hac sententia adducunt viri docti. Nam is quidem nihil docet, quam Sextum Condianum lapsum equo simulasse mortem, mox arietem pro se efferri ac comburi curasse. Verba ipsa; *Καὶ αὐτὸς μὲν ἀφανὴς ἐγένετο. κριὸς δὲ σῶμα ἐς λάρνακα ἀντ' αὐτοῦ ἐμβληθὲν ἐκαύθη*. Hic nil dicitur de lectica tecta, seu operta. *Λάρναξ* sane non significat, sed *capulum*, vel ut Horatius appellat lib. 1. Sat. 8. *arcam*. Et potuit etiam in aperta lectica efferri aries, sed velatus. Nec videntur unquam aliter fecisse. Lectica semper erat aperta, cadaver vero defuncti modo conspicuum, modo tectum velatumque. Neque Cicero diversum docet, quippe qui in verbis, *ut mortuus*, non tam respexit ad lecticam opertam, quam lecticam in commune, illamque Antonii in ea occultationem, silentium, ac immobilitatem, de qua in superioribus jam dixi. Ut proinde sine ratione credi arbitremur, funera etiam tectis lecticis interdum elata. Aliæ namque tectæ lecticæ, alia tecta funera. Hæc nota veteribus, & memorata, illa nunquam, quod ego quidem observaverim. Nam & Gellii locus de adolescente misso ex Asia, & lectica iter faciente nihil amplius monstrare potest, quam præmissus Ciceronis, si vel maxime, quod tamen dubium est, concedamus, lecticam eam fuisse non apertam, verum tectam. Sed de lecticis funebribus ab aliis est actum, itaque ad basternas nunc progredimur.

CAP. VI.

De Basternis.

Basterna non trahitur, sed gestatur. Vossius revellitur. Unde dicta sit. Marcellus Donatus rejicitur. Recentioris est inventi. Palladii ætas. Basterna gestatur a jumentis vel burdonibus. Burdones qui. Dion. Gothofredus bis notatur. Βορτὸν, οἱ Βορδώνες. *Basilica emendantur. Manni ad basternas. Onomasticon Danielis corrigitur. Turnebus rejicitur. Fuit tecta basterna. Isidorus contra Salmasium emendatur. Lectica mannalis. Manni qui. Isidorus denuo emendatur. Burici.* Βόριχοι. *Scholiastes Cruquii notatur. Hinnulus. Ad basternam gestandam duo adbibita jumenta. Basternæ pendebant inter amites. Semper fuerunt clausæ. Caveæ basternarum. Erasmus notatur, & Hieronymus exponitur. Stramenta in basternis. Isidorus explicatur. Epigrammatis veteris lectio dubia. Basternæ pro solis matronis pudicis, in plateis. Eda, seda. Glossæ Isidori emendantur & explicantur Basternæ pars ædium.*

INter gestatoria vehicula sunt etiam basternæ. Isidorus: *Basterna, vehiculum itineris, quasi viæ sterna, mollibus stramentis est posita, a duobus animalibus deportatur*. Clare dicit non trahi, ducive, sed deportari. Et mox demonstrabo pluribus. Ut non satis caute Vossius sic scripserit in Etymol. *Basterna in eo a lectica veterum differebat, quod illa ferretur a servis, hæc traheretur a burdonibus*. Neque enim usquam tracta legitur, sed portata. Quando Isidorus ait sic vocatam, *quasi viæ sterna*, sine dubio nugatur. Ecquid enim illud *sterna*? Num a *sterno*, quia strata mollibus stramentis? Ita *strata* potius debuisset dici. Deinde *Ba* ex *viæ* quoque difficulter nasci potuit. Ut longe verior sit sententia Salmasii, qui vocem ait esse Græcanicæ originis, ac *βαστὸν*, seu *gestamen* significare, quoniam geratur. Verba ejus ad Lampridii Heliogabalum cap. 21. *Quicquid ferendo est, βαστὸν est dictum; unde verbum βαστάζειν. A basto igitur basterna, hoc est φορεῖον*. Convenit & Vossius, qui simul pro *βαστάζειν* Græcos recentiores ait dixisse *βαστάνειν* & *βαστεῖν*. A quo *βαστεῖν*, seu *βαστῶ* sit *basterna*, sicut a *luceo*, *lucerna*, a *cavo*, *caverna*. Neque audiendus Marcellus Donatus videtur, qui a Bastarnis, gente Sarmatica, existimat accepisse nomen, quoniam fortasse ipsis ante fuerit in usu. Nam vehicula nunquam *bastarnæ*, sed *basternæ* scripta leguntur. Quicquid vero sit de basternarum voce res inventionis est recentioris: apud vetustiores enim nemo eas nominavit. Primus, apud quem leguntur, Palladius videtur esse, qui sic habet l. VII. t. 2. *A tergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum.* Palladium æqualem Plinio & Fabio Quint. facit Christophorus Mylæus l. v. Historiæ scribendæ. Johannes Jacobus Frisius conjicit in tempora Ha-

driani: quo cum facere Volaterranus videtur, qui eum proxime post Pliniana tempora vixisse tradit. Quare ista ætate primum invaluerit notitia basternarum, necesse est. Nemo certe ante illa tempora, quod sciam, memoravit. Fuit autem alia basterna, & alia lectica, quia hanc portabant semper homines, ut dixi, non basternam. Basterna enim portabatur a jumentis. Carmen vetus de basterna:

Hanc geminus portat duplici sub robore burdo.

Docet manifeste, portari, non tamen a lecticariis hominibus, ut lecticas sellasve, sed burdonibus. Sunt vero *burdones*, qui Latinis vetustioribus *muli*, nisi quod essent ex equo & asina, cum muli proprie ex asino & equa. Isidorus lib. XII. c. 2. *In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diversis nascuntur, ut mulus ex equa & asino, burdo ex equo & asina*. In Glossario veteri est *vurdo* transmutatione litterarum, quod & in aliis consuevit fieri, ut alibi ostendemus. Ημίονος ἐξ ἵππου θηλίας καὶ ὄνου, *mulus*, *vurdo*. Onomasticon Argentoratense: *Burdo*, ἡμίονος. Atque hinc burdonum mentio in l. 49. ff. de Legat. III. ubi Ulpianus: *Item, legato continentur mancipia, puta lecticarii, vel lectica, vel sella, vel burdones*. Gothofredus putat, pertinuisse ad lecticas, quia proxime præcedit mentio de illis, hincque colligit, etiam burdonibus aliquando portatas, lib. II. Conjectur Sed est falsa hæc sententia, si lecticam veterem intelligas, & non eam, de qua hic est sermo. Nam & ista per lecticam aliquando solet explicari. Neque melius, quod habet de vehiculo in Aureis ex Seneca, pag. m. 107. *Lipsius colligit, jumenta nunquam ad lecticam pertinuisse*: *Quod tamen lib. II. Conject. in bujus* (Senecæ ep. III.) *loci explicatione videor quodammodo confirmasse ex l. Item, legato 49. ff. de Legat. III. nisi, si in illa lege burdones referendi sint non ad lecticam, non ad sellam, sed ad vebicula*. Non intelliguntur hic burdones ad vehicula, sed ad basternas, quarum usus tum inter mulieres increbuit. Græci recentiores βορτονίυς appellarunt, sive βορδονίυς, nec intellexerunt, nisi mulos. Itaque, quod in l. 64. ff. de Leg. III. ex Juliano ita proponitur: *Mulorum appellatione etiam mulæ continentur*: Id Græci sic verterunt, teste Cujacio lib. IX. Observ. cap. 16. Τῷ λεγάτῳ τῶν βορτονίων καὶ αἱ μοῦλαι περιέχονται. Βορτόνιοι manifeste, qui Latinis *muli*. Quanquam malim βορδονίων scribere apud Cujacium, quomodo est & in Synopsi Basilicῶν XLIV. t. 3. cap. 58. nisi quod κορδανιῶν vitiose habeat, pro βορδονίων, nam κερδονιῶν est nihili. Burdones igitur seu muli sunt, qui basternas portabant. Memorantur tamen manni etiam in eis. Inde namque legitur in Glossis Isidori: *Basterna, tecta mannalis*. Ita ibi corrigit Clarissimus Salmasius, cum ante *manualis* haberetur. Fuit idem vitium in Onomastico veteri Petri Danielis, cujus meminit Turnebus XXVIII. Adverf. cap. 5. induxitque virum summum in errorem, ut gestatam manibus existimaret. Verba ejus: *Basterna, tecta manualis. Lecticam puto dici tectam, quæ manibus hominum portabatur, non dorso jumentorum gestabatur*. Fallitur Turnebus, quando manibus gestatam basternam putavit, quod abunde liquet ex superioribus. Ergo legere non *manualis*, sed *mannalis* debuit. Salmasius: *Isidorus in Glossis basternam exponit tectam mannalem, & sic vocat basternam vel lecticam tectam, quæ a mannis portabatur*. Putavit porro *tectam* absolute dictam in Glossis, pro *tecta lectica*. Quod mihi quidem durum valde videtur. Ecquis enim de *lectica* sta-

A tim cogitet, qui *tectam* audit? Potius opinor *lectam* fuisse in antiquo libro, quod cum ignoraret, sciolum fecisse *tectam*. Porro, *lecta* est compendium *lecticæ*, quomodo scimus factum in ducentis locis aliis. Et recte dicitur *lectica mannalis* ad differentiam *lecticæ* sic simpliciter vocatæ, in qua manni nulli. Neque puto valere, si pro altera scriptura laudes etiam Onomasticum Danielis, cum id videatur illud ipsum, quod Isidori Glossas postea nominavere. Cæterum, *mannalis* dicta est a *mannis*. Manni porro sunt equuli, seu equi minuti. Isidorus: *Mannus, equus brevior est, quem vulgo buricum vel buricium vocant*. Ita ibi lego, pro *brunitum* & *brunitium*, quod habent editi. *Buricos* exposuit & Hieronymus in Eccles. cap. 10. *Vias publicas mannibus terunt, quos vulgo buricos appellant*: Ubi *mannibus* posuit pro *mannis*. Sic in Glossis Isidori legitur: *Mannus, buricus. Mannulus, caballus buricus*. At *buricius* est insertione vocalis, sicut fit & in aliis. Græcis pariter sunt βούριχοι. Glossæ veteres: *Mannis*, βουρίχοις. Ita recte habet prima Stephani editio, non βουῤῥίχοις, uti Vossio citatum. Burici autem seu burichi sunt equuli, ut docent Isidori Glossæ, ipseque Isidorus. Igitur & manni erunt tales. Commentator vetus Cruquii, ad Horat. Carm. III. od. 27. *Mannos, equos parvos, burdos, sive buridos*. Item Epod. 4. *Notat Menam nimis mollem & delicatum, qui non pedibus iter ad suos agros faceret, sed equis, non quibuslibet, sed mannis, quod est virorum principum. Manni autem equi sunt, quos vulgo burdones vel burichos nominamus*. Utrobique mannos equos vocat. Et tamen, quod mireris, nunc *burdos*, nunc *burdones* dicit nominari. Nam *burdones* non sunt equi, verum muli, ut superius ostensum. Nec fortassis aliter intelligendi *burdi*, quia vox consuevit flecti nunc in tertia, nunc in secunda declinatione; Quomodo dixerunt *ludius* & *ludio*, *lanius* & *lanio*, *pavus* & *pavo*, *scorpius* & *scorpio*. Nisi putamus mannos dictos equos, non quod essent plene integreque tales, sed quod proxime ad eos accederent. Nempe, qui ex equo asinaque nascebantur, magis referebant equos, aures enim habebant equinas, non asininas. Varro lib. II. R. R. cap. 8. *Hinnus qui appellatur, est ex equo & asina, minor, quam mulus, corpore plerumque rubicundior, auribus ut equinis*. Nota, *hinnum* dictum veteribus, qui recentioribus est *burdo*. Porro, *hinni* nomen est a Græco ἴννος, quod parvum notat equum. Phavorinus: Ιννοι αἱ κολοβοὶ τῶν ἵππων. *Hinni, qui ex equis pumili sunt*. Inde Columella lib. VI. cap. 37. *Qui ex equo & asina concepti generantur, a patre nomen traxerunt, quod hinni vocantur*. Sicut ergo nati ex equo & asina dicti *hinni*, sic, quod denotabat idem, equi sive *equuli*, cum præsertim aures haberent equinas, postea *burdi* & *burdones*; Iidem tamen nuncupati *muli* quoque, quoniam non pleni erant equi. Tum & Gallicum in iis nomen cœpit usurpari, vocatique sunt *manni*. Nam a Gallis eam esse vocem docet P. Consentius, quando ait: *Omne peregrinum, siquidem id jam receptum est, ut Gallorum manni*. Manni porro postea *burici* vel *burichi*. Ut lectica mannalis non sit alia, quam quæ gestata fuerit a burdonibus, quia manni, burdones, burdi, burici, burichi sunt ejusdem generis, hinni nempe, seu parvi equuli, muli tamen, quia geniti ex asina equoque. Videnturque genus hoc adhibuisse eo libentius, quod, cum esset minus, pumilumque, mollius incederet, minoreque ambularet gradu. Et notavit gradum talem auctor Epigrammatis vetusti, in his burdis seu burdonibus, quando ait:

Provebit & modico pendula septa gradu.

Sed quot tandem animalia ejusmodi habuere ad basternam quamlibet? Non nisi duo, quorum unus antecedebat, alter sequebatur. Basterna erat in medio tignis suspensa duobus, quæ utrinque ad latera burdonum erant firmata, eo plane modo, sicut est receptum in lecticis nostris, quas Germani mei *Genften*, Galli *litiere* nuncupant. Isidorus: *Basterna vehiculum a duobus animalibus deportatur*. Dictus auctor Epigrammatis de basterna:

Hanc geminus portat duplici sub robore burdo.

Clare dicit portatam a *burdone gemino*, & portatam *duplici robore*. Ubi per *robur duplex* nihil aliud intelligit, quam asseres duplices sive duos ex robore, a basterna ante retroque procedentes, & claudentes latera burdonum, unum latus dextrum, alterum latus sinistrum. *Amites basternarum* appellavit Palladius lib. VII. tom. 2. *A tergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum*. Comparat temones istos amitibus basternarum, quia erant a tergo, non quod basternæ a tergo tantum haberent, sed quod etiam a tergo; Reliqua vehicula habebant temones tantum a fronte, basternæ etiam a tergo. Deinde, quia erant duo, unus nempe ab uno, alter ab altero latere, nec enim duo a tergo aliter intelliguntur. Unde liquet, quod superius ajebam, in basternis burdones inter hos temones, sive, ut appellat Palladius, amites, ambulasse, ambulasse autem unum a fronte, alterum a tergo basternæ, quia illæ amites a tergo quoque, nec tamen a solo tergo, quia breves, ut procedere ultra burdonem unum non potuerint. Inter has amites basterna ipsa erat suspensa, unde *pendulam* vocavit dictus sæpe auctor Epigrammatis:

Provehit & modico pendula septa gradu.

Cæterum, basterna ipsa nunquam aperta, semper clausa fuisse videtur, quæ secunda ejus a lecticis fuit differentia. Lecticæ multæ erant apertæ, basterna nulla. Certe, ubicunque basternarum mentio, ibi clausæ leguntur. Ideo in Epigrammate basterna, *septa*, quia tecta & occlusa. Et *claudere* matronas dicitur.

Aurea matronas claudit basterna pudicas.

Denique ita continere, ut nemo ipsas, ipsæ neminem in eis queant videre.

Provisum est caute, ne per loca publica pergens
Fucetur, visis casta marita locis.

Ex eadem caussa Hieronymus vocavit *caveas*, in Epist. ad Eustochium. *Præcedit caveas basternarum ordo semivirorum*. Erasmus sic exponit: *Basternas appellavit caveas, quod cancellatæ speciem præbeant cavearum*. Putavit basternas fuisse cancellatas, id est ex lignis cancellatim seu decussatim collocatis junctas & compositas: quomodo avicularum caveæ interdum componuntur. At non ea B. Patris sententia. Caveas dixit, non quod essent cancellatæ, sed quod clauderent mulieres & matronas, sicut feræ caveis claudebantur de quibus Claudianus Pan. III. in laud. Stilic. v. 322. Et sic ipse postea exponit. Respexit huc & Scholiastes vetus Juvenalis, quando verba ejus Sat. IV. *quæ vehitur clauso latis specularibus antro*, explicans, sic ait, uti legitur in MS. Vossiano. *Est basterna vehiculum, unde speculabantur matronæ*. Nam *antrum clausum* de basterna accepit. Basternæ igitur, quantum scimus, semper clausæ, nunquam apertæ, de cætero fortassis non multum dissimiles lecticis, unde & lecticæ, sed ad differentiam aliarum, mannales dictæ, sicut ego quidem colligo ex Glossis Isidori. Neque dubito per hanc ipsam caussam, quin cubuerint in eis, non vero sederint, ut fit in hodiernis. Ac fortassis ideo & *stramenta mollia* in eis memoravit Isidorus. *Basterna mollibus stramentis est posita*, inquit. Nam *stramenta* hic accipienda non sunt, de vulgaribus, quæ ex frumenti culmis, hoc enim non convenit elegantiæ ac dignitati basternarum, sed de stratis, hoc est toralibus & pulvinis, unde quoque *mollia stramenta* nominavit. Stramenta ex culmis omnia ejusdem generis, nec alia aliis molliora, ut in eis hoc epitheto vix opus fuerit. Non sic pulvini & toralia, quæ hac parte inter se differunt plurimum. Dixit ergo *mollia* stramenta, quia pulvinos in eis habuerunt molles atque delicatos. Habuerunt quoque ornamenta sua, quod ex sæpe dicto Epigrammate colligimus, quo aurea commemoratur.

Aurea matronas claudit basterna pudicas,
Quæ radians latum gestat utrumque latus.

Si hæc aurea fuit, aliæ minores vilioresque ornatus sine dubio habuere. Sed quid est, quod dicitur, *gestat latus utrumque latum?* Ita enim legitur id Epigramma editum a Vossio in Etimologico. Puto emendandum ad modum eum, quo est proditum Pignorio in de Servis p. 209. nam Pithœi quidem codicem, unde depromptum est, videre non licuit. Sic autem ipse:

Quæ radians patulum gestat utrimque latus.

Patulum latus appellare videtur, non quod non esset clausum, hoc enim superioribus adversum foret, sed quod esset laxum spaciosumque, nam est verisimile, ut in lecticis, ita in basternis laxitatem commendatam. Et hæ quidem sunt basternæ. Pertinebant autem ad mulieres, easque solas, in quo fuit tertia earum a lecticis differentia. Nusquam certe viros legas vectos basternis. At de mulieribus, præcipue matronis, Epigramma in superioribus:

Aurea matronas claudit basterna publicas.

Ita Ammianus lib. XIV. *Matronæ complures opertis capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt*. Scholiastes Juvenalis in superius laudatis verbis: *Basterna vehiculum, unde speculabantur matronæ*. Matronarum ergo vehiculum basterna fuit, earumque castarum, uti Epigramma docet, quæ iccirco utebantur basternis, quod essent clausæ, nec eas conspectui aliorum præberent, sicut idem Epigramma testatur. Utebantur vero his basternis sicuti lecticis, quando procedendum fuit in publicum. Ideo Ammianus iis ait in superioribus, *per latera civitatis discurrisse*. Et in Epigrammate *per loca publica* basternis *pergere* dicuntur. An & extra urbem? Dubitare prope nequeo, cum habuerint lecticas, quæ majori cum difficultate gestabantur. Et firmare B. Hieronymus videtur. Satis de basternis. Addam tamen unicum, quod observo legi in Glossis Isidori, isto modo: *Eda, basterna*. Hic basterna, *eda* nominatur. Sed quid eda sit, non dixerim. Vulcanius in Notis ad hæc verba solum ita scribit: *alias exedra*. Nam ostendit satis, an in libris alias reperiatur *exedra* pro *eda*, num vero *eda* sit, quod alias vocari *exedra* consuevit. Exedrarum mentio apud

Vitruvium lib. VI. cap. 5. ubi Philander exponit *cellas ad colloquendum aut meridiandum*, & in testimonium adducit locum Ciceronis, ex de Oratore III. At hæ nil ad basternas nostras. Quid dicemus? Puto Glossatorem scripsisse non *eda*, verum *seda*. *Seda* locus est, in quo consident, qui & *sedes*. *Seddam* etiam dixere. *Sessionem* appellavit Cicero de Fin. lib. V. *Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic ejus auditor Polemo: cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus*. Porro *sessio* est *exedra*, ut recte docet Chimentellius pag. III. ac sic sedes quoque, item sedda, vel seda. *Sessionem*, ait, *pro exedra accipio, aut sede, vel loco sedendi, quomodo Latinis ambulatio, cœnatio, gestatio pro loco ipso, non pro actu ambulandi, cœnandi, gestandi, quandoque sumitur*. Talem exedram, quæ & seda, existimo vocatam quoque basternam. Nam basternæ non tantum sunt vehicula, sed & partes quædam ædium, quas projecta sive mœniana vocant. Observavit Cujacius lib. XIII. Observ. cap. 30. *Græci*, ait, *in l. I. de Serv. Urb. protecta basternas, projecta, sive mœniana solaria interpretantur*. Hæc protecta seu projecta exedræ & sedæ, si in eis more ante indicato considerent.

CAP. VII.

De Traheis.

Trabæ, trabæ fuere sine rotis. Trahere quid proprie. Tragæ, tragulæ, traculæ. Jornandis vetus lectio contra Savaronem defensa. Ελκηθρον *Χαμῦλκος. Glossæ veteres emendantur. Sclodia. Jac. Gothofredus notatur. Stludia. Chamulcus.* Κέντρον. *Traduco.* Σλωικη. *Figura trabæ. Jumenta ad ipsam. Usus in agris, & ad exterenda frumenta. Tribula. Columella emendatur. Virgilii lectio vetus contra Eopthræi conjecturam defensa. Plostellum pœnicum. Assis pro axis. Asser. Gellii vetus lectio stabilita. Trabarum usus in glacie. Sangi.* Σλωικη. *Hesychius & Pollux explicantur, & hujus interpres notatur.* Ολκοὶ.

EXposuimus gestatoria vehicula, progredimur proinde ad tractoria, id est ea, quæ non gestantur, verum promoventur attractu. Horum aliqua sunt destituta rotis, ut de quibus nunc agemus, *Trabeas* vocarunt veteres. Servius ad Virgilii Georg. I. *Trabeæ vehicula sine rotis, quas vulgo tragas dicunt*. Vides, nullas habuisse rotas. Virgilii ipsius hæc sunt verba:

Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere rastri.

Ubi tamen notat Servius sic dici per epenthesin, alias simpliciter esse *trabas*. Verba ejus: *Causa metri in hoc nomine epenthesin fecit, ut navita & Mavors, pro nauta & mars*. Atque *trabas*, non *trabeas* vocavit Columella, cujus verba proponemus in sequentibus. Dictæ vero *trabæ* a *trahendo*. Servius ad dictum locum. *Traba genus vehiculi, dictum a trahendo, nam non habet rotas*. Glossæ Mss. veteres hoc loco: *Traba vehiculum est a trahendo dictum: nam rotas non habet*. Quid hæc sibi volunt; *dicta est traba a trahendo, quia rotas non habet?* An, quod illa trahantur sola, quæ non habent rotas? At putabam ego trahi, quæcunque junctis promoventur animalibus, sive rotas habeant, sive non habeant. Virgilius lib. III. Georg. de tauris.

Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.

Suetonius in Augusto cap. 94. *Visus est super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus*. Uterque trahi dicit etiam vehicula, quæ habebant rotas. Ergo magis est, ut *trahere* cum Nonio intelligamus specialiori notione pro *ducere per terram*. Ita enim ipse explicat cap. 4. *Trahere, per terram ducere. Virgilius. Lora tenens, tamen. Huic cervixque comæque trahuntur per terram*. Locus Virgilii ostendit, illud *ducere per terram* sic intelligendum esse, sicut cum cadaver defuncti ducitur, absque omni motu scilicet ac agitatione. Ita non ducuntur cætera vehicula; est enim in eis agitatio, motus, & volubilitas rotarum, ac proinde tali sensu ne trahuntur quidem. Contra res se habet cum trabis, quæ ducuntur sine ullo tali motu. Trahæ igitur a trahendo, tali sensu, quali dixi. Sed non trahæ modo dictæ, verum & *tragæ*, ubi Servius docebat, quanquam a vulgo magis quam a cultioribus. Inde *tragula* apud Varronem lib. IV. de L. L. *De his, quæ jumenta ducunt. Tragula ab eo, quod trahitur per terram*. Scaliger in notis ad hunc locum. *Trabula puto scribendum*, ὑποκορισικὸν *a trabea. vel trabes*. Neutrum necesse est. Nam *tragula* a *traga*. Et sic rustici plebeiique loquebantur, sicut Servius ostendit, qui hoc modo malebant, quia facilius *tragula* pronunciari potest, quam *trabula*. Jornandes scripsit *traculas*, pronunciatione duriori, ut opinor, inductus, si est vera lectio, quam Savaro profert ad Sidonii lib. VI. epist. I. Verba sic habent: *Ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem plaustraque & traculas*. Savaro conjicit, legendum *trabulas*. Frustra, quia permutatione nota litterarum, quæ *tragula*, eadem & *tracula*. Quomodo pro *legere* habemus *lecere*, pro *rogato*, *rocato* apud veteres, ut pridem viri docti annotarunt. Dubitari tamen potest de Savari lectione, quoniam in editione Grotiana publicatum *tragulas* habemus, non vero *traculas*. Verba extant cap. 55. de Reb. Goth. quæ consulat, qui volet. Græce sunt, qui nominatam putant ἕλκηθρον. Sed hoc pars est aratri. Theophrastus V. Hist. Plant. εἰν ἕλκητρα τοῖς ἀρότροις. Traha non est pars aratri, sed vehiculum, & integrum vehiculum, quod ex superioribus cognoscitur. Quare malo credere Glossario antiquo, in quo redditur Χαμῦλκος. Verba ejus: Χαμῦλκος, *trabea*. Sic legendum arbitror pro eo, quod in Stephani editione reperitur, *trabe*, nisi *traba* malis. Porro traham esse Χαμῦλκον etiam ex Philoxeno colligitur, quando vertit *sclodiam*. Verba ejus: *Sclodia*, Χαμυλκὶς. Ita enim recte emendarunt, pro Καμυλκὶς, quod est in Henr. Stephani editione. χαμῦλκος Philoxeno, quod aliis χαμῦλκος, dicit autem denotare *sclodiam*, qua voce hodieque Germani omnesque Septentrionis populi utuntur, in vehiculi hujus appellatione. Ut non dubitem, quin *traba* sit Χαμῦλκος. Nec abludit ratio vocabuli, quia signat id, quod per terram trahitur. Vir summe doctus ad Codicem Theodosianum *carpentum humile* explicavit, cui adstipulari non possum, quia carpentum omne rotis volvebatur. In iisdem Glossis legitur & *stludio*, *Stludio*, Χαμυλκιον. Sed vix credo, esse integram hanc scripturam, maloque *stludia* emendare, neque aliud, quam hoc ipsum genus intelligere. Nimirum vocem barbaram, præsertim in qua plures concurrebant consonantes, non eodem semper scribebant modo, quod frequenter observatur. Inde *sclodia* & *stludia*, quæ Græcis, ut hinc discimus, Χαμυλκὶς, χαμύλκιον, χαμῦλκον. Græcam vocem retinuit & Ammianus lib. XVII. ubi ait, de obelisco loquens: *Defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab urbe sejunctum:*

A *Unde chamulcis impoſitus, tractuſque lenius per Oſtienſem portam, piſcinamque publicam Circo illatus eſt Maximo.* Legimus & κίςρον, genus, ut opinor, haud abſimile. Philoxenus: *Traduco*, κίςρος, ὄχημα δίχα τροχῶν. Dicit ita nominari vehiculum, quod nullas habeat rotas: tale autem traha, ſicut vidimus. Dein Latine vertit *traduconem*: quo ſignificari tale cenſeo, cujus ope quid traducimus, ſeu de loco uno tranſportamus in alium, vel tranſvehimus. At huc pertinebat traha, ut liquebit ex ſequentibus. Quod ſi κίςρος trahea, quod ſuſpicor, notabimus, traham ſive traheam quandoque dictam *traduconem*. Eſt & σλωίκη B vehiculum rotis deſtitutum, ſed num traha ſit, haud dixerim, quia ejus mentionem facit unicus Heſychius, nec aliter exponit. Σλωίκη, ait, ἄτροχος ἅμαξα, Cæterum id, quod Latinis traha dictum, rotas quidem habuit nullas, ſicut ſæpe demonſtravimus. Quæ vero reliquæ illius forma fuerit, non perinde notum. Quia tamen trahi per terram conſuevit, hinc colligitur, rotarum loco duo habuiſſe ligna longa, æquo inter ſe diſtantia intervallo, ab utroque latere decurrentia, ſicut hodieque fit in ſclodiis ſchlædiſve noſtris. His deinde tranſverſe impoſita ligna alia, duo pluravе, quibus, & continerentur iſta duo longa, & ſi quid impoſi- C tum eſſet, cohiberetur. Solebant autem trahas iſtas promovere non humana vi, ſed ope ductuque jumentorum. Quod colligimus ex Varrone, quando ante traham, ſirpeam, arceram, & id genus alia vehicula lib. IV. de LL. præmittit: *de his, quæ jumenta ducunt.* Vult enim monſtrare, ſe deinceps acturum de inſtrumentis non quæ tractentur ab hominibus, ut ante fecerat, ſed quæ trahantur a jumentis. Uſus porro ejuſcemodi traharum primo ruſticus, quod Virgilius oſtendit, qui jungit tribulis & raſtris. Solebant autem iis fere frumentum e ſpicis exterere, ut ex Columella cognoſcimus, qui ſic habet lib. II. cap. 21. *At ſi competit,* D *ut in area teratur frumentum, nihil dubium eſt, quin equis melius, quam bubus ea res conficiatur, & ſi pauca juga ſunt, adjicere tribulam & trabam poſſis.* Columella jungit tribulis, quaſi parum fuerint diverſa. Scilicet & *tribula* vehicula, terendis frumentis deſtinata, unde nomen quoque ſuum habent, velut *teribula*, quoniam terant, & extundant. Servius ad ante dictum Virgilii locum, *Tribula, genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utuntur.* Sic legendum eſt, non ut habet editio Commeliniana, *unde feruntur frumenta.* Servius antiquior: *Tribula genus vehiculi, quo teruntur in* E *area fruges maturæ.* Tribula pluraliter intelligenda ſunt, ut credo, nam & cætera ſunt pluralia apud Virgilium. At contra Nonius ibi facit fœminini generis, legitque *tribulæ*: Verba ejus ſunt in cap. 3. *Tribulæ, fœmininum. Virgilius Georg. lib. I. Tribulæque, trabeæque & iniquo pondere raſtri.* Liquet apertiſſime, Nonium in ſuis libris inveniſſe *tribulæque*, non, ut hodie habetur, *tribulaque.* Sed qui poteſt tum procedere *trabeæque?* Nec enim menſuras ſuas verſus habet. Puto Nonium ſcripſiſſe non *trabeæque*, ſed *trabæque*, ut verſus ille talis olim fuerit apud Virgilium:

F *Tribulæque, trabæque, & iniquo pendere raſtri.*

Id quod non indignum forte, ut notetur. Tribulæ igitur, ſive tribula & ipſa terendis frumentis facta, nec minus vehicula, quam trahæ. Differebant tamen, ut opinor, eo, quod hæc eſſent ex una tantum tabula. Varro lib. I. R. R. cap. 52. *Tribulum fit e tabula lapidibus aut ferro aſperata.* Non ſic traha fuit ſtructa, ſed ex aſſeribus, ut dixi. Sed quid eſt, quod ait, tribulum factum e tabula, *aſperata lapidibus?* Quomodo lapides aſperare illam potuerunt? An ictibus? At ea aſperitas exigua tali quidem fine, ut opinor, neque requirebat plures lapides, ſed unum. Ideo & Erythræus in Virgiliano Indice ſic habet: *Tribulum, tabula ſaxo vel ferro aſperata, qua frumenta tererentur in frequenti etiamnum Italiæ uſu.* Dixit *ſaxo*, non *lapidibus.* Sed ne ſic quidem res aperta mihi videtur. Puto Varronem intellexiſſe tabulam vel lapideam inæqualem, rudem, aſperam; vel ligneam ferramentis extantioribus undiquaque confixam, & ſic pariter aſperiorem. Atque hinc interpretor, quod ajebat Servius, fuiſſe *omni parte dentatum*, non quod haberet dentes longiſſime prominentes, ſicut occæ crateſve noſtræ, ſed quod aſperum ac inæquale. Niſi putamus potius intellexiſſe id, quod Varro nominat *ploſtellum pœnicum* prædicto loco, mihi certe magis hoc arridet. Nam conveniunt ipſius verba, quæ ſic habent: *Tribulum fit e tabula, &c. aut ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant ploſtellum pœnicum.* Habes plane hic quoque opus dentatum. Juvat etiam vocabulum: Nam *ploſtellum pœnicum* idem eſt, ac uſitatum Pœnis. Pœni autem ſunt Puni, notiſſimi Africæ populi, quorum caput olim Carthago. Unde bella Punica, & Pœni pro Carthaginenſibus non ſemel apud Ciceronem, Virgilium atque alios. Quia itaque in uſu fuit apud Pœnos, inde dictum *Pœnicum ploſtellum.* Servius ajebat, *maxime in Africa uſurpari*, quia Pœni ſunt in ea regione. Sed quid *aſſes dentati cum orbiculis* apud Varronem? *Aſſes dentatos* alibi non legi, neque ſcio, qui dentati eſſe queant: Denique, quid hic aſſes faciant, non intelligo, ſi quidem vulgari ſenſu accipimus. An ſcribendum *axes?* Sed codices nil variant. Et obſervo alibi quoque libros veteres habere *aſſes*, ubi poſtea fecerunt *axes.* Sic apud Columellam lib. VI. cap. 19. hodie habetur, *roboreis axibus compingitur ſolum*, cum libri veteres habuerint *aſſibus.* Apud Palladium lib. I. tom. 9. nunc videmus: *Deinde, ut axes quernæ cum æſculeis non miſceantur.* At in libris manuſcr. *aſſes quernæ* reperitur, ex quo quidam *aſſeres* fecere, ſicut & in Columella rectius *aſſeribus* putarunt ſcribi. Verum *aſſibus* & *aſſes* rectum eſt. Nam ſunt *aſſes* veteribus, qui deinde *axes.* Ideo & *coaſſare* dixerunt, quod deinde *coaxare*, quod utrumque etiamnum reperitur. Itaque nec Varro aliter ſcripſiſſe videtur, & per aſſes intellexiſſe axes. Porro, axes nihil aliud, quam tabulæ, ſeu aſſeres. Tales igitur & aſſes. Docetque ipſum vocabulum, quia, ſicuti dixerunt *capparis* & *capper*, *cucumis* & *cucumer*, *ſalubris* & *ſaluber*, *alacris* & *alacer*, ita plane *aſſis* & *aſſer.* Neque aliter res ſeſe habet cum vocabulo *axis*, nam & pro ipſo *axer* uſurparunt. Inde habes *axeris* apud veteres, ab hoc *axer.* Gellius lib. II. cap. 12. *In legibus Solonis illis antiquiſſimis, quæ Athenis axeribus ligneis inciſæ ſunt:* Ita legitur in antiquis libris teſtimonio doctiſſimorum virorum, non vero *axibus*, quod ſcioli ſubſtituerunt. Quando ergo Varro *aſſes dentatos* ſcripſit, perinde eſt, ac ſi *aſſeres dentatos* ſcripſiſſet, qui in hoc differebant a tribulo vulgari, quod illius una eſſet tabula. Tribulum Africanum, quod ploſtellum Punicum vocarunt, fabrefactum fuit ex aſſeribus, illi aſſeres fuerunt dentati, hoc eſt, ut ego intelligo, non leves æqualeſve, ſed in modum ſerræ crebris inciſuris aſperati dentatique. Niſi putes *dentatis* referendum non ad præcedens *aſſibus* apud Varronem, verum ſequens *orbiculis*, ut intelligantur illi aſſeres diſtincti aſperis orbiculis. Talę igitur tribulum fuit Africanum, tale apud

A Italos vulgare. At diversa, ut opinor, traha, quanquam & ipsa ex asseribus, ut tribulum Africanum, nec enim a tribulis distinxisse alias Virgilius videtur. Quemadmodum & a Columella factum. Ac videtur tribulum in imo tigna habuisse plura, sive asseres, quibus incedebat, traha tantum duos. Cæterum ut trahis terere frumenta, ita iis iter quoque facere ac deportare onera consueverunt. Sic enim testatur Jordanes loco etiam superius laudato, ubi de Danubio: *Ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum, plaustraque & traculas*. Quo ex loco simul observamus, usum earum frequentem præcipuumque fuisse in glacie ac nivibus. B Sermo enim ibi est de Danubio congelato & constricto glacie. Atque sic Pomponius Sabinus ad sæpe indicatum Virgilii locum in Georg. I. *Trabea, agricolarum instrumentum, a trahendo. Scythæ appellaverunt sangi: sed est pulchrioris formæ, & supra glaciem utuntur. Rotas non habet, sed trahitur*. Ubi nota *sangi*, Scythicum vocabulum, quod ex Scythis ipsis hausisse videtur, quippe qui notos eos habuit, & Itinerarium Scythicum scripsit. Sed quid *sangi*? Nihil aliud, opinor, quam quod Hesychio σλωνίκη. Quod proinde discimus ex collatione loci hujus esse Scythicum, & significare traham. C Quanquam optime observet traham Scythicam elaboratiorem multo esse atque pulchriorem ea, quæ in Italia est recepta. Scilicet in ea rusticum est vehiculum, at in Scythia omnium, etiam illorum, qui in dignitate magna constituti. Nam cum frequens nix in ea glaciesque, ideo & vehiculum hoc receptum. Atque ita hodieque cernimus in iis populis, quibus nix & glacies infesta. Sumptu ingenti trahas suas excolunt ac exornant. De oneribus super trahas solitis deferri colligimus & ex Ammiano, quando iis obeliscos Romam scribit deportatos. Verba etiam superius laudata: *Chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portam* obeliscus. D Observa, obeliscum unum impositum chamulcis pluribus, id est trahis. Nempe longus fuit, ut traha una eum capere nequiverit. Atque ita factum & in aliis ejusmodi oneribus, ut navibus. Hoc enim voluit Pollux, quando scripsit lib. VII. cap. 33. *Αἱ καλούμεναι χαμουλκοί, μηχαναί, δι' ὧν εἵλκοντο*. Hic *χαμουλκοί* nil aliud, quam trahæ, sicut Ammiani locus manifeste docet. Trahis ejuscemodi imponebantur naves, si de loco uno transferri debebant in alium. Interpres non intellexit: igitur sic ea verba reddidit. *Sed quæ humitractæ dicuntur, machinæ sunt, quibus trahuntur* Quasi *humitractæ* E sit vocabulum earum Latinum. Rectius fecisset, si ad imitationem vocis Græcæ reddidisset *chamulcos*, ita namque Ammianus etiam vocavit. Nescio, annon sint eædem & *ὁλκοί*, nam & his protractæ naves, quod in libris de Militia Navali dixit Hesychius. *Ὁλκοί, οἱ μηχαναί, δι' ὧν αἱ νῆες νεωλκοῦνται*. Certe si vim vocis cogites, *ὁλκοί* quid aliud, quam *trahæ*, ab *ἕλκειν* *trahere*? Nec abludit multum Suecicum vocabulum, nam *Kælkar* nominant. Mihi sane machinæ eædem *ὁλκοί* & *χαμουλκοί* videntur, denique non aliæ, quam quæ apud Latinos dictæ trahæ, sive traheæ.

F

CAP. VIII.

De Unarota & Chiramaxio.

Unarota quem auctorem habeat. Hyginus emendatur. Morari cursum. Pabo. Κλάβη. *Claba. Clabula.* Μονότροχος. *Carruca. Hyginus denuo emendatur. Chiramaxium. Pinellus notatur. Arcuma. Chiramaxium non fuit plaustrum, neque tractum, sed propulsum manibus. Vehiculum manibus actum. Aurelianus medicus exponitur. Usus chiramaxii pro ægrotis. Petronius explicatur.*

Post vehicula sine rotis venio ad ea, quæ subnixa rotis volvebantur. Ex his primo loco memorabo, quæ habebant rotam tantum unicam. Ea Latinis *unarotæ*, inventa a Cerere, a Triptolemo primum usurpata, si Hygino fides. Ita namque habet lib. II. ubi agit de Ophiucho. *Ceres cum sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cujus ipsa fuerat nutrix, (qui primus hominum unarota dicitur usus, ne cursum moraretur) jussit omnium nationum agros circumeuntem semine partiri*. Ita locus hic scribendus est, non, ut habet mea editio, Lugduni a Joanne Degabiano An. 1608. publicata, *una rota*, item, *nec cursu moraretur*. Vult enim Hyginus demonstrare caussam, cur vehiculum id una tantum rota fuerit instructum, festinationem, scilicet, ne mora longiore, si & altera fabricanda esset rota, differretur Cereris beneficium, hominesque diutius adhuc carere frumento cogerentur. *Morari cursum* ita dictum ab Hygino, ut a Tacito III. An. 33. *morari bellum*, a Vellejo II. cap. 80. *morari victoriam*, & id genus alia. Ne ergo Triptolemus imperatum sibi a Cerere moraretur cursum, usus est non *una rota*, quod habent editi; nec enim rota una faciebat iter, sed vehiculo, seu curru, quod ostendunt verba, quæ præcedunt apud Hyginum, in quibus expresse *collocatus fuisse in curru* dicitur, sed *unarota*, hoc est curru sic vocato, quod tantum unicam haberet rotam. Habemus alias *pabonem* ita usurpatum, si est vera lectio, quæ hodie reperitur in glossis Isidori. Sic autem ibi legitur: *Pabo, vehiculum unius rotæ*. Pabo alias secundum permutationem litterarum *pavo* avis est. Itaque in Philoxeno legas, *Pabo, vide pavo*. Sed pavo nihil facit ad vehiculum, ut de Glossis illis valde dubitem, vixque scriptum integre vocabulum existimem. An legendum *Klabo* vel *clabo*, ut sit a Græco κλάβη, quod & ipsum genus est vehiculi? Notæ ad Curopalatem Francofurti editum apud Johannem Mareschallum An. 1588. p. m. 275. *Κλάβη sive κλάπη, squamæ formam habens vehiculum desinensque in orbem pone: cujus diminutivum clabula sive clavula, celox vehiculum, cujus caplus ad squamæ formam in hemicyclum ductus ad ægrotos commode exportandos est commodissimum*. Sed hæc omnia sunt falsa. *Clabula* seu *clavula* nunquam est vehiculum, sed bacillus, a *claba* sive *clava*. *Claba* est a κλάδα. Κλάδα vero ῥάβδος, sive *baculus*. Hesychius: Κλάδοι, κλάδον, ῥάβδον. Ab hoc κλάδα Æolice est κλάβα, indeque Latine *claba*, pro quo & *clavam* usurparunt. Nam *clava* proprie fustis est ex arbore recisus, unde clava Herculea. A *claba* per diminutionem est *clabula*, quod proinde non *vehiculum* significabit, sed *bacillum*. At vehiculum est *clabulare*, quod sic dictum, quia est ex clabulis constructum contextumque, sicut alibi ostendi. Quare frustra hic de *Klabo*, sive *clabo* cogitabimus. Nec succurrit aliud, quod cum *pabone* conveniat, de

quo proinde videant, qui arte divinandi magis pollent. Nobis hoc videtur difficilius, quoniam vix dubitamus, quin ſit barbarum vocabulum, qualecumque denique fuerit, ut alia non pauca illo in Gloſſario. Græci unarotam appellaſſe *μονοτρόχον* videntur. Sic enim habemus in Onomaſtico veteri Argentoratenſi: *Μονότροχος, carruca*. Equidem carruca vulgo genus aliud, & cum rotis pluribus. Puto tamen uſurpatum aliquando laxiori notione, ut ſignarit carrum minutum. Μονότροχος profecto, ſi vocabulum reſpicias, ſignificare poteſt nihil, niſi *unarotam*. Sed quæ unarotæ fuit ſpecies aut ſtructura? Hoc nos docet nemo veterum. Unam tantum habuiſſe rotam conſtat vel ex appellatione. At vero cætera illius ignoramus, nam qui excepto Hygino ejus mentionem fecerit, non opinor reperiri aliquem. Id tamen obſervo, tractam eſſe, non geſtatam, & tractam non ab hominibus, ſed jumentis, ſi modo eadem conditio reliquarum fuit, quæ Triptolemi. Nam ipſius unarota tracta fuit a draconibus. Hyginus: *Ceres Triptolemum, cujus ipſe fuerat nutrix, in curru draconum collocavit*. Dracones illi numero fuere duo. Ita enim habet idem in ſequentibus: *Carnubutæ enim juſſu, cum draco unus eorum eſſet interfectus, ne cum Triptolemus ſenſiſſet inſidias ſibi parari, currus præſidium ſibi conſtituere ſperaret, Ceres eo veniſſe, & erepto adoleſcenti currum dracone altero ſubjuncto reddidiſſe*. Sic hic lego, non *dracone altero ſubjecto*, & *ſubjunctum* explico *adjunctum*, ſive *junctum*. Quomodo habemus etiam apud Virgilium in V. Eclog.

Daphnis & Armenias curru ſubjungere tigres

inſtituit. Sicut ergo Triptolemi unarota, quæ prima fuit hujus generis, tracta a draconibus duobus, ita ſuſpicor deinde reliquas ad hoc exemplum factas, eſſe tractas a duobus jumentis. Dico reliquas. Nam habuiſſe plures ejus generis conſtat vel ex appellatione Græca Latinaque, quæ in Gloſſis Onomaſticoque veteri adfertur. Denique Hyginus unarota *primum* dicit uſum Triptolemum. Non poteſt autem primus intelligi, niſi referatur ad plures ſubſequentes alios. Cæterum, ſi unarota tracta, ſicut dixi, non poteſt genus illud fuſſe, quod vocarunt chiramaxium. Meminit illius unicus Petronius his verbis: *Hinc involutus coccina gauſapa lecticæ impoſitus eſt, præcedentibus faleratis curſoribus quatuor, & chiramaxio, in quo deliciæ ejus ferebantur, puer vetulus, lippus, Domino Trimalcione deformior*. Quærunt eruditi, quid ſit chiramaxium hoc loco. Pinellus in Additamentis ad Notationes Argoli, ſuper Onuphrium, exponit *ſellam curulem*, quod revellitur a ſolo nomine, quod *ἅμαξαν* fuiſſe docet, id eſt, vehiculum cum rotis. Scaliger, quem fere alii ſequuntur, putat eſſe idem cum *arcuma* vehiculum. Verba ejus ſunt ejuſmodi in Feſtum voce Arcuma: *Arcuma videtur eſſe genus modici plauſtri, quo homo tantum geſtari poterat, & a ſervis, non a mannis trahebatur, unde vocabatur chiramaxium*. Probant explicationem hanc cum Douſa in Præcidaneis ad Arbitrum lib. I. cap. 13. tum Voſſius in Etymolog. voce *Arcuma*. Nec recedit is, qui Gloſſarium Petronianum edidit. *Chiramaxium*, inquit, *genus modici plauſtri, unius hominis tantum capax, ſolitum a ſervis trahi*. Verum, chiramaxium inter plauſtra numerari, non exiſtimo conveniens. Plauſtra ſane non hominibus, ſed oneribus vehendis deſtinata magis legimus. At in chiramaxio Petronii puer vehitur. Adde, quod is puer fuerit Trimalcioni in deliciis, qui pro luxu reliquo ſine dubio & puerum illum ſplendide ac delicate habuit. Jam vero nemo eſt, qui plauſtrum ullum inter ſplendida vehicula retulerit. Ideo non puto recte explicari per minutum plauſtrum. Deinde nec hoc puto verum, quod ſit tractum a ſervis. Equidem id planum, inceſſiſſe hominum opera, non jumentorum, docetque ipſum vocabulum, a *χεὶρ* & *ἅμαξα* compoſitum. Χεὶρ enim eſt *manus*, quæ de ſolis intelligitur hominibus. At vero tractum ideo ab hominibus continuo non ſequitur. Imo potius contrarium hinc colligas. Nam qui trahunt, illi manibus id minime faciunt, ſed loro ad pectus religato, vel jugo indito cervici. Virgilius II. Æn. ubi loquitur de iis, qui equum Græcorum in urbem Trojam deducere debebant:

—— —— *Et ſtuppea vincula collo*
Intendunt. —— —— ——

Hyginus cap. 254. *Gleops & Bitias pro bobus ſub jugo ſe junxerunt*. At vero chiramaxium nil tale innuit, ſed manibus oſtendit promotum. Neque mihi dubium, quin chiramaxium ſit illud ipſum vehiculum, quod Aurelianus Medicus appellat *actum manibus*. Verba ejus ſunt lib. I. cap. 5. *Adhibenda geſtatio primo geſtatoria ſella, tum vehiculo manibus acto*. Item lib. II. cap. 1. *Tum geſtatione corpus movemus pro virium modo fertoria ſella, ſive cathedra, tum longiore vehiculo manibus acto*. Ipſa nominis vocabulique ratio demonſtrat *vehiculum manibus actum* eſſe ipſum illud, quod Petronius Græca conſuetudine vocavit *chiramaxium*. Jam ſi chiramaxium vehiculum actum manibus, vix illud aliter concipere valemus, quam quale hodieque notum eſt cum rota unica inter duas tabulas utrinque deſinentes velut in temones, ut iis ante ſe propellere homo poſſit. A Germanis meis *Schubkarch* nominatur, quoniam non trahitur, ſed propellitur, quod Germani *ſchieben* nuncupant. Suecis ſimili propemodum ratione *Skottkærra* dicitur. Quanquam cum Aurelianus vocet *longius vehiculum*, quam nimirum fuit cathedra ſive ſella, quorum comparatione ita loquitur, aliter nonnihil potuit fuiſſe formatum. Ac fortaſſis non ſedere ſolum, ſed & recumbere in eo poterant. Liquet enim, fuiſſe delicatum, ac propterea tributum ægrotantibus, quos juvare molli corporis jactatione debebat. Neque mihi alia videtur cauſſa, cur Trimalcionis puer vetus fuerit in chiramaxio, quam ut motu eo valetudini conſuleret. Nempe ſicuti Trimalcio primum balneis, dein lectica ſe exercuit, geſtationeque corpus commovit ſuum, ita plane puer ejus chiramaxio, quod hucuſque nemo obſervavit. Atque hic fortaſſis uſus chiramaxii ſi non unicus aut præcipuus, ſaltem non poſtremus fuit. Ut propterea nec illi Germanorum generi, quod ſupra memoravimus, omnimodo convenire poſſit, cum præſertim id portandis tranſvehendiſque oneribus, chiramaxium vero hominibus ſit deſtinatum. Quanquam hodieque obſervaverim in Batavis receptum, iis pueros infanteſque vectitare, quibus *Kreuvvagens* nuncupantur. Ut iccirco non per omnia diverſum fuiſſe videatur. Saltem ſic formatum, uti unam tantum haberet rotum, veriſimile, quia hodieque, quantum ſcio, nullum vehiculi genus, quod quidem manibus agitur, aliter fabricatum habetur.

CAP. IX.

De Birota & similibus.

Birota. Codex Theodosianus explicatur. Birotum. Birodium. Dirodium. Non Rheda, nec carrus, nec plaustrum fuit. Mulos adjunctos habuit tres, nec tamen fuit triga. Trirodium. Quadrirodium. Τετράκυκλον. Τετράτροχον. Εξάκυκλον. *Vehiculum sex rotarum. Corrasius revellitur.*

SEquitur vehiculum rotarum duarum, quod exemplo vehiculi prioris *birotam* appellarunt. Imperator Constantius in l. 8. Cod. Theodos. de Cursu publico: *Statuimus rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta.* Et lege sequente: *Miranda sublimitas tua nullos evectioni dies addendos esse cognoscat, nec passim rhedarum tractorias vel evectiones birotum faciat.* Ubi *birotum* scribendum, ut appareat contracte dici, pro *birotarum*. Usurparunt & in neutro genere, si qua est auctoritas Onomastici veteris Argentoratensis. Ita namque habet: *Birotum*, δίτροχον. Ubi simul observanda Græca ejus appellatio, alibi, quod sciam, minime occurrens. In Glossario seu Notis potius, quæ dicuntur Tullii Tironis, & in calce operis Inscriptionum Gruteriani extant, legimus etiam *birodium*, sine dubio pro *biroto*, vel *birota*. Nam & *quadrirodium* formatione simili illic reperitur. Imo voce hibrida in Notis dictis etiam *dirodium* occurrit. Cæterum, birota fuit vehiculum diversum a rheda, quæ ipsam quadruplo & amplius magnitudine roboreque superasse videtur. Apparet hoc ex lege supra prolata, in qua non modo nominatim ista duo genera distinguuntur, sed & birotæ ducenta tantum imponuntur pondo, cum rhedæ imponantur mille. Carrus quoque fuit alius a birota, quod colligimus ex eo, quoniam onus carri erant libræ sexcentæ. Valentinianus, Theodosius & Arcadius in lege 47. Cod. Theodos. titulo eodem: *Rhedæ mille librarum onus imponi debet, carro sexcentarum.* Non potuit carrus idem esse cum birota, quippe cujus onus justum pondo fuere tantum ducenta. Num id fuit genus, quod antiqui nominarunt *plaustrum?* Nam huic Isidorus rotas duas tribuit. *Plaustrum*, ait *vehiculum duarum rotarum*, lib. XX. cap. 12. Ego vix opinor, monstraboque amplius, cum ad plaustrum venero. Potius existimo sui generis fuisse, inventum post institutum cursum publicum, & solenniter in eo usurpatum. Ideo vetustiores nullam ejus fecere mentionem, neque alibi memoratur, quam ubi sermo est de illo cursu. Speciem illius reliquam exponere haud possumus, quia descriptam habemus a nemine. Binis incessisse rotis ex ipso vocabulo intelligitur. Trahebatur porro a mulabus. Constantius Imperator in lege 8. Codic. Theod. sæpe dicto titulo: *Octo mulæ jungantur ad rhedam æstivo videlicet tempore, hyemali decem* ꝑ *birotis trinas sufficere judicamus.* Nominatim mulas memorat in eis. Observandum vero est, quod in ipsis ponat tres. Hinc enim discimus, eas mulas jungi solitas non æqua fronte, sed vel duas sub jugo uno, quas antecedebat una solitaria, sicut frequentissime in mea patria rustici jungunt equos, vel potius serie continua unam post alteram, sicut fere factum in reliquis hujus generis, ut rheda & similibus, quod suo loco apparebit. Nam æqua quidem fronte juncta animalia nunquam in hoc genere, sed militari, quodque militare referebat, Circensi aut triumphali. Unde illud quoque colligimus, quod tametsi birota equos tres sive mulas habuerit, iccirco tamen triga non extiterit, multo minus vero biga. Adeo hæc inter se confundenda non sunt. Alia est birota, & alia biga: Alia quadrirota, & alia quadriga. Potuit birota tres habere junctos equos, imo quatuor, quod suspicamur, quia dicitur *sufficere*, ut tres habeat, quasi aliquando plures etiam habuerit, in verbis supra memoratis. At vero biga nunquam, nisi duos equos habuit. Nec tamen, si tres habuit, iccirco triga facta, quia longe aliter in bigis trigisque juncti, quam in nostro isto genere. Adde, quod hominibus vehendis destinatæ forent bigæ, trigæ ac id genus, non birotæ. Nam birotis onera deferri solita, docet, quicquid de ipsis in antiquis legibus occurrit. Imo hac de caussa oneris ipsius magnitudo per easdem definita est. Sicut autem legimus birotam seu birodium, ita & *trirodium* in eisdem Tullii Tironis Notis. Erit porro trirodium, si vocabuli significationem cogites, vehiculum cum rotis tribus, sicuti birodium cum duabus. Quale vero sit vehiculum, quod rotas tres habuerit, alibi observare non recordor. Sed nec hodie illius inter vehicula ullum superest vestigium. Omnia vel unam, vel duas, vel quatuor tantum habent rotas. Ut ignorem, an hæc vox accipienda sit de vehiculo. Imo suspicor ad machinas pertinuisse, sive alias quascunque res, quæ rotis movebantur. Quomodo videmus aliquando sellas rotulis in extremo pedum defixis esse mobiles. Hujus generis vehiculum esse potuit trirodium, non quo iter fit, aut onera deportantur, & cujus fuit usus popularis, & jumenta subjuncta habuit. At *quatrirodium*, quod similiter habetur dicto loco, nihil obstat, quo minus de vehiculo cum rotis quatuor accipiamus. Nam & τετράκυκλον sic usurparunt Græci. Homerus ipse Iliad. Ω.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι εἷλκον τετράκυκλον ἀπήνην

Ante quidem muli trahebant quatuor rotarum currum. Eustathius hoc libro, sed paulo ante: Ἐρεῖ καὶ ἀπήνην τετράκυκλον, ὅ ἐστι τετράτροχον. Pari modo Dydimus, vel quisquis alius Scholiastes vetus indicato loco: τετράκυκλον. τετράτροχον. Unde colligas etiam τετράτροχον vocasse. Pollux lib. X. cap. 12. ubi de vehiculis; Καὶ τὰ μὲν τετράκυκλα, τὰ δὲ δίκυκλα. Duo tantum novit genera, unum cum rotis duabus, aliud cum rotis quatuor, quod notandum. Firmat enim id, quod de trirodio asserebamus in superioribus. Athenæo est simpliciter τετράκυκλος lib. V. cap. 7. Μετὰ τοῦτο τετράκυκλος πηχῶν τεσσαρεσκαίδεκα. Atque ita sæpe illo loco. Observo autem & ἑξάκυκλον, quod ad imitationem quatrirodii *serodium* possemus nuncupare, ac intelligere vehiculum cum rotis sex. Hippocrates in de Aere, aquis ac locis: Ενταῦθα καὶ οἱ Σκῦθαι διαιτεῦνται, Νομάδες δὲ καλεῦνται, ὅτι οὐκ ἔστιν οἰκήματα, ἀλλ' ἐν ἁμάξαις οἰκεῦσιν. Αἱ δὲ ἅμαξαι εἰσὶν αἱ μὲν ἐλάχιστον τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι. *Ibi Scythæ, Nomades dicti degunt, quod domos nullas habeant, sed in curribus habitent, qui minimum quatuor, alii sex rotis sunt instructi.* Sed Hippocrates ipse monstrat, genus hoc fuisse singulare, neque notum alibi temere, quam apud Scytas, quia tanto studio describit. Quin & eo colligas, quod ἑξακύκλου nomen alibi vix legas. Ac ne Romani quidem usquam, quantum hactenus cognovi, memorarunt rotas sex in aliquo vehiculo, cujus esset usus vel ad hominum gestationem, vel ad transportanda onera. Ut in censum talium venire minime oporteat. Corrasius lib. III. Miscellaneo-

rum cap. 20. commemorat vehiculum cum rotis etiam octo. *Denique*, inquit, *octophorum*, *cujus ad Q. Fratrem meminit Cicero*, *vehiculum octo rotarum fuit*, *quo maxime Caligulam uſum Tranquillus refert*. Verum fallitur vir alioquin haud indoctus, quod vel ipſum ſatis oſtendit vocabulum, non a κύκλιος aut τροχοῖς, hoc eſt rotis formatum, ſed a φέρειν, quod ſignificat *geſtare*. Ac jam in ſuperioribus monſtravimus, ſic eſſe nuncupatum non currum aliquem cum rotis, ſed lecticam, quam geſtabant octo lecticarii. Neque uſquam alibi reperias memoratas rotas octo ullo in vehiculo.

CAP. X.

De Monaco.

Monacus. Monacoſmum. Κόσμος an jumentum. Meurſius & Voſſius revelluntur. Iſidorus corrigitur. Monocoſmon, & monacoſmon differunt.

Sicut pro numero alio alioque rotarum, ita & equorum aliis aliiſque vehicula nominibus ſunt compellata. Hinc bigæ, trigæ, quadrigæ, ut liquebit amplius ex ſequentibus. Habuerunt vero aliqua cum jumentis quoque ſingulis, ſicut hodie paſſim eſt receptum: De quibus ideo hic primum agemus. Memorantur ea in Gloſſario veteri Arabico Latino, quod Vulcanis eſt publicatum, iis verbis: *Monacus*, *genus vehiculi*, *quod ab uno jumento ducatur*. Oſtendunt manifeſte ſatis verba hæc, fuiſſe nota veteribus vehicula, quæ etiam ab uno tantum trahebantur jumento. Neque uſus eorum recentior, ſed antiquus plane, ipſique notus Homero videtur. Is enim ita loquitur Iliad. M. ubi agit de via munita per Achivos palis ſudibuſque, & coacta in anguſtum, ut

Ενθ' ἔχεν ῥέα ἵππος εὔτροχον ἅρμα τιταίνων.

Illic non facile equus volubilem currum traheret. Unum ſolummodo hic equum memorat in curru, ut proinde genus id intelligendum fuerit, quod dixi. Videturque ipſum probare Poetæ inſtitutum. Vult enim monſtrare viam prorſus arctam & quæ excludat cuncta bellica vehicula, qualia tum fuerunt etiam bigæ. Quare ait, capere vix potuiſſe vehiculum, quod ab uno ſolo traheretur equo. Dicit autem auctor Gloſſarum ante laudatarum, id vehiculum vocari *monacum*. Quærunt viri doctiſſimi, unde nomen hoc ſit ortum, & quid ita dictum ſit id vehiculum. Meurſius ſuſpectum quoque habet, immutarique putat oportere, in *monacoſmum*, quod legitur in Gloſſis Iſidori. Cum eo facit quoque Voſſius in de vitiis Serm. Lat. lib. III. c. 27. ubi ita habet. *Monocoſmum ab Iſidoro in Gloſſis exponitur*, *quod ab uno jumento ducitur*, *vehiculi genus*. *Nec dubium*, *quin in Gloſſis Arabico-Latinis cum Meurſio legere oporteat*: *Monocoſmum*, *vehiculi genus*, *quod ab uno jumento ducatur*, *ubi vulgo monacus*. Scilicet exiſtimarunt ambo vocem monacoſmi eſſe a μόνος, quod *ſolum* ſive *unicum* ſignificat, & κόσμος, quod Meurſius *jumentum*, Voſſius *ornatum* reddidere. Atque Meurſii quidem ſententia, κόσμον pro jumento accipientis, palam falſa eſt, ſatiſque Voſſio refutata. Voſſii vero refellitur explicatione Iſidori quæ nil habet de ornatu. Ergo alia quærenda eſt origo. Arbitramur autem eſſe non a μόνος & κόσμος, verum μόνος & ἄγειν, recteque dici non modo *monocoſmon*, de quo tamen ſtatim plura, ſed & *monacum*. Nempe in *monacus* litteram exiſtimo eſſe permutatam, & *monacus* ſcriptum pro *monagus*, ſicut fieri & in aliis conſuevit. Si enim & *cenas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* reperimus, cum non paucis aliis generis eiuſdem. Porro *monagus*, quaſi μοναγὸς, quomodo & *hippagus* ſimili originatione apud Plinium lib. VII. cap. 56. quæ Græcis ἱππηγός. Qui *monagus* proinde ſignificabit currum tractum ductumve ab uno, non ſententia Gloſſatoris ſolum, verum ipſa vocabuli ratione. Et quia idem ſignificare debet *monocoſmon*, etiam de eo aliter vix judicandum. Quanquam mea ſententia Iſidorus ſcripſerit, non *monocoſmon*, ſed *monacoſmon*, ſimiliterque id poſuerit pro *monagoſmon*. Ut *monagoſmon* ſit dictum per inſertionem litteræ *ſ*. pro *monagomon*, hic vero pro *monagogimon* ſignificatione parili, cum monaco. Niſi putamus eſſe aliud monocoſmon ſeu monacoſmon in maſculino, & aliud in neutro. Ita namque habet vocabularium vetus neſcio quod, Voſſio laudatum: *Monocoſmus*, *id eſt genus vehiculi*, *quod ab uno jumento trahitur*. *Et hoc monocoſmum*, *id eſt*, *currus*, *unum tantum portans & dicitur a monos & coſmus*. Facit manifeſtam differentiam inter *monocoſmos* vel *monocoſmus*, & *monocoſmon*, ſeu *monocoſmum*. Verum metuo, ne ſit inanis hæc ſubtilitas magiſtri. Et quæ illius poſſit dari ratio? Cur maſculinum ad vehiculum a jumento tractum ſignificatione paſſiva, neutrum vero ad vehiculum portans hominem ſignificatione activa referendum? cum ut in maſculino vocabulum ſubſtantivum, *currus*, ſic in neutro *carpentum* vel quid ſimile poſſit intelligi. Denique ſi facienda differentia, rectius fortaſſe diceretur, aliud eſſe *monacoſmon*, & aliud *monocoſmon*. Hoc oriri a *monos* & *coſmos*, illud a *monos* & *agein*. Monacoſmon eſſe vehiculum ab uno ductum animali; monocoſmon adornatum uni homini, hoc eſt præparatum ac inſtructum in unius tantum alicujus uſum. Nam quod maſculinum attinet, exponit illud pari modo Vulcanius in Notis ad Iſidori Gloſſas, ſicut neutrum, neque generis intuitu differentiam ullam reperit. Quanquam mihi expoſitio vehiculi in unius modo uſum præparati tota videatur commentitia. Nec enim peculiare quoddam fuit genus, ſed ex cæteris generibus quæcunque fuere minuta, unum tantum capiebant. Ut proinde non ex Iſidoro Gloſſæ, ſed ex Gloſſis Iſidorus emendandus videatur, nec *monocoſmon* legendum, ſed *monacos*. Cum præſertim quidam Iſidori habeant *monacoſmon*, non *monocoſmum*, ut Voſſius citavit. Quicquid vero ſit de lectione, illud plane liquet, non deſcendere a *coſmos*, ac iccirco nullum innuere vehiculi ornatum. Ut deſcriptum fruſtra ſit a Voſſio, quod fuerit *vehiculum hominum delicatorum ornate compoſiteque procedentium*, *ac tale*, *ut unum tantum hominem*, *vel ſummum & alterum caperet*. Nam contra fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, ſicut verbis manifeſtis docent veteres, quorum major hac in parte fides eſſe debet, quam conjecturæ, quæ ex voce forſitan corrupta oritur. Adde quod ſi illud *monos* referendum eſt ad hominem, ratio vocabuli pereat, ſi vehiculum præter illum unum admiſerit & alterum. Sane a jumenti trahentis numero ſolitario, non hominis utentis, nec ornatu vehiculi vel hominis, ſed ductu eſſe nominatum voluit Gloſſarum auctor, quando non *ducitur* ſcripſit, ſed ducatur. *Monacus*, ait, *quod ab uno ducatur*, quaſi diceret, monacus ita vocatus eſt, quod ducatur ab uno tantum, hæcque illius ſit conſtructio formaque, ut jumenta plura non admittat.

Reddit rationem appellationis per illud *quod*, non pronomen isto loco, sed conjunctionem causalem, ut Grammatici appellant. Habet quidem Isidorus *ducitur*, ubi monacosmum describit. Sed cum reliqua conveniant, magnopere de hoc non laborandum, æque forsitan corrupto. Cum præsertim viri docti consentiant fateanturque omnes, non diversa genera, sed eadem utrique describi. Cæterum quæ reliqua monaci fuerit structura, dicere non habemus, cum illius apud alios, quod ego quidem sciam, mentio non occurrat. Ex Homero, si monacus est, quem memorat in verbis antea laudatis, quod opinor, colligas, jumentum, quod appellat Isidorus, accipiendum esse equum, quippe quem in ipso nominatim memoret. Quanquam hoc perpetuum fuisse vix opiner. Sed & quia vocat ἅρμα id vehiculum, quod describit, duas tantum suspicari possis habuisse rotas, talis enim currus, quem ἅρμα proprie significat, ut loco alio prolixius tradetur. Usus quoque monaci parum notus. Putes magis ad vehenda onera & id genus pertinuisse. Saltem bellicis & militaribus Homerus opponit, sicut supra vidimus. Quanquam cum monacus seu monagus dictus sit, ut bigæ, trigæ, ac id genus, quæ ad bella vel spectacula adhibita, dubitare possis. Videturque de illius usu ad solennes ludos posse colligi nonnihil ex nummo veteri, quem exhibet Hubertus Goltzius inter Siculos tabula septima numero tertium. In eo namque ad vehiculum, quale bigarum quadrigarumve solet esse, juncta cernitur mula, eaque unica. Verum metuo, ne socia illius sit omissa vitio sculptoris, adeoque nullus ibi nobis monacus exhibeatur. Cum præsertim ipse Goltzius in eo nummo bigas memoret in Indice, ubi de mularum bigis loquitur. Sed nec alibi in ludis vel spectaculis monaci aut vehicula cum equis singulis vel memorantur vel repræsentantur picti. Ut adhuc res maneat ambigua, donec industria alterius suo tempore manifestabitur.

CAP. XI.

De Bigis.

Bigæ, biga. Unde dictæ bigæ. Isidorus explicatur. Desultorii. Hyginus emendatur. Comites, pares equi. Festus emendatur. Αμιπποι. Σlωωρίδες. Δυζυγία. *Erasmus notatur.* Αρμα τέλειον. Σωωρὶς πωλική. Κέλης. *Amasæus notatur.* Σελλάειος. Αςρωτος. *Desultorii equi sine stratis fuere. Demsterus notatur.* Δρόμος ἵππων. *Desultorii quando instituti in ludis. Desilire quid.* Μεταβάτης. Ζὐξιππος. *Scaliger reiicitur. Glossæ veteres explicantur. Mitti. Missus.* Δίπωλα. Δίιππος. *Bijugis. Bijugus. Bijuge curriculum. Bigæ rotas habent duas, & totidem jumenta.* Απλὼη. *Goltzius notatur. Non est rheda. Currus de vehiculis Circensibus.* Bigæ *notæ ante trigas & id genus. Adbibitæ in præliis.* Δίζυγες. *In ludis quoque funelribus, Olympicis, Circensibus. In Circo num primum* bigis *solis certatum. Tertullianus explicatur, lectioque ejus vetus stabilitur. Demsterus notatur. Differentia inter militares currus, & ludicros. Agitator. Habitus agitatorum.* Χιτὸν ἡνιοχικός. Στολή. *Tunica Cassis.* Κράνος. Πέτασος. *Cristæ. Infula. Exuere nexus. Statius explicatur. Stabant in curribus. Quomodo steterint. Qua ratione circa metam currum flectere potuerint. Bigæ flaminiæ. Bigæ cornutæ. Bigati nummi. Argentum bigatum. In eo bigæ Circenses, & ob quam causam.* Bigarii.

Bigas ævi optimi Scriptores numero plurali solum, nunquam singulari extulisse, Varro auctor est in de LL. lib. IX. *Non*, inquit, *dicitur ut hæc una lata & alba, sic una biga, sed unæ bigæ*. Notat tamen Sergius in Donati editionem secundam, ipsum illum Varronem extulisse *quadrigam* singulari numero in Exdemetrico. Sed hoc Vossius in de Analogia lib. I. cap. 43. factum putat propter carmen, in quo ne alii quidem refugerint. Quin imo & extra carmen jam Tiberii ævo monstrat legi apud Valerium Maximum lib. I. cap. 8. Ego etiam Hyginum usurpasse video & observo, qui floruit sub Augusto, iste est, optimo illo ævo. Verba ejus extant fab. 250. *Salmoneus, qui fulmina in quadriga sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus*. Cæterum, has bigas putant dictas velut *bijugas*, quod sub jugum unum missa haberent duo jumenta, quorum opera trahebantur. Fronto apud Gellium lib. XIX. cap. 8. *Quatuor simul equi juncti, quadrigæ, quasi quadrijugæ, vocantur*. Loquitur hic quidem de quadrigis Fronto, sed quæ appellationis ratio est in quadrigis, eadem est & in bigis, & in cæteris hujusmodi. Unde Isidorus lib. XVIII. cap. 36. *Quadrigæ & bigæ, trigæ & sejugæ ab equorum numero & jugo dictæ*. *A numero & jugo*, ait, quo id ipsum innuit, quod Fronto, id est, ut quadrigas, ita & bigas esse dictas, velut bijugas. Dicit autem uterque, in vocabulo bigarum factum esse respectum ad numerum *equorum*, quod non satis videtur convenire, cum efferri debuerit non in fœminino genere, quod nunc fit, verum masculo. Non igitur tam ad equos attenderunt, quam vel equas, quarum alias quoque, præsertim priscis temporibus, in hoc genere frequentiorem fuisse usum alibi jam demonstravimus, vel mulas. Quid vero est, quod Isidorus scribit dictas *a jugo*. An putavit sic vocatas, quod sub uno jumenta essent jugo? At hoc falsum foret in cæteris generibus, exceptis bigis. Nam in trigis quadrigisque tantum duo equi sunt sub jugo, reliqui adjuncti funibus. Quare malo illud *jugo* apud ipsum verbum credere, quam nomen, quod significet *consocio*, *conjungo*. Sed nec Fronto aliud videtur voluisse per quadrijugas, quam quatuor *jugas*, ab illo *jugo* dictas, hoc est, jugatas, junctas, aut consociatas. Atque ita quidem veteres. Nam recentiores malunt non a *jugo*, verum *ago*, id est, *duco*, derivare, ut *bigæ* sint *bis* vel *binæ agæ*, id est, equæ aut mulæ duæ agentes, seu ducentes vehiculum. Quam sententiam existimamus veriorem, quia eam firmat etiam monagi seu monaci vox, quæ utique a *jugo* sive *jungo* derivari haud potest. Plane autem, sicuti monacus seu monagus dictus, ita dicit potuit diagus, pro quo Latini fecere *biagas*, & contracte *bigas*. Ut proinde bigæ sint non tam sub jugum unum missæ, vel quocunque alio modo jugæ vel jugatæ, quam ducentes vel trahentes equæ duæ. Quod necesse tandem est intelligi in hoc vocabulo, contra quam fit, si a verbo *jugo* derivamus. Nempe solebant quoque alias conjungi inter se ac sociari equi etiam absque vehiculo, equitandi gratia, quales *desultorii* vocabantur, quoniam, qui utebantur eis, ex uno, saltu transmittere se in alium consueverant. Meminit Florus lib. III. c. 3. ubi de Teutobocho: *Quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, quum fugeret, ascendit*. Vides, transilire solitos; Fieri hoc autem in iis solis consueverat, qui *desultorii* dicebantur. Unde Hyginus fab. 80. *Etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt. Unus duos equos habet, pileum in capite de equo in equum transilit*. Ita lego ista, & asteriscum post *capite* tollo.

Alii *ex equo* habent, ab ingenio, ut credo. Mihi *de* videtur rectius, quia veteri ſcripturæ convenientius, in qua præcedentis vocis ſyllaba poſtrema ſine dubio abſumſit. Deſultorii hi erant inter ſeſe copulati. Unde *comites* ſunt dicti Flacco lib. VI. Argon. ubi de Mœſo:

—— Comitumque celer mutator equorum.

Feſtus appellavit *pares*, quia juncti erant æqua fronte. Verba ejus voce *paribus*: *Paribus equis, id eſt, duobus, Romani utebantur in prælio, ut ſudante altero, tranſirent in ſiccum.* Verba hæc corrupta mutilave ſunt, non Feſti culpa, ſed qui eum mutilavit, Pauli. Quomodo namque cohærent iſta, *Romani utebantur*, cum ſuperioribus? Puto tamen Paulum etiam ſcripſiſſe: *Paribus equis, id eſt, duobus. Duobus Romani utebantur*, &c. Neque vero deſultorii tantum juncti inter ſe, ſed &, quia Græcis dicti ſunt ἄμιπποι, non multum diſſimiles deſultoriis, diſſimiles tamen. Nec enim in iis unus tantum, & tranſmittens ſeſe ſaltu, ſed in ſuo quilibet, unus, qui urgebat flagello, alter, qui pugnabat. Scaliger ad Manilii lib. III. *Ἀμίππους quidam deſultores interpretantur. Nos rem ſimilem, non eandem ſcimus fuiſſe: Similem quidem, quatenus ἄμιπποι erant equi juncti, diſſimilem, quod in altero auriga inſidebat, ex altero autem miles armatus pugnabat.* Si ergo bigæ ſignificarent equos tantum junctos inter ſe, poſſent equi duo hujus quoque generis, vel deſultorii ſignificare. Jam vero veteres diſtinguunt. Suetonius in Julio cap. 39. *Quadrigas bigaſque, & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes.* Quare bigæ dictæ, non a jungendo, ſed agendo, ſicut dixi. Niſi plane aliam vocabulorum iſtiuſmodi reddamus rationem, de qua dicam in ſequentibus. Græci nuncuparunt συνωρίδας. Gloſſæ: Συνωρίδες, *bigæ, ſingulare non habet.* Nota, etiam auctorem hunc in bigis ſingulare non agnoſcere. Nam aliter Philoxenus: *Biga*, ξυνωρίς. Item Lexicon aliud, titulo de Spectaculis: *Biga*, συνωρίς. Συνωρὶς & ξυνωρὶς eſt idem. Liquet autem manifeſte, Græcis συνωρίδα eſſe, quæ Latinis *bigæ*. Atque ſic Heſychius: Συνωρίδα, ἅρμα δίπωλον. Item paulo poſt: Συνωρὶς, ἅρμα ἐκ δύο ἵππων, ἢ συζυγία. Ubi tamen obſervandum, συνωρίδα Græcos uſurpaſſe non de curru ſolum, ſed & equis ſolis, inter ſeſe junctis, id enim hic συζυγία. Et ſic Lucianus, ut opinor, in Timone: Νενίκηκε καὶ πλείῳ ἅρματι, καὶ συνωρίδι πωλικῇ. Vertit Eraſmus: *Vicit ſolenni quadriga, equeſtrique certamine*, quorum neutrum probum. Nam ἅρμα τέλειον non *ſolennis quadriga*, verum *currus equorum integræ ætatis*, quo genere præcipue certare ſolebant. Συνωρὶς πωλικὴ vero, equi duo juniores juncti, quales deſultorii Latinis dicti. Unde κέλητι oppoſuit Pauſanias in Eliacis: Συνέθεσαν δὲ ὕστερον καὶ συνωρίδα πώλων, καὶ πῶλον κέλητα. Vertit Amaſæus: *Receptæ deinde pullorum bigæ, & pullus item deſultorius.* Falſa omnia. Κέλης enim non eſt equus deſultorius, ſed ſingularis, deſultorio oppoſitus, qualem vulgo equites ſolebant habere, qui ex eo Græce κέλητες, Latine *celetes*, vel, ut habet Livius, *celeres*, ſunt dicti. Suidas ideo expoſuit ſellarium, & pariter, ut Pauſanias, a συνωρίδι diſtinxit. Κέλης, ait, ὁ μόνος ἵππος, καὶ ὁ ἐπὶ τούτου φερόμενος, ὁ σελλάριος, ὁ γυμνός· Συνωρὶς δὲ δύο ἵπποι συνεζευγμένοι. *Celes, equus ſingularis, item is, qui eo vehitur, ſellarius, nudus. Synoris vero equi duo juncti.* Vides, κέλητα equum eſſe ſellarium, eumque unicum & ſolitarium. Qui ſellarius eſt dictus, quia ſellam habuit, cum illi juncti, qui Latinis deſultorii ſunt dicti, ſella carerent. Vetus auctor vocabulorum militarium: Ἀμφιπποι μὲν, οἱ ἐπὶ δυοῖς ἀστρώτοις ἵπποις συνδεδεμένοις ὀχούμενοι, οἱ καὶ μεταπηδῶσιν ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλον, ὅταν ἡ χρεία καλεῖ. *Amphippi* (ſic vocabant eos deſultorios, & deſultores) *ſunt, qui equis vehuntur duobus non ſtratis, conjunctiſque, & cum uſus exigit, ab uno equo tranſiliunt in alterum.* Manifeſte ait, deſultorios hoſce fuiſſe ἀστρώτους, id eſt, nulla ſella, nullo ſtrato tectos ornatoſve, ſcilicet, ut inſiliri deſilirique facilius poſſent. Deinde etiam hoc oſtendit, illos deſultorios nunquam fuiſſe ſolos, ſed conjunctos ſaltem duos, ut proinde κέλης dici non potuerit, qui eſt deſultorius Latinis. Erravitque etiam Demſterus, quando ita ſcripſit ad Roſſini lib. V. c 24. *Ut quadrigæ quatuor equorum curſum ſignificabant, ita deſultores uno tantummodo equo utebantur. T. Liv. 5. Decad. lib. 4. Semel quadrigis, ſemel deſultorio miſſo. Artemid. lib. I. Oneiroc.* 58. Ἵππον κέλητα ἐλαύνειν, *equum deſultorium agitare.* Miſcet ac confundit omnia. Κέλητα vertit *deſultorium*, cum potius ſit *ſingularis*, ſive *ſingulator*, nam & ita dictum eſt. Deinde deſultori unum modo tribuit equum, qui minimum habuit duos. Ideo ἄμφιππος Græcis dictus eſt. Cujus equi quoniam fuere συνεζευγμένοι, ſicut Suidas, vel συνδεδεμένοι ſicut vetus auctor ait, hoc eſt juncti inter ſe ac copulati, ideo συνωρίδα quoque nuncuparunt. Ut proinde ita reddi locus Pauſaniæ debuerit: *Recepti deinde pulli deſultorii, & pulli ſingulares.* Sane συνωρίδα duos ſignificaſſe, nunquam unum, docet ipſe Pauſanias dicto loco, quando ait: δρόμος δύο ἵππων τελείων, συνωρὶς κληθεῖσα, τρίτῃ μὲν ὀλυμπιάδι ἐτέθη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα. Vertitur & hoc male, iſta ratione: *Bijugorum integra ætate equorum (συνωρίδα vocant, quaſi bigas dixeris) curſus receptus Olympiade tertia & nonageſima.* Nihil minus συνωρίς, quando δρόμον ἵππων denotat, quam *bigæ*. Bigæ ſemper junctæ ad vehiculum intelliguntur: at vero δρόμος ἵππων accipi non poteſt, niſi de nudis equis. Et debuit docere locus ipſe. Quis enim credat in ſolennibus iſtis Græciæ ludis non certaſſe bigis ante Olympiadem nonageſimam & tertiam? Diverſum profecto teſtantur nummi Syracuſii ſub Gelone cuſi, qui floruit circa Olympiadem ſeptuageſimam ſecundam, ut de aliis nunc taceam. Quare non de bigis egit Pauſanias, ſed deſultoriis, prædicto loco. Cum præſertim συνωρὶς de ſolis equis proprie dicatur. Suidas: συνωρὶς, συζυγία, δυάς. Κυρίως δὲ ἵπποι δύο συνεζευγμένοι. Κέλης δὲ ὁ ἐπὶ ἑνὸς ἵππου ὀχούμενος, καὶ αὐτὸς ὁ μόνος ἵππος. Dicit, vocem hanc ſignificare quidem conjunctionem, & binarium numerum. Proprie vero uſurpari de duobus equis, junctis inter ſeſe. Quorum qualis debeat intelligi junctura, declarat eo, quoniam opponit celeti. Scilicet hoc vult, ſicut celes equus ſingularis eſt, ſic συνωρίδα eſſe duplicem, & ut ille ad vehendum equitem paratus, ita quoque συνωρίδα. Συνωρὶς ergo propria ſignificatione notat equum, equo junctum alii, equitandi gratia. Qualis introductus eſt in ludos Olympicos circa nonageſimam & tertiam Olympiadem, ſervatuſque etiam Romanis in ludis Circenſibus ſub vocabulo equi deſultorii. Unde Suetonius loco ſupra nominato: *Quadrigas bigaſque, & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes.* Qui his inſidebant, Latinis dicti *deſultores*. Iſidorus lib. XVIII. c. 39. *Deſultor cum ad finem curſus veniſſet, deſiliebat, & ex equo in equum tranſiliebat.* Bene *tranſiliebat*, ita namque Τὸ *deſiliebat* eſt intelligendum, non quod deſilierit in terram, & ſic demum aſcenderit in alterum, ſed quod deſilierit ex uno equo, ſaltuque ab illo ſe tranſmiſerit in alterum, quod iccirco Manilius, *ludere per terga volantum* dixit lib. V. Aſtron. Græci deſultorem appellarunt μεταβάτην, equum vero ζεύξιππον. Con-

fudit Scaliger ad Manilium his verbis : *Desultor a veteri magistro redditur* ζεύξιππος , μεταβάτης , *hoc est combinator.* At magister ille vetus, qui Glossarum auctor est, distincte : *Desultor* , μεταβάτης. *Desultor* , ζεύξιππος. Nempe duo desultoris vox significat, hominem desultorem primum , aliquando & equum , qui alias est *desultorius*. Livius lib. XLIV. cap 9. *Semel quadrigis , semel desultore misso.* Ita habent libri optimi, non *desultorio*, ut Dempsterus citat. Desultor hic est equus, sicut & quadrigæ equi sunt. Et *mitti* equi dicebantur , non homines, non agitatores. Unde *missus* , qui de equis sunt intelligendi. Atque ita & desultor mittebatur. Hyginus fab. 80. *Etiam Romani servant institutum , cum desultorem mittunt.* Hic desultor ζεύξιππος , qui alias est *desultorius* , ita nominatus , quia nunquam fuit solus, verum junctus alii. Plane sicuti & συνωρίδα ideo vocarunt. Qui συνωρὶς tamen non de equo nudo, & ad equitandum parato solum , sed & currui adjuncto usurpari solebat , sicuti ex Glossis in superioribus monstravimus. Συνωρίδας loco usurparunt aliquando δίπωλα. Philoxenus. Δίπωλα. *hæ bigæ* , *singulare non habet.* Αρμα δίπωλον dixit Hesychius in superioribus. Legitur & δίιππον hoc sensu, apud dictum Philoxenum. Δίιππον, *biga*. Pro biga vel bigis etiam Romani aliquando nominarunt *bijugos*. Virgil. lib. X. Æneid.

Desiluit Turnus bijugis ——

Ubi Servius : *Bijugis , erit nominativus hic bijugus , nam alias bijugibus faceret , si esset formæ tertiæ declinationis.* Quod addit Servius , quia & in ista declinatione appellantur *bijuges*. Poeta idem lib. III. Georg.

Martis equi bijuges , & magni currus Achillis.

Pro bijugis Suetonius usurpavit *bijuge curriculum* in vita Caii cap. 19. *Postridie* , ait , *quadrigario habitu curriculoque bijugi famosorum equorum per eum pontem commeavit.* Dio lib. LIX. ubi rem eandem narrat , ἅρμα reddidit. Ανεκομίσθη δὲ τῆς αὐτῆς γεφύρας ἐφ᾽ ἅρματος. Verum ἅρμα generale est, ac de omni isto genere usurpatur , non eo solum , quod contentum equis est duobus . Ergo qui definiebant accuratius , bigas , sive bijuge curriculum συνωρίδα nuncupabant. Habebat autem hoc curriculum , ut nunc veniam ad formam ejus, rotas tantum duas. Ita docent monumenta omnia antiqua, nummi Græci Latinique , sculpturæ marmoreaque , in quibus effigies ludorum circensium, & id genus. Inter rotas istas duas surgebat instar sellæ semirotundæ, cui certantes insistebant. Græci δίφρον appellarunt, unde genus ipsum sæpe ita nominatum , quod jam alii notavere. Partes ejus alibi expositæ sunt nobis. Speciem exhibent nummi , quos hic placet apponere duos ex Hub. Goltzio , qui diligentius , quam alii , expressit.



Hæ bigæ sunt cum suis curriculis. Exhibent autem equos. Equos enim ad hoc genus usurpasse supra quoque diximus, & testati sunt Fronto atque Isidorus. Junxerunt tamen & mulas, præcipue in ludis apud Græcos. Inde habes mularum effigiem in bigis, quas exhibent apud Goltzium nummi Syracusii, Messanenses, Gelonis, atque alii. Sed & Pausanias propterea Eliac. I. ἦν γὰρ δὴ ἀπήνη κατὰ τὴν συνωρίδα , ἡμιόνους αὐτὸ ἵππων ἔχουσα. Dicit , genus quoddam fuisse curriculi simile συνωρίδος , id est bigarum , eo tantum diversum , quod equorum loco haberet mulas. Quod genus proinde , tanquam diversum ait appellasse ἀπήνην , quod notandum. Ostendit enim, ἀπήνην etiam fuisse bigas , sed cum mulis vel mulabus. Addit quoque introductum Olympiade septuagesima. Τῆς δὲ ἀπήνης τὸν δρόμον ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ λέγουσιν. Quo magis miror Goltzium , hoc tribuentem Hieroni ex Pausania. Verba ejus habent ita in Indice Græciæ veteris : *Biga mulorum , quos primum ad certamina junxisse Hieronem , tradit Pausanias.* In Pausania nil istiusmodi reperio. Et qui potuerit , sic oblitus sui, cum multis sæculis Hiero post supra dictam Olympiadem floruerit ? Testeturque idem cum prioribus & auctor vetus συναγωγῆς ἱστοριῶν in dicta Olympiade septuagesima , his verbis : Της ἀπήνης δρόμος ἐτέθη. Θερσίας ὁ Θετταλὸς ἀπήνῃ πρῶτος. Quæ de victore primo tali genere curriculi habet , memorat & Pausanias , cujus Interpretes illud Θερσία non per *Thersium* , aut *Thersius* , sed *Thersiam* exponere debuisse , per allatum veteris Scriptoris locum cognoscimus. Cæterum quo modo ἀπήνην reddiderint Latini , apud eruditos dubium esse video. Amasæus vertit *rhedam* apud Pausaniam. Placuit hoc & Bocharto lib. II. cap. 19. Histor. Anim Neque vero dubium , quin locis multis ita possit intelligi. Sed sciendum , quod non omne vehiculum mulare sit ἀπήνη. Præter ἀπήνην etiam alia junctos habuere mulos. Quapropter si vel maxime in rheda muli fuerunt , non tamen ideo necesse fuerit , ut ἀπήνην ita explicem. Fuit ἀπήνη vehiculum , solis ludis Olympicis , vel certe potissimum usurpatum. Ludis illis Olympicis apud Latinos successere Circenses. At in Circensibus certatum rhedis nemo unquam dixit ex veteribus. Quare maluerunt alii *vehiculum mulare* vertere , quod Sylburgius in Notis ad Pausaniæ interpretem testatur. Quanquam fors hoc nimis generale sit. *Currus mularis* commodius videtur , cum vox *currus* frequens sit in isto genere . Virgilius :

—— *Effusi carcere currus*

Statius Theb. VI. v. 285.

Parte alia victor curru , Neptunia tendit
Lora Pelops. —— ——

Plinius lib. IX. ep. 6. *Quo magis miror , tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos , insistentes curribus homines videre.* Sed de curru alibi. De ἀπήνῃ certum est , fuisse genus curriculi bijuge , cætera bigis simile per omnia , nisi quod a mulis traheretur , quod vel ex subjecto nummo Messanensium apparet , qui a Goltzio est publicatus :



Loquor de ἀπλώῃ, cujus meminit Pausanias, & quæ in Ludis Olympicis adhiberi consuevit. Fuit enim quoque generis alterius, ut suo loco indicabitur. Sive autem equi jungerentur, sive muli, semper æqua locabantur fronte. Nec in bigis modo hoc fiebat, sed & reliquis hujus generis, trigis nempe, quadrigis, & similibus. A quibus bigæ tamen differebant, quod haberent jumenta tantum jugalia, funalia vero nulla, sicut reliqua genera, quemadmodum jam alibi ostendimus. Usus vetustissimus bigarum fuit, atque ante cætera hujus generis, si Lucretium audimus, qui sic habet lib. v.

Et bijugo prius est, quam bis conjungere binos,
Et quam falciferos inventum ascendere currus.

Adhibuisse vero primum ad prælia videntur. Homerus profecto Æneæ tribuit. Currus enim, quo aggreditur Diomedem, duos tantum habet equos, quod ostendit Diomedes ipse, quando sic de illis equis Iliad. E.

Τὼ ᾗ δύ' Αἰνείᾳ δῶκεν, μήστωρε φόβοιο
Εἰ τούτω κελάβοιμεν, ἀροίμεθα κῦν κλέος ἐσθλόν.

Duos autem Æneæ dedit Anchises equos, *peritos fugæ. Si hos cæperimus, retulerimus sane gloriam præclaram.* Sed & Pandarus iccirco ad Æneam dicto loco, cum eum Æneas adhortaretur ad prælium:

Ιπποι δ' οὐ παρέασι, καὶ ἅρματα τῶν κ' ἐπιβαίην.
Α'λλά πȣ ἐν μεγάροισι Λυκάονος ἕνδεκα δίφροι
——————— Παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι.

Equi autem non adsunt, & currus, quos conscendam. Sed alicubi in ædibus Lycaonis undecim currus sunt. Apud ipsos autem unicuique bijuges equi. Tribuit unicuique currui δίζυγας, id est, junctos inter sese binos equos. Scholiastes vetus: Δίζυγας, διπποὶ, ἀνὰ δύο ἐζδυγμένοι. Eustathius: Δίζυγες ἵπποι, ἀντὶ τȣ̃ ἀνὰ δύο εἰς ἕκαστον ζυγόν. At ita juncti bigas monstrant, quas proinde undecim habuisse aptas præliis apparet Unde satis colligas frequentem bigarum in militia usum. Ideo & Virgilius Pallanti tribuit lib. x. & de Turno lib. xii.

——— *Bigis it Turnus in albis,*
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Jam ex illo usu veteri translatæ bigæ sunt ad ludos, quia instar militaris exercitii debebant esse.

A Atque primum quidem ludi funebres bigis celebrati. Homerus ipse Il. Ψ. de Menelao:

——— Ὑπὸ ᾗ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππȣς
Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην, τὸν ἑόν τε Πόδαργον.

Sub jugum vero duxit veloces equos, Æthen Agamemnoniam, suumque Podargum. Duos tantum nominat, unde bigas adornasse liquet. Porro, si a Menelao usurpatæ bigæ, cæteros quoque bigas ex certaminis lege adhibuisse colligitur, quæ utique non permittebat inter se dissimiles certare. B Postea translatæ sunt in ludos Olympicos. Videturque hoc factum initio statim, cum bigarum usus fuerit semper antiquissimus, ac iccirco sæpe bigas esse intelligendas, quando certatores vicisse dicuntur ἅρματι, hoc est, curru. Atque memoratur nominatim a Pausania Cleosthenes Epidamius, victor bigis Olympiade sexagesima, illiusque victoriæ monumentum, currum cum equis duobus, quorum alteri Phœnicis, alteri Coracis nomen fuerit, collocatum dicitur Eliacorum II. Ἀνέθηκε ᾗ ὁμȣ̃ τοῖς ἵπποις αὐτȣ̃, καὶ εἰκόνα, καὶ τὸν ἡνίοχον· Ἐπιγέγραπται ᾗ καὶ τῶν ἵππων τὰ ὀνόματα, Φοῖνιξ καὶ Κόραξ. *Posuerunt autem una cum equis* C *& ipsius effigiem, & agitatoris, subscripseruntque nomina equis, Phœnix, atque Corax.* Volui adducere hunc locum, ut liqueret etiam ex ipso, quod est dictum in superioribus, longe ante nonagesimam & tertiam Olympiadem certamina bigarum fuisse recepta. Ex ludis Olympicis venerunt ad Circenses Romanorum Nam in ipsis quoque bigis contendisse antiquissimis temporibus vix potest dubitari. Quin imo, si Tertullianum audimus, illæ primæ fuerunt, quibus certabatur in Circo. Verba ejus lib. de Spectaculis, cap. 5. *Initio equi duo soli fuerunt, albus & roseus.* Ita habet editio Parisiensis Anno MDLXXX. a Michaele Ju- D liano publicata, unde colligat nonnemo id, quod dixi. Verum alia est mens Tertulliani. Equos enim hic intelligit non duos junctos, sed singulos per se in suis curribus, sic, ut equi currus ipsos denotent. Agit nempe de coloribus aurigantium, eosque ait ab initio fuisse tantum duos, album & roseum. Hos colores, coloratosve currus cum aurigantium habitu reliquo duos vocat equos, roseum & album. Ut sic male fecerint, qui illud *soli* mutaverunt in *Solis.* Solis enim equi semper quatuor putati, nunquam duo, sicut alibi monstratum est. At illi duo equi, quos Tertullianus memorat. Qui præterea non Solis tantum fuere, sed & Lunæ. E Unde præcedit paulo ante apud eundem: *De jugo quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt.* Ostendit, in ludis Circensibus adhibuisse equos & in Lunæ honorem, non tantum Solis, eosque plane fuisse bijugos. Unde simul id firmatur, quod ajebam, bigas inter prima genera fuisse, quibus in Circo utebantur. Erratque sine dubio Dempsterus, quando solis certasse quadrigis existimat. *Jure merito in Circo, qui Soli erat sacer, quadrigis inibant certamen*, ait ad lib. v. Rosin. cap. 5. Nam contra bigas quoque nobis exhibent monumenta omnia Onuphrii, & nummi veteres. Et Suetonius cla- F rissime in Tiberio, cap. 26. *Natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.* Licet vero bigæ transsumptæ fuerint ex bello ad spectacula, tamen alia nonnihil fuit ratio bigarum pertinentium ad bella, & alia pertinentium ad spectacula. Nam in bigis bellicis semper erant duo minimum, unus auriga, alter, qui pugnabat, quorum ille quidem Græcis ἡνίοχος, hic vero παραιβάτης sive ἀναβάτης dicebatur. Pollux lib. I. cap. 10. Ἐπιβεβήκασι ᾗ τȣ̃ ἅρματος δίφρȣ, ἡνίοχος, καὶ παραιβάτης, ὃν ὁ Πλάτων

ἀναβάτην μικρἀσπιδα ἐκάλεσε. *Currus vero ſellam conſcendebant auriga, & adſcenſor, quem conſcenſorem Plato vocat parvo utentem ſcuto.* Παραιβάτης hic, qui ex curru pugnabat, ideo ei clypeum tribuebat Plato. Heſychius vocavit παραβάτην, ſi eſt vera lectio: Παραβάται, οἱ ἐπὶ τῶν δίφρων ἑςῶτες μαχόμενοι, οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων. *Parabatæ ſunt pugnatores, qui ſtant in ſellis, Domini curruum.* At vero in Circenſibus ſtabat unus tantum, qui ad curſum impellebat equos, *agitator* ideo a Latinis dictus, ſicut loco alio monſtravi. Sane ubicunque deſcribuntur illi ludi, unius tantum fit mentio in unoquoque curru. Quod vel ex Statii lib. VI. Theb. cognoſcitur. Neque aliud teſtantur monumenta vetera & nummi. Unus, iſque ſolus, nec niſi unico armatus flagello currui inſiſtit. Quare hac in parte currus iſti bigæve differebant. Erat autem agitatorum illorum habitus peculiaris. Unde Suetonius de Cajo cap. 19. *Poſtridie quadrigario habitu curriculoque bijugi per eum pontem commeavit.* Lampridius de Commodo cap. 2. *Aurigæ habitu currus rexit.* Pertinebat huc χιτὼν ἡνιοχικὸς, ut eum vocat Callixenus apud Athenæum in deſcriptione pompæ Ptolomejanæ. Στολὴν reddit Dio lib. LXIII. ubi de Nerone: Ἡρματηλάτησε, τήν τε ςολὴν τὸ πράσινον ἐνδεδύμενος. Ubi repetitio articuli oſtendit, loqui eum de peculiari ſtola, ea ſcilicet, quali ſolenniter agitatores erant ornati. Plinius Latine appellavit *tunicam.* Verba ejus lib. IX. epiſt. 6. ubi agit de Circenſibus: *Tanta gratia, tanta auctoritas in una viliſſima tunica.* Loquitur de tunica aurigantium, ut locus totus docet. Tunicæ addebatur caſſis in capite. Hinc Papinius lib. VI.

Ipſe habitu niveus. Nivei dant colla jugales.
Concolor eſt albis & caſſis, & infula criſtis.

Atque ſic Chryſoſtomus. At apud Dionem κρανὸς eſt in Nerone, ubi ait ὁ Νέρων ἁρματηλάτησε τήν τε ςόλην τὸ πράσινον ἐνδεδύμενος, καὶ τὸ κρανὸς τὸ ἡνιόχικον περικείμενος. Videtur de peculiari agere, ac iccirco appellare ἡνιόχικον. Sic in vita Heliogabali lib. LXXIX. ἐν γὰρ ἱπποδρομίᾳ τινὶ ἐκπεσὼν τοῦ ἅρματος, τὸ κρανὸς ἐν τῇ πτώσει ἀπέῤῥιψε. Callixenus apud Athenæum πέτασον appellat, loco ſupra indicato. Caſſidi Papinius addit criſtas. Atque habet aliquas caſſis, in nummo Neronis expreſſus, qui eſt ſecundus tabulæ ad paginam vigeſimam & ſextam pertinentis. Aliorum non habent, quod ex monumentis ac picturis ejus cæteris abunde conſtat. Nominat & infulam, quæ qualis debeat intelligi eorum, qui in circo agunt equos, ego equidem haud dixerim. Nam in capite eorum nihil exhibent monumenta vetera, quod infula dici mereatur. Circa lumbos mediumque corpus circulum oſtendunt, qui an infula ſit dictus, alii deliberent. Species conſpicitur in hoc Severi nummo, quem & ipſum exhibet Onuphrius, cum aliis ſimilibus.



Id, quod medium ambit corpus ſtantis in vehiculo fortaſſis infula eſt dictum, quoniam contortum eſſet ex filis, ambiretque corpus, ſicut ſacerdotum infula cingebat caput. Erat autem uſus hujus circuli ſolennis atque ſingularis in aurigatione Circenſi. Eo namque habenas corpori circumdatas tenere ſolebant. Nec enim, quod alias conſuetum fuit, eas libera tenebant manu, ſed habebant conſertas poſt tergum, credo partim, ut ita coercere facilius equos poſſent, partim ut ſtantes in curru ſervarentur nonnihil juvarenturque contra lapſum. Itaque ne poſſent defluere habenæ, extrema circuli ora erat eminentior, ut velut ſinu inter illas eminentias comprehenſæ manerent firmæ ac durabiles. Quo videtur reſpexiſſe Statius lib. VI. ubi ait:

—— Ruit ilicet exul
Aonius, nexuſque diu per terga volutus
Exuit, abripitur longe moderamine liber
Currus ——

Quid enim hic *exuit nexus?* niſi quod habenas, quas habuit in dicto circulo poſt tergum connexas, exueret, ſeque liberaret iis, quibus fuit hactenus retentus, atque ita volutatus diu. Lutatius, vel quiſquis alius ſcholiaſtes Statii eo loco: *Se habenarum nexu, qua involutus per terga fuerat, liberavit, ne cum loris implicitus traheretur.* De repoſitis poſt tergum habenis monuit & Argolus ad Onuphrium pag. 31. firmatque non ex Latinis ſolum, verum etiam Euripide, qui locis trinis meminit. Unde ſimul obſervamus, non modo Romanorum, ſed Græcorum quoque iſtam fuiſſe conſuetudinem. Et hæc quidem aurigantium σκευὴ, ſic enim appellat Dio, quod Latini *habitum* appellavere, lib. LXXII. ubi de Commodo, οἴκοι δὲ συνεχῶς τοῦτ᾽ ἔπραττε, τῇ πρασίνῳ σκευῇ χρώμενος. Solebant autem agitatores illi non ſedere in curribus, ſed ſtare, quod teſtantur monumenta omnia, eratque pars non poſtrema hujus artis, ut quis firmo ſtare veſtigio in curru poſſet. Statius lib. VI. Theb.

Senſerat adductis alium præſagus Arion
Stare ducem loris ——

Cauſa fuit, quoniam & in bellicis vehiculis, unde Circenſia deſumpta diximus, ſtetere. Sic enim ſemper memorantur ipſi etiam Homero. Ut Il. Λ. ubi Neſtor

—— Ἐγὼ δ᾽ ἐς δίφρον ὀρούσας
Στῆν ῥα μετὰ προμάχοισιν ——

Ego autem in currum inſiliens ſteti inter propugnatores. Atque ita alibi reperias. Ut erraverit Onuphrius, quando ſic de agitatoribus Circenſibus lib. I. cap. 14. *Mos vetuſtus fuit, agitatores ipſos quatuor factionum curribus inſidentes, metas ſepties circuire.* Nec enim inſidebant, verum inſiſtebant illis curribus, ut dixi. Virgil. lib. III. Georg.

Primus Ericbthonius currus, & quatuor uſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.

Plinius lib. IX. epiſt. 6. *Miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre.* So-

lebant autem pedem unum anteponere alteri, ut ſtatus eſſet firmior. Ita docent monumenta marmoraque vetera. Neque aliud videtur voluiſſe Sidonius car. 23. ubi de certamine hujuſmodi:

Pars contraria nil timens tuam vim
Securas prior orbitas terrebat
Tenſis cum ſubito lupatis
Tenſis pectoribus, pede ante fixo.

Stabant quoque non erecti, verum cernui, capite in anteriora prono. Idem poeta indicato loco:

Nec cernas cito cernuos magiſtros
Temones mage ſuſferunt, an axes.

Et Virgilius lib. v. Æn.

Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, pronique in verbera pendent.

Atque ita nobis habitum ſtatumque illorum exhibent antedicta marmora & monumenta. E quibus ut ſint omnia conſpectiora teſtatioraque ecce tibi agitatorem quadrigarium, propoſitum ab Onuphrio pag. 41. ex monumento in ædibus Columnenſium extante.



De certamine agitationeque ipſa ut hic differamus multis, argumentum noſtrum haud permittere videtur. Feceruntque jam ante nos alii peculiaribus operibus, Onuphrius præcipue in erudito de ludis Circenſibus commentario. Illud lubet quærere, cum non parvam admirationem habeat, noſtris maxime temporibus, quibus illud ludicrum deſiit in uſu eſſe, qui ſit factum, quod cum curſu concitatiſſimo flecterent currum circa metam, cum tamen haud everterent, aut frangerent, cum præſertim rotis ſtrinxiſſe metam legantur. Hic primum dixerim, non fuiſſe novum plane, ſed eveniſſe plurimum, ut & excuterentur aurigæ, & diſſolverentur vehicula, axeſve cum rotis frangerentur, quod vel ex Statio cognitum habemus. Itaque nec, quod eſt proximum, cujusvis hoc fuiſſe negotium, ſed illius, qui multiplici induſtria uſuque didiciſſet artem. Ipſe firmat Homerus, apud quem Iliad. Ψ. Neſtor ad filium curru certaturum:

Μήτι δ' ἡνίοχος περιγίνεται ἡνιόχοιο.

Arte auriga ſuperat aurigam. Deinde multum valuiſſe hic virtutem equorum atque doctrinam. Unde eodem loco Neſtor:

Οἶδα γὰρ εὖ περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν· ἀλλά τοι ἵπποι
Βάρδιστοι θείειν ——

Noſti recte circa metas flectere, ſed tibi equi tardiſſimi in currendo. Quaſi diceret, non ſufficere ſolam agitatoris artem, etiam equos bonos, & præſertim agiles oportere eſſe. Silius requirit, ut & frenis facile libenterque pareant. Unde lib. xvi.

At docilis fræni, & melior parere Pelorus.

Acceſſit ad poſtremum ipſa vehiculi ſtructura, quippe quod eſſet humile, haberet axem longum, rotaſque in eo minutas, ut everti facile non poſſet. Juvabat pondus ſtantis ſuperne agitatoris, qui huc illucque inclinando, ſeſe, currumque ſervabat rectum, etiamſi quandoque vacillaret. Quæ cum omnia hodie ignorentur, mirum eſſe nequit, ſi noſtris vehiculis id, quod veteres fecerunt, imitari parum valeamus. Satis, niſi fallor, de bigarum eo genere, quod ſic proprie appellabatur, & ad prælia, item ludicra certamina ſpectabat. Erat autem præter illud, genus aliud, quo Flamen Fidei utebatur. Livius ſic habet lib. I. cap. 21. *Soli Fidei ſolenne inſtituit. Ad id ſacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi juſſit.* Oſtendunt ipſa iſta verba, non de tali genere, de quo hactenus eſt actum, loqui, verum alio. Nec enim, ſi de communi ſermo fuiſſet, illud de curru arcuato addi neceſſe erat. Et intelligunt plerique currum arcuatum, qui ſuperne tectus fuerit. At diverſa facies bigarum reliquarum, uti conſtat. Bigæ igitur Flaminicæ tantum ideo a Livio ſic dictæ, quod adjuncta duo haberent jumenta. Quomodo & de aratro uſurpavit M. Varro in Serrano. *Dum*, inquit, *in agro ſtudioſius ruror, adſpicio Triptolemum ſculponeatum bigas ſequi cornutas.* Hic *cornutæ bigæ*, bini boves ſunt ad ararrum juncti, quos ſequebatur Triptolemus, ut qui primus homines arare docuit, & frumenta ſerere. Popma: *Bigæ cornutæ boves duo aratores, quos aratro junxit primus Triptolemus.* A bigis dicti nummi ſunt *bigati*, denarii argentei. Plinius lib. XXXIII. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: Et inde bigati, quadrigatique dicti.* Agit ibi Plinius de vetuſtiſſima nummi argentei ſignatura. Unde liquet, quod voluerit Tacitus, quando ſcripſit in libello de Mor. Germ. *Pecuniam probant* Germani *veterem & diu notam, ſerratos bigatoſque.* Bigatorum nempe illorum uſus fuit antiquiſſimus, atque ita primum Germanis etiam innotuit. Hos ergo maxime probabant. Pro bigatis dixerunt & *argentum bigatum*. Livius lib. XXXIII. cap. 8. de Cornelio: *Tulit in triumpho argenti bigati ſeptuaginta novem millia.* Item lib. XXXIV. cap. 44. de M. Por. Ca-

Catone: *Tulit in eo triumpho argenti infecti XX. millia pondo, bigati centum viginti tria millia.* Et sic locis aliis. Fuerunt autem bigæ illæ, quibus signatum est argentum vulgo, non bellicæ, sed Circenses. Ita docent omnes veteres denarii, qui hodieque extant. Cur autem isto genere monetam publicam voluerint signare, nemo forte dixerit. Scilicet de Jano, rate, nave docuerunt veteres, at de bigis, quantum scio, tradidere nihil. Possunt tamen placuisse bigæ, ut in memoriam revocarent Circenses primos Romuli, quorum occasione comparavit suis matrimonia, & sic civitatem veluti de novo condidit. A bigis quoque legimus *bigarios*. Epigramma vetus in Cælio monte repertum, quod describit Argolus ad Onuphrium pag. 20.

Flores ego hic jaceo —— bigarius infans,
Qui cito dum cupio currus, cito decidi ad umbras.

Extat in eo monumento puer bigis insistens cum palma. Unde suspiceris, *bigarios* vocatos nominatim, qui bigarum agitatores fuere. Cum præsertim & trigarii & quadrigarii hac ratione nuncupentur.

CAP. XII.

De Trigis.

Trigæ. Triga. Trigæ de hominibus. Τειάδες. *Sic quadrigæ.* Τετράζυξ δεσμὸς. Τρίζυγες σύναιμοι. Τρίπωλα. Τρίτπποι. *In eis equus tertius, funalis, & a dextro latere collocatus. Trigæ in bello ludisque Olympicis. Venerunt in desuetudinem jam olim, & quam ob causam, in Circensibus. Trigarium. Martianus explicatur. Cursus extans. Occupare. Cursus instans. Succedere. Cursus raptus. Eripere. Tabula Cecbinorum emendata & exposita.*

NOn æque frequens est trigarum mentio apud veteres Latinos, sicut reliquorum generum. Invenimus tamen apud Varronem in de L. L. lib. VI. ubi ait: *Non ut quadrigæ, trigæ, sic potius duigæ, quam bigæ.* Meminit & Isidorus lib. XVIII. cap. 36. *Quadrigæ, bigæ, trigæ, ab equorum numero & jugo dictæ.* Item paulo post: *Trigas Diis inferis consecrarunt.* Ulpianus dixit *trigam* numero singulari l. 38. ff. de ædil. ed. §. 14. *Simili modo si triga venierit, redhibenda erit tota.* Sic Poeta vetus, Gothofredo laudatus eo loco:

Triga mihi paucos inter dilecta sodales,
Triga sodalitii pars bene magna mihi.

Quanquam ibi videatur agere de homine, quum inter sodales referri diligique currus & equi difficulter queant. Atque possis suspicari, trigam illam usurpasse de amicis tribus peculiariter ei gratis acceptisque. Quomodo & Arnobius sic *trigas Cupidinum* vocavit lib. IV. *Ajunt iidem Theologi, quatuor esse Veneres, tria genera Castorum, totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas.* Hic *trigæ* sunt τειάδες, seu, ut loquebatur ante, *tria genera*. Sic Vopiscus & *quadrigam* usurpavit vita Probi cap. ult. *Nunc in alio libro, & quidem brevi de Firmo & Saturnino & Bonoso & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit, ut quadrigæ tyrannorum bono Principi miscerentur.* Casaubonus hoc loco: *Τετράδα appellat quadrigam, ut alii τὴν δυάδα dixerunt bigam.* Græci ratione


A simili. Nam & Nonno τετράζυξ δεσμὸς, vincula sunt quatuor, & τρίζυγες σύναιμοι, tres fratres in Epigrammatis. Ita namque habet Archias in piscatorem, venatorem & aucupem fratres:

Σοί τάδε Πὰν σκοπιῆτα πενιχρὰ δῶρα σύναιμοι
Τρίζυγες ἐκ τρισσῆς θῆκαν ἀπ' ἀγρεσίης.

Atque ita de iisdem alio epigrammate:

Τρίζυγες ὑρεσίοιτε κασίγνητοι τάδε τέχνας.

Sunt autem τρίζυγες proprie *trijuges*, seu *trigæ*,
B id est, equi tres currui adjuncti. Τρίπωλα maluerunt alii vocare. Philoxenus: Τρίπωλα, *trigæ*. Atque ita Dionysius Halicarnasseus fine libri VII. Ἐν δὲ ταῖς ἱππικαῖς ἁμίλλαις ἐπιτηδεύματα δύο, τό, τε περὶ τὰ τρίπωλα τῶν ἁρμάτων, &c. *In certaminibus equestribus duo sunt studia, unum circa trigas currum.* Invenias & τριίππους. Saltem ita vertunt Magistri, quas Latini vocant trigas. Philoxenus iterum: Τρίιππον, *triga*. Species trigarum fuit, qualis bigarum, nisi quod duobus equis adjunctum haberent tertium, non sub jugo, verum fune religatum ad latus. Dionysius Halicarnassensis dicto loco: Δυσὶ ἵπποις ἐζευγμένοις, ὃν τρόπον ζεύγνυται συνωρίς, τρίτος παρείπετο σειραῖος ἵππος ῥυτῆρσι συνεχόμενος, ὃν ἀπὸ τοῦ παρηωρῆσθαι καὶ συνεζεῦχθαι, παρήωρον ἐκάλουν οἱ παλαιοί. *Duobus equis junctis, sicut jungi bigæ solent, adjungebatur tertius funalis equus loris adnexus, quem quod adsociatus adjunctusque esset, παρήωρον, hoc est, adjunctum, appellabant veteres.* Fuit porro is funalis junctus reliquis a dextro latere, ut arbitror. Ibi enim magis ejus opera erat utilis, quam in sinistro. Unde quoque equum optimum ac præstantissimum eo loco collocabant. Qua de re non repeto, quæ loco alio prolixe demonstravi. Usus trigarum antiquissi-
D mis temporibus ad bella fuit. Nam Heroes apud Homerum vix pugnasse aliter, quam trigis, putantur. Et confirmat Dionysius supra nominato loco, ubi vocat ἀρχαῖον ἐπιτήδευμα καὶ ἡρωϊκόν, ᾧ ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας Ὅμηρος ἐν ταῖς μάχαις χρωμένους. Hoc est: *Institutum antiquum & heroicis temporibus receptum, quo Græcos Homerus facit usos in præliis.* Ex militia transsumptæ sunt in ludos Olympicos, & similes apud Græcos, sicut bigæ. Sed venerunt postea in desuetudinem, credo, quod æquabilior videretur virtus vel duorum modo equorum, vel quatuor, quam trium, e quibus
E funarius plus juvaret unum latus, quam ut alteri non noceret. Docet hoc quoque Dionysius prædicto loco: Ἐν δὲ ταῖς ἱππικαῖς ἁμίλλαις ἐπιτηδεύματα δύο τῶν παλαιῶν πάνυ, ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐνομοθετήθη, φυλαττόμενα ὑπὸ Ῥωμαίων μέχρι τῶν κατ' ἐμὲ διάκειται χρόνων, τό, τε περὶ τὰ τρίπωλα τῶν ἁρμάτων, ὃ παρ' Ἕλλησιν μὲν ἐκλέλοιπεν. Sic scribendus est hic locus, non τρίπολα, ut est in Roberti Stephani editione Anno MDXLVI. Parisiis vulgata. *In equestribus certaminibus duo antiquissimorum studia, ut initio fuerunt instituta, ita hucusque a Romanis observantur, alterum cum trigis curruum, quod quidem apud Græcos omissum est.*
F Testatur abunde, genus hoc receptum olim in certaminibus publicis fuisse, desiisse tamen postea usurpari, nec durasse ad ætatem Dionysii. Floruit autem Dionysius hic tempore Augusti: quo proinde trigæ Græcis non fuerunt amplius in ludis notæ. At vero ante usurpatas docent quoque nummi veteres præsertim Hieronis atque Calenensium, quos hic ex Goltzio appono.



A Græcorum ludis transtulerunt ad Circenses suos Romani, sicut ante docebat Dionysius, & servarunt longo tempore. Igitur & in nummis Romanis effigies eorum cernitur, ut apud Fulv. Ursinum in familia Claudia, Manliaque: apud Gorlæum in familia Nævia, & alibi. Quanquam longe minori occurrant frequentia, quam bigæ vel quadrigæ. Ut tametsi usus earum manserit ad tempora Dionysii, tamen fuerit is rarus. Quod ex eo quoque colligas, quoniam tam pauci trigas nominarunt. Invenimus tamen etiam in tabula Cecchinorum memoratas, quam Onuphrius lib. I. exhibet. Sic enim extat, de C. Appulejo Dioche, agitatore factionis Russatæ: *Vicit* CCCXXXXVII. *Trigas ad Frs* XVIIII. Quod Onuphrius sic explicat: *In his binorum curruum certaminibus trigas agitando vicit quater præmium valoris XV. millium nummorum hoc est CDL.* Cœpit porro hic Diocles Anno U. C. DCCCLXXV. M. Acilio, M. Aviola, C. Cornelio Pansa Consulibus primum agitare, i. e. uti dictus supputat Onuphrius Anno Christi CXXIII. quo Hadrianus Imperator rebus Romanis præfuit. Unde colligitur, etiam post Dionysium Halicarnassensem trigarum usum aliquem fuisse longo tempore. An præter duplicem eum usum, qui expositus a nobis est, habuerint & alium trigæ, communem receptumque, equidem haud dixerim. Observo quidem equos tres in curru Heraclii, quem exhibet nummus a Lipsio propositus lib. III. de Cruce. Sed is currus aliter adjunctos habet equos, quam solebant trigæ veteres. Forma quoque ejus alia, quam trigarum, ut iccirco huc referri nequeat. Etiam a trigis dictos esse *trigarios*, ut *bigarios* a *bigis*, affirmare haud valeo. Afferunt equidem trigarios, qui nobis concinnarunt Lexica ex Plinio lib. XXXVII. cap. 13. pro agitatoribus. Sed illos esse non *trigarios*, sed *strigarios*, eosque non homines, sed locos, alibi jam demonstravimus. Habet trigarios & Marlianus lib. IX. sive potius *trigarium*, ubi ait: *Ipsaque tripos trini cursus præsagia pollicetur, hoc est, Extantis, Instantis, & Rapti. Demum trigarium supplicantis semper germanitatis adveniat, quod vestra vulgo suffragia pollicendo incertos mortalium sensus primum in spem opis superæ provitavit.* Totus locus sumptus est ex re Circensi; nam in circo triplex ille fuit cursus, quem hic nominat. Unus, cum ab ipsis statim carceribus alios quis anteverteret, quod hic circensi propriaque formula nominat *cursum extantem*. Res ipsa & negotium *occupare* dicebatur. Tabula Cechinorum: *Occupavit, & vicit DCCCXV.* Onuphrius sic explicat; *ubi ex carceribus exivit, primus continuo fuit.* Alius, cum quis antecedens sequeretur, & ex carceribus veniret post alios, qui *cursus* dicebatur *instans*. Negotium in dicta tabula est *succedere*. Ita namque habet: *Successit, & vicit, LXVII.* Quod sic explicat Onuphrius: *Alius ante eum aliquandiu fuit, quem prævenit, & vicit.* Alius, cum quis alteri victoriam, quam videtur jam in manibus habere, calliditate singulari eripit, equis scilicet injiciendo pavorem, aut affligendo rotas, aut simile quid agendo, qui *cursus raptus* dicebatur, sicuti negotium, *eripere*. Unde in prædicta tabula; *Eripuit, & vicit DII,* quod Onuphrius idem ait esse, ac *astu vel industria concurrentes prævertit & vicit.* Sic legendum ibi censeo, non *acta*, quod est nihili. Quanquam per hunc cursum triplicem similitudine quadam exprimat cursum vitæ humanæ, in qua alii, velut in circo, aut occupant, aut succedunt, aut eripiunt, id est, vel semper primo loco sunt, vel ex postremis in primum veniunt industria, vel alios dolo fraudibusque subvertunt, ut emergant. Et quia cœpit verba sumere ex circo, pergit, ac *trigarium germanitatis* vocat tres germanas, de quibus paulo ante loquebatur, Genethliacen, Symbolicen, & Thneticen. Ut proinde in trigarii vocabulo hic sit intelligendum *jugum*, id est vinculum trium inter se conjunctarum consociatarumque, quale alias per trigarum vocem supra diximus explicari. Scilicet ut a *bigis*, *bigarium*, sic a *trigis*, *trigarium* est dictum, in quo si intelligas vel jugum vel vehiculum, perinde fuerit, ac si trigas diceres. Nam trigarium proprie ad rem circensem pertinet, ut ostendit Martianus, & tres equos junctos ad currum, licet ipse de germanis tribus usurparit. Quas mox *trigeminam feminam, sive tres in unius nominis vocabulum conspirantes* appellat.

Cap. XIII.

De Quadrigis.

Quadrigæ. Quadriga, quadrigulæ. Quadrijuges equi. Quadrijugi currus. Rhedæ. Flagella. Codex Theodosianus exponitur. Τέτριππον. Τέτρωρον. Τετραπωλία. *Quadrigæ pro quovis genere ludicro. Quadrigæ num cum equis octo. Codex Theodosianus explicatur denuo & Jac. Gothofredi sententia expenditur. Currus ordinarii in circo nunquam dati cum septem vel decem equis. Certamina in circo duplicia. Sejuges ex ordinariis curribus maximus. Quadrigæ proprie dictæ in ludis.* Ἅρμα *Græcis pro quadrigis. Facilius bigis & trigis, quam quadrigis vincere. Quadrigæ Olympionicarum, triumphalium. Currus triumphalis qua fuerit specie. Onuphrii pictura rejecta. Triumphantes stabant in curru. Currus auratus, aureus, eburneus erat. Quadrigæ albæ non videntur ante Cæsarum ætatem in curribus triumphalibus adhibitæ. Plutarchus & alii explicantur. Triumphantes habuere liberos in curribus, etiam sequioris sexus, & amicos. Valerius Maximus exponitur. Onuphrius notatur. Quid singulare habuerit triumphus Vespasianorum. Quadrigarum honos apud Indos. Quadrigarii. Festus emendatur.*

Quadrigarum nomen apud veteres cum Græcos, tum Latinos est notissimum & frequentissimum, ut de eo afferre testimonia Latinis quidem ex Scriptoribus supervacuum videatur. Et jam in superioribus, cum de bigis ageremus, demonstravimus, plerosque viros doctos arbitrari, efferendas esse numero plurali. Atque ita Cæsar quoque censuit in libris de Analogia, sicut Fronto testis est apud Gellium lib. XIX. cap. 8. Quanquam & in singulari dictam esse *quadrigam* non ex Varrone modo, quod fecit Gellius, sed Hygino quoque ostenderimus. Sunt & *qua-*

drigulæ apud Ciceronem de Fato. *Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur*. Plinius in singulari dixit *quadrigulam* lib. XXXIV. cap. 8. *Dextra limam tenet, læva tribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Præneste*. Pro quadrigis Poetæ *quadrijuges equos*, item *quadrijugos currus* dixere. Virgilius lib. III. Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Item lib. x. Æn.

——— *Quin ecce Nyphei*
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit.

Ovidius lib. II. Metam.


——— *Ruunt, tritumque relinquunt*
Quadrijugi spacium, nec, quo prius, ordine currunt.

Ubi *quadrijugos* posuit pro *quadrijugibus*, quoniam utrumque fuit in usu. Servius: *Et quadrijugus & quadrijugis dicimus, sicut inermus & inermis, exanimus & exanimis*. Sunt & *rhedæ*, item *flagella*. L. 5. lib. VI. Cod. Theod. t. 29. *Singulos solidos per singulas rhedas, id est, quas quadrigas vel flagella appellant, percipiatis*. Hic quadrigæ iis quoque veniunt nominibus, quæ dixi. Sed sunt aliæ hæ quadrigæ, quam de quibus agimus hoc loco, sicut ostendemus, quando de rhedis

A sermo erit. Græcis genus hoc est τέτριππον. Glossæ veteres: Τέτριππον, *quadriga*. Inde habes in titulis victorum apud Pindarum. Ut in Olymp. Ode 5. Τῷ αὐτῷ Ψαύμιδι, τεθρίππῳ. Pyth. Ode 7. Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ τεθρίππῳ. Hesychio est τετραΐππον. Verba ejus: Τέτρωρον, τετραΐππον ἅρμα. Ex quibus verbis simul observamus, etiam τέτρωρον appellavisse. Glossæ veteres: *Quadrijugum*, τέτρωρον, ubi semper ἅρμα est intelligendum. Usurpabant alias τετραόρους, in quo intelligebant ἵππους. Homerus Odyss. N.

B ——— Ὡς᾽ ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι.

Hesychius: Τετράοροι, τέσσαρες ἐπὶ τοῦ τεθρίππου ὑπεζευγμένοι. Eustathius observat nuncupasse quoque τετρασείρους. Verba ejus habentur Odyss. N. Τετράοροι δὲ ἢ κατά τινας τετράορες ἵπποι, οἱ τέσσαρες ὁμοῦ συνεζευγμένοι. Η καὶ ἄλλως τετράοροι ἀντὶ τοῦ τέσσαρες ὀρνύοντες. Οἱ δὲ τοιοῦτοι καὶ τετράσειροι λέγονται, παρὰ τὴν σειράν. Est & τετραπωλία pro quadrigis apud Philoxenum: Τετραπωλία, *quadrigæ, singulare non habet*. Forma quadrigarum fuit ea ipsa, quæ bigarum trigarumque, nisi quod adjunctos haberent equos quatuor, e quibus duo fue-
C re jugales, duo funales, illi in medio, hi utrinque a lateribus, ut alibi ostendi. Et ideo Eustathius in verbis præcedentibus illos equos dixit esse τέσσαρας ὁμοῦ συνεζευγμένους, *quatuor una conjunctos*. Exhibetur optime a Rubeno lib. I. Elect. cap. 3. ex lapide antiquo apud portam Nomentanam expressa in hunc modum:



Neque ratio, qua in eis vehebantur, alia, quam qua in cæteris. Nam & in his stare solebant, quod de quadrigis nominatim supra ex Virgilio monstravimus. Plinius lib. VIII. cap. 42. *Claudii Cæsaris Secularium ludorum Circensibus excusso in carceribus auriga, albati equi palmam occupavere, opposita effundentes, omnia, quæ contra æmulos debuissent peritissimo auriga insistente, facientes*. Dicit aperte, aurigas institisse. Fuit autem hoc genus, de quo loquitur, quadrigæ. Solinus cap. 46. agens de eodem: *Ingenia equorum Claudii Cæsaris Circenses probarunt, quum effuso rectore quadrigæ cursu æmulos non minus astu, quam velocitate, præverterent*. Usus quadrigarum an temporibus antiquis fuerit ad bella, non satis affirmare possum. Colligo tamen ex Homeri Iliad. Θ. quando ibi Hector equos suos adhortatur ad prælium, nominatque quatuor:

Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, λάμπε τε δῖε.

Xanthe, & tu Podarge, & Æthon Lampeque nobilis. Sane quoniam in ludis usurpatæ etiam ante Homerum, ludi vero simulachra bellorum, sicut sæpe dictum est, ideo vix potest dubitari. Usurpatas autem ante novimus ex Philargyrio, qui sic

D ad Virgilium: *Varro in libro, qui admirabilium inscribitur, Erichtonium ait primum equos quatuor junxisse ludis, qui Panathenæa appellantur*. Erichtonius hic Mosis circiter temporibus vixit, quod est demonstratum alibi. At Homerus Asæ Regis apud Judæos fuit æqualis, qui post extitit annis circiter sexcentis. Ergo inde jam ab ætate Mosis quadrigæ notæ etiam in ludis fuere, unde vix est dubium, quin & in bellis adhibuerint. Ac in ludis quidem usus quadrigarum fuit tam frequens, ut quadrigas appellarint genus qualecunque. Inde, quod a Græcis ἅρμα dictum, Latini *quadrigas* reddidere. Ita namque habet Ælianus
E noster lib. III. cap. 45. ubi agit de Philippi cæde: Οἱ μὲν γάρ φασι τὸ τοῦ Παυσανίου ξίφος, ᾧ τὸν Φίλιππον διεχρήσατο, ἅρμα ἔχειν ἐπὶ τῆς λαβῆς διαγεγλυμμένον ἐλεφάντινον. At Cicero de Fato: *Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur*. Quibus verbis liquet manifeste, ἅρμα Æliani esse Ciceronis *quadrigulas*. Atque ita & Valerius Maximus lib. I. cap. 8. *Pausanias in capulo gladii, quo eum* (Philippum) *occidit, quadrigam habuit cælatam*. Patet idem adhuc magis, quia urbem Bœotiæ, Ἅρμα, id est, *Harma*, dictam, appellarunt *Quadrigam*. Valer. Maxim. dicto loco de Philippo: *Eumque locum, qui in Bœotia Quadriga vo-*

catur, semper vitavit. Locus ille non est dictus *Quadriga*, si vocabulum respiciamus Græcum, verum *Currus*, id enim est *ἅρμα*, quod illius loci nomen fuit. Ælianus: *Ὁ δ᾽ ἕτερος λόγος, τὴν Θηβαϊκὴν τὴν καλουμένην Ἅρμα περιελθόντα λίμνην, ἀποσφαγῆναι*. Quadrigas igitur pro curru posuere etiam in loci nuncupatione. Multo vero magis in re Circensi, ubi quadrigæ nuncupatæ, quæcunque essent, bigæ, trigæve. Tali sensu Horatius loco alibi laudato: *Apta quadrigis equa*. Nam & bigis trigisque, ac cæteris generibus, apta fuit. Simili modo Suetonius in Claudio cap. 21. *Super quadrigarum certamina, Trojæ lusum exhibuit*. Nec enim necesse est, ut quadrigis solis credamus pugnatum. Et *ἵππων ἁμίλλας* generali notione vocat Dio lib. LX. Tacitus de Nerone lib. XIV. cap. 14. *Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistendi*. Quadrigarum curriculum non in specie, sed generatim etiam de aliis intelligendum. Quin imo quadrigæ sunt cum equis octo, si audimus Interpretem doctissimum in Codic. Theodosiani lib. VI. t. 4. l. 19. Lex se ita habet: *Satos de Frygiæ gregibus equos XX. quatuor, subjugandos quadrigis, hoc est, simul octo, duobus maximarum editionum Prætoribus dari sancimus*. Hic vir doctissimus, mihique amicissimus, cum viveret: *Quid octoni equi ad quadrigam seu τέθριππον, quæ quatuor tantum equis constabat? Nempe, etsi prima origine propriaque quadriga sit τέθριππον quadrijugis, quæ a quatuor equis trahitur: Attamen quadrigæ nomen mansit, etiamsi plures subjungerentur equi, quod sæpe eveniebat*. Quod docet de quadrigis non equorum semper quatuor, id sine dubio se habet optime. At quod ad quadrigas hic commemoratas censet junctas octo, potest habere dubitationem. Neque enim video, qui possint hanc interpretationem admittere verba *hoc est*. Nam qui dat equos viginti quatuor, jungendos quadrigis, non statim per hoc significat simul octo esse jungendos. Jam vero illud *hoc est* ostendit, esse in verbis præcedentibus, unde sequens *simul octo* colligatur. Itaque illud *simul octo* puto ad præcedens *quatuor* referendum, verbaque explicanda non de equis, sed quadrigis. Ut sit ille sensus: Concessisse Imperatorem equos ad quadrigas non simpliciter, sed quatuor. Non enim est verisimile, Imperatorem nominasse quadrigas, nec illarum determinasse numerum. Res ipsa enim postulabat, ut ostenderet, quot quadrigas suis instrui vellet equis. Quatuor ergo quadrigæ illæ fuere, sed destinatæ singulis Prætoribus. Qui cum essent duo, ut lex ait, liquet, illas quatuor quadrigas cuilibet concessas facere *simul octo*. Ad has octo quadrigas quot in universum equos Imperator dederit, non satis constat. In editione Cujacii, quæ excusa est Aurelianæ Allobrogum apud Johannem Arnoldum Anno MDLXXXVI. ante numerum, equos definiturum, videlicet XX. stellula est posita, quæ indicat, locum esse hiulcum. Cl. Gothofredus plane nullos legi posse numeros testatur istis verbis: *MS. hac parte exesus exhibet tantum, Equos .... quatuor, sic ut internoscere non possim, quid ibi replendum sit*. Si illud XX. recte se haberet, dicerem, a prima manu fuisse XXIV. ac id IV. a sciolo deletum esse propter sequens *quatuor*, velut bis foret scriptum, denique legem totam sic scribendam atque distinguendam esse: *Satos de Frygiæ gregibus equos XXIV. quatuor subjugando quadrigis, hoc est simul octo, duobus maximarum editionum Prætoribus dari sancimus*. Quæ lectio si esset vera, demonstraret, quadrigas illas adeo non habuisse equos octo, quod vult vir eruditissimus, ut potius habuerint solos tres. Ter enim octo faciunt viginti quatuor, quot equos Imperator ad quadrigas indulsit. Verum cum de numero incertum sit ex MS. nolo veram præstare certamque conjecturam nostram. Sane currus in solenni ludicro Prætorum datos cum adjunctis equis octo, vix persuadeor. Nam quos laudat Gothofredus cum sex, & septem, & decem equis, ex Suetonii Nerone c. 24. & Cecchinorum tabula, illi vero minime fuerunt ordinarii, quod locus uterque manifeste docet. Sane currus in ludis ordinariis suos habebant deos, quibus fuerunt consecrati. Bigæ spectabant ad Lunam, quadrigæ ad Solem, sicut docent nos, qui de re Circensi egerunt. At octojugas Deo alicui fuisse dicatas, nemo legit hactenus, ut puto. Non fuit ergo cursus ille ordinarius, ac iccirco dari a Prætoribus in adornatione ludi ordinarii non potuit. Agnovit jam Onuphrius. Itaque in explicatione tabulæ illius ita ait: *Hactenus auctor tabulæ exposuit certamina, præmia, & quæ Diocles ex provocatione bigis, trigis, quadrigis, sejugibus & septemjugibus cum singulis, binis, & ternis concurrentibus vicit. Modo eas victorias enumerat, quæ ludis Circensibus ordinariis & sacris vicit*. Fuerunt ergo alia certamina ordinaria, & alia extraordinaria. Hæc ex provocatione, illa ex lege sacrorum. Illa fiebant quolibet genere, quocunque inter provocantes convenisset. At ordinaria non item tantum bigis, trigis, quadrigis, & sejugibus celebrabantur. Inde est, quod sejuges Isidorus quoque vocet currum maximum. *Sejuga*, inquit, *maximus currus, currit Jovi, propter quod maximum deorum suorum eum esse credunt*. Si sejuga currus maximus in ludis Circensibus sacrorum caussa celebratis, ergo in his ludis septemjuges, octojuges, decemjuges non cucurrerunt. Si non cucurrerunt, non potuerunt dari a Prætoribus ludos istos exhibentibus, quippe quibus incumbebat, leges ritusque sacrorum observare. Unde nunc colligitur, quadrigas, quas commemorat lex Codicis Theodosiani, octojugas intelligi non posse, cum mentionem faciat Prætorum, qui non edebant, nisi Circenses solennes, id est sacros. Et hæc quidem de quadrigis Codicis prædicti, ac in universum illis, quæ & generis alterius fuere. De iis vero, quæ revera fuerunt quadrigæ, hoc est equos adjunctos habuerunt quatuor, manet certum, fuisse usum illarum in ludis, sive Græcos spectemus, sive Latinos, frequentissimum. Dionysius Halicarnassensis fine lib. VII. ubi nominatim describit ludos Circenses: *Πρῶτος ἀγὼν ὁ τῶν τεθρίππων τε καὶ συνωρίδων καὶ τῶν ἀζεύκτων ἵππων ἐγίνετο δρόμος, ὥσπερ Ἕλλησιν τὸ ἀρχαῖον Ὀλυμπιάσι τε καὶ μέχρι τοῦ παρόντος*. *Primum certamen* (in Circo) *erat quadrigarum & bigarum, & equorum non jugatorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympiadibus usque ad hæc præsentia tempora*. Vides, apud Græcos usum quadrigarum in ludis solennibus, eumque frequentissimum. Ideo & primo loco eas posuit. Et recenset nominatim Pindarus Theronem victorem in ludis Olympicis quando ait Ode 2. Olym.

Θήρωνα δὲ τετραορίας
Ἕνεκα νικαφόρου
Γεγωνητέον ὀπί.

Sed Theronem ob cursum in quadrigis victorem, sonare oportet carmine. Inscriptio illius odæ est: *Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ, ἅρματι*. Ex qua inscriptione liquet, Græcis *ἅρμα* sæpe specialius de quadrigis usurpari. Neque dubito, quin hic sensus sit *τοῦ ἅρματος* & alibi. Ut in Pythiis, ubi est inscriptio, *Ἱέρωνι Αἰτναίῳ, Συρακουσίῳ, ἅρματι*, nam Poeta ipse.

Μοῦσα καὶ παρ᾽ Δεινομένει κελαδῆσαι
Πείθεό μοι ποινὰν τεθρίππων.

Musa etiam apud Dinomenem ad canendum mihi obsequere, præmium quadrigarum. Vocat quadrigarum præmium, quod debetur Hieroni, hoc ait cantaturum sese apud Dinomenem, qui fuit filius Hieronis. Unde liquet, Hieronis victoriam fuisse cum quadrigis. Meminit & Goltzius vita Gelonis, ubi de Hierone: *Ter in Olympicis victoriam adeptus est, semel quadrigis, bis celete, quod in Gelensium numismatibus expressum cernitur*. Numi Gelensium, quos laudat Goltzius, non quadrigas exhibent, sed trigas, ut victoriam quidem doceant, genus victoriæ non doceant, si a Goltzio recte sunt expressi. Nam quadrigis convenit, ut Pindaro credamus. Qui similiter in Ode sequenti, quam hujus ipsius victoriæ causa putant scriptam,

Φέρων μέλος ἔρχομαι
Ἀγγελίαν τετραορίας ἐλελίχθονος.

Afferens carmen venio, nuntium quadrigarum quatientium tellurem. Ubi pariter in titulo est scriptum, τῷ αὐτῷ Ἱερῶνι, ἅρματι. Denique τὸ ἅρμα pro quadrigis poni credidit & Schmidius, quando ita scribit Pyth. 6. Τεθρίππῳ *seu quadrigis, sive, quod idem est, & a* (sic edendum fuit, non *ad*) τετρίππῳ *subauditur*, ἅρματι, *curru, ad quem quatuor equi jungebantur*. Igitur & de superiori Hieronis victoria, de qua Goltzius: *Vicit Hiero Pythiade* XXIX. *juxta inscriptionem*, ἅρματι. *i. e. curru, videlicet*, τετρίππῳ. Neque aliter vox ἅρματος accipienda apud Diodorum lib. XIII. ubi de Exæneto Agrigentino ludorum Olympicorum victore: Κατήγαγον αὐτὸν εἰς τὴν πόλιν ἐφ' ἅρματος. Fuit enim currus junctus equis quatuor, quo victores illi vehebantur, ut post planum faciam. De quadrigarum usu in ludis Circensibus apud Romanos, testimonia sunt innumera. Ovid. III. Amor. el. 2.

Maxima jam vacuo præco spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.

Atque sic Virgilius, sic Dionysius in verbis antea prolatis. Etiam Onuphrius ad tabulam Cecchinorum docet, quotiens non exprimatur genus, capiendum esse de quadrigis. *Annotatione dignum, quod quum dicitur, singulas, binas, ternas, & similia, sine aliqua adjunctione, quadrigas intelligendas esse, quarum cursus usitatus erat, nam in reliquis currus genus additur, ut bigæ, trigæ, sejugis, & septemjugis*. Quamquam & expresse legatur in eadem tabula his verbis: *Quo anno primum quadrijugis victor extitit bis*. Quod fortassis ideo notatum, quia vicit ante, verum trigis bigisve, quod opinor levius fuisse. Vetus Epigramma:

Hoc Rudis aurigæ requiescunt membra sepulchro
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Jam qui quadrijugos auderem scandere currus
Et tamen a bijugis non removerer equis.

Dicit, se retinuisse bijugos, licet ausus fuerit & quadrijugos currus agitare. Unde constat, majoris ausus rem fuisse, si quis agitare posset velletque quadrijugos, quam si bijugos. Atque ita res se habuit haud dubie cum cæteris generibus. Quo plures ad currum juncti erant equi, hoc difficilior fuit aurigatio. Inde tanta laus Dioclis in dicta tabula, quod septemjuges primus junxerit, & vicerit. Et hæc satis de quadrigarum usu ad bella & spectacula. Præter hunc quadrigæ habuerunt proprium, apud Græcos quidem, quod ingrederentur eis victores ludorum Olympicorum, apud Romanos vero triumphantes. De victoribus Olympicis docet nos Vitruvius lib. IX. in proœm. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pithia, Istmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invebantur*. Verbis apertissimis monstratur, quadrigas fuisse, quibus vehi mos esset. Atque ita pridem observarunt alii, quos inter est Hospinianus in de Festorum origine, qui auctorem laudat Xenophanem Colophonium. *Xenophanes Colophonius*, ait, *scribit, Olympionicas cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphantes, disjecta parte muri per ruinas quadrigis invectos*. De triumphantibus Romanis cognovimus ex Dionysio Halicarnassensi, qui Romulo ipsi tribuit lib. II. ubi victoriam illius de Cæninensibus & triumphum describit. Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ περεμβεβηκώς. *Ipse pompam extremus claudebat, ut regiam dignitatem tueretur, quadrigis invectus*. At Plutarchus vita Romuli: *Romulum fallitur Dionysius, quando usum dicit curru. Siquidem Tarquinium Demarati filium proditum memoriæ est, regum primum eam in speciem & fastum evexisse triumphum. Poplicolam scribunt alii primum curru triumphantem invectum*. Cum Plutarcho faciunt Scriptores Romani tantum non omnes. Quicquid vero sit, hoc constat, currum triumphantium solennem fuisse quadrijugum, jam inde ab initio ejus consuetudinis. Ideo & Florus, qui Tarquinium & ipse laudat triumphi auctorem, lib. I. cap. 5. *Inde* (a Tuscis) *quod aureo curru, quatuor equis triumphatur*. Pedo Albinovanus in Consol. ad Liviam, ubi auguratur Drusi in campis Elisiis triumphos

—— —— *Quadrijugis aureus ibit equis*.

Quanquam vero currus ille fuerit quadrijugus, speciem tamen habuit nonnihil diversam a quadrigis militaribus Circensibusve. Zonaras tom. III. An. Τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ οὔτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερὲς, ἀλλ' εἰς πύργου περιφεροῦς τρόπον ἐξείργατο. *Currus non erat similis ei, cujus usus est in certaminibus ludicris, nec cujus usus in bello, sed rotunda figura instar turriculæ constructus*. Non de curru toto hoc intelligendum, verum capsa, sive illa parte, quam conscendunt occupantque, qui vehuntur. Ea fuit rotunda, & clausa in ambitum. Cætera conveniebant cum quadrigis aliis: ut rotarum numerus, equorum jungendorum ratio, & similia. Quo vero melius structura ejus intelligatur, apponam hic, ut eam exhibent nummus Lepidi & Vespasiani.





Atque ita speciem hujus currus proposuit & in libro, quem de Triumpho scripsit, Onuphrius. Quo magis miror in Triumpho majore, edito Antverpiæ per Gerhardum de Jode, triumphanti Imperatori dare vehiculum quadratum, cum rotis quatuor, & in supremo sella, cui insideat. Nihil habet veri tota ea pictura. Vehiculum erat rotundum, rotas

habebat duas, triumphans denique non sedebat in A eo, verum stabat. Ita manifeste nummi ante prolati docent. Et Ovidius III. de Pont. el. 4.

Illa Ducis facies in curru stantis eburno.

Juvenalis etiam Sat. VIII.

—— Et stantes in curribus Æmilianos.

Hinc Severus *Parthicum sibi deferentibus patribus triumphum recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset*, uti ait Spartianus. Erat vero id vehiculum ex auro, si est fides Flori, B qui loco antea laudato testabatur a Tarquinio imitatione Tuscorum institutos triumphantium *currus aureos*. At Demsterus in Paralip. cap. 29. lib. v. Rosini, ubi verba eadem adducit, non scribit *aureos*, sed *auratos*. Quomodo non legendum, intelligendum saltem apud Florum videtur. Cum præsertim idem afferat tanto post Publ. Decius in oratione contra Appianum apud Livium lib. x. cap. 7. ubi post alia: *Jovis Optimi Maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium ascendit*. Et Propert. lib. I. eleg. 16. de Janua loquens:

Cujus inaurati celebrarunt limina currus. C

Et Porcius Latro apud Senecam contr. 30. *In Cn. Pompejum terra marique victorem fuit, qui carmen componeret. Fuit aliquis, qui licentia carminis tres auratos currus contemneret*. Vocat *tres auratos currus*, quibus usus est in triplici triumpho Pompejus de tribus Orbis partibus. Faciunt tamen mentionem etiam de aureis. Eutropius lib. IV. de Paulo Æmilio agens: *Triumphavit magnificentissime in curru aureo*. Quanquam forte aureus hic currus ita debeat intelligi, ut apud Florum, cum Pompejus usus sit aurato. Sane currus aurei sub Imperatoribus demum videntur orti. Horatius Epod. D od. 9.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactos boves.

Turnebus lib. II. Adv. cap. 16. explicans hunc locum ita ait: *Aurei in Horatio currus leviter audiuntur, auresque pæne nostras prætervehuntur aliud agentibus. Nec attendimus, tales triumphantium Augustorum fuisse currus. Mihi nolo credi, sed Philostrato in Dionis vita, quod dixi, tradenti hunc in modum*: Τραϊανὸς γοῦν Αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς ῥώμης ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ᾽ ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ἐπιστρεφόμενος πρὸς τὸν Δίωνα. E Censet vir doctissimus, currus aureos in triumphis proprios Imperatorum sive Augustorum fuisse, unde sequitur, ante Cæsarum ætatem habuisse auratos. Differebant autem currus aurei ab auratis, quod hi bracteis aureis solummodo, illi laminis ex auro essent inducti. Et conveniebat hoc splendori Cæsarum, ut alterum prioris ævi moderationi. Non vero aureos solummodo habuere currus Imperatores sive Cæsares, verum etiam eburneos, id est, F eburneis sigillis cultos ornatosque, in illo ipso auro, uti suspicor. Ovidius lib. IV. Trist. eleg. 3. de mente sua, spectatura Cæsaris triumphum:

Invenietque viam, qua currus spectet eburnos.

Et lib. III. ex Ponto, ep. 4.

Illa Ducis facies in curru stantis eburno.

Item Pedo de triumpho Drusi in campis Elysiis:

Regalique habitu, curruque superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Eburneo & aureo huic currui adjuncti erant equi coloris albi, fuitque hoc de colore observatum statim ab initio triumphorum, ipsoque Romulo, si sequimur Propertium, qui lib. IV. el. I.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Verum hæc de Romuli triumpho fidei ancipitis est narratio, ut supra indicavi. Magis Livio crediderim, qui Camillum scribit primum ita triumphasse lib. v. c. 23. *Maxime conspectus ipse est, curru equis albis juncto urbem invectus: Parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparari Dictatorem, in religionem etiam trahebant, triumphusque ob eam unam maxime rem clarior, quam gratior, fuit*. Sane odium tam memorabile in virum de Republica optime meritum sine causa ortum esse non potuit. Non fuit autem hæc, quam prodit Livius, caussa, & ante ipsum illa triumphantium fuit consuetudo. Adde, quod hoc ipsum crediderit tradideritque Plutarchus, Scriptor pari diligentia judicioque præditus. Quanquam assequi non possim, quod ne postea quidem scribat quenquam istoc usurpasse. Τέθριππον ὑποζεύξας λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον οὐδ᾽ ὕστερον. *Quatuor equos albos adjunxit ad currum, eoque Romam est ingressus, quod nemo Imperatorum, neque ante, neque post ipsum fecit*. Servius profecto tradit velut rem solennem ad lib. IV. Æn. vers. 543. *Qui triumphat*, inquit, *albis equis utitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat*. Verum potest Servius ad sua respexisse tempora, quod fortasse fecerunt & cæteri, qui de quadrigis albis loquuntur. Omnes enim Cæsarum ætate vixerunt. Ovidius lib. I. de Arte:

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

Plinius in Panegyrico cap. 22. *Priores* (Principes) *invehi & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat*. Apulejus in Apologia: *Peram & baculum Philosophis exprobrares? Igitur & triumphantibus quadrigas albas*. Similia habes apud Claudianum & alios, sed quos puto respexisse cunctos Cæsarum ætatem, qua videtur primum invaluisse usus equorum alborum in curribus triumphalibus. Ante ista sane tempora, ignoro, an quadrigæ albæ triumphantium legantur. Nemo sane ex his, qui pro quadrigis albis, etiam ante receptis, pugnant, vetustiorem aliquem auctorem pro se nominat. Sed nec, qui vetustiores descripserunt triumphos, albos equos memorant. Dionysius Halicarnassensis de triumpho Siccii, lib. VIII. Καὶ εἰσήλασεν ἅρματι παρεμβεβηκὼς χρυσοχαλίνων ἵππων. *Invectus est in urbem curru cum equis aureis frænis insignibus*. Nudos vocat equos, non albos, quos, ut χρυσοχαλίνους, sic λευκοὺς dicturus erat, si fuisset ista consuetudo. Sic Plutarchus de Æmilio Paulo: Εἶτ᾽ αὐτὸς ἐπέβαλεν, ἅρματι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς. *Post ipse invectus est curru egregie ornato*. Equos nullos albos memorat. Et sic alii, ut plane vera esse censeam, quæ de Ἡγεμόσι, hoc est, Ducibus ante Cæsares, Plutarchus observavit. Habebant alias triumphales currus etiam hoc singulare præ Circensibus & reliquis, quod licet plerumque unus tantum triumphans eis insisteret, aliquando tamen accederent & plures. Tri-

umphantes enim liberos assumere suos solebant, ac in eundem secum recipere currum. Valerius Maximus lib. v. cap. 10. de Æmilii Pauli filio: *Alter triumphali curru conspectus post diem tertium expiravit*. Tacitus de Germanico lib. II. Annal. cap. 41. *Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus*. Et intelligendi liberi utriusque sexus. Capitolinus in Marco cap. 12. *In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen, ut & puellas virgines veherent*. Nec ad liberos hoc tantum pertinebat, sed & alios, quos amabant. Sic de Commodo Lampridius cap. 3. *Bellum, quod pater pæne confecerat, Regibus hostium addictus remisit, ac Romam reversus est. Romam ut rediit, subactore suo Antero post se in curru locato triumphavit*. Hoc prætextu Claudia videtur usa, cum sequeretur sive patrem, sive fratrem triumphantem. Suetonius in Tiber. cap. 2. *Etiam virgo Vestalis fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset*. Aliud est, quod habet Paulus Diaconus libr. nono supplementi Eutropiani, nec huc trahi debet, ut est factum a quibusdam. Verba Diaconi: *Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus id spectaculum fuit, patrem & filium, uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse*. Vix est dubium mihi, quin loquatur de Vespasiano & Tito filio, nam Diaconus ipse quidem nunc ad manus non est. At vero Titus a Vespasiano patre non assumptus est amoris gratia, ut solebant alias, vel propinquitatis, verum debiti, ut particeps laborum, & confecti belli Dux supremus. Notat tamen ex hoc loco, nisi fallor, Onuphrius libro de Triumphis, Vespasianum & Titum primos extitisse, qui uno curru triumpharent: *Duos Imperatores*, ait, *uno curru triumphali vehi, quanquam una bellum aliquod confecissent, nunquam inveni: Singulis triumphos decerni mos erat. Primi omnium Rom. ducum Vespasianus Augustus & Titus Cæsar Judaicum triumphum uno curru vecti una egerunt, post quos a sequentibus Imperatoribus id aliquando usurpatum*. Sed est error hic Onuphrii, qui errantem secutus est Diaconum. Nempe cum Diaconus apud Eutropium legisset; *Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit*; adjiciendum putavit, quod deerat scilicet, de curru uno, spectaculoque cunctis antea ignoto. At hoc merum Diaconi commentum est. Josephus, quo certiorem velioremque testem adducere alium non possumus, lib. VII. Bel. Jud. c. 24. ubi totam seriem triumphi memorat: *Post hæc Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur*. Vel, ut Græca habent; *μεθ' ἃ ὁ Οὐεσπασιανὸς ἤλαυνε, καὶ Τίτος εἵπετο*. Quibus verbis clare indicatur, habuisse utrumque currum suum per se, Vespasianum priore loco, Titum vero posteriore. Arguuntque idem nummi veteres, qui Vespasianum semper exhibent unicum in curru, non omissuri Titum, si præsertim actum sic fuisset, quod nunquam antea consuetum fuit. Denique si quid accidit tum singulare, illud fuit, quod eodem die Pater atque filius triumpharent. Sed nos de triumphis agere non proposuimus. Nec de usu quadrigarum nobis superesse quid dicendum arbitramur. Nisi forte, quod illarum honos magnus fuit apud Indos quoque, proximusque ab elephantis. Arrianus in Indicis. *Δεύτερον δὲ τιμῇ ἐπὶ τούτῳ, τὰ τέτριππα*. Loquitur de elephantis, & addit: *Proximus his honor, vehi quadrigis*. A quadrigis appellarunt *quadrigarios*. Suetonius in Nerone cap. 16. *Vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat*. Uti tamen quadrigarii non sunt illi tantum, qui agebant quadrigas in Circensi ludicro, sed in universum omnes, currus quoscunque in Circo agentes. Ita Festus: *Factio & factiosus initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur*. Quadrigarii sunt agitatores Circenses cujuscunque generis. Glossæ veteres. *Quadrigarius, ἁρματηλάτης, ἱππηλάτης, ἡνίοχος*. Atque ita fere semper invenias, propter dignitatem & frequentiam quadrigarum. A quadrigis nummos etiam vocarunt *quadrigatos*, quia quadrigarum nota erant insigniti. Festus voce *Grave æs*: *Bello Punico Populus Romanus pressus ære alieno, ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem valerent. Item nummi quadrigati & bigati a figura cælaturæ dicti*. Habes ecce nummos quadrigatos. Sed quæ causa Festo hic agendi de bigatis atque quadrigatis. Quomodo hæc verba; *Item nummi*, & quæ sequuntur, cum superioribus cohærent? Ego dubitare nequeo, quin Festus scripserit, *Iidem nummi*, scilicet de quibus antea locutus fuit, & intellexerit asses liberales, quatenus denarii effecti erant. Denariorum enim propriam hanc fuisse notam & diximus superius, & plerique docti confirmant. Quadrigatorum mentio & apud Plinium, cujus tamen verba, quia nobis sunt allata in superioribus, hic non censemus esse repetenda.

CAP. XIV.

De Sejugibus, & reliquis hujusmodi vehiculis.

Sejuges. An habuerint & quinquejuges. Sejugæ. Ἑξαίπποι. Ἕξιπποι. Ἑξάζυγαι. *Usus earum in circo. Argolus notatur. Plinius exponitur. Sejugas statuas primus posuit Augustus. Sejuges duplices in circo. Sejuges in pompa.* Πομπικὸν ἅρμα. *Interpres Dionis refutatur. Septemjuges. Onuphrius notatur. Quis eas primus invenerit. Equi in se juncti. Vincere sejuge, & vincere sejuges different. Onuphrius denuo notatur, & tabula Cecchinorum exponitur.* δεκάπολος.

EXplicavimus huc usque illud genus, quod Græcis Latinisque pariter cum ad alia, tum præcipue ad ludos & spectacula etiam antiquissimis temporibus in usu fuit. Addemus nunc & alterum, quod & recentioris est inventi, nec nisi raro usurpatum. Ex hoc primi sunt *sejuges*. Nam quinquejuges nec apud Græcos, nec apud Latinos invenio. Unde ne in usu quidem existimo fuisse. Videturque hoc ideo factum, quia in excogitatione novorum vehiculorum id præcipue respiciebant, ut numerum simplicem equorum in vehiculis vetustis facerent duplicem. Sic ex biga facta est quadriga, e triga sejuges. Quanquam cum habuerint decemjuges, ut mox dicam, magis forte respexerint ad numerorum occultiorem rationem. Sejuges ita dicti, quod sint juges equi sex. *Juges* porro pares, id est æqua fronte consistentes. Festus: *Juges, ejusdem jugi, pares, unde & conjuges, & sejuges*. Alia igitur est ratio vocabuli hujus, alia bigarum quadrigarumque. Quare Isidorus jungere non debuit lib. XVII. cap. 36. veluti communi ratione formarentur *Quadrigæ*, ait, *& bigæ, trigæ & sejuges ab equorum numero & jugo*. Nisi velimus a jugo dictum esse sicut *jugis, juge*, ita, *jugus, juga, jugum*. A *jugis* esse *juges*, indeque *sejuges, septemjuges, decemjuges*, & sic deinceps. A *juga* esse *jugas*, indeque *bijugas, trijugas, quadrijugas*, quas contracte postea dixerunt *bigas, trigas*, & deinceps. Quæ opinione mea est verissima sen-

tentia. Neque enim dari poteſt ratio, cur veteres credi debeant voluiſſe aliter appellare bigas & trigas, aliterque ſejuges & ſeptemjuges, cum ſit ſimilis ratio vehiculorum omnium. Sed nec monaci vox obſtare poteſt, nam & illa per compendium ac contractionem a monajugo poteſt eſſe formata, ut primum fuerit *monajugus*, inde *monagus* & *monacus*. Erunt ergo hæc vehicula ſic dicta non a *jugo* verbo, nec *jugo* nomine, ſed nec ab *ago*, verum *jugis* vel *jugibus* adjectivo, quod ſignificat æqua fronte conſiſtentes, vel ut Feſtus reddit, pares, quia hoc præcipue a cæteris vehicula iſta differebant, quod haberent equos pari vel æquali fronte collocatos. Neque alia eſt cauſſa, cur non modo *ſejuges* vocarint, ſed & *ſejugas*. Ad quem modum quoniam dixerunt quoque *bijuges*, & *trijuges*, & *quadrijuges*, non erit neceſſe, ut *bigas*, *trigas*, *quadrigas* exiſtimemus formatas ab *agendo* velut *agas* magis, quam a *bijugas*, *trijugas*, *quadrijugas*. Græci nominarunt ἑξάιππος, ſi Philoxenum audimus. Ἑξάιππος, ait, *Sejuga*. At apud veterem magiſtrum titulo de ſpectaculis ἑξζυγεις hac notione. Ita namque habet, *Biga*, συνωρίς. *Sexjunge*, ἑξζυγεις. Ubi tamen mallem legere vel *ſexjuga* vel *ſexjuge*, ut intelligatur in poſteriori *vehiculum*, in priori ſervetur ratio, quæ in biga & quadriga eſt. Ἑξάπωλον ἅρμα vocavit Herodianus lib. v. Athenæo pro ἑξάιππον, eſt ἑξιππον. Sejugum vel ſejugorum mentionem ipſe, quantum ſcio, primus facit apud Græcos, tribuitque Antiocho, quem exhibuiſſe ſcribit in ſolenni pompa. Verba ejus lib. v. inter reliqua ejus pompæ viſu digna: Ἑξίππα μὲν ἦν ἑκατὸν, τετρίππα δὲ τεσσαράκοντα. *Sejuges centum proceſſerunt, quadrijuges vero quadraginta*. Johannes Antiochenus appellavit ἑξαζύγους ἵππους, in Excerpt. Peireſcianis p. 829. ἐπὶ ἅρματι χρυσῷ καὶ λευκοῖς ἑξαζύγοις ἵπποις ἀναβιβάσας. Num in ludis quoque adhibuerint, ignoro, neminem profecto ex Græcis ſcio, qui hoc prodiderit. At vero apud Romanos in Circenſibus non omnino fuerunt ignoti. Nam ſic ait Iſidorus: *Sejuga, maximus currus currit Jovi, propter quod maximum deorum ſuorum credunt*. Vocat currum maximum, non quod non major fuerit, aut plures equi unquam ſint adjuncti, ſed ad Circenſes inter ſacra vehicula, & in honorem deorum mitti ſolita majorem non uſurparint. Unde tamen hoc colligitur, quod uſurparint, & ſolenniter uſurparint. Quare neſcio, cur Argolus ab Auguſto demum prodat inventas. Verba ejus in Notis ad Onuphrium, ubi Onuphrius id ipſum, quod Iſidorus, docuerat: *Sejuges ab Auguſto primum inductos conſtat*. Unde vero hoc conſtet, ego ſane ignoro, nec legere me recordor. Verum ſuſpicor, deceptum Argolum a Plinio non ſatis diligenter inſpecto. Plinius ſic habet lib. XXXIV. cap. v. *Serum hoc, & in his nonniſi a Divo Auguſto ſejuges, ſicut & elephanti*. Hic quia ſejuges dicuntur ab Auguſto, ipſe de ſejugibus in ludis Circenſibus accepit. Atqui totum illud caput agit de ſtatuis, & inter cætera de curulibus etiam, quas ponebant apud Græcos Romanoſque. Unde verba proxime præcedentia ſic habent. *Sed illi* (Greci) *celetas tantum dicabant in ſacris victores. Poſtea vero & qui bigis vel quadrigis viciſſent. Unde & noſtris currus in his, qui triumphaviſſent. Serum hoc, & in his nonniſi a Divo Auguſto ſejuges*. Sententia eſt, fuiſſe receptum apud Græcos primum, ut ſtatuas equeſtres dedicarent illi, qui victores extitiſſent in ludis ſacris celete. Poſtea factum, ut dicarent quoque bigas vel quadrigas ſculptas marmore vel fuſas ære, qui viciſſent iſto genere. Inde conſuetudinem veniſſe Romam, ut & qui triumphaſſent, dedicarent ſtatuas triumphales, quadrigas puta: ſed hoc factum ſero, & adhuc ſerius, ut triumphales ſejugas. Hoc enim primum auctorem habere D. Auguſtum. Nulla mentio ludicri Circenſis, aut quod ſejuges in eis miſerit Auguſtus. Et ſi ſolenne fuit ut currerent Jovi, etiam ante Auguſtum longo tempore fuiſſe notas neceſſe eſt. Quanquam forte raro miſſi, cum rariſſimam illorum fieri mentionem videamus. Sejuges profecto, quorum mentio in tabula Cecchinorum, Onuphrius inter extraordinarios putat referendos. Tabula ſic habet: *Præmia majora vicit* LXXXXII. XXX. XXXII. *ex his Sejuges* III. XXXX. XXVIII. Item: *Diocles eminet, quod una die ſejuges LTS. XL. miſſus bis utraque victor eminuit* Hic ſejugum certamen exiſtimat ex provocatione factum. Alii ergo ſejuges ordinarii, Jovis honori dicati, quorum cæteri, excepto Iſidoro, vix fecere mentionem. Leguntur ſejuges adhibiti a Romanis etiam in pompa, cujus rei Cajus Cæſar primus fuit auctor. Dio lib. LIX. Καὶ οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν ἵππευσαν, καὶ τὸ πομπικὸν, ἐφ' οὗ ἤχθη, ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν, ὃ μηπώποτε ἐγεγόνει. Vertunt: *Patricii pueri Trojam luſerunt. Sex equis tractus eſt currus triumphalis, quo Cajus vehebatur, nunquam ante uſitatum*. At vero toto illo loco nil de bello, multo minus de triumpho. Et πομπικὸν ἅρμα non eſt *currus triumphalis*. Loquitur de eo curru, quo eſt uſus Cajus in pompa Circenſi, antecedit enim, dediſſe populo varia ſpectacula, etiam equeſtria curuliaque. Hoc eſt πομπικὸν ἅρμα, quo ipſe, velut Dux illius pompæ, niſi fallor, utebatur. Hoc nunquam ante viſum erat, quando currus tantum Jovis fuit ſejugus. Venio ad SEPTEMJUGES. Hos Onuphrius ait in Circo fuiſſe uſitatos Neronis temporibus. Verba ejus ſunt, lib. I. cap 8. *Septem decemque jugis aliquando aurigatum fuiſſe, refert Suetonius in Nerone, cap.* 24. Sed vero Suetonius nil ibi habet de ſeptemjugis, decemjuges tantum memorat. Interim non repugnem, potuiſſe jam eo tempore cœptos eſſe uſurpari, nec tamen, ut currus ordinarios, ſed extraordinarios, & provocatione ac arbitrio certantium inter ſeſe junctos. Nam ordinariorum quidem currus maximus fuit ſejugus, ut jam ſupra indicavimus. Quanquam, ſi ſequamur tabulam Cecchinorum, auctor ſeptemjugum in Circo fuerit Diocles, qui vixit tempore Hadriani atque Antonini Pii. Verba ſunt clariſſima: *Suiſque ſeptem equis in ſe junctis, nunquam ante hoc numero equorum ſpectato certamine, ad LTS.L in abigeis victor eminuit*. Non poſſum hic equos *ſeptem in ſe junctos* intelligere, niſi ſeptemjuges, qui *in ſe*, pro *inter ſe*, dicuntur juncti, ſicut ſæpe illud *in* pro *inter* ſolet uſurpari. Atque hinc eſt ſine dubio, quod præcedit in eadem tabula: *Inde Septejuge L. LXIII. vicit CCCXXXXVII.* Ubi *vincere ſeptejuge* eſt, vincere equo ſeptejuge, pro vincere ſeptejugibus, quoniam victoria Circenſis uni tantum equo in curru tribui conſuevit, ſicut alibi notavi. Onuphrius exponit *ſeptejuge agitando*, quaſi quarti caſus eſſet, a primo caſu *ſeptemjuge*, cum ſit caſus ultimi, a primo *ſeptemjugis*. Tabula ſic habet: *Inde præmia majora vicit* LXXXX. XXXII. *ex his Sejuges* III. XXXX. XXVIII. Quæ verba ſic exponit Onuphrius: *Ex his Sejuges III. Sejuge dicendum opinor, ut infra ſeptejuge. Id eſt, horum majorum præmiorum, quæ duo & triginta fuere, tres vicit ſeptejuge agitando*. Primum *ſejuge* debebat ſcribere, nam de eo ſermo hic eſt, non ſeptejuge. Deinde illud *agitando* erat omittendum, nec enim *ſejuge* agitari dicitur, ſed *ſejuges* vel *ſejugi*; Et in tabula præcedit *vicit*, ut non opus ſit τὸ *agitando* intelligere. Vicit *ſejuge*, hoc eſt, vicit equo ſejuge. Quanquam dubitem, an *ſejuge* ſcribendum ſit. Poteſt enim voluiſſe demonſtrare, quiſquis auctor fuit hujus tabulæ, viciſſe Dioclem quadrigis ſuis etiam

etiam sejuges adversarii. Nempe aliud est *vincere sejuge*, & aliud *vincere sejuges*. Vincit *sejuge*, qui hoc genere currus certans fit superior. Vincit *sejuges*, qui sejuges habet adversarios, quibuscum cursu contendit. Sicut autem sejuge quis dicitur vincere, sic plane & septemjuge: Equo videlicet inter septem præcipuos, cujus ope ac virtute victoria maxime obtinetur. Liquet autem ex prædicta tabula, septemjuges non fuisse notos, saltem in Circo, & inter agitatores, ante Dioclis ætatem, ut de ætate Neronis frustra suspicemur, frustra Onuphrio affirmanti credamus. Quod eo magis apparet, quia tabulæ dictæ auctor ipsum ait *primum visum esse his novitatibus*, itemque hanc ob causam *duplici ornatum esse gloria* Dioclem, quod sic palam conspectui omnium in monumento publico proponere non potuisset, si ante septemjuges in Circo fuissent usurpati. Sed & hoc ex ista tabula cognoscimus, septemjugum certamen non fuisse solenne atque ordinarium, sed ex provocatione natum, ut nec mirum sit, si postea non semper fuit observatum, ac ideirco ne commemoratum sæpe a Scriptoribus. Cum præsertim extra Circum nec in bello, nec in pompis aut triumphis, usurpatum videatur. Unde nec a Græcis usquam reperitur nominatum. OCTOJUGES ac NOVEMJUGES nunc memorare deberemus. Verum hactenus non reperi neque apud Græcos, neque apud Latinos. Habet quidem Livius octojuges, sed homines, non equos. Verba ejus extant lib. v. cap. 2. *Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: Nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire.* Hic octojuges appellat octo Tribunos militum ex patriciis creatos, quos dominari juncta opera in plebem, constitutam in castris conquerebantur. Ergo ad DECEMJUGES est veniendum. Hos enim commemorat Suetonius in Nerone, cap. 24. *Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemjugem.* Ubi per *decemjugem* intelligere *currum* debemus. Auctor vetus Olympiadum Collectionis nominat *δεκάπωλον*. Sic enim habet rem eandem enarrans ΟΛ. ΣΙΤ. Νέρων κηρύκων ἀγῶνα ἐστεφανῶτο, τραγῳδοὺς, κιθαρῳδοὺς, ἅρμα πωλικὸν, καὶ τὸ τέλειον, καὶ δεκάπωλον. Docet autem locus uterque, decemjugem vel decemjuges istos exhibitos in ludis Olympicis. Quanquam novum fuerit, nec visum antea, ut τὸ *etiam* apud Suetonium ostendit. Currus certe ibi certasse, quadrigis majores, hactenus non observatum nobis. Sed nec Romani Circenses viderunt decemjugem, ne per Neronem quidem exhibitum, ut arbitror, quia nominatim Suetonius hoc factum ait Olympiis. Supra decemjuges num veteres habuerint, haud dixerim. Meminit equidem is ipse Suetonius currus alicujus cum equis duodecim, sed non verus fuit, verum visus in somnio, ac per quietem. Sic enim habet in vita Augusti, cap. 94. de Octavio, Augusti patre: *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Sane currum verum cum tot equis non legisse memini, multo minus cum pluribus. Et videtur fieri vix potuisse, ut tot simul equi regerentur ab uno, sicut in hoc genere necesse erat.

CAP. XV.

De Curru, maxime falcato.

Currus unde. Isidorus refutatur. Ἅρμα. *Currus falcati, falciferi.* Ἅρματα δρεπανηφόρα. *Currodrepani.* Ἅρματα ὡπλισμένα. *Horum auctor num fuerit Cyrus. Xenophon exponitur.* Διφρεία Τρωική. *Philelphus revellitur. Pugnandi ratio varia cum curribus. Argolus notatur.* Ψιλὰ ἅρματα. *Xenophon iterum exponitur & emendatur. Hermannus Hugo notatur. Hesychius exponitur & emendatur. Philelphi versio Xenophontis denuo rejicitur. In sellis vehiculorum janua. Curtii locus de quadrigis falcatis expenditur. Summi orbes rotarum.* Κατακλίσεις τῶν ἀξόνων. *Curtius notatur. Livius corrigitur. Currodrepanum. Ad currus falcatos equi quatuor, duo, unus. Arrianus exponitur. Stevechius notatur. Usus falcatorum curruum.*

CUrrum a Latinis a currendo dictum, omnes veteres recentesque consentiunt. Verum, quæ denominationis ejus caussa sit, non æque convenit. Isidorus ita habet lib. XVIII. c. 35 *Currus a cursu dictus, vel quia rotas videtur habere multas.* Quibus verbis sine dubio hoc voluit, currum esse dictum, quod currat, tanquam qui rotas habeat multas. Quasi quo vehiculum rotas habet plures, hoc sit aptius ad cursum. Atqui contra factum apud veteres videmus. Cuncta enim ea vehicula, quibus certare cursu solebant sive Græci, sive Latini, rotis instructa erant solummodo duabus. Adde, quod revera currus rotas non habuerit multas, verum duas tantum, ut deinceps demonstrabo. Ut necesse sit, hac parte Isidorum esse lapsum. Melius Perottus, qui sic ait: *A curro deducitur & currus, hoc est, carrus, quod eo veteres ad cursum in ludis uterentur.* Bene dicit currum appellatum, quod illius usus esset ad cursum. Veteres nimirum, cum celerius quid esset expediendum, nec adhuc invaluisset usus equorum singularium, equos adjungebant currui, atque ita currebant vehiculo ad negotium, quod vehiculum inde *currum* appellarunt. In eo tamen erravit Perottus, quod currum confudit cum carro. Carrus enim magis pertinebat ad onera, ut suo loco apparebit, currus magis ad homines vehendos. Deinde, quod putavit, currus tantum adhibitos ad ludos. Contra enim & ad alias res longe plures usurpatos, mox firmabimus. Currus ergo a Latinis a currendo dictus, quia eo fere currebant. Græcis ἅρμα est. Ideo, quod Cæsar habet lib. IIII. B. G. c. *Ut inde se in currus citissime recipere consueverint*, id Metaphrastes ejus reddit: Ὥστε καὶ ἐντεῦθεν ῥαδίως εἰς τὸ ἅρμα ἐπαναχωροῦσιν. Sed & Plutarchus, Dio, cæteri, quotiens de Circensibus loquuntur, semper ἅρματα commemorant. At Circensium ludorum vehicula Romanis nunquam aliter, quam *currus*, appellata Quod & de curribus triumphalibus potest observari. Dio ita habet lib. XLIII. ubi agit de triumpho Cæsaris: Ἐν δ᾽ οὖν τῇ πρώτῃ τῶν νικητηρίων τέρας οὐκ ἀγαθὸν ἐγένετο. Ὁ γὰρ ἄξων τοῦ ἅρματος [illegible] συνετρίβη. Quod Suetonius exponit istis verbis cap. 37. *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excussus est, axe diffracto.* Currus igitur Suetonii, Dionis ἅρμα πομπικὸν est. Quod propterea notandum, quia vulgo vertunt ἁμαξῶν. At hoc generis est alterius, ejus videlicet, quod *plaustrum* appellatur. Aliqui vocant ὄχημα. Sed hi non ob-

servant, currum aliquando generalius pro quovis usurpari vehiculo, aliquando vero certum ac peculiare denotare. Illo modo significare ὄχημα, hoc vero esse ἅρμα. Igitur & in Glossis habes: *Currus*, ἅρμα. Currus porro, cum peculiare notat genus, vehiculum significat cum rotis duabus, hominibus gestandis destinatum. In quo differt a birota, quæ oneribus ac sarcinis inservit. Duas habere rotas apparebit, quando cunctas ejus referemus species. Nec enim est unius tantum modi, sed multiplicis & varii. Habuerunt nempe veteres currus bellicos, currus Circenses, currus triumphales, currus bijugos, trijugos, quadrijugos, quemadmodum jam in superioribus monstratum
B est. Omnes vero illi currus rotas non habebant nisi duas, quod & ipsum est ostensum. Præter istos currus habuerunt & alios, de quibus nunc agemus. Ut primum *currus falcatos*, quorum mentio apud veteres creberrima. Curtius IV. cap. 12. *Hos quinquaginta falcati currus sequebantur*. Et cap. 15. *Ipse ante se falcatos currus habebat*. Valerius Flaccus lib. VI.

Undique falcatos deserta per æquora currus.

Vegetius lib. III. cap. 24. *Nam difficile currus*
C *falcatus planum semper invenit campum*. Lucretio sunt currus *falciferi* lib. V.

——*Falciferos inventum ascendere currus.*

Græci pari modo ἅρματα δρεπανηφόρα. Xenophon lib. I. Anab. Ἅρματα διαλείποντα συχνὸν ἀπ' ἀλλήλων τὰ δρεπανηφόρα λεγόμενα. Diodorus Siculus lib. XVII. Κατεσκεύασε δὲ καὶ ἅρματα δρεπανηφόρα. Philoxenus: Ἅρμα δρεπανηφόρον, *currus falcifer*. Recentiores Scriptores voce hybrida *Currodrepanos* appellavere, sicut liquet ex Anonymo de Rebus bellicis, qui triplici ratione describit. Sunt
D & ἅρματα ὡπλισμένα Xenophonti fine lib. VI. Cyrop. hoc est, *vehicula armata*, propter falces. Auctor horum curruum Cyrus putatur. Demsterus ad Rossin. *Horum curruum* (falcatorum) *auctor fuit Cyrus*. Brissonius lib. III. de Regno Pers. *Cyrus primus currus cum falcibus in prælia induxit, cujusmodi currus Græci, & in his Plutarchus in Lucullo & Arrianus lib. II.* δρεπανηφόρα, *Latini falcatos currus vocant*. Habent hoc ex Xenophonte, quod ipsi fatentur. Et testatur Xenophon lib. VI. Pædiæ, Cyrum excogitasse currus falcatos, quos & describit. Imo reddit caussam, cur excogitaverit. Adscribam locum, quia dignus
E est, qui expendatur. Sic autem sese habet ex versione Philelphi: *Trojanas quadrigas, quas antea habuissent, & quæ Cyrenaica utuntur etiam nunc, curulem agitationem solvit. Superiore enim tempore & Medi & Syri & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita utebantur, & nunc Cyrenaici. Visum est ei, quod in exercitu præstantissimum esset, haud consentaneum fore, quum optimi quique essent in curribus, id velitum vicem præbere, & ad vincendum non multum habere momenti. Currus enim trecenti, præbent pugnantes quidem trecentos, equis autem hi utuntur mille ac ducentis. Au-*
F *rigæ vero his sunt, ut verisimile est, quibus optimates maxime fidem habent, ii vero sunt alii ad trecentos, qui nihil prorsus hosti nocent. Hos igitur sessiles currus sustulit. Pro his vero aptos ad bellandum paravit currus*, &c. Ubi porro falcatos describit. Hic Philelphus vocat *Trojanas quadrigas*, quæ Xenophonti διφρεία Τρωϊκή. Est autem διφρεία Τρωϊκὴ non *quadriga Trojana*, verum modus sive ratio pugnandi ex curribus. Habebant veteres pugnandi rationem duplicem,

A quotiens curribus prælia committebant, unam vetustissimam, quam appellat Τρωϊκὴν, quod temporibus Trojanis fuerit usitata, & aliam recentiorem, quam appellat Κυρηναϊκὴν, quod Cyrenaicis recepta esset. Cyrenaicam opinor esse, quæ habebat pugnatores perpetuo insistentes curribus, Trojanam vero, quæ desilientes, cum pugnandum esset. Trojanos sane heroes fere semper sic describit Homerus. Inde illi versus Iliad. Λ.

——Ἐκ δ' Ἀγαμέμνων
Πρῶτος ὄρουσ' ——
Ἤτοι ὅγ' ἐξ ἵππων κατεπάλμενος ἀντίος ἔστη.

Agamemnon primus desiliit. Ille quidem desiliens ex equis contra stetit. Item Iliad. Π.

Ἦ ῥα, καὶ ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε·
Πάτροκλος δ' ἑτέρωθεν ἐπεὶ ἴδεν, ἔκθορε δίφρου.

Dixit (Sarpedon) *& ex curru cum armis saltavit humi; Patroclus autem altera ex parte ut vidit, desiliit ex curru*. Ex eadem caussa & Virgilius desilientem fingit Æneam lib. ult.


Dixit, & e curru saltum dedit ocyus armis.

Ubi frustra Argolus in Notis ad Onuphrium p. 16. scribendum putat *auris*, pro *armis*, cum hic manifesta imitatio sit Homeri. At vero cæteros populos desiliisse non legimus, quando prælium inibant. Itaque & Xenophon hic ait, illud genus ἐν ἀκροβολιστῶν μέρει εἶναι quod Philelphus vertit: *velitum vicem præbere*. Intelligit autem Xenophon ejusmodi genus, quod solum tela emittit, nec ad ulterius & gravius venit certamen. Unde liquet, non desiliisse, sed e curribus tantum emisisse tela. Quo proinde genere & Cyrenaicos esse usos intelligimus, indeque factum esse, ut Cyrenaicum totum diceretur. Genus hoc utrumque sustulit Cyrus, & hoc ideo, quia vidit primum viros optimos eo genere pugnare, nullo tamen vel exiguo cum fructu, quoniam talis solummodo & eminus utantur, cominus cum hoste ne congrediantur quidem. Deinde, quia vidit equos postulare multos, quorum usus esse posset magis aptus & necessarius ad alia. Dicit enim ad trecentos currus requisitos equos mille ac ducentos, quoniam ex iis fere quilibet ab equis quatuor trahebatur. Postremo quia vidit tot in prælium sequi otiosos plane, quot pugnantes, cum currus quilibet exigat aurigam suum, cujus nullus tamen usus sit in pugna. Nempe, quod jam, alibi ostendi, currus singuli habebant viros duos, unum propugnatorem, alterum aurigam. Virgilius X. Æn.

Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.


Hunc aurigam otiosum sustulit Cyrus, aliumque substituit armatum, milite omisso, ut mox audiemus, totamque illam curruum mutavit rationem. Nam ut ipsi currus etiam ad damnum hosti afferendum essent utiles, falces eis apposuit. Erant enim nudi hactenus Persarum currus, & inermes, quales Arrianus noster. Ψιλὰ ἅρματα vocavit c. 3. Tacticorum. Verba: Ἡ δὲ ἀπὸ τῶν ἁρμάτων μάχη πολυειδεστέρα ταύτης. Ἢ γὰρ ψιλὰ ἦν τὰ ἅρματα, καθάπερ τὰ Τρωϊκὰ ἦν, ἢ δρεπανηφόρα, ὧ ὕστερον

τὰ Περσικά. Quæ ſic reddidimus in editione noſtra: *At vero pugna, quæ vehiculis inſtituitur, plures habet ſpecies. Alia namque nudis fit vehiculis, ſicut illa ad Trojam, alia vehiculis falcatis, ſicut ſequentibus temporibus apud Perſas factum.* Quando nominatim meminit Perſarum, ſine dubio reſpexit ad hoc inſtitutum Cyri, ejuſque ἅρματα δρεπανηφόρα oppoſuit ψιλοῖς, & hæc Τρωϊκὰ illa Περσικὰ vocavit. Nec fortaſſis alia eſt Περσικὴ διφρεία, cujus Pollux meminit, quam iſta Cyri, quæ non modo differebat eo a vetuſtiori illa, quod haberet currus falcatos, ſed & eo, quod homines tantum ſingulos, a quibus ſinguli regebantur. Sic enim ait Xenophon: Τὸν δὲ δίφρον τοῖς ἡνιόχοις ἐποίησεν, ὥσπερ πύργον ἰσχυρῶν ξύλων. Ὕψος δὲ τούτων ἐστὶ μέχρι τῶν ἀγκώνων, ὡς δύνωνται ἡνιοχεῖσθαι οἱ ἵπποι ὑπὲρ τῶν δίφρων. Τοὺς δὴ ἡνιόχους ἐθωράκισε πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. Vertit Philelphus: *Sellam vero fecit aurigis ſicuti turrem ex validis lignis. Harum vero curulium ſellarum altitudo eſt uſque ad cubitos, quo poſſint equi ab aurigis gubernari ſuper ſellas. At aurigas loricis totos armavit, exceptis oculis.* Habes hic aurigam ſolum unicumque, qui eſt in curru. Nempe quicquid effici hoc genere debebat, id efficiendum erat non per homines, ſed currus ipſos falcibus armatos. Hoc requirebatur ſolum, ut qui regebat equos, lædi facile ne poſſet. Eo fine ſellæ factæ altæ rotundæque ac undiquaque clauſæ, ipſi quoque qui regebant, muniti thoracibus & galeis clauſis, ut nec inferne, nec ſuperne quidquam ex eis pateret vulneribus, ac ſic obſiſtentia quævis impune poſſent perrumpere. Iſta loci hujus eſt ſententia, quam non aſſecutus eſt Hermannus Hugo in de Militia Equeſtri libro I. cap. ultimo. Igitur in hæc erumpit verba: *Fateor, difficile capio qui ex hoc curru pugnaverit hoples, ſeu miles armatus. Qui enim poſſet, aut quo loco? Ante, an poſt aurigam? Ante aurigam inter habenas & verbera ſtabit: poſt aurigam quomodo pugnabit? nam aurigæ ſella alta eſt quinque cubitos. Forte a latere? Aqua mihi hæret: nam quanta, quam longa aurigæ ſcutica, quam longæ habenæ ex ſella quinque cubitorum.* Ita Hermannus, qui tamen fruſtra diſputat de ſella quinque cubitorum, qualis nulla Xenophonti cogitata eſt. Etſi enim in quibuſdam libris ſit ἀγκώνων πέντε, tamen illud πέντε ſtulti eſſe gloſſam vel id oſtendent, quod ſuper illas ſellas (ὑπὲρ τῶν δίφρων) regi equi debuerint. Sed & Codex Camerarii aperte μέχρι τῶν ἀγκώνων τοῦ ἡνιόχου habuit, quod ſignificat, ut ipſe vertit: *altitudo harum pertinebat ad aurigæ cubitos uſque.* Si ad aurigæ cubitos, profecto quinque cubitos non potuit eſſe alta. Neque magis ſpectat huc, quod de loco ambigit armati, ſeu hoplitæ. Fuit is armatus in Trojano genere ac Cyrenaico. Cyrus vero eum ſuſtulit, tanquam parum conferentem ad victoriam, ejuſque loco ipſum armavit aurigam. Ita docet locus totus, in quo nulla mentio militis armati. Quanquam autem apud Perſas Cyrus primus immutarit veterem vehiculorum bellicorum formam, inſtitueritque currus falcatos, tamen non is primus auctor eſt curruum falcatorum omnium. Nam diu ante ipſum Ninus quoque habuit, ut eſt auctor Diodorus. Ait enim lib II. Bibl. fuiſſe in exercitu ipſius ἅρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων. *Curruum falcatorum paulo minus quam mille cum ſexcentis.* Idem facit Cteſias, unde ſua, ut opinor, Diodorus hauſit. Quid? quod ante Ninum quoque apud Cananæos memorent Monumenta Sacra. Dicitur namque Judas cum Simeone non potuiſſe delere habitatores vallis circa Aſcalonem atque Accaron, *quia falcatis curribus abundabant.* lib. Judicum cap. I. Sex & Rex Cananæorum Jabin, qui regnabat in Aſer, ducemque belli habuit Siſaram, habuiſſe memoratur *nongentos falcatos currus*, ejuſdem lib. c. 4. Fuerunt autem non ejuſdem generis omnes illi currus falcati: Alios habuere Cananæi, alios Aſſyrii, & rurſum alios alii populi. Sic fortaſſis eſt intelligendum, quod adfertur ab Heſychio de Macedonibus. Δρεπανηφόρα ἅρματα τοὺς Μακεδόνας φασὶ πρώτους χρήσασθαι. *Currus falcatos ajunt Macedones primum uſurpaſſe.* Quanquam mihi quidem hoc de Macedonibus alibi non ſit lectum. Imo contra ne habuiſſe quidem videntur. Nemo certe nominat in exercitu Philippi, vel Alexandri, vel qui eos proxime ſunt ſecuti. Et Alexander ſuos docuit vim illorum curruum eludere, ut videmus apud Curtium lib. IV. cap. 15. Itaque ignoro, utrum non exciderit negatio in verbis Heſychii, ſcribique debeat πρώτους οὐ χρήσασθαι. Ut ſit ſenſus, primos Macedones noluiſſe curribus ejuſmodi uti, quippe quos intelligebant parum ad bellum conducere. Cum autem fuerint generis tam varii, videamus ac conſideremus quædam. Cyri currus ita deſcribuntur a Xenophonte: Προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδήρεα ὡς διπήχεα πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν, καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλλόντων εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἅρμασιν. Vertunt: *Appoſuit enim falces ferreas duarum ulnarum longitudine ad axes ex altera atque altera rotarum parte, & alias infra ſub axe reſpicientes in terram, tanquam impetum in adverſarios curribus facturi eſſent.* Ubi illud ἐμβαλλόντων Philelphus retuliſſe ad homines videtur, quod mea opinione reſpicit antecedens τροχῶν, quia rotæ cum ſuis axibus & falcibus adjectis pugnaturæ erant magis, quam homines. Liquet autem ex deſcriptione iſta, currus Cyri habuiſſe falces non in rotis, ſed in axibus, quarum aliæ prominebant a lateribus, aliæ ſpectabant terram, iſta, ut opinor, ſpecie.




Præter armaturam illam etiam hoc habebant ſingulare, quod inſtructi eſſent ſellis illi currus, iiſque non retro apertis ſemicirculari forma, ut ſolebat cæteris in vehiculis, Trojanis ac Cyrenaicis, ſed rotundis, & quaquaverſum clauſis, & ex lignis craſſioribus conſtructis, ea ratione propemodum, qua currus triumphales conſtrui apud Romanos ſolebant; Unde & per januas conſcendebant, quas

post conscensum poterant claudere, ut indicat Xenophon, ubi ait: Κατὰ τὰς θύρας τοῦ ἁρματείου δίφρου ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἅρμα. Ἐπὶ δὲ ἀναβάντος αὐτοῦ κατέκλεισε τὸν δίφρον ὁ ὑφηνίοχος. *Per fores currus in sellam conscendit, cumque conscendisset, sellam clausit auriga.* Itemque, quod in sellis illis starent aurigæ, regerentque equos, nec haberent alios propugnatores. Atque istiusmodi quidem currus Persæ deinde servabant, etiam post Cyrum, quod disertim docet Xenophon prædicto loco, ubi ait: *Ut autem hosce Cyrus tum fabricatus est, ita etiam hoc tempore utuntur curribus, qui in Regis sunt regione.* Attamen describit eos multo aliter Curtius in exercitu Darii, ut vel non satis Græcos assecutus sit, quos habuit auctores, vel Darius rationem Cyri immutaverit. Verba Curtii sunt lib. IV. cap. 9. *Ex summo temone hastæ præfixæ eminebant: Utrinque a jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: Aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ, quicquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Hic, ut omittam alia, falces hærent non in axibus, sed summis orbibus rotarum: Ubi orbes rotarum omnes intelligunt curvaturas, apsidesque, nec videntur posse aliter intelligi. Hinc rota Stevechii ad Vegetium, ubi totum depingit currum, & alia Raderi ad Curtium, neutra satis commoda. Quanquam multo ineptior Raderi, qua tamen se putabat alteram emendare. Nec enim ab ipsa ullum adversariis adferri potest malum, quod intelligent omnes, qui picturam satis intelligent. Respiciunt in ea falces sese mutuo: Pars scindendo apta intro versa est una cum mucronibus, ut ne attingere quidem aliquem inter prætereundum possit. Spicula non sunt inter radios, sed inter falces. Adeo est nil in ea, quod descriptioni Curtianæ conveniat. Rota Stevechiana ægre circumagitur, nec ibi falces demissæ in terram, neque spicula ulla. Itaque nec ipsa quidem, qualis Curtio descripta. Quomodo tamen illæ falces summis orbibus adhæserint rotarum, si, quemadmodum huc usque factum, orbes illos intelligamus, ægre dixerim. Atque miror, nostrum solum collocare in his orbibus, ita intellectis, neminem alium. Nam & Livius lib. XXXVII. cap. 41. *Item, ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces.* Et in Auctore veteri Rei Bellicæ tres habes currus falcatos, quorum neuter falces habet in apsidibus, omnes in axibus. Denique Diodorus, qui describit illos ipsos currus, quos Curtius, longe aliter. Verba ejus extant lib. XVII. Τούτων (ἁρμάτων δρεπανηφόρων) ἑκάστου παρ' ἑκάτερον τῶν σειραφόρων ἵππων ἐξέκειτο προσηλωμένα τῷ ζυγῷ ξυστὰ παραμήκη τελαπίθαμα, τὴν ἐπιστροφὴν τῆς ἀκμῆς ἔχοντα πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν. Πρὸς δὲ ταῖς κατακλίσεσι τῶν ἀξόνων ἐπ' εὐθείας, ἄλλα δύο, τὴν μὲν τιμὴν ὁμοίαν ἔχοντα πρὸ τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν τοῖς πρότερον, τὸ δὲ μῆκος μείζω καὶ πλατύτερα. Συνήρμοστο δὲ ταῖς τούτων ἀρχαῖς δρέπανα. *Ex singulis* (falcatorum curruum) *juxta equum utrumque funalem spicula jugo affixa trium spithamarum longitudine prominebant, acie in adversas hostium facies directa. Ubi in axibus recumbunt, alia duo spicula hærebant in rectum, quæ eodem modo aciem habebant faciei hostium obversam, ut priora, longiora tamen erant atque latiora. Ipsis autem falces adjunctæ erant in summo.* Nullæ falces hic in apsidibus, sed ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῶν ἀξόνων, hoc est, initiis, seu capitibus summis axium. Jam vero necesse est, ut sua Curtius desumserit ex Græcis, usque, e quibus hausit & Diodorus. Qui cum ipse quoque Græcus sit, rectius sine dubio sententiam expressit eorum, quam Curtius. Nisi credimus, Curtium scripsisse *axibus*, sed factum *orbibus*, quia primum factum sit *axsibus*, inde *arsibus*, tum *orsibus*, indeque ad postremum, veluti per emendationem, *orbibus*. Vel putamus locum non satis integrum, cum præsertim libri veteres non *summis* habeant, sed *summissæ*, ut *summissæ orbibus* intelligi possint missæ sub orbes, & extantes ab axibus. Quicquid fuerit, in ipsis orbibus vel apsidibus rotarum falces nunquam habuere, (licet Suidas quoque, voce Δρεπανηφόρα, de Darii curribus: Τῶν τροχῶν ἦσαν εἰς τὸν κύκλον περικεχαλκευμένα δρέπανα. Quippe cujus nobis contra veteres, ipsamque rei naturam, auctoritas neque debet, neque potest esse magna) sed in axibus, & quidem duas: Unam prominentem in rectum, aliam demissam in terram. Hanc reponit Diodorus πρὸς ταῖς κατακλίσεσι τῶν ἀξόνων, quod significat eum locum, ubi recumbere vel quiescere solet capsa vehiculi, ut opinor. Alteram reponit ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀξόνων, in extremis axis capitibus. Hanc propria voce δρέπανον appellat, illam ξυστόν. Ξυστὸν alias, quod Curtio est *gladius*, cujus descriptio etiam in eo non convenit, quod fingat *spicula inter radios rotarum*, qualia nemo alias commemorat. Denique, si omnia examines, Diodori figura pæne eadem cum ista Cyri, unde fidem meretur majorem, Curtii recedit longius, sive illa hodie imperfecte ad nos venerit, sive ipse Græcorum descriptiones non satis fuerit assecutus. Certe sicut nunc se habet, imperfecta est; quid enim volunt ista, *aliæ in terram demissæ?* ubi demissæ? quo collocatæ loco? an in summis orbibus rotarum? quomodo autem ibi demissæ in terram, ut tamen rota potuerit circumagi? Sed nec cætera tam evidentia, ut possint satis intelligi: Ecquid enim? *spicula eminebant inter radios?* Ubi fuere defixa, quæ sic eminebant? an in orbibus, num in modiolis? nam in radiis non potuere, quia eminebant *inter radios*. Ac ut appareat evidentius, inutilem esse rotam Curtii, delineabo eam, sicut ex descriptione hodierna potest intelligi, eique opponam Diodori, ut liqueat, quam illa sit præstantior, & negotio, cui debet inservire, accommodatior.



Hic Curtii est, cui A littera, Diodori, cui lit. B. adscripta est. In Curtii spicula omnia inter radios sunt otiosa, sed nec falces a modiolo demissæ quidquam prosunt. Quanquam, ut jam ante dixi, liquido non constat ubi vel spicula infixa, vel unde falces demissæ fuerint. At in rota Diodori omnia infesta, quod per se intelligere quivis potest. Et hæc quidem de falcatis curribus Darii. In quibus tamen & hoc porro annotandum, quod *propugnatores* Curtius nominet. *Circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt*, ait. Propugnatores autem προμαχοι, quod Xenophon jam a Cyro demonstrat fuisse abolitos. An a Dario revocati? Non opinor; neque locus totus docet, pugnam ullam ab ipsis commissam cum aliis. Postremo confundit cum aurigis. Ita enim sequitur, post superiora: *Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleverat*. Hic *aurigæ*, qui paulo ante dicti *propugnatores*, apud Curtium, ut vix esse possit dubium, quin obscure multa & ambigue posuerit. Persas sane post ætatem Cyri alios propugnatores, præter aurigas, in falcatis suis habuisse curribus, verisimile haud est. Verum veniamus ad Antiochi currus: eos sic describit Livius lib. XXXVII. cap. 41. *Armatæ in hunc maximum modum erant: cuspides circa temo-*

A *nem ab jugo decem cubita extantes velut cornua habebant, quibus quicquid ob viam daretur, transfigerent: & in extremis jugis binæ circa eminebant falces, altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quicquid ab latere objiceretur, abscinderet, hæc, ut prolapsos subeuntesque contingeret. Item ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces.* An hi currus sunt, quos Hesychius usurpasse primum ait Macedonas? Multum sane differunt a Persicis. Habent enim cuspides non a temone, B ut vult Curtius, sed jugo extantes, quomodo tamen Diodorus etiam Persicos describit. Sunt deinde illi cuspides decem cubita extantes. Ubi est ambigum, an Τὸ *decem* ad *cubita*, num ad *cuspides* referri debeat. Mihi posterius videtur, cum prius sit enorme, nec negotio conveniat. Quid autem est *extantes cubita*? Ego dubitare nequeo, quin *cubito* legi oporteat. Nam pluralis numerus rem facit incertam, & in singulari clara omnia. Sequuntur falces etiam in extremitatibus seu capitibus jugi, eæque tuæ, una recte prominens, C altera demissa ad terram, cum in aliis sint nuda spicula vel gladii. Postrema falces aliæ in axibus eodem modo se habentes. Ita species eorum fuerit hujusmodi in rota & jugo.



Rursum alia est species illius currus falcati, quem vocarunt *currodrebanum*. Nam primum nulla in eo sella, ubi auriga consistat, verum equo insidet. Deinde totum illud spacium, ubi sella esse debebat, cultris est munitum. Vetus auctor: *Posterior supra currum pars cultris in ordinem extantibus communitur*. Falces quoque nullæ demissæ in terram, neque a jugo, neque ab axe. Denique quæ a capitibus axis prominent, eæ mobiles, ut adducto fune erigi, ac sic currus agi possit absque damno, remisso vero explicari. *Falces acutissimæ* inquit auctor, *axibus ejusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus innexi funes pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces*. Hujus generis inventio est nova, & excogitata contra Parthos. Idem Auctor de Rebus Bellicis: *Hujusmodi pugnacis vehiculi genus reperit Parthicæ pugnæ necessitas*. Sunt in eodem scriptore alia quoque genera nonnihil a prædicto diversa, nec convenientia tamen cum superioribus, inventis a Cyro, aut Antiocho usurpatis, adeo non potest mirum videri, si plures diversique horum curruum dicantur auctores. Habuerunt autem illi veteres adjunctos equos fere quatuor: inde passim dictæ *quadrigæ falcatæ*. Curtius lib. IV. *Ingens hostium terror, ducendæ falcatæ quadrigæ*. Livius lib. XXXVII. *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ*. Plutarchus in Lucullo, αὐδὲ τῶν δρέπανη φόρων τεθρίππων. Atque sic apud alios reperias. Memorantur tamen aliquando equi tamen duo, imo & unicus. Auctor sæpe laudatus, de Reb. Bellicis: *Hoc vehiculum singulis bene munitis invecti equis duo viri, vestitu & armis diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt*. Et non ita multo post in alio genere: *Hic non ut ibidem duos equos duorum etiam hominum, sed unius tantum sagacitas regit*. In utroque genere sunt equi duo. At in eo unus tantum, quod iccirco *currodrepanus singularis* nominatum est. *In hoc curriculo*, ait Auctor, E *quod singularis equi tractu discurrit, quodque unius hominis arte regitur &c.* Fuit autem illa equorum adjunctio diversa quoque, nam vel ad unum jungebantur temonem, vel ad plures. Auctor Arrianus noster in Tacticis cap. 3. Τὰ ἅρματα δρεπανηφόρα ἦν ἢ πεφραγμένων τῶν ἵππων, ἢ ἀφράκτων, καὶ ἢ ἁπλοῦ τοῦ ῥυμοῦ, ἢ διπλοῦ, τὸ δὲ καὶ πολύρυμα. *Currus falcati erant vel equis cataphractariis, vel nudis, qui iterum vel ad temonem unum juncti, vel ad duos, vel etiam ad plures*. Quanquam quæ de pluribus temonibus commemorat, pertinere videantur ad vetustiora tempora, quibus nondum æqua fronte omnes collocare F equos fuit notum aut receptum. Et fortassis hausit ex Pædia Cyri a Xenophonte scripta, ubi fere similia. *Exhinc*, ait, *videns Abradatas Cyrum studiosum esse falcatorum currum & cataphractorum cum equorum, tum equitum, enitebatur ei perficere ad centum currus ex equitatu suo illius similes curribus, & ipse ut eorum ductor futurus se parabat in curru. Conjugavit autem currum suum quatuor temonibus, & equis octo*. Græca postrema habent: συνεζεύξατο δὲ τὸ ἑαυτοῦ ἅρμα τετράρυμόν τε καὶ ἐξ ἵππων ὀκτώ, unde sine dubio illud

suum πολύρυμα Arrianus accepit. At sequentibus temporibus mihi non est dubium, quin ut Troicis & Cyrenensibus, ita & in vehiculis falcatis juncti fuerint æqua fronte. Unde neque plures equos habuisse, quam quatuor, videntur, cum vetustiores illi cum temonibus pluribus habuerint, aliquando etiam octo ut apparet ex superioribus. Licet observare illam quoque differentiam, quod posterioribus temporibus his ipsis equis consueverint insidere, cum olim starent in curribus, & sellis ad hoc fabrefactis, qui equos regebant. Et hæc quidem curruum falcatorum est varietas. Nam in aliis videntur convenisse, rotis præcipue, quas non habuere, nisi duas, cujuscunque forent generis. Cyrus certe generi Trojano Cyrenaicove, sicut falces, ita rotas plures addidisse non commemoratur. Sed nec apud veterem Auctorem Rerum Bellicarum videas depictas aliter, quam cum rotis duabus, ut ignorem, cur Stevechius formare ausus sit cum quatuor. Id peculiare fuit, quod haberent axes longiores, rotas quoque firmiores, quam bigæ aut quadrigæ communes, auctore Cyro. Xenophon: Πολεμιστήρια κατεσκεύασεν ἅρματα τροχοῖς τε ἰσχυροῖς, ὡς μὴ ῥᾳδίως συντρίβηται, ἄξοσί τε μακροῖς. Ἧττον γὰρ ἀνατρέπεται πάντα τὰ πλατέα. *Ad bellandum aptos paravit currus rotis validis, quo non facile contererentur, & longis axibus, minus enim evertuntur lata omnia.* Quibus verbis simul discas, cur longos axes esse voluerit, videlicet, ne currus possent facile everti. Ac sic videas in picturis veteris Auctoris sæpius nominati. Rotæ breves sunt, & crassæ, axis longissimus, sicut quidem exprimit editio Basileensis Frobenii Anno MDLII. excusa. Nam in cæteris se ista cuncta minus recte habent. Usus curruum falcatorum vel ex dictis liquet. Scilicet ad prælia usurparunt, & præsertim perturbandos rumpendosque ordines hostiles. Plutarchus in Artaxerxe: Ἔταξε τῶν δρεπανηφόρων τὰ ῥωμαλεώτατα, πρὸ τῆς ἑαυτοῦ φάλαγγος, ὡς πρὶν ἐν χερσὶν γενέσθαι, διακόψοντα τὰς τάξεις, βίᾳ τῆς εἰσελάσεως. *Collocavit ex curribus falcatis firmissimos ante suam phalangem, ut, priusquam veniretur ad manus, ipso impetu dissolverent ordines.* Curtius lib. IV. *Darius ante se falcatos currus agebat, quos, signo dato, universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Nec sensim Macedones cedebant, sed effusa fuga turbaverant ordines.* Neque mirum, ordines turbasse, cum quos offendebant, miserabili ratione mutilarent. Diodorus lib. XVII. *Tantus aciei vigor, tanta vis erat in spiculis, ad exitium fabricatis, ut multis brachia una cum clypeis amputarentur: Nec paucis cervice præcisa integro adhuc visu & retento vultus habitu capita ad terram volverentur. Quibusdam lethali ictu latera dissecarentur, unde mors repente subsecuta.* Suidas voce δρεπανηφόρα τέθριππα: *Falces aliis pedes, aliis manus amputabant, aliquos cum armis comprehensos trahebant longo spacio, atrociterque necabant.* Ut autem vim exercere suam possent, duabus rebus opus habebant, campo æquabili, & solo firmo. De posteriori testis Curtius lib. VIII. cap. *Vix ullus usus hujus auxilii eo die fuit, namque imber violentius, quam alias fusus, campos lubricos & inequitabiles fecerat, gravesque & propemodum immobiles currus illuvie ac voraginibus hærebant.* De priori Vegetius lib. III. cap. 24. quando ait: *Difficile currus falcatus planum semper invenit campum.* Nempe talem exigit, ubi asper est, & inæqualis, non potest progredi. Tacitus in Agr. de simili genere loquens, cap. 36. *Densis hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant.* Sed de curribus falcatis satis.

CAP. XVI.

De Curru Magistratuum & Sella curuli.

Curules Magistratus qui, & unde dicti. Plinius expenditur. Zamoscii sententia refutatur. Gellius liberatur a glossa. Currus Magistratuum veteres, quales. An sella curulis a Curibus Sabinis. Lipsius rejicitur. Olim nulla littera geminata. Vossius commendatur. An Vetulonii auctores dictæ sellæ. Chimentellius rejicitur. Δίφρος ἀμάτιος. *Gelenii & Sylburgii versiones Dionysii Halicarnassæi notantur. Scholiastes Cruquii refutatur. Virga Imperatoris. Curis. Casauboni lapsus. Martialis exponitur. Chimentellius denuo notatur. Cassiodorus exponitur. Gradus ad tribunal. Papias & Vossius rejecti. Sella curuli & curru utendi jus quibus concessum. Sella propria Regum. Livius explicatur. Brissonii versio Plutarchi rejicitur.* Εἰσελαύνειν. *Brissonius iterum notatur, & Curtius exponitur.*

VEnio ad currus Magistratuum. Curru enim vectos apud veteres Romanos esse, indeque nomen Magistratuum curulium accepisse Festo credimus, qui sic habet, voce *Curules*: *Curules Magistratus appellati sunt, quia curru vehebantur.* Firmat nempe idem Gabius Bassus apud Gellium lib. III. cap. 18. qui Gellius sic ex eo: *Senatores dicit* (Bassus) *in veterum ætate, qui curulem Magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi.* Sed videtur infirmare hanc sententiam, quod habet Plinius lib. VII. cap. 43. de Metello: *Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquam ulli alii a condito ævo, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam.* Si hoc Populus Romanus uni tribuit Metello, qui Bassus potest dicere fuisse solitum in veterum ætate? Nec de fide Plinii est dubium, quando vetus extat monumentum a Grutero p. 377. inter alias inscriptiones positum, quo id ipsum confirmatur. Verba inter cætera sunt ista:

TRIBVIT EI P. R. VT, QVOTIES IN SENATVM IRET, CVRRV VEHERETVR AD CVRIAM. QVOD A CONDITO ÆVO NVLLI ALII CONTIGIT.

Atque hoc est, quod Zamoscium quoque fecit Basso dissidentem lib. I. de Senatu Romano. *Mihi*, ait, *non satisfacit Bassus. An enim credemus Q. Metellum, inter cætera summa, cum parem suum in funere laudaret, relaturum fuisse, quod mediocres homines, mediocribus honoribus usi, omnes sunt consecuti?* Attamen vix est verisimile, fuisse Bassum tam oblitum consuetudinis senatoriæ morumque veterum, ut Zamoscius arbitratur. Quid, si culpa sit Librarii vel Glossatoris, quæ putatur Bassi? Scilicet videtur mihi Bassus scripsisse: *Curru solitos honoris gratia vehi.* Quod cum

sciolus non satis intelligeret, adposuit, *in curiam*, A quia nempe sermonem esse de Senatoribus observavit. Certe, si abjiciamus duo ista verba, convenit primum Festo, qui & ipse nil de curia, tantum curru vectos ait. Deinde Plinio non adversatur. Aliud enim est, habere jus utendi curru, & rursum, aliud, habere jus eundi curru in Senatum. Concesso igitur, quod hoc posterius soli sit tributum Metello, non obstabit tamen, quo minus vehi curru alias potuerint Magistratus, indeque dici curules. Adde, quod vetustioribus temporibus frequenter versati fuerint in agris, ut nil mirum sit, si concessos currus Magistratus habuerint. B Isidorus lib XX. cap. II. *Apud veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru provehebantur*. Testatur manifeste, propter itinera longiora, quæ sæpe Magistratibus facienda, curru vehi solitos. Sed & sequentibus temporibus hoc non concessum eis modo, verum quoque imperatum. Ita patet vel ex lege unica Codicis *de Honoratorum vehiculis*, & ex insignibus Præfecti Urbis in Notitia Imperii expressis. Nominatim denique de Senatoribus testatur Æl. Lampridius in Alexandro Severo cap. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit*. Verum de carrucis rhedisque suo loco. C Illud saltem demonstrare hic voluimus, non absurdum posse videri, si credamus Festo Bassoque, habuisse olim antiquissimis etiam temporibus Magistratus Romanos currus suos, quibus vehebantur. Sed qui currus illi, qualesve fuere? Hoc vero facile non dixerim, cum non viderim vel observaverim descriptos. Loquor de vetustis illis, unde nomen accepere Magistratus curules, non carpentis, rhedis, carrucis, quibus postea sunt usi; nam de his alio agendum loco. Illud tamen primo facile crediderim, cum vocentur *currus*, rotas habuisse tantum duas. Ita enim observavimus in curribus etiam cæteris. D Deinde suspicor id, ubi alias est considendi locus, non fuisse, instar capsæ quadratum, vel hemicicli, aut turris rotundum, sicut cæteris in curribus, sed planum, atque instar tribunalis in altum nonnihil erectum. Caussa, quia non in ipso sedebant, sed in sella peculiari, currui superne imposita. Sic expresse G. Bassus. *Senatores qui curulem magistratum gessissent, dicit curru solitos honoris gratia vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam caussam curullis appelaretur*. Vides plane, sedisse non in curru, verum sella, currui imposita, esseque hinc illam ipsam, quæ alias curulis dicebatur. E Unde etiam cognoscimus, non fuisse fixam in curru, verum potuisse demi. Solebant enim sella ista magistratus uti, cum dicendum jus esset, vel quid aliud honoratioris negocii conficiendum, uti postea monstrabimus. Isidorus quidem paulo aliter de ista sella, loco supra indicato: *Sellæ curules erant, in quibus magistratus sedentes jura reddebant. Dictæ autem curules, quia apud veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru provehebantur. Sellæ autem, quæ post eos vehebantur, quibus sedentes jura dicere solebant, a curru curules sellæ sunt nominatæ*. F Hic non insedisse ait eis sellis, verum habuisse post se vectos. At quo pacto vectæ post eos? Et si vectæ post, cur dictæ curules? Ergo Isidorum suspicor nugari, certe contra Bassum, longe vetustiorem doctioremque, fidem ipsi nullam tribuo. At postremum currus illos censeo fuisse, qualis Augustæus, qui hoc nummo est expresus, apud Goltzium pag. 77.



Solent *thensam* explicare. Verum aliud est thensa, sicut dicam alibi, & *currus* nominatim appellatur Suetonio in Claud. cap. 11. *In Circensi pompa currum elephantorum, Augustæo similem, decernendum curavit*. Liquet autem, si ejusmodi fuerunt currus, de quibus sermo nobis, pertinere ad id genus, quod duabus tantum incedebat rotis, ac sic vere currus dici debeat. Sed & de sella superne posita hinc constare potest. Id majorem habet dubitationem, an a curru hoc curules magistratus dicti fuerint, num a curuli sella; item an curulis sella nomen suum acceperit ab hoc curru, & non aliunde potius. Sunt enim, qui sellam ita putant dictam non a curru, sed a Curibus, quod fuit oppidum Sabinorum. Adferuntque hujus sententiæ rationem duplicem, quia derivationi priori repugnat & scriptura, & quantitas syllabæ initialis. Lipsius libello de Magistratibus cap. de Ædilibus. *Curulis sella a curru dicta, ut vulgi opinio est. Cui tamen derivationi scriptura & dimensio repugnat; veriusque a Curibus (opidum olim Sabinorum erat) dicta*. Verum quod scripturam attinet, *curule* una simplicique littera & in aliis occurrit, quæ aperte veniunt a *curru*. Ut in *curulibus quadrigalibus* Festi, quod & Vossio notatum. Amplius, in *equis curulibus* Codicis Theodosiani lib. XV. t. 10. Ita enim edidit Cujacius, ita Jacobus Gothofredus. Neque aliter in ipsis legibus habetur, ut l. 3. ejusdem Codicis tit. de Spectaculis: *Nemo judicum ex quacunque civitate in aliud oppidum, vel ex provinciæ solo equos curules, aurigas cives temptet traducere*. In *curulibus stabulis*, quorum meminit Symmachus lib. II. ep. 77. Lectius sic publicavit: *Curulibus stabulis urbis æternæ etiam quina mancipia largiamur*. Neque potest esse mirum, quando usitatum fuit priscis nullas geminare litteras. Festus in *Solitaurilia*. *Quod sit a sollo, & tauris, earum hostiarum ductum nomen, antiquæ consuetudinis per unum L. enunciari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. Quam consuetudinem Ennius mutasse fertur, utpote Græcus Græco more usus*, Marius Victorin. lib. I. *Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius*. Si non geminarunt ante Ennii ætatem, ut nos Festus docet, quis non videt, a *curu* fieri *currule* potuisse? Quod vero spectat quantitatem primæ syllabæ, mutari ea solet etiam alias per litteræ abjectionem, ut exemplo *ligulæ a lingua*, *diserti a dissero*, *mamillæ a mamma* pridem Vossius monstravit. Sed tamen verius a Curibus derivatur, ait Lipsius. Ad quod recte Vossius: *Obstat, quod Florus & alii dicant, Tarquinium Priscum, ut alia imperii decora insigniaque, ita & sellas curules ab Hetruscis sumsisse, non a Curibus, Sabinorum oppido*. Ut hoc eludat Chimentellius in erudito commentario de honore bisellii, auctores sellæ curulis facit Vetulonios, id est Viterbienses, qui Hetrusci, & auctorem sententiæ hujus laudat Silium, apud quem sic legitur lib VIII.

Moconiæque decus quondam Vetulonia gentis.
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et junxit totidem tacito terrore secures.
Hæc altas eboris decoravit honore curules.


Sed hoc nihil obstat nostræ veterumve sententiæ, nec Lipsium quidquam juvat. Sive namque in universum dicas ab Hetruscis sumptas, sive nominatim a Viterbiensibus seu Vetuloniis, populo Hetruriæ, a Curibus Sabinis derivari negabis. Danda vero est ratio, quamobrem curules dicantur. Quæ si non a Curibus desumi potest, supererit, ut cum Festo atque Isidoro venire a curru asseramus. Cum præterea & Servii hæc sit sententia, licet aliam efferat rationem, quæ est manifeste falsa. Verba ejus sunt XI. Æn. *Sciendum, sellam curulem a curru dictam, quod ea tantum utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent.* Curulis igitur sella, quoniam in curru, quo Romani magistratus vehebantur, dignitatis & honoris gratia. Inde Græci quoque δίφρον ἁρμάτιον nominavere, si est vera Gelenii & Sylburgii interpretatio Dionysii Halicarnassensis, qui sic habet lib. V. de triumpho Menenii. Μενίνιος μὲν τῷ μείζονι (θριάμβῳ) ἢ τιμιωτέρῳ, παρεμβεβηκὼς ἐν ἁρματίῳ δίφρῳ βασιλικῷ. Hoc enim ita vertunt: *Menenio major* (decretus triumphus) *& honoratior, ut regia sella curuli in urbem inveheretur.* Atque idem & in Indice repetierunt, deque sella curuli hic sermonem esse, demonstrarunt. At vero sellæ curuli locum esse in triumpho, nemo alius ostendit. Et de curru triumphali aliud demonstravimus in superioribus, videlicet non sedisse in eo, verum stetisse. Denique opponitur hic δίφρος ἁρμάτιος nudis simplicibusque pedibus, quibus incedebant, qui minori urbem triumpho repetebant. Ergo δίφρος hic non sellam denotat, sed currum, sicut sæpe fieri apud Homerum videmus, diciturque ob hoc ipsum ἁρμάτιος; ne quis putet de communi sedentariaque sella esse sermonem. Unde quoque mox appellat ἅρμα, quod ante δίφρον ἁρμάτιον vocaverat. Loquitur de differentia triumphi utriusque: διαφέρει δὲ θάτερος, ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται, ἀλλ᾽ οὐκ ἐφ᾽ ἅρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος. Etsi autem falsa sit τοῦ δίφρου ἁρματίου explicatio manet tamen, quod de sella curuli dictum est in præcedentibus. Nam quod Scholiastes Cruquii existimat a *curia* vocatam, rationem habet nullam. Verba ejus sunt ad lib. I. ep. 6. *Curule ebur sellam curulem vocat, in qua magistratus residens jura dabat, dicta vel a curia, vel a curru, unde etiam virga, quam imperator in curiam ferebat, curulis vocabatur.* Quando putat posse a curia accepisse nomen sine dubio est falsum, quum analogia repugnet, per quam necesse foret, ut *curialis*, non *curulis* diceretur. Nam a *curia* non *curule* oritur, sed *curiale*. Sed tamen hinc ait dicta quoque virga, *quam imperator ferebat in curiam.* Primum scire volo, quæ hæc virga fuerit. Nam curulis virgæ, quantum scio, alius nemo facit mentionem. Deinde virgam peculiarem gestitasse imperatorem, & quidem cum in curiam ingrederetur, istud quoque alibi non lectum est. Forsitan intelligit scipionem eburneum, quem tenebant manu, quando jus dicebant in curia Consules, ut ait vetus Scholiastes Juvenalis Sat. X. Is enim & Imperatoribus tribuitur in nummis, ut Domitiano, Antonino, atque aliis, tanquam consulatus perpetui insigne. Verum magis credi potest agere de *curi*, hoc est hasta, qua ornati erant reges veteres, ad denotandam potestatem. Servius ad Virg. I. Æn. *Romulus Quirinus dictus, quod hasta utebatur, quæ Sabinorum*


A *lingua curis dicitur. Hasta enim, id est curis, telum est, cum longiore ferro, unde & securis, quasi semicuris.* Jam vero ne a *curi* quidem derivari *curule* potest, sed vel *curinum*, quomodo Romulus ipse *Curinus*, vel *Quirinus* dictus est, vel *curite*, quomodo Juno vocata est *Curitis* ex hac voce, Festo auctore. Neutrum autem horum facit ad *curule*, ut persistamus merito in sententia posteriore, qua & Scholiastes ipse putabat descendere a curru. Fuit porro sella illa, quod jam alii prolixe docuerunt, alta, tecta ebore, cælata sculptaque, denique incurvis pedibus. Postremum testantur Glossæ, quando ita habent: B *Curulis sella, ἀγκυλόπους, θρόνος βασιλικός.* Item Plutarchus in Mario, ubi de ædilitate curuli ait: ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων, τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ᾽ ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τοὔνομα τῆς ἀρχῆς. Quod non male ita reddunt: *Altera a sellis curulibus, quæ incurvis erant pedibus, ex quibus munia magistratus explicabant, nomen traxit.* Quanquam τὸ *curulibus* in Græco non sit, sed ex cæteris debeatur intelligi. Casaubonus alias ad Suetonii Augustum c. 43. describit in hunc modum. *Sella curulis quatuor lignis pluribusve constabat incurvis in modum fere literæ S productæ, & minus curvatæ* C *ab utraque parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri claudique posset. In aperta sedebatur super loris & linteis.* Martialis

Recensque sella linteisque lorisque.

Ista Casaubonus. Verum locus Martialis ad curulem sellam nihil facit, de vulgari namque loquitur, & gestatoria. Itaque de loris linteisque necdum penitus assentior. Super corio aut pelle potius sederunt. Ita videntur ostendere nummi veteres apud Ursinum aliosque in quibus sella ista est proposita. E quibus simul liquet, quæ lignorum D quatuor Casaubono memoratorum fuerit ratio. Conjungebantur duo in medio, ut referrent speciem litteræ X, & iterum alia duo. Ita sella quatuor sustinebatur pedibus, in modum pedis leonini, vel alterius animalis deformatis. In quo sella curulis differebat a sella communi. Nam in hac pedes erant recti, in illa decussatim juncti, ut prædixi. Testanturque nummi veteres, Ædilium præsertim curulium & plebejorum. Ecce unum ex utroque genere.

E





Prior nummus est P. Fourii, quem fuisse Ædilem F Curulem docet manifeste facies aversa, in qua scriptum ÆD. CUR. juxta caput cum corona murali, exhibeturque ab Ursino in familia Fouria. Posterior est M. Fannii, quem fuisse Ædilem plebejum itidem monstrat inscriptio partis aversæ, in qua exhibetur AED. PL. habet & hunc Ursinus in Fannia familia, sive gente. Erat quoque plana curulis sella, nec habebat surgens a tergo tabulatum, in quod reclinari posset, Græcis ἀνάκλιθρον vocatum, uti nummi docent, in quo differebat a soliis, hemicyclis, & id genus. Quod autem

autem dicunt, nuncupatam esse altam, *non quod sella ipsa altissima, sed quod adjuncti plures gradus*, id vix credo recte dici. Habet equidem Cassiodorus ita lib. VI. in formula Consulatus: *Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende*. Verum non necesse est, ut gradus illos hic intelligamus veros. Nusquam enim tales in sellis curulibus leguntur, nusquam cernuntur in earum imaginibus, quotquot exhibent vel nummi veteres, vel monumenta. Potius videntur gradus hic intelligendi munerum honorumque inferiorum, per quos ascenditur ad consulatum. Unde quoque jam *enisum* gradus illos Cassiodorus ait, consulatus candidatum. Aut si veri gradus hic signantur, mallem accipere de gradibus tribunalis, in quo curulis sella collocari solebat. Fuit namque satis altum tribunal. Inde *celsum* Juvenio:

Interea celsum dominus stans ante tribunal.

Claudiano est *sublime* hac de caussa lib. I. in Eutrop.

Increpat Augustum, scandat sublime tribunal.

Porro si sublime celsumque, per gradus conscendisse illud videntur: quomodo in descriptione urbis Constantinopolitanæ Regione secunda legimus *tribunal purpureis gradibus extructum*. Sic per gradus venisse quoque ad curulem sellam poterat, quæ in tribunali stabat. Nec enim tribunal, quod nonnulli somniarunt, ipsa fuit sedes, verum ex tabulis erectum quadrata forma suggestum, longum latumque, in summo planum, in quo sella curulis magistratuum una cum aliis non paucis ad ministerium paratis stare poterant. Ita nobis exhibent nummi veteres, ut Augusti apud Goltzium pag. 57. Vitellii apud Arschotanum p. 23. atque alii, ut de scriptoribus nunc sileam. Adeo non debuit habere fidem Papiæ vir magnus, & scribere in Etymologico: *Tribunal proprie est sedes tribuni, ut Papias exponit, hoc est solium, sive locus sublimior, ubi jus dicit*. Multa dicit vero minime convenientia, id ante alia, quod tribunal facit solium aut sedem, cum in eo nunquam sederint, sed in sella posita in tribunali. Verum hac de re agemus alibi. Hoc omittere non debui, ut constaret, quare gradus credi possint sellæ curuli tributi. Quanquam mihi verior videatur prior explicatio, nec de gradibus sic proprie vocatis Cassiodorum existimem locutum. Quod ex eo etiam colligitur, quia sellæ hic assignat magnitudinem eximiam, quæ si speciem respicias, non fuit major, quam sellarum aliarum. Ut proinde magnitudo non structuræ operisve, sed dignationis debeat intelligi. Cæterum cum curulis sella fuerit, quæ in curru stetit magistratuum, necesse arbitror, ut jus usurpandi eum currum habuerint, quicunque sella curuli fuerunt honorati. Erant porro hi, ut recenset Lipsius, Dictator, Consul, Censor, Prætor, Ædilis curulis, & præter istos Magister equitum, Flamines, Munerum editores, aliique, ut confirmat Chimentellius. Quos proinde vero simile, habuisse jus vehiculi prædicti. Ante cunctos vero sella curuli usus Rex Romanus. Unde Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 6. *Tullius Hostilius Hostifilius rex Romanorum tertium debellatis Hetruscis sellam curulem lictoresque, & togam pictam atque prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus ut Romæ haberentur, instituit*. Neque alia, opinor, caussa, quare *sella regia* est dicta. Livius lib. I. cap. 20. de Flamine agens: *Curuli sella regia adornavit*. Nempe sella hæc insigne regis. Virgilius lib. XI. Æneid.

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Servius hoc loco: *Bene, nostri: Romanorum enim Imperatorum insigne fuit sella curulis & trabea*. Quasi pertinuerit ad solos Imperatores. Poeta ipse de regibus testatur, nominatimque de Latinis. Neque aliter res sese habuit cum regibus populorum. Imo proprium hoc decus Regum apud veteres fuisse asserit Donatus isto loco. *Idcirco*, ait, *addidit, Regni insignia nostri, ut appareat, sellam & trabeam solis esse regibus attributam*. Recte igitur curulis sella Livio est regia, non quod Reges Romani tum habuerint, postea enim demum a Tarquinio cœpit usurpari, sed quod Reges passim vicini ea fuerint ornati. Atque ita habes & in Glossis: *Curulis sella* θρόνος βασιλικός. Ita reperies & in aliis Scriptoribus. Neque mihi dubium, cum Rex Romanus sellam curulem habuerit, quin frequenter usus sit & curru ipso. Cum præsertim curru vehi fuerit inter ea, quibus Reges dignitatem suam maxime ostentabant. Et jam ante Mosis tempora Ægyptiorum Reges usurparunt. Inde illud de Pharaone Genes. cap. 41. *Fecitque eum* (Josephum) *adscendere super currum suum secundum*. Cur *secundum*? quia primo ipse vehebatur. Sed nec Hebræorum regibus videtur fuisse ignotus. Inde legimus illud Eliæ Prophetæ ad puerum suum III. Reg. cap. 18. *Ascende, & dic Achab; junge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia*. Apud reges Persarum nihil fuit usitatius. B. Augustinus Quæst. ex Utroq. Test. cap. 115. *Persarum reges vehiculis feruntur. Nam veteres Reges Persarum nec videbantur a populis*. Quod *vehiculum* appellat, Xenophonti ἅρμα est, lib. VIII. Cyropæd. ubi describit Cyrum ad sacrificium euntem: Ἐπὶ δὲ τούτοις, ἤδη αὐτὸς ἐκ τῶν πυλῶν προὐφαίνετο ὁ Κῦρος ἐφ' ἅρματος, ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν. *Post hæc vero jam ipse Cyrus prodibat in conspectum ex portis super currum, rectam tiaram habens*. Vehitur hic Cyrus super ἅρμα more Regum apud Persas. Ideo cum Demaratum Lacedæmonium jussisset petere, quod vellet Xerxes, petiit, ut liceret sibi curru ingredi Sardes. Plutarchus in Themistocle: ᾐτήσατο τὴν κίθαριν, ὥσπερ οἱ βασιλεῖς, ἐπαιρόμενος εἰσελάσαι διὰ Σάρδεων. Male intelligens Brissonius scribit postulasse, *ut sibi equo insidenti Sardes cum recta tiara ingredi liceret*. εἰσελαύνειν enim hic, non *equo insidere*, verum *curru incedere*. Seneca lib. I. de Benef. cap. 31. eandem rem commemorans: *Petiit ille, ut Sardis, maximam Asiæ civitatem, curru vectus intraret, rectam capite tiaram gestans: id solis datum regibus*. Quem locum cum adducat ipse Brissonius, miror, hoc non observasse. Nec enim Suidas aliter ex Philarcho, quem primum laudat Brissonius. Verba ejus voce Τιάρα. ᾐτήσατο ἐν ὀρθῇ τῇ τιάρᾳ εἰς Σάρδες εἰσελάσαι. Εἰσελάσαι nihil aliud hoc loco, quam *vehi curru*, sive ἅρματι *incedere*. Ἅρμα enim illud Regum Persicarum semper *currus* est Latinis. Curtius lib. V. cap. 10. *Darius signo ad eundum dato, currum pristino more conscendit*. Seneca III. de Ira cap. 121. de vehiculo Cyri agens: *Unus ex his equis, qui trahere regium currum albi solebant*, &c. Porro quia curru vehi regibus Persarum fuit usitatum, ideo & Alexander victo Dario captaque Perside Babylonem curru intrat. Curtius lib. V. cap. I. *Ipse* (Alexander) *cum curru urbem ac deinde regiam intravit*. More triumphantis factum notant hoc loco; sed revera factum more regum apud Persas. Voluit enim se victorem, Darii, ac regem Persidis Babylonisque Alexander demonstrare. Consuetudo ista regum, curribus vehendi; observata quoque Phrygibus & Trojanis fuit. Priamus profecto apud Homerum, cum deberet interesse fœderi pangendo,

—— —— Ἐκέλευσε δ' ἑταίρους
Ἵππους ζευγνύμεναι —— ——
Ἂν δ' ἄρ' ἔβη Πρίαμος, κατὰ δ' ἡνία τεῖνεν ὀπίσω.

Jussit socios equos jungere, & ascendit Priamus. habenasque attraxit retrorsum, Iliad. Γ. Neque aliter fecere Latini. Hinc Virgilius de rege Latino, in ter futuro pactis, quibus definiri certamen singulare inter Æneam Turnumque debebat, lib. XII. Æn.

—— —— Ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru —— ——

Ut proinde mirum esse nequeat, si hoc ipsum asseramus factitatum a regibus Etruscis, & sic ab iisdem derivatum ad Romanos, primum Reges, postea & magistratus reliquos. Sed de hisce regum magistratuumque curribus jam alibi in priore libro egimus.

CAP. XVII.

De Carpento.

Carpentum unde. Vossius rejicitur, bis. Isidorus exponitur. κάρπεντον. ἀπήνη. *Carpentum non est pilentum. Carpentum pro vehe. Vehes quid. Nonnunquam carpentum significat plaustrum, sarracam, rhedam. Carpenta rhedarum. Codex Theodosianus exponitur. Significat & bennam, vel essedum. Casaubonus contra Jac. Gothofredum defenditur.* ἐγκύκλιος αἰώρα. *Lipsius rejicitur. Dio explicatur.* ἅρμα ὅλον. *Harmamaxæ.* ἁρμάμαξαι. *Valla, Xylander, & alii notati. Harmamaxa est* ἀπήνη. σκηνή. *Vehiculum contectum pellibus. Clausum vehiculum.* Καμάραι. Κάναθρα. Καμαρωτά. *Athenæi versio rejecta.* κάναθρον *quale. Casaubonus revellitur. Hesychius emendatur.* Περικεφαλαιόμενον. Ῥέδιον. Περικεφαλαία δίφρου. *Ad carpenta juncti equi, vel boves, iique bini, vel quaterni. Usus Romæ spectabat ad matronas. Num & Vestales. Lipsii sententia examinatur. Tacitus exponitur. Lipsius notatur. Carpentorum usus nullus ad sacra. Dio explicatur. Casaubonus rejicitur. Festus exponitur. Carpenta in viis. Harmamaxæ etiam virorum. Unde dicantur. Onuphrius refutatur. Dio exponitur. Vallæ versio rejicitur.* ἅρμα & ἁρμάμαξα *differunt. Carpenta magistratuum. Carpentum nunquam est tribunal. Petrus Faber & Savaro refutati. Tribunal quale fuerit. Faber denuo notatur, & Vopiscus exponitur. Carpentum judiciale quare dictum. Thronus. Carpenta sacerdotum, item Augustarum.*

AD carpentum nunc accedo, de cujus appellatione ita Vossius: *A carpendo, carpentum, sive qua notione dicimus carpere iter, sive potius, qua carpere est scindere, quia ex scissis fieret lignis. A qua significatione Gallis hodie charpentier dicitur faber tignarius, quia ligna carpit, id est, cædit.* Ego vero dubitare nequeo, quin Gallorum *charpentier*, sit a Latinorum *carpentario*. Porro *carpentarius* a *carpento*, ut ex Gallico hic nil doceri debeat vel queat. Adde, quod denominationis ratio sit nulla. Nam & reliqua vehicula non ex integris, sed scissis fiunt lignis: nec tamen ideo carpenta nominantur. Quare necdum video, cur deserere Ovidium debeamus, qui sic dicta putat a Carmenta. Verba ejus sunt Fastorum lib. I.

[A] *Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant:*
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.


Parens Evandri, Carmenta est. Hinc dicta censet carpenta. Videturque ejus hanc sententiam probare historia, Plutarcho etiam in Quæstionibus Romanis, aliisque tradita de matronis Romanorum, quando templum posuerunt Carmentæ, cum prohibitum ante a Senatu recepissent carpentorum & vehiculorum usum. Plutarchus sic enarrat: *Memoria proditum est, matres, cum usu vehiculo-* [B] *rum, quibus trahendis jumenta junguntur, Senatus ipsis interdixisset, inter se conspirasse, neque uterum gerere se, neque parere velle, ac viros hac ratione ulcisci. Idque fecerunt, donec mutata sententia usus vehiculorum concessus fuit. Exinde cum parerent, fœcundæ & claræ liberorum copia, templum Carmentæ posuere. Ea Carmenta Evandri mater fuit, nomine suo Themis, aut ut alii volunt, Nicostrata.* Sane cur Carmentæ potius, quam deæ alii, posuerint templum, post impetrata denuo vehicula, ratio idonea non potest reddi, si repudiamus istam, quod auxilio matronis fuerit, ut exemplo [C] suo vehiculis ac carpentis possent uti. Carpentum ergo, veluti carmentum, quod esset vehiculum, quali Carmenta olim utebatur. Dissentire tamen Isidorus videtur, quando ita habet lib. XX. cap. 12. *Carpentum pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum.* Vossius sic de hoc loco: *Censet, carpentum conflatum esse ex currus & pompa. Nempe quia vehiculum esset honoratorum.* Mihi aliter videtur, describi carpentum simpliciter & Isidoro, verum carpentum pompaticum. Atque ita mea editio, apud Guilielm. Læmarium A. MDXCV. publicata; Tò *pompaticum* refert ad præcedens *carpentum*, non subsequens *vehiculi genus*. Est au- [D] tem carpentum pompaticum, cujus usus est in pompis, Circensibus puta, & similibus, de quo postea dicetur. Istiusmodi carpentum ait vocari, quasi carrum pompaticum, non quod Tò *pompaticum* compositionem *carpenti* constituat, quomodo enim a *pompatico*, fieri possit *pentum* in voce *carpentum*? Sed quod carpentum sit velut carrus, sive carrum Nempe illud *pentum* appendicem τοῦ *carrum* putavit, quasi *carripentum* esset dictum; sive potius a *carro* primum *carrimem* & *carrimentum*, contracte *carmentum*, postea *carpentum* censuit esse factum. Quanquam vero ista non sint tam absurda, tamen caussas nullas video idoneas, cur abire a [E] sententia priori debeamus. Carpentum Græci quoque imitatione vocis Latinæ κάρπεντον dixere. Dio lib. LX. Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. Item alio loco, ubi de Agrippina loquitur: Καὶ τιμὰς ἄλλας τε, καὶ τῷ καρπεντίῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι, παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. Quanquam hic sic καρπέντιον, quod ibi κάρπεντον, si non vitiosa est scriptura. Alias ἀπήνην reddunt. Nam quod habet Livius lib. I. cap. 48. de Tullia, Tarquinii uxore: *Carpento certe in forum invecta, evocavit virum*, id Dionysius Halicarnassensis ita reddit: ἐπὶ τῆς ἀπήνης καθεζομένη παρῆν εἰς τὴν ἀ- [F] γοράν. Est autem, quod notandum ante omnia, carpentum genus aliud, quam *pilentum*. Manifeste namque distinguit Livius lib. V. cap. 25. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.* Neque tamen idem semper, sed varium. Primum enim est agreste: quomodo leguntur *carpenta stercoris* apud Palladium lib. X. cap. 1. *Uni jugero asserit Columella XXIV. stercoris carpenta sufficere.* Hæc carpenta vehes sunt. Sic enim exponit Columella ipse lib. II.

c. 16. quem locum Palladius respexit: *Plani loci, ait, jugerum duodeviginti, clivosi quatuor & viginti vehes stercoris teneant*. Item c. 5. ejusdem libri. *Jugerum autem desiderat, quod spissius stercoratur, vehes quatuor & viginti, quod rarius, duodeviginti*. Porro vehes nullum genus signant vehiculi, sed mensuræ. Columella ipse lib. XI. *Vehes stercoris habet modios octoginta*. Licet tamen aliunde discere, Palladium per carpenta intellexisse plaustra, quia plaustris stercus evehebant. Valer. Maximus lib. I. c 7. *Corpus suum a caupone trucidatum tum maxime plaustro ferri ad portam, stercore coopertum.* Cicero eandem rem commemorans de divin. I. *Se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, at supra stercus injectum*. Chrysippus, unde hæc desumpta est historia, vocavit ἁμαξῶν. Suidas, voce Τιμωροῦντος. Εἶτα ἔμελλεν ἐκκομίζειν ἐφ' ἁμάξης ἀγούσης κόπρον. *Postea evehere ipsum voluit super plaustrum, quod vehebat stercus*. Sed de plaustro alibi. Carpentum aliquando genus illud quo portantur conjuges & liberi Alanorum. Ammianus Marcellinus lib. XXXI. *Omnes sine sedibus fixis absque lare vel lege aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant: ubi conjuges tetra villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & ad usque pubertatem nutriunt pueros*. Hoc genus ipse paulo post sarracas explicat. *Cumque ad gramina venerint, in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur: absumptisque pabulis velut carpentis civitates impositas vehunt*. Sed & de sarracis alibi dicemus. Sunt vehicula interdum, quæ ad cursum publicum destinata, veteribus *carpenta*. Ut in lib. VIII. C. Theod. lib. 18. *Illud etiam sublimitas tua observari omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibusque carpentis, quam bini, aut ut summum terni homines invehantur*. In lege 30. ejusdem tituli cum addito *carpenta redarum* appellantur, h. e. istiusmodi carpenta, qualia sunt redæ. *Perspicue sanxeramus, ut in carpentis redarum mensuram subditam nullus excederet*. Loquitur auctor hujus legis nominatim de redis, unde constat, redas esse, quæ interdum carpenta vocantur. Invenimus & carpenta posita pro vehiculis, quibus homines vehebantur publicis in viis. Ita usurpavit Apulejus lib. XI. Metam. *Romam versus profectionem dirigo, tutusque prosperitate ventorum, hausi partum celeberrime, ac dehinc carpento pervolvi*. Juvenalis Sat. VIII.

Præter majorum cineres, atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus ——

Mancinellus generatim hic *vehiculum* exposuit, Valla *currum*. Veteri Scholiasti *rheda* est, credo, quali faciebant iter. Nam ubi agit de sufflamine, de quo sequitur apud Poetam; *inter radios mittitur, dum clivum descendere ceperit rheda*. Atque tali sensu poni & a Floro crediderim, quando ait lib. I. c. 18. *Ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum vidisses*. Nam de rhedis alias testantur, quod sint propriæ Gallorum. Idem posuit pro vehiculo seu curru militari Gallorum, qui alias est *benna*, uti suo loco demonstrabo. Verba extant libro III. cap. 2. *Nil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat*. Usurpavit & pro Britannorum curribus lib. III c. 10. *Plena erant tumultu hostico littora, & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant*. At hos currus Cæsar ipse, unde sua Florus hausit, *esseda* vocavit lib. IV. Bel. Gel cap. 33. Inde ipsum hoc describens, quod a Floro dicitur, sic habet c. 24. *At barbari consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essedariis, quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant*. Ex quibus omnibus jam liquet, non unius esse generis, sed varii, vehiculum, quod *carpentum* nominatur. Ut ignorem, quare **virum doctissimum**, hoc est Casaubonum, vir itidem doctissimus reprehenderit in Commentariis ad Codicem Theodosianum, lib. XIV. t. 12. *quodcunque vehiculum apud Historiæ Augustæ Scriptores carpentum vocari* scripserit. Interim negari non debet, esse tamen genus aliquod, peculiariter sic dictum, quod commune habet nil cum cæteris. De hoc constat quod ex parte fuerit contectum, vel ex Apulejo, qui sic habet lib. X. Metam. *Spretis luculentis illis suis vehiculis, ac posthabitis decoris prædarum carpentis, quæ partim contecta, partim revelata, frustra novissimis trahebantur consequiis*. Dicit manifeste, carpenta partim contecta, partim revelata fuisse. Erat autem tecti ratio semicircularis, instar arcus. Unde quoque *currus arcuati* dicta sunt carpenta, si qua Lipsio est fides. Currus arcuatos Livius commemorat lib. I. c. 21. *Ad id sacrarium Flamines bigis, curru arcuato vehi jussit*, Jam Lipsius exponens ista in opusculo de Vesta c. 11. *Quis ille currus arcuatus? carpentum, id est tectum superne, & cameræ in modum*. Bene, cameræ in modum, hoc enim proprie *arcuatum*. Onomasticon Argentoratense: *Arcuatus*, καμαρωτός. Ergo currus arcuati, carpenta camerata. Sane arcuato tecto carpenta fuisse operta docet nos & carpentum Agrippinæ, cujus hodieque species servata est in nummis. Ecce tibi eam, cum effigie carpenti, quod est Iuliæ tributum, ex nummo Illustriss. Comitis Magni de la Gardie, Regni Cancellarii.





Nummum Agrippinæ carpenti exhibere figuram docet nos vel Suetonius, quando ita de Caligula, filio Agrippinæ cap. 15. *Instituit matri Circenses, carpentumque quo in pompa traduceretur*. Porro liquet, hoc carpentum tecto arcuato superne fuisse clausum. Neque aliter se habet in carpento Juliæ. Nisi quis existimet hoc valuisse solum in carpentis pompaticis. Vere namque nummi illi nobis exhibent pompatica carpenta, uti postea ostendam. Sed tamen Dionysius hac caussa videtur ἐγκύκλιον vo-

casse. Verba ejus sunt lib. III ubi agit de ostento, quod accidit Tarquinio proficiscenti Romam. Ἀετὸς τὸν πῖλον αὐτοῦ τὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς κείμενον ἁρπάσας ἄνω πάλιν ἀνέστη, καὶ τῷ ἐγκυκλίῳ αἰώρᾳ φερόμενος. Hic non agitur de carpento pompatico, sed itineribus parato. Livius eandem rem sic memorat lib. I. cap. 34. *Ibi ei carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno clamore volitavit.* Quod Livio *carpentum*, quo Tarquinius facit iter cum uxore, id Dionysio ἐγκύκλιος αἰώρα. Potest autem ἐγκύκλιον esse dictum, sicut a Latinis *arcuatum*. Nisi τὸ ἐγκύκλιον revera exponamus *contectum*. Nam habemus apud Hesychium, ἐγκυκλήσω, ἐγκαλύψω. Sed fortassis neutrum voluit Dionysius, verum per ἐγκύκλιον simpliciter vehiculum intellexit, quod incedit rotis a κυκλέω, quod a κύκλοις h. e. rotis. Simili namque ratione fecerunt & δίκυκλον, & τετράκυκλον, de quibus vehiculis jam alibi est dictum. Ut sic ex hoc loco nihil liceat producere ad confirmanda tecta in carpentis non pompaticis. Nam Dionis locus, quo de tectis illis agi Lipsius putavit, ne huc quidem pertinet. Verba Lipsii extant in opusculo de Vesta c. 11. *Quia igitur carpentum ita tectum & velut solidum perfectumque vehiculum; Dio Cassius dixisse videtur & circumscripsisse ἅρμα ὅλον. Ut in honoribus Julio Cæsari, tanquam Deo Decretis:* Ὕστερον δὲ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις, μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. Hic quia nominatur ἅρμα ὅλον, putavit Lipsius, significare carpentum penitus tectum, solidum, & perfectum. Quasi vehicula quæ non fuerunt tecta, dicta sint μὴ ὅλα, & non perfecta, & perfectiora habita, quæ tecta. Atqui multa genera vehiculorum, interque illa etiam non tecta, quæ tamen perfecta sunt in suo genere. Imo vero ἅρμα ὅλον hic est dictum in comparatione ferculi, quod Cæsari ante fuit decretum, sicuti ostendimus, cum de Ferculo ageremus, nec tam in respectu ad partes usurpatur, quam rei magnitudinem ac dignationem cum pondere non minimo atque emphasi declarat. Adde quod τὸ ἅρμα eo loco non carpentum sit, sed thensa, quod ne Lipsius quidem ipse non vidit, quando dicta verba sic exponit: *Denique & currum integrum, sive thensam una cum Deorum statuis in Circum inferri decreverunt.* Sed nimirum is putavit, carpentum & thensam non nimis diversa fuisse. At nos aliud ostendemus, quando thensas declarabimus. Quare manet adhuc dubium de tecto in carpentis vulgaribus, nisi quatenus ex Apulejo hoc colligitur. Sane Præfecti urbis carpentum non fuit tectum, ut deinceps indicabo, sed nec de carpento Tarquinii certi sumus, cum ipsi aquila sustulerit pileum sedenti in eo. At hoc fieri difficulter potuisse videtur, si carpentum fuit tectum. Nec tamen aperta omnia existimo fuisse, verum illa sola, quibus viri utebantur. Nisi forte ipsi illi viri essent delicati. Mulierum carpenta credo habuisse tecta sua, sic enim suadere videntur etiam pompatica carpenta, quæ vix est credibile tam longe structura sua recessisse a vulgariter receptis. Sed & ex Persarum harmamaxis hoc colligitur, quas *carpenta* reddidere. Glossæ Græcolat. Ἁρμάμαξα, *carpentum*. Erant quidem harmamaxæ peculiares Persarum. Unde Maximus Tyrius Serm. 34. Θαυμάζεις τιάραν Μηδικὴν, καὶ τράπεζαν βαρβαρικὴν, καὶ ἁρμάμαξαν Περσικήν. *Miraris tiaram Medicam, & mensam Barbaricam, & harmamaxam Persicam.* Et hæc caussa, quare Curtius suo, non Latino reddere vocabulo voluerit lib. III. cap. 3. *Quindecim inde, quas armamaxas appellant, sequebantur.* Valla vertit *essedas* apud Herodotum in Polymnia. Xylander, vel quisquis alius interpres Dionis, *bigas* lib. LIV. Verum neutrum explicat τὸ ἁρμάμαξα. Proxime accedit *carpentum*, vel propter hoc ipsum, quoniam ἁρμάμαξα habuit lectum. Ita docet Plutarchus in Themistocle, ubi de Persarum cura circa uxores pellicesque custodiendas: Τὰς παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτὸς, ἀλλ' ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι. *Pellices anxia sepiunt custodia, ne a quoquam non domestico conspiciantur, sed in itinere sub tectis undiquaque clausæ harmamaxis vehuntur.* Diodorus Siculus rem eandem memorans sic ait lib. XI. Ἔθος ἦν παρὰ τοῖς Πέρσαις τὸν ἄγοντα παλλακὴν τῷ βασιλεῖ, κομίζειν ταύτην ἐπὶ κεκρυμμένης. Ubi nominat ἀπήνην, quæ Plutarch. ἁρμάμαξα, quod observandum. Neque tamen scribit fuisse vehiculum, sed pellicem. Ut de harmamaxa videatur posse dubitari, cum Plutarch. quoq; memoret sollummodo σκηνὰς ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν, hoc est, quasi tuguriola seu tentoriola super harmamaxis. Sed opinor sicuti carpenta, sic & harmamaxas generis non ejusdem fuisse, alias tectas, alias apertas, vel potius apertis, quotiens ita visum esset, superne tecta potuisse imponi, hocque factum esse, cum mulieres ipsis veherentur. Σκηναὶ profecto, quas commemorat Plutarchus, explicari nequeunt, ut ad harmamaxas nihil referantur. Idem docet Xenoph. lib. VI. Cyropæd. ubi de Panthea: καὶ αἱ θεράπαιναι λαβοῦσαι αὐτὴν ἀπῆγον εἰς τὴν ἁρμάμαξαν, καὶ κατακλίνασαι κατεκάλυψαν τῇ σκηνῇ. *Ancillæ capientes ipsam deduxerunt ad harmamaxam, inque ea composuerunt, & operuerunt tabernaculo.* Τῇ σκηνῇ ait, ut appareat de eo loqui, quo solenniter harmamaxa tegi consueverat. Pari modo quod de Dario refert Arrianus lib. III. Βῆσσος δὲ καὶ οἱ ξὺν αὐτῷ τέως μὲν ἐφ' ἁρμαμάξης Δαρεῖον μετὰ σφῶν ἐκόμιζον: id sic reddit Curtius lib. V. c. 12. *Rex captivus servorum suorum in sordidum vehiculum pellibus undique contectum imponitur.* Ἁρμάμαξα est *vehiculum pellibus undique contectum.* Justinus *clausum vehiculum* nuncupavit lib. XI. c. 15. *Cognovit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum.* Habuerunt igitur auctore Plutarcho σκηνὰς, id est tecta, tuguriola, tentoriola, qualia & in carpentis ideo fuisse credimus, quoniam ἁρμάμαξαι sunt carpenta, sicut vidimus. Nisi quod in harmamaxis possent tolli, in carpentis forte non possent, quæ prima vehiculi utriusque differentia fuisse videtur. Sed & hæc fortassis caussa est, quare Herodotus appellaverit καμάρας lib. I. Nec enim de alio agere vehiculo vel inde colligo, quod de Babyloniis loquatur, tum adjectis Persico imperio, & a quibus, ut id genus alia, Persæ forsan didicere. Πολλαὶ καὶ οὐκ ἀξιεύμεναι ἀναμίσγεσθαι τῇσι ἄλλῃσι, οἷα πλούτῳ ὑπερφρονέουσαι ἐπὶ ζευγέων ἐν καμάρῃσι ἐλάσασαι, πρὸς τὸ ἱρὸν ἑστᾶσι. Valla ita vertit: *Cæterum quum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis vectæ, pro templo consistunt.* Ubi *camerata vehicula*, sunt tecta cameris, id est velut curvis fornicibus, sive arcubus, unde *arcuata* Livii exemplo possent nuncupari. Meminit hujus loci Pollux, & exponit στεγαστὰ ὀχήματα lib. X. c. 12. Τὰ δὲ κατάστεγα καὶ στεγαστὰ ὀχήματα καὶ καμάραι. Οὕτω γὰρ ὠνόμασεν Ἡρόδοτος. *Tecta & operta vehicula & cameræ; sic enim Herodotus appellat.* Athenæus ab his καμάραις quædam Spartanarum virginum vehicula vocat κάναθρα καμαρωτά. Verba extant lib. IV. c. 7. Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται, πολυτελῶς κατεσκευασμένων. Ubi perperam interpres: *Virginum autem aliæ canathris tectæ, aut sub fornice ligneorum currum vehuntur, magno sumptu ornatorum.* Quasi sermo sit de pluribus generibus, & canathra tantum tecta fuerint. Canathrum non tectum fuit, sed vehiculum Laconicum

ex ligneis bacillis contextum : inde est , quod ἅρμα ξύλινον appellat. Nempe κάναθρον alias fiebat ex cannis , hoc est arundinibus, unde quoque habebat nomen. Hesychius : Κάνναι, ψίαθοι, καὶ τὰ αἰγύπτια πλέγματα, ἀφ' ὧν καὶ τὰ κάναθρα. *Cannæ, storeæ, & contexta Ægyptiaca, e quibus fiunt & canathra*. At illa Laconica erant ex bacillis ligneis. Hoc amplius habebant quoque tecta. Inde vocat non κάναθρα simpliciter, sed κάναθρα καμαρωτά. Ubi καμαρωτὰ sunt camerata vel concamerata, quomodo & Germani mei hodie genus non absimile *Kammervvagen* nuncupat. Nam quod Casaubonus κάναθρον in universum a Didymo exponi putat καμαρωτὸν ξύλινον ἅρμα ad dictum Athenæi locum cap. 6. sine dubio erroneum est. Nam ne πείρινθα vel ὑπερτερίη, vel ploxemum aut sirpiculum, quibus appellationibus alias venisse ait, tectum genus vehiculi ac ne vehiculum quidem significant. Itaque hoc pertinet privatim ad Laconum κάναθρα. Hæc erant καμαρωτὰ, sive tecta, non contextu aliquo ex cannis, calamisve, verum lignis. Atque hactenus revera carpentis similia. Rectissimeque Casaubonus: *Cantharis Spartanarum virginum respondent Romanorum carpenta & pilenta, quibus ad deorum ædes feminæ vehebantur, item plebejæ arceræ & capsæ*. Quod de capsis & arceris adnectit, melius omisisse poterat. Nam *capsa* non vehiculum, sed ejus pars est, sicut alibi ostendi. *Arcera* vero nil commune habet cum carpento, ut proin utrique generi Spartanorum canathra non potuerint respondere. Verum de carpenti tecto satis. Rotas quod concernit, eas vero habuere duas, si sic omnia fuere structa, sicuti pompatica. Plures certe non cernuntur in eorum imaginibus exhibitis superius. Neque tamen ausim hoc de cunctis affirmare. Nam Præfecti urbis video habuisse quatuor, ut post indicabo. Nescio quoque an ex eo fuerit genere, quod pependit inter rotas. Nam videtur velle, quod ἐγκύκλιον αἰώραν appellavit Dionysius. Αἰώρα certe Græcis, quicquid in sublimi suspensum est, ut fiscella, in qua caseus exsiccatur, lectus pensilis, & id genus. Inde & Hesychius: αἰωρήσας, ἐκκρεμάσας; & Phavorinus: αἰωροῦμαι, ἐν ἀέρι φέρομαι. Juvat, quod vehiculum fuit delicatum, maximeque usurpatum mulieribus: Trahebatur vero carpentum a mulabus plurimum. Ideo habemus *carpentum mulare* apud Lampridium in Heliogabalo cap. 4. *Facta sunt senatus consulta, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari*. Atque *mulionem* ad carpentum apud Auctorem Viror. Illustr. cap. 7. *Mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere præcepit*. Loquitur de carpento Tulliæ, Tarquinii uxoris, de quo agens Dionysius non modo & ipse nominat ὀρεωκόμον, i. e. mulionem, sed & mulas, denique quod Latinis omnibus carpentum est, hac de caussa vocat ἀπήνην. Verba ejus extant lib. IV. Στενοῦ δὲ ὄντος πάνυ τοῦ στενωποῦ δι' οὗ τὴν ἀπήνην ἔδει διελθεῖν, αἱ ἡμίονοι τὸ πτῶμα ἰδοῦσαι διεταράχθησαν, καὶ ὁ προηγούμενος αὐτῶν ὀρεωκόμος πάθοι τι ἐπὶ τὸ τῆς ὄψεως ἐλεεινὸν ἐπέστη. *Cumque admodum angustus esset vicus, qua carpentum agendum erat, mulabusque ad conspectum cadaveris pavefactis, ipse quoque mulio, qui ducebat eas, commotus esset tam miserabili spectaculo, &c.* Nempe vehiculum mulare Græcis proprie ἀπήνη. Scholiastes Pindari Olymp. V. Ἀπήνη δέ ἐστιν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν. *Apene currus est mulis junctus*. Ad eundem modum habet Phavorinus, & Hesychius: ἀπήνη, ἅμαξα, οἱ δὲ ζεῦγος ἡμιόνων. *Apene, vehiculum; alii vocant bigam mularem*. Aliquando dicitur λαπήνη, vel λαμπήνη. Quod posterius occurrit apud Pollucem lib. X. cap. 13. ubi perperam *lecticam* explicarunt. Theodoretus Quæst. 60. in 3. Reg. Λαμπήνη εἶδός ἐστιν ἁρμαμάξης, ὥσπερ αὖ καὶ ἀπήνη. *Lampene, genus harmamaxæ, ut & apene*. Atque quia eadem fuere hæc vehicula cum carpentis, ideo & leguntur tecta. Hesychius: Λαμπήνη, εἶδος ἁμάξης, ἐφ' ἧς ὀχοῦνται. ἔνιοι, ἀπήνη. ἢ ἁρμαμάξης περιφανοῦς βασιλικῆς. ἢ ῥέδιον περικεφαλαιόμενον ὅ ἐστιν ἅρμα σκεπαστόν. Sic puto locum valde depravatum emendandum. Veteres habuere ἀπήνη, ἢ ἅρμα ἁμάξης, item, ἢ ῥαβδίον περὶ κεφαλὴν, ex quo fecere, ἢ ῥάδιον περιφανὲς ex Suida. Verum in priori mala est distinctio, in posteriori nimis longe omnia recedunt. Ῥέδιον περικεφαλαιόμενον interpretor rhedam, quæ superne tecto rotundo velut galea est operta. Quomodo περικεφαλαίαν δίφρου ἁρματίου Auctor Etymologici Magni exponit ἄντυγα, uti totius loci ea sit sententia. *Lampene, species vehiculi, in quo vehuntur, (alii vocant apene) aut harmamaxæ nobilis & regiæ; aut rheda galeata, id est currus contectus*. Nisi malis in postremis ἢ ἱρήδιον περὶ κεφαλὴν, cum sit apud Suidam ἴρδιον, & accipere de corona radiata, ut λαμπήνη sit a λάμπω, *fulgeo*, ac tandem legere ἥ ἐστιν ἅρμα σκεπαστόν. Quicquid sit de lectione, hoc apparet, λαμπήνην vel ἀπήνην esse vehiculum σκεπαστὸν, id est, contectum. Id quod & de harmamaxa discimus ex hoc loco, in quo λαμπήνη per ἁρμάμαξαν exponitur; Quemadmodum superius & a Theodoreto factum. Neque aliter Plutarchus in Themistocle, ubi de pellicibus Persarum: Παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι. Τοιαύτης τῷ Θεμιστοκλεῖ κατασκευασθείσης ἀπήνης καταδὺς ἐκομίζετο. Quod ante ἁρμάμαξαν, id post ἀπήνην nominat. Quanquam, cum adjiciat τοιαύτης ἀπήνης, id est, *hujusmodi apenes*, simul ostendit, non fuisse unum semper genus, sed ἀπήνην unam hoc, aliam alio modo fuisse paratam, id quod supra quoque, cum de apene Circensi vel Olympica loqueremur, testati sumus. Sane, quoniam pene tecta fuit, ideo quod Seniores, καὶ ἤνεγκαν τὰ δῶρα αὐτῶν ἔναντι Κυρίου ἓξ ἁμάξας λαμπηνικάς, id Interpres vetus vertit: *Obtulerunt munera coram Domino sex plaustra tecta*. Omnes tamen trahebantur mulis vel mulabus, sicut ante diximus. Ideo Homerus ipse Il. Ω. v. 324.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην.

Ante quidem multi trahebant quatuor rotarum apenen. Atque Apollonius Argonaut. lib. III. ver. 840.

Ἐσσυμένως οὐρῆας ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ.

Festinate mulos adjungere apene. Neque aliter de harmamaxa Ctesias in excerptis apud Photium: Αἱ γὰρ ἄγουσαι τὴν ἁρμάμαξαν ἡμίονοι, ὥσπερ ἀναμένουσαι καὶ τὸν τοῦ παιδὸς νεκρὸν, οὐκ ἤθελον πορεύεσθαι. *Nam mulæ, quæ harmamaxam trahebant, tanquam filii cadaver expectarent, iter facere nolebant*. In carpentis tamen credo usurpatos aliquando equos. Ita sane videas in carpento Præfecti urbis in Notitia Imperii. Quanquam illud ipsum docere videatur, factum esse in carpentis virorum, & non mulierum. Quin imo & boves in carpentis legimus. Lampridius in Heliogab. cap. 4. *Facta sunt Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum*. Heliodorus tribuit & harmamaxis. Ita namque habet lib. III. Æthiop. ubi agit de Chariclea: Ἤγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁρμαμάξης ἀπὸ συνωρίδος λευκῆς βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur harmamaxa, quam jugum album boum trahebat*.

A Numerus animalium binarius plurimum fuit. Sic videmus in nummis antea propositis, quibus carpenta exhibentur. Similiter ἀπήνη hac de caussa ζεῦγος ἡμιόνων dicta Hesychio; Et Polybius in Excerptis XXXI. Καὶ τῶν ὀρεοκόμων, καὶ τοῦ ζεύγους, καὶ τῆς ἀπήνης αὐτῆς ὑπαρχούσης. *Mulionibus, & bijugis, & apene sua existente*. Sed & in harmamaxa paulo ante Heliodorus συνωρίδα λευκὴν memoravit, quo id ipsum indicatur. Συνωρὶς enim duos tantum notat junctos sive equos, sive alios jugales, uti alias tradidimus. At carpentum Præfecti Urbis in Notitia Imperii quatuor juncta habet animalia. Quod, opinor, accidit & in aliis. B Usus carpentorum maxime spectabat ad mulieres, nominatimque matronas honestiores. Apud Romanos sane Tullia, Tarquinii uxor, qui deinde Rex est factus, usa carpento. Inde Livius de ea, *carpento invecta in forum*, item, *carpentum flexit in Urbium vicum*, item, *per patris corpus carpentum egit*. Quanquam ignorem, an tum pertinuerit ad alias, quam Reginas, vel ex regia stirpe oriundas. Saltem libera Republica videmus impetrasse hoc peculiaris beneficii caussa, quod conferendo in publicum omnem mundum suum civitati præstiterant, ut ex eo votum Apollini a Camillo nuncupatum solveretur. Meminit Livius lib. V. cap. C 25. *Grata ea res, ut quæ maxime, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur*. Ergo, si is honor tum his habitus, carpentis antea non fuerunt usæ. Nec enim fuisset honor, si concessum esset id quo ante utebantur. At temporibus belli Punici secundi consuetudo ista est sublata. Nam Q. Fabio & T. Sempronio CSS. interdictum matronis, ne porro uterentur, quoniam ad ipsas portas urbis grassante Annibale inconveniens videbatur superbire mulieres, reliquis omnibus in timore lu- D ctuque constitutis. Factaque lex auctore Oppio, Tribuno plebis, *ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur*, sicut idem Livius lib. XXXIV. cap. I. testatur. Quæ tamen lex vigesimo post anno iterum est abrogata, vel ob continuas matronarum preces, ut vult Livius ejusdem libri cap. 8. vel ob earum conspirationem tacitam, qua convenerant inter se, ne qua uterum gereret aut pareret, nisi honor pristinus sibi redderetur, uti tradit Plutarchus in Quæstionibus Rom. Sic deinde mansit carpentorum usus apud matronas. Quæ Romanorum, eadem E vicinarum gentium fuisse consuetudo videtur, maxime Latinorum, ut apud ipsos matronæ veherentur carpentis. Ideo L. Valerius causam matronarum agens contra legem Oppiam apud Livium dicto libro, cap. 7. *At hercle, universis dolor & indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint: Quum insignes eas esse auro & purpura, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi*. Jam ut carpenta spectarunt ad matronas, ita nescio, an ad virgines etiam, apud Romanos. Nisi forte ad Vestales, sicut quidem Lipsius existimat. F Quanquam loca veterum, quæ pro hac sententia adducit, nihil evidenter probent. Nam Prudentius quidem de pilentis loquitur, quæ frustra Lipsius existimat a carpentis nil fuisse diversa. Plutarchus de φορείῳ, id est, sella, vel lectica. Tacitus vero nullam Vestalium facit mentionem. Verba ejus XII. Ann. *Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos, Sacerdotibus & Sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ*. Hic Sacerdotes Lipsius existimat intelligendas de Vestalibus, quod equidem necesse non est. Magis inde quis colligeret, quod indultum ipsis fuerit jus omne matronarum. Quanquam hoc ab Augusto demum factum teste Dione l. LV. Ταῖς ἀειπαρθένοις πάνθ᾽, ὅσαπερ καὶ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο. *Vestalibus virginibus omnia, quæ matres habebant, indulsit*. Ita ergo & indulserit iisdem, vehi carpentis. Nisi quis existimet, exolevisse tum carpentorum usum, receptis scilicet lecticis, quæ est Lipsii sententia. Sic enim ait ad superiorem locum Taciti: *Olim commune fuisse videtur, ut matronæ vulgo carpentis uterentur ad sacra. Sed exolevit scilicet ille mos, utique post repertas lecticas, & mansit saltem in veneratione Sacerdotum Deorumque. Prima Messalina honorem hunc a Senatu cepit*: Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ, *ait Dio*, τὴν προεδρίαν, ἣν καὶ Λιβία ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. *Et juxta eam Agrippina nunc, de qua idem Scriptor*: Καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ ἐτίμα; ἀλλὰ τὸ καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. At hic multa sunt non satis proba. Primum enim totum falsum, quod carpentis scribit usas ad sacra matronas. Nunquam vehebantur ad ea carpentis, sed pilentis, ut deinde demonstrabo. Postea Messalinæ dicit primum datum honorem, ut carpento veheretur ad sacra, putatque se probare ex Dione. At vero Dio nil de sacris, sed simpliciter: Καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. Sed sic tamen postea. At vero ἐν ταῖς πανηγύρεσι non significat *in sacris*, verum *in conventibus publicis*, per quos fallor admodum, si non intellexit Circenses. *Ludos* generatim reddidit interpres: *Utque carpento ludis veheretur*. Casaubonus de hoc loco toto Dionis ita differit ad Suet. cap. 17. vitæ Claudii: *Narrat Dio, Senatum, accepto nuntio de subacta per Claudium Britannia, inter alios honores Claudio uxorique ejus Messalinæ tributos, permisisse Messalinæ carpenti usum. Supplendum autem diebus festis & ludorum Circensium, sicut supra scriptum de matre Claudii: Decernendum curavit matri carpentum, quo per Circum duceretur*. Putavit vir eruditissimus, fuisse similia ista Senatusconsulta. Mihi secus videtur. Nam matri quidem Claudii carpentum decretum est jam defunctæ, at Messalinæ vivæ. Matri Claudii carpentum, quo deduceretur ejus post Deorum aliorum imago. At sic Messalinæ vivæ decretum non existimo. Certe *carpento per Circum duci* nihil aliud, quam in solenni pompa Circensi duci in carpento, quod in defuncta quidem aliter, quam de imagine ipsius, intelligi non potest, cum præsertim istoc de imagine confirment nummi, qui imagines sedentes in carpentis illis habent, quod colligitur ex eo, quia cusi post earum obitum, quarum præferunt imaginem, & cum jam numerati essent inter divas. Hinc inscriptiones nummorum, quales de defunctis: *Memoriæ Agrippinæ*, *Memoriæ Domitillæ*, *Divæ Faustinæ æternitas*, & ejusmodi. Neque unquam, nisi de defuncta legas. Nam & de Caligula, cap. 15. *Matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur*, quod ad honorem pertinebat jam defunctæ. Igitur hoc quidem genus nil ad Messalinam adhuc vivam. Quid ergo est, quod ei tributum est carpentum? An simpliciter, ut eo uteretur *diebus festis & ludorum Circensium*, uti Casaubonus ait, Lipsium fortasse secutus? At de his nil Dio. Non diebus illis inquit, sed vero ἐν ταῖς πανηγύρεσι, quod haud dubie ad certum referendum est negotium. Existimo autem, datum conjugibus Imperatorum, ut, sicut Imperatores ipsi pompam Circensem aliquando ducebant, sicut Magistratus eam comitabantur, ita ipsæ quoque jus haberent in ea pro-

cedendi utendique carpento. Et hoc esse, quod sit datum Messalinæ primum, & mox non Paulinæ Lolliæ, quod memoria lapsus scripsit Casaubonus, verum Agrippinæ. Cæterum est aliud *carpento uti*, & carpento *uti in solenni pompa*, ut eo, quod tributum Messalinæ fuerit in illa pompa jus utendi carpento, Lipsius colligere non debuerit, carpentorum usum ista ætate penitus desiisse, neque remansisse, nisi apud sacerdotes. Contra enim de illa ipsa Messalina, cum Claudius ex Britannica expeditione venisset domum, & haberet triumphum, Suetonius cap. 17. *Currum ejus Messalina uxor carpento secuta est*. Sed nec Tacitus hoc docet. Non ait simpliciter, morem sacerdotum fuisse tum, utendi carpentis, sed carpentis ingredi Capitolium. Vulgo nempe cum venissent ad Capitolium, curru aut carpento exibant, incedebantque pedibus, reverentia loci. Soli sacerdotes proprium hoc habuere, ut una cum sacris ingredi carpento capitolium fas haberent. Itaque usus carpentorum non mansit apud solos sacerdotes, neque Messalinæ denuo primum habitus is honor, quod vult Lipsius. Et qui honos esse tantus potuit? Fatetur ipse Lipsius, obsolevisse usum carpentorum propter repertas lecticas. Si propter lecticas, ergo lecticæ in majori fuerunt honore, quippe quibus loco cedere coactæ sunt. Quomodo ergo retineri potuerunt *in veneratione sacerdotum deorumque*, sicut ait Lipsius? quomodo per ejus usum augeri veneratio Agrippinæ? Non conveniunt hæc inter se, rem usu vulgatam alia nova magisque æstimata commutare, & tamen vulgata ista uti deinde ad dignationis suæ firmamentum sive incrementum. Quare Tacitus non aliter accipiendus est, quam ut dixi. Retinuerunt ex matronis carpenta, quorquot vellent, etiam post lecticarum usum. Id peculiare fuit institutum, quod carpento in Circensi pompa veheretur imago Liviæ, quod carpento in eadem incederet Messalina, non enim aliis nisi diis deabusque ac heroibus, itemque viris qui in magistratu essent, hoc tributum. Item quod carpento ingredi Agrippina Capitolium permitteretur, quod alias concessum fuit nemini, exceptis sacerdotibus ac sacris. Et quoniam retinuerunt, ideo legimus sub Heliogabalo factum esse Senatusconsultum *de legibus matronalibus, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum*, ut Lampridius testatur. Nempe honoratius carpentum mulare, quam boum fuit. Ideo per ambitionem eo utebantur cunctæ, etiam fortunæ tenuioris. Quod emendare voluit Heliogabalus. Vehebantur autem mulieres carpentis communiter, & quotidie, nisi quando eundum esset ad sacra, tum enim pilentis utebantur. Unde Livius in verbis supra laudatis: *honorem cum matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur*. Voluit hoc idem Festus, quando ait: *Pilentis & carpentis per urbem vehi matronis concessum est*. Non enim de promiscuo agit usu, verum tali qualem dixi. Jam quod de carpentis observavimus, idem pertinet ad ἀπλώαις etiam Græcorum. Nam in ipsis quoque vehebantur mulieres. Quomodo Nausicaa apud Homerum suo docet exemplo. Sed & Diodor. Siculus l. XI. pellices Persarum vehi ἀπλώαις facit. Ἔθους γὰρ ὄντος παρὰ τοῖς Πέρσαις τὸν ἄγοντα παλλακὴν τῷ βασιλεῖ, κομίζειν ταύτην ἐπὶ ἀπλώης κεκρυμμένην. Quanquam hic ἀπλώη proprie, quæ alias est harmamaxa, de quo genere notissimum, pertinuisse ad mulieres. Et jam pridem observavit vir eruditissimus, mihique amicissimus, cum viveret, Jo. Freinshemius ad Curtii lib. III. cap. 3. ubi ait: *Curruum hoc genus ad mulieres aliosque molles proprie pertinuisse, exinde apparet, quod in omnibus*

A *Xenophontis locis, ubi barmamaxarum, ibidem & mulierum est mentio*. Quanquam cubuisse videantur in his harmamaxis, non sedisse, sicut in ἀπλώαις aut carpentis. Ita sane Xenophon lib. V. Cyropæd. ubi loquitur de Panthæa: αἱ θεράπαιναι λαβοῦσαι αὐτὴν ἀπῆγον εἰς τὴν ἁρμάμαξαν, καὶ κατακλίναντες κατεκάλυψαν τῇ σκηνῇ. *Ancillæ abduxerunt ipsam ad barmamaxam, inque ea compositam ad decumbendum operuerunt tabernaculo*. Nisi fors putamus, factum id tum ideo, quia Panthæa erat mœsta propter viri discessum. Nam Chariclia quidem in ea sedet, apud Heliodorum, ut ostendit facile totus locus. Tamen & Chariclia harmamaxa videri potest non vulgaris, sed pompatica fuisse, cum ne recta quidem fuerit, sicut alias solebant. Quanquam vero hæc vehicula spectarint ad mulieres, usurparunt tamen & viri. Ita observamus de carpentis, maxime cum iis faciendum esset iter. Ita Tarquinius vectus est carpento cum uxore Tullia, cum veniret primum Romam, ut ex Livio apparet. De Laterano Juvenalis Sat. VIII.

> *Præter majorum cineres, atque ossa volucri*
> *Carpento rapitur pinguis Lateranus*. ——

C Sed & de ἀπλώη hoc discimus ex Plutarcho, quando de Timoleonte: ὁ δὲ κομιζόμενος δι' ἀγορᾶς ἐπὶ ζεύγους, πρὸς τὸ θέατρον ἐπορεύετο. καὶ τῆς ἀπήνης, ὥσπερ ἐτύγχανε καθήμενος, εἰσαγομένης διακούσας τὸ ζητούμενον ἀπεφαίνετο γνώμην. *Ille jumentis vectus per forum ibat in theatrum. Introductaque apene, in qua sedebat, audiebat rem, de qua consulebaʼur, sententiamque dicebat*. Quanquam fecerit hoc Timoleon jam senex, & luminibus captus, quod fortasse sine observatione non prætereundum. Idem colligimus ex Luciano, quando de Mercede Cond. facit, ea vehi Philosophum cum

D cinædo. Τὰ δ' οὖν ἄλλα, παρ' ὅλην τὴν ὁδὸν μυρίας τὰς ἀηδίας ἀνάσχεσθαι, ὑπᾴδοντος, καὶ τερετίζοντος, εἰ δὲ μὴ ἐπεῖχεν αὐτὸς ἴσως ἂν καὶ ὀρχουμένου ἐπὶ τῆς ἀπλώης. *Præterea boc itinere molestias innumerabiles pertulisse sese* (Philosophum) *illo* (Cinædo) *cantante garrienteque, denique, nisi hominem coercuisset, etiam saltatum in apene*. Observamus & de harmamaxis. Xenophon lib. III. Cyrop. ἀναβάντες ἐπὶ τὰς ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξίν. *Adscendebant barmamaxas una cum uxoribus suis*. Quin imo videntur aliquando propria virorum significasse vehicula. Ita sane legimus apud

E Auctorem Etymologici Magni, qui propterea existimat harmamaxas esse nominatas. Ἁρμάμαξα ἡ πρὸς ἀνδρῶν καθέδραν κατεσκευασμένη ἅμαξα, οἷον ἅρμα καὶ ἅμαξα, ἢ ἀνδράμαξά τις οὖσα, ἢ ἄνδρας ἄγουσα. *Harmamaxa currus paratus ut in eo viri sedeant, velut barma, id est currus, & bamaxa, id est plaustrum, aut andramaxa, id est currus virorum, qui vebit viros*. Varias dat rationes appellationis, inter eas illam quoque, quod fuerit ἀνδράμαξα, id est vehiculum, quo ducantur viri. Quanquam sine dubio hæc nulla sit, cum manifeste satis appareat, compositam esse vocem, non ab *arma* & *maxus*, uti habet Onuphrius, sed *barma* & *bamaxa*. Onuphrii hæc verba sunt lib. II.

F de Lud. Circens. cap. 2. *Armamaxi erant curruum Scythicorum genera ex duobus veluti curribus compositi, & diversis rebus exornati, ut coronis aureis, thoracibus, clypeis, exuviis, & similibus. Arma enim currus & maxus plaustrum significant*. Sic Onuphrius, in quibus tamen vix est aliquid, quod probari potest. Primum enim nunquam legitur ἁρμάμαξος seu *armamaxus* in masculino, verum semper ἁρμάμαξα, *barmamaxa*. Deinde non est

A genus Scythicum vehiculi, sed Persicum, ut superius ostendi. Nam quod legitur de Scytharum Nomadum quibusdam regibus, quod sint vecti harmamaxis, huc non pertinet, ut post ostendam. Sed & quod sic exornatas scribit fuisse, nescio an verum sit. Equidem intelligo hic agi non de harmamaxis omnibus, sed iis, quæ solebant duci in pompa circensi. Verum de his ipsis ambigo, neque ductas ullas sic ornatas credo, vel omnino aliquas harmamaxas, nisi eas, quas Latini appellarunt carpenta, sive currus. Denique hausisse illas harmamaxas suas Onuphrium ex Dione puto, qui sic lib. LXI. *Καὶ οἱ ἐλέφαντες, οἱ τὴν τοῦ Αὐγούστου* B *ἁρμάμαξαν ἄγοντες ἐς μὲν τὸν ἱππόδρομον ἐσῆλθον.* Loquitur de elephantis, qui currum Augusti ducebant. Ita enim Latini nominarunt, uti liquet ex Suetonio, qui sic clarissime cap. 11. Claudii: *Aviæ Liviæ Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit.* Fuit ergo currus id vehiculum, quod decretum Augusto in circensi pompa. Dio tamen harmamaxan vocavit, non quod harmamaxæ aliquæ ducerentur in circensi pompa, quod Onuphrius hinc collegisse videtur, sed quod harmamaxa sæpe vehiculum apud Græcos, cujus esset usus in pompa vel itinere splendidiore. Sic enim & harmamaxa C dicta qua cadaver vehebatur Alexandri. Athenæus lib. V. cap. 9. *Ἱερώνυμος θαυμάζεται ἐν τῇ κατασκευῇ τῆς ἁρμαμάξης, ἣ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα.* *Hieronymus admirationem sibi peperit ob fabricam harmamaxæ, qua corpus Alexandri deferri contigit.* Quod autem Onuphrius harmamaxam vocatam scribit ab *arma* & *maxus* prorsus est erroneum, nam *maxus* vox est nihili, scribique *bamaxa* debebat. Nam *hamaxa* est *plaustrum*, & *harma* currus. Porro ex his intelligitur, quomodo harmamaxam compositam ex duobus velut curribus putaverit, videlicet ex curru, & ex plaustro. Atque ita quoque Dalechampius ad A- D thenæi lib. V. cap. 9. Dicit enim fuisse vehiculum, *cujus forma partim currus fuit, partim plaustri.* Neque tamen qualis illa forma compositiove fuerit declarant. Ego similem fuisse currui existimo cum propter sellam, in qua sedebant, tum propter jumenta, ut in curribus juncta æqua fronte, plaustra vero propter longitudinem, & rotas quatuor,

A quas videntur harmamaxæ habuisse. Quicquid vero sit de hac re, harmamaxa virorum quoque fuit vehiculum, & quidem usurpatum ad splendorem. Testem habemus etiam Herodotum, qui sic lib. VII. *Ἐξήλασε μὲν δὴ οὕτω ἐκ Σαρδίων Ξέρξης, μετεκβαίνεσκε δὲ, ὅκως μιν ὁ λόγος αἱρέοι, ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν.* Quod sic vertit Valla: *Hunc quidem in modum Sardibus processit Xerxes, sed e curru, quoties ratio exigebat, in essedum transcendebat.* Ubi male *essedum* vocavit, quod est *harmamaxa*. Volunt autem hinc colligere, viliorem fuisse currum sive *ἅρμα*, quam harmamaxam. B Quod ego non intelligo. Non credibile, viliore genere uti Xerxem voluisse, cum iter faceret per urbem. At expresse ait, Sardibus incessisse curru, sive *ἅρματι*. Quare non hæc fuit differentia, sed alia. *Ἅρμα*, hoc est currus pertinebat magis ad bellum, harmamaxa vero ad negocia urbana. Curru inibant prælia, non vero harmamaxa, in qua potius vehebantur molliter, vel si sic necesse foret, capiebant quoque somnum. Xerxes igitur cum expediendum aliquid videbatur in exercitu, conscendebat currum sive *ἅρμα*, cum dabatur otium, conferebat se in harmamaxam. *Ἅρμα* ergo non deterius aut vilius vehiculum, quam- C quam harmamaxa quoque usurpata ad splendorem Ideo & regibus adhibita, ut vidimus exemplo Xerxis. Et Aristides de Scytharum regibus quibusdam: *οὐκ ἐφ᾽ ἁμαξῶν πεπλημένων, ἀλλ᾽ ἁρμαμαξῶν νομάδες τινὲς βασιλεῖς.* *Non in plaustris, verum harmamaxis Nomadum quidam reges circum vehebantur.* Uti nota, quod quemadmodum superius ab *ἅρμασι* seu curribus, ita hic ab *ἁμάξαις* seu plaustris distinguantur. Quod de harmamaxis diximus, interdum pertinet & ad *ἀπήνας*. Nam & illæ usurpatæ regibus. Saltem apud Homerum Priamus ea vehitur, Iliad. Ω. Ubi nota *δίφρον* in ea ut in curribus, & tamen fuisse *τετράκυκλον*, ut D plaustra. Quo efficitur ut & de harmamaxis aliquibus hoc suspicer. De carpentis eadem invenimus. Imperatores sæpe iis vecti regesque. De Constantio Ammianus lib. XVI. *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum.* Simile Heraclii carpentum, quod expressum nummo, & a Lipsio propositum inde Cruce III. hic exhibemus.



Multa hoc carpentum habet notabilia, & quæ E docent, harmamaxis non dissimile fuisse. Primum enim cernitur in eo *σκηνὴ* seu tuguriolum in fronte fastigiatum, sicuti *σκηναὶ* consueverunt. Deinde factum id tuguriolum apparet ex pannis pretiosis, ut sit vero simile, tolli ac reponi potuisse. Sed & a fronte vela habet utrinque remota suspensaque, unde colligitur, eis obductis potuisse claudi. Etiam aulea habet picta, quibus in ambitum est ornatum. Plane sicuti de iis testatur Diodorus lib. XI. aitque fuisse *πολυτελέσι περιπετάσμασι κεκοσμημένας*, *pretiosis auleis exornatas.* Ad postremum rotis quoque incedebat quatuor, plane sicut de *ἀπήνῃ* supra demonstravimus, & de harmamaxis vel ex nomine suspicionem fecimus. Etiam Gallorum reges iter facere carpentis consueve-

suevérunt. Eginhartus vita Caroli de Rege Francorum: *Quocumque eundum erat, carpento ibat*. Sed præcipue hic honos fuit apud Romanos magistratuum, videturque currui antiquo, unde dicti sunt curules, successisse sub Imperatoribus carpentum. Primum autem ita vectus est Præfectus Prætorii, auctore Cassiodoro lib. VI. Var. in formula Præfecti Prætor. ubi de Josepho, quem Prætorii Præfecto comparat: *Ipse primum hujus dignationis infulas consecravit, ipse carpentum reverendus adscendit ad hoc gloriæ culmen evectus*. Et observavit jam lib. 1. Semestr. cap. 3. Petrus Faber. Quem tamen valde miror, voluisse hoc carpentum explicare per tribunal. *Duo potissimum prætorianæ præfecturæ insignia in veterum auctorum libris agnovimus, carpentum sive tribunal, sella curuli magistratuum & ordinariorum judicum altius, & item gladium*. Et statim post: *De carpento sive tribunali Cassiodorus*: adducit dein verba nobis laudata. Atque sic Savaro quoque ad Sidonii lib. 1. ep. 11. Sic enim habet ad ista Sidonii: *Tribunal industrium potestatum*) *id est carpentum Præfectorum prætorio*. Atque addit rationes: *In eo enim*, inquit, *sedentes jus dicebant majores magistratus, antea pro tribunali*. Quod ut probet, dicit carpentum hoc Vopisco in Aureliano vocatum *judiciale carpentum*, additque post: *Idcirco carpentum præfecti prætorio tribunal vocatur Cassiodoro, quod in eo, sicut prius in tribunali, ante carpenti usum jus dicerent majores magistratus*. Quæ omnia haud dubie ex Fabro hausit, quippe qui & ipse, quæ de carpenti altitudine prodit, colligit ex iis Cassiodori verbis, quæ superioribus immediate subdit; *Tribunal tuum ideo tam excelsum factum esse noveris, ut locatus ibi nihil humile abjectumque cogitares*. Quasi quæ de tribunali dicit Cassiodorus, ea intellecta velit de carpento, remque eandem prius carpentum, mox tribunal appellaverit. Quod tamen falsum esse vel ex eo liquet, quia intercedunt plurima inter ea, quæ de carpento, & ea, quæ de tribunali habet. Et quis unquam de carpento jus dixisse quenquam magistratuum apud Romanos scripsit legitve? Denique carpentum adeo a tribunali differt, ut non possim non mirari, quenquam voluisse ista inter se miscere. Tribunal fuit ingens tabulatum forma quadrata, uti alias exposui. Id hic excelsum vocat, non quod carpentum esset, rectisve altis impositum incederet, sed quod revera extructum foret altius a terra. Sicut *celsum* hac de causa nominavit Juvencus, uti supra demonstravi. Ecce tibi speciem in hoc Trajani nummo, quia plurimum ad rem intelligendam facit.



Id tabulatum, super quod Trajanus Imperator sedet in sella curuli, extructum altiusculé, atque ut videtur, aulæis cinctum ornatumque tribunal est, quod non video, quo pacto possit quis formare in carpentum. Itaque hic quidem lapsi sunt viri longe doctissimi. Carpentum nunquam fuit tribunal, nunquam ex eo jus dixerunt magistratus, verum vecti eo sunt honoris gratia, & inter ipsos primus Prætorio Præfectus. Nam & illud falsum, quod putavit Faber, fuisse hunc illius unius honorem, ac iccirco errasse Vopiscum, vel pro sella curuli posuisse, quando tribuit Præfecto urbis. Extant enim, quod jam observavit vir doctissimus Jacobus Gothofredus ad t. 12. lib. XIV. Cod. Theod. testimonia clarissima de Præfecto urbis quoque, quod carpenti jus habuerit. Omnium instar est, quod habet dictus supra Cassiodorus in formula Præfecti urbis lib. VI. Var. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem*. Meminit & Symmachus, ipse Præfectus urbis lib. X. ep. 33. Quod si non esset, constaret tamen manifeste ex Notitia imperii utriusque, in qua inter Insignia cum Præfecti Prætorii, tum Præfecti urbis carpentum refertur. Ut proinde vere proprieque Vopiscus ita scripserit in Aureliano cap. 1. *Vehiculo suo & judiciali carpento præfectus urbis vir illustris, ac præfata reverentia nominandus, Junius Tiberianus accepit*. Ubi vehiculum & judiciale carpentum ponit, non ut duo diversa, sed ut uno alterum explicetur. Nam cum vehiculi significatio sit generalis, quale vehiculum intelligat, putavit adponendum, ac iccirco id *vehiculum* se dixit innuere, quod est *judiciale carpentum*. Appellavit autem judiciale carpentum, non quod ex eo jus diceret, quod sine caussa finxerunt Faber & Savaro, sed quod spectaret ad Judicem. Ubi per judicem intelligimus ipsum Urbis Præfectum, cujus pars non exigua, judicem esse atque judicare. Unde Cassiodorus in Formula Præfecturæ Urbanæ: *Sic ergo locum tuum tracta, ut omnes te judicem honoratæ congregationis agnoscant*. Et paulo post: *Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere antiqua jura voluerunt: ne tantæ civitatis judicem muralis agger includeret, cum Roma omnia possideret*. Hinc igitur *judiciale carpentum*, quod nimirum pertinet ad judicem honoratæ congregationis, ad judicem civitatis. Quo sensu etiam Rectori Provinciæ Ammianus tribuit, cujus verba postea adferemus. Justinanus in Novella 70. de carpento isto loquens Græce nominat ἀπήνην, quod conveniens est iis, quæ in præcedentibus notavimus. Loquitur de Præfecto utroque Prætorii & Urbis; id honoris ait delatum ipsis, ὥστε μεγάλης αὐτοὺς ἠξιωμένους τιμῆς ἀπήνῃ τε ἐποχουμένους. Vertunt totum locum ita: *Renovamus igitur hujusmodi legem, sancientes ita libertate frui* (eo honore a nobis ornatos) *quatenus magno promeriti honore & in carpentis vecti, & clamores præconum audientes, insuper judiciales conscendentes sedes, hujusmodi fortuna liberi constituantur*. Quibus verbis observandum est distingui *vehi carpento*, & *judiciales sedes conscendere*, ac iccirco verum esse, quod superius attulimus de tribunali. Carpentum nempe non fuisse tribunal. Tribunal conscendisse, ac in eo occupasse judiciales sedes; carpento vero esse vectos. Quomodo & de carpento Aureliani Vopiscus: *Ibi cum animus a caussis atque a negociis publicis solutus ac liber vacaret, sermonem multum a Palatio usque ad hortos Valerianos instituit*. Dicit, *ibi*, nempe in carpento, in quod a Tiberiano præfecto urbis Vopiscus fuit assumptus. In eo ait animum vacasse a causis, unde liquet manifeste, caussas ibi cognovisse nullas, nullum jus dixisse, sed, quod sequitur, sermones inter sese miscuisse, atque vectos esse. Fuit autem hoc carpentum paulo aliter, quam cætera, formatum, quod colligimus ex pictura ejus, quæ servata est in Notitia Imperii hoc modo.



Primum observamus hic in carpento Præfecti Prætorio & Urbis rotas quatuor, quales non fuere in carpentis cæteris, nisi forte Imperatorum. Deinde cernimus superne non *sellam curulem*, ut exponit Pancirollus, quando ei nulla ratione similis, quod superiora docent, verum *arcuatam*, instar throni. Sic enim vocabant sellam istiusmodi. Glossæ veteres titulo de Supellectile; *Sella arcuata*, θρόνος. Ubi θρόνος notat sellam semirotundam ex uno ligno, soliditatis gratia, quali utebantur Reges corporis custodiendi causa, ne quis a tergo vel lateribus facile ipsos posset adoriri. Isidorus: *θρόνος dicitur. Item thronum Græci dicunt, nos solium, in quo Rex sedet propter tutelam corporis sui, secundum quosdam a soliditate dictum, quasi solidum, secundum alios per antistichon, quasi sodium a sedendo.* Illi alii, quos hic nominat, intelligendi sunt de solo Aspero, qui hoc censuit. Discimus ex Servio, qui sic lib. VII Æn. *Solium est veluti armarium de uno ligno ad regum tutelam factum, secundum alios a soliditate dictum, secundum Asperum per antistichon quod solum unum capit, quasi sodium a sedendo.* Tale igitur sive solium, sive thronus, sive sella arcuata est in carpento antea proposito. Unde ἄντυξ est in Epigrammatis lib. II. cap. 5. titulo εἰς Θεμίστιόν τινα, φιλόσοφον, γενόμενον ὕπαρχον πόλεως ἐπὶ Βαλεντινιανοῦ καὶ Βάλεντος, i.e. *In Themistium quendam, factum Urbis Præfectum sub Valentiniano & Valente.* Verba hæc sunt:

Αντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος εἰς πόθον ἦλθες·
Αντυγος ἀργυρέης αἶσχος ἀπειρέσιον.

Docet titulus, sermonem esse de Præfecto urbis, cui cum tribuatur ἄντυξ dubium non potest esse, quin sit sermo de carpento. Jam vero ἄντυξ proprie est sellæ curvatura in curru seu carpento. Hesychius: Αντυξ, ἅρματος περιφέρεια. Auctor Etymolog. Magni. Αντυξ ἡ ἀνωτάτη περικεφαλαία τοῦ ἅρματος δίφρου. Talem ergo intellexit auctor Epigrammatis & in carpento, ac ex ea integrum appellavit. Equidem non nescio, ἄντυγα esse proprie in sella currus militari, ac antrorsus flecti; quia tamen ei fuit similis curvatura carpenti, licet flexa retrorsum, mihi non est dubium, quin eam auctor Epigrammatis intellexerit. Docet autem dictum Epigramma, carpentum illud cultum fuisse argento. Namque ἄντυξ ἀργυρέη est *argenteum carpentum*. Atque meminit argenti hujus in carpento illo Symmachus lib. X. ep. 33. ad Theodosium: *Cum clementia vestra meminisset, faciendæ carrucæ impendium de sacro ærario esse decretum: censuit ut ejus argentum publicis conditis redderetur, D. Imperator. Sed examinis reperit fides, ex aliis titulis assumptam speciem, quam vehiculi ornatus accepit.* Habes aperte argentum ad vehiculi ornatum. Vocat equidem vehiculum carrucam: verum intelligere carpentum, cum superiora docent, tum quod apud ipsum sequitur: *ex Argentariorum parsimonia argentum jusso operi ministratum est. Cujus solutio, si carrucæ usus maneret, de thesauris Imperialibus jure peteretur. Sed nunc carpenti novitate summota suum quisque deposcit.* Hic enim quod carrucam ante nominavit, postea carpentum explicat. Cultum alium majoremque instituerat Gratianus, &, quod suspicor, ipsam carpenti formam veterem immutaverat; sed impetravit Symmachus a Theodosio & Arcadio, ut usus ejus aboleretur. Docet integra ad imperatores dictos epistola, quæ est libri X. 13. ubi vocat *peregrinum ac superbum vehiculum, cujus cultus insignior est, & quo moderator urbis tanquam Salmoneus alius invehitur.* Præter utrumque hunc præfectum carpento usum testatur Cassiodorus etiam Vicarium urbis. Ita namque habet in formula Vicarii Urbis Romæ, quæ legitur lib. VI. vers. 15. *Ad similitudinem summorum carpento veheris.* Uti per *summos* intelligere illos ipsos Prætorii Urbisque Præfectos arbitramur. Præter summos hosce magistratus carpentis quoque utebantur sacerdotes, quod ex Tacito jam supra vidimus. Qui Annali XII. de Agrippina: *Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus.* Ubi per sacerdotes non tam Virgines Vestales, quod facit Lipsius, quam revera sacerdotes viros, præsertim Flamines existimo intelligendos. Quos cum alias carpentis vectos arbitror, tum præsertim cum in Capitolium deducerent sacra, nemini conspicienda. Hoc enim fieri optime in Carpentis, tectis scilicet superne, poterat. Erat autem ille carpentorum usus, si respicimus matronas, ad itinera quotidie in urbe facienda. Ita videmus ex Tullia Tarquinii, quæ in publicum proditura utitur carpento. Sed & decreto Senatus hoc innuitur, quo conceditur eis carpentorum usus festis profestisque diebus. Postea translata sunt & in pompam Circensem, primum ut imagines de-

functarum Augustarum eis veherentur, qualia carpenta ideo Isidorus appellavit *pompatica*. Hoc enim peculiare habebant Augustæ, quod ipsarum imagines veherentur carpentis, cum Augustorum veherentur curribus. Suetonius in Caligula, cap. 15. *Instituit matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur*. Deinde ut ipsæ vivæ una cum magistratibus in pompa cum carpentis incederent, quod ambitioni Messalinæ primum datum in superioribus ostendimus. Viri utebantur carpentis partim ad itinera commodiora, partim ad testationem muneris ac dignitatis, qua ornati essent in republica, ut supra vidimus. Et hæc etiam de harmamaxis apud Persas, & apenis apud Græcos possunt observari. De quibus plerisque jam in præcedentibus monuimus.

CAP. XVIII.

De Cisio.

Cisia, unde. Vossius rejicitur. δίτροχον. Cum rotis duabus incedant. Pincianus notatur. Gestatorium vehiculum speciali notione, quod non est onerarium, veteribus incognitum. Ad cisium mulæ tres. Vehiculum est virorum. Ad itinera celerrime conficienda idoneum. Senecæ lectio vetus restituta. Cisiarii prævertere se mutuo studebant. Ulpianus exponitur. Cisia conductitia. In cisiis tabellarii. Tabellarii domestici. Cisia peregrinantium disposita inter urbes. Cur Gallis cisia tributa.

AD vehicula, quæ binis volvebantur rotis, pertinent & cisia, ut mox indicabo. Mentio eorum apud Tullium Philippica II. *Inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto*. Item Senecam ep. 72. *Quædam sunt, quæ possis & in cisio scribere*. Unde nomen suum hæc vehicula habuerint, incertum est, nec de eo veteris alicujus sententiam invenimus. Vossius de eo sic in Etymologico suo: *Dicitur a cædo, quasi cæsium, quia duæ rotæ quasi recisæ*. Putat, quantum conjicio, inde suum habuisse nomen, quod non haberet, sicut alia non pauca vehicula, rotas quatuor, verum duas tantum, duabus recisis, id est sublatis. Sed jejunum nimis hoc videtur, nam & alia sunt vehicula cum rotis duabus, & cur tandem in cisio solo recisa debeant intelligi, ratio non potest dari aliqua idonea. Ego arbitror a *cito* esse dictum, id est prompto celeri, quia vehiculum fuit, quo celeriter confici potuit iter. Quod jam liquet ex superiori loco Ciceronis, & mox amplius monstrabitur. Nempe sicuti a *novus, a, um*; ad eundem modum & a *citus, a, um* existimo formatum *citius, a, um*, postea pro *citio* suavitatis caussa dictum esse *cisium*. Ut proinde *cisium* adjectivæ sit significationis, in quo intelligi debeat *vehiculum*, & significet *vehiculum citum*, quo celeriter fiat iter. Quæ illius apud Græcos appellatio extiterit, hucusque necdum exploratum est. Δίτροχον, pro eo invenimus in Antiquis Lexicis, ut mox dicam. Sed commune hoc vocabulum cum multis aliis vehiculis. Structuram quod concernit, primum duas habuisse rotas observamus ex Nonio, qui sic habet cap. 2. *Cisium, vehiculi biroti genus*. Vehiculum *birotum* est, quod binas habet rotas. Ita namque generatim hic accipere debemus, non privatim de *birota* de qua egimus in præcedentibus. Porro Nonium sequitur & Perottus. Confirmatque utriusque sententiam Onomasticon vetus Argentoratense, in quo ita legitur: *Cisium*, δίτροχον. Errat ergo Pincianus, quando explicat *vehiculum gestatorium*. Verba ejus sunt, ad indicatum supra locum Senecæ: *Est cisium genus vehiculi gestatorii, autore Nonio Marcello*. Nihil tale Nonius Marcellus, uti vidimus, biroti genus ait esse. Sed nec locus Ciceronis ex Philippica II. nobis quoque in superioribus allatus, tale quidquam docet. Sed fortasse *gestatorium* vehiculum accepit pro eo quo vehuntur homines, & opposuit *onerariis*. Quomodo jam factum a Corrasio lib. III. Misc. cap. 20. *Sciendum, ait, ex vehiculis aliqua oneraria esse, vehendis marmoribus, & grandi materiæ accommodata, ut plaustrum, sarracum & carpentum: alia gestatoria ad vectandos homines, veluti carruca, rheda, essedum, cisium, petoritum, pilentum, & cætera id genus*. Ubi & Corrasius inter gestatoria vehicula cisium numerat. Verum aliter fecere veteres. *Gestatoria* vocarunt, quæ portantur, & opposuerunt illis, quæ trahuntur. Ita habemus *sellam gestatoriam* apud Suetonium in Nerone cap. 26. & Vitellio cap. 16. item Cœlium Aurelianum lib. I. cap. 5 & alios. Quandoque pro lecticis ponuntur, ut apud Sidonium lib. VIII. ep. 8. ubi *gestatoriæ bracteatæ*, lecticæ videntur. Quicquid sit, hoc plane constat, cisium incessisse rotis, non fuisse gestatum. Ad hæc rotas habuisse non plures, quam duas. Fuit porro in cisio capsum, quale veteres vocarunt *ploxemum*. Ita docet Festus, in voce *ploxemi*: Verba hæc sunt: *Ploxinum appellari ait Catullus capsum in cisio capsamve, cum ait: gingivas vero ploxini habet veteris*. Testatur manifeste, ploxinum in cisio fuisse. Dicebatur autem ploxinum, sive ploxenum, aut ploxemum (his enim modis omnibus reperitur scriptum) quod esset non ex tabulis conjunctum, sed contextum ex virgultis aut viminibus, quod jam loco alio monstravi. Liquet igitur, vehentes sedisse in ejusmodi ploxeno contexto e virgultis, sicut hodieque fieri per Daniam consuevit. Videntur autem tali genere in eo uti voluisse, quia servire celeritati debuit, ut mox dicam. Reliqua enim magis ponderosa. Trahebatur vero a mulabus, quod colligo ex carmine veteri, quod est inter Catalecta Virgiliana, scripto in Sabinum:

Sabinus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus
Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire ——

Dicit hunc Sabinum præterire cisia omnia potuisse, quod intelligendum est de cisio ipsius. Sic enim solebant, contendentes inter se, ut mox demonstrabo. Porro eum Sabinum appellat mulionem; unde constat, mulas in cisio suo habuisse. Id quod amplius ostendunt sequentia, ubi nominatim appellat,

—— *Læva, sive dextra*
Stringere mulas, sive utrumque cœperat.

Numerus mularum videtur fuisse ternarius, quoniam Ausonius *trijuge cisium* appellat epist. 8. Ita vero habet:

Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

Vix potuisset hoc modo vocare, nisi valde fuisset receptum, mulas tres in cisio adjungere. Utrum autem æqua fronte fuerint adjuncta, num vero duas conjugatas una antecesserit, an pro se

quælibet una post alteram cucurrerit, haud dixerim. Quoniam de eo nihil apud veteres occurrit. Vehebantur iis viri. Sic colligimus ex Cicerone, Ausonio, Carminis incerto auctore de Sabino, & aliis, qui ubique quando cisiorum mentionem faciunt, viros tantum memorant in ipsis, nunquam feminas. Pertinebat autem ad itinera extra urbem, non quovis modo, verum cum celeritate facienda. Ita supra Cicero de Antonio: *Perpotavit ad vesperum: inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit, capite involuto*. Et adhuc clarius in pro Sex. Roscio: *Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit*. Ubi nota, quod ad denotandam maximam celeritatem *pervolasse* dicat. Et solebant sic de cisio, hanc ob causam. Auctor sæpe laudatus de Sabino in Catalectis.

Neque ullius volantis impetum Cisi
Nequisse præterire —— ——

Atque quoniam cum cisio celerrime non tam currebant, quam volabant, ideo non fine causa dubitatur de correctione Pinciani apud Senecam eo loco, quem superius produxi. Scribit ipse: *Quædam sunt, quæ possis & in cisio scribere*. At libri veteres non parum variant: alii *incise*, alii *incedendo*, alii *in circo* habent, ut notarunt viri docti. Et *in circo* mallet Lipsius, nec Grutero displicet. Sane quomodo in cisio celeritate tanta volante scribere quis potuerit, non video. Et opponuntur huic, quicquid sit, *lectus*, *otium*, *secretum* apud Senecam, quæ non pugnant adeo cum cisio, in quo & otium potest esse & secretum. At non sic in circo. Quanquam cur omnino circum nominare hic debuerit, non videam. Quare mihi potius videtur, *incedendo scribere*, quod & meis in membranis legitur. Accipio autem illud *incedere*, non tam de incessu pedestri, quam qui fit cum sella, vel lectica, quomodo & qui vehuntur equo, *incedere* dicuntur Virgil. V.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis —— ——

Et in sellis ac lecticis scribere consuevisse, dum gestantur per plateas, alibi monstravimus. Quoniam vero festinatione tanta properabant suis cisiis, propterea quotiens simul plura ibant, unius auriga prævenire alterum studebat. Quo respexit Auctor carminis in Sabinum. quando *nullius cisii licet volantis impetum non præterire potuisse* dicit Sabinum istum. Fuit autem necessarium hoc casu, ut interdum cisium everterent. Hinc quæstio apud Jurisconsultos, qua teneatur actione istiusmodi auriga, qui occasione hujuscemodi evertit cisium, & servum, quem vehebat pro mercede, attrivit. Respondetque Ulpianus, actione locati posse conveniri. Verba sunt in l. 13. ff. Locat. *Item quæritur, si cisiarius, id est carrucharius, dum cæteros transire contendit, cisium evertit, & servum quassavit vel occidit: puto ex locato in eum esse actionem*. Patet ex hac ipsa quæstione inter Jurisconsultos agitata, fuisse non insolitum, sed frequentem casum, unde sequitur, solenne illud studium alterius præveniendi ac prætereundi alterum fuisse. Discimus vero ex hac lege illud amplius, fuisse ista cisia non modo singulis propria, sed publice quoque conductitia, quæ sub mercede certa solebant elocare. Inde namque actio ex locato nascebatur. Ac videntur cisia hujusmodi disposita habuisse passim publicis in viis, & extemplo potuisse conduci ab iis, qui faciebant iter. Ideo namque supra Cicero ajebat nescio quem decem horis nocturnis tot millia passuum pervolasse *cisiis*. Non dicit *cisio*, in singulari, verum *cisiis* in plurali, ut una eademque nocte, ac spacio paucarum horarum plura cisia conduxisse ac conscendisse necesse sit. Fieri hoc vero aliter vix potius, nisi ea, quam prædixi, ratione. Consueverunt autem cisiis uti frequentissime litterarum perferendarum gratia. Observamus ex prædicto Ciceronis loco. Nam post verba, quibus Antonium Romam advolasse scribit cisio, & venisse domum, specie tabellarii, subdit: *Janitor* (qui scilicet ædes, ad quas venerat, custodiebat) *quis tu*? Respondet Antonius: *a Marco tabellarius*. Neque aliud colligitur ex Orat. pro Roscio Amerino. Adscribam verba: *Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Mallus Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscii: & nunciat domum, non filii, sed T. Capitonis inimici*. Subdit postea, quomodo paucis horis nocturnis tot millia confecerit, ut supra vidimus. Pertinebant igitur ad nuncios & tabellarios, & fortassis hæc est causa, cur in lege antea allata mentio sit facta servi. Scilicet servorum fere munus fuit apud veteres, ut epistolas huc illucque perferrent. Cicero lib. XI. epist. 21. *Eodem exemplo litteræ a te mihi redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt*. Idem lib. XIV. ep. 5. memorat Acastum servum suum cum litteris uxoris amicorumque ad se Roma missis Athenas, quod iter confecit spacio uno & vicesimo die. Atque idem alii testantur. Atque hi fortassis *tabellarii domestici*, quos idem memorat lib. II. ep. 7. Porro consuevisse hos vehiculis ire novimus & ex Petronio, qui sic habet: *Forsan pernoctassemus in limine, ni Tabellarius Trimalcionis intervenisset decem vehiculis dives*. Quæ vehicula jam scimus ex superioribus plerumque cisia fuisse. Habebant tamen alias quoque cisia, quæ solenni itinere inter urbes certas commeabant, & ultro citroque deferebant peregrinantes. Talia memorat, quæ petebant Mantuam, item Brixium, auctor sæpe nominatus carminis de Sabino.

Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixium.

Quin imo per Galliam illam universam isto genere fecisse iter videntur, quæ vocatur Cisalpina. Unde item:

Cremona frigida, & lutosa Gallia
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait Sabinus, ultima ex origine.

Atque hæc opinor caussa est, cur Scaliger in Notis ad hunc locum: *Cisium proprium fuit Galliæ Cisalpinæ vehiculum*. Item cur Quintilianus lib. I. cap. 5. Catullum dixerit ploxeni vocabulum invenisse circa Padum. *Catullus*, inquit, *ploxenum circa Padum invenit*. Ubi *invenit* non significat *excogitavit*, sed cum in usu ibi esset primum audivit, primum ibi didicit. Et hæc quidem de cisio.

CAP. XIX.

De Plaustro.

Plaustrum unde. Varro, Vossius, & Scaliger refutantur. Plautum quid. ἅμαξα. Varro corrigitur. Hamaxa. In plaustro rotæ duæ. ἅμαξα τετράκυκλος, ἑξάκυκλος. Plaustra majora. Rotæ. Plaustrorum tympana. Quomodo pellucida plaustra tecta. Justini lectio defensa. Versio Hippocratis rejecta, ipse expositus. Quædam plaustra tecta ex parte. Μέρος ἐστεγασμένον. *Pollux emendatur. Carpenta pro plaustris. Convolvere carpenta. Ammianus exponitur. In plaustris lecti.* ἅμαξα τετράκλινος. *Erasmus notatur. Boves ad ea juncti, vel muli.* ἀπήνη *de plaustro, & quare juncti etiam asini. Semper fere bini.* ὀκτάποδες. ζυγός. *Usus plaustrorum ad onera in agris. Vehiculum vulgatum usu. Curtii lectio vetus defensa. Vulcanii versio Ammiani rejecta. Currus pro plaustro. Vina in plaustris, & oleum, & lapides. Spartianus explicatur. Plaustra onusta urbem ingredi prohibita. In plaustris columnæ lapideæ, arboresque. Gementia, stridentia plaustra. Gravia, onusta, inania, vacua. In plaustris sarcinæ militares. Vehicula cohortis. Arma in sarcinis. Curtius explicatur. Balistæ in plaustris. Rigaltius notatur. Plaustra peditibus præcipue serviebant. Naves in plaustris. Quandoque & homines. Vehere, ire plaustro, junctis bobus. Boves, muli juncti. Columella explicatur. Vulcanii versio Arriani rejicitur.*

AD id genus, quod instructum rotis est duabus, plaustrum quoque referendum. Id Varro putat dictum, quod in eo cuncta sint palam, atque cerni possint, quæ vehuntur. Ita namque ait lib. IV. de LL. *Plaustrum ab eo, quod non, ut in his, quæ supra dixi* (arceris) *sed ex omni parte palam est, quæ in eo vehuntur, quod perlucent lapides, asseres, tignum.* Existimavit igitur, quantum intelligo, *plaustrum* esse dictum veluti *palaustrum*. Sed repugnat, quod non *plaustrum* modo dixerint veteres, verum quoque *plostrum*. Cato sic frequenter in de R. R. ut cap. 3. *Vendat lanam, pelles, plostrum vetus.* cap. 5. *Terram cariosam caveto ne ares, neve plostrum, neve pecus impellas.* Et sic locis aliis. Neque aliter solebat Fl. Vespasianus, improbante licet Floro, forsan ipsa ista motus ratione, quod deductum vocabulum a *palam* existimaret. Sueton. cap. 22. *Mensorium Florum consularem, admonitus ab eo plaustra potius, quam plostra dicenda, die postera Flaurum salutavit.* Apparet, Vespasianum improbasse hanc sententiam, & excepisse risu. Ac profecto invenimus ipsum Tullium scripsisse *plostrum*. Ut in III. Ver. *Omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus, plostris evecta asportataque esse.* Prætulit & Probus ad Horatii lib. II. Sat. 3. Confirmat quoque factum ex *plostro*, *plostellum*, quod *plaustellum* nusquam legitur. Jam vero *plostrum* a *palam* non potest derivari, unde liquet, haud probari posse sententiam Varronis. Audiamus Isidorum: is de plaustro ita sentit: *Dictum plaustrum quia volvitur, quasi dicas* (ita scribo, non *dicat*) *pilaustrum.* Sed non video, quomodo illud *pilaustrum* indicet, quod volvatur. Vossius existimat respexisse *pilam*, id est, *sphæram*. Verum pila etiam, ro-

A tunditatem quidem monstrat, motum vero ac volutionem non monstrat. Forte magis respexit Græcum πολεῖσθαι, sed sic rectius *polaustrum* scripsisset. Denique volvuntur etiam reliqua vehicula, ut vix dari possit ratio, cur in solo plaustro voluerint attendere. Adfert quoque Scaliger sententiam, nam vel a *palando* id est *extendendo* ait dictum, vel a *plaudenda terra*, quam posteriorem derivationem etiam Vossius amplectitur. Nobis plaustrum dici a *plauto* videtur, quia vehiculum fuit latum, id est, non in ambitum structum tabulis, aut cum sella superne, verum planum.
B *Plautum* enim apud veteres seu *plotum*, quod latum est & planum, a πλατύς, quomodo & Germani, Belgæ, aliique *platt* usurpant. Ita *Plauti* dicti canes. Festus: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt & flaccidæ, ut latius videantur patere.* Ita *plauti* homines cum planis latisque pedibus. Festus idem: *Ploti appellati sunt Umbri, pedibus planis quod essent.* Ab hoc plauto ergo sive ploto, plaustrum est & plostrum. Græci appellarunt ἅμαξαν. Philoxenus: *Plaustrum*, ἅμαξα. & paulo post: *Plostrum*, ἅμαξα. Varro de L. L. *Septem stellas Græci, ut Homerus, vocant ἅμαξαν, nostri boves & triones. Et plaustrum*
C *appellatum, a parte totum, ut multa.* Ita lego, & distinguo, non, ut habent vulgo: *ut Homerus vocat*. Hyginus: *Majorem arctum complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græce appellarunt.* Idem colligas ex scriptorum locis aliis. Ut cum Livius de L. Albini pietate ita scribit lib. V. cap. 4. *In eo clivo eas cum L. Albinus de plebe Romana homo conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens, &c.* Plutarchus hoc sic reddidit in Camillo. Ἐνταῦθα Λεύκιος Ἀλβῖνος, ἀνὴρ δημοτικὸς, ἐν τοῖς φεύγουσιν ἔτυχε τέκνα νήπια καὶ γυναῖκα μετὰ χρημάτων ἀναγκαίων ἐφ᾽ ἁμάξης ὑπεκκομίζων. Vocat ἅμαξαν, quod Livius *plaustrum*. Et
D fuisse plaustrum firmat Florus lib. I. cap. 13. *Lucius Albinus*, ait, *depositis uxore & liberis, virgines in plaustrum recepit.* Idem facit Valerius Maximus lib. I. cap. I. *cum L. Albinus plaustro conjugem & liberos vehens eas adspexisset.* Ita quando idem Valerius lib. II. de tibicinibus, qui concesserant Tibur, nec reverti volebant: *mero somnoque sopitos, plaustris in urbem devehendos curarunt:* hoc sic explicat in Quæstionibus Romanis Plutarchus: Περιαγαγὼν τὰς ἁμάξας οὐ συνορῶντας αὐτοὺς διὰ τὸν οἶνον καὶ τὸ σκότος, ἔλαθεν εἰς Ῥώμην καταγαγὼν ἅπαντας ἕωθεν. Etiam Latine *hamaxas* Capitolinus usurpavit in Maximinis c. 6.
E *Jam illa prope in vulgi ore sunt posita, quod hamaxas manibus attraheret.* Habuit autem plaustrum, ut de specie nunc ejus dicam, rotas duas. Ita clare Isidorus: *Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferunt.* Idem docent monumenta vetera, quæ mox adferemus. Omnia nobis exhibent plaustra cum duabus rotis, nec cum pluribus. Sed videtur obstare, quod dicatur plaustrum esse simile syderi, septentriones alias vocato. Gellius lib. II. cap. 21. *Hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt.* Si est inter plaustrum
F sidusque similitudo, non video, quomodo non plaustrum rotas quatuor habuerit. Constat namque ex stellis septem, quarum duæ tresve antecedunt recta serie, ut boves, quatuor per quadratam dispositæ figuram, plaustrum exhibent cum rotis quatuor. Adde, quod apud Strabon. lib. XV. memorentur ἅμαξαι τετράκυκλοι expresse: Atque ita & Herod. l. I. Τούτου δὲ τοῦ Χοάσπεω τοῦ ὕδατος ἀπεψημένου πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι, ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀργυρέοισι ἀγγηΐοισι. Vertit Valla: *Cujus Choaspis aquam decoctam & in argentea vasa*

diffusam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum mulis trahentibus assidue comitantur, quocunque ille proficiscitur. Cum fuisset rectius, *multa plaustra quatuor rotarum.* Sed hoc ipsum, quod uterque nominatim vocat τετρακύκλυς, docet, nisi fallor, vulgo plaustra rotas quatuor non habuisse. Nam si vulgo hæc eorum fuisset structura, potuisset ea intelligi vel ex simplici ἁμάξας compellatione. Sic ἁμάξας ἑξακύκλυς, hoc est plaustra cum rotis sex leguntur, nec tamen hæc communis eorum fuit structura. Hippocrates de aere, ubi agit de Scytharum ratione vivendi: αἱ δὲ ἅμαξαι εἰσὶν αἱ μὲν ἐλάχιστον τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι. *Plaustra vero eorum minimum rotis quatuor, quædam quoque sex sunt instructa.* Habes ecce plaustra cum rotis sex, habes cum rotis quatuor, quod genus ait minimum fuisse apud Scythas. Cur hoc addit? cur dicit, minimum rotas habuisse quatuor, si semper quatuor, nec pauciores habuere? Quare opus est, ut vel ex hoc loco discamus, illud genus cum rotis quatuor apud Scythas solos minimum fuisse, idque contra consuetudinem vulgarem, secundum quam plaustra habuere rotas duas. Quæ habuere quatuor, ea non jam *plaustra* communiter appellabantur, sed cum addito, *majora*. Sic enim ad differentiam communium appellat Cato de R. R. cap. II. ubi ad villam instructam requirit *plostra majora III.* Erant autem rotæ illæ non quales vulgo cæteris in vehiculis cum radiis modioloque, verum ex conjunctis inter se tabulis ligneis contextæ, quales *tympana* nominabantur, & a nobis alibi exposita sunt satis clare. Probus ad Virgilii Georg. I. *Plaustra sunt vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi, & juncta cantum ferreo. Axis autem cum rota volvitur, nam rotæ circa ejusdem cardinem adhibentur.* Id quod incumbebat rotis, vel erat tabulæ instar latum, vel craticulæ, Græceque vel πλινθίον dicebatur, vel ἐσχάρα, sicut alibi ostendi, unde quoque plaustrum nominatum. Quod si quid imponebatur, de quo metus esset, ne decideret, a lateribus addebantur ex bacillis paucis unctæ machinæ, instar scalarum, ut & Germani *Leiter* appellare solent. En tibi effigiem, quæ rem omnem declaret.



Habes hic plaustrum cum tympanis, & super plaustrum, cupam, in qua culleus, qui ne excideret, munitur utrinque scalis istis seu machinula, quam dixi. Nam ligna tria a cupa surgentia, quæ superne continentur ligno transverse per ea decurrente, machinulam dictam repræsentant. Atque hoc est, quod respiciebat Varro, ubi agit de plaustri appellatione, quando *palam esse in eo* dixit *omnia quæ vehuntur, & perlucere lapides, asseres, tignum.* Perlucent scilicet per scalas istas, utrinque positas a lateribus ad continendum onus, sicuti in culleo videmus. Aliquando tamen plaustra tegebantur cum a lateribus, tum superne. Plutarchus in Quæstionibus Romanis, ubi explicat historiam tibicinum Romam ab exilio revocatorum: Συνέπεισε τοὺς αὐλητὰς ἀναβάντας ἐφ' ἁμάξας δέῤῥεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας. *Persuasit tibicinibus, ut plaustra circumquaque pellibus obtecta conscendant.* Ubi nota, pellibus sive coriis contegi consuevisse. Atque sic de plaustris Scytharum Justinus lib. II. cap. 2. *Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis, imbrium hyemisque caussa tectis pro domibus utuntur.* Mallet summus vir, Matthias Berneggerus, legere *corticibus* pro coriis, quoniam sic tecta leguntur apud Ammianum, ut mox indicabo. Verum ego nihil censeo mutandum, cum de coriis confirment alii quoque. Quos inter est Cinnamus, qui Historiarum lib. I. de iisdem Scythis: *Plaustris se circumdederunt, quæ bovillis intecta pellibus sive coriis superne* (Βοείοις ἄνωθεν βύρσαις περιλαβόντες) *& apte inter se connexa conjuges liberosque eorum impositas habebant.* Scilicet non fuit eadem apud omnes ratio. Ideo Hippocrates commemorat, qui non coriis, ac ne corticibus quidem, verum coactilibus habebant tecta. Verba ejus extant in libro de Aere, ubi loquitur de Scythis & eorum moribus: αὗται δὲ (ἅμαξαι) πίλοις περιπεφραγμέναι εἰσί. εἰσὶ δὲ τετεχνασμέναι ὥσπερ οἰκήματα τὰ μὲν ἁπλᾶ, τὰ δὲ διπλᾶ. Ταῦτα δὲ στεγνὰ πρὸς ὕδωρ καὶ πρὸς χιόνα, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα. Vertunt: *Hi (currus) insuper coactilibus ex lana crassa compactis sunt obducti, & ad instar domorum fabrefacti, alii quidem simplici, alii etiam triplici tabulato, ipsique in angustum coarctati adversus omnes aquarum, nivis ac ventorum injurias.* In qua interpretatione nihil sani est, nec quod exponat mentem auctoris. Loquitur is de coactilibus, hæc coactilia dicit ea forma fuisse plaustris imposita, ut præferrent ædium speciem. Et fuisse quædam simplicia, quædam duplicia, tamque densa & constipata, ut nec aqua, nec ventus, nec quidquam aliud posset penetrare. At interpres accepit de curribus, & in iis finxit nobis nescio quæ tabulata, etiam triplicia, de quibus auctor nullum verbum. Hoc tantum vult, si quæ ex coactilibus minus visa essent densa, duplicasse, ac loco unius imposuisse duo, quo rectius excluderetur aqua pluvia, ventus, & id genus. Facit quoque currus arctatos in angustum interpres, contra omnes cœli injurias, quod qua ratione dictum sit, nemo non intelligit. Habebant ergo Scythæ alii ex coriis, alii ex coactilibus tecta sua plaustra. Habebant quoque aliqui ex corticibus arborum: erantque hi præsertim Alani & Costobocæ, de quibus hoc testatur Ammianus lib. XXII. ubi ait: *Vilesque supellectiles plaustris impositæ sunt corticibus tectis.* Item lib. XXXI. de

A

iisdem Alanis: *Nec enim ulla sunt eis tuguria, aut versandi vomeris curæ, sed carne & copia victitant lactis, plaustris superſidentes, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conficiunt.* Atque hæc de tectis plaustrorum Scythicorum. Legimus & plaustra tecta ciliciis. Ita namque habet Mauritius noster cap. 8. Strateg. per. 18. Εκάςlω ἢ αὐτῶν (ἁμαξῶν δεῖ) κιλικίῳ τὸ ὄπιϑεν μέρος σκέπεϑαι. *Quodlibet autem eorum* (plaustrorum) *cilicio a posteriore parte debet esse tectum.* Quo ex loco annotabimus, plaustra non semper integra, sed ex parte tantum fuisse operta, ea nempe, quæ posterior est. Atque hæc videtur pars, quæ Polluci μέρος ἐςεγασμένον,

B

quando ait lib. x. cap. 12. Καὶ Ξενοφῶν ἢ ἐν τῇ παιδείᾳ, τὸ ἐςεγασμένον μέρος τῆς ἁμάξης ὑποσημαίνων, ἔφη· Κατέκλιναν, κατεκάλυψαν τὴ σκlωlὼ. Sic editi, sed legendum est, κατέκλιναν καὶ κατεκάλυψαν, vel, ut habet ipse Xenophon κατακλίναντες κατεκάλυψαν: nec τὴ σκlωlὼ, verum τῇ σκlωῇ. Non enim operuerunt τὴ σκlωlὼ, sed τῇ σκlωῇ τὴ Πανϑεαν. Versio denique sic formanda: *Et Xenophon in Pædia coopertam plaustri partem intelligens, inquit, reclinarunt eam, & operuerunt tabernaculo.* Gualtherius: *Decubuerunt, & cooperuerunt scenam*, quod videbis esse nihili, si contuleris Xenophontem ipsum. Quanquam eo loco Xenophon non de plaustro seu

C

ἁμάξα, sed ἀπlωῃ loquatur. Quæ Polluci ἅμαξα, quod hæc inter se nonnunquam miscerentur. Plane sicut & *carpenta* nuncupata, quæ sunt plaustra, maxime si essent tecta. Quomodo Ammianus de plaustris Scythicis loco supra laudato: *vilesque supellectiles plaustris impositæ sunt corticibus tectis, & cum placuerit, sine obstaculo migrant, eadem carpenta, quo libuerit, convolventes.* Vocat *carpenta*, quæ ante nominavit *plaustra*, eaque dicit *convolvere*, non, quod volvantur in unum, sicut pannus aut charta convolvitur, aut sic convolvantur coria, quibus tecta sunt, sed quod volvantur rotis,

D

quando incedunt, iterque faciunt. Est enim hic *plaustra convolvere vel carpenta*, quod verbo simplici effertur *volvere*, quomodo Virgilius quoque usurpavit alicubi *volventia plaustra*, qualia Servio, *quæ volvuntur*, dicunturque Scythæ *convolvere carpenta*, quando promovent ope jumentorum. Aliquando & aperta plaustra voce *carpentorum* veniunt. Quomodo *carpenta stercoris* usurpata Palladio, pro plaustris, sicut alibi monstravi. Atque talia Vegetii carpenta lib. II. c. 25. *Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus portantur armati.* Hic carpenta, plau-

E

stra esse, nemo dubitabit. Constat quippe, cuncta ista plaustris in exercitu consuevisse vehi. Neque alia, opinor, caussa est, cur carpenta generali ὀχημάτων voce reddita in Glossis videamus, nisi quia sæpe signant plaustra. Observamus quoque lectos in plaustris, verum solis Scythicis, quia in his habitarunt. Lucianus in Toxari. Χρυσᾶς γε φιάλας ἐλέγετο ἔχειν δέκα, καὶ ἁμάξας τετρακλίνες ὀγδοήκοντα. Vertit Erasmus: *Aureas phialas se dicebat habere decem, præterea currus quaternis sedilibus octoginta.* Verum κλίνlω sedile significare alibi non observatum est, & occurrit ἑξάκλινος, τρίκλινος, ac id genus, semper in intuitu ad lectos.

F

Quare ἅμαξα τετράκλινος tale plaustrum potius, in quo lecti quatuor. Quale apud Scythas hominum ditiorum fuisse videtur, credo quod esset latius & spaciosius, & plures simul caperet. Quanquam fatear, ambigere nonnihil me de lectione ista, optareque, ut de ea codices vetusti consulantur. Porro plaustra communissime adjunctos habuere boves, fuitque ista vetustissima consuetudo, Mosi quoque memorata Numer. VII. Epigramma vetus in descriptione amnis congelati:

Plaustra boves ducunt, qua remis acta carina est.

Virgilius lib. II. Geor.

—— *Nec ullo ex æquore cernes*
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.

Aliquando tamen mulos etiam in plaustris habuere. Inde namque Cato de R. R. c. 62. *Quot juga boum, mulorum, asinorum habebis, totidem plostra esse oportet.* Et Homerus sic loquentem facit Nestorem Iliad. H.

Αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνϑάδε νεκρὺς
Βυσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ————

Ipsi vero congregati advebamus huc cadavera bobus & mulis. Ubi optime interpres vetus: κυκλήσομεν, ἐφ' ἁμαξῶν οἴσομεν. κύκλα γὰρ οἱ τροχοί. Docet, hoc *advehi* de plaustris intelligendum esse, quod confirmat versus, qui post sequitur;

Δάκρυα ϑερμὰ χέοντες ἁμαξάων ἐπάειραν.

Lachrymas calidas fundentes plaustris imposuerunt. Habuerunt igitur in plaustris genus utrumque, mulos inquam æque, ac boves, etiam Homero teste. Hinc fortassis Plutarchus in de Consolatione ad Apollonium, ubi narrat historiam de Cleobi & Bitone: Τῶν ἑλκόντων τὴ ἀπlωlὼ ἡμιόνων ὑςερησάντων, καὶ τῆ ὥρας ἐπειγέσης, τέτες ὑποδυώντας ὑπὸ τὴ ἀπlωlὼ, ἀγαγὼν εἰς τὸ ἱερὸν τὴ μητέρα. Currui, quo vecta est ipsorum mater, malas tribuit, cum omnium consensu fuerit plaustrum. Hyginus fab. 254. *Gleops & Bitias pro bobus sub jugo se junxerunt, & ad fanum sacra, & matrem Cidippen in plaustro duxerunt.* Et sic alii. Ipse Herodotus, unde cæteri hauserunt lib. I. Οἱ δέ σφι βόες ἐκ τῆ ἀγρῦ ὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. ἐκκληιζόμενοι ἢ τῇ ὥρῃ οἱ νεlωίαι, ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴ ζεύγλlω εἷλκον τὴ ἅμαξαν. *Boves vero non præsto erant ex agro ad horam, tunc juvenes exclusi tempore jugum ipsi subeuntes plaustrum pertraxerunt.* Plaustrum omnes faciunt & ἅμαξαν; Plutarchus nominat ἀπlωlὼ, quia mulas ei tribuit. Sic Lucianus in Charonte, agens de eadem re; ἐπεὶ τὴ μητέρα ὑποδύντες, εἵλκυσαν ἐπὶ τῆ ἀπlωῆς. Apenen nominat, seu vehiculum mulare, quod revera fuit plaustrum. Ideo & bobus tractum Herodotus & Hyginus tradidere. Pausanias in Corinthiacis: Πλησίον δὲ εἰσιν ἐπειργασμένοι λίϑῳ Κλέοβις καὶ Βίτων, αὐτοί τε ἕλκοντες τὴ ἅμαξαν. *Prope sunt in lapide sculpti Cleobis & Biton, qui trahunt ipsi plaustrum.* Plaustrum nominat, ut reliqui. Plutarchus atque Lucianus appellarunt ἀπlωlὼ, vel quod in plaustro interdum essent muli, vel quod pro plaustro interdum usurparetur ἀπήνη, apud Græcos, sicut apud Latinos *carpentum.* Ita colligas ex Smyrnæo, qui propterea & boves jungit ad ἀπlωlὼ. Verba extant lib. VI.

Ὡς δ' ὅϑ' ὑπὸ ζεύγλῃσι βόες μέγα κεκμηῶτες
Δυρατέlω ἐρύσσωσι πρόσω μεμαῶτες ἀπlωlὼ.

Ut cum boves jugo subditi valdeque laborantes ligneum porro nitendo plaustrum trahunt. Sic exponunt viri doctissimi, quoniam aperte ibi sermo est de plaustro. Præter mulas vero ac boves legun-

tur & asini in plaustris. Liquet ex superiore loco Catonis, in quo, *quot juga asinorum* quis habuerit, *tot plostra* dicit etiam requiri. Sed & cap. II. ejusdem operis hac de caussa nominat *plostrarios*. Nam post cætera requiri ait ad vineam *asinos plostrarios duos*. Numerus jumentorum istiusmodi solennis binarius fuit. Ita legitur jam olim I. Sam. 6. 7. *Facite plaustrum novum unum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro.* Possuntque addi, quæ habentur Numer. VII. 3. & seq. Ex eadem caussa Scythis sunt ὀκτάποδες, id est octo pedum homines qui plaustrum possident, ac iccirco in honore habentur, ut est apud Lucianum in Dial. Scytha. Τοῦτο δ' ἐστὶ, ait explicans eam vocem, οἱ ἐκ δύο βοῶν δεσπότην εἶναι καὶ ἁμάξης μιᾶς. *Significat hoc esse aliquem dominum duorum boum atque plaustri.* Sed & monumenta vetera conveniunt, plaustraque in superioribus adducta nobis. Habuerunt tamen quatuor, imo sex interdum Scythæ. Quod jure credimus Hippocrati, qui sic habet loco alibi laudato: Τὰς δ' ἁμάξας ἕλκουσι ζεύγεα τὰς μὲν δύο, τὰς δ' τρία βοῶν. *Plaustra trahunt alia quidem duo, alia vero tria boum paria.* Ubi annotandum, quod duo & tria nominet ζεύγεα, hoc est juga. Ostendit hoc enim, singula paria fuisse jugata, id est sua habuisse juga. Unde sequitur, adjuncta fuisse non æquali fronte, sed alia post alia, primo unum jugum boum, ante hoc aliud, & ante hoc rursum aliud, sicut hodie cum equis nostris est receptum. Sed hoc proprium & peculiare fuit Scytharum. Vulgo plaustra duo tantum boves trahebant. Nec in mulis asinisve credo aliter rem habuisse. Cato sane supra: *Quot juga boum, mulorum, asinorum habebis, totidem plostra esse oportet.* Erant ergo singula ut boum, ita mulorum asinorumque juga, ad plostra singula. Jugum autem per est, & de duobus usurpatur, quod est notum, & colligitur a ζυγὸς, unde Latini formarunt. Etymologus: Ζυγὸς παρὰ τὸ δύο ἄγειν, δυαγὸς, καὶ ἐν συγκοπῇ, δυγὸς καὶ ζυγός. Ait, Zygon sic esse dictum, quia duo sunt in eo. Jugum ergo notat duos. Quod proinde mulos quoque ad plaustra habuere. Ac sic docent veteres picturæ seu imagines columnæ Trajani. Plaustra exhibent cum mulis duobus. Usus communissimus plaustrorum fuit, ut perferrentur iis onera. Isidorus: *Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur.* Pollux lib. x. cap. 12. hoc genus nominavit ὀχήματα σκευοφόρα. Fiebat hoc autem vel in pace, vel in bello. Atque pacis quidem tempore vel in agris hoc fiebat, vel in urbe. In agris usus plaustrorum fuit frequentissimus. Iccirco inter instrumenta rustica ubique memorantur. Pollux lib. x. c. 29. Τῶν ἐν ἀγρῷ σκευῶν τὰ ἀναγκαῖα, ἄροτρα, ἀρότρου μέρη καὶ ἅμαξα. *Agrestium instrumentorum necessaria sunt, aratra, & aratri partes & plaustra.* Ita Cato in oleto instructo requirit *plostra majora tria* cap. 10. de R. R. In vinea instructa *plostra duo* cap. 11. ejusdem libri. Et quoniam inter instrumenta rustica, iccirco Varro lib. 1. R.R. cap. 13. *Faciendum etiam plaustris, ac cætero instrumento omni, quibus cœlum pluvium inimicum, in coborte ut satis magna sint tecta.* Manifeste numerat inter instrumentum agrorum. Curtius propterea *vehiculum* vocavit *vulgatum usu*. Sic enim ait lib. III. cap. 1. *Vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum esse constabat, adspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens.* Corrigunt, *vulgatique usus*, quod non placet, quoniam illud *que* conjungit elegantius *vilioribus* & *vulgatis*, quam *vilioribus* & *vulgati*. Præterea id quod habent libri magis ostendit usus frequentiam, indeque notitiam vehiculi vulgarem, quam si altero modo legamus. Cæterum fuisse plaustrum id vehiculum cum alia ostendunt, tum disertim testatur Justinus lib. XI. cap. 7. *Quærentibus de persona regis, jubentur eum regem observare quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. Obviam illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum erat, in templo Jovis positum, majestati regiæ consecravit.* Et paucis interjectis: *Alexander capta urbe cum in templum Jovis venisset jugum plaustri requisivit.* Semper plaustrum vocat. Quomodo & Arrianus ἅμαξαν. Verba ejus lib. II. de eadem re: Καί γενέσθαι αὐτοῖς χρησμὸν, ὅτι ἅμαξα ἄξει αὐτοῖς βασιλέα. Perperam Vulcanius: *Eos oraculo monitos fuisse, currum iis regem allaturum esse.* Ἅμαξα non *currus* est, sed *plaustrum*. *Currum* ἅρμα nominarunt. Atque ita Arrianus in sequentibus: Semper vocat ἅμαξαν, quod Vulcanius semper *currum* reddidit. Parum commode, nisi *currum* de vehiculo quocunque, ac sic plaustro etiam accipiamus. Quomodo & Cicero Tusculana 1. ubi Cleobis historiam commemorat, vocavit currum quod est plaustrum aliis. *Cum*, inquit, *illam ad solenne & statum sacrificium curru vehi jus esset, juvenes ii ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis.* Nam ἅμαξα est etiam Plutarcho vita Alexandri: τὴν θρυλλουμένην ἅμαξαν εἶδεν (Ἀλέξανδρος) φλοιῷ κρανείας ἐνδεδεμένην. Porro plaustri usus magnus, forsitan & primus est in agris ad vehenda frumenta. Unde illud Virgilii II. Georg.

> ——— *Non ullo ex æquore cernas*
> *Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.*

Ubi *æquor* ager est frumentis aut segete abundans. Pari caussa sunt, qui Græce dictam putant ἅμαξαν. Eustathius Iliad. M. ubi ait, quosdam ἅμαξαν vocare, διότι καὶ ἀπὸ τοῦ ἄμητον ἄγειν ἐτυμολογεῖται κατά τινας, *quoniam a quibusdam derivatur ab eo, quod messem vehat*, quæ Græcis ἄμητος. Deinde stercus eis vehere solebant. Dixi supra, ubi de Arcadibus duobus egi, & carpentum dici a Palladio ostendi. Et hæc causa, quare *sordidum* vocarit plaustrum, lib. 1. Valerius Maximus, cap. 1. ubi de L. Furio, Vestales in arcem vehente: *Quare agreste illud & sordidum plaustrum tempestive capax cujuslibet fulgentissimi triumphalis currus vel æquavit gloriam, vel antecessit.* Serviebat quoque aliis negotiis ruri, quod est notum. Iisdem plaustris deportabant ex agris in urbem res venales venditasque. Hujus generis memorantur vina. Hyginus de Icario & Erigone, fab. 130. *Liber Pater ad Icarium & Erigonem in hospitium liberale devenit, iis utrem plenum vini muneri dedit, jussitque, ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia & cane Mera in terram Atticam ad pastores devenit.* Habes hic plaustrum utre vini oneratum. Adhibebant & culeos. Unde *cullei vini Falerni* apud Jabolenum l. 17. ff. de Annuis Legatis. Ulpianus jungit utrumque l. 3. ff. de tritico leg. *Vino legato, utres non debebuntur, nec culleos deberi dico.* His ergo culleis quoque onusta habebant plaustra, sicut liquet ex imagine superius ex monumento veteri, quod Romæ cernitur, proposita. Ibi namque plaustrum est cum tali culleo. Et docet Plinius lib. VII. cap. 20. ubi ait: *A. Julius Valens meruit in Prætorio divi Augusti, Centurio, vehi-*

vehicula culleis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus. Loquitur de plaustris, quæ hic generali voce nominat vehicula, vel quia vehicula ex genere plaustrorum fuere. Hæc sustinuisse ait Valentem, onusta culleis, id est, sublata manibus in altum, donec exinanirentur illi culei vino pleni, vel oleo, (nam & oleum iis vehebant) quod esset venditum Romæ. Romæ namque versabatur in Prætorio. Ibi ergo culei exinaniri debebant. Fiebat hoc autem vino vel oleo ex agris Romam devecto plaustris, & vendito. De oleo culeis includi solito cognoscimus ex Festo, quando voce *culiola* sic ait: *Culiola cortices nucum viridium, dicta a similitudine culeorum, quibus vinum sive oleum continetur*. Plaustris etiam vehebant lapides. Docet Varro, quando plaustrum ait dictum, *quod perlucent lapides, asseres, tigna*. Sicut vidimus jam in superioribus. Itaque de plaustro est intelligendum illud Juvenalis Sat. III.

Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? —— ——

Et bene hic Lubinus: *Axis, id est plaustrum ipsum, pars pro toto*. Ostendit autem Juvenalis, vectos hos lapides sæpe cum periculo prætereuntium, quoniam, everso vehiculo delapsi, obvios proterebant. Et hæc caussa legis ab Adriano latæ, ne deinceps per urbem plaustra ejuscemodi ducerentur. Spartianus in Adriano, cap. 22. *Vehicula cum ingentibus sarcinis urbem ingredi probibuit*. Nempe ingens Romæ fuit multitudo hominum; Ergo pressi turba periculum hoc evitare nequibant. Vocat autem *ingentes sarcinas*, onera ista magni ponderis, ut saxa, quæ ob molem magnitudinemque Juvenalis appellavit *montes*. Pari modo ferebantur lapideæ columnæ. Docet apud Fabium Triarius lib. V. Inst. cap. 13. ubi *Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixit*. Pertinent huc *asseres tignaque*, supra nominata Varroni, integræque arbores. Nam & has per urbem vehere consueverant, quod testatur Juvenalis idem dicto loco, ubi ait:

—— —— —— *Atque altera pinum*
Plaustra vebunt, nutant altæ, populoq; minantur.

Et fuit solennis plaustrorum usus ad portandas arbores cæsas, quod ex Virgilio cognoscimus, quando ait lib. XI.

—— —— *Ferro sonat alta bipenni*
Fraxinus: Evertunt actas ad sydera pinus.
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

Ubi Servius *gementia* intelligit *sub pondere*. Nempe, si gravata sunt, sonum edunt, qui est instar gemitus. *Stridentia* ob hanc causam dixit III. Geor. Plaustra ipsa vero *gravia*, eodem libro:

Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris.

Philargir. *Gravibus aut epitheton est plaustrorum, aut gravibus, onustis dicit*. Dubitat, sed revera loquitur de onustis. Ad hæc enim ducenda nisu majore opus, qui fœtis equabus potest esse damnosus. Sunt autem *onusta plaustra*, oneribus sarcinisque completa. Ita Plinius loco supra laudato dixit *vebicula culeis onusta*. Capitolinus in Maximino cap. 6. *rbedam onustam*. Contraria his sunt *inania*. Sic enim appellat Varro, quibus nihil oneris incumbit. Verba extant lib. I. R. R. c. 20. *Instituendum, ut inania primum ducant plaustra, & si possis, per vicum aut oppidum*. Columella nominavit *vacua* lib. IV. cap. 2. ubi de eadem re: *Post ejusmodi experimenta vacuo plostro subjungendi*. Porro & in bellis usus plaustrorum fuit: Iis namque sarcinas vehebant. Inde habes apud Pollucem lib. I. c. 10. Χρεία δ' εἰς τὰς πολέμους ἐπισκευαζομένων βοῶν ὑφ' ἁμάξαις *Ad bellum opus est bobus ad currus*. Et declarat pluribus Mauritius noster lib. XII Tact. cap. 18. Vehebant autem iis Græci quidem cum alia, tum ipsa graviora sua arma, saltem posterioribus temporibus. Mauritius dicto loco: Ἐὰν οἱ ἐχθροὶ πλησίον ὦσι, τὰ ὅπλα αὐτῶν βαστάζοντας τοὺς ὁπλίτας περιπατεῖν, καὶ μὴ εἰς τὰς ἁμάξας πάντας καταλιμπάνειν, ἵνα ὦσιν ἕτοιμοι πρὸς τὴν μάχην. *Si appropinquent bostes, graviter armati debent incedere, gestantes arma sua, nec ea relinquere in vebiculis, quo sint parati ad prælium*. Dicit manifeste, tum non relinquere in vehiculis debere, quia nempe alias relinquebant. Neque scio satis, annon aliquando Romanorum quoque illa consuetudo fuerit. Lego sane apud Tacitum vehicula onerata armis lib. I. Hist. cap. 80. *Septimam decimam cohortem e colonia Hostiensi in urbem acciri Otbo jusserat, armandæ ejus cura Vario Crispino, Tribuno e prætorianis, data. Is quo magis vacuus, quietis castris jussa exsequeretur, vebicula cobortis incipiente nocte onerari aperto armamentario jubet*. Armis onerata hæc vehicula ex eo patet, quoniam ad oneranda ea est apertum armamentarium. Porro, armamentarium in castris fuit. Ibi arma clausa, si ab hoste nullum periculum: Inde prompta, cum necessitas requireret. Idem Tacitus dicti libri c. 38. *Aperiri deinde armamentarium jussit; Rapta statim arma, sine more & ordine militiæ*. Armis igitur onerata vehicula, &, quod discas ex hoc loco, ad hos similesque usus habita in cohortibus, unde *cobortis vebicula* nuncupantur. Hæc vehicula partem maximam constituebant sarcinarum militarium & impedimentorum. Unde apud Curtium *arma ferri* dicuntur *in sarcinis*. Verba lib. V. cap. II. *Patron autem, Græcorum Dux, præcepit suis, ut arma, quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent*. Ex quo loco simul discimus, Græcorum quoque veterum hanc consuetudinem fuisse. Præter arma vero communia reperio præsertim balistas in eis. Mauritius noster iterum: Τὰς δὲ βαλιστροφόρους (sic edi debuit) ἁμάξας δι' ὅλου μὲν καταμερίζειν τοῦ διαστήματος. *Debent plaustra balistas portantia per intervallum totum dividi*. Meminit & Orbicius: Ὑπάρξει δὲ τῆς τάξεως τὸ ῥᾳδίως φονεύειν τοὺς πολεμίους, εἰ ἐπὶ ἁμαξῶν βαλίστρας ἔχοιεν ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν. Nos sic reddidimus: *Conducet autem huic dispositioni, ad facilius occidendum bostes, si super vebicula balistas babeant ex quatuor lateribus constitutat*. Rigaltius reddidit *balistas ex quatuor lateribus ferientes*, quod parum convenire dixi jam in meis Notis. Equidem invenio & balistam, *omni latere in bostem sagittas impellentem*, apud Auctorem veterem de Rebus Bellicis, titulo *Balistæ quadrirotis* insignitam. Verum ea huc non facit, neque proprie loquendo est βαλίστρα ἐπὶ ἁμάξης, cum ibi non sit plaustrum, vehens ipsam, sed *subjecta* solum *rotarum quatuor facilitate* promoveatur, uti loquitur is ipse, qui describit. Alias & sarcinas reliquas in vehiculis habebant. Quanquam, qui severiores apud Romanos essent Duces, id prohiberent. Quod & apud Græcos factum, memoratque de Philippo Macedonum Frontinus lib. IV. cap. 1. *cum primum exercitum constitueret, vebiculorum usum omnibus interdixisse*. Unde tamen colligas, ante Philippum habuisse. Quemadmodum & apud Romanos non ignotum omnino usum eorum, ex columnæ Trajani imaginibus cognoscimus fuisse. Quanquam hæc vehicula magis ad pedites, quam equites pertinuisse videantur. Leo certe ipsis tribuit capit.

20 ubi ait: *Ταῦτα μὲν ἦν περὶ τῶ τέλδυ, εἴτε ἐν ἁμάξαις μετὰ πεζῶν τῶ στρατῶ, εἴτε ἐν σαγμαῖς, ἵοις μετὰ καβαλλαρίων*. *Hæc quidem de impedimentis, sive sint in plaustris cum exercitu pedestri, sive in sagmariis cum equitibus*. Plaustra seorsum peditibus attribuit. Fuit alius etiam plaustrorum usus in bello ad vehendas naves, quibus superari debent flumina, de quo Vegetius lib. III. cap. 7. *Commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paulo latiores scaphulas ex singulis trabibus excavatas pro genere ligni & subtilitate levissima carpentis secum portet exercitus, tabulatis pariter & clavis ferreis præparatis*. Meminit & Ammianus lib. XIV. *Subjectis ignibus exuri jusserat naves, præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus, disposuit vehi carpentis*. Uterque vehiculis ostendit vectas, quæ *carpenta* vocant, sed intelligunt *plaustra*. Ita namque consueverunt, uti alias ostendi. Curtius lib VIII. cap. 10. *Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent*. Ac hic quidem primus propriusque plaustrorum fuit usus. Solebant tamen interdum non onera modo imponere ipsis, sed & ad transvectionem hominum usurpare rustici præsertim & agrestes. Testatur de L. Furio Albino Valerius Maximus, uti jam supra vidimus. Sic enim ait lib. I. c. 2. *Vestales descendere incipientes L. Albinus plaustro conjugem & liberos vehens aspexit*. Pari modo Gordius plaustro vectus, teste Justino lib. XI. c. 7. *Jubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum majestati regiæ consecravit*. Quibus verbis observamus, idem esse *vehere plaustro*, & *ire plaustro*, porro *vehere plaustro* passivam significationem habere, notareque illum, qui plaustro insidens, huc illucque portatur, quomodo *adolescentiam quadrigis vehentem* Cicero de Cl. Orat. & de Nat. Deor. *Tritonem natantibus invehentem belluis* usurpavit, quod jam Berneggerus indicavit. Idem igitur & *ire plaustro*, pro quo *ire bobus junctis* legimus apud Servium ad Virgilii Georg. III. v. 533. *Quum mos esset sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa* &c. Nam per *boves junctos* plaustrum intelligit, sicut Virgilius per *equos junctos* currum lib. XII. Æn.

—— Prima in prælia junctos
Conscendebat equos ——

Pro plaustro etiam *mulos junctos* usurpavit Columella lib. II. cap. 22. *Arbores serendi caussa, collo, vel mulo clitellario afferre, sed juncto advehere non permittitur*. Male *junctum mulum* explicant de eo, *qui jugo adsuevit*, nec enim de sueto, vel non sueto agitur, sed de eo qui cum alio junctus est ad plaustrum. Ideo dicitur *advehere*, opponiturque *clitellario*, qui non tam advehit quam *affert*. Juncti ergo muli sive boves plaustra denotant, & ire bobus juncti, sive plaustro, eo vehi. Quomodo ivisse Gordius adhuc rusticus memoratur. Quanquam non Gordium modo, sed & uxorem ejus, Midamque filium eo vectum scribat Arrianus, neque Gordium factum regem, verum Midam. Verba ejus lib. II. *Ἔτι δὲ περὶ αὐτῶν ταῦτα βουλευομένοις, ἐπιστῆναι Μίδαν σὺν τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ, καὶ ἐπιστῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτῇ ἁμάξῃ*. *His adhuc de rebus inter se consultantibus super venisse Midam una cum patre ac matre, cumque plaustro substitisse apud congregatos*. Sic expono ista. Vulcanius: *ipsumque currui insidentem concilium Talmissensium adiisse*. Quasi non & cæteri insederint. Sed nec id concilium adivit, verum ibi substitit, forsitan ut se cum suis, jumentisque reficeret. Hoc enim vult *τὸ ἐπιστῆναι*. Quicquid vero sit de Mida, istoc constat, Gordium cum pluribus plaustro esse vectum. Neque tamen agrestes soli genere hoc utebantur, sed & alii. Apud Argivos sacerdos Junonis non alio incedere vehiculo, cum sacra essent procuranda, fas habebat. Herodotus lib. I. *Ἐούσης ὁρτῆς τῇ Ἥρῃ τοῖσι Ἀργείοισι, ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγει κομισθῆναι ἐς τὸ ἱρόν*. *Cum dies festus Junonis apud Argivos esset, oportebat omnino matrem horum* (Cleobis & Bitonis) *ad templum ferri bobus junctis*. Ita explicat hunc locum Valla, nec inepte, licet nil de bobus in his verbis, & id solum dicatur, vehiculo eam debuisse uti. Nam sequitur, unde hoc constat: *ἐπὶ τῆς ἁμάξης δέ σφι ὀχέετο ἡ μήτηρ*. *Mater namque plaustro vehebatur*. Similis consuetudo mulierum Atticarum ad Eleusina sacra proficiscentium. Scholiastes Aristophanis: *Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο*. *Atheniensium mulieres plaustris vectæ ad magna Eleusinia proficiscebantur*. Solebant & in Bacchi sacris Poetæ vehi plaustris, multaque ex iis ad risum composita carmina & dicteria jactare. Suidas in *ἐξ ἁμάξης*. *Ἡ λεγομένη ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις Λήναια, ἐν ᾗ ἠγωνίζοντο οἱ ποιηταὶ συγγράφοντές τινα ᾄσματα τοῦ γελασθῆναι χάριν. Ὅπερ Δημοσθένης ἐξ ἁμάξης εἶπεν. Ἐφ' ἁμαξῶν γὰρ οἱ ᾄδοντες καθήμενοι ἔλεγόν τε καὶ ᾖδον τὰ ποιήματα*. *Festum erat Athenis, Lenæa nomine, in quo Poetæ certabant inter se conscriptis carminibus quibusdam risus commovendi gratia. Qualia Demosthenes ex plaustro vocat; plaustris namque insidentes ea pronunciare ac canere poemata solebant*. Puto autem, plaustris uti voluisse, imitatione quadam agrestium, ut quæ dicerent, sicut crasse rusticeque, ita libere ac simpliciter dici viderentur. Hoc enim ingenium agrestium, præcipue cum sunt onerati poculis. Atque huc videtur pertinere, quod & alias in viis publicis dicteria & convicia ex plaustris jactitarent. Qua de re videri potest Scholiastes vetus Aristophanis in Nubibus ad vocem *τρυγοδαίμονες*, qui simul hinc natum censet proverbium, *ἐξ ἁμάξης λαλεῖ*, *e plaustro loqueris*, quod de iis usurpatur, qui sine pudore conviciis incessant alios. Sed de his non est hic agendi locus: & fecerunt jam, qui proverbia compilarunt. Nos quoque alibi de his jam egimus.

CAP. XX.

De vehiculo & arcera.

Vehiculum quid, speciali notione. Varro explicatur. Veha & vehes differunt. Vehes de certa mensura. Vehes vini, roboris. Columella explicatur. Vehela. Siccum plaustrum, vox nihili. Capitolinus emendatur & exponitur. Jac. Gothofredus notatur. Velatura, quid? vehatio. Sirpea ex junco. In Varrone conjectura. Strata sirpea. Sternere vehiculum. Ovidius corrigitur & explicatur. Sirpiculum. Scaliger notatur. Varro emendatur. Arcera. Scaliger denuo revellitur. Arcirma. Festi lectio vetus defenditur. Vehiculum ad fabas, sirpea ad stercus, arcera ad homines.

CUm hucusque generatim actum sit de plaustro; quasdam ejus species commemorabimus. Ex his primo est *Vehiculum*. Equidem vehiculum plerumque usurpari de quocunque genere consuevit. Inde habes *vehicula thensarum* apud Ciceronem in Verrina VII. & in Orat. pro Milone positum pro rheda legas. *Vehiculum & judiciale carpentum est* apud Vopiscum in Aureliano. Pari modo usurparunt *vehiculum rhedam*, unde *rhedarius vehicularius fabricator* apud Capitolinum in Maximo & Balbino. Tacitus XI. Annal.

c. 23. habet *vehiculum*, *quo purgamenta hortorum eripiuntur*. Atque sic invenias de aliis. Tamen observamus vehiculum etiam speciali notione usurpatum, docetque manifeste Varro lib. IV. de L. L. ubi primo ait, locuturum se *de his*, *quæ jumenta ducunt*, deinde subdit tragulam, post sirpeam, tum venit ad vehiculum, & ait, *vehiculum*, *in quo faba aliudve quid vehitur*, *quod ex viminibus vieretur*. Ostendit ergo, vehiculum nec tragulam esse, nec sirpeam, ac ne arceram quidem, sive plaustrum, a quibus omnibus ibi distinguit, sed esse sui ac peculiaris generis. Est autem hoc vehiculum a *veha*. Varro supra indicato loco: *Brevis veha*, *vehiculum est*. Porro *veham* Osci appellabant *vejam*, erat autem *veja*, *plaustrum*. Festus: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum*. Jam si veja sive veha, plaustrum, vehiculum id erit, quod *plostellum* veteres dixere, hoc est plaustrum parvum. Ita namque habes *plostellum Pœnicum* apud dictum Varronem lib. I. de R. R. cap. 52. Quam ob caussam dixi quoque, vehiculum de genere plaustrorum esse. At vero diversum facit a plaustro ipse ille Varro. Nempe Varro propriissima significatione plaustrum accipit de illo solo genere, quod ex omni parte palam est, & conspicienda facit, quæ in eo vehuntur. Atque hujus generis vehiculum non fuit, sed contextum ex viminibus. Unde quoque Varro dixit ita nuncupatum. *Vehiculum*, ait, *quod ex viminibus vieretur*. Ita namque ibi lego, non ut habent editi, *quo ex viminibus uterentur*. Quanquam & ex ista lectione constet, ex viminibus texi consuevisse. Plaustrum fuit nudum, huic si ex viminibus imponebatur vas cotextum, tum non *plaustrum*, sed *vehiculum* appellabatur. Quod si vas illud esset majus, & vehiculum longius, dicebatur *veha*, ut jam vidimus. A *veha*, nominata *vehes*, id est mensura, quantam capit veha, quod non observarunt magistri, qui simpliciter a *vehendo* deduxerunt. Atqui vehes non id tantum denotat, quod vehitur, sed quod vehitur certo genere, tantum ponderis aut mensuræ capaci. Quomodo vehes stercoris est octoginta modiorum. Columella R. R. lib. XI. c. 2. *Vehes stercoris habet modios octoginta*. Idem observarunt & in lignis vel materia. Sic robur dedolata pedum viginti, pinus viginti quinque, ulmus & fraxinus triginta vehem dicebantur constituere. Idem auctor paulo ante: *Materias si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX. hæc erit vehis una. Pinus autem V. & XX. pedum æque ab uno expeditur, quæ & ipsa vehis dicitur. Nec minus ulmus & fraxinus pedum XXX. cupressus autem pedum XL. tum etiam sexagenum pedum abies atque populus singulis operis ad unguem quadrantur, atque omnes hæ mensuræ similiter vehes appellantur*. Ubi nota, aliter definiri vehem pini, aliter roboris ac generis alterius, quod existimo propterea factum, quia non est pondus omnibus æquale, ac sic longior cupressus, quam vel fraxinus, vel ulmus, vel pinus veha gestari deferrique potuit. Et hæc quidem vehes multum differens a veha, cum hæc instrumentum sit, illa instrumenti mensura. Ex *vehe* nihil; at ex *veha*, *vehiculum*, pro quo credo & *vehelam* usurpasse. Julius Capitolinus in Maximinis, cap. 13. *Sine delicto Consulares viros & Duces multos cum interimeret, alios siccis vehelis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari, contra eum defectionem pararunt*. Ita legit locum hunc Salmasius, cum vulgati habeant *Scythicis vehiculis*, atque addit: *Optimus liber vehelis hoc loco legit, pro vehiculis. Sic autem a vebo, vehela, ut custodela a custodio, loquela a loquor, sequela a sequor. Vehelas igitur hic plaustra interpretor, quibus temere impositos reos exhiberi jubebat Maximinus. Siccas autem vehelas pro nudis dixit, & nullo vestimento instratis vel solis sine ullo comitatu servitiorum*. Hæc Salmasius. Ubi tamen æque bene, uti arbitror, a *veha* derivare possumus *vehelam*, ac a *veho*, cum eodem modo a *custodia* sit *custodela*, a *suada*. *suadela*, a *canna*, *cannela*. Sed & quod de plaustris seu *vehelis siccis* differit, ignoro, an assensum mereatur. *Siccum* sane positum pro *nudo* an occurrat alibi, haud scio. Et videtur ipsa rei ratio repugnare. *Siccum* namque τόξηρόν, ut reddunt Glossæ. Nonius cap. 4. exponit *aridum & sine humore*, item *sobrium* aut *firmum*, quorum neutrum quadrat ad præsentia. Nec enim, quod humore destitutum, destitutum etiam consortio: Neque inter consortium & humorem aliqua similitudo est. Quare mihi quidem pro *siccis*, quod occurrit in antiquis, etiam Palatinis, legendum *citis* videtur. Scilicet τῦ *citis* primum ex præcedenti voce *alios*, adhæsit *S*, ita dein factum *Scitis*; Quod cum ineptus librarius scriptum per compendium putaret, explendo, quod nempe deerat, confecit *Sciticis* & *Scythicis*. Alius ex *scitis* fecit per ineptam transpositionem *sictis*, cumque *c* & *t* in Manuscr. litteræ sint affines, alius putavit esse *siccis*. Est autem *cita vehela* optime dicta pro celeri, festina, optimeque apponitur sequenti, *in custodia detinuit*. Hoc enim vult, alios longo tempore continuisse in vinculis, ac ne cognoscere quidem caussam eorum, vel audire ipsos voluisse. Alios contra ad se deferri vehiculis, quanta posset festinatione, præcepisse. Hoc modo *currus citos* usurpavit Seneca in Hippoliti Act. IV. v. 1074.

——— Haud aliter citos
Currus gubernat. ———

Et apud Catullum Epigr. 52. inveniuntur *citæ bigæ*.

Non Rhœsi niveæ citæque bigæ.

Quicquid autem sit de lectione, illud pæne constat *vehelam* esse apud Capitolinum, quod apud alios *vehiculum*. Ut proin confundere vir celeberrimus cum vehatione, vehatura, velatura non debuerit. Sic autem ait in Notis ad l. 3. lib. XIV. Cod. Theodos. t. 6. *Vehatio est vectura, quæ fit vehibus, seu vehatura, ut etiam vocatur apud Festum, vel, ut nonnulli malunt, velatura. Denique vehela, quam vocem restituit Salmasius Capitolino in Maximinis*. Male censet idem esse *vehelam*, & *velaturam*. *Vehela* namque vehiculum est, vel, ut docte ait Salmasius, plaustrum. At vero *velatura* vehendi negotium, quod vehelis perficitur. Alio nomine *vecturam* explicat, & recte. Quod vero vecturam scribit *vehibus* fieri, id quoque parum convenit: Debuisset enim *vehis* scribere. Sed nimirum non distinxit inter *vebam* & *vehem*, sicut multi alii, quod tamen necesse esse supra planum fecimus. Quæ vectura est seu velatura, eadem est & *vehatio*, quod ipse vir doctissimus addiscit. Igitur non debuit *vehelam* in Notis, & deterius in Indice, *plaustri genus* explicare. Vehatio non plaustri genus est, sed vectura, quod ostendit ipsa lex, in qua fit mentio vehationis. Verba sunt hujusmodi: *Hujus autem vehationis ita sit ratio partita, ut mille quinquaginta onera formis, alia sartis tectis annua deputentur*. In his verbis *onera* sunt, quæ in verbis præcedentibus sunt *vehes*, quod agnoscit ipse doctissimus Gothofredus. Porro, talium seu onerum seu vehum mille quinquaginta uni lex tribuit vehationi. Ergo fieri non potest, ut vehatio sit vehela, cum vehela unam tantum veham sive unum onus capiat, proprieque *onus* sive *vehes* appelletur, quantum veha seu vela conti-

neri potest. Verum nobis ad vehiculum est redeundum, de quo jam ex Varrone observavimus, quod ex viminibus fuerit confectum. Sed quæ illa vimina? Num virgæ hic intelligendæ, quales salicis, coryli, ac similium? At vero virgæ pertinent ad sirpeas. Varro: *Sirpea, quæ virgis sirpatur, id est, colligendo implicatur. Vehiculum, quo ex viminibus uterentur.* Sirpeas vult factas ex virgis, vehicula ex viminibus. Atqui virgæ quoque vimina. Sunt enim *vimina* sic a *viendo* dicta. *Viere*, porro, *inflectere*, *vincire*, *ligare*, Græcis πλέκειν, ut quæcunque sic ligari ac inflecti consueverunt, & a Græcis πλέγματα vocantur, ea sint & vimina. Porro, talia vel præcipue sunt virgæ, quales salicis, betuli, coryli ac ejusmodi. Ut, si diversa esse a vehiculo sirpea debuit, ea ex virgis colligata esse non potuerit. Et profecto *sirpea* est a *sirpo*, quod nemo non intelligit. Porro, *sirpus* Græce σχοῖνος, id est, *juncus*. Glossæ veteres: *Juncus*, σχοῖνος. Ita sirpea non sic generatim erit ex viminibus, sed junco sirpata. Unde quoque in suspicionem venio, quasi Varro scripserit, *sirpea, quæ sirpis sirpatur*, & non, *quæ virgis*. Possis quoque *scirpis* legere. Nam in eo Vossio assentiendum, quod sit idem *sirpus*, atque *scirpus*. Et de scirpo Festus: *Scirpes est id, quod in palustribus locis nascitur, leve & procenum, unde tegetes sunt.* Ubi nota, tegetes ex scirpo fieri consuevisse, quod & Plinius confirmat lib. XVI. cap. 37. *Scirpi fragiles palustresque ad tegulum tegetesque.* Hinc enim & sirpea, qua tegebatur plaustrum. Ovidius lib. VI. Fastor.

At Dominus, discedite, ait, plaustroque morantes
Sustulit, in plaustro sirpea strata fuit.


Sic legendum locum hunc, non, ut vulgo editur, *sirpea lata*, monuit me Nobilissimus amicissimusque Heinsius. Dicit sirpeam fuisse *stratam* in plaustro, quod accipio de sirpea ibi reposita loco vestium. Solebant enim vestes imponere vehiculis, ut melius & mollius in eis sederent, idque *sternere vehiculum* vocabant. Gellius lib. XX. cap. 1. *Arcera vocabatur plostrum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri aut senes portari cubantes solebant.* Vides, instratum vestimentis plostrum, quod cum fiebat, *sterni* dicebatur. Lex duodecim tabularum eo ipso loco: *Si nolet, arceram ne sternito.* Hinc ergo *stratum vehiculum*, vestibus instratum. Verum loco vestium agrestes adhibebant sirpeam, id est, πλέγμα seu contextum ex juncis, quod Festus Pliniusque *tegetem* appellant, recentiores vocant *mattam*. Talis sirpea in Ovidiano plaustro fuit strata. Nisi retenta lectione veteri existimamus sirpeam *latam* esse dictam in oppositione rotundæ, ac significare planam, qualis matta esse consuevit: Cum rotunda sit in orbem flexa contextaque corbis instar. *Sirpiculum* profecto apud Columellam corbis est, in quem colliguntur flores, lib. X.

—— —— Cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.

Quare sirpea corbem aliquando denotabit majorem, cujus cum rotunda sit figura, potest alteram sirpeam Ovidius differentiæ causa nominasse *latam*. Nempe duplices fuere sirpeæ, aliæ latæ instar vestis, ad insternendum integendumque, aliæ rotundæ vel quadratæ, ad continendum. Ita habes *sirpeas stercorarias* apud Catonem de R.R. cap. 10. quibus stercus continebatur. Hæ latæ nequiverunt esse. Ergo instar corbium rotundæ vel quadratæ. Imponebantur autem ambæ plaustris; Latæ, quando in eis sedere deberent homines; Alterius generis, quando evehendum stercus, vel id genus. Quamquam ratio posterior longe fuerit frequentior, cum fere semper sirpeæ de ea exponantur. Dixi, sirpeas impositas, & impositas esse plaustris. Docet manifeste locus Ovidii, superius allatus, in quo clare dicitur fuisse sirpea *IN plaustro*. Quare sirpea non fuit plaustrum, sed nec distinctum a plaustro genus vehiculi, quando proprie loquendum, sic enim *in plaustro* esse nequivisset, verum aliquid, quod vehiculo imponebatur. Contra quidem Scaliger in Conjectaneis ad Varronem; *Sirpea: Lucilius: Tintinnabulum abest hinc sirpiculæque olerorum. Est autem vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, sirpea, aut sirpiculæ & tintinnabulum.* Male tamen sirpeam facit vehiculum, si vehiculum intelligas pro eo, quod incedit rotis. Non enim vehiculum fuit, verum pars illius. Quod ostendit ipse, quando vocat *vehem ex crate*. Vehem enim hic intelligit, quæ est, dicique debet veha. Porro, veha plaustrum, ut est supra indicatum, quod profecto nunquam est ex crate. Id, quod ex crate fuit, plaustro imponebatur. Sirpea igitur non fuit vehiculum, nec veha, multoque minus vehes ex crate, verum ipsa crates. Neque alia est caussa, cur sit dicta sirpea. *Sirpeus* nimirum adjectivum est a *sirpo*, proprieque id significat, quod est ex sirpis, id est, scirpis, quomodo & a *scrupo* est *scrupeus*. Ergo sirpea per se nihil notat, verum in respectu substantivi, quod in ea intelligitur. Id vero aliud non potest dari, quam crates. Crates nempe notat in commune πλέγμα cujuscunque generis. Erat porro alia ex aliis contexta rebus, una ex sirpo, quæ proinde *crates sirpea*, & omisso substantivo, sicut fit in plurimis, *sirpea* est dicta. Talis sirpea imponi plaustro consuevit. Unde postea fiebat, ut non plaustrum amplius, (id enim nihil tale habuit impositum) sed sirpea nominaretur. Quod si crates esset aliis ex viminibus, tum non sirpea dicebatur plaustrum, cui imponebatur, sed *vehiculum* aut *veha*. Et hanc puto veram esse utriusque generis differentiam. Nam alias non minus sirpea ex viminibus, quam vehiculum. Docet Columella, quando in superioribus *vimine textum sirpiculum* memoravit. Item Varro, quando ita ait lib. I. R. R. cap. 23. *Alia alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo*, (ita malo, pro *utendo*) *quid facias, ut sirpeas.* Ut sic inter vehiculum & sirpeam non ea fuerit differentia, quod vehiculum fieret ex viminibus, sirpea ex virgis, sed quod sirpea ex sirpis, vehiculum non ex sirpis, verum aliis viminibus. Atque sic intelligendum & legendum Varronem existimo. Sed interdum loco cratis ex sirpo aut viminibus aliis, plaustro imponebatur capsa ex tabulis ligneis conjuncta: atque tum appellabatur *arcera*. Nam arcera, sicut ait Varro, *quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca.* Vocat hic vehiculum, arceram, non quod per se vehiculum fuerit, sed quod impositum vehiculo dederit nomen, tanquam pars, per quam ab aliis, sirpea & similibus distingueretur. Quomodo & plaustrum appellavit Cæcilius apud Gellium lib. XX. cap. 1. *Arcera vocabatur plostrum tectum undique & munitum quasi arca quædam magna.* Plostrum proprie non erat tectum sed apertum, ut quod omnia palam haberet, quæ in eo vehebantur, sicut sæpe diximus. Arcera igitur per se ac proprie non fuit plostrum. Dicitur tamen plostrum, quia plostro fuit imposita. Ideo & *plostrum tectum* dixit Cæcilius itemque *munitum*, tabulis existimo ut Varro docet. Atque hoc est triplex plaustrum, de quo dicere constituimus; *Vehicu-*

lum videlicet *sirpea*, & *arcera*: Vehiculum, quod contextum erat ex viminibus, sirpea quod ex sirpo scirpove, arcera, quod ex tabulis. Quanquam de arcera mens sit alia Scaligeri. Sic enim habet in verborum Etymologia, subdita Conjectaneis in Varronem. *Arcerra, ab ad & carrus. Id erit ad verbum, epiredium, spuria & hibrida voce. Arcerra, pro adcerra, ut arvenire, arcedere*. Ita Scaliger, in quibus sunt non pauca dubia & incerta. Nam primo nunquam in vetustis libris est *arcerra* geminata littera, sed semper una simplicique *arcera*, quod ad arcam, quam ad currum propius accedit. Dicas, veteres non geminasse litteras, cur ergo, si a *currus* est, non dixerunt *arcerrus*, vel *arcerus*, sed *arcera*? Jam quid est *ad currus*? Respondetur, quod est *epiredium*. Quasi currus idem sit & rheda. Si a rheda, epiredium, ad arcerram nihil pertinebit, quia multum inter sese differunt currus atque rheda. Verum alias de epiredio. De arcera dubitare vix valemus, quin ab arca sit, propterea, quia fuit ex tabulis, quia fuit clausa tectaque, quale nil ad rhedam epirediumve pertinet. Addit ad postremum Scaliger: *nisi sit eadem origo cum arcirma*. Quod haud paulo melius videtur, quando & *arcirma* est de genere plaustrorum. *Festus*. *Arcirma genus plaustri est modici, quod homo gestare possit*. Ita habent Manuscripti veteres, non *arcuma*, nec, *quo homo gestari possit*. Et *arcirmæ* quidem vocem rectam esse inde etiam colligitur, quod eandem retinet Onomasticon vetus Argentoratense, in quo pariter ἅμαξα, id est *plaustrum* explicatur. Quod vero dicitur ab uno posse gestari, id quam bene sese habeat, ignoro. Plaustra saltem non gestantur, sed trahuntur, cum instructa rotis fuerint, qualia gestari prorsus inconveniens apparet. Nisi arbitramur, ista esse addita, non ut ostendant, quomodo id plaustri genus promoveri possit soleatve, sed quam exigua fuerit ejus magnitudo. Sane quomodo ex eo vehiculum quodcunque modicum ostendi, quia illo homo possit gestari, necesse sit, ego quidem haud intelligo. Nam

A & maximo vehiculo gestari homo potest. Debuisset saltem Festus scribere, *quo unicus tantum homo gestari possit*, sic ad rem dixisset aliquid. Jam cum nihil hujus generis apud Festum occurrat, nondum consentire possum nec in lectionem vulgatam, nec in ejus explicationem. Mihi manet potius arcirma plaustrum tam minutum, ut & homo possit tollere in humeros, ac si necesse sit, gestare. Potuitque Festus respexisse ista explicatione sua ad locum aliquem scriptoris veteris, ubi tale quidpiam de arcirma legebatur. Quomodo in non paucis aliis ab eo factum norunt, qui diligentius inspexerunt. Denique *arcirma* mihi plane ab *arca* videtur deri-
B vata, nec innuere nisi tale genus, quod *arceram* appellarunt, nisi quod minutum esset. Sed quis usus fuit prædictorum generum? Etiam hoc novimus ex Varrone, quando vehiculum quidem scribit adhibitum ad fabas devehendas. *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur*. Primum fabam nominat, post & aliud quid quo puto intelligere legumina similia. At vero sirpeam ait adhibitam ad evehendum stercus. *Sirpea, in qua stercus, aliudve quid evehitur*. Fuit igitur opinione Varronis vehiculum honestius paulo, sirpea inhonestius. Vehiculum pertinuit ad vehendum sirpea ad
C evehendum. In illo portabantur fabæ aliaque usibus humanis necessaria, in hac stercus, aliaque rejicula & non utilia. Sed hæc differentia non est perpetua. Nam apud Tacitum habemus *vehiculum, quo purgamenta hortorum eripiuntur*: & contra apud Lucilium *sirpiculas olerorum*. Quare Varro respexerit ad usum horum non perpetuum, sed frequentiorem. Sirpeas profecto adhiberi solitas ad stercus, quisquilias, & purgamenta evehenda docet Cato quoque, quando in oleto requirit *sirpeas stercorarias tres* cap. 10. R. R. & in vinea *sirpeam stercorariam unam* capite sequenti. Sirpeæ quæ fuerit species, in antiquis monumentis non-
D dum vidi: at vehiculi sine dubio est ista, quam ex monumento veteri exhibet Lucas Petus de Mensuris.



At vero arceræ usus qualis fuerit, colligitur ex verbir Cæcilii apud Gellium loco in superibus laudato. *Arcera*, inquit, *vocabatur plostrum tectum undique ac munitum, quasi arca quædam magna, vestimentis instrata, qua nimis ægri aut senes portari cubantes solebant*. Monstrat hisce verbis primum, arceras pertinuisse ad vehendos homines, nec tamen quoslibet, verum ægros, qui non possent ambulare, aut senes. Deinde non sedisse in arceris verum cubasse, atque ita ad cubandum fuisse paratas. Atque hunc arceræ usum docet quoque lex duodecim tabularum, in qua sic habetur apud dictum Gellium: *Si in jus vocat, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato: si nolet arceram ne sternito*. Quæ verba sic Cæcilius exponit: *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus forte ægris esset,*

E *aut quo alio casu ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt: neque insterni tamen delicate arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum*. Discimus & ex his, arceram pertinuisse ad invalidos: sed quæ peculiaris observatio est, non omnes, verum pauperes, ac inopes. Nempe plaustrum arcere fuit, in quo vehi opulentiores minime solebant. Quod de senibus habetur in superioribus, id confirmari potest loco Varronis ex Gerunti didascalo, ubi ait: *Vehebatur enim cum uxore vehiculo, semel aut bis in anno, arcera*. De sene hic sermonem esse docet inscriptio libri, ex qua constat, totum ad docendos senes fuisse paratum. Et sic Popma: *Senex ille unus hominum antiquorum scilicet, ita vegeto & firmo corpore erat, ut quamvis ætas licentiam daret utendi arcera, tamen ea raro vehiculo assidue*

veheretur. Sed num ſolus hic arceræ fuit uſus? A
Ego vix perſuadeor. Quid enim? An ſi cui negotium evenit cum invalido inope, quo eum trahere in judicium poſſet, opus fuit, ut prius ſtrueret arceram? Non opinor. Quin potius inter alia vehicula & arceras habuiſſe cenſeo. Scilicet quæ vehi debent, non ejuſdem omnia ſunt generis. Quædam ſimplici imponi poſſunt plauſtro, ut aſſeres, tigna, ſaxa: quædam quia ſunt minuta, contineri vaſe debent, ut ſunt rapa, poma, olera, legumina. Et huc pertinent vel ex viminibus contexta vehicula, vel ex ſcirpo colligatæ ſirpeæ. Quædam ſunt adhuc fluidiora, ut ne tali quidem genere contineantur, ſicuti e. g. arenæ. Ad hæc opus vaſe confecto e tabulis ligneis, undique tecto, & undique clauſo, capſæ ſeu arcæ modo. Non igitur eſt dubium mihi, quin arceræ alius quoque apud veteres fuerit uſus. Ac videtur poſſe demonſtrari ex antiquo monumento, quod in deſcriptione ædium Barbarinarum prodit Telius pag. 179. iſta ratione.



Vehiculum quod hic exhibetur, plauſtrum eſt, B
quod vel rotæ teſtantur. Porro ei non incumbit aliquid contextum ex virgultis, ut ſpecialiori notione dici poſſit vehiculum, nec ex juncis, ut vocari queat ſirpea, ſed ex tabulis ligneis, quod arceræ proprium fuiſſe diximus. Itaque vix dubitare poſſum, quin hæc ſpecies ſit arceræ apud veteres, cum præſertim circumquaque clauſum ſit, quod plauſtro incumbit, ſpeciemque arcæ pulchre præ ſe ferat. Jam ſi, quod exiſtimo, hæc arcera fuit, patet utique, adhibitas arceras etiam ad venationes, impoſitaſque illis captas feras. Nam venationem exhibet id monumentum integrum, uti omnia teſtantur. Atque hoc fortaſſis eſt, quod C
voluit Seneca in Hippolito Act. I. v. 75.

—— Fertur plauſtro
Præda gementi. Tum roſtra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt.

Adde cætera, nam convenientiſſima monumento habent, ac id totum veluti deſcribunt. *Prædam* vocat capta per venationem animalia, uti ſolent, quod ad Phædrum pridem demonſtravi. Hanc prædam ait ferri plauſtro. Quod ſi monumentum vetus attendimus, non de plauſtro ſimplici accipiendum, ſed de eo, quod impoſitam habuit ar- D
ceram, & ex eo arcera nominatum fuit. Verum ſupra diximus, arceras uſurpatas ad minuta maximeque fluida, quale quid cenſeri præda hic propoſita non poteſt. Neque alius eſt proprius arceræ uſus, atque id, cujus gratia fieri arceram primitus neceſſe fuit; Et alius illius uſus adventitius, & id, quod qualibet obvia de cauſa ipſi poteſt imponi. Alias enim ne quidem ægrotos imponere ipſis debuiſſent. Qui tamen impoſiti huic generi vel ideo, quia debiles certius ibi ac ſine metu prolapſionis cubabant.

CAP. XXI.

De Benna.

Benna. Cato explicatur & emendatur. Benna corbis. Bocharti ſententia ponderatur. Voſſius rejicitur, & Scaliger. Benna Gallorum. Feſtus defenditur. Benna tecta. Bennarius. Bennæ ad bella. Σκύναρχαι. Combennones. Covennit. Gloſſæ explicantur contra Scaligerum. In benna pugnatores.

SUpereſt adhuc genus unum cum duabus rotis, quod a Gallis *benna* nuncupatum. Gallicam enim vocem eſſe diſcimus ex Feſto, qui ſic habet: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur.* Invenimus tamen ea uſum etiam Catonem libro de R. R. cap. 23. ubi inter alia: *Cum pluet, qualia parentur, ſarciantur, far molatur, bennæ emantur.* Fruſtra ſunt, qui aliud vocabulum ſubſtituunt, ac facile conſenſu codicum & optimorum & antiquiſſimorum refelluntur. Dicas, quid hic agit vehiculum, & quomodo huc poteſt pertinere, ac referri inter ea, quæ opus ſunt ad vindemiam, & ideo paranda? Nam de talibus toto eo capite eſt ſermo. Scilicet non ſemper benna eſt vehiculum, ſed interdum corbis longior e viminibus contexta colligataque, qualis utique in vindemia eſt utilis & neceſſaria. Neque bennam aliam Cato intellexit iſto loco, ut proinde nulla hic ſit difficultas. Illud magis cogitandum, quare Cato dicat, bennas illas emendas, cum pluet. An tum rectius, noſcuntur, aut inveniuntur facilius, aut vilius emuntur? Nihil horum, neque ad emendas bennas quidquam tempus pluvium conducit, non magis, quam ad alias res emendas. Vitium eſt in ſcriptura, legendumque, *bennæ vieantur*. Dicit toto eo capite, quid tempore vindemiæ parandum. Sed quia ſæpe pluviæ tum cadunt, ideo ſeorſum docet, quid tum poſſit fieri, ne tempus ullum perdatur. Inter alia & bennas ait poſſe vieri, hoc eſt,

ex viminibus contexi. Nam ex vinimibus factas paulo post monstrabo: Proprie autem *vieri* dicuntur, quæ plectuntur ex viminibus. Festus: *Viere, alligare, unde vimina, & vasa viminea.* Illud *vieantur* transmutatum est in *emantur*, quia scriptum fuit *vieantur*, tribus ab initio lineolis, sine signo, quo in apice notari *u* & *i* sueverunt, sicut fit in Manuscr. Id enim nonnemo legit *meantur*, ac, ut vitiosum, & laborans litterarum transpositione, per *emantur* corrigendum putavit. Cæterum, si benna, de qua nobis est agendum, Gallicum vocabulum, quæ sit ratio illius, cogitandum. Primum autem observari poterit, quod *bennæ* nomen hodieque sit in usu Belgis, qui apud veteres Gallis annumerari solebant, uti vel ex Cæsare est notum. Vossius in Glossario: *Benne hodieque Belgis corbis, cista, vehiculum vimineum quadratum.* Quæ Belgarum, eadem & meorum per Alsatiam popularium est consuetudo, nam & ipsi *bennas* vocant vehicula, quibus textæ corbes ex viminibus impositæ, nihilque notius inter eos, sive usitatius. Jam si explorabimus, quæ vocis hujus apud Alsatos Belgasque sit origo, apparebit utique, sic esse dictas *bennas* a *Binnen* sive *Binden* quod *ligare*, *colligare* denotat. Sic enim & *Bandel* nominant, itemque *Benband*: quod Latinis *ligamentum*. Nempe, ut jam supra dixi, benna fuit combinata contextaque ex viminibus. Hanc igitur ob caussam, quia combinata fuit, *benna* dicebatur. Atque istoc quidem mihi vero propius videtur, quam quod traditum a viro summo lib. I. Geogr. Sacr. P. II. cap. 42. quasi veniat ab Hebræo *ophanim*. Nec enim est ratio, cur hoc genus magis ita nominari debuerit, quam aliud quodcunque: Cum non magis cætera rotis destituta fuerint, quas *ophanim* Hebræis dicit denotare. Eadem est caussa, cur non possim adprobare, quod a viro alio doctissimo est proditum, quasi sit a βῆναι, sive *Bann*. *Fortasse*, inquit in Etymologico, *benna a βῆναι. Nisi potius a Belgico Bann: id est, via, callis, & imprimis via aperta plana.* Quasi *benna* non sit Gallicum vocabulum, sed Græcum aut Latinum, aut hoc solum viis planis apertisque incesserit. Species quæ bennæ fuerit, jam liquet ex superioribus, habuisse scilicet superne corbem ex viminibus contextam. Quo respectu quidem nihil a vehiculo vel sirpea diversa fuerit. Quando tamen Gallica vox benna dicitur, vehiculum quoque Gallico modo, id est, diverso a Latino, atque sic a sirpea, vehiculoque speciatim ita dicto, constructum fuisse necessarium videtur. Scaliger Belgarum putat proprium in suis ad Catalecta Virgiliana Commentariis, ubi, cum de aliis egisset vehiculis, & Gallorum rhedas, Britannorum covinos ostendisset fuisse, subdit: *Belgarum vero benna, qua etiamnum hodie utuntur: Quin & apud eos hodie genus carri, itemque apud Helvetios, eine Benne vocatur.* Verum nulla caussa est, ut a Gallis Belgas separemus, hisque solis arbitremur proprium fuisse, cum non magis *benne* apud Belgas, quam apud Gallos *banneau* eodem sensu usuque sit receptum. Samuel Bochartus par. II. lib. I. cap. 42. *Benna Germanis hodie benne, & nostratibus banneau.* Manet ergo ex auctoritate Festi Gallicum vehiculum, ac ob id Gallica ratione structum. Cujus rationis, nescio, annon pars quædam fuerit, quod corbis ista esset clausa non in ambitum solummodo & a lateribus, verum etiam superne. Ita colligo, quoniam σκηνὴ a Græcis dicebatur. Glossæ veteres: *Bennarius*, σκηνάρχης. Si σκηνάρχης est *bennarius*, *benna* sit σκηνὴ, necesse fuerit. Est autem σκηνὴ, uti ex Hesychio apparet, ἡ ἀπὸ ξύλων, ἢ περιβολαίων οἰκία, hoc est, ædicula seu pergula ex tabulis ligneis, aut pannis, similibusve rebus. Inde Glossæ: Σκηνὴ, *tentorium, tabernaculum.* Hoc vero semper tectum superne intelligitur. Quare hujus generis & corbis bennæ fuerit, sive potius benna ipsa, quæ est corbis. Nec videri mirum potest, cum bennarum usus maxime in bellis fuerit: Sic colligimus ex illis ipsis Glossis, quæ a nobis supra sunt laudatæ, ac vocabulo σκηνάρχου. Nempe dictus est σκηνάρχης, sicut apud Græcos ζυγάρχης. Est autem ζυγάρχης, ἄρχων τῆς ζυγαρχίας, hoc est, is, qui præest zygarchiæ. Zygarchia vero sunt duo currus militares. Ælianus cap. 22. Tact. Τὰ δύο ἅρματα, ζυγαρχίαν ἐκάλεσαν. *Duos currus appellarunt zygarchian.* Sicut ergo in militia Græcorum duo currus erant zygarchia, ita in militia Gallorum duæ vel saltem paucæ quædam bennæ Scenarchia sive σκηναρχία, cui qui præerat, is σκηνάρχης Græce, alias *bennarius* appellabatur. Unde plane constat, bennas in militia fuisse usurpatas. Nec enim σκηνάρχαι, extra illam possunt intelligi, non magis, quam ζυγάρχαι. Sed & ex vocabulo *combennonum* colligi hoc posse videtur. Festus sic de eo: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur. Unde vocantur combennones in eadem benna sedentes.* Non putandum, quasi sermo sit de consessu vulgari & obvio, quomodo & alias in vehiculis plures juncti solebant sedere. Nec enim ad exprimendam eam rem peculiari opus fuisset vocabulo. Verum *combennones* dicti, sicuti *commilitones*, *contubernales*, & id genus in militia. Habuit nimirum suam quisque bennam, ex qua pugnabat, ita destinatam sibi, ut nec in aliam ipse conferre sese, nec in locum ejus alius transire posset, ne, si pro arbitrio quisque occuparet quemlibet, turba & certamen inde oriretur. Quotquot ergo unam istiusmodi assignatam sibi habebant bennam, illi *combennones* dicebantur. Atque sic intelligendum etiam, quod in Glossis legitur *convennit*, συμβασζάει. Sic enim id verbum scriptum reperit in ipso Codice manu exarato Scaliger, quod ex Commentario ipsius in Virgiliana Catalecta patet; Non vero *convenit*, sicut postea est publicatum ab Henrico Stephano, cura, credo, nimia emendatoris. Scilicet *convennit*, qui alterius combenno est, & in eadem benna vehitur cum alio. Nec necesse arbitror, ut cum Scaligero perperam putemus scriptum hoc vocabulum, & ideo mutemus in *combennit*. Nam est notum, crebro istas inter sese permutari literas. Ita supra *pabo* habuimus pro *pavo* & *vivices* pro *vibices* in eisdem Glossis, non per errorem, sed ex industria est scriptum, unde auctor earum & ad vocem *vibices* lectorem in *vivices* remittit. Sed de hac re dicam amplius in opusculo de permutatione litterarum, si DEO visum fuerit. Bennam interim fuisse currum militarem, & in pugnis usurpatum, propter ea, quæ attulimus, vix dubitamus. Et quoniam currus fuit militaris, Gallis Belgicis cumprimis notus, ideo adducor in suspicionem, quod sit voce alia nominatus *cophinus*. Covinus profecto currus militaris fuit apud Belgas, ut Lucanus docet. Sed de covino peculiari capite agemus. Illud hic notabimus, quod in benna fuerit non unus tantum aliquis, qui pugnaret, sicuti in curribus apud Græcos, verum plures. Inde namque combennonum appellatio est orta. Quot autem singulis in bennis fuerint, indicare haud proclive, cum de eo, ut & cæteris vehiculi hujus nihil proditum apud veteres inveniatur.

CAP. XXII.

De Covino.

Covinus, covinnus, covina. Vossii & aliorum sententia refutata, Bocharti vero expensa. Tectus fuit pæne idem cum benna. Falces habuit. Silii scriptura vetus. In cophino cathedra. Κάῤῥιον καθεδρωτὸν. *Philoxenus exponitur. Covini a Belgis venere ad Britannos. Mela exponitur. Covinarii. Hermannus Hugo revellitur. Ad covinos juncti equi. Covini ad iter. Non carrucæ, nec esseda fuere. Ducebantur & a mannulis. Vectores ipsi regebant jumenta sine auriga. Tres in eis. Argolus notatur. Vehicula dono data. Circense vehiculum covinus quo sensu. Argolus denuo notatur. Juveniles Augustales quales ludi.*

COvini vox occurrit apud Melam lib. III. cap. 6. *Dimicant & bigis, & curribus Gallice armati. Covinos vocant.* Atque sic Lucanus, Sidonius, atque alii. Apud Martialem scribitur *covinnus* geminata littera, verba postea adducam. Glossæ Mſ. Savaronis mutant genus, & in feminino efferunt. Ita namque scribit Savaro ad Sidonii Carm. XXIII. *Anonymus Glossograp. mſ. Covina, genus vehiculi.* cæterum covini vocem sunt, qui derivandam judicant ἀπὸ τῆς κοπῆς, alii a *cavea*. Qua de re sic Vossius in Glossario. *Non censeo, nomen esse* ἀπὸ τῆς κοπῆς, *h. e. sectione, quæ fieret falcibus* (quibus nempe interdum fuerunt armati) *Ac nihilo rectius a cavea derivant alii, in his Franciscus a Quercu, quia in eo velut cavea consideretur, ut quæ & ad consessum cathedras haberet. Nempe neque hoc de loco camerato* & καθεδρωτῷ, *neque alterum de falcium sectione, vel Græcum juvant* ἔτυμον, *vel Latinum: cum vocis Celticæ origo peti debeat e Celtarum lingua, qualis Germanica.* Quæ omnia sine dubio sunt optima, summaque ratione prolata. Verum quod is ipse postea vel ab *hauven* Germanorum quod significat *ferire*, vel potius ab *haven*, quod iisdem ait denotare, *æther, cœlum*, putat derivandum, non æque bene judico proferri. Ac quod prius quidem attinet, ostendit ipse, parum id hic convenire. De posteriori recte fecisset, si adduxisset testem aliquem idoneum. Hodie profecto *haven* nihil tale denotat. Vulgo portus maris ita nominatur. Sueci & Septentrionis populi *haf* appellant mare, non hodierni solum, sed & vetustissimi. Quare propius accedere videtur Gallicum, *couvrir*, quod *tegere* significat, & Belgarum *coffert*, quod pro cista cum operimento usurpant. Sed & apud Suecos veteres *Kopan* vestem appellarunt, qua vice pallii se operiunt; & apud Alsatos meos *Kapp* est pileus mulierum, quo se tegunt matres familiarum. Liquet certe ex his omnibus, fuisse quondam in usu vocabulum, unde ista omnia sunt nata, quod tegmen seu operimentum significabat. Adde quod nunc quoque per Germaniam aliquibus in locis *Kobelvvagen* vocitent vehicula superne tecta, item per contractionem *Kolvvagen*, quod a *covino* est proximum. Nam quod dictum putat a גוספן, i. e. *gosphan* Chaldæorum Samuel Bochartus, quod occurrit Esaiæ X. 32. ubi Sennacheribus habuisse in exercitu suo legitur quater mille *gosphanim*, h. e. sicut ipse explicat, *cophinos*, id sicut ratione primæ originis erudite dicitur, sic ad explicationem vocis Gallicæ vel Belgicæ trahi difficulter potest. Mallem potius deducere a *covo*, quod significabat priscis *cavum, convexum*. Inde namque cœlum quoque appellarunt *covum* sive *cohum*, ut ex Festo & Scaligero apparet, & apud Varronem inter instrumenta rustica est *covum* sic a cavo dictum, sicut ipse judicat. Formam covini quod spectat, facit eum Vossius perpetuo contectum. Ita namque ait in de Vitiis Serm. c. 3. *Covini semper erant camerati tectique.* Verum unde ipsi hoc constiterit, id haud declarat. Tamen discimus ex Lucano, quando sic de hoc vehiculo:

Et docilis rector constrati Belga covini.

Extat versus hic in libro I. ubi quondam legebatur *monstrati*. Quod cum videretur ineptum, sicut erat, *rostrati* pro eo substituere. Atque sic servarunt hactenus. At vero in vehiculis fuisse rostra, nemo legit: naves habuere. In codicibus antiquis est *constrati*, sicut docuit Cl. Isaacus Vossius, & ex eo primum testatus est Bochardus. Sunt autem *vehicula constrata*, quæ superne tecta, sicuti *constratæ naves*, quæ alibi *tectæ*, ut prolixe docui in libris de Militia navali. Quare tecti covini fuere. Idem constat etiam ex eorum appellatione, si id innuit, quod diximus. Quod si convinus conveniret cum *cophino* vase, tectum illud ex viminibus videri posset structum. Est enim cophinus *vas ex virgultis, aptum mundare stercora & terram portare*, sicut ait Isidorus. Neque ratio denominationis repugnaret, cum & *cophinus* sit a *covus* h. e. *cavus*, ut vult Isidorus. Denique covinus vehiculum non per *u* solummodo, sed & per *ph*, *cophinus* scriptum reperitur. Sed magis est ut vas *cophinum* a Græco κόφινος censeamus ortum. *Covinum* vero vehiculum a Gallico, seu Belgico, quod diximus. Quanquam cum hæc ratio sit observata in bannis, quas existimo fuisse covinos, eadem & convinorum fuerit. Præter id, quod contecti constratique essent covini, etiam falces habuere. Pomponius Mela lib. III. cap. 6. *Dimicant & bigis, & curribus, Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Quibus verbis annotandum, quod has falces non in orbibus habuerint, ut tradit Curtius de falcatis quadrigis, verum axibus, ut de curribus falcatis, alii plerique sunt testati. Firmat enim aliquo modo, quod de loco Curtii, & structura falcatorum curruum jam in superioribus disserui. Falces in covinis memorat & Silius lib. XVII.

Agmina falcifero circumvenit arcta covino.

Argolus in Notis ad Onuphrium, ubi laudat versum hunc, scribit *acta*, unde colligo, in antiquis libris *arta*, non vero *arcta* fuisse. Quanquam vero covini sic instructi fuerint nonnulli, omnes tamen non fuere, ne in bello quidem. Quod colligimus ex Tacito, qui tametsi pugnam covinariorum memoret in vita Agr. c. 35. tamen falcium in covinis, aut per eas factæ stragis nullum apud ipsum est indicium, quod non omissurus Tacitus pro cætera sua diligentia videtur, si quas habuissent falces. Quin imo aperte Hieronymus ad Esaiam cap. ult. *Sine falcibus itaque currus noster covinus est.* Sed nimirum ibi sermo est de covino alio, quam bellico. De quali utique non possumus ambigere, quin falcibus caruerit. Habebat alioqui covinus & cathedram ad considendum, quod colligimus ex Glossis Philoxeni, in quibus ita legitur: *Covinus*, κάῤῥιον καθεδρωτόν. Vocat carrum cum cathedra: porro cathedra ad considendum. Quanquam mihi *cathedra* hic videatur, quod in curribus militaribus antiquis δίφρος, id videlicet, ubi consistere, ac unde pugnare in hostem solebant, σέλλα vulgo appellatum, hoc est *sella*. Nempe carrus vulgo fuit sine sella, ideo καθεδρωτὸν vocavit, quasi dice-

diceret, non fuisse de communi genere carrorum, sed peculiari, quod impositas habuit sellas, id est capsos ex vimine factos & superne tectos, unde stantes pugnabant. Rotas quot habuerit, certo non constat. Quia tamen κάῤῥιον, id est *carrus* nominatur, quem exponunt ἅμαξαν, duas colligo in eo fuisse. Usus covini frequentissimus apud Belgas, quod ex verbis Lucani antea adductis constat. A Belgis transiisse ad Britannos videtur. Colligo ex verbis Melæ, quando ait, dimicasse isto genere, sed *Gallice armatos*. Cur enim *Gallice*, nisi quia rationem totam mutuati sunt a Gallis, Belgis inquam, qui sunt pars Gallorum. Adde, quod a Cæsare, qui primus transiit in Britanniam, nulla fiat covinorum mentio, sed essedarum. Quare covinorum vox non est Britannica origine, sed cum vehiculo a Belgis ad eos translata. Alias non magis essedas, quam covinos Cæsar nominasset. Quando igitur in Britannis memorantur covini, vel intelliguntur essedæ, quos covinos subinde nominasse scriptores notiore vocabulo, ut in Belgis usitato, verisimile; vel covini a Belgis in Britanniam translati. Atque sic intelligendum, quod a Mela dicitur de Britannis: *Dimicant bigis, & curribus Gallice armati. Covinos vocant*. Nempe ita vocant lingua Belgica, unde acceperunt. Inde hodieque nullum covini vestigium in Britannico sermone, quod Cambdenus fatetur, sed nec ratio illius dari potest idonea ex lingua Britannica, cum ex Belgica Germanicaque possit, uti vidimus. Pertinebant vero covini vel ad bellum, vel ad pacem. In bello ex eis dimicabant. Ita clare Mela: *Dimicant bigis & curribus. Covinos vocant*. Quæ dimicationis ejus fuerit ratio, non satis constat. Quia tamen falces habuerunt, vix est dubium, quin sola incursione damnum afferre hosti quæsiverint. Sed non omnes habuere falces. Ergo in cæteris stetisse, indeque tela conjecisse in adversarios existimo. Ideo se peditum prælio immiscent apud Tacitum Vita Agr. cap. 36. Qui regebant covinos, *covinarii* appellabantur, non, ut tradidit Hermannus Hugo, *covinarii equites*. Verba Hermanni sunt lib. I. de Mil. Equestri, cap. 6. *Belgas Lucanus ornat laude inventi covini lib.* III. *Pharsaliæ*:

—— Rector monstrati Belga covini.

Unde Tacito, in Vita Agricolæ, covinarii equites, qui scilicet de covino pugnabant. Neutrum horum verum est, nam Lucanus scripsit non *monstrati*, sed *constrati covini*, sicut supra indicavimus. Et apud Tacitum non leguntur *covinarii equites*, sed *covinarii & equites*. Locus, quem respexit Hermannus, verum male intuitus est, habetur cap. 35. dicti opusculi his verbis: *Media campi covinarius & eques strepitu ac discursu complebat*. Alii Tacito sunt equites, alii covinarii. Et qui possint iidem esse, cum, ut ipse ait Hermannus, covinarii pugnaverint de covino, id est, vehiculo, non equo? Equites vero, qui pugnant ex equo. Quare iterum Tacitus in sequentibus, ut de diversis: *Equitum turmæ fugere, covinarii peditum prælio se miscuere*. Interim hos covinarios in covinis traxerunt equi. Equos enim ad hos militares covinos adjunctos habuisse discimus ex eodem Tacito, qui dicto loco: *Sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant*. Non potest esse dubium, quin hic equi debeant intelligi, qui vagos illos currus, id est, covinos, trahebant. In pace vero covinos adhibuisse legimus ad iter. Extat hac de re Epigramma integrum Martialis lib. XII. ad Juvencum, quod, quia habet pluscula huc spectantia, totum adscribendum.

O jucunda covinne solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus Heliani:
Hic mecum licet, hic, Juvence, quicquid
In buccam tibi venerit, loquaris.
Non vector Libyci niger caballi
Succinctus, neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio. Mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem,
Totus quam bene sic dies abiret.

Ex hoc epigramate apparet utique, adhibuisse covinos ad iter, sive serium, sive, quod videtur magis velle, voluptatis causa institutum. Videmus autem ante omnia, covinum nec carrucam neque essedam fuisse, cum ab eis distinguatur. Deinde in comparatione ad essedas carrucasque viliorem putatum. Nam si vilior non fuisset, parum apte sibi carius vehiculum Martialis dixisset esse, carruca essedaque. Nec enim est mirum, atque sic nec significandum, tanquam magnum quidpiam & singulare, si quæ meliora sunt & præstantiora, simul sint & chariora. Observamus quoque covinum hunc destinatum itineribus adjunctos habuisse *mannulos*, non equos. Sunt autem mannuli de genere mulorum minutorum, quorum species accedit propius ad equos, quam ad asinos, sicut, ubi egi de basterna, demonstravi. Regebatur porro etiam ab unico soloque, qui & vehebatur simul, & auriga erat. Hinc enim *solitudinem* covini Martialis prædicat, & *mulionem* ait esse *nusquam*, id est, se solum & vehi eo, & mannulos ipsius regere. Erat tamen capax plurium, saltem trium, quando Martialis secum invitat in consessum & Juvencum, & Avitum. Erratq; sine dubio Johannes Argolus ad Onuphrium, quando scribit, *saltem duos ad summum cœpisse. Vulgo sessorem & aurigam eundem fuisse*. Qui nec ex hoc genere ad illud militare videtur recte transire, ac statuere, ne in illo quidem fuisse, nisi unum. Saltem covini sine falcibus requirebant plures, si per eos damnum afferendum erat hostibus. Quid enim unus faceret, qui simul equos regere debebat? Discimus & hoc ex isto epigrammate, cum muneris loco datus Martialis covinus fuerit, inter munera, quæ donari solebant, etiam vehicula, nominatimque covinos, fuisse. Qui ex eo erant grati acceptique, quod nullis opus haberent mulionibus, qui iis vehebantur, soli que ac libere in itinere cum amicis garrire ac confabulari possent. Et hic covinorum usus maximus præcipuusque in pace. Aliquando tamen nominant inter vehicula Circensia. Sidonius Apollinaris Carm. XXIII. ubi describit pluribus certamen quadrigarum:

Instant verberibus simul regentes,
Jamque & pectora prona de covinno
Extensi rapiuntur. ——

Argolus ex hoc loco colligit, fuisse vehiculorum Circensium solenne hoc vocabulum. Sic enim ait ad lib. I. Onuphrii de Lud. Circ. pag. 16. *Nunc sufficiat ostendere, covinum dici apud veteres currum hunc* (Circensem) *& vehiculum, quo aurigæ insident. Hic vero commodissimus ad Circensia, sive ponderis, sive parvitatis gratiam spectes*. Subdit deinde allata Sidonii verba. Ve-

Verum alibi vocatas bigas quadrigasque Circenses, *covinos* non legas. Imo ipse Sidonius *quadrigas* paulo ante dicit. Verba ejus ista sunt:

Tunc cœtus juvenum sed aulicorum
Elæi simulacra torva carapi
Exercent, spatiantibus quadrigis.

Item post nonnulla interjecta:

Tandem murmura buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva currus.

Vocat *currus* & *quadrigas*, quomodo in universum omnes alii. Ergo *covini* sua & solenni voce minime appellabantur. Sed nec adhibiti ad circenses ludos, qui sic proprie sunt dicti, ut putabat Argolus. Alii fuere covini, alii currus Circenses. Nam quod sic appellat Sidonius, id fit abusive, per positionem generis unius, vice alterius, sicut locus universus docet, qui agit de juvenibus Augustalibus, quorum ludus agitatioque fuit non covinis, sed quadrigis. Asconius in Or. cont. Ant. *Cum Sylla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent.* Item postea: *Diximus jam supra Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios nobiles homines agitasse.* Loquitur de Ludis sacris, in quibus ingenuos & nobiles, quos *aulicos* vocavit Sidonius, ait certasse. Certasse vero non convinis, sed quadrigis. Unde plane constat, ludos illos similes per omnia circensibus vulgaribus extitisse, ac iccirco nullos habuisse covinos. Cum præsertim covinorum mentio nomenque sero, ac nonnisi post Cæsariana tempora Romæ orta fuerit, circenses vero omni tempore duraverint.

CAP. XXIII.

De Essedo.

Essedum non est covinus. Bocharti sententia expenditur. Adseda. Belgicum est vehiculum. Philargyrius & alii explicantur. Non est Britannicum. Jornandes exponitur. Habuit falces, sed non semper. Num idem cum basterna. Rotas habet duas strepentes. In eo equi fere, iique bini. Jornandes denuo exponitur. Aliquando tractum a mulabus aut bisontibus. Singula in eo jumenta pro se ambulabant. Pellibus erant ornata. Claudianus exponitur. Esseda ad prælia. Perequitare, de iis, qui vehuntur in curru. Rhodomanni versio Diodori rejecta. Ἐσσέδα. Alii aurigæ in ipsis, alii pugnantes. Essedarii. Stabant etiam in jugis equorum, & tergis. Esseda ad itenera, in eis etiam honoratiores. Cicero expenditur. Mulieres quoque. Currus sunt celeres, & pulchre ornati. An & oneraria, an & in trium phis. Scholiastes Cruquii refutatur. Esseda in circo. Gladiatores essedarii. Philargyrius explicatur. Mulier essedaria. Seneca contra Lisium explicatur. Fragmentum Petronii Tragurianum bis exponitur. Reinesius notatur. Certare de gradu, quid. Fragmentum Petronii denuo exponitur. Scissores cum gesticulatione cibos dissecabant. Aurigæ essedariorum ad victoriam conferebant plurimum.

VEnio ad essedum, quod vel idem cum superiori, vel non multum fuit diversum. Ut diversum tamen statuamus, facit Cicero Virgiliusque, qui mentionem essedi faciunt, covini vero nullam. Sed & essedum a covino distinxit Martialis eo loco, quem superiori capite attulimus. Quare fuerit diversum essedum, sed parum. Nomen ejus unde traxerit originem, nemo explicare neque veterum, nec recentiorum, quantum scio, tentavit. Solus eruditissimus Bochartus Par. II. lib. I. Geogr. Sac. cap. 42. sic ait: *Essedum Hebræis est* הסרן *hassedan. & Græce* σατῖναι *sunt plaustra.* Verum cum & hoc sit Gallicum vehiculum, nescio an nomen ejus recte natum ex Hebraico dicatur, nisi forte, quatenus originem ipsius primam ultimamque volumus respicere. Mallem ego credere sic nominatum a sedendo, & *seda*, quoniam in eo sedebant, & sedebant supra axem, qui Germanis, Celtis, ut ejusmodi est *æx* vel *es*, sicut locus ubi considetur *Sitz: Sate* ut sit *essedum*, sedes aut sella super axem h. e. currum, seu vehiculum. Videturque confirmari hoc ex Glossis Isidori, ubi ita loquitur: *Adseda, sella quadrijugis.* Nam τὸ *adseda* id ipsum puto esse quod vulgo *asseda*, vel *esseda* vocatur. Non enim in neutro solum genere, sed & feminino extulisse cum ex Seneca, tum ex aliis compertum habemus. Erant autem esseda vehicula Belgarum. Docet Virgilius, quando ita habet lib. III. Georg.

Belgica vel molli melius fert esseda collo.

Servius ad hunc locum: *Belgica esseda, Gallicana vehicula. Nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujusmodi vehiculi repertus est usus.* Docet locus hic, non in usu modo Belgis fuisse, sed ab ipsis quoque primum excogitata esse, primum cœpta adhiberi. Item quando Gallica vocantur, Belgica intelligi debere. Ut apud Philargyrium ad prædictum Poetæ locum: *Esseda vehiculi, vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli.* Galli hic de Belgis sunt intelligendi. Pariter & apud veterem Commentatorem Cruquii ad II. Horat. ep. I. *Esseda vehicula sunt Gallica.* Dixit tamen quoque *Esseda Britanna* Propertius lib. II. el. I.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Nempe & hoc genus mutuati sunt a Belgis. Ita malo credere cum Cl. Ger. Vossio, quam contra Servii auctoritatem Britannos ejus facere auctores. Sane mentionem Essedorum Tullius quoque facit lib. VI. ep. I. ad Atticum, nec ut rei novæ, sed ut notæ pridemque receptæ. Sine ulla enim admonitione, ac simpliciter sic scribit: *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis.* Porro scriptam eam esse epistolam, si diligenter omnia ponderaverimus, ante Cæsaris in Britanniam expeditionem deprehendemus, unde sequitur, essedas Romanis non modo notas, sed & usurpatas fuisse, priusquam eis nota esset Britannia. Unde vero notitiam & usum illum acceperunt, nisi ex Belgis, quos proinde verisimile, primos esseda, vel essedas excogitasse. Jam si Belgæ primi essedæ auctores, nomen etiam ab ipsis erit, quodque sic vocata & Britannis, id Belgis, a quo vehiculum acceperunt, debebitur. Quare quando ic Jornandes ait Rer. Goth. cap. 2. de Britannis: *Bellum gerunt bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant:* non existimandum, essedæ vocabulum a vulgo Britannorum excogitatum, sed acceptum usurpatumque una cum ipso vehiculo ab his, quos dixi. Forma essedarum qualis fuerit, colligimus nonnihil ex superioribus Jor-

nandis verbis, quando *currus* nominat *falcatos*. Nam apparet, falcibus armatas fuisse. Neque tamen omnes tales fuere. Primum enim eas, quatum usus fuit extra militiam, caruisse falcibus, res ipsa loquitur. Ad quid enim falces in eis conducerent? Deinde ne in iis quidem, quibus pugnavere, semper fuerunt. Cæsar sane, qui cum cura describit essedas, lib. IV. B. G. cap. 33 nullam falcium facit mentionem. Sed nec apud alios legas, unde quid de falcibus suspiceris. Adeo frequentiores sine falcibus, quam cum eis fuisse videntur. Postea quia *currus* nominat, curribus cæteris militaribus extitisse similes colligimus: cum præsertim alii quoque currus explicare soleant. Habuerunt ergo sellas suas easque nescio annon clausas, quoniam *basternæ* quoque nominantur. Ita docet nos Cujacius lib. XIII. Observ. cap. 30. *Alio*, ait, *sensu basternæ vehicula sunt, sive lecticæ, vel ut est in Glossis veterum, esseda, quæ quod plerumque speculari lapide clauderentur, eadem glossæ, ut opinor, illo loco Juvenalis: Quæ vehitur clauso tutis specularibus antro: recte interpretantur basternas*. Glossæ, quæ basternas esseda exponunt, Juvenalis esse videntur. At in iis Glossis, sicut quidem a Schrevelio sunt editæ Lugduni Batavorum An. MDCXLVIII. nihil istiusmodi reperio. Sed nec apud Juvenalem illo loco agitur de esseda vel basterna, sed lectica. Ut de Glossis quidem istis nihil habeam, quod dicam. Laudat tamen Glossas alias Mf. ad lib. II. Sidon. ep. 10. quæ hoc ipsum statuunt. Sic enim habet: *Innom Glossog. ms. Esseda, Basterna*. Equidem si basternæ vocem proprie accipias, nunquam eæ dici possunt esseda. Nam esseda habuere rotas, ut mox dicam, basternæ vero nullas, sicut alibi monstravi. Videntur ergo esseda sic explicari, quod ut basternæ, clausas haberent sellas. Verum ne hoc quidem convenire aliis videtur. Cæsar enim loco supra indicato, pugnatores ait *ex essedis desilire, per temonem incurrere, in jugo insistere & inde se in currus citissime recipere*, quod vix potuisse videtur clausa sella. Sed fortassis alia nonnihil fuit structura essedarum militarium, alia non militarium. Cum præsertim essedis & mulieres veherentur, quas notum est libenter usas sellis clausis. Rotas habuisse, illasque admodum strepentes novimus ex Cæsare, quando illo ipso loco ait: *ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant*. Hinc Sidonio supra dicto loco *esseda stridentia*.

Stridentum & moderator essedorum.

Respexit etiam Seneca epist. 56. ubi ait: *In iis, quæ me sine avolatione circum strepunt, esseda transcurrentes pono*. Tribuit & ipse strepitum huic generi, quod præcipue propter rotas factum ex Cæsare cognovimus. Ita Claudianus Epigr. I.

Esseda concordes multisonora trahunt.

Ubi recte Barthius: *Multisonora, a vario stridore rotarum & clangore ferramentorum*. Rotæ porro illæ numero fuerunt duæ, si qua fides est Corrasio. Sic namque is lib. III. Miscell. cap. 20. *Fuit essedum vehiculum breve, birotum, minus rheda*. Sane, quia currus nominatur, ut jam ante dixi, duas tantum habuisse rotas consentaneum est, cum hoc proprium curruum extiterit. Ducebantur porro essedæ ab equis. Cæsar manifeste loco sæpe dicto: *Ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant*. Item paulo post: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos*

A *sustinere consueverint*. Numerus equorum etiam binarius fuisse videtur. *Bigas* sane nominavit Jornandes, hanc ob caussam, ut opinor: *Bellum gerunt bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant*. Vocat *bigas* & *currus falcatos*, non quod duobus generibus iisque diversis pugnaverint, sed quod falcati illi currus bigæ fuerint, hoc est, tracti a duobus equis. Figura simili, qua in superioribus Vopiscum *vehiculum* & *judiciale carpentum* dixisse demonstravimus. Equos tamen habuisse junctos militaria esseda potissimum videntur. Cætera plus trahebantur a mulabus, id quod manifeste docet Epigramma totum Claudiani *de*
B *Mulabus Gallicis*, quas in essedo commemorat. Nominat & bisontes in esseda Martialis, non vulgari tamen, sed exhibita in Circo. Verba extant lib. I. Epigr. de Spectaculo:

Turpes esseda, quod trahunt bisontes.

Tanquam singulare ac inopinatum laudat a Domitiano præbitum spectaculum. Itaque huc quidem nihil facit. Contra illud liquet, vel mulabus junctis ducta esse, vel equis. In junctura hoc peculiare habuerunt, quod jumenta ambularent non
C equa fronte omnia, ut in quadrigis, (nisi forsitan essedæ militares) neque bina & bina, verum pro se singula. Docet Claudianus toto Epigrammate de Mulabus Gallicis, præsertim illo versu, quando ait:

Quamvis quæque sibi longis discurrat habenis.

Nam *discurrere sibi quæque* dicitur, quæ currit pro se, nulli alii a latere adsociata. Sic igitur incedebant. Erantque mulæ vel jumenta ornata pellibus villosis ovium, quas habebant jugis impositas, consuetudine solenni, quæ hodieque
D durat per Gallias. Idem Claudianus:

Consensuque pares, sed fulvis in pellibus hirtæ
Esseda concordes multisonora trahunt.

Ubi fulvas pelles intelligo obsoletas ovium. Quanquam cum τὸ *fulvum* hic per commendationem dicatur, rectius fortasse statuamus intelligi pelles taxorum sive melium, quæ & ipsæ hodie in frequenti usu tali. Nam sunt pelles illæ vere fulvæ, sicut nemini ignotum est, qui vidit. Usus essedorum primus ad militiam & prælia videtur fuisse. Pugnaverunt sane iis Galli, hoc est, Belgæ, uti
E Philargyrius testatur. *Esseda*, inquit, *vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli*. Eadem de Britannis legimus. Inde Cæsar lib. IV. Bell. Gall. cap. 24. *Ac Barbari*, (Britanni) *consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essedariis, quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti sunt*. Traditur & ratio pugnandi cum essedis ab eodem Cæsare in ejusdem libri cap. 33. Adscribam locum etsi longiorem, quoniam est elegans: *Genus hoc est ex essedis pugnæ. Primo per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum &*
F *strepitu rotarum ordines plerumque perturbant, & quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, & pedibus præliantur. Aurigæ interim paullum e prælio excedunt, atque ita se collocant, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant*. Observa, quod de iis, qui pugnant ex essedis, usurpet τὸ *perequitant*. Nam hoc alias ad nudos spectat equites, non vehiculis utentes. Quanquam hodieque ista ratio locutionis apud Belgas servetur, & dicantur *raden*, qui vehiculo

currruve incedunt. Ostendit autem, duplex velut certamen horum fuisse, unum ex essedis cum telis jaculisque, alterum in terra, pedestri consuetudine. Nam desiliisse ait, cum prælium esset ortum acrius. Qua quidem parte pugna illa fuit similis heroum apud Trojam. Ac respexit forte Diodorus lib. v. quando ita de Britannis: Ἅρμασι μὲν γὰρ κατὰ τοὺς πολέμους χρῶνται, καθάπερ οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων ἥρωες ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ κεχρῆσθαι παραδέδονται. *Ad bella essedis utuntur, quemadmodum antiquos Græcorum heroes in bello Trojano belliger asse traditur.* Ita vertit Rhodomannus. Sed in Græco non est *essedis*, verum ἅρμασι, hoc est, *curribus*. Videlicet & reliqua vehiculorum istiusmodi & essedas ignoravere. Igitur, cum de ipsis nominatim agendum, Gallicam retinuerunt vocem. Quomodo Metaphrastes Cæsaris in loco antea allato: Ὁ δὲ τῆς ἀπὸ τῶν τῶν ἐσσέδων μάχης τρόπος τοιοῦτος ἐστί. Quæ Metaphrasti sunt ἐσσέδα, ea Diodoro ἅρματα. Vix enim dubium, quin tametsi non nominaverit esseda, tamen ea intellexerit. Porro, docet quoque, plures in his essedis fuisse, alios propugnatores, alios aurigas. Nominatim namque dicit, ex prælio aurigas excessisse. Quare alii aurigæ, alii propugnatores fuere: Quorum hi præcipue, ut censeo, *essedarii* vocati. Unde pugnam eis Cæsar tribuit in locis supra allatis. Et lib. v. ait: *Essedarii acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt.* Sed & Cicero propterea lib. VII. ep. ad Trebatium 6. *Tu, qui cæteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto.* Fuit autem utrorumque artificium singulare, aurigarum in flectendo curru, propugnatorum in discurrendo per temonem, stando in jugis, & recipiendo se in currum. Cæsar sic describit: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere,* (hoc ad aurigas pertinet; sequitur de propugnatoribus) *& per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint.* Annotandum, quod in ipso stare jugo potuerint, concitatis licet equis ac currentibus. Nempe sic & tergis eorum insistere discebant olim, qua de re nos certiores reddit Manilius lib. v. ver. 31. quando ait:

—— Et stabiles poterit defigere plantas,
Per quos vadit equos. ——

Item Silius lib. x. qui laudatur a Scaligero hoc loco:

Milite non illo quisquam felicius acri
Insultarat equo. ——
Si nudo staret tergo, quum rapta volucris,
Transigeret cursu sonipes certamina campi.

In pace pertinebant esseda ad itinera. Cicero lib. VI. Attic. ep. 1. *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta.* Cumprimis usus eorum fuit frequens per Gallias. Spectat huc, quod tradit Sidonius lib. II. ep. 10.

Hinc agger sonat, hinc Arar resultat,
Hinc sese pedes atque eques reflectit,
Stridentum & moderator essedorum.

Liquet, essedarios cum essedis per aggerem publicum, qui vicinus fuit Arari flumini, facere iter consuevisse. Utebantur porro essedis viri, etiam in dignitate constituti. Hinc Propertius tribuit Mecœnati lib. II. el. I. ubi sic ad eum:

Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britannia jugis.

Suetonius Cajo c. 51. ubi ait de eo loquens: *cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret.* Item Galbæ Imperatori cap. 18. *Cum per omne iter victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus essedum ejus invasit.* Quare nescio, cur illius usum Cicero objiciat Antonio Philipp. II. ubi ait: *Etenim quod unquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant.* Num, quod esset peregrinum vehiculum, neque magistratum publicum deceret? An quod vilius haberetur? At conjungit cum carruca Martialis. Servisse caussæ suæ videtur. Nam alias suadet ipse Trebatio lib. VII. ep. 7. *In Britannia nihil esse audio neque auri, neque argenti. Id si ita est, essedum suadeo aliquod rapias, & ad nos quamprimum recurras.* Quanquam cum Trebatius magistratu nullo, publicove officio fuerit ornatus, magis credi possit, illi convenisse. Alias non viri solum eis utebantur, verum & mulieres. Hinc Propertius ad Cynthiam l. II. eleg. 32.

Quidve petis Ææi mœnia Thelegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tybur?

Poterat vero hisce essedis celeriter confici iter, quod colligitur ex verbis Ciceronis, quando suadet Trebatio, ut ad eum esseda *recurrat*. Ita Seneca ep. 56. *essedas transcurrentes* memorat. Qui simul verbis suis ostendit, usum essedarum fuisse etiam in urbe. Illas enim ait ipsum circumstrepere, sed sine avocatione. Nam quod circumstrepit alios, in frequenti usu sit, necesse est. Esseda hæc urbana puto splendide fuisse culta ornataque, pertinereque inter ea illud argenteum, quod in Censura sua concidi fecit Claudius, ut ait Sueton. cap. 16. *Essedum argenteum sumptuose fabricatum ac venale ad sigillaria, redimi concidique coram imperavit.* Cæterum an usus essedarum solus unicusque fuerit ad itinera, ignoro. Certe Claudiani Epigramma, quod attulimus in præcedentibus, innuere videtur quasi onera interdum aliqua iisdem deportarint. Estque hæc sententia & Barthii, qui sic de illo Epigrammate: *Mirifice me venustas hujus epigrammatis affi it, atque adeo quidem, ut quoties istud contemplor audire mihi videar, aut cominus videre agasonem quempiam sive mulionem Sequanicum, qui Lemanni lacus piscem per Rhodani ripas Lugdunum vehat.* Idem manifeste docet Sellius Sidonius l. IV. ep. 18. ubi ait: *Nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Pertinebant alias & ad spectacula, ut primum triumphalia, cum captivæ deducerentur in pompa triumphi. Meminit Horatius lib. II. ep. I.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

Interpres vetus Cruquii: *Esseda) hæc vehicula sunt captivorum.* Si captivorum, ergo ducta in triumpho necesse est, verum metuo, ut Poetæ mentem recte Magister acceperit. Nec enim ibi aliter festinant esseda, quam cætera vehicula. Jam vero illa adducebantur ad spectaculum, ut fatetur ipse, nec captiva erant, sed matronarum Romanarum. Quare idem statuendum erit etiam de essedis. Et cur festinarent tandem, si captiva fuissent? nemo sane spon-

A ſponte ſua & cum feſtinatione venit ex eo, unde habet dedecus & infamiam. Itaque hic ſermo eſt de eſſedis urbanis, quibus ſimul cum pilentis petorritiſque feſtinabant viri juxta & mulieres ad ſpectaculum triumphi. Quare iſto quidem Horatii loco nihil agitur de eſſedis captivis. Quanquam ea ipſa interpretis expoſitio docere nos poſſit, non inſolitum omnino fuiſſe, quippe qui ne cogitare quidem de ea potuiſſet, ſi omnino nunquam iſtiuſmodi vehicula triumpho eſſent ducta. Exhibebantur aliquando & in theatro ſive circo. De Domitiano ſaltem ſupra vidimus, quod teſtatur Martialis, de diſſe eſſedas cum biſontibus adjunctis. Ad poſtre-
B mum eſſedæ ac eſſedarii inter gladiatores ſolennes. Docet nos Philargyrius ad lib. III. Georg. Virgilii, ubi poſt alia, quæ de eſſeda & eſſedariis commemorat, & alibi a nobis ſunt allata, ſubdit: *Hinc & gladiatores eſſedarii dicuntur, qui curru certant.* Vult, fuiſſe duplex genus gladiatorum, unum quod certabat ſine curru, aliud, quod cum curru. Quando curru certabat, dicebatur non *gladiatores* ſimpliciter, ſed cum addito, *gladiatores eſſedarii*. Meminit hujuſmodi gladiatorum eſſedariorum etiam Suetonius in Calig. cap. 35. *Cum quodam die muneris eſſedario Poro ob proſperam pugnam ſervum ſuum manumittenti ſtudioſius plauſum eſſet,*
C *proripuit ſe e ſpectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium populum ex re leviſſima plus gladiatori tribuentem, quam conſecratis Principibus, aut præſenti ſibi.* Quem ante *eſſedarium* vocavit, mox appellat *gladiatorem*. Idem facit vita Claudii cap. 21. Intelligimus autem vel *eſſedarios* ſimpliciter, vel cum addito *eſſedarios gladiatores* eſſe nuncupatos. Simpliciter ſic appellatos diſcimus & ex Petronio, quando ita habet: *Proceſſit ſtatim ſciſſor & ad ſymphoniam geſticulatus ita laceravit obſonium, ut putares eſſedarium hydraule cantante pugnare.* Sic enim legendum illum locum
D ex Fragmento Traguriano docuit incomparabilis Gronovius, ſublato aſteriſco, quem hic apponebant editiones vulgatæ, uti pridem in Notis ad Fragmentum illud declaravimus. Fuerunt autem gladiatores eſſedarii non viri ſolum, quod eſt notum, ſed & feminæ, quod ex ſolo Fragmento dicto nobis cognitum, in quo *mulier eſſedaria* commemoratur pag. 37. editionis noſtræ. Verba habent ita: *Jam nanos aliquot habet, & mulierem eſſedariam.* Neque mirum, quoniam apud Britannos etiam feminæ militabant, ut ex Tacito XIV. Annal. cap. 35. colligitur, quas ſine dubio in hoc genere ſpectaculi imitabantur. Pugna ipſa fiebat e curru, quod oſten-
E dit Philargyrius. Num vero ſemper, dubitat Lipſius lib. II. Satur. cap. 12. ſe pugnaſſe putat *mixtim, modo e curru, modo pedites.* Atque hoc velle cenſet Senecam, quando ait ep. 29. *De eodem cum conſuleretur Julius Græcinus, vir egregius, quid ſentiret: Non poſſum, inquit, tibi dicere, neſcio enim, quid de gradu faciat. Tanquam de eſſedario interrogaretur.* Ad hæc verba Lipſius: *Sententiam hic puto, eſſedarios ſolitos etiam pedites pugnare, de curru ſubito delapſos. Neſcio igitur, ajebat, cujuſmodi hic eſſedarius (ad geſtationem ejus alluſum) quem nunquam de gradu & inceſſu pugnantem vidi.* Poteſt conjecturam hanc ju-
F vare, quod & Britannorum eſſedarii hoc modo pugnarent, quemadmodum in præcedentibus oſtenſum eſt. Utrum tamen vere verba Senecæ hoc doceant, licebit dubitare. Cauſſa, quoniam non pugnaſſe inter ſe, quod exiſtimavit Lipſius, & in pictura expreſſit adjecta, ſed cum aliis, peditibus videlicet, videntur. Hinc enim Petronius in Fragmento Traguriano tantum unicam nominat mulierem eſſedariam, cui oppoſitos fuiſſe nanos joci cauſſa puto. Verba clara ſunt: *Jam nanos aliquot habet, & mulierem eſſedariam*, qui ſcilicet prælium inter ſe committant, nani pedites, & mulier ex eſſedo, ſic enim conveniens fuerat, ut una plures poſſet æquare. Teſtaturque Xiphilinus in Domitiano, nanos ac mulieres committi conſueviſſe. Πολλάκις δὲ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάνους καὶ γυναῖκας συνέβαλλε. *Sæpe noctu quoque certamina inſtituit, aliquando nanos quoque ac mulieres commiſit.* Ad eundem modum alibi ſciſſor apud eum repræſentat eſſedarium pugnantem. *Ita laceravit obſonium, ut putares eſſedarium pugnare.* Cur, eſſedarium? quia ſolus pugnare cum pluribus conſuevit. Iſta namque ratio ſimilitudinis. Videbatur ſciſſor verſari inter obſonia, & aliud poſt aliud adgredi ac lacerare, ſicut eſſedarius ſolebat certantes ſecum in arena pedites; & ſicut ita mulier eſſedaria nanos adoriri debebat. Quos proinde nanos fruſtra optimus doctiſſimuſque Reineſius in *mannos* immutavit, ſicut in Appendice ad noſtras in Petronii Fragmentum Notas demonſtravimus. Cæterum ſi pugnaverunt ſoli, utique deſcendere de curru non poterant. Qui enim ſinguli pares eſſe potuiſſent pluribus? Quare locum Senecæ puto aliter accipiendum. Nempe cum Græcinus quæreretur, quid ſentiret de virtute Philoſophi, de quo ibi ſermo, reſpondiſſe ipſum ait Seneca, tanquam quæreretur de virtute eſſedarii, de qua non poſſit conſtare, cum de gradu pugnare non ſoleat. Virtus vera militis apparet ex certamine, quod fit collato gradu. Qui ſic pugnat, *certare de gradu* dicitur, quomodo qui vincitur certamine hujuſmodi, *de gradu dejici.* Contra non certat de gradu, qui non eodem gradu conſiſtit, ſed diſcurrit, & modo pugnat ab hac, modo ab illa parte. Tales fuerunt eſſedarii. Unde Cæſar dicit, etiam in feriis, *per omnes partes perequitare.* Et Cicero ad Trebatium, *caveto, ne ab eſſedariis decipiaris*, quia horum fuit proprium, non tam virtute contendere, quam arte ac conſilio, ſimulare impetum in hoc loco, aggredi in alio celeriter circumductis equis, mox fugam præ ſe ferre, tum eſſedam convertere, ac nec opinantes adoriri. Hoc reſpiciebat Græcinus & ideo de virtute Philoſophi, de qua quærebatur, nil ſe reſpondere poſſe dixit. Cæterum cum eſſedarii ſoli adverſus plures, adjecti ſcilicet celeritate equorum ac vehiculi contenderint, ac idcirco adhibuerint artes, videtur hinc intelligi & illud Petronii, quod ait de ſciſſore, eſſedarium repræſentante, laceraviſſe obſonium geſticulando. *Ad ſymphoniam geſticulatus laceravit obſonium.* Scio equidem geſticulatoria manu conſcindere cibos conſueviſſe: teſtiſque eſt Seneca, quando epiſt. 47. de tali aliquo. *Pretioſas aves ſcindit certis ductibus circumferens eruditam manum.* Quo cum convenit & Juvenalis Satyr. v. ubi ei tribuit hac de cauſſa *cultellum notantem.* Sed in Petronii ſimul reſpici opinor ad geſticulatoriam agilitatem aliquam, qua utebantur eſſedarii, qua vel eludebant adverſarios, vel impetebant. Sicut qui alites ſcindunt, nunc capiti, nunc clunibus, nunc a dextra, nunc a ſiniſtra imminent, ac ſæpe illam invadunt partem, quæ imperito artis diu adhuc videbatur tuta futura. Et hoc quidem nobis de pugna eſſedariorum videtur. Ad quam felicius expediendam credo cum Lipſio, habuiſſe ſuas aurigas. Servos quoque eos fuiſſe vero conſentaneum, cum ipſi eſſedarii gladiatores aliquando eſſent liberi. Liber ſane fuit, qui deſcribitur Suetonio in Calig. c. 35. quando ipſe, ſicut ait auctor, *ob proſperam pugnam ſervum ſuum manumiſit.* At non liber is, cui Claudius, *cum pro eo quatuor deprecarentur filii, magno omnium favore indulſit rudem*, ſicut enim loquitur in Claudio cap. 21. Fuiſſe porro in his ipſis aurigis manum ad victoriam obtinendam momentum ex dicto Suetonii in Caligulæ vita.

loco animadverto, quia essedarius aurigam illum suum post & propter pugnam prosperam manumisit: cujus rei nullam eo quidem tempore idoneam satis habuisse caussam videtur aliam, quam quod victoriæ illius caussa non postrema servus fuerit per doctam aurigationem. Unde rursum id evincitur, quod ante dictum est, gladiatores hosce essedarios plus arte valuisse, quam virtute.


Cap. XXIV.

De Thensa.

Thensa. Tensa. Asconius exponitur. Scaliger defenditur contra Vossium. Lintea in thensis nulla. Onuphrius & Argolus refutantur. Suetonii locus ab emendatione prava liberatur & exponitur. Thensa, currus. Vehicula thensarum. Eburnea & argentea fuere. Schottus bis refutatur, & Ursinus. Onuphrii picturæ rejiciuntur. Vehiculum cum rotis quatuor, & superne planum fuit. Adjunctos habuit equos. Lora in eis. Ciceronis lectio vetus asserta contra Lipsium. Schottus denuo rejicitur. Equus languens in thensa, irritum facit sacrum. In thensis Deorum imagines. Exuviæ. Tertullianus aliter, quam factum a Salmasio, exponitur. Dionis versio castigatur. Πομπεύειν. Schottus denuo refutatur. Varro exponitur. Ὀμφαλοὶ. Tensaria. Philoxenus explicatur. Thensæ Deorum & Cæsarum. Pacatus exponitur. Aurigam manu læva tangere habenas nefas habitum. Thensarum deductio, qualis. Aliud est ducere, aliud deducere thensas. Deducentes pulchre vestiti & coronati. Singulæ thensæ habebant singulos deducentes. Thensæ ex quo & in quem locum deductæ. Pulvinar Deorum. Nomenclatores thensarum. Inscriptio vetus explicata. Thensarii. Jugares. Accommodare fræna. Tentores. Onuphrius notatur & Scaliger. Grotius emendatur & exponitur. Horti templi. Αὐλή. Titinnius emendatur. Grassarii. An & thensæ non sacræ. Turnebus revellitur. Nonius emendatur.

EGimus hucusque de eo genere vehiculorum, quod vel semper vel certe plurimum duabus incedere rotis consuevit. Veniamus nunc ad alterum, quod habebat rotas quatuor. Ex eo primum *thensam* memorabimus, quam & *tensam* scribunt. Ita sane factum Vossio in Etymologico. Neque aliter, quam *tensa*, reperitur in antiquis Festi schedis, si qua fides est editioni, a Scaligero publicatæ. Sed & apud Ciceronem semel iterumque ita scriptum videas in editione Vignoni Anno MDXCVI. emissa. Nam in editionibus aliis vetustioribus præsertim adspiratio adjicitur, qua cum cæteri fere omnes formant. Causa, cur diverso scribant modo, non videtur alia, quam quod de origine ipsius non conveniant, cum alii deducant a θυεῖν, alii a *tenendo*. Asconius in Verrin. III. *Thensas alii a divinitate dici putabant, alii, quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Quando ait *a divinitate*, non vocabulum intelligendum est, nec enim thensa inde potest derivari, verum ipsa res, quatenus tamen Græcis explicatur. Vult nempe ita dictas, quod sint divina vehicula, qualia Græcis θεῖα. Servius deducit a θυεῖν, quod est, *rem divinam facere*, quia pertinebant ad negotia divina, & ceremonias, ut mox indicabimus. Verba ejus extant lib. I. Æneid. *Thensa autem cum aspiratione scribitur*, ἀπὸ τοῦ *θυεῖν, id est, a re divina.* Ubi nota, Servium docere de scriptura, quod recepta fuerit cum adspiratione. Unde colligit, ἀπὸ τοῦ θυεῖν deduci rectius hoc vocabulum, quam a *tenendo*. Atque hæc etiam Scaligeri sententia, quam puto ipse quoque amplectendam. Convenit profecto non scripturæ solum, sed & rei ipsi, cum illa altera a *tenendo* neutrum satis sequatur. Nam quod Vossius existimat sic dictas, *quia statuæ Deorum, quæ thensis ferebantur, velarentur circumquaque linteis, ad cubiculi seu delubri speciem tensis*, vel ideo probari nequit, quia lintea ejusmodi in thensis non fuere, quod mox apparebit. Equidem & Onuphrius sic describit lib. II. de Ludis: *Erant thensæ sacri currus, super quos Deorum statuæ collocatæ erant, quæ linteis circumcirca ad cubiculi sive delubri speciem tensis cooperiebantur.* Subdit postea Festi locum, & Asconii, qui tamen de linteis nullam faciunt mentionem. Adeo non video, qui probari possit Argoli sententia, dicto Onuphrii proposita loco, quando tensas nil existimat fuisse aliud, quam parva quædam vela. Verba ejus hæc sunt: *Non apud ludos tantum in curribus, sed etiam domi thensæ, erantque explicata parva vela tribunali, qualibus nunc etiam Romæ Cardinales utuntur, sub quibus sella Principum ponitur.* Putat, ut apparet, thensas fuisse vela explicata, instar tentoriolorum; Ea existimat nunc imposita curribus, nunc collocata locis aliis, ut pro tribunali, Solis æstusque arcendi gratia. Quod ut probet, adfert verba Suetonii ex *Julio*, quæ sic scribit: *Sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus sedem auream in curru, & pro tribunali thensam, & ferculum in Circensi pompa.* Verum liquet esse prava codicis sui distinctione deceptum, atque depravatione alia. Nam sic habent libri meliores omnes: *Sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum in Circensi pompa.* Nulla ipsi thensa decreta fuit pro tribunali, verum sedes aurea. Thensa pertinebat ad Circensem pompam. Quare frustra ex hoc loco tentoriolum exponitur, nec magis ex Plutarcho, mores Persarum memorante, vel Corippo, quando neuter de his thensis agit. Thensa plane, ut nunc speciem ipsius explicemus, fuit non tentoriolum aut velum, sed vehiculum. Diomedes clare lib. I. *Thensa Deorum vehiculum.* Item Asconius: *Thensæ sacra sunt vehicula pompa ordinum & hostiarum.* Ita Philoxenus: *Thensa*, ἅρμα Θεῶν. Hinc *vehicula thensarum* apud Ciceronem in Verrinis: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis.* Plaustra nominavit Tertullianus de Spectaculis, cap. 3. per contemptum, ut opinor: *Si unam thensam trahat, Jovis tamen plaustrum est.* Materia ejusmodi thensarum fuit nonnunquam ex ebore, nonnunquam ex argento. Festus clare, vocabulo *thensa*: *Fuit & ex ebore, ut apud Titinium, in Barbato, & ex argento.* Itaque non probo, quod a Schotto traditur lib. IV. Nod. Cic. cap. 6. Verba ejus hæc sunt: *Ex qualibet, porro, materia factas* (thensas) *ait Festus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas ex ea arbore, quæ cuilibet Deo sacra esset.* Certe adeo non ex qualibet materia factas Festus ait, ut nominatim ebur memoret ac argentum, alia exclusa. Quanquam ebur illud ac argentum sine dubio spectarint magis ad ornatum, inductumque ac incrustatum sibi habuerint vehicula thensarum. Formam hactenus persuaserunt sibi eam, qualis cernitur in quibusdam nummis. Schottus: *Thensarum forma expressa est in Numismate apud Fulvium Ursinum in gente Rubria.* Hausit Schottus hanc sententiam haud dubie ab Ursino ipso. At Ursini sola conjectura est, neque habet, unde confirmetur. Contra multa sunt, quæ ipsam revellant. Nam primo nulla hic imago divina, quam tamen thensa portari consuevisse certum, atque in sequentibus monstrabitur. Deinde in ipsius parte suprema sive tecto est Victoria devo-

lans, coronamque lauream imponens equis. At hoc nil ad thensas. Quin imo in nummo Illustrissimique Viri, Comitis *Magni de la Gardie*, Regni Sueciæ Cancellarii magni, non Victoria solum cernitur, sed & bigæ, quibus insistit. Qui cum hactenus vel plane non, vel non ita, sicut debet, sit expressus, a me hic apponetur.



Vides expresse clareque bigas in vehiculo præsenti. Jam vero bigæ plane non ad thensas pertinent. Sed nec lora hic cernuntur, quæ Asconius in thensis memorat. Ut quodvis aliud sit vehiculum, quam thensa, quod in nummo antea allato est propositum. Maxime, cum & Onuphrius alia exhibeat figura, quæ videri apud ipsum potest pag. 87. & sequentibus. Ex qua si nihil aliud, hoc saltem colligas, esse dubia incertaque, quæ de forma thensarum afferuntur. Quanquam, si rem bene ponderes, Onuphrius exhibeat non thensas, verum currus aut carpenta, quod ex iis, quæ a nobis alibi sunt dicta, facile colligitur. Thensæ profecto apud ipsum sunt formatæ ad imaginem illius, quod in nummo Faustinæ cernitur, vehiculi. Jam vero thensam id fuisse, aut Faustinam sibi habuisse decretam nemo ex veteribus commemorat. Denique, si veteres consulimus, alia illius observari potest species. Nam si fuit similis illis vehiculis, quibus Ptolomæus Philadelphus in pompa apud Athenæum lib. V. simulacra Deorum traduxit, quod quidem censet Casaubonus ad Julium Suetonii, apparet fuisse latam longamque, & humilem, superne planam, rotisque incessisse quatuor. Sic enim describit unum dicto loco: *Post hos quatuor rotis currus agebatur a centum & octoginta viris, longus cubitos quatuordecim, latus octo, in quo stabat effigies Bacchi, cubitorum decem, ex aureo carchesio libantis, cum tunica purpurea ad talos demissa.* Nec fortassis caussa est, cur dubitemus multum, quando cætera conveniunt non pauca, ut liquebit postea. Sed & equum Dianæ, sicuti describitur Virgilio, in urbem Trojam tractum, speciem quandam thensarum putant præ se tulisse. Hinc enim Asconius de thensis agens: *Ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere ac tangere, qui eas deducunt.* Quæ manifeste sumpta sunt ex illo Virgilii:

——— *Funemque manu contingere gaudent.*

Quo deductionem equi nominati describit. Jam vero equus ille stetisse in ejusmodi videtur tabulato, quale Athenæus memorat, cum rotis quatuor. Tangitque ac intelligit Dictis, quando de illius fabro lib V. ait: *Ima, quæ sub pedibus erant, rotis interpositis suspenderat, scilicet, quo attractu motus facilis foret.* Nam per *ima, quæ sub pedibus erant,* sine dubio id planum intelligit, quod dixi. Ad postremum ne imago quidem recedit, quæ cernitur in tabula marmorea ludorum Circensium Fulginii extante, ac exhibita Onuphrio p. 11. si, quod arbitror, thensam exprimit, nisi quod dimidia sui parte tantum cerni possit. Sane, si & illi alteram

A dimidiam addideris, habebis vehiculum cum rotis quatuor, superne planum, quale thensam credimus fuisse. Trahebatur porro hoc vehiculum ab equis. Sic colligimus ex Plutarcho, quando ita habet in Coriolano: Ἵππου γὰρ ἑνὸς τῶν ἀγόντων τὰς καλουμένας θήσας ἀτονήσοντος, καὶ πάλιν τοῦ ἡνιόχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος αὖθις ἐψηφίσαντο τὴν πομπὴν ἐπιτελεῖν. *Si equus unus eorum, qui thensas trahunt, elanguisset, aut si læva manu prehendisset auriga habenas, pompam de novo decernebant instituendam.* Vides plane, tractum ab equis, eisque pluribus. At videtur aliud docere Asconius in verbis antea
B prolatis, ubi ait, *thensas a quibusdam* putatas dici, *quod ante ipsas lora tendatur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Colligas hinc, thensas loro tractas ab hominibus. Atque facit lori ejus mentionem Cicero quoque in de Arusp. Resp. ubi ait, fieri contra religionem, *si ludius constitit, aut tibicem repente conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit.* Pro eo, quod habetur, *si terram non tenuit,* emendat Lipsius *siserram*, vel *sisarram non tenuit.* Verum esse frustraneam emendationem illam, do-
C cet Arnobius, in cujus libro IV. eadem occurrunt verba, sine dubio ex Cicerone desumpta. *Commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Nemo persuadebit sibi, vitium utrobique commissum. Fit autem & hoc loco Arnobii mentio lori, quem de thensæ loro accipiunt. Ita enim Heraldus ad prædicta verba: *Omisit per ignorantiam lorum. Quod tenebant ii, qui thensam deducebant, ut docet Asconius.* Dicit & ipse, tenuisse: quomodo vero, nisi cum tracto eo tensam
D ducerent? Nam quod nescio ex quo foramine in thensæ medio pependisse lora scribit Schottus, quæ gestiebant tangere, id nec certo aliquo dicitur auctore, cum foraminis illius Cicero mentionem nullam faciat, nec sensum habet aliquem idoneum. Contra de thensis loro tractis videtur posse colligi ex Athenæo, qui ad thensas pompæ Ptolomæjanæ nunc centum & octoginta, nunc plures etiam commemorat viros trahentes. Sed & in equo Trojano hoc observat Virgilulius, quando ait lib. II.

E ——— *Circum pueri innuptæ puellæ*
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Cum ergo lora fuerint in thensis, nec a latere ipsarum, sive medio pendula, sed ante ipsas tensa, ut testis est Asconius, neque hoc intelligi idonee, nisi cum trahendo tensas ab iis, qui tenere manu gaudent, tenduntur, utique vix con-
F stat, quomodo ut equi traxerint. Nisi dicamus, processisse thensas ope duplici, vel saltem lora funesque, quibus ad thensas juncti fuerunt equi, manu tenere ac tangere illos consuevisse, qui ducebant. Cum præsertim metus esset, ne languescente aliquo ex equis sacrum totum redderetur irritum. De equis sane dubitari nequit, quia locus Plutarchi nimis manifeste docet. Cæterum quot equi, quove modo juncti fuerint, difficile est divinare. Si Schotti & Ursini sententia valeret, habuisse quatuor, quadrigarum instar appareret. Idem diceremus, si sequendus esset Goltzius, quippe qui appellat thensam vehiculum Augusti cum adjunctis elephantis quatuor, in Augusti vita p. 77.

At id vehiculum veteres non *thenſam* vocant, verum *currum*, quod jam in ſuperioribus oſtendimus. Sed nec thenſam *quadrigas* nuncupari legas. Denique cum ductæ ſint non ab equis ſolum, verum etiam hominibus, lora tenentibus, ut dixi, eo propendeo, ut equos ſingulos unum poſt alterum, ſive duos, ſive tres exiſtimem adjunctos. Uſus thenſarum fuit, ut in iis ducerentur imagines deorum in pompa Circenſi. De imaginibus diſertim teſtis eſt Servius ad Virgilii lib 1. *Thenſa ſignificat, qua deorum ſimulacra portabantur*. Sinnius ubi agit de eadem re apud Feſtum, non *ſimulachra*, ſed *exuvias deorum* thenſis vectas ſcribit. Verba Feſti, quibus hoc teſtatur, illa ſunt: *Thenſam ait vocari Sinnius Capite vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris circenſibus in circum ad pulvinaria vehuntur.* Sunt autem exuviæ ab exuendo dictæ, quia exuuntur, ut veſtes, pro quibus leguntur apud Virgilium Eclog. VIII. verſ. 91. Ita uſurpavit & Tertullianus in lib. de Pallio cap. 4. *Enim vero cum hanc primum ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſſime pallium ſuper omnes exuvias & peplos auguſta veſtis deducit oculos*. Salmaſius hoc loco: *Exuviæ & pepli deorum ornamenta, & pepli quidem dearum, ut peplus Minervæ, peplus Junonis, peplus deæ cœleſtis apud Trebellium, exuviæ deorum dearumque communes*. Subdit inde locum Feſti, Suetoniumque ac Apulejum earum ait meminiſſe. Suetonii verba extant in Auguſto cap. 94. *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis Opt. Max. ac radiata corona*. In quibus verbis exuviæ non ſunt ornamenta quævis, ſed veſtes. Quod apparet, quia ſeparantur a ſceptro & radiata corona, quæ alias & ipſa inter ornamenta Jovis. Apulejus poſuiſſe pro inſignibus videtur. Agit enim de pompa Iſidis, & poſt illa verba, Salmaſio laudata: *Antiſtites ſacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem ad uſque veſtigia ſtrictim injecti, potentiſſimorum deum præferebant inſignes exuvias*: Subdit, primum geſtaſſe lucernam, ſecundum altaria, tertium palmam, & caduceum &c. quæ omnia non tam veſtes ornamentaque, quam inſignia, quibus hic illeve deorum denotatur. Quare dubium, quid Sinnius cenſuerit ſuper thenſas poſitum fuiſſe; num veſtes an inſignia, an potius iſta omnia una cum ſimulachris ipſis. Id quod mihi quidem vero maxime videtur conſentaneum, qui exiſtimo, voluiſſe nominatim memorare exuvias, quo conſtaret, ita ſimulachra fuiſſe ornata veſtibus, & inſignia habuiſſe ſua, Jovem fulmen, Saturnum falcem, Neptunum tridentem, atque ſic deinceps. Nam de ſimulachris quidem nimis clare ex Servio cognoſcimus. Firmatque Dio lib. LXXVIII. ubi in Circenſi pompa verbis expreſſis ſimulachrum Martis nominat. Ἐν δὲ δὴ τῇ Ῥώμῃ ἱπποδρομίας γενομένης, κατέπεσε τὸ τοῦ Ἄρεος ἄγαλμα πομπεῦον. Vertunt: *Præterea Romæ factis ludis Circenſibus ſimulachrum Martis, quod erat habitu triumphali decidit*. Sed πομπεῦον, non ſignificat, *quod erat habitu triumphali*. Quare alii ſic maluerunt, *ſignum Martis in ſolenni pompa decidit*. At ne ſic quidem Græci mentem ſatis explicarunt. Nam πομπεύειν hic, *quod in pompa incedit*, vehiculo nimirum ſuo inſiſtens, quod hic intelligere aliud non poſſumus, quam thenſam. In thenſa igitur fuit τὸ τοῦ Ἄρεος ἄγαλμα, quod non de inſignibus ipſius nudis veſtibuſve, verum ſimulachro Martis oportere accipi manifeſtum eſt. Porro ſimulachra iſta cenſet Schottus conſtituta in quibuſdam foraminibus, quæ in medio tenſarum fuerint excavata. Verba ejus hæc ſunt, loco antea laudato: *Unaquæque thenſa foramen in medio habebat, ad vinciendum impoſitas imagines, quod ex Varrone lib. VI. de Lingua Lat. colligo*. Quod ſe dicit colligere ex Varrone, hoc intelligi non poteſt de eo, ſicut vulgo ſeſe habet. Verba hæc ſunt: *Terræ medium non hoc, ſed quod vocant Delphis in æde foramen, adlatum eſt quiddam, ut theſauri ſpeciem, quod Græce ὀμφαλὸν, umbilicum dixerunt*. In his verbis nulla thenſæ mentio, aut foraminis in ejus medio. Quare quod de ea tradit, illud hauſit ex Varrone, ubi eum emendandum. Scaliger putavit. Verba ita habent: *Eſt, inquit Varro, foramen ſimile tenſario foramini, quod Græci vocant ὀμφαλὸν*. Homerus:

——— Ζυγὸν ὀμφαλόεντα.

Enarrant Grammatici: ὀμφαλόεντα, ὀμφαλοὺς ἔχοντα. ὀμφαλοὺς δὲ λέγουσι τοὺς ἐν τῷ ζυγῷ κρίκους, ἐφ᾽ ὧν αἱ ἡνίαι δέδενται. *Eſt ergo illud foramen tæniis utrinque vinctum, quemadmodum, & tenſarum umbilici, in quas inſeruntur funes illi, quibus utrinque ad latus vinciuntur equi funales*. Liquet ex his verbis, cur foramen Schottus fecerit in thenſa, illiuſque medio, nempe quia in Varrone nominatur *terræ medium*, quia ὀμφαλὸς vocatur, item, ut vult Scaliger, *tenſarium*. At vero Scaliger nil de ſimulachris deorum ibi, verum equos funales dicit ad tenſaria religatos. Quanquam de hoc ipſo poſſit dubitari, cum ſint ὀμφαλοὶ, quos Latine ipſe dicit nominari *tenſaria*, non in tenſa, nec vehiculo, ſed jugo, denotentque foramina, per quæ habenæ trajiciuntur, ſi eſt fides aliqua Græcorum magiſtrorum, quorum verba laudat. Quicquid ſit, hoc ſaltem liquet, nullo niti argumento, quæ de illo foramine, revinctiſque ad id ſimulachris Schottus tradit. Cum præſertim conſtet ex laudatis ſupra verbis Dionis, ſimulachra illa potuiſſe a thenſis delabi. Κατέπεσε τὸ τοῦ Ἄρεος ἄγαλμα inquit Dio ſive Xiphilinus lib. LXXVIII. *Decidit ſimulachrum Martis*. Si decidit, qui ſtare potuit in eo foramine, qui ad id potuit eſſe revinctum? Potius hinc colligas, ſtetiſſe nude. Niſi malumus repoſita fuiſſe in quibuſdam quaſi thronis. Sane in Philoxeni Gloſſario reperias, *Thenſa*, θρόνος. Cur autem thenſa, quæ fuit vehiculum, ut ſuperius oſtendi, θρόνος, ſive thronus, ſi non fuit in ea inſtar throni? Quanquam vix exiſtimem, perpetuum hoc fuiſſe, cum præſertim apud Athenæum videam in thenſis Ptolomæi ſtetiſſe nudis ac ſimplicibus. Vehebantur autem ad hunc modum ſimulachra deorum, qui majorum gentium ſunt dicti, Jovis, Junonis, Neptuni, Minervæ, ac reliquorum. Id quod poſt alios oſtendit & Suetonius, quando in Veſpaſiano cap. 5. nominatim *thenſam Jovis* memorat. *Thenſam Martis* habemus apud Dionem in verbis ſuperius allatis. Ὀχὸς τῆς Ἀθηνᾶς hoc eſt, *thenſa Minervæ* legitur apud eundem lib. XLVII. e quibus licet etiam de reliquis colligere. At ſequentibus temporibus, quod peculiare quondam diis fuit, communicatum eſt cum Cæſaribus: nam & ipſis poſt obitum decretæ thenſæ, quibus veheretur imago ipſorum in pompa Circenſi. Primus, cui hic honor eſt tributus, Julius fuit, qui obtinuit etiam vivus per adulationem. Suet. Julio cap. 76. *Sed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt: Sedem auream in curia & pro tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompa*. Quin imo non in Circenſi pompa ſolum, ſed & alias videri poſſunt uſi thenſis Imperatores, quando ſic de iis Pacatus noſter capit. 21. *Quin ſi quando in lucem venire, & diem ferre potuiſſent, lecticis thenſiſque ſubvecti, ſenſim atque ad numerum movebantur*. Sed quum nemo alius de thenſis ſic adhibitis teſtetur, magis eſt, ut invidiæ faciendæ cauſſa credamus Pacatum appellaſ-

ſe

ſe thenſam quodlibet aliud magnificum vehiculum. Interim hinc illud colligas, proceſſiſſe thenſas illas lente ac ſenſim in pompa. Nec fortaſſis aliter debebant, propter impoſita illa ſimulachra. Sed & qui regebant equos, ſuas habuerunt leges, uti ex Plutarcho ſcimus, quas obſervare tenebantur, imprimis, ne manu læva caperent fræna. Dicit enim in Coriolani vita, fuiſſe nefas, & reſtaurari pompam debuiſſe, τοῦ ἡνιόχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος, *ſi auriga frænos manu ſiniſtra arripuiſſet*. Sic, qui tangebat lora puer, ſi ea omiſiſſet, in religionem peccabat. Nam inter ea, quibus religio violetur, Cicero memorat, *ſi puer ille patrimus & matrimus terram non tenuit, aut tenſam aut lorum omiſit*, in de Aruſp. Reſponſis. Quod & Arnobius afferit, piaculumque committi, *ſi patrimus ille, qui vocatur puer, omiſit per ignorantiam lorum*, lib. IV. ait. Ad poſtremum erant, qui has thenſas deducerent, viri in dignitate magna conſtituti, Senatores ac id genus, quod ex Livio apparet, quando ait lib. V. cap. 41. de Senatoribus aliiſque capta a Gallis urbe: *Quæ auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus triumphantibuſque, ea veſtiti ſedere.* Ubi *thenſas ducere* ſignificat *deducere*, ita enim alii ſolenniter de hoc negotio loquebantur, & a *ducere thenſas* diſtinguebant. *Ducere* dicebant eos, qui tracto fune promovebant, at *deducere*, qui honoris ac officii cauſſa proſequebantur, id quod Senatoribus & triumphalibus viris erat uſitatum. Erantque hi pulcherrime veſtiti, ſicut Livius oſtendit, hoc eſt, togas habebant palmatas, & in capite coronas, ut declarat libro de Corona Militis Tertullianus. *Præferuntur*, ait, *illis betruſcæ. Hoc vocabulum eſt coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem inſignes ad deducendas thenſas cum palmatis togis ſumunt.* Vides, hic ornatos togis palmatis, & coronis querceis ex auro, neque *ducere* thenſas, ſed *deducere*. Ipſi hoc interdum faciebant Principes: Quomodo de Auguſto teſtatur Suetonius cap. 43. *Accidit votivis Circenſibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thenſas deduceret.* Dicit *cubans*, quo id plane manifeſtum fit, quod dixi, non videlicet traxiſſe hos, aut vehiculis ipſis admoviſſe manus, ſed ea comitatos eſſe, cultus honoriſque gratia. Certe alias non potuiſſet cubans deducere, quod feciſſe tamen Suetonius teſtatur. Quin imo videntur ſinguli fuiſſe deſtinati ſingulis. Idem etenim Suetonius in Flavio cap. 5. *Nero diebus ultimis monitus per quietem, ut thenſam Jovis Opt. Max. e ſacrario in domum Veſpaſiani & in Circum deduceret.* Jubetur Nero hic deducere thenſam Jovis unius, id eſt, Capitis ac Principis Deorum reliquorum, ipſe Princeps atque Imperator. Quod non erat conveniens, ſi non ſinguli ſingulas deduxere. Deducebantur autem thenſæ quælibet e ſacrario, ut Suetonius oſtendit, id eſt, loco peculiari, ad cujuſque Dei templum, ubi, cum cætera ſupellectile ſacra, thenſa quoque cujuslibet ſolebat ſervari. Et deducebantur in Circum ad pulvinar. Sinnius apud Feſtum: *Thenſa vehiculum, quo exuviæ Deorum ludis Circenſibus in Circum ad pulvinar vehuntur.* Fuit autem pulvinar locus peculiaris in Circo, ubi ſic deductæ Deorum imagines ſolebant in paratis ad id lectis reponi. Sic exponit Caſaubonus ad Suetonii Auguſtum cap. 45. ubi de Auguſto: *E pulvinari ſpectavit, hoc eſt, ex Circi loco, ubi ſimulachra Deorum magna pompa inferri & circum metas geſtari ſolita collocabantur.* Putatque locum eum fuiſſe ad Euripum, primamque frontem ſpectaculorum nominaſſe Auguſtum ipſum in epiſtola ad Liviam. E pulvinari ludis finitis reducebantur iterum ad ſacrarium quælibet ſuum, unde intelligimus, alias ſtetiſſe ibi, ac ſervatas eſſe. Dio lib. XLVII. Ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ὄχος πρὸς τὸ Καπιτώλιον ἐξ ἱπποδρομίας τινὸς ἐπανιὼν, συνετρίβη. *Thenſa Minervæ ex Circo in Capitolium cum eſſet reducenda, confracta eſt.* Dicit *reduſſe* in Capitolium, unde conſtat, thenſam Minervæ in ſacrario Capitolii ſtetiſſe, indeque ad pulvinaria ludis Circenſibus deduci conſueviſſe. Ac hæ quidem thenſæ, a quibus ſunt, qui dictos putant *Nomenclatores thenſarum*, quos exponunt eos, qui pompam diſponebant. Ita Schottus pluribus, qui pro ſe adducit veterem inſcriptionem, in qua fiat mentio Nomenclatoris hujus. Ea talis eſt:

SOLI INVICTO
SACRUM.
T. POMPONIUS
REPENTINUS,
NOMENCLATOR
TENSAR. JUGARIS,
S. D. D. D.
DEDIC. XV. K. JUL.
MARULLO ET ÆLIANO COSS.
OB DEDIC. SPORTULAS,
DEDIT. SINGUL. II.

At vero Argolus ad Onuphrium ex inſcriptione eadem miniſtros quoſdam ſacros ait appellatos *thenſarios*. *Ab officio*, inquit, *miniſtri ſacri thenſarii dicti ſunt.* Verum ego valde dubito, an ad thenſas ſpectet hæc inſcriptio. Primum enim abeſt ſpiritus, quem appoſuiſſe tamen veteres, & apponi oportere ex ſuperioribus cognovimus. Deinde, ſi cum Schotto legimus *Nomenclator tenſarum*, quo pertineat *jugaris*, quod ſubjicitur, haud liquet. Sed & ſi cum Argolo malumus *tenſarius*, quid velit illud *jugaris*, minime cognoſcitur. Quare mihi alius videtur, de quo agitur inſcriptione iſta: Is nimirum, qui in Circo jungere ad currus equos ſolebat, eiſque imponere fræna. Hos enim *tenſarios* vocaſſe diſcimus ex Accio, cujus verba ex Paride ſervavit nobis Nonius cap. 3. voce *frænos*, & ſunt iſta: *Fræna tenſarii equorum accommodant.* Talis tenſarius recte vocatur *jugaris* a *jugo*, quia fræna jugis immittit. Habebant enim, uti ſupra docui, juga quædam foramina, Græcis ὀμφαλοὺς vocata, Latinis *tenſaria*, per quæ fræna tranſmittebantur, ne turbari poſſent, aut defluere, ſicut hodieque fit in jugis ruſticorum hic per Sueciam, quorum loco alii annulos a lateribus adjungere maluerunt. Qui ſic tranſmittebant, & alias imponebant fræna, dicebantur ea *accommodare*, erantque hi inter ſolennia Circi miniſteria, & *tenſarii* nuncupabantur a *tenſario* foramine, & tendendo fræna, unde & *tentores* ſunt, ut ex monumentis priſcis docet Onuphrius lib. I. de Lud. Circ. cap. 15. Quanquam ipſe perperam exponat eos, *qui veſtes certantium aurigarum tenebant*, quod recte Argolus notavit. Atque talis fuit Repentinus iſte, cujus mentio eſt in Inſcriptione propoſita, non miniſter ſacer thenſarum, quippe cujus miniſterium non dici poteſt ullum, ſed nec Nomenclator thenſarum, cum ſi fuit Nomenclator talis, qua-

lem Schottus memorat, is non thensarum, sed totius pompæ Nomenclator dici debuerit. Quod autem *tensarium* in Accio Scaliger ad Varronem putat dictum, ut aurigarium & essedarium, & sic eum, qui adjunctos thensis equos regit, intelligendum arbitratur, ideo placere nequit, quoniam a thensa esset non *tensarius* sine adspiratione, sed *thensarius*. Nam ubi aliter τὸ *thensa* scribitur, id fit errore quodam vitioque Scribarum recentiorum, non Auctorum culpa. Id quod judico & de loco Grotii, qui est v. 533.

Et tibi devotæ magnum pecuaria Cyrrhæ, Phœbe, decus, nostras agere in sacraria tensas.

Loquitur de sacrario Dianæ, in quod ducebatur thensa ejus ex pompa, ut superius ostendi. *Hortos templi* vocat Interpres vetus Juvenalis, Græci αὐλὼ, ut ostendit Ulitzius in libell. var. Lection. ad Calphurnii vers. 15. Liquet ergo cum adspiratione scribi oportere. Id quod & de loco Titinnii censendum, qui laudatur Turnebo lib. XXIV. Adv. cap. 29. atque ita scribitur: *Vende tensam atque mullos, sine eam pedibus grassari.* Sed opinione mea sic legendus est: *Vende thensam atque mulas, sine eam pedibus grassari.* Legunt *mulos* alii, sed *mulas* malo, quia crebrior earum usus in vehiculis, cum muli dorso potius gestarent, essentque clitellarii, sicut alibi monstravi. Et loquitur Titinnius de vehiculo muliebri, quod adjunctas mulas habuit. Dat, ut suspicor, consilium marito adversus conjugem elati atque impotentis animi. Subtrahe, inquit, illi, quæcunque alunt superbiam ipsius, vende thensam & mulas, quibus gloriatur, & sine ipsam incedere pedibus: Hoc enim est *grassari*, gradum facere, ambulare. Observat alias Turnebus ex his verbis, thensas dicta interdum vehicula non sacra. *Tensas*, ait, *sacra vehicula interpretantur, sed eo verbo etiam profana veniunt & censentur.* Subdit postea Titinnii locum. Quanquam thensas dicta vehicula profana mihi quidem non ex hoc magis loco, quam Pacati, qui a nobis est allatus in superioribus, videatur liquere. Nec enim Titinnius sic vocat sua voce, verum figurate, atque ad invidiam, quæ *carpenta* dici debuerunt. Id quod ex contextu toto, quem monstravi paulo ante, satis manifestum est. Verba integra leguntur apud Nonium in vocabulo *grassari. Vende thensam atque mulas, sine eam pedibus grassari, configere ejus superbiam.* Ita puto legenda. Non est, ait, opus verbis multis, ac inanibus querelis, quibus nil efficies. Re ipsa confige superbiam illius, vendito vehiculo, quo velut dea incedit in thensa. Vulgati habent *cum fingere*, nullo prorsus sensu. At *configere superbiam re* eleganter, ut *configere hostem talis*. Sic *confixum sententiis* habet Cicero in Philipp. *Diffidebant enim Servio. Meminerant ejus sententiis confixum Antonium* &c. Atque ita alii, ut vix putem dubitandum.

CAP. XXV.

De Pilento.

Pilentum. Vossius rejicitur. Tuscum vehiculum, non est carpentum, nec esseda, nec petorritum, aut carrus, aut arcera. Rotas habuit quatuor, Isidorus emendatur. Petorritum contectum, quid. Servius corrigitur. Cisia tecta. Pilentum fuit tectum. Macrobius exponitur. Fuit apertum a latere, molle, pensile, pictum veneto vel russo colore. Isidorus emendatur. Corrasius notatur. Servius exponitur. Fuit vehiculum matronarum, nec concessum meretricibus aut impudicis. Usurpatum ad sacra ludosque. Trebellius explicatur & Virgilius. Sacra ducere, ferre. Matronæ deducebant sacra. Turnebus notatur & Pomponius Sabinus. Pilenta etiam in non sacris negotiis. Claudianus aliter, ac a Barthio factum, explicatus.

Ad pilentum venio, quod sic dictum censet Vossius, quasi fuerit bene piletum & compactum. Sed non video, cur reliqua minus esse compacta debuerint vehicula. Requirit quodlibet structuram suam, eamque firmam, compactam, & durabilem, si modo iis usibus servire debet, quibus vulgo vehicula consueverunt. Mallem credere pilentum ita dictum, quod haberet tectum superne semirotundum pilei instar, vel quod opertum esset πίλοις, hoc est coactilibus e lana. Græci quomodo vocarint, nusquam reperi. Onomasticon vetus Argentoratense reddit ὄλκημα μετέωρον, sed est ea potius descriptio, quam vera vocis versio, cum non omne ὄχημα μετέωρον latinis sit pilentum, ut apparet vel ex iis, quæ superius de carpento scripsi. Nec fortassis mirum, ejus nullum apud Græcos inveniri nomen, cum Tuscum fuerit vehiculum. Ita observavit Scaliger ad Catalecta ex versu Varronis, in quo mentio pilentorum. Verba ista sunt: *Pilentum Tuscorum vehiculum. Apud Nonium dictione Carrum, ita legito: Varro ἀεὶ λιβυν..*

Gallica petorita, carros, arcerras, Tusca pilenta.

Differebant porro hæc pilenta a carpentis, quod jam alibi ostendi, item ab essedis petorritisque, quod testatur Horatius II. ep. I. carris quoque ac arceris, ut ex apposito Varronis versu noscitur. Formam ita tradit Isidorus lib. XX. cap. 12. *Pilentum vel petoritum, contextum quatuor rotarum vehiculum, quibus matronæ olim utebantur.* Ostendit, rotas pilentum habuisse quatuor, id quod primum debet observari. Sed quid est, quod pilentum facit petorritum? Varro enim & Horatius distingunt. Aut quomodo cohærent, *vehiculum contextum quatuor rotarum?* Mihi prave scripta hæc videntur, atque sic legenda: *Pilentum, vel petorritum contectum, quatuor rotarum vehiculum.* Pilentum vult ab aliquibus *petorritum contectum* appellari solitum. Nempe duplicia faciebant petorrita, quædam aperta, quæ vulgaria erant, ubi suo dicam loco, quædam contecta, quæ voce propria nuncupabant *pilenta*. Liquet autem, quoniam petorrita *contecta* vocavere, fuisse vehicula non aperta, verum tecta, quod est alterum ex verbis Isidori observandum. Videturque idem confirmare Servius, si verba ejus

recte legantur, quæ nunc ita habent ad Virgilii VIII. Æn. v. 666.

*Quidam pilenta læta occisia * sed vulgo dicta tradunt.*

Mire hæc corrupta sunt, & ideo notata asterisco, quasi essent mutila. Ego ita puto emendanda:

Quidam pilenta, tecta cisia sed vulgo dicta tradunt.

B Nempe sicuti pilenta, *petorrita tecta*, pariter eadem & *cisia tecta* vocarunt, quia cisiorum quorundam & petoritorum non magna fuit differentia. Sed observa, fuisse illam vulgi tantum consuetudinem. Qui loquebantur proprie accurateque, suum proprium pilento dabant nomen. Quod tamen vulgo tectum cisium, quia superne, fuit constratum, de cætero non multum a cisio vel petorrito diversum. Pilentum igitur inter contecta constrataque est vehicula, si Servio & Isidoro credimus. Contrarium ostendere Macrobius videtur quando habet ita I. Sat. cap. 6. ex Verrio Flacco: *Evenisse, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset.* Nam si conspicere puer de superiori loco potuit sacra disposita in pilenti arca, qui pilentum esse potuit contectum? Sed existimo pilentum ibi dici admodum improprie vehiculum, quo feruntur sacra. Certe alias sunt *plaustra* hæc vehicula. Sic enim appellat Servius, ubi agit de sacris Cereris ad Virgilii Georg. I. *Romæ quoque*, ait, *sacra hujus (Cereris) de plaustro vehi consueverunt.* Et pilentum proprie ad mulieres spectabat, non gestationem rerum sacrarum, ut in sequentibus monstrabitur. Quanquam autem fuerit vehiculum contectum, tamen a lateribus patebat. Inde vecta eo cernitur Vestalis, & conspiciendam sese præbet apud Prudentium lib. II. contra Symmachum v. 1085.

Interea, dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis urbi.

Quæ se spectabilem ore retecto imputat urbi, utique conspiciendam præbet aliis, & ab iisdem potest cerni. At hoc nequit fieri in pilento undiquaque clauso. Igitur apparet, saltem a lateribus fuisse apertum. Docet autem amplius Prudentius, vehiculum extitisse delicatum ac molle. Idem firmat etiam Virgil. Æneid. VIII. ubi ait:

Pilentis matres in mollibus ———

Servius hoc existimat ex eo dictum, quod essent pilenta pensilia. Ita namque habet: *Mollibus, pensilibus, ut molle feretrum, & oscilla mollia.* Ac profecto pensilia fuisse colligimus etiam ex Onomastico Argentoratensi, in quo *pilentum* exponitur μετέωρον ὄχημα, quod jam supra notavi. Est autem μετέωρον, *pensile*, hoc est quod suspensum pendet. Glossæ veteres: Μετέωρος, ὁ κρεμάμενος. *Suspensus.* Solebat insuper pilentum ornari colore ac pingi, primis quidem temporibus veneto colore, postea russato. Servius ad lib. VIII. Æn. loco antea laudato: *Pilenta sunt vehicula sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc*

A *veneti coloris, non ut nunc sunt, russati.* Isidorus lib. XX. cap. 12. *Erant antea pilenta veneti coloris, non ut nunc sunt, russati.* Sic legendum & re ipsa teste, & auctore Servio, unde sua sine dubio Isidorus hausit, non ut habet meus liber *ut tunc sunt*. Quando Servius pilentum ait esse, *sicut nunc basternas videmus*, non hoc vult, pilenta istiusmodi fuisse vehicula, qualia basternæ, quod censuisse, ac fortassis ex hoc Servii loco collegisse Corrasium observamus. Ita namque ait lib. III. Miscell. cap. 20. *Pilentum matronarum vehiculum fuit, quo matronæ castæ ferebantur: quas postea basternas dixere.* Verum ea Servii est mens, fuisse quondam illum usum pilentorum apud matronas, qualis extitit deinde basternarum. Basternas in locum pilentorum successisse. Nam alias basternæ gerebantur a jumentis, neque rotas habuere ullas, ubi demonstravimus, cum de iis ageremus. At pilenta incessere rotis, sicut ex prædictis liquet, atque ideo nec gestabantur, verum trahebantur. Trahebantur autem a mulabus, ut opinor, quando aliis plerisque istiusmodi vehiculis adjunctæ sunt. Usus pilentorum fuit ad vehendas matronas. Festus: *Pilentum vehiculi genus, quo matronæ ferebantur.* C Matronarum porro voce pudicas castasque intelligimus. Servius clarissime: *Pilenta sunt vehicula, quibus nisi castæ matronæ uti non poterant.* Itaque pilenta non concessa erant illis, quæ quocunque modo prostituissent pudorem, eoque nomine fuissent notatæ. Unde & Virgilius supra indicato loco:

——— *Castæ ducebant sacra per urbem*
Pilentis matres in mollibus ———

Etsi vero proprie pertinerent ad matronas, tamen usus earum etiam virginibus Vestalibus concessus D fuit, ut Prudentius nos docet in allatis supra verbis: Nempe jura eis omnia tributa, quæ matronis, quod ostendi loco alio. Ideo & ipsæ pilentis vehebantur. Solebant autem his pilentis uti ad sacra ludosque, qua de re testatur Livius lib V. cap. 25. ubi loquitur de auro a matronis in ærarium delato, atque subdit: *Grata ea res, ut quæ maxime, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque uterentur.* Hinc auctoritas dignatioque pilentorum magna, sic, ut præferrentur carpentis, quippe quorum usus fuit ad negotia non sacra, atque sic vulgatior ac quotidianus pæ- E ne. Trebellius de Zenobia: *Usa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius.* Cur raro pilento? Quia fuit vehiculum pæne sacrum, sacris certe negotiis proprie destinatum. Nisi credere velimus, etiam ideo hoc factum a Zenobia, quod vehiculum esset molle delicatumque, ipsa vero patientiam laborum pæne ultra modum muliebrem vellet ostentare, quod quidem mihi propius abesse a sententia Trebellii, cæterisque loci ejus magis convenire videtur. Quicquid sit, pilentum æstimatissimum ex illo genere fuisse, quo mulieres sunt usæ, observarunt alii quoque, & Lampri- F dius, ubi recenset decreta mulierum, in vita Heliogabali primo loco ponit. At enim constitutum, *quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum*, tanquam antecederent pilenta cætera cuncta genera. Hinc & Casaubonus: *Separat pilentum a carpento: Nam illud fuit honoratius.* Sed cum usæ pilentis sint matronæ ad sacra, quæri potest, qualis usus ille fuerit. Videtur hoc ostendere Virgilius, quando ait:

— *Ducebant sacra per urbem.*

At hic rursum quæras, quid sit *sacra ducere.* Servius, ubi hæc exponere debebat, nihil habet aliud, quam illud: *Ducebant, deducebant; Hæc enim fuerat consuetudo.* Verum valde sunt obscura ista. Clarius aliquanto Turnebus lib. II. Advers. cap. 14. *Matronæ honestæ apud Romanos in publicis sacris vehiculis vehebantur, in quibus sacra ferebant, quo respexit Maro.* Putat dictas sacra ducere, quæ ferebant ea. Igitur sic ait paulo ante: *Ducere sacra & ferre sacra dicuntur, qui res sacras, & quæ ad sacra utilia sunt, remque divinam, ferunt.* Sed non sine caussa dubites, an *ferre sacra* idem sit & *ducere*, saltem, an per *sacra ducere* Virgilius intellexerit *ferre.* Cur enim per *deducere* Servius maluit explicare, quam per *ferre?* Certe plurimum inter se diversa sunt *ferre sacra*, & *deducere:* Ferunt sacra, qui portant; Deducunt, qui portantes comitantur. De priori exemplum habemus apud Apulejum lib. XI. Met. ubi ait: *Ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis.* De posteriori constat ex iis, quæ in capite præcedenti docui. Quare, si audimus Servium, sacra non tulerunt. Et qui potuerint? Ferre sacra non concessum fuit omnibus matronis, verum iis tantum, quæ initiatæ fuerunt. Ipse Turnebus lib. XI. Advers. cap. 6. locum Virgilii superiorem altera exponens vice: *Matresfamilias intelligit, quæ sacerdotiis præerant.* At vero pilentis utebantur promiscue omnes matronæ ad sacra, sicuti ex Livio cognoscimus. Quare usus ille pertinere non potuit eo, ut sacra illis ferrent. Potius deducebant ea, sicut ait Servius, hoc est, pilentis suis impositæ pietatis & officii causa prosequebantur. Quomodo & viri deduxisse thensas leguntur, & propositum a nobis est in superioribus. Atque hæc, opinor, consuetudo est, quam tangit Servius. Solebant matronæ honestiores, etiam quæ nullis præerant sacerdotiis, cum in pompa incederent thensæ, currus, carpenta Deorum Heroumve, ea prosequi officii ac pietatis gratia. Hoc Servius *deducere sacra*, Virgilius simpliciter *ducere* vocavit, plane sicut Livius *thensas ducere* pro *deducere* usurpavit, quod est supra annotatum. Neque aliter dicebatur *ducere triumphum*, aut *ducere funus.* Pedo Albinovanus:

Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis.

Sic igitur pilentis suis sacra ducebant matronæ, eæque castæ omnes, non privatim illæ, quæ sacris præerant, quod Turnebus putavit. Hæc sacra publica, quorum caussa concessum matronis vehiculo incedere, ut testatur Livius lib. XXXIV. cap. I. ubi cautum scribit lege Oppia fuisse, *ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur.* Pomponius Sabinus accepit de sacrificiis promiscue. *Ex antiqua consuetudine*, inquit, *in Latio, quotiens matronæ sacrificabant vel Carmentæ, vel Cereri, vehebantur pilentis.* Verum haud persuadet. Non sacrificia nominant scriptores, sed sacra, eaque publica ludosque, quales ludi & ipsi sacri appellati, ut circenses, & id genus. Quanquam vero non adhibita initio pilenta, nisi ad sacra ludosque, circi præsertim ac theatri, tamen postea videtur ampliatus is eorum usus ita, ut & aliis in celebrioribus negotiis matronæ adhiberent. Horatius profecto memorat inter ea ve-

A hicula, quibus properaverint ad cernendam pompam triumphalem. Versus extant lib. II. epist. I.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Agit de studio spectandi res inanes etiam & ineptas. B Inde dicit festinare pilenta, & matronas intelligit, qui ad ejusmodi spectacula pilentis properabant. Apud Claudianum pilentis matronæ utuntur in nuptiis. Sic enim habet in de Nuptiis Honorii & Mariæ v. 285.

Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum — —.

Barthius hunc locum sic exponit: *Currus sacros dicit, destinatos transvehendæ sponsæ, qualibus Antistitæ tantum utebantur olim. Antiquitus vero* C *novæ nuptæ pedibus procedebant ductæ a patrimis matrimisque pueris. Qui adeo obliteratus postmodum est mos, ut speciatim nuptialia carpenta commemorentur.* Mihi aliter intelligendus videtur. Nam pilentis primum non sunt usæ antistites *tantum.* Sed in universum omnes matronæ, quæ vellent, uti supra docui. Hinc non antistitum, sed matronarum vehicula exponuntur. Scholiastes vetus Horatii a Cruquio editus: *Pilenta, vehicula matronarum, sicut petorrita famularum.* Quare nec respectu isto dici possunt sacra. Imo ne quidem sacra dicta sunt Horatio, sed simpliciter pilenta. Sacram vocavit nurum, id est D sponsam, Imperatoriam, non pilenta. Quæ quoniam in plurali nominat, liquet non intelligenda de pilento eo solo, quod destinabatur transvehendæ sponsæ, verum pluribus aliis. Nempe aderant ad sponsæ januam plures matronæ cum pilentis suis, interque illas ipsa mater Honorii, ut domum ducerent ac officii caussa prosequerentur sponsam Imperatoriam. Hæc est *pompa*, quam hic Claudianus vocat. Hæc *pilenta ductura*, id est deductura, & honoris gratia profecutura *nurum* id est sponsam. Quam hic *nurum* appellat in respectu ad Honorii matrem, quæ ipsa præsens excipiebat eam, secumque pompa ista nu- E ptiali ac in comitatu honestissimarum matronarum cum pilentis suis euntium, ad filium deducere parabat. Est enim nurus, uxor filii, quomodo vocari sponsa Honorii, nisi ab Honorii matre, vel in respectu ad matrem ipsius utique non potuit. Liquet autem ex his omnibus, quod ajebam ab initio, fuisse receptum postea matronis, ut pilentis veherentur non in sacris modo publicis, sed & pompa nuptiali. Quin imo non matronæ solum, sed & sponsa ipsa vecta pilento videtur ex hoc Claudiani loco. Nec fortasse aliter intelligendum *nuptiale carpentum*, quod a Barthio vo- F catur. De quo certius constaret nobis, si adferre locum, unde hausit, voluisset.

CAP. XXVI.

De Petorrito.

Petorritum, cujus generis vocabulum. Vossii sententia examinatur. Scaliger rejicitur. Rotas habuit quatuor. Onomasticon Argentoratense exponitur. Fuit apertum. Junctas habuit mulas. Ausonius emendatur & explicatur. Vectores in eo simul sunt aurigæ. Vehiculum virorum fuit, præsertim humilioris sortis ac famulitiorum. Ornatum plumbo. Usus ad itinera. Celeriter incedebant. Etiam in urbe habebantur.

PEtorriti vocabulum nonnulli simplici scribunt littera, quidam geminata. Simplici litera scriptum leges apud Fabium in optimis editionibus, etiam nuperrima Gronovii, viri summi. Similiter in omnibus Horatii libris II. ep. I. Sic est scriptum. At vero geminata exhibet Ausonius epist. 8. & 14. Gellii quoque libri quidam, ex Varrone. Caussa diversitatis non est alia, opinione mea, quam quod veteres de vocabuli origine non convenirent. Quidam enim Græcum dicebant esse, alii Gallicum. Gellius lib. XV. cap. 30. *Cum quæreretur, petorritum quali forma vehiculum, cujatisque linguæ vocabulum esset, & faciem vehiculi ementitus est longe aliam falsamque, & vocabulum Græcum esse dixit: atque id significare volucres rotas interpretatus est; commutataque una litera, petorritum esse dictum volebat, quasi petorrotum. Scriptum etiam hoc esse a Valerio Probo contendit.* Habes ecce aliquem, qui putabat vocem esse Græcam, a verbo πέταμαι vel πέτομαι, quod *volare* significat, & Latino *rota* derivatam. Alia non a πέτομαι putabant deducendam, verum πέτορες, quod Æoliis est τέσσαρες, hoc est *quatuor*, quoniam hoc numero haberet rotas. Festus: *Petoritum dictum existimant a numero quatuor rotarum, alii Osce, quod ii quoque petora quatuor vocent, alii Græce, sed αἰολικῶς.* Quando ait αἰολικῶς, id ipsum innuit, quod dixi. At vero Gallicæ originis putavit Varro, cui adstipulatus est & Gellius. Ita namque pergit post superiora. *Ego cum Probi multos admodum commentationum libros inquisiverim, neque scriptum in his inveni, nec usquam alioquin Probum scripsisse credo. Petorritum enim est non ex Græco dimidiatum, sed totum trans Alpibus factum. Nam est vox Gallica. Id scriptum est in libro M. Varronis decimo quarto Rerum divinarum. Quo in loco Varro cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.* Cum Varrone Gellioque facit Fabius, qui sic habet lib. I. Inst. cap. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda ac petoritum.* Meminit & Festus licet ambigat, & sententias recenseat tantum aliorum. *Petoritum*, ait, *& Gallicum vehiculum esse, & nomen ejus dictum existimant a numero quatuor rotarum.* Tametsi vero alii Græcam, alii Gallicam putarint vocem, censet tamen Vossius, eos posse inter se conciliari. Ita namque ait in Etymologico: *Puto has sententias non difficulter conciliari, si dicamus, origine esse Græcum, Gallos vero accepisse a Massiliensibus, qui Græce loquebantur. Sic sagum, bulga, & alia tribuunt Gallis, quæ tamen illi acceperant a Græcis.* Puto tamen ego, aliam esse rationem sagi & bulgæ, aliam petorriti. Eas namque voces habent Græci, at petorriti non habent. Non enim ut est apud eos, Æolas præcipue, βολγὸς & σάγος, ita quoque est πετόρριτος. Itaque petorritum non est Græcæ originis, licet Galli ac Massilienses forte πέτορες pro τέσσαρες usurparint. Nam ab illo πέτορες Galli jam translato suam in linguam, & sic Gallica civitate donato fecerunt ipsi petorritum, de quo Græci nil sciverunt. Certe cum confirment omnes, Gallicum vehiculum esse, non tam Græcæ, quam Gallicæ originis vocabulum habendum. Festus: *Petorritum, Gallicum vehiculum existimant.* Scholiastes vetus Cruquii ad Horat. I. Sat. 6. *Petorritum genus est Gallici vehiculi.* Facit quidem Oscum Scaliger, sed sine caussa. Verba ejus sunt ad Catalecta: *Cisium proprium fuit (vehiculum) Galliæ Cisalpinæ, ut Petoritum Oscorum.* Respexisse credo Festum, cum hæc scriberet, quippe qui petorritum sic dictum ait aliquos putare *Osce, quod ii quoque petora quatuor vocent.* At Festum non appellat vehiculum Oscorum, nec si Osci *petora* usurparunt pro quatuor, ex eo necesse est, ut petorritum vocabulum sit Oscum. Habent linguæ omnes suam in non paucis vocibus convenientiam, nec ideo si ex Germanica voce, quæ cum Arabica convenit, deducta est alia, Arabicæ eam potius originis, quam Germanicæ dicemus. Jam si non vocabulum Oscorum, multo minus vehiculum erit. Atque subdit ipse paulo post versum etiam Varronis, ubi Gallicum vocatur, non Oscorum. Versus ita habet, ut emendat ipse Scaliger.

> *Gallica petorita, carros, arceras, Thusca pilenta.*

Quare non est dubium, quin petorritum non Græcum, neque Oscum, verum Gallicum vehiculum vocari debeat. Species illius nonnihil ex superioribus est cognita. Rotas enim constat habuisse quatuor. Festus aperte: *Nomen ejus dictum existimant a numero quatuor rotarum.* Discimus ex his verbis, errare Auctorem veteris Onomastici Argentoratensis, quando *petorritum* φορ-ῖον Græce vertit. Nam φορεῖον sella est, vel lectica, quæ rotis omnibus destituitur. Nisi putamus τὸ φορεῖον accepisse pro vehiculo quocunque denique vocemque Latinam specialem, reddidisse generali Græca. Videntur & petorrita fuisse sine tecto. Ideo enim *tecta petorrita*. Isidorus nominavit pilenta. Pilenta sane non fuere petorrita: Ideo nec tecta petorrita, quæ sunt eadem cum pilentis, petorrita communiter sic dicta. Ex quo sequitur, quod dixi, petorrita communiter vocata fuisse absque tecto aperta. Isidori verba: *Pilentum vel petoritum contectum, quatuor rotarum vehiculum.* Sic enim legenda esse verba ista dixi præcedenti capite. Quia petorritum vehiculum rotarum quatuor, sicuti pilentum, & tamen apertum, ideo pilentum, tectum petorritum vocarunt. Trahebantur petorrita a mulabus. Discimus ex Ausonio, quando ita habet ep. 8.

> *Cornipedes rapiant imposta petorrita mulæ.*

Hinc idem epist. 14.

> *Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi*
> *Canteri, moneo, male nota petorita vites:*
> *Nec celeris mulas ipse Metiscus agas.*

Sic existimo legenda ista esse. In editione Scaligeri, Lugduni apud Gryphium Anno MDLXXV. publicata, post verba primi versus, *acris equi*, punctum est, & *canteri* ad *petorrita* refertur. At *petorrita canteri* vel *canterii*, qua dicantur ratione, non intelligo: Nam, ut explicemus ea, quibus juncti sint canterii, nulla satis efficax est ra-

tio. Cum præsertim, quo pertineant celeres mulæ in versu sequenti, haud appareat. Quare manet mihi persuasum, verba esse ita distinguenda, sicut dixi, ut equus canterius cohæreant, & mulæ ad petorrita referantur. Quod si verum, discimus hoc amplius, ipsos sæpe, qui ejusmodi petorritis utebantur, sibi aurigas fuisse. Hoc enim vult versus ultimus, & ideo petorritum vitare Paulum jubet Ausonius. Nam Metiscus, qui auriga Turni fuit, de auriga quolibet hic usurpatur, infelici præcipue, cum Metiscus ille fuerit excussus curru. Virgilius lib. XII. Æn.

Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longe lapsum temone relinquit.

Neque alia est caussa, cur petorrita vocet *male nota*, quam quod Paulus aurigationis esset imperitus, quod tamen in petorrito requirebatur, si non semper, sæpe saltem atque plurimum. Pertinebant alias petorrita primum ad viros, quod ostendit hic Ausonii locus. Convenit & Horatius lib. I. Sat. 6. quando sibi, si esset opulentior, *ducenda petorrita* dicit. Versus hi sunt:

—— Uti ne solus rusve peregre-
ve exirem; Plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrita. ——

E quibus versibus simul observamus, fuisse petorrita ista opulentiorum. Quanquam forte non tam pertinuerint ad vehendos ipsos, quam ministros eorum comitesve. Certe unus pluribus petorritis per se non potest uti. At hic Horatius sibi uni, si esset opulentior, *ducenda petorrita* in plurali numero fatetur. Non igitur ad gestandum ipsum ita pertinere potuerunt, ut res alias, ministros credo supellectilemque. Atque sic opinor capiendum esse, quando Scholiastes vetus Horatii a Cruquio editus tribuit petorrita famulis. Verba ejus ad lib I. epist. 2. *Pilenta vehicula matronarum, sicut petorrita famulorum.* Non, inquam, solæ famulæ iis vehebantur, nam hoc satis revellas ex superioribus, sed & famulæ, sicut famuli. Quemadmodum viri honoratiores post se famulos trahebant in petorritis, eodem modo fœminæ ac matronæ honoratiores famulas. Neque tamen famularum famularumve tantummodo vehiculum fuit, sed & virorum privatorum aliorum, ut Ausonius testatur. Idcirco erant quoque non omnino rudia, sed & ornata, albo præsertim plumbo, sicut Plinius testatur lib. XXXIV. cap 17. Adhibebantur autem hæc petorrita potissimum, cum faciendum esset iter. Ideo Ausonius Axio Rhetori suadet ep. 8.

Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ:
Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

Rapiant, dicit, te nimirum Axium, sed pro eo ait *imposta petorita*. Ubi per *imposta* intelligo *adjuncta*, sive *juncta*. Nec enim petorrita sic proprie imponebantur jumentis vel mulabus, quod ex eo constat, quia rotis fuerunt instructa. Nam vehicula, quæ habebant rotas, trahebantur, non gestabantur; Et quoniam non gestabantur, ideo nec imponebantur, ut est manifestum. Porro, quando dicit, *rapiant*, petorrita ostendit vehicula fuisse cita & celeria. Propterea is ipse Ausonius dissuadet Paulo epist. 14. ut nec satis firmo, & per ætatem senilem concitationis ejus impatienti. Præmittit enim:

Sed tantum appropera, quantum pote, corpore & ævo
Ut salvum videam, sat cito te video.

Quibus verbis docet, petorrita non fuisse accommodata senioribus, & vel per ægritudinem infirmis, sed robustioribus solummodo valentibusque. Interim is ipse tamen locus ostendit, petorrita adhiberi solita, si quando faciendum esset iter, præsertim celeriter & cum festinatione. De itinere præter Ausonium testatur & Horatius lib. I. Sat. 6. Verba supra laudavimus, in quibus dicit aperte *ducenda petorita*, si rus peregreve diviti ac in dignitate publica constituto exeundum. Quanquam vero hic una cum Ausonio de itinere loquatur extra urbem, tamen & in urbe ipsa fuisse usurpata docet loco alio, qui est lib. II. ep. I. Ait enim, ad spectaculum triumphi una cum essedis & pilentis festinasse:

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

Jam vero notum, triumphos habitos non extra urbem, sed in ipsa Ergo & in urbe adhiberi solita petorrita. Et hæc quidem, quæ de isto genere apud veteres observavimus.

C A P. XXVII.

De Carruca.

Carruca. Καρῦχα. Carrocha. Carrochium. Καρύχιον. Rotas habet quatuor. Onomasticon Argentoratense explicatur. Est de genere rhedarum. Lampridius exponitur. Capsus. Est alta. Carracutium. Est ornata ære argentove. Meursius refutatur. Junctas habet mulas binas vel quaternas, quod posterius tamen carpentum potius appellabatur. Carrucæ proprie non sunt carpenta. Plinius explicatur. Est vehiculum Senatorum & honoratiorum, est & aliorum, sed sine ornamentis ex ære. Carrucæ fæminarum. Carruca dormitoria. Carrucæ commodato acceptæ. Carrucæ meritoriæ in publico.

CArrucæ mentionem, nescio, an quisquam ante Plinium fecerit. Sic autem ipse l. XXXIII. cap. II. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus*. Leguntur postea apud Suetonium & alios. Quidam non *carrucam*, sed cum adspiratione *carrucham* scribunt. Inde habes & apud Hesychium, καρῦχα ἅρμα. Vallesius in Notis ad Ammianum lib. XIV. ubi ipse edidit *carrucis*. *Editio Romana habet carruchis. Quam scripturam tuetur Hesychius & vetus Glossarium. In Pandectis Florentinis carrucha semper scribitur, quomodo etiam in hoc loco codicem suum habuisse, testis est Lindenbrogius*. Suspicor, interdum & *carrocham* seu *carrocam* appellasse, quoniam habemus *carrochium* apud Scriptores semibarbaros, sine dubio a *carrocha*. Et sunt fere litteræ permutabiles istæ. Sic enim dixere *totela* & *tutela*, *soper* & *super*, *servos* & *servus*, quod jam pridem Docti annotarunt. Nec fortassis alia est caussa, cur in Glossis sit καρύχιον, quod Latine est *carrochium*. Nomen suum unde habeat carruca, non omnino certum est, plerique tamen derivatam volunt a *carro*. Carrus sive carrum barbara est vox, opinione mea. Ita & carruca erit seu car-

rucha. Nec fortaſſis magna inter illa duo differentia, ſi vocem ſpectes. Nam & hodieque per Germaniam & vicinas regiones, quod in uno loco *Karre*, id in alio *Karcb*. De figura ſive ſpecie carrucæ hoc invenio, primum rotas habuiſſe quatuor. Corraſius lib. III. Miſc. cap. 20. *Carrus quadrirotum eſt, hoc eſt, quatuor rotarum, a quo fit carruca, quæ parvum currum ſignificat, totidem rotas habentem*. Similiter Valleſius ad Ammianum: *Eſt carrucha τετράκυκλον ὄχημα*. Ex Valleſio hauſit Jac. Gothofredus in Commentario ad lib. XIV. Cod. Theod. t. 12. leg. 1. ubi ait: *Carruca ſeu carrucha in genere erat τετράκυκλον ὄχημα*, id eſt, vehiculum cum rotis quatuor. At vero longe aliter reperias in Onomaſtico Argentoratenſi, quippe ubi legas ita: *Carruca, μονότροχος*. Eſt *μονότροχος* vehiculum unius rotæ, non quatuor. Itaque ſecundum hunc auctorem unam tantum rotam habuerit, neceſſe eſt. Verum, ſi carrucas veteres recte cogitamus, falſum hoc apparet. Qui enim vehiculum unius rotæ inſervire potuit iis uſibus, ad quos adhibitæ carrucæ? Sed fortaſſis ipſe per carrucam genus aliud intellexit, nempe quale aliquando & Germanis *Karcb* & per diminutionem *Karcble* dicitur, unde *Schubkarcb*, quod *μονότροχος* & cum rota una, ſicut alibi oſtendi. Nam carruca, qualis uſitata fuit apud veteres, haud dubie rotis pluribus inceſſit. Quare autem quatuor in ea memorent, ignoro, cum non viderim ex veteribus, qui diſertim hoc teſtetur. Et exiſtimo, veniſſe hancce in ſententiam, quia viderunt rhedam quoque nuncupari. Valleſius profecto ita habet: *Eſt autem carrucha τετράκυκλον ὄχημα, ſeu rheda*. Quoniam rheda, ideo *τετράκυκλον*, quia tale vehiculum eſt rheda. Sed de rheda poſtea. Carrucham rhedam dici colligit Valleſius ex Heſychio, quo legitur *ῥέδιον, καρούχων*. Item Gloſſis Græco-Latinis, quæ ſic habent: *Καρούχιον, rheda*. Addo ego Martialem, qui, cum lib. V. epigr. de Baſſo præmiſiſſet:

—— Plena Baſſus ibat in rheda:

ſubdit de eodem:

Nec feriatus ibat ante carrucam.

Atque ita, quod prius *rhedam* dixit, poſtea nominat *carrucam*. Videtur idem voluiſſe Lampridius in Alexandri Severi vita, cap. 43. ubi ait: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permiſit*. Non exiſtimo de diverſis agere Lampridium, quoniam honorati ac in dignitate eadem conſtituti non diverſis uti vehiculis ſolebant, ſed iiſdem. Igitur *τὸ &* non ſignificabit aliud, ſed idem, eritque loco *vel* adhibitum, & priorem dictionem explicabit. Quomodo Vopiſcus in Aureliano: *Vehiculo ſuo, & judiciali carpento*. Quanquam vero carrucæ per rhedas explicentur, tamen non omnino eaſdem eſſe puto rhedas & carrucas, ſed has arctiori ſenſu poni, iſtas, latiori; Carrucas omnes eſſe rhedas, non vice verſa rhedas omnes carrucas. Carrucarum ſane vox frequentius accipitur de vehiculo honoratiore, non ita rhedarum, ut ſequentia firmabunt. Cæterum, carruca videtur fuiſſe tecta. Iſidorus ſane memorat carrucam undique contectam, quam ait dictam *capſum*. Verba ejus: *Capſus, carruca undique contecta, quaſi capſa*. Sic ſcribendum arbitror, non *contexta*, quod in mea legitur editione. Quanquam autem dubitem de capſo, quippe quod hoc ſenſu alibi non reperiatur, tamen expoſitio demonſtrat, niſi fallor, fuiſſe carrucas aliquas undique contectas. Dico aliquas, quoniam, ſi fuiſſent omnes, peculiari voce capſos dici, minime neceſſe fuerat. Cenſebantur autem vel præcipue ab altitudine, quod colligimus ex Ammiano, qui Romanos ait hoc in laude gloriationeque poſuiſſe. Ita namque habet lib. XIV. *Alii ſummum decus in carrucis ſolito altioribus & ambitioſo veſtium cultu ponunt*. Qualis aut unde altitudo iſta fuerit, haud conſtat, niſi putamus, pertinere huc, quod legitur apud Iſidorum, & in Gloſſis Arabico-Latinis Vulcanii: *Carracutium, vehiculum altiſſimarum rotarum, quaſi carrum acutum*. Quod ait *quaſi carrum acutum* Iſidorus, ſine dubio ineptum eſt. Quid enim acutum ad rotarum altitudinem? Malim credere, carrucas quaſdam habuiſſe rotas altas prorſus, ut per hoc & ipſæ redderentur altiores. Eas deinde ad vulgarium differentiam *carracutia* vocatas. Præter altitudinem accedebant ornamenta varia. Primum quidem ex ære atque ebore, mox & argento. Vopiſcus in Aureliano cap. 46. *Dedit præterea poteſtatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuiſſent*. Quæ *carrucas* prius, ea mox *vehicula* appellat, voce ſpecialius accepta. Neque aliter intelligenda apud Lampridium vita Heliogabali, ubi ait: *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis*. Vehicula hic ſunt carrucæ, quas non argento tantum, ſed & auro gemmiſque cultas poſtea, hinc diſcimus. Ac æratæ quidem eborataæque carrucæ longo tempore fuerunt in uſu apud Romanos: Argentatæ vero cœpere Plinii temporibus. Ipſe lib. XXXIII. cap. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus*. Notandum eſt, quod *cælare* dicat, hoc enim oſtendit, non pictas bracteis argenteis fuiſſe, verum ſigillis ex argento ſolido diſtinctas, qua de re jam alibi eſt actum. Manſit genus hoc deinde longo tempore. Nam quod Meurſius ab Aureliano tactas putant argenteas, erroneum eſt. *Poſtea*, inquit in de Luxu Romano, c. 11. *argentea quoque fuerunt* (vehicula) *primuſque ea dedit Aurelianus, teſte Vopiſco*. Nihil tale Vopiſcus teſtatur, verum dediſſe ait poteſtatem habendi carrucas *argentatas*. Pari modo interpretor & Symmachum, quando ait lib. X. ep. 33. ad Theodoſium Imp. *Cum clementia veſtra meminiſſet, faciendæ carrucæ impendium de ſacro ærario eſſe decretum, cenſuit, ut ejus argentum publicis conditis redderetur*. Jungebantur autem carrucis muli, quod oſtendit Scævola l. 13. ff. de Auro, arg. *Quæſitum eſt, an carrucha dormitoria cum mulis, qua ſemper uxor uſa ſit, ei debeatur*. Non minus frequenter, imo frequentius fortaſſis mulæ. Paulus lib. III. Sen. t. 6. *Carruca cum junctura* (ſic recte Cujacius emendat, pro *jactura*, quod habet vulgo) *legata, mulæ quoque legatæ videntur*. Inde habes *mulam carrucariam* apud Ulpian. l. 38. ff. de Edil. Edicto. *Quæſitum eſt, ſi mula talis ſit, ut transjungi non poſſit, an ſana ſit: & ait Pomponius, ſanam eſſe, pleraſque denique carrucarias tales eſſe, ut non poſſint transjungi*. Quando ait, *pleraſque* oſtendit aperte, frequentem mularum in carrucis fuiſſe uſum. Numerus earum fuiſſe binarius videtur. Lex Cod. Theod. de Honoratorum vehiculis l. XIV. t. 12. *Omnes honorati ſeu civilium, ſeu militarium dignitatum, vehiculis dignitatis ſuæ, id eſt carrucis bijugis, intra urbem ſacratiſſimi nominis ſemper utantur*. Habes nominatim *bijugas* carrucas, id eſt cum duobus jumentis Hoc enim eſt *bijugum*, ut *curriculum bijuge* apud Sueton. in Caligula c. 19. Quanquam cum carrucas bijugas appellat nominatim, oſtendere videatur, quaſi fuerint & quadrijuges. Si enim omnes tales fuere, quid

necesse erat, ut adjiceretur? Quare credo, carrucas etiam quadrijugas habuisse. Sed fortassis illæ non tam crebro *carrucæ*, quam *carpenta* dictæ. Ita suspicor ex Symmacho, quoniam, quam prius appellavit carrucam, postea nuncupat carpentum. *Solutio*, inquit, *si carrucæ usus maneret, de thesauris Imperialibus jure peteretur. Sed num carpenti novitate summota, suum quisque deposcit.* Carruca de qua loquitur, est vehiculum Præfecti Urbis, proprieque carpentum dicebatur. Quod cum solenniter adjuncta haberet jumenta quatuor, liquet plane carrucam cum jumentis quatuor, significare carpentum. Nec fortassis alia major inter carpentum & carrucam fuit differentia, cum ut videmus, carpentum carruca nominatur. Quanquam cum & carpenta videamus cum adjunctis jumentis duobus, non inepte fortassis statuamus, etiam in reliqua forma quid diversum habuisse, quæ carrucæ dicebantur. Maxime cum distinguat inter sese Scholiastes vetus Horatianus a Cruquio editus ad lib. I. Sat. 6. ubi de pilentis agens disertim ait: *alia sunt carpenta, aliæ carrucæ*. Quia tamen ea differentia non fuit magna, & præterea carrucæ loco carpentorum cœperunt usurpari, hinc carrucæ interdum, quæ olim carpenta. Sic intelligendus Plinius videtur, quando ait: *Nos carrucas ex argento cælare invenimus*. Loquitur de carrucis, tanquam diu notis, & usurpatis quondam sine argenti cælamine. At vero carrucas nominavit nemo ante Plinium, quod sciam. Quare sequitur, per carrucas intellexisse, quæ olim carpenta dicebantur. Ac fortassis orto ea ætate carrucarum usu loco carpentorum veterum, etiam vox invaluit, dictæque carrucæ etiam carpenta. Usus carrucarum fuit, qualis carpentorum veterum. Vecti primum eis viri, nominatimque Senatores. Ita docet Spartianus in Alexandro Severo: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent permisit*. Deinde & honorati alii, quod apparet ex lege Codicis Theodosiani allata in superioribus, ubi nominatim habemus: *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum* carrucis utantur. De his intelligendum est, quod Vopiscus habet in Aureliano: *Dedit præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent*. Nam privati hoc in loco sunt accipiendi Principis respectu, quod jam viri docti observarunt, id est honorati omnes, maxime Senatores. Quorum carrucas tamen cum & Vopiscus, & ante ipsum Spartianus ostendant fuisse argentatas, consequens videtur, ut aliorum credamus mansisse æratas atque eboratas, & sic carrucarum usum sic in universum non fuisse proprium tantummodo honoratorum, sed & aliorum. Illud habuisse honoratos præ aliis, ut carrucis argentatis fas haberent uti. Post viros usus carrucarum pertinebat etiam ad feminas. Inde quæstio apud Scævolam l. 13. ff. de Auro, Argento. *Quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa sit, ei debeatur*. Loquitur velut de re non infrequenti, unde id colligitur, quod dixi. Pertinebant autem carrucæ honoratorum quidem, ad monstrandum munus, quod in republica sustinerent. Inde Lampridius de Alexandro Severo, & concesso ab ipso jure Senatoribus, quo possent uti carrucis argentatis: *Interesse Romanorum dignitatis putabat, ut his tantæ urbis Senatores veherentur*. Eodem spectat lex de honoratorum vehiculis in Codice Theodosiano, qua libenter credimus eruditissimo Jacobo Gothofredo, non permissum modo, sed præceptum etiam fuisse honoratis urbis, ut hoc genere vehiculi uterentur. *Mihi*, ait ad legem illam, cujus ante verba retuli, *sententia sedet, neque fastum hac lege reprimi, neque Honoratis tantum carrucarum usum permitti; verum si recte capio, omnibus honoratis necessitatem imponi vehiculis dignitatis suæ, quæ utique erant carrucæ bijuges, semper utendi intra urbem. Vehiculis, inquit, dignitatis suæ SEMPER UTANTUR: quæ verba, ni fallor, necessitatem important omni loco & tempore.* Quanquam usus ille olim fuerit promiscuus, & carrucis vecti sint non argentatis modo, sed & aureis, etiam privati. Privatus enim, & in nulla constitutus dignitate videtur fuisse Quintus, quem perstringit. Martialis lib. V. quod habuerit carrucam auream:

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Nec fortassis hæc postrema fuit caussa. cur deinde usum vehiculorum Marcus Imperator sustulerit in urbe. Capitolinus cap. 23. *Marcus sederi in civitatibus vetuit in equis sive vehiculis*. Mulierum carrucæ ad delicias præcipue referebantur, ut in eis molliter vectæ conciliarent sibi somnum. Quo spectasse puto *carrucam dormitoriam*, cujus Scævola facit mentionem. Nec enim peculiarem existimo intelligendam, quasi fuerit aliqua dormitoria, alia aliis usibus destinata, sed communem, qua tamen matrona illa usa sit peculiariter hoc fine. Nam aliæ ad alia usurpabant, ambulationes per plateas, confabulationes ac id genus, quod facillimum est intellectu. Atque quoniam is frequens carrucarum usus, inde credo fuisse, qui utendas elocarent, saltem commodarent, commodatoque acciperent. Inde namque Paulus l. 17. ff. Commodati, ex Pomponio: *Eum qui carrucam vel leEticam commodavit, non recte acturum de singulis partibus*. Habebat autem has carrucas domi suæ in peculiaribus, & ad id paratis stabulis. Quod colligimus ex Ulpiano, quando ait, l. 13. §. ult. ff. de Usufruct. & quemad. inique eum facere, qui cum habet legatum domus usumfructum, meritoria illic instituit, aut *si stabulum, quod erat domi jumentis & carrucis vacans, pistrino locat*. Atque hæc de carrucis.

CAP. XXVII.

De Carro.

Carrus, carrum. Isidorus refutatur. Vossius deseritur. Carri Gallorum. Carrus non fuit birota. Usus ejus ad onera, & vehendas species. Prosecutores carrorum. Carrada. Carragium. Vossius notatur. Matthæus Parisiensis exponitur. Carricare. Sarcinas portabant in militia. Walsinghamus explicatur & emendatur. Vossius rejicitur. Gartina. Munimenta per carros, qualia. Carrago. χαραγὸς. Interpres Leonis castigatur. Carrago ad muni-ndum iter. Τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι. Clabularia. Jac. Gothofredus bis revellitur, & Codex Theodosianus explicatur. Clabulare num carrum & angaria. Salmasius rejicitur.

A Carruca venio ad carrum. Quod vehiculi genus veteres duplici extulere modo, nam & masculine, & neutraliter reperitur. Masculine usurpavit Cæsar, ut lib. I. B. G. *Ad impedimenta & carros suos sese contulerunt*. At in neutro habes apud Hirtium lib. Hisp. *Ea die per viarum angustias carra complura m...osque lanistas retraxit*. Simili modo usurpavit Isidorus. Et in Glossis antiquis *carrum* est neutrali genere. Unde

Unde dictus carrus sit, Isidorus sic declarat: *Currum a cardine rotarum dictum, unde & currus dicti, quod rotas habere videntur*. Sed quid *cardo rotarum*? an id, circa quod vertuntur, sicut janua vertitur circa suos cardines? At hoc non est cardo in vehiculis, sed nec *quod rotas habere videntur*, carros declarat; habent enim alia fere omnia vehicula rotas, nec ideo sunt carri. Vossius existimat, per literarum transpositionem sive transmutationem *carrum* factum a *curru*. Verba ejus sunt in Etymologico. *Carrus* κατ' ἀντίστοιχον *est a currus*. Mihi aliter videtur, nam existimo, vocabulum esse, non Latinum, sed desumptum a barbaris, forte Gallis. Caussa, quia veteres Latini non usurpant. Nusquam legitur apud Varronem, nusquam apud Virgilium, Tullium, & similes. Adducitur ex Sisennæ lib. IV. Histor. *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt*. Sed ostendit locus ipse, sermonem esse non de Romanis, verum populis aliis, qualibus in usu fuerunt & sarracæ. Et profecto agitur de munimento per carros & vehicula. Jam autem istiusmodi munitionis genus Romanis non innotuit, receptumve fuit, nisi sero. Igitur illi carri, quorum meminit Sisenna, non pertinuerunt ad Romanos, & sic nec Romana Latinave voce appellati sunt, sed ejus populi, de quo ibi agebatur. Atque tali modo carros usurpavit etiam Cæsar Julius. Quando de Helvetiorum Gallorum agit vehiculis, *carros* vocat. Ut lib. I. de Bel. Gal. cap. 3. *Constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinent, comparare, jumentorum & carrorum quam maximum numerum coemere*. Et cap. 24. ejusdem libri: *Helvetii cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt*. Atque ita multis locis aliis. Unde colligo, carri vocem esse non Romanam, verum peregrinam, Helveticam Gallicamve. Cum præsertim *Karre* hodieque pro vehiculo Helvetiis similibusque usurpetur. Carrum Græci reddunt ἅμαξαν. Glossarium vetus titulo de Agricultura: *Carrum*, ἅμαξα. Metaphrasti Cæsaris est ἅρμα. Ita namque reddit locum supra nobis adductum: Τὰ πρὸς ὁδοιπορίαν πάντα ἐψηφίσαντο παρασκευάζεσθαι, οἷον ὑποζύγιά τε καὶ ἅρματα. Et loco alio: Οἱ μὲν Ἐλβήτιοι ἅτε δὴ ἔρυμά τι τὰ ἅρματα προβαλόντες: Quod Cæsar ita proposuerat: *Pro vallo carros objecerant*. Ex quo colligas, non habuisse Græcos vocem certam, qua exprimerent. Fuit porro carrus vehiculum rotarum quatuor, si Corrasium audimus. *Currus*, ait lib. III. Miscellan. cap. 20. *quadrirotum est, hoc est, quatuor rotarum*. Et profecto non birota fuit, quod colligimus ex eo, quoniam birotæ onus fuit librarum ducentarum, carri vero sexcentarum, ut testatur leg. 8. Cod. Theodos. collata cum lege 47. ejusdem Codicis, titulo de Cursu publico. Et quia carri onus triplo fuit majus oneri birotæ, hinc auguramur, carri quoque magnitudinem birotæ, atque ita non sine ratione credi quadrirotam. De forma cætera nil proditum invenio: Plaustris non dissimiles multo suspicor fuisse. De jumentis quoque qualia habuerint adjuncta, vix audemus quidpiam definire. Si rhedis birotisque similes fuisse credimus, quod suadere videtur titulus Codicis Theodosiani de cursu publico, boves aut mulos fuisse, quorum tractu procedebant, credi potest. Usus communissimus eorum fuit ad vehenda onera. Spectabat autem vel ad pacem, vel ad bellum. In pace potissimum adhibiti ad cursum publicum, & transvehendas in eis species, aut subvectandas sarcinas eorum, qui licentiam habebant usurpandi cursus publici. Discimus ex leg. 47. dicti

A Codicis Titulique, quæ sic habet: *Rhedæ mille librarum onus imponi debet, carro sexcentarum, nec amplius: Addito eo, ut aurum cæteræque species largitionales non ad libidinem prosecutorum vel susceptorum, sed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferantur*. Manifeste docet lex hæc, carris onera imponi consuevisse, ac præsertim onera earum rerum, quas appellat species largitionales. Dein oneribus istis sæpe nimium fuisse gravatos, idque, uti docet, libidine *prosecutorum*, id est, inhumanitate quadam eorum, qui custodiæ caussa species istas prosequi debebant. Sic vehiculis pariter & jumentis allata da-
B mna, quæ ut in posterum evitarentur, constitutum, ut ne amplius carro, quam librarum sexcentarum onus, imponeretur. Hoc fuit justum carri onus, quod ex eo quoque *carradam* vel *carratam* appellarunt. Testis Vossius in Glossario, pro hac sententia laudatis verbis Aimoini ex lib. V. Histor. Franc. cap. 10. *De melle, carrada una ex modiis octo*. Idem putat & *carragium* vocasse; *Carriagium vel cariagium, onus carri, sive quod vehitur carro. Ita Matthæus Parisius utitur, cujus verba in careta adduximus*. Verba Matthæi Parisii in voce *careta* sic se habent a-
C pud Vossium: *Nullus baillivus noster, vel vicecomes, vel alius, capiat equos vel caretas alicujus, pro cariario faciendo*. Hic non est *cariagium*, sed *cariarium*. Sed haud dubie scribendum *cariagium*, ut mox dicam, & est istud typographi mendum, non Vossii vel Matthæi. Cæterum, ex verbis istis nescio, qui possit colligi, *carjagium* significare onus carri. Sane dicit Matthæus *cariagium facere*. Si cariagium esset onus, necesse foret, ut similiter dici posset *onus facere*. At quis ita loqueretur, *cape equum pro onere faciendo*? Vel quid omnino esset, *onus facere*? Quare mallem cariagium exponere de itinere,
D quod fit carro. Nempe cariagium sic a carro agendo dictum, fitque, quando carrus agitur. Sic *capere caretam pro cariagio faciendo*, significabit capere currum ad faciendum iter. Neque alia mens fuit Matthæi Parisii, si quid possum conjicere. Ipsum enim nunc inspicere haud licuit. Aliud igitur est *cariagium*, aliud *carrada*, illud, vehiculo uti, hoc vero, quod vehiculo imponi solet, onus. Quod qui imponebant, ab eadem *carri* voce dicebantur *carricare*. Glossæ veteres Arabico Latinæ Vulcanii: *Carrico, onero*. Adde, quæ de voce hac Ger. Vossio in Glossario notantur. Sicut vero carri usurpati ad vehenda
E onera in cursu publico, ita nescio quid obstet, quo minus credamus & adhibitos ad onera in cursu privato. Licet observaverim hucusque neminem, qui ejus cursus fecerit mentionem. In militia pertinebant primum ad portandas sarcinas. Ideo inter ea, quæ exercitui sunt necessaria ad faciendum iter, Julius commemorat statim ab initio lib. I. de Bel. Gall. ubi de Helvetiis: *Constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinent, comparare, jumentorum & carrorum quam maximum numerum*. Idem ejusdem libri cap. 24. numerat inter impedimenta. *Helvetii*, ait, *cum om-*
F *nibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt*. Interpres Græcus hanc ob caussam clare appellavit σκευοφόρους. Ita namque ista reddidit. Οἱ Ἐλβήτιοι πᾶσι σὺν τοῖς σκευοφόροις τοὺς Ῥωμαίους καταδιώξαντες, τότε μὲν αὐτὰ εἰς ἕνα τόπον συνήθροισαν. Intelligit autem integre ἁμάξας σκευοφόρους, quod significat plaustra vel vehicula sarcinis gestandis destinata. Hi carri siccum suis sarcinis conjuncti omnes una voce quam habuimus & in superioribus *carrigarium* dicebantur. Sic enim intelligo, quod habet Walsinga-

mus in Richardo II. *Cumque certam nostri elegissent stationem, ordinate & pulchre dispositi per turmas suas: cariagium quoque, quod Garcinas* (emendant, *sarcinas*) *appellamus, a tergo locassent*, &c. Vossius *impedimenta* explicavit in Glossario; sed est paulo latior impedimentum vox, quam ut carriagum possit exponere. Imo cum *carriagium locare* dicat Walsingamus, existimo, non significare tantum carrorum conjunctionem fortuitam, qualis saepe fit in itineribus, sed peculiarem, quali munimentorum vice Galli, Helvetii, aliique populi consueverunt uti. Neque enim alias τῷ *locare* idoneus esse potest sensus. Ad postremum in Walsingamo non *sarcinas*, sed *gartinas* lego. *Sarcinas* enim non Latina est. At Walsingamus ait *appellamus*, quod non dubito, quia ad gentem Walsingami, h. e. Anglos debeat referri. Si Angli sic vocarunt, & vocarunt contra consuetudinem Romanam, qua tum *carriagium* appellabatur, utique non *Sarcinas* dixere. At *Gartinas* potuerunt appellasse a *Gar*, *Kar*, carro, & *tina*, *tyna*, saepimento, quasi saepem e carris. Cum praesertim nihil olim fuerit vulgatius cunctis istis populis, quam munitiones omnes *tyn* vocare, quod jam olim in Upsalia veteri observavimus. Consuetudinis extat mentio apud Caesarem lib. I. cap. 26. *Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est: propterea, quod pro vallo carros objecerant*. Vegetius in universum cunctis tribuit barbaris, & hoc modo castra praesertim scribit communisse. *Omnes Barbari carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum securas a supervenientibus exigunt noctes*. Quo ex loco simul discimus, duo solita observari hoc in opere, primum, ut connecterentur carri inter se, alterum, ut connexio ista referret speciem orbis. Prioris mentionem facit etiam Sisenna, & *construere carros* vocat: *Impedimenta collocant omnia, construunt carros*. Ubi construi vel connecti dicuntur, opinione mea, quando ita unus alteri insertus jungitur cum per se, tum fortassis aliquando interventu quoque vinculorum, ut divelli ac dissociari facile haud queant. Posterius commemoratur Ammiano lib. XXXI. *Unde haud longo spacio separatum vulgus inaestimabile Barbarorum ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum tanquam intramuranis cohibita spaciis, otio fruebatur & ubertate praedarum*. Et paulo post: *Octavo tandem die hostium carpenta cernuntur ad speciem rotunditatis detornata digestaque*. Quibus locis qui proprie barbaris sunt *carri*, Latina consuetudine *plaustra* & *carpenta* nominavit. Atque hoc munitionis genus veteres vocarunt *carraginem*, secuti eos, qui hoc genere munitionis utebantur. Nec enim Latinum magis est vocabulum, quam barbarum. Quod aperte docet Ammianus, quando paulo post superiora: *Statimque incensi malleoli ad carraginem (quam ita ipsi appellant) alibi velocitate regressae incentivum audendi majora popularibus addiderunt*. Dicit clare, carraginem appellatam ab ipsis, id est Gothis, quorum ibi de castris agitur. Atque ita pridem usurpavit Valerianus in epistola ad Aurelianum, quae legitur apud Vopiscum c. 11. *Tuum est quaerere, ubi carrago sit hostium, & vere scire, quanti qualesque sint*. Postea haec consuetudo transiit & in Romana castra, praesertim sub Imperatoribus Orientis, qui & ipsi *χαραγὸν*, appellavere. Leo clare Tract. cap. 11. Καραγὸν δὲ λέγομεν τὰς ἁμάξας καὶ τὸν δι' αὐτῶν περιτειχισμόν. *Carraginem vocamus, & munitionem per ea factam*. Loco alio sic describit: Καραγὸς λέγεται ὁ διὰ τῶν ἁμαξῶν, καὶ τριβόλων, καὶ τῶν ἄλλων μηχανῶν γενόμενος περιορισμὸς εἰς ἀσφάλειαν τοῦ στρατοῦ. Extat locus hic cap. 4. pag. 53. ubi mutilate prorsus Interpres vertit: *Caragus dicitur ex carris & aliis bellicis rebus munitio ad exercitum muniendum*: cum sic debuisset: *Carrago dicitur ex carris, tribulis, & machinis aliis facta circumvallatio exercitus muniendi caussa*. Adhibebant enim non carros solum, sed & tribulos, id est ferramenta cuspidata, ut ne appropinquare hostes possent. Qua de re docet ipse cap. 11. ubi ait: Ἔξωθεν δὲ ταύτης τριβόλους καὶ λάκκους μικροὺς ἔχοντας πάλους ἐντὸς πηγνυμένους δεῖ ποιεῖν. *Oportet extra fossam tribolos & foveas parvas palis infixis facere*. Ubi foveae observandae sunt, pertinent enim ad id genus machinarum, quod praeter tribulos supra dixit ad carraginem conficiendam adhiberi. Praeter hanc carraginem invenio & aliam non ad castra, verum iter muniendum usurpatam, ne exercitus ab hoste posset in itinere facile invadi. Meminit illius Pollio in Gallienis cap. 13. ubi ait: *Quo comperto Scythae facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati*. Casaubonus docte ad hunc locum: *Procopius carraginem facere libro quarto dixit*, τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι, *frontes carrorum hosti objicere: & qua fine carrago fieret, his verbis explicat*, ὅπως τὰ νῶτα ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἔχοντες θρασύνωσι μᾶλλον. *Quod plane convenit isti loco. Nam Scythae fugam meditantes carraginem prius faciunt, ut Romani persequi fugientes non queant*. Ubi annotandum, fuisse hanc carraginem non fixam uno loco, verum mobilem, & adhibitam in ipsa fuga, sicut Pollio testatur. Deinde habuisse carros exterius spectantes. Sic enim accipio illud τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι. Inter eundum, inquam, ita dispositi erant carri, ut unius equi vel jumenta adjuncta interius a latere praecedentis carri ambularent, atque sic ab eo tegerentur. Hoc enim modo carri omnes versi erant in hostem, quod proprie per μετωπηδὸν intelligendum. Denique carraginis hujus speciem non fuisse clausam in orbem, qualis in castrorum communitione usurpabatur, verum longam, pro modo ambulantis exercitus, quem habebat intra sese. Carri incedebant ab utroque latere longa serie, versis intra equis, sicut dixi. In medio eorum ambulabat exercitus, munitus utrinque contra insultus hostiles ab istis carris. Atque ita hodieque receptum est aurigis per Germaniam Belgiumque, qui sarcinas mercatorum, resque venales vehunt, quando periculum imminet a praedonibus. Hactenus de carris egimus, quantum potuimus ex veteribus. Verum antequam digrediamur, animadvertendum, quod est traditum Cl. Salmasio, hos currus dictos quoque *clabularia*. Adscribam verba ejus, licet sint longiora, ex Commentario ad Capitolini Antoninum Pium cap. 12. *Clavulare carrum dicebatur, quod undique clavulis erat confixum & contextum, & capsum ex clavulis factum habebat, ad res, quae imponerentur, retinendas, ne defluerent. Quod & in nostris carris onerariis fieri videmus, quae undique vallantur & sudibus vel clabulis muniuntur, ne onera imposita decidant. Latini capsum vocabant. Carrum igitur clavulare adjective dictum: postea adjectivum in substantivum transiit, & clabulare absolute appellatum hoc carri genus, quod clabulas haberet*. Facit plura genera carrorum, ut videmus, unum cum clabulis, aliud sine iis, ex tabulis fortasse constructum. Quod habebat clabulas, *clabulare* ait appellatum, & hoc ideo, quia integre sit *carrum clabulare*. Quia *carrum* dicitur in neutro genere, ideo & *clabulare* putat neutraliter elatum. Ac profecto *clabulare* habemus expresse in leg. 2. Codic. Theodos. de Curiosis: *Habens unius copiam rhedae flagitet mulas duas; aut rhedam usurpet, cui birotum, vel veredum postulare, vel*

clabulare permissum est. Sicut rheda & birotum dicitur, ita & clabulare isto loco. Quare miror, cur hoc genus viri docti *clabulas* maluerint vocare. Jac. Gothofredus in Paratitlo dicti Codicis de Cursu publico, ubi recenset vehicula spectantia ad cursum publicum: *Vehicula*, inquit, *varia erant*, &c. *Quarto Clabulas, unde clabulare*. Vehiculum appellat *clabulam*, & sic facit locis aliis non semel. Nam & ad legem ante nominatam de Curiosis ita loquitur: *Rhedæ usu, & birotum, & veredus & clabula levior est*. Contra *clabulare* ipsi cursum denotat. Verba ejus in Commentario ad l. 23. Cod. Theod. de Cursu publico: *Cursus hic modo clabularis vocatur, modo clabularius, modo clabulare*. Quod postremum ut confirmet, adducit l. 2. de Curiosis. At in ea lege numeratur inter genera vehiculorum, ut apparet ex superioribus. Itaque non idem *clabulare*, & *clabularis cursus*, nam *clabularis cursus* is, qui fit per *clabulare*. Clabulare vehiculum est, quo in cursu clabulari utebantur. *Clabula* vero non vehiculum, sed id, unde vehiculum contexebatur, minuta inquam *claba* sive *clava*, hoc est baculus, seu paxillus, sicut alibi ostendi. Cæterum an clabulare dictum intuitu ad carrum, nunc videndum. Affirmat Salmasius, ut liquet ex superioribus: Negat Gothofredus. Nam primo loco in recensione vehiculorum ad cursum publicum recenset *rhedam*, secundo *carrum* (sic enim scribendum, non *currus*, ut est in editis, quod ostendit facile adducta ibi l. 47. Cod. Theod. de cursu publico) tertio *birotam*, quarto *clabulam*. Clabula igitur, quam pro clabulari pariat, ei non est carrum. At vero Salmasius non carrum modo facit, verum etiam angariam. Verba ejus loco antea adducto, post allata verba legis J.C. Theod. de Curiosis: *Quibus verbis omnia, quæ in publico cursu movebantur vehicula continentur, rhedæ, birota, veredi, & clabularia vel carra, quæ alias angariæ dicuntur*. Jam autem angaria differre videtur a carro. Nam angariæ imponuntur pondo mille quingenta. l. 28. Cod. Theod. de Cursu publ. *Non amplius rheda, quam mille pondo subvectet, & angariæ mille quingenta sufficiat*. Contra carro non supra libras sexcentas, uti supra indicatum est. Quare angaria esse carrus non potuit, ut quem magnitudine superasse triplo pæne videatur. Jam si angaria clabulare, quod vult Salmasius, clabulare sic a carro dictum minime censeri potest, cum sit carrum aliud, & aliud clabulare. Sane clabulare angariam esse etiam Gothofredus judicavit, a carro vero distinxit. Quem putamus hic sequendum, nec in voce *clabulare*, *currum*, sed vehiculum intelligendum. Sed de his sequenti capite.

CAP. XXIX.

De Angaria & Clabulari.

Angaria. Engaria. Fulberti lectio vetus defensa contra Vossium. Notat etiam vehiculum. Major fuit rheda. Angaria & clabulare idem. Junctos habuit boves, vel mulos, asinos, equos. Jacob. Gothofredus notatur, & Codex Theodosianus explicatur. Jumenta juncta, pro pari. Usus in cursu clabulari, ad vestes lineas portandas, interdum & homines militares. Valesius defenditur. Iter earum lentum. Jacob. Gothofredi sententia probatur. Iter in via publica. Ἀγγαρεία. Ἀγγαρεύειν. Interpres vetus Bibliorum notatur. Matthæus exponitur contra Grotium & Becam. Ἄγγαροι.

A Angariam, quæ alicubi & *engaria*, exponunt Vossius & alii coactionem, quando quis alteri necessitatem imponit rei exequendæ. Sic Fulbertus Vossio laudatus, ep. 150. *Nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis angariam*. At epist. 14. idem habet *engariam*, non vitio librarii, quod putabat Vossius, sed quia prima syllaba mixto efferri sono solebat, nec vel *a* vel *e* referre integrum ac perfectum, sicut hodieque fit apud Germanos meos, ut post dicam. Verba Fulberti: *Nostris hominibus novam engariam induxit*. Quibus verbis evidenter satis constat, engariam vel angariam significare onus rei alicujus conficiendæ. Glossæ Philoxeni: *Angaria*, περιεργασία, ἀχνεία. Magis tamen proprie videtur usurpari pro vectura seu deductione vehiculi onerati. Sic in leg. Bojar. titul. 13. §. 9. *Angarias cum carra faciet usque L. leugas*. Nempe faciebant has vecturas cum vehiculis, quæ propterea *angarias* appellavere. Nam angarias significare genus peculiare vehiculorum colligitur abunde primum ex eo, quia certum pondus definitum est, quod eis debeat imponi, sicut capite superiori vidimus: Deinde, quia certæ nominantur species, quæ imponi eis solebant. L. 48. Cod. ejusdem Titulique: *Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari rhedæ solebant, nec ulterius rhedis, sed angariis vel navibus dirigantur*. Non potest dubitari, quin, ut rhedæ, sic angariæ hic sint vehicula. Ac fortassis in angariæ vocabulo rheda est intelligenda, ut angaria sit dicta differentiæ gratia a rheda communi, significetque talem rhedam, quæ præstari angaria debet. Speciem profecto adjectivi habet, ut & *rem angariam*, hoc est, oneris vectationem, & *rhedam angariam*, hoc est, vehiculum, quo vectatio ea debet fieri, significare possit. Angariæ hujus species quæ fuerit, nonnihil constat ex superioribus. Primum enim rhedis fuit major dimidia sui parte, cum enim illæ ferrent pondo tantum mille, angariæ mille & quingenta imponi solebant, ut ex leg. 28. Cod. Theodos. de Cursu publico apparet: *Non amplius rheda, quam mille pondo, subvectet, & angariæ mille quingenta sufficiat*. Hinc colligitur, cum rheda fuerit vehiculum quadrirotum, etiam angariam rotas habuisse non pauciores quatuor. Amplius ostensum supra est, angariam eandem esse, quæ sit dicta clabulare, hinc apparet, clabulis, hoc est, bacillis, contextam habuisse capsam. De angaria, eandem esse cum clabulari, sententiam Salmasii jam ante vidimus. Gothofredus ita habet in Paratitlo de Cursu publico Codicis Theodosiani: *Clabula*, (sic appellat, quod *clabulare* dici debuit) *quod idem cum angaria facio*. Ita est legendum, non, ut vitiose ediderunt, *angarita*, qualis nulla est. Et in Commentar. ad leg. 4. ejusdem tituli: *Angariam eandem facio cum cursu clabulari*. Item ad l. 2. Cod. ejusdem, t. de Curiosis: *Clabulare idem facio cum Angaria*. Si angaria est clabulare, clabulis contextam fuisse necesse est, cum hoc sit clabulare, ut jam aliquoties est dictum. Solebat autem hoc vehiculum adjunctos habere boves fere. Hinc in leg. 11. Cod. Theod. de Cursu publico: *Pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur*. Memorantur tamen & ἄγγαροι ἡμίονοι, angariales muli asinique Libanio in oratione peculiari περὶ ἀγγαρειῶν, ut testatur Gothofredus, item equi, de quo Aretas capit. 18. Apocal. Ἵππους δὲ τοῖς ἐκ τῶν ὀχήμασι ἀγγάρους. Numerus boum Gothofredo quaternarius videtur. Ita namque habet ad leg. 4. Codic. Theodos. de Cursu publico: *Angariæ boum protelo duceban-*

tur, *sic*, *ut bina boum paria his*, *neque ultra aptarentur*, *ut docet exerte l.* 11. *infr. h. t.* Equidem in dicta lege bina boum paria memorantur. Verum, an perpetuum hoc fuerit, quod Gothofredus putat, dubito. Lex tota ita habet: *Ne quis post hanc legem amplius*, *quam duas angarias*, *& hoc eorum*, *si qui ægri sunt*, *caussa usurpare conetur*, *cum ad destinata proficiscitur*, *ita tamen*, *ut pro singulis angariis bina tantum boum paria consequatur*. Videtur potius diversum ostendere hæc lex, quam quod volebat Gothofredus. Nam, velut singulare quid, & alias non usitatum, TANTUM bina paria permittit. Si nunquam plures boves aptati, cur sub hac exceptione tam emphatica conceduntur? Quare mihi potius hoc dici videtur, licet permittantur binæ angariæ, tamen non tot quoque boves permitti, quot alias angariis adjunguntur, sed sufficere, si singulæ paria habeant duo. Et est manifesta ratio. Agitur enim ea lege de angariis ad deportandos ægrotos. Ægroti, cum sunt deferendi, spacium requirunt majus in vehiculis, quam valentes, quo videlicet commodius sedeant, nec compressione quadam ab aliis affligantur. Ergo tali casu duæ permittuntur angariæ. At quoniam iidem non æque sunt graves, ac si res aliæ vehiculis imponerentur, ideo ipsis transvehendis non permittuntur, nisi boves quatuor ad singulas angurias. Quapropter, quod de paribus duobus monet Gothofredus in singulis angariis, perpetuum fuisse haud opinor. Ac ne quidem apte trahere mille quingenta pondo potuisse credo, quot imponi vulgo angariis consuevit. Quod ex eo colligo, quoniam rhedæ, cui imponebantur pondo tantum mille, adjunctæ mulæ octo vel decem. Nulla enim est inter hæc proportio. Porro, boves illi quomodo adjuncti fuerint, ex eo licet conjicere, quod nominantur *duo paria*, in lege ante nominata. Patet enim hinc per paria consuevisse adjungi, hoc est, duos & duos ad juga singula, quæ junctura postulat, ut duo iverint post duo longa serie, & jugum unum fuerit non a latere, sed a fronte adjunctum alteri. Usus angariarum fuit in cursu publico quem vocarunt clabularem. L. 5. C. Theod. t. de Curiosis: *E cursu vero Clabulari singulas angarias* percipiatis. Patet manifeste, angarias ad cursum clabularem spectasse. Cursus clabularis dictus a vehiculis clabularibus, quoniam fiebat isto genere. Illi cursui cum interfuerint angariæ, colligitur, clabularia & angarias non fuisse generis diversi, atque ita recte dici, cursum clabularem confectum per angarias. Pertinebat autem cursus iste ad provehenda onera, nominatimque species fiscales, cumprimis vestes lineas. L. 48. C. Th. de cursu publico: *Lineæ vel amictoria*, *quibus hactenus onerari rhedæ solebant*, *nec ulterius rhedis*, *sed angariis vel navibus dirigantur*. Pertinet huc quoque l. 16 ejusdem tituli, ex qua cognoscimus, consuevisse istas species per angarias deferri ad portus, unde constat, in superiori lege præcipi, ut per angarias deferantur ad mare, tum excipiantur navibus, ac dirigantur Romam. Verba legis: *Angariarum cursum submoveri non oportet*, *propter publicas species*, *quæ ad diversos portus deferuntur*. *Proinde*, *considerata rerum necessitate*, *pro locorum situ atque itineris qualitate tantum numerum angariarum collocari oportere decernas*, *quantum necessarium esse adhibitæ plenissimæ deliberationes suaserint*. Dicit, *tantum numerum angariarum*, quod manifeste ad vehicula pertinet. Ita *singulas angarias* in l. 5. *duas angarias* in l. 4. h. t. habemus. Cum vehiculis hisce cursus fit, auctor legis ait fieri *cursum angariarum*. Qui angariarum cursus alibi est *cursus clabularis*, vel *clabularius*. Oneris magnitudo, quod angariis singulis vel clabularibus imponebatur, fuit pondo mille sexcentorum. Sic disertim legitur in l. 28. C. Theod. de cursu publico, cujus verba in superioribus adduximus. Hinc opinor manere hodieque in Alsatia, patria mea, vicinisque locis nomen *angariorum* de plaustris rebus gravioribus multum oneratis. Ita namque plaustrum fœni nominant *ein Aenger Heu*, plaustrum vini, *ein Aenger Wein*. Nam alias τὸ *Aenger* non Germanica est vox, ac ne Latina quidem Græcave, verum Persica, ut jam pridem alii monstrarunt. Præter species fiscales autem angariis ferebantur etiam homines, erantque illi vel milites, quotiens essent de loco in locum transferendi, aut ægrotarent, vel familiæ cujusque ac charitates, vel denique legati, de quibus omnibus cum cura agit eruditissimus Jac. Gothofr. ad l. 4. C. Theod. de cursu publico. *Patet*, inquit, *clabularium cursum ut aliis*, *ita & militibus concessum*, *quoties transferri eos de loco in locum oporteret*, *quod testatur exerte l.* 22. *Cod. Just. cod. tit. Sed neque ægrotantium tantum militum causa hic cursus clabularis permissus*, *quod vir doctus scripsit*; *Verum vel familiis & charitatibus transferendis*, *ut in prædicto Marcellini loco & d. l.* 22. *vel denique legatis*, *eadem l.* 22. Doctus vir, quem respicit, Vallesius est, qui sic habet in suis ad Ammianum Notis: *Angariæ erant capacissima vehicula ac solidissima*, *utpote quibus mille & quingenta pondo imponerentur*, *cum rhedæ mille dumtaxat imponi deberent*, *ut est in l.* 30. *Cod. Theod. de cursu publico*. *Ægrorum autem militum dumtaxat causa hic clabularis cursus permittebatur*, *ut opinor*, *& id innuit lex* 11. *Cod. eod.* Verum nuda hæc opinio, vel potius suspicio est Vallesii, non assertio plenaria. Alias omnino liquet vel ex ipso Ammiano, spectasse etiam ad fanos. Verba clara sunt: *Julianus contemplans rationabiles querelas*, *cum familiis eis ad Orientem proficisci præcepit*, *clabularis cursus facultate permissa*. Extant verba hæc lib. xx. Ammiani, ubi agit de militibus, qui conquerebantur, *se ad orbis terrarum extrema pelli*, *caritates suas Alemannis denuo servire*, *quas captivitate prima post internecivas liberaverint pugnas*. Erant autem hi non ægroti, sed valentes. Quando angariam Vallesius appellat *solidissimum vehiculum*, non aliter id est accipiendum, quam de robore seu firmitate. Nec de tabulis in capsa cogitandum, quas non potuit habere, quia fuit clabulare. Procedebant autem hæ angariæ seu clabularia itinere prorsus tardo lentoque, propter pondus, quod impositum habebant majus, quam genus ullum vehiculorum reliquorum, non quod pauca, & tantum quatuor adjuncta haberent animalia, sicut alii putarunt. Atque quia tarde procedebant, ideo cursus clabularis opponitur veloci l. 62. C. Theod. de Cursu publico. *Usurpationem cursus publici penitus jussimus amputari*, *scilicet ut excepta Magnitudine tua præsumendi velocis & clabularii cursus nullus habeat potestatem*. Est qui colligit ex lege hac, clabularem cursum esse velocem. Nempe illud *&*: conjungere ista duo putavit, & iccirco alterum alterius esse velut explicationem. Verum hic disjungit, & duas diversas cursus publici ostendit species, velocem unum alterum clabularem, sicut recte Gothofredus observavit. Quod ex eo quoque liquet, quia cursus clabularis fiebat cum angariis. Jam vero angaria opponitur cursui. l. ult. Cod. Theod. de cursu public. *Nemo Ducum ingressus semel provinciam suam*, *postmodum itineribus faciendis cursu adque* (hoc est atque) *angariis ipse*, *sive suum Officium utatur*. Illud *adque* seu *atque* disjunctive hic intelligendum, sicut *&* in superiori lege. Unde sequitur, clabularia & angarias non cursim incessisse, verum tarde. Solebat autem cursus hic institui per viam publicam, quod ipsum Cl. Gothofredus

observat. Et adfertur Scholion ex Basilorum lib. LVI. ubi cursus ipse hac de causa ἀγγαρεία, id est *angaria* vocatur. Καὶ ἐςὶν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος, ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς καὶ δρομὸν ἐχούσης. *Est angaria iter per viam publicam, in qua cursus est constitutus.* Hinc qui cursum illum conficiendum imponunt, dicuntur ἀγγαρεύειν. Ita namque debet intelligi, quod legitur Matthæi v. Καὶ ὅςις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Interpres vetus retenta voce *angariandi* vertit ita: *Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Quod tamen non in Græcos dicitur, tantum illud habent: *Vade cum eo duo.* Differunt autem ista plurimum, nam qui angariatus miliare unum, vadit & alia duo, is tria conficit miliaria; qui vero angariatus, vadit duo, is tantum duo conficit, quod vult textus Græcus, sicut & Erasmus observavit. Respicitur autem eo ἀγγαρεύειν, ad onus præstandarum angariarum, quod iis temporibus pertinebat ad privatos. Nec enim fiscalis factus cursus angariarum ante Adrianum, sed institutus ab Augusto per privatos expediebatur. Eratque onus illud in Judæa non exiguum, cum præter alia, tum quia noviter inventum ab Augusto, ut Suetonius nos docet, ipsa novitate sua molestiam creabat. Ergo istoc voluit Servator noster, locutus de eo quod frequenter tum fiebat. Si tibi onus angariæ ad miliare unum imponitur, ne cum impatientia & querelis id sustineas, eique, qui te ad præstationem hanc compellit, contraque libertatem tuam facere videtur, obloquare, ac refractarium te præsta; potius adde miliare unum, & cum per unum miliare solummodo deberes deducere, duc eum etiam per alterum. Aliter nonnihil Grotius & Beza, qui ad angarias Persarum referunt. Beza ita habet: *Persarum cursoribus (sicut etiam hodie Turcarum) fas erat cujus vis equos vel naves, aut ipsos etiam homines rapere ad cursum. Unde factum, ut angariare accipiatur pro adigere ad currendum, vel adferendum aliquid, sicut infra cap. 27. 32. refertur de Cyrenæo illo, quem adegerunt Judæi ad bajulandam crucem. Proponitur ergo a Christo servitutis genus pene intolerabile, quod peculiari etiam vocabulo declarandum fuit.* Hæc Beza, unde colligas, putasse, vocem eam apud Judæos natam occasione Persicæ consuetudinis. Quæ quomodo Judæis nota fuerit, declarat amplius Grotius ad ista verba: *Hebræi*, ait, *ex quo Persarum potentia Orientem invaserat, coacti fuerant inter cætera ejus servitii incommoda etiam onus angariæ ferre, cujus immunitas ipsis a Demetrio concessa est, ut apud Josephum videre est Orig. XIII. Inde factum, ut rei vehementer exosæ nomen etiam ad privatas vexationes producerent, ut apparet infra 27. 32. & ex multis Hebræorum Scripturæ interpretum locis. Atque in eum sensum vocem hanc Christus usurpat.* Equidem pugnare nolo adversus ea, quæ docte proferuntur. Quia tamen nominatim mentio fit itineris unius milliaris, magis puto respexisse ad onus novum ab Augusto impositum, de quo supra dixi: cum præsertim diu ante omiserint Persis tale ministerium præstare. Nec repugnat locus cap. 27. 32. imo firmat potius, cum in eo de gestanda sarcina agatur. Nam Persarum consuetudo non ad sarcinas spectabat, sed litteras & nuntios, contra quam receptum fuit a Romanis. Qua de re qui volet, consulat Brissonium de Regno Persico, abunde ista explicantem. Jam ut *angariari* dicebantur, quum ad onus hoc compellebantur, ita *angari*, qui præstabant, Græcis Ἀγγαροι. Hoc est, quod voluit Hesychius, cum ait: Ἄγγαρος, ἐργάτης, ὑπηρέτης, ἀχθοφόρος. ἡ λέξις δὲ Περσική. Σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. *Angarus, operarius, minister, bajulus. Vox est Persica. Significat vero & tabellarios regios.* Pro ἄγγαρος, sunt, qui ἄγαρος substituendum censent. Me invito, quando ἄγαρος vox Persica non est. Hesychius ostendit vocem angari duplici usurpari ratione, nam vel bajulum significare, atque eum, quem cursus publici mancipem appellant, consuetudine a Romanis introducta, Vel significare tabellarium regium, Persica consuetudine, unde vox hæc apud gentes alias invaluit. Atque ista quidem de angaria publica. Num privatim etiam angarias habuerint, vel usurparint, discere hucusque ex scriptoribus antiquis nequii. Quia tamen vox jam inde ab initio, ipsisque Persis ejus auctoribus publicum quid denotavit, suspicor, tametsi usurpata fuerint vehicula, rhedarum tamen potius aut plaustrorum, quam angariarum vocabulo venisse.

CAP. XXX.

De Rheda.

Rheda Gallorum. Isidorus notatur. Riiden proprie de equitantibus. Rheda sæpe generalius vehiculum, sæpe specialius, quod differt a cisio, petorrito, & aliis. Casaubonus rejicitur. Carpenta rhedarum. Rheda & vehiculum sic specialiter dictum, idem. Ῥήδια. *Hesychius corrigitur. Xiphilinus aliter, ac a Casaubono factum, explicatur. Habuit rotas quatuor. Corrasius notatur.* Ηδριον. *Suidas exponitur & emendatur. Mulæ ad rhedam. Scaligeri emendatio Varronis probata ad rhedas equi. Numerus eorum alius & alius pro diversitate temporis. Quadrigæ. Flagella. Codex Theodosianus explicatur contra Gothofredum & corrigitur. Rheda cum equis triginta. Rhedæ num sint dictæ flagella. Jumenta habebant juncta longa serie. Sulp. Severus emendatur & exponitur. Evadere. Duo & Duo. Usus in itinere. Pertinet ad viros feminasque. Dignitate cedit essedæ. Rheda meritoria. Suetonius exponitur. Rheda ad onera. Rheda in supellectili numeratur. Paulus JCtus exponitur. Rhedæ tectæ linteis. Rheda cursualis, & tabellariorum.* Προπομπαὶ. διπλώματα σεσημασμένα. *Cursus fiscalis. Rheda fiscalis. In hac etiam alii, quam tabellarii. Aurum in rheda transvectum, sed pondere minore, quam res aliæ, & quare. Gothofredi sententia examinata.*

RHeda, vel, ut alii malunt sine spiritu, *reda* vocabulum est apud Gallos ortum. Fabius lib. I. cap. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda ac petoritum: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* Cum ergo Gallicum sit vocabulum, perperam a Latino *rota* derivatus, quod est factum Isidoro lib. XX. cap. 12. *Has*, ait, i. e. redas, *antiqui retas dicebant, propter quod haberent rotas.* Putat rhedas ab antiquis dictas *retas*. Retas vero sic vocatas permutatione litteræ a rotis. Verum *retas* pro vehiculis non puto apud veteres occurrere. Ac si occurreret, videndum esset, an non ipsum quoque Gallicum deberet haberi. Nam derivatio a *rota* est inanis, cum rota sit commune quid in prope omnibus vehiculis. Bochardus vocem *rhedæ* suo more putat ortam in Oriente, atque a Chaldæo *rheda* deducit, cujus plurale *rhiduuath* occurrat in Jonatha-

nis & Hierosolymitana paraphrasi. Nec fortassis male, si primam ejus attendamus scaturiginem: Nam alias quis dubitet a Gallis ortam vocem, esse Gallicæ originis? Ideo & Vossius in Etymolog. *Germanis ac Belgis* (quorum lingua olim eadem ac Gallorum fuit) *hodieque Reden aut Ryden est equo aut curru vehi. Igitur, inde rheda quin sit, dubium non est*. Convenit & Grotius in Annotationibus ad cap. 18. Apocalypſ. aquæ isto *Ryden* derivat. Verum *Ryden* sive *Reiten* proprie fit equis, non vehiculis, tametsi Belgæ etiam de vehiculis usurpent. Et est *Reiten* idem atque *Reisen* quia veteres pronunciabant *Reiisen* sicuti a *Dats* factum *Dat* Belgarum, & *Das* Germanorum: a *Watser*, *Water* Belgarum, & *Wasser* Germanorum. Inde *Reisige* sæpissime apud veteres pro equitibus. Porro, *Reisen* est a *Ross*, id est, equo, atque ideo & *Reiten* inde erit, *equitare* que signabit. Et quoniam τὸ *Reiten* equos respicit, ignoro, an ad currus aut vehicula recte possit trahi. Nec tamen invenio, quo referre possim ejus ortum, cum vehiculorum omnium vocabula, quibus hodie utuntur Galli vicinique populi, nimium abludant. Apud Britannos *Rhediad* in usu est, pro cursu, & *Rheden* pro currere, uti docet Cambdenus lib. 1. Britann. & originis communis facit cum *rheda* vehiculo. Sed & apud Gallos *Rhodanus* est fluvius, haud dubie a currendo dictus, unde & Germani suum *Rhein* derivavere. Nam est *Rhein* a *Rennen* sive *Rinnen*, id est, *currere*, quia præcipiti fluit cursu. *Rennen* vero convenit cum Græco ῥέω, similis significationis, a quo contracto ῥῶ non abludit *Rhone*, sicuti pronunciare vocem *Rhodani* consueverunt. Quod si quis & rhedam simili dictam ratione crederet, me adversum sibi neutiquam haberet, cum sit rheda vehiculum cursui destinatum, uti ex sequentibus liquebit. Est autem rheda interdum qualecunque vehiculum, unde Glossæ: *Rhedis*, ὀχήμασιν. Interdum certum & peculiare, differens ab aliis, ut cisio, sicut constat ex Philippica II. Ciceronis; Petorito, de quo docet Ausonius ep. 8. atque aliis. Itaque non probo, quod habet Casaubonus ad Suetonii Julium, cap. 58. de rheda verba faciens: *Quemadmodum hoc genus vehiculi a rotarum numero* τετρακύκλου *nomen invenit, sic apud vetustissimos Æoles ab eodem numero* πετόρριτον *dictum*. Πετόρριτον est *petoritum*, a quo Ausonius non semel rhedam distinguit. Sed nec πετόρριτον vel *petoritum* Æolicum est vocabulum. Nunquam sane petoritum vel πετόρριτον dicuntur Æoles vocasse aliquod vehiculum, sed Galli. Qui tametsi putentur aliquibus hanc vocem derivasse ab Æolico πέτορες, non tamen sequitur & vehiculum fuisse apud Æolas, quod petoritum vel πετόρριτον vocarunt. Quare manet, teste locuplentissimo Ausonio, quippe qui & ipse Gallus fuit, ac iccirco Gallica vehicula nosse debuit, aliud *petorritum*, & aliud *rheda*, de qua loquimur. Hæc rheda sic ab aliis diversa quandoque etiam *carpentum* vocabatur. Ideo, quod Juvenali Sat. VIII. est carpentum, veteri ejus Scholiasti est rheda. Et in Codice Theodosiano hac de caussa sunt *carpenta rhedarum*, sicut alibi jam dixi. Appellantur aliquando & *vehicula* specialiori notione. Quod colligitur ex l. 17. Cod. Theod. de Cursu publico, ubi dicitur: *Vehiculis nihil ultra mille librarum mensuram patiemur imponi*. Nec enim hæc verba trahi possunt ad vehicula cujusvis generis, sed nominatim ea, quæ dicuntur rhedæ, ut ex lege alia, videlicet trigesima ejusdem tituli, ubi rhedis onus hoc tribuitur, constare potest, & nos in sequentibus docebimus. Eadem est caussa, cur, quæ in l. 18. e. t. vocantur prius *vehicula*, mox dicantur *carpenta*, & intelligantur *rhedæ*, quod & Gothofredus observavit. Græci rhedas appellarunt ῥήδια imitatione vocis barbaræ, ut puto. Hesychius: Ρηδίων, καρήχων, ῥαδίων. Ita editi, etiam nuperrime. Sed in postrema voce scribendum ῥαιδίων. Suidas: Ραιδίων, ἁρμάτων; Item ante: Ραίδιον, τὸ φορεῖον, ἢ τὸ ἅρμα. Nempe duplici ratione pingebant, per η, & per αι, uti fit in barbaris ejusmodi. Imo reperitur & per ε apud eundem Hesychium. Ita namque habet: Ρεδίων, ἁρμάτων. Quod si sua lingua uterentur, vel ὀχήματα, & ἅρματα generali voce, vel τετρακύκλης appellasse Casaubonus censet ad Suetonii Jul. c. 58. *Rheda quatuor rotas habebat, ut cisium duas, auctore Isidoro. Propterea Græci in rebus Romanis* τετράκυκλον *appellant. Xiphilinus in Adriano:* Οὐδ' ἔστιν ὅποτε οὔτε ὀχήματος τοτὲ γε, οὔτε τετρακύκλου ἐπέβη. *Nunquam, inquit, in illo itinere nec currum nec rhedam conscendit*. Sed ignoro, an hoc verum sit. Nam non rheda sola rotas habuit quatuor. Et de τετρακύκλῳ alibi est observatum, quod usurparint de ἀπήνη etiam, & aliis vehiculis. Quare mallem τετρακύκλου vocem explicare de majore vehiculo, quocunque denique, præsertim tali, quali & sarcinæ portari, & homines recumbere solebant, ut sunt harmamaxæ vel carpenta, atque locum ita reddere: *Nunquam in illo itinere nec curru neque laxiore vehiculo est usus*. Metaphrastes Cæsaris φορεῖα reddidit. Nam ubi lib. 1. B. G. cap. 51. Cæsar ita scribit, *omnemque aciem suam rhedis & carris circumdederunt*, id is vertit isto modo: Πᾶσάν τε τὴν σφῶν τάξιν φορείοις τε καὶ ἅρμασι περιέστησαν. Scilicet & hoc est generale, ac de quolibet vehiculo usurpari potest. Rhedæ species cognoscitur nonnihil ex iis, quæ jam dicta sunt: Nam apparet, vehiculum fuisse cum rotis, numero quatuor. Isidorus clare: *Rheda genus vehiculi quatuor rotarum*. Atque ob hanc caussam in l. 8. Cod. Theodos. de Cursu publico opponitur birotæ: *Statuimus rhedæ mille pondo tantum superponi, birotæ ducenta*. Si rheda non fuit birota, quadrirota fuerit, necesse est, cum vehiculum unius rotæ plures libras, quam duarum, portare nequiverit. Errat ergo Corrasius, quando ei duas tantum rotas assignat lib. III. Miscell. cap. 20. ubi ait: *Rheda leviculus currus est duarum rotarum, quo utebantur passim omnes, etiam abjectissimi*. Cuncta hæc sunt commentitia, quod abunde ex sequentibus liquebit. Tectum an habuerit, ignoro, vix opinor tamen, quia fere inter oneraria vehicula. Et apud Martialem lib. V. epigr. de Basso conspici possunt, quæ in rheda feruntur. Nam quod habet Suidas, de aliis, non proprie sic dictis, vehiculis accipiendum est. Verba ejus: Ηρδιον, περιφανὲς ἅρμα, σκεπαστόν. *Erdium, illustre vehiculum, tectum*. Hic ἤρδιον nil aliud, quam ῥήδιον, per transmutationem factum, id est, rheda. Sed aliud genus intelligitur, ut carpentum, vel carucha, sicut supra quoque rheda vertebatur. Nisi plane volumus apud Suidam emendare ἅρμα ἀσκέπαστον, ut sit sententia, *Erdium, perspicuum vehiculum, non tectum*. Quod puto esse verissimum. Animalia ei adjuncta mulæ fuerunt. Docet Dialog. I. Sulpitii Severi, ubi cum virtute B. Martini factum ostendisset, quod jumenta in rheda fiscali nequirent progredi, subdit: *Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias*. Atque ita l 8. Cod. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad rhedam*. Nec fortassis aliter legendum apud Varronem lib. III. de R.R. ubi sic habetur: *Celerius voluntate Hortensii ex equili educere rhedarias, ut tibi habere* [illegible] *las*. Scaliger profecto ita edidit, cum ve[illegible] berent *rhedarios mulos*, sicut annotavit i[illegible]

ex libris, quos secutus Calepinus est, & Auctor Fori, quod vocatur Romani, colligitur. Nam & in emendatissima editione Comeliniana Varronis locus ita editur, ut dixi. Pro mulabus tamen adhibebant quoque equos. Cicero lib. VI. ep. I. ad Atticum: *Hic Vedius mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta*. Quibus verbis interim colligitur, cum nominatim equos memoret in rheda, id fuisse non ita frequens, sicut alterum. Quanquam equos memoret in rheda etiam Ausonius, cujus verba in sequentibus ponemus. Numerus ejusmodi animalium in rhedis privatorum sine dubio fuit arbitrarius. At in cursu publico modo habuerunt octo, modo decem, pro diversitate anni: Pauciores tempore æstivo, plures hybernali. Constantinus ad Taurinum l. 8. Cod. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad redam æstivo videlicet tempore, hyemali decem*. Nempe hybernali tempore difficilius trahuntur vehicula propter frigus, quo conspissatur axungia, & congelatum lutum nivesve, quibus rotæ impediuntur. Itaque tali tempore animalia requiruntur plura. Neque de mulabus magis arbitror hoc verum, quam de equis. Legimus sane pro vehiculo rhedarum lib. VI. Cod. Theod. de Curiosis *quadrigas* & *flagella* istis verbis: *Singulos solidos per singulas rædas (id est, quas quadrigas vel flagella appellant) percipiatis*. Verum ista mihi valde suspecta est interpretatio. Gothofredus equidem existimat hinc recte colligi, rhedas si adjunctos habuerunt equos, non habuisse, nisi quatuor. Verba ejus sunt cum alibi, tum in Paratitlo ad lib. VIII. de Cursu publico Cod. Theod. *Reda vero a quatuor equis trahebatur: unde & Redæ explicantur Quadrigæ vel Flagella l. 3. sup. de Curiosis: vel ab octo aut decem mulibus*, (scribendum est, mulabus) *l.* 8. Sed non video, si minimum adjunctas habuere mulas octo, quomodo sufficere ipsis potuerint equi quatuor. Non sunt equi duplo robustiores mulabus, imo robur mularum superat interdum etiam equorum, quod nos ipsi vidimus. Deinde qui quadrigæ dici rhedæ potuerint, quarum ratio a quadrigis prorsus differebat? Quadrigæ collocatos equos habuere fronte æquali, non sic rhedæ, uti mox constabit. Ad postremum nominantur equi in rhedis non quatuor solummodo, sed triginta. Locus est notabilis apud Ausonium ep. VII. in qua, cum a Theone missa sibi dicere deberet ostrea triginta, accepisse ait sese:

—— *Quot habet junctos Vasatica reda caballos*.

Vocat redam Vasaticam, a Vasatibus, Aquitaniæ seu Galliæ Comatæ populis, apud quos in usu maxime fuisse hoc vehiculum hinc discimus, ac iccirco recte Gallicum putari intelligimus. Hanc redam Vasaticam testatur vulgo adjunctam habuisse caballos sive equos triginta. Vulgo, inquam, namque alias ex versu illo nequivisset colligi, quot accepisse ostrea sese diceret. Jam si vulgo triginta, qui dici potuerunt *quadrigæ*? Neque de flagellis magis consentire possum. Gothofredus equidem sic explicat: *Flagella cur singulæ rhedæ seu quadrigæ dictæ fuerint, proprio tum & in mansionibus procul dubio cursus publici usurpato vocabulo, proclive dictu, quod uno flagello vel auriga regeretur, quæ denique uno flagello & auriga contenta est*. At contrarium nos docent monumenta vetera, & aurigas plures flagellaque monstrant usurpata etiam ad rhedas singulas. Sulpitius Severus loco antea laudato: *Interea illi regressi ad rhedam suam furore satiato, agi, quo ire cœperunt, jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia solo fixa, ac si ænea signa, riguissent, tollentibus altius vocem magi-*

A *stris, flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus movebantur*. Habes ecce hic rhedam nonnisi unicam, & tamen ad eam magistros, id est aurigas, atque flagra in plurali. Quare non est dubium, quin sit falsum, quod pro flagelli explicatione affertur. Et qui omnino potuerint tot animalia flagello uno, unove auriga gubernari? Nam ut demus equos tantum habuisse quatuor, quod tamen falsum est, mulas tamen habuere octo vel decem. Nec est verisimile, propter equos accepisse nomen flagellorum, cum id genus minus frequens fuerit in rhedis. Quare sicut dixi mihi valde suspecta illa est interpretatio, nec a legumlatore, verum Glossatore nata videtur. Cum præsertim alibi occurrat nihil, quod firmare ipsam queat. B Animalia quo pacto juncta fuerint, jam dixi, non nimirum eo, quo quadrigæ vel id genus, verum bina atque bina longa serie. Docetque manifeste locus Sulpitii, ubi sic habetur paulo ante ea, quæ superius sunt allata: *Ubi Martinum in veste hispida, nigro & pendulo pallio circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram evaserunt. Deinde funibus implicatis, protentos illos, quibus, ut sæpe vidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt*. Ita lego ista. Vulgo habent, *paululum in partem alteram hæserunt*, quod non intelligitur. Ecquid enim C est *hærere in partem aliquam?* Qui hæret, eodem manet loco; at hic agitur de jumentis terrore fugientibus a conspectu Martini, quod vere est *evadere*, hoc est aliorsum, & in latus a via cepta declinare. Dicit autem animalium eorum ordines fuisse *protentos*, quo id manifeste ostenditur, quod dixi. Videlicet non æqua fronte, verum longa serie ambulasse. Fuit porro illa series non singulorum, sed duorum, quod colligitur ex eo, quia nominat *contigua de latere* Martini aliqua, quæ intelligi non possunt, nisi comparatione quadam D cum non contiguis, qualia erunt juncta singulis a parte altera. Habuerunt ergo juncta animalia, ut dixi. Usus fuit vel privatus, vel publicus: uterque pertinebat vel ad onera, vel ad itinera. De itineribus privatorum in rhedis discimus ex Or. Tullii pro Milone, ubi ait: *Obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat: sine uxore, quod nunquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda*. Quibus verbis simul intelligimus, fuisse hoc vehiculum non viris modo usitatum, sed & mulieribus. De viris firmat idem E Philippica II. ubi ait: *Vehebatur in essedo tribunus plebis, sequebatur rheda cum lenonibus*. Ubi rheda velut minus dignum affertur vehiculum, in comparatione cum esseda, quando hoc tribuno, illud lenonibus assignatur. Habuerunt autem ideo quia crebro genere hoc utebantur, non privatim modo suas, sed & publice locandas aliis, qui vellent conducere, quas propterea vocarunt *meritorias*. Sueton. Jul. c. 57. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda, centena passuum millia in singulos dies*. Rheda *meritoria* hic dicitur eodem modo, sicut *meritorium* cœnaculum in Vitellio cap. 7. quod sub pretio cer- F to elocatur aliis. Verba Suetonii: *Satis constat exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem ablocaret*. Sententia hæc est, elocasse domum suam sub precio bene magno, quod ut consequeretur, alibi conduxisse levi precio cœnaculum, in quod uxorem liberosque conjiceret. Viri docti videntur accepisse de cœnaculis in ea ipsa domo, quod est falsum. Clare namque dicit,

ablocasse domum, sine partis alicujus exceptione. Quare id cœnaculum fuit non in domo Vitellii, qui hactenus suæ domus partem nullam solitus est elocare, verum alibi, ubi quis hoc facere consueverat, unde quoque *meritorium* id cœnaculum hic appellatur. Sicut ergo meritorium cœnaculum, pariter & rheda meritoria est dicta. Nec sunt alia *meritoria vehicula* apud dictum Suetonium in Calig. c. 39. nam *vehicula* specialiori notione aliquando nominari genus hoc, jam superioribus ostendi. *Quicquid*, ait, *instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis vehiculis*. Deportari hæc in Gallias curavit. Unde colligas, frequentes per regiones viasque publicas extitisse, qui hoc genere quæstum facerent, aliisque rhedas tales elocarent. Arguitque idem Cæsaris exemplum, qui celeritate ista iter facere haud potuisset, nisi habuisset ubique paratos rhedarum ejuscemodi elocatores. Discimus autem porro ex his verbis Suetonii, non vehendis hominibus solummodo, verum etiam oneribus adhibitas, huncque alterum esse usum rhedarum. Quem confirmat quoque Juvenalis III. Sat. ubi ait de Umbricio.

Sed dum tota domus rheda componitur una
Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Monstrat enim, omnes facultates suas, omnemque supellectilem uni rhedæ impositam habuisse. Docet eadem & Martialis quando Bassum scribit ea vexisse omnis generis holera ad urbem. Versus extant lib. v. epigr. de Basso.

—— Plena Bassus ibat in rheda
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice mobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigroque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum.

Jam quoniam tam varius multiplexque usus fuit rhedarum, iccirco & in supellectili numerabantur. Paulus l. 4. ff. de Supell. leg. *Rhedæ & sedularia supellectili annumerari solent*. Sed quid est, quod idem lege subsequenti negat esse in supellectili, sed instrumento potius viatorio tapetes, quibus vehicula insternuntur? Verba legis: *De tapetis autem vel linteis, quibus insternuntur vehicula, dubitari potest, an sint in supellectili. Sed dicendum est, potius instrumenti viatorii ea esse, sicut pelles, quibus involvuntur vestimenta*. Scilicet cum imminerent pluviæ tapetibus ejusmodi, aut linteis crassioribus insternere vehicula, id est rhedas solebant. Ita hodieque fieri videmus per Germaniam in rhedis, quibus vel peregrinantes utuntur, vel mercatorum sarcinas deportant. Linteum crassioris fili superne injiciunt, probeque intensum firmant ad latera, ut vis pluviæ coerceatur. Rhedis itinera fiebant publice quoque, præsertim celeriora. Hinc in cursu publico crebra mentio rhedarum, sicuti ex Codice utroque liquet, ipsaque rheda *cursualis* dicta l. 9. C. Theod. de legatis. Utebantur vero tali genere ab initio ii, qui perferre literas ad Imperatorem ex provinciis deberent, eratque primum hoc institutum ab Augusto. Suetonius in vita ejus c. 49. *Quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit*. Subdit postea rationem, cur vehicula: *Commodius id visum est, ut qui a loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent*. Antea cum dispositi essent cursores, alteri alter solas debet litteras porro ferendas, sic per cursores multos tandem perveniebant ad Augustum. At dispositis vehiculis ille ipse, qui primus litteras acceperat, pervenire ad Augustum poterat, & coram sermone quoque proferre, quæ scire Augustus volebat. Instituerat vero Augustus hæc vehicula præberi a privatis, quos ad id compellerent Magistratus municipales. Plutarchus in Galba: *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum servi publici a Consulibus destinati essent, qui Senatusconsulta ad Imperatorem ferrent, quibus ipsis diplomata, quæ dicuntur, dari solent, ut iis statim agnitis Civitatum Magistratus tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus*. Vides aperte, Magistratibus hoc fuisse injunctum, ut darent deductores. Προπομπὰς τῶν γραμματηφόρων, ipse vocat, & intelligit municipes, qui vehicula præbere cogebantur. Hos ait datos a Magistratibus interventu diplomatis. Pancirollus id exponit codicillos charta duplicata, in Comm. ad Not. Imp. Verum rectius Budæus thessaram fuisse ait, aut chartam signo Principis firmatam. Idcirco enim hic, cum Princeps esset nullus, signum imprimitur Senatus, unde vocantur διπλώματα σεσημασμένα: Et Nymphidius fert ægre, quod non suo signo obsignassent, ut qui Præfectus Prætorio vicem velut Principis gerebat: Οὐ μετρίως, ait, ἠγανάκτησεν, ὅτι μὴ παρ᾽ αὐτοῦ σφραγῖδα οἱ στρατιῶται λαβόντες ἀνέπεμψαν. Nempe res se ita habebat: Non obtinebat quilibet vehicula ejusmodi, qui vellet; Verum exhibere signum aliquod debebat, ex quo constaret, esse ipsum de hoc genere, cui vehicula præstanda. Id signum erat, quod *diploma* vocatur a Plutarcho, munitum sigillo Imperatoris, vel, absente illo, ejus, qui proximam ab eo tenebat potestatem. De hujusmodi diplomate agit Plinius lib. x. ep. 14. *Rex Sauromates scripsit mibi, esse quædam, quæ deberes quam maturissime scire: Qua ex caussa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi*. Pertinet hic diploma ad impetrandas rhedas cursuales festinanti ad Trajanum tabellario ab iis, qui præstare tenebantur. Quando viso hoc diplomate Magistratus exhibere vehicula & rhedas cursuales cogebatur. Ac hoc quidem factum usque ad Hadrianum, de quo Spartianus: *Statim cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere gravaretur*. Hic cursus, cum ante per Magistratus juvandus esset a privatis, fit fiscalis, præbito ex fisco sumptu, qui ad eum fuit necessarius. Nam *fiscalis cursus*, sicut *res fiscalis*, quæ non pertinet ad alios, sed fiscum, hoc est, Principem, l. 9. ff ne quid in l. p. Pertinebat enim ad fiscum, cum quia species fiscales & id genus ad Principem spectantia deferebat, tum quia ex fisco debebat impendi, quod in usum ejus erat erogandum. Atque post id tempus vehicula ipsa, nominatimque *rhedæ* dictæ sunt *fiscales*. Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis reda veniebat*. Pertinebant autem postea non ad tabellarios solum rhedæ, sed & alios. Quomodo videmus ex hoc ipso Sulpitii loco, vectos ea quadam milites. Alibi, & qui mittuntur a provincialibus ad negotia quædam apud Principem expedienda, iis utendi potestatem habent. Sic in l. 9. Cod. Theod. de Legatis: *Si integra diœcesis unum vel duos elegerit, quibus desideria cuncta committat, redæ cursualis unius bisdem tribuatur evectio*. Neque dubium, quin ad Magistratus quo-

quoque, cæterosque omnes, qui habebant jus utendi cursus publici, spectarint. Quo in cursu tamen non homines solummodo, verum onera quoque sarcinæque rhedis portabantur, quæ ad fiscum pertinebant. L. 48. Cod. Theod. de Cursu publico: *Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari redæ solebant, nec ulterius redis, sed angariis vel navibus dirigantur. Reliquæ vero delicatæ vestes, sed & linteamen amictorium, nostrorum usibus necessarium, redis, sed mille librarum ponderatione, mittantur.* Vides onera in rhedis, præsertim lineas, amictoria, & vestes delicatas. Nec hæc solum iis portabantur, verum aurum quoque & argentum largitionum. Eadem lex a principio: *Si aurum sacrarum largitionum vel argentum ad comitatum nostrum destinatur, una reda quingentis auri libris, mille vero argenti, si vero privatarum, auri trecentis, quingentis vero argenti libris oneratur.* Ubi nota, non eodem pondere aurum, quo argentum, neque hoc, quo vestes imponi consuevisse: Vestium onus solenne fuisse mille librarum. De hoc onere librarum mille sæpe docent leges veteres. L. 8. Cod. Thod. de Cursu publico: *Statuimus, redæ mille pondo tantummodo superponi.* L. 28. d. t. *Quod jam Gallis prodest, ad Illyricum etiam Italiæque regiones convenit redundare, ut non amplius reda, quam mille pondo, subnectet.* L. 30. e. t. *Perspicue sanxeramus, ut in carpentis redarum mensuram subditam nullus excederet, & nemo amplius redæ, quam mille pondo, auderet imponere.* Hæ leges omnes sunt intelligendæ non de onere rerum quarumlibet, sed earum modo, quæ nec aurum sunt, nec argentum. Nam hæ duæ species minore pondere imponebantur, præsertim, si essent largitionum privatarum. Caussam Gothofredus sese ait ignorare, nisi fuerit in magnitudine rhedarum. *Cur*, ait, *species fiscales in auro & argento distinguantur a vestibus, cur aurum ipsum ab argento, cur sacræ largitiones a privatis, mihi non liquet: Nisi quod necesse est redas alias aliis majores fuisse, nempe redas vestiarias longe majores, ut & argentarias, quam aurarias: Item, sacrarum largitionum redas, majores, quam privatianas. Et sic in triplici discrimine, si pondus spectes, fuere redæ, 1. mille librarum, puta communes, itemque argentariæ sacræ & vestiariæ. 2. Quingentarum, aurariæ sacræ & argentariæ privatæ. 3. Trecentarum, aurariæ privatæ.* Sed hic nondum dubium sublatum: Quæras enim, cur majores hæ, illæ minores fuerint? Adde, quod ne constet quidem satis de hac magnitudinis diversitate, & producta l. 30. statuere diversum videatur. Quare nescio, annon caussa fuerit in arcis, quibus istæ species transferebantur. Arcis enim, aurum præsertim & argentum, transferri consuevisse, potest colligi ex iis, quæ de Susceptoribus in sæpe dicto Codice leguntur. At illæ arcæ absque dubio diligenter erant clausæ ferramentis serisque, quantoque res unaquæque pretiosior, tanto diligentius solita custodiri. Quantum ergo accedebat ponderis in arca, tantum detrahi necesse fuit in materia. Lintea & vestes vel omnino nullis, vel certe non ex gravi ferro confectis, opus habebant arcis. Itaque in iis relictum pondus mille librarum. Aliter comparatum fuit cum auro & argento, speciebus pretiosissimis. Huc fortassis accedebant rhedæ ipsæ, ferro firmatæ, an & clausæ tabulis, ne aurum argentumque ita submoveri posset facile. Quæ omnia efficiebant, ut ne tanto pondere imponi posset aurum argentumve, quam res aliæ.

CAP. XXXI.

De Sarraco.

Sarracum. Serracum. Sarraca. Gallicum vehiculum. Soracum & sarracum differunt. Ornamenta ejus. Σκεύη. De genere plaustrorum fuit. Cum rotis quatuor. Gestabat onera, tigna, oleum, vinum, homines. Fabius exponitur contra Turnebum. In sarraco & plaustro homines tantum viliores & rustici. Mortui elati sarracis. Pertinebant etiam ad sarcinas militares.

SArraci nomen non eodem modo scriptum reperitur apud veteres. Apud Ciceronem ita extat, ut dixi. Fabius lib. VIII. cap. 3. *An cum dicit in Pisonem Cicero: Cum tibi tota cognatio in sarraco advebatur.* Meminit & Curius Fortunatianus III. Rhetor. *Sunt quædam verba, quæ quamvis obsoleta sint, illis melius expeditur oratio, ut M. Tullius & sarracum & sicem & scalas dicere non turpe duxit.* Atque ita legas alibi. At apud Sidonium lib. IV. ep. 18. *serracum* est. Ita namque habent editi, consensu quodam: *Nullæ graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla serraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Quin & genus quidam mutant, quodque vulgo neutraliter, id feminine afferunt. Inde habes in Glossario Philoxeni. *Sarraca*, ἄμαξα. & Glossis Ms. Savaronis. *Αμαξα, sarraca, sarracum.* Unde nomen suum traxerit sarracum, liquido haud dixerim. Meursius a Græco σωρακὸς derivat. Idem probat Vossius in Etymologico his verbis: Σωρακὸς, *unde saracum factum literulæ mutatione, venit a σωρός.* Sic edendum fuerat, nec distinctio ponenda post *factum*. Istoc enim vult, *saracum* factum a σωρακὸς mutatione litteræ *ω*, in *a* Latinorum. Verum obstat huic sententiæ, quod quoties vehiculum significat, *r* litteram habeat geminatam. Deinde inter peregrina numeratur a Sisenna, & conjungitur cum carris. Verba ejus lib IV. *Construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* Ad postremum Hieronymo expressis verbis Gallicum est vehiculum in Comment. ad c. ult. Esaiæ, ubi agit de opinione Judæorum circa statum sæculi, quo venturus atque regnaturus sit Messias: *Reducentur filii Israel, nequaquam assumptis aliis, sarraco Gallico, covinisque Belgicis, & equis Cappadociæ atque Hispaniæ.* Atque hæc fortassis caussa est, cur Alanis a Marcellino tribuantur. Jam si Gallicum barbaricumve fuit vehiculum, qui potest nomen ejus derivari a Græco? Græcum equidem est σωρακὸς, sed ab eo non *sarracum* sed *soracum*. Multum autem ista differunt. Salmasius rectissime ad vitam Antonini: *Corrigendus error est eruditorum hominum, quibus hodie persuasum est, soracum idem esse cum sarraco. Tantum sane interest, quantum inter cophinum & plaustrum. Soracum enim vox est mere Græca, nam σώρακος illis dicitur.* Dicit, *soracum* esse mere Græcum, per quod innuit, contrarium se de *sarraci* voce opinari. *Soracum* comparat cophino, *sarracum* plaustro. Cophinus *est vas ex virgultis aptum mundare stercora & terram portare*, inquit Isidorus. Similia habemus de soraco. Hesychius: *Σώρακος, ἀγγεῖον, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται.* corbem vel fiscellam explicat, in quam conjiciantur ficus. Pollux exponit τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν, *vas, in quo sint instrumenta histrionum.* Atque ita plane Festus: *Soracum est, quo ornamenta portantur scenicorum.* Quæ *ornamenta* Festo, ea

σκεύη sunt Polluci: Intelligit autem non *vestimenta* sola, sicut vocem hanc exponit Vossius, sed omnem supellectilem apparatumque, quo in scena utebantur ludiones. Eum omnem ait immitti consuevisse vasis, soraca nominatis. Festi igitur soracum nihil pertinet ad hunc locum. Nam sarraca vehicula fuere, ac vehicula non multum plaustris dissimilia, quod Salmasius innuit, & nos in sequentibus monstrabimus. Græci sane, quando vertunt, quæ Latinis sunt *sarraca*, generali voce ἁμάξας reddunt, unde intelligitur clarissime, nec ab ipsis natam eorum appellationem, nec extare vocabulum in eorum lingua, quo peculiariter sint appellata. Glossæ Philoxeni superius laudatæ nobis: *Sarraca*, ἅμαξα. Glossæ Savaronis: ἅμαξα, *sarraca*, *sarracum*. Speciem vehiculi quod attinet, ea plaustris fuisse non absimilis videtur. Quod colligitur ex eo, quia Græcis ἅμαξα, quod plaustrum denotat. Deinde quia etiam Latini quæ loco uno vocant sarraca, alio reddunt plaustra. Ammianus lib. XXXI. *Carne & copia victitant lactis, plaustris superſidentes. Cumque ad gramina venerint in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu veſcuntur.* Hic quæ priore loco plaustra sunt, alio dicuntur sarraca. Neque tamen plaustra omnino fuere. Nam distinguit Vitruvius lib. x. cap. I. *Portationesque eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram.* Ad eundem modum tanquam diversa leguntur apud Juvenalem Sat. III.

——— Modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt ———

Idem voluit Sisenna lib. IV. Histor. *Construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* Rotis incessisse quatuor conjicio ex eo, quia sydus cœleste, quod plaustrum vulgo dicitur, a Juvenale nuncupatur sarracum: ejus namque stellas quatuor, quadrata figura dispositas referre rotas quatuor alibi ostendi. Juvenalis versus extat lib. v.

Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Ad quem locum Commentator vetus: *Sarraca, plaustra Septemtrionis.* Certe nisi rotis incessisset quatuor, tantæ molis longitudinisque sustinere onera non potuisset, quanta gestasse Juvenalis docet in superius allatis verbis. Usus sarracorum fuit idem pæne, qui plaustrorum, pertinuitque vel ad pacem, vel ad bellum. In pace onera eis vehebant. Sidonius lib. IV. ep. 18. *Nullæ graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla sarraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Oppidum, quod Sidonis hic vocat, est Arverna Galliæ, ubi proinde receptum sarracorum usum colligimus fuisse, ac simul stabilimus, quod superius de sarracis Gallicis testati sumus. Neque tamen Gallis solum fuerunt usitata, verum in ipsam urbem Romam translata sunt, ubi tigna ingentia integrasque arbores in eis deportata ex agris. Ita Juvenalis testatur, loco, quem superius ostendi.

—— Modo longa coruscat
Sarraco veniente abies ———

Dicit *longa*, unde liquet, integram propemodum fuisse, atque propter ipsam eam longitudinem, vehiculum exegisse quatuor rotarum. Vitruvius oleum vinumque imponi eis consuevisse ait, ac ex loco uno deferri in alium. Verba leguntur lib. x. cap. I. *Si non fuisset torcularis præparatio, neque olei nitorem, neque vitium fructum habere potuissemus ad jucunditatem. Portationesque eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram inventæ essent machinationes.* Si absque plaustris sarracisve non haberi potuerunt portationes olei & vitium fructus, sequitur hæc talia sarracis fuisse portata. Serviebant quoque rebus aliis vehendis, interdum & hominibus, quod colligo ex verbis Ciceronis, quæ laudantur Fabio lib. VIII. cap. 3. *Vim rebus aliquando & ipsa verborum humilitas affert. An, cum dicit in Pisonem Cicero: cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur: incidisse videtur in sordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum volebat, auxisse?* Dicebat Cicero, totam Pisonis cognationem advectam ei in sarraco, quod non potuisset, nisi aliquando ita factum esset. Sed quid est, quod Fabius hoc verbum *sordidum* appellat? Turnebus ait, quia *est mechanicum*, quod non intelligo. Mihi duo respexisse videtur, primum, quod sarraci usus esset hominum non elegantiorum, sed agrestium; dein quod vocabulum esset peregrinum atque barbarum. Poterat Cicero pro sarraco, plaustrum ponere, sed maluit alterum, ut ostenderet hominem non communiter, sed barbare plane sordidum. Poterat ponere currum aut vehiculum, sed sarracum maluit, quoniam in sarracis & plaustris sedebant rustici & agrestes. Tibullus lib. I. & ult.

Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse
Uxorem plaustro, progeniemque domum.

Quod igitur proprium fuit hominum agrestium sordidorumque, id Cicero Pisoni familiæque ipsius tribuit. Apud Julium Capitolinum etiam defuncti efferuntur isto genere. Ita namque habet in vita Antonini: *Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque.* Verum fuit hoc inusitatum alias, *cum de more honestiores in lectis efferrentur, pauperes populari saltem sandapila*, sicut Casaubonus ibi ait. Illud quoque singulare, quod propter multitudinem funerum vehicula honestiora quoque non sufficerent, sed ad sarracas plane veniendum esset, instarque stipitum lignorumque cadavera efferri deberent. Nam alias honestius sepelire suos solebant, sepulturamque numerare inter pia sacraque officia, sicut notum. Et hic quidem sarracarum usus in pace. In bello pertinebant ad gestandas sarcinas militares, præsertim apud gentes barbaras, ut Alanos, de quibus hoc ex Ammiano Marcellino discimus. Construebant eis quoque instar munimenti, quo munirent castra, positis in orbem sarracis. Ammianus dictus lib. XXXI. *Cumque ad gramina venerunt, in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur: absumptisque pabulis velut carpentis civitates impositas vehunt.* Agit de Alanis, gente Scythica, neque uno subsistente loco, sed cum uxoribus liberisque ac pecore suo errante, semper ad arma parata, & velut bellum perpetuum agitante cum omnibus. Hanc ait instar civitatis ambulatoriæ facere cum sarracis suis, quibus quocunque venerint, multitudinem suam, velut mœnibus circundat in orbem. Idem alii fecere barbari, præsertim quando metus esset ab hoste. Quod colligitur ex Sisenna, quem opinor agere de Gallis, quando ait lib. IV. *Construunt carros & sarraca crebra disponunt.* Verum de hoc genere satis multa in superioribus attulimus ubi de carris egimus.

CAP. XXXII.

De Epirhedio.

Epirhedium. Vehiculum Romanum. Cum rotis quatuor. Scaligeri sententia rejecta, item Vossii. Epiredia aperta. Epirotum. Curriculus. Equis ducitur ignavis. Onera eo portantur.

VEnio ad epirhedium, cujus est exigua in antiquis libris mentio. Nominatur Fabio lib. I. cap. 5. ut post monstrabo: Juvenali quoque Sat. VIII. ubi ita loquitur:

—— —— Trito ducunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

Inde venit & in Glossas, quas Tyronis Tullii & Senecæ appellant. Vocabulum ipsius ex Græco Gallicoque esse compositum intelligimus ex Fabio, loco antea laudato, ubi hæc leguntur: *Junguntur autem, aut ex duobus Latinis integris, &c. aut ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Nam cum sit præpositio ἐπὶ Græca, Rheda Gallicum, nec Græcus tamen, nec Gallus utitur composito; Romani suum ex alieno utroque fecerunt.* Ubi nota, vocem esse apud Romanos solos notam usitatamque. Quod existimo ex eo esse, quia hoc vehiculum Romanis solis fuit usitatum. Unde frustra forsan quærimus, quod ejus apud Græcos fuerit vocabulum, qui prorsus ignorarunt. Interim hoc discimus, cum a rheda nominatum sit, figuram speciemve ejus non fuisse multum ab ea diversam. Ita judicavit & Turnebus. Sic enim ad locum Fabii præmissum: *Epirhedium genus est vehiculi, quod non est absimile rhedæ.* Corrasius existimat, fuisse currum. *Epirhedium quoque currum significat*, inquit lib. III. Miscell. cap. 20. Sed si currus fuit, quid ita nomen suum habuit a rheda? Differunt plurimum inter sese ista duo, cum currus rotas duas habeat, rheda quatuor. Scaliger existimat, fuisse id vehiculum, quod Latini alias arceram appellarunt. Verba sunt in Verborum Etymologiis, quas subjungit Conjectaneis: *Arcerra, ab ad & carrus. Id erit ad verbum, epiredium, spuria & hibrida voce.* Sed jam alibi monstravimus, non posse hoc procedere, cum sit currus aliud, & rursum aliud rheda. Si arcera a curru, quod interim concedamus, nil commune habet cum epirhedio, quod auctore Fabio est a rheda. Quare aliud epirhedium, aliud arcera. Arceræ sane clausæ fuerunt tabulis, ut est dictum alibi: Non sic epirhedia, quod colligo, quia Scholiastes Juvenalis explicat per plaustra. *Epirhedia*, inquit, *ornamenta rhedarum, aut plaustra.* Si epirhedia de plaustrorum genere, non potuerunt esse clausa. Itaque nec amplector, quod habet Vossius in Glossis carrum significare quadratum. *A rheda*, inquit, *& Græco proverbio factum est epirhedium, genus carri quadrati.* Plaustrum sane non est quadratum, sed bene longum. Et quid est, *quadratus carrus*? Sine dubio his verbis Vossius respexit ad arcam, quæ arceram constituebat. Hæc quia fuisse quadrata visa est, cum sit ista species arcarum vulgo, ideo quadratum carrum dixit. Subdit namque post superiora: *Quod* (genus carri) *Jos. Scaliger recte scripsit transferri posse arcerram, cum hoc nomen sit ab ad, & carrus.* Epirhedium vero non arcera fuit, ut jam dixi, sed de genere plaustrorum, rhedæ non absimile. Ac fortasse rheda minuta erat, quomodo apud Nonium est *epirotum*, vehiculum minutum, alias *curriculus* vocatum. *Curriculus*, ait, *ut consuetudo fert, a curru diminutio est: Dicitur brevissimum vehiculi epiroti genus.* Nisi *genus epirotum* hic accipiamus, quod sit rotis instructum, oppositumque illi, quod rotarum vice sustinetur tignis, sicut trahæ solent. Quicquid vero sit de epiroto, epirhedium existimo fuisse rhedæ simile, sed aliquanto minus, ita dictum, sicut ab *epistola* est *epistolium*. Habuit de cætero adjunctos equos, verum inertes ignavosque, sicut Juvenalis docet, in superius producto loco, ubi *segnipedes* appellat, & comparat cum asinis. Usus epirhediorum qualis fuerit, non licet divinare, quia nil de eo prodidere veteres, quod sciam. Illud liquet, genus tardum fuisse, nec adhibitum ad cursum, verum onera. Ideo segnipedum in eis locus, qui alias debuissent esse celeres. Sed & colla trita ideo in jumentis illis Juvenalis notat, quod sine dubio a difficultate laboris in commovenda gravi mole:

—— Dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, trito ducunt epiredia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

Denique contemptum vileque genus liquet ex his verbis habitum, quippe cui adjuncti viles equi. Atque hoc de epirhediis.

CAP. XXXIII.

De vehiculis aliquibus putatis falso, maleve intellectis.

Tintinnabulum non est de genere vehiculorum. Scaliger revellitur & Lambinus. Gronovius laudatur. Lucilius explicatur. Pampillum. Lampridii locus examinatur.

EXecuti sumus, quantum scimus, omnia vehicula, quorum mentio est apud veteres. Sed quia sunt, quæ vulgo pro vehiculis habentur, necdum nominata nobis, ideo & de ipsis aliqua dicemus. Primum, quod hic memorari debet, est *tintinnabulum*. Id ex Plauto & Lucilio Scaliger vehiculum est commentus. Verba Scaligeri leguntur ad Varronis lib. de LL. IV. ubi sic ad vocem *sirpea*: *Sirpea: Lucillius: Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque olerorum. Est autem vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, sirpea aut sirpicula, & tintinnabulum. De sirpeis habes hic apud Varronem. De tintinnabulo non ita cognitum omnibus. Plautus Pseudolo:*

—— —— Lanios inde arcessam duo cum tintinnabulis
Eadem duo greges virgarum indidem ulmearum adegero.

Quod tamen vocabulum Scholasticorum & Grammaticorum nationi antea ignotum fuit. Servat expositionem hanc Lambinus in suis ad Plautum Commentariis: *Cum tintinnabulis, ait, cum vehiculis. Nam tintinnabulum, præter vulgatam significationem, genus vehiculi est, quod indicat Scaliger Josephus, Comment. in Varr.* Eandem amplectitur & Douza in Comment. ad Lucilium. Verum mihi rectiora longe, quæ ad Plauti locum super hac re scribit incomparabilis Gronovius. Apponam cuncta ejus verba, quia mire faciunt ad rei illustrationem: *Quid fuit in mentem Scaligero, quum ad quartum Varronis notaret, duo esse genera vehiculorum, sirpeas & tintinnabula, & insultaret Scholasticorum ac Grammaticorum nationi, qui-*

bus hæc essent ignota vocabula? Quid illis, qui toties hoc ex illo scribunt? Imo nec sirpea vehiculum est, sed imponitur vehiculo, nec tintinnabulum, sed si quando appenditur. De sirpea alibi. Sed dixerit Lucilius: Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque olerorum. Quid hic, quamobrem credam ea esse vehicula? Quid in loco Plauti? Palam est, carnifices & tortores describi, qui solebant cædere κωδωνοφορῦντας, ut ab aliis jam notatum. Et tamen etiam nolas ad usum sacrificiorum comminiscuntur. Lusus est servuli, qui de supplicio, quo vult mactari Lenonem, loquitur, quasi de sacrificio, quo is, quem Jovem sibi fecerat herus, mactetur. Itaque pro carnificibus dicit lanios, quasi victimarios, sed cum tintinnabulis, quibus carnifices ornabant noxios, pro hostiis, greges virgarum ulmearum, vel virgas in fascem colligatas. Isthæc optimus Gronovius eruditissime: Neque dubitari debet, quin tintinnabulum loco nullo vehiculum significet. Quid tamen est, quod Lucilius, ubi de sirpiculis agit, tintinnabuli facit mentionem? Quo ista pacto cohærent? Puto usum figura, quam appellant *ἓν διὰ δυοῖν*, & *tintinnabulum sirpiculasque* posuisse pro sirpiculis cum tintinnabulo. Erat ea consuetudo veterum, ut res venales indicarent pulso commotove tintinnabulo. Ita solebant Græci, cum vendendi pisces essent, quod ex Strabone aliisque annotarunt viri docti. Hoc modo Romæ etiam existimo vendidisse holera. Habebat vehiculum seu plaustrum appensam campanulam, cujus sono admonerentur, si qui vellent emere, adesse venalia. Et hoc credo intelligere Lucilium. Manet ea ratio hodieque alicubi per Belgium aliasque regiones, cum venale quid proponitur, & Argentorati, mea in patria, molitorum plaustris appenduntur tintinnabula, quo prætervehentes possint audiri, & frumentum ipsis offerri ad pistrinum molamve farinariam deportandum. Idem observatur in eo genere vehiculorum, quo purgamenta platearum exportant, quod propterea *die Klingelkärch*, id est, *currus tinnientes*, vocant. Venio ad *Pampillum*, de quo Calepinus censet, quod ex genere fuerit vehiculorum. *Pampillum*, ait, *genus delicati currus*, laudatque in hunc sensum verba Lampridii, ex vita Heliogabali desumpta. Calepinum exscripserunt Auctores Fori Romani, aliique, qui Lexica compilarunt. Sed pampillum nusquam legas alibi, nec est ulla ratio vocabuli illius, aut probabilis origo, sive Græca, sive Latina, unde corruptum esse intelligitur. Verba Lampridii leguntur cap. 29. *Junxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad pampillum, vel ternas & amplius, & sic vectatus est.* Ita habent veteres editiones, agnoscitque Grutero teste etiam Palatinus. Sed, ut dixi, nusquam alibi pampilli vox occurrit. Quare sunt, qui pompillum maluerunt, ut a *pompa* videatur ortum, significetque genus tale, quale Isidoro alicubi *pompaticum* vocatur. Ac a *pompa* recte quidem oriri *pompaticum* apparet, sicut a *gramma*, *grammaticum*, a *sylva*, *sylvaticum*, & hujusmodi. At, quo pacto a *pompa* fit *pompillum*, non æque possis dicere. Dein non magis legas alibi *pompillum*, quam *pampillum*. Denique totus locus docet, agere Lampridium de re nota, facilique intellectu. Ideo vocem affert nudam, nihil addit explicationis gratia. Quare verisimile non est, scripsisse *pompillum*. cum, ut maxime accipiamus pro vehiculo pompatico, de hoc ipso, quale sit, interrogari queat. Fuerunt enim multa diversaque in pompis vehicula, bigæ, quadrigæ, currus, carpenta, thensæ, ac id genus. Ne ipsæ pompæ quidem unius ejusdemque generis fuere, sed aliæ circenses, aliæ theatrales, aliæ triumphales ac deinceps. Ad postremum libri alii Lampridii, ad quos editiones optimæ sunt formatæ, non *pampillum* habent, sed *papillam*. Quanquam ne hoc ipsum quidem probum videatur. Ecquid enim hic *papilla?* Nam si mamma, quo pacto junctæ plures fuerunt ad mammam? Genus locutionis arguit, sermonem esse de diversis, & aliud, quod junctum est, aliud cui junctum est, intelligi oportere. Suetonius in Julio cap. 31. *Mulis e proximo pistrino ad vehiculum junctis iter ingressus est.* Plinius lib. VIII. cap. 16. de Leonibus: *Primus Romæ ad currum junxit M Antonius.* Ipse Lampridius aliter non loquitur, ut cap. 23. Dicitur *junxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo.* Item cap. 28. *Canes quaternos ingentes junxit ad currum.* Quando ergo ait, *junxit ad papillam*, non potest papilla mulierum junctarum intelligi, sed quid aliud, ad quod junctæ ipsæ fuerunt. At hoc vox papillæ non declarat; Unde sequitur, esse depravatam. Suspicabar aliquando, ad *plaustillum* legi oportere. Nam ex *plaustillo*, scribarum incuria potuit fieri primo *paustillum*, dein *panstillum*, & cum *st* in Mss. parum differat a *p*, *panpillum* ac *pampillum*. Verum nolo conjecturam hanc tueri adversus eum, qui quid melius excogitabit. Cum præsertim locus totus valde corruptus imo mutilus videatur. Ecquid enim est, quod primo ait, *junxit & quaternas & binas*, & statim post, *vel ternas & amplius?* Quo spectat illud *& amplius?* nam si ad quaternas, eæ vero jam antea enumeratæ sunt. Plane liquet esse hæc inepta, neque sic a Lampridio formata. Id quod olim deprehendent, qui libros emendatiores consulent.

Cap. XXXIV.

De vehiculis admiratione dignis.

Currus ignei Eliæ & Simonis Magi. Arnobius emendatur. Currus alati, cum velis, ac sine equis incedentes. Indicantes viæ longitudinem, & numerum horarum. Umbram semper facientes. Capitolini locus expenditur. Salmasius rejicitur. Vertigo. Exquisita sedilia. Capitolinus corrigitur. Currus minimi ex ebore, ære, marmore. Plinii lectio vetus defensa. Marmoreæ quadrigæ Claudiani contra Barthium explicatæ. Currus ex vitro. Ex argilla miraculosus. Festus emendatur. Currus ex ferro libere pendens in aere. Currus ad excitandas pluvias.

IIS quæ hucusque tradidi, addam aliquid de vehiculis miraculosis. Nam & talia inveniuntur in antiquis monumentis. Nullum autem est, quod dignitate superet vehiculum, quo vectum olim legimus Eliam Prophetam in ipsos quoque cœlos. Totum enim, quantum fuit, flagrabat ignibus, & coruscabat flammis. Auctor lib. IV. Reg. cap. 12. *Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce, currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Currum huncce tam stupendum, solaque virtute Divina fabrefactum, imitari ausus est per æmulationem improbam Simon magus, sed successu infelici, quando Petrus Apostolus omnem ejus perdidit structuram, ipsumque Simonem ex aere dejecit. Hinc Arnobius lib. II. *Viderant enim currum Simonis magi, & quadrigas igneas, Petri ore difflatas, sed nominato Christo evanuisse*, Ubi forte legi debet, *Petri ore difflatas, sed nominato Christo, evanuisse.* Ita namque illud *sed* eleganter usurpari, jam ad Phædrum nostrum lib. 4. cap. 17. demonstravimus. Currus igneos alioqui circa se custodiæ caussa habuit & Propheta Eliseus, de quo

in prædicto libro Regum capite 6. ita legimus: *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce, mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Currum alatum vidit Ezechiel Propheta tractum ab animalibus quatuor alatis modo euntem, modo subvolantem in altum, cui Deus ipse insidebat. Describitur latissime in libro ejus cap. 1. Cæterum respectu ejus a Platone Jovi quoque currum alatum tributum, censuit Justinus Martyr in Cohort. ad Græcos. *Nam,* inquit, *aliunde institutus Plato, quam ex Propheticarum lectione historiarum volucri Jovem in cœlo curru vehi affirmat? Vidit ille in Prophetæ responsis de Cherubim dictum illud: & exivit e domo gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & elevarunt Cherubim alas suas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Israelis erat super eos.* Aliter res sese habuit cum curru Triptolemi, quem alatum (ἅρμα πτερωτὸν) vocat Aristides in Or. Pan. & Pelopis, qui alatos equos dicitur habuisse junctos. Nam de altero Philochorus, de altero Palæphatus testantur, quod sint vecti navibus, quemadmodum jam pridem docui in libris de Militia & Re Navali. Quare potiori jure currus alatos diceremus, quos ætate nostra invenit in Batavis Stevinus, nullis tractos equis, sed velorum ope incedentes, quorum unus spacio duarum horarum milliaria quatuordecim Hollandica valuit conficere. Descripsit eos Baudius eleganti carmine, & Hugo Grotius epigrammate non uno. Ecce tibi aliquod:

Qui Scyllam veterem, & Lyciæ portenta Chimeræ,
Quique Ixionidas, Semivirumque bovem
Vera negas; postbac ne sis incredulus, istud
Materiæ Divum cerne biformis opus.
Cerne sinus, axem, capsum, carchesia, clavum,
Absida, paxillum, stamina, rostra, foros,
Flamineque antennam stringi, sufflamine currum,
Seque ratem cœlo ferre, rotamque solo.

Memini me videre olim apud eosdem Batavos currum, cujus rotæ circumagebantur machina peculiari per virum in eo sedentem, qui simul iter ejus dirigebat quoquo vellet, absque equis ullove alio præsidio. Sed hi quidem lusus sunt ingenii humani, neque usum habent aliquem in communi vita. Memorat Vitruvius vehiculum singulari structum arte, ut cognosci possit, quantum itineris per id sit confectum quovis tempore. Verba, quia longiora sunt, non exscribimus & legi possunt apud ipsum lib. x. cap. 14. Quanquam pridem anteque Vitruvium delineaverit Heron in Diopricis prop. 28. ubi ὄχημα ὁδομέτρον nuncupavit. Usurpavit autem Commodus Imperator, uti, testis est Capitolinus in vita Pertinacis cap. 8. Locus est notabilis, nam & alia vehicula rariora docet: Ita vero habet: *Nec non vehicula arte fabricæ nova, perplexis diversisque rotarum orbibus, & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia horasque monstrantia.* Quibus verbis manifeste docet habuisse, quibus iter poterat metiri. Erant ei quoque, quibus monstrabantur horæ, sive illa ipsa, sive alia. Denique quibus Solis evitari radii, auraque undecunque veniret, captari poterat. Quod quidem fiebat *per vertiginem*, id est, ut Salmasius exponit, per *versatilitatem, quia ita apta vertebris & verticulis erant, ut nunc in partem, quæ Sol esset, versari, nunc in aliam unde aura veniret, facile possent.* Quanquam mea sententia illud *per vertiginem* non ad ista præcedentia, sed subsequentia potius pertineat, cohæreantque in

A ter se, *vehicula perplexis diversisque rotarum orbibus monstrantia horas, & metientia iter per vertiginem*, ut *per vertiginem* sit, dum illi orbes rotarum vertuntur. Sic enim fiebat in ejusmodi vehiculis, ut ex Vitruvio cognoscimus. Habebant rotas plusculas, quarum conversione ac circumactione longitudo viæ indicabatur, plane ut in nostris fit automatis. Neque aliter est sentiendum de significatione horarum. At vero umbræ & auræ habebantur non per vertiginem, sed exquisitis sedilibus, hoc est, ita factis, ut pro ratione Solis auræve possent mutari. Atque sic Capitolini verba ita B debebunt distingui, — *nunc ad spiritus opportunitatem; Per vertiginem & alia iter metientia horasque monstrantia:* Ut illud *per vertiginem & alia* sint connexa, eaque *alia* de indicibus, ut lapillis decidentibus, quos Vitruvius commemorat, vel similia accipiantur. Præter istos currus digni admiratione illi Myrmecidis, de quibus Ælianus noster: Τέτριππα ἐποίησαν ὑπὸ μυίας καλυπτόμενα. Plinius lib. VII. cap. 21. de iisdem ita loquitur: *Myrmecides in eodem genere inclaruit, e quo quadrigam ex eadem materia, quam musca integeret alis, fabricatam M. Varro retulit.* Per materiam eandem intelligit ebur, unde & Callicratitas, de C quo præcessit, opera sua faciebat. Similes, sed tamen aliæ, fuerunt quadrigæ Theodori, de quibus idem Plinius lib. XXXIII. cap. 8. *Dextra limam tenet, læva tribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Præneste, tantæ parvitatis, ut totam eam currumque & aurigam integeret alis simul facta musca.* Hæ quadrigæ fuerunt æreæ, quod constat ex capite toto, cum Myrmecidis essent eburneæ. Myrmecidis tegi alis muscæ ejusque veræ poterant, Theodori tegebantur, verum ejus, quæ & ipsa fuit ærea. Fecit rursum alias quadrigas ante dictus Myrmecides ex marmore. Plinius lib. XXXVI. cap. 5. *Sunt & in parvis marmoreis famam conse-* D *cuti Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca.* Hermolaus Barbarus pro *marmoreis* substituit *eboreis*, quia Plinius de talibus in præcedentibus. Sed obstat primum constans codicum omnium lectio. Deinde argumentum capitis totius, in quo nihil de eburneis, tantum de marmoreis operibus. Ex quo sequitur, duplices fecisse quadrigulas, alias ex ebore, alias ex marmore. Marmoreas quadrigas memorat & Claudianus, admodum mirabiles profecto, si fuerunt tales, quales Barthius existimat. Putat enim sic fuisse sculptas, ut decidere & redire in currum agitator posset. Verba ejus extant lib. XIV. Advers. cap. 20. E *Epigramma hoc scriptum est in quadrigam convertilem, cujus membra versa reddiderunt effigiem aurigæ insidentis currui, versa denuo, currum aurigæ incumbentem, equos, axes, virum currumque, omnia ex una materia vertibilia.* Adde cætera. Epigramma habet ita;

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
Unanimes frænantur equi. Quos forma diremit,
Materies cognata tenet, discrimine nullo.
F *Vir redit in currum: Ducuntur ab axe jugales:*
Ex alio se quisque facit. Quæ tanta potestas?
Una silex tot membra ligat, ductusque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

In hoc epigrammate nos quidem invenimus nihil, quod interpretationi Barthianæ respondeat. Versionis ejus, quam commemorat, nullum hic indicium; nulla plane mentio. Quia omnia ex uno

lapide confecta erant, Poetæ ansam scribendi epigrammatis præbuere. Hoc est, quod ait, *surgit in aurigam currus*. Nam id ipsum marmor, quod in currus speciem fuit formatum, continuum, nec interruptum, præbuit materiam formando aurigæ, qui currui insistebat. Bene ergo, *surgit*, quia supra currum auriga stetit. Mox tamen, *redit in currum*, quia, ex quo marmore fuit auriga, ex eodem currus, ut, sicut currus in aurigam surgeret, sic auriga in currum rediret. Sed & ab axe ducti sunt jugales, quia illa parte cohærebant currui, cætera liberi & soluti. Erat autem necesse, ut una parte cohærerent, quoniam ex uno marmoris frusto fuerunt facti. Hinc est, quod subdit, *una silex tot membra ligat*. Barthius illud, *surgit in aurigam currus*, ita explicat: *Qui ante incedebat velut ex curru, fit currui imminens auriga. Tortilis & mutabilis in varios vultus machina ex curru pariebat aurigam, ex auriga denuo currum.* Quæ ut sint ingeniosa, ita nihil faciunt ad intellectum hujus epigrammatis, quemadmodum opinor. Currus admiratione dignos ex vitro memorat Cardanus, lib. x. de Var. Rer. cap. ult. *Hic*, ait, *artifex adeo subtiliter e vitro cuncta elaborabat, ut quandoque currum cum bobus fabricaverit, qui sub muscæ ala continerentur.* Addo his quadrigas fictiles, quas apud Thuscos memorant crevisse in fornace, cum coquendæ essent, adeo, ut fornacis partem superiorem perrumperent, ut ostendit pluribus in vita Publicolæ Plutarchus. Festus in *Ratumena* voce: *Quadrigas fictiles faciendas lo-*

A *caverant Romani Vejenti cuidam, artis figulinæ prudenti. Quæ bello sunt reciperatæ, quia in fornace adeo creverant, ut eximi nequirent. Idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuissent, omnium eam futuram potentissimam.* Sic distinguo ista. Postrema docent, quare has quadrigas inter ea septem numeraverint Romani, quibus salus civitatis atque incolumitas inniteretur. Servius ad Æn. VII. ubi de ancilibus agitur: *Septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenent: Acus Matris Deum, quadriga fictilis* B *Vejorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, Ancilia.* Legimus & quadrigas ferreas libere pendulas in templo Serapidis, virtute magnetis cameræ affixi. Prosper Aquitanicus lib. III. de Promiss. Dei, cap. 38. *Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum dæmonis fuit: Quadriga ferrea, nulla basi subfulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aere pendens, cunctis stuporem ac velut divinum subsidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes, qui ferrum sibimet attributum suspendit, eo loco cameræ affixus, totam illam machinam sustentabat.* Fuerunt hæ quadrigæ Solis, C quod collatione loci hujus cum Rufino constat, & jam Barthio significatum est. Currum memorat Antigonus in mirabilibus Narrationibus, quo pulsato pluvia exoriebatur Cranone, Thessaliæ urbe. *Inter sacra donaria*, inquit, *currum servant æreum, quem, ubi siccitas incidit, pulsant, & aquam a DEO poscunt, atque impetrant.*



PYRRHI LIGORII NEAPOLITANI

DE

VEHICULIS ANTIQUORUM

DIATRIBA, EXCERPTA

Ex libris ejus de Familiis Romanis.

LECTORI BENIVOLO S.



UEM hic primus edo, libellum induſtriæ debes viri eruditiſſimi amiciſſimique nobis, Domini Andreæ Nicolai Norcopenſis, *Eloquentiæ in hac Academia Profeſſoris deſtinati, qui eum Romæ deſcriptum ex Codice variorum Pyrrhi Ligorii operum, quos inſtructiſſima* CHRISTINÆ *Reginæ bibliotheca ſervat, ad nos amice tranſmiſit. Ut eum ederem, præcipue me impulit, quod ſcirem neminem alium, qui hoc argumentum ex profeſſo tractavit. Deinde, quod auctorem ejus in exiſtimatione magna eſſe apud Italos didiciſſem. Ita namque præter alios Pignorius, vir celeberrimus, de eo in Epiſtolis:* Pyrrhus Ligorius Neapolitanus & Æneas Vicus Parmenſis gemini Soles præluxerunt vetuſtati illuſtrandæ. Ille in quadraginta libros conjecerat, quicquid pervenerat ad nos a vetere ævo. Meminitque ipſe hujuſce laboris a ſe exantlati, productique a Saturno, Rege Italiæ, ad Juſtinianum uſque Auguſtum, in libello Italice ſcripto editoque, cui titulum fecit: Antiquitates Romanas. Hinc illi jure & merito obtigit, ut a doctiſſimis viris ipſe calamo & penicillo præſtans honorificentiſſimis elogiis appellaretur, ab Onuphrio Panvinio, ab Hieronymo Mercuriali, ab Antonio Auguſtino & Stephano Pighio. Verum hujus libri lucem publicam non aſpexerunt, & cum magno quidem rei litterariæ detrimento. *Hæc Pignorius, quæ profecto quemlibet ad publicanda, ſi quæ Ligoriana veniunt in manus, poſſunt invitare. Quanquam autem Pyrrhus merito laudetur, quod ingenti animo tam vaſtum argumentum ſibi ſumſerit tractandum, ac in cæteris fortaſſe dignum ſeſe laude iſta præſtiterit, tamen in opuſculo præſenti pæne nil invenio, quod æquare titulos tantos valeat. Quod non gratis a me dici, facile oſtendent* NOTÆ *a me additæ, quibus ſimul apparebit, utrum ſupervacua fuerit noſtra in expoliendo præſenti argumento poſt celeberrimum Ligorium induſtria. Vale, ſtudiiſque noſtris fave.*

PYR.

PYRRHI LIGORII DE VEHICULIS ANTIQUIS

Ex libris ejus de Familiis Romanis

VERSIO LATINA

PER CLARISSIMUM

ARRHENIUM

V. C.



Uoniam sæpe in carris variæ res conspiciuntur, quæ nummis sunt impressæ, eæque omnes certi alicujus finis caussa, utpote vel in victoriæ, vel in rei alicujus sacræ signum, ideo dicemus breviter de carrorum multiplici usu & appellatione, ut res huc spectantes rite distinguantur secundum ipsarum usum, & dicemus de quibuslibet carris, quorum ulla uspiam fit mentio. Primo explicabimus rem hanc universim, quia omnes carri vehiculorum nomine indigitabantur primum. Quæcunque appellatione aliqua alia distincta postmodum sunt, carrorum genera varia, ea ab initio omnia continebantur vocabulo vehiculorum. Post agemus de iis, quæ sub ipso vehiculorum vocabulo alias sortita sunt appellationes, aliis vocibur expressas. Latinis in usu fuere sequentia: Vehiculum, Rheda, Essedum, Cisium, Carpentum, Currus, Pilentum, Arcina, Bastarna, Benna, Biga, Triga, Quadriga, Birotum, Burdones, Camulum, Cantherion, Carruca, Combatus, Covinus, Octophorum, Petoritum, Sarracum, Staticulum, Thensa, Traha, Vectabulum, & Veha. Græci frequentius suis vocant nominibus, ΑΜΑΞΑ, ΟΧΗΜΑ vel ΟΧΗΜΑΤΟΣ, quæ sunt voces comprehendentes multa carrorum genera, utpote vehicula, currus, & carpenta, quæ Latinis dicuntur, nam tantundem significant Græcæ istæ voces in omnibus quinque dialectis. Currus & vehiculum dicitur a vehere & portare, & currere, sicut & sub nomine plaustri sunt multi carri aliter dicti, prout placuit Scriptoribus ipsos appellare, & nationibus, quæ ipsis usæ sunt.

I. *De Plaustro.*

PLaustrum a Græcis, tam Poetis, quam Historicis, ΑΜΑΞΑ & ΑΜΑΞΗΣ vocatur, qua de re Aulus Gellius loquitur, ubi agit de plaustro in Cœlo inter sydera. Ejus quoque meminerunt Aratus & Hyginus. Sic est dictum, quod portet per viam amaxeia, ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΑΜΑΞΩΝ ΦΟΡΤΟΣ. Quoniam ejus ope per viam latam & apertam quid ducitur. Plaustrum vocatur quadri-

A

B

C

D



RA perchè molte volte cose nei carri si veggono poste nei danari tutte a qualche fine, o per segno di vittoria, o di cose sagre, parlaremo brevemente qui dell'uso, & nome di diversi carri, acciochè siano distinte le cose di essi secondo l'uso, & si dirà di quanti carri si trova memoria. Premieramente porremo le cose in generale. Perchè tutti i carri sono detti vehiculi, sotto qualsivoglia altro nome, questo fu il primo che si diede a tutti i carri. Poscia diremo di quelli che sotto a essi vehiculi hanno altri nomi con altre voci appellati. I Latini hanno usato dunque di dire Vehiculum, Rheda, Essedum, Cisium, Carpentum, Currus, Pilentum, Arcina, Bastarna, Benna, Biga, Triga, Quadriga, Birotum, Burdones, Camulum, Cantherion, Carruca, Combatus, Covinus, Octopborum, Petoritum, Sarracum, Staticulum, Thensa, Traha, Vectabulum, & Veha. I Greci hanno più frequente ΑΜΑΞΑ, ΟΧΗΜΑ *overo* ΟΧΗΜΑΤΟΣ, *che sono voci che comprendono molti carri, come fa il nome vehiculo, & carpento, & curro presso i Latini; perchè carro suonano in tutte cinque le lingue Greche; Perchè currus & vehiculus sono detti dal vehere & portare & correre, come anche sotto nome di plaustro sono molti carri altrimente detti, secondo è piaciuto a' Scrittori chiamarli, & secondo le nationi che gli hanno usati.*

I. *Del Plaustro.*

PLaustrum, i Greci ΑΜΑΞΑ *&* ΑΜΑΞΗΣ, *lo dicono & tanto i Poeti come gl' Historici, di cui parla Aulo Gellio parlando del plaustro posto in Cielo tra le stelle, e ne parlano Arato, & Hygino. Viene detto dal portare per la via Amaxeia* ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΑΜΑΞΩΝ ΦΟΡΤΟΣ, *Perchè con esse si conduce per strada larga & aperta. Plaustro chiamano la quadriga di Erichthonio,*

A ga Erichthonii, quæ ab aliis dicitur vehiculum, quod cum rotis duabus trahitur ab equis quatuor. Plauſtrum quoque, Vehiculum & Amaxan vocant currum Syſelli, Corinthiorum tyranni, currum quoque Solis, & Martis, cum epitheto volucris, quoniam equis adpoſitæ erant alæ. Plauſtra, vehicula, & amaxa itidem dicti fuere currus Darii Regis, item Alexandri Magni, Laii quoque Thebarum Bœotiarum Regis, quæ vocabula idem valent. Eodem ſignificatu uſi ſunt veteres vocibus pilenti, carpenti, & vehiculi, quæ primum duabus, poſt quatuor rotis conficiebantur, itemque petoriti. Carpentum eſt primum & antiquiſſimum B carri nomen, ſic dictum per litterarum tranſmutationem, quaſi carmentum, quoniam eo uſa ſit Carmenta, mater Regis Evandri. Et carpentophorus, currus portandis fructibus deſtinatus in decimis & ſacrificiis, quæ Romanæ matronæ Carmentæ Sibyllæ ſuæ apportari fecerunt, aliiſque Diis Deabuſque. Vere ab ea carmentum primo dictum, ut oſtendit Ovidius Faſtor. I.

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant.

C Carpentum itaque conveniſſe magis fœminis innuit & Cornelius Tacitus in rebus Agrippinæ, quæ habebat carpentum faſtigiatum & pulchre ornatum, ſicut conſpicitur in nummis, ubi duabus conſtans rotis a duobus mulis aut equis trahitur, unde auctor dictus ita ſcripſit: *Suum quoque faſtigium Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & Sacris antiquis conceſſus, venerationem augebat fœminæ* Eodem uſi ſunt in ſolennitatibus. Pilentum, ut ait Livius, ſpecies eſt plauſtri.

II. *De Vehiculo, Pilento, & Petorito.*

D Pilentum, ſicut eſt dictum, uſurpatum erat ſicut carpentum vehiculum, & petoritum. Inſerviebat dicto miniſterio, ad portandas nempe matronas cum calathis ad ſacrificia, habebatque rotas quatuor, ita dictum a Volſcis, ut quidam volunt. Sed Varro dicit, pilentum fuiſſe repertum in Hiſpania. Romæ ſuo tempore fuiſſe, ait, in uſu, nec eſſe primum uſurpatum a matronis in ſacrificiis, & conſtitiſſe modo duabus, modo 4. rotis, ſed 2. frequentius. Atque in monumentis antiquis videmus ſculptos in hunc modum carros, quibus vehuntur fœminæ cum placentis, ſacrificaturæ Cereri cum calathis plenis ſpicis & pane E ſubcinericio. Habet interdum duas, interdum quatuor rotas. Videre etiamnum licet ita factum currum in domo Maphæorum Romæ, in antiqua hiſtoria Cleobis & Bitonis Argivorum, quem juvenes iſti loco boum trahebant, alii vocant plauſtrum, alii amaxam, quidam vehiculum, quidam pilentum, prout commoda in verſu vox una vel altera eſt viſa, nulla prorſus habita ratione temporum, conſuetudinis, aut linguarum, ſufficere putantibus, ſi dicerent currum datum ad efficiendum, quod in ſacris myſteriis eſſet uſitatum. Tali ergo curru vecta mater dictorum juvenum accenſis F facibus ad Junonis templum, quæ cum non poſſet jumenta habere in tempore, filii ſubiere currum, cumque opera piiſſimorum juvenum ad gloriam religionis faceret, ipſa Sacerdos precata eſt Deos pro felicitate juvenum, ſtatimque ambo obdormiverunt in templo, nec poſt evigilarunt unquam. Unde apparuit, meliorem eſſe mortem glorioſam, quam vitam cum moleſtia, dolore, periculis, & incerta ſpe vitæ humanæ. Ita refert Plutarchus in Conſolatione mortis.

come altri lo dicono vehiculo, il quale era con due ruote tirato da quattro cavalli, & plauſtro & vehiculo & Amaxa chiamano il carro di Syſello, tiranno di Corintho, come quel del Sole & quel di Marte, & vi aggiungono volucris, perchè hanno i cavalli le ale. Plauſtro, vehiculo, & amaxa ancora furono detti i carri di Dario Re quel di Alexandro Magno, quel di Lajo, Re di Thebe di Beotia, perchè tutti ſuonano una coſa isteſſa. Furono uſati il pilento & carpento & vehiculo lo medeſimo; Et pria ſi facevano con due ruote, poſcia con quattro, & fu detto petorito. Carpento fu il primo nome, detto per mutatione di lettere; Perchè è come dire quaſi Carmentum, per eſſere ſtato uſato da Carmenta, madre di Evandro Re, & carpentophoro, cioè curro da portare frutti, nelle decime, nei ſacrificii, come le donne Romane li portavano a Carmenta loro Sibylla, & a gli altri Iddii. Fu detto veramente da eſſa gran donna, carmentum, come ci moſtra Ovidio nel primo de' Faſti:

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant.

Che 'l carpento dunque foſſe delle gran donne, celo accenna Cornelio Tacito nelle coſe di Agrippina, che haveva il carpento faſtigiato, & bello, & ornato, come lo veggiamo nelle ſue medaglie, con due ruote tirato da due mule, o da due cavalli; Onde eſſo autore dice: Suum quoque faſtigium, Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & Sacris antiquis conceſſus, venerationem augebat fœminæ. *Il medeſimo uſarono nelle ſolennità, dunque il pilento, come dice Livio, è ſpetie di plauſtro.*

II. Del Vehiculo, Pilento, & Petorito.

Pilentum, come ſi è detto, era uſato come il carpento detto vehiculo, & petorito. Serviva al ſudetto officio per portar le matrone colle ceſte al ſacrificio, lo quale haveva quattro ruote detto in lingua Volſca, ſecondo alcuni. Ma Varrone dice che 'l pilento fu trovato in Hiſpania. Fu uſato a tempo ſuo in Roma, & non prima dalle matrone nelle coſe di ſacrificii, & dice che con due ruote, o con quattro, con due più frequente. Ma negli antichi monumenti veggiamo ſcolpito sì fatto carro, con che le donne andavano con le placente a ſacrificare a Cerere, colle ceſte piene di ſpiche & di focaccie. Et alcuna fiata hanno due ruote, altri con quattro ruote. Si vede ancora sì fatto carro nella caſa del Mafei in Roma nell'antica hiſtoria di Cleobi & di Bitone Argivi, i quali giovanetti in vece di buoi tirarono il carro, che alcuni dicono plauſtro, altri amaxa, altri vehiculo, altri pilento, ſecondo loro è commoda nel verſo la parola, non curando di oſſervar l'uſo del tempo, & delle lingue, baſtando loro dire un carro dato alla commodità di tali effetti nei ſacri miſterj uſato, col quale andò colle acceſe facelle la madre di detti giovanetti al tempio di Junone; la quale non potendo havere i buoi a tempo, i figlioli tirarono il carro; & eſſendo ſtati gli atti di quelli pietoſi & di religioſa gloria, eſſa Sacerdoteſſa poi pregò la Dea per la felicità di quelli; & toſto amendue s'adormirono nel tempio, nè mai più ſi ſvegliarono; dal che fu compreſo che è meglio la morte nel fine glorioſo, che vivere con pene e doglie, & con pericolo ſotto ſperanza di queſta humana vita. Così ſcrive Plutarcho nella conſolazione della morte.

III. *De Vehiculo, Cisium & Carruca dicto.*

CIsium petorito & currui fuit simile. Græci appellarunt ΔΥΤΡΟΧΟΝ & vehiculum, de eadem re loquentes, quam diximus contigisse Argis. Dictum est cisium tum, cum jungerentur equi, quibus celeriter vehebantur per urbem, vel alias ab uno loco festinabant in alium. Et talis currus moderator dictus est cisarius, & auriga cisii, juxta id, quod scriptum in Pandectis in lege de jure Cisario, quoniam horum aliqui sunt insolentes. Propter celeritatem cursus aliqui annumerarunt curribus citis, & velocibus, quoniam cisia sic facta, ut essent levia & agilia, & comprehenduntur sub numero bigarum, ob velocitatem, non formam corporis. Nam bigæ, trigæ, quadrigæ, quinquejuges, sejuges, omnes nomen habent ab equorum numero, a quibus trahuntur, omnesque sunt carri veloces, omnesque dicti currus, plaustra, vehicula, & cisia. Sed hæc in ludis Circensibus a parte anteriore fuerunt clausa, a posteriore aperta: At vero militares currus ab omni parte fuerunt clausi & armati: etiam illi, qui a tergo erant aperti, duas habebant rotas. Cisia, quibus utebantur in ludis, peculiaris agitator regebat. Sed bellica, quibus solebant confligere, divisa erant in partes, quarum anterior erat pro auriga, posterior, quæ reliqui corporis princeps pars, pro patrono, sicut demonstratum est a nobis in nummis cusis honori Hostilii Regis. Quotquot igitur Scriptores cisii meminerunt, dicunt esse vehiculum, aut, si malumus, currum velocissimum citissimumque ad portandos homines, cum rotis duabus, qui alias sit appellatus carruca. Unde cisarius & carrucarius perinde dicitur is, qui illud ducat, ut ait Cicero Philippica secunda: *Inde cisio celeriter urbem advectus, domum venit capite involuto*. Cisium itaque relatum est in numerum carrorum vehementissimi cursus, unde cisii vox nihil aliud significat, nisi celeritatem. Propter soliditatem quoque adhibita rebus architectonicis ad congerendam materiam, idque patet eo, quod Vitruvius adnumerat instrumentis ad hoc negotium Rhedam, Cisia, & Tornos. Tornus est carrus, in quo quis se cum agilitate gyrare potest, quocunque vult, versareque subito, cujus formam videre licet in antiquis monumentis, quibus insculpta memoria quarundam fabricarum commodarum ad transvehendas res de uno loco in alium.

IV. *De Carruca & Rheda.*

CArruca etiam dictum est vehiculum, unumque pro altero usurpatur, nam vehiculum semper id significat, quod nobis est carrus, idemque est carruca ac currus parvus: Erat autem currus venustus, quo usi sunt, cum ire vellent modeste, celeriter, & commode, non multum spaoccupantes in via. Hujusmodi carrucæ mentiotii nem facit Spartianus in vita Alexandri Severi, dicens: *Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus ut haberent argenteas, permisit: Interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tanti Senatores vectarentur.* Talium carrorum ita cupidæ erant fœminæ Romanæ, propter incessus commoditatem & venustatem, ut, cum decreto Senatus ademptum eis esset jus iis utendi, tantum inde offensionis iræque conceperint, ut noluerint maritis ulla amoris signa monstrare, sed, quoties conjugalis debiti officia ab eis exegerint, obversis tergis eos aversatæ sint, nunquam in amplexus admittentes, ut fierent gravidæ, sicut ait Livius. Unde post ob virtutem jus id eis restitu-

III. Del Vehiculo detto Cisio & Carruca.

FU simile ancora il cisio come il petorito, & il curro; i Greci lo dicono ΔΥΤΡΟΧΟΝ, *& vehiculo, parlando della medesima occasione sopra detta intravenuta in Argo. Fu detto cisio all'hora, che lo congiunsero colli cavalli, co' quali s'andava prestamente nella città, & da un luogo ad un altro; & il guidatore si dice cisario, cioè dal cisio moderatore, & auriga, secondo si trova scritto nelle pandette nella legge de jure Cisario perchè sono alcuni insolenti. Per la prestezza dunque del carro alcuni lo annumerarono ne' carri veloci & presti, perchè si facevano delli cisii leggieri & agili; & si comprende nel numero delle bighe per prestezza, non per forma del corpo; perchè la biga, la triga, la quadriga, la quinquejuges, & la sexjuges tutte dette dal numero de' cavalli, con quali sono tirate, tutte sono carri veloci, tutte sono dette anco curri, plaustri, & vehiculi, & cisia: ma questi nei giuochi Circensi sono d'avanti chiusi, di dietro aperti, & quelli da combattere sono chiusi & armati da ogni parte, & anco degli aperti di dietro con due ruote. Quello dei giuochi il guidava il proprio agitatore, quello della guerra da combattere era compartito, acciochè la parte anteriore stesse per l'auriga, & il corpo principale, per lo padrone, come havemo mostrato nelli danari, fatti ad honore di Hostilio Re. Or dunque il Cisio tutti i scrittori, che lo hanno nominato, tutti dicono esser vehiculo, o vogliamo dire carro velocissimo & prestantissimo da portar huomini, di due ruote, & lo chiamano anco carruca; onde cisario, & carrucario viene detto colui, il quale lo guidava, come dice Cicerona nella seconda delle Philippiche:* Inde cisio celeriter urbem advectus, domum venit capite involuto. *E posto il cisio nel numero de' carri fortissimi, onde la voce cisio non significa altro, che la prestezza, usato per la sodezza nelle cose di fabricha, in condurre materia da fabricare, per lo che Vitruvio l'annumera fra questi nominati a tal officio, Rheda, Cisia & Tornis; Il Torno è carro da potersi girare ovunque si vuole con agilità, & prestamente si muove & si vede negli antichi monumenti, ove sono scolpite memorie di alcune cose accommodate a portar da un luogo ad un altro.*

IV. Della Carruca & Rheda.

CArruca è detto vehiculo ancora, & si piglia l'uno per l'altro; Conciosia cosa che vehiculo è sempre significato, come a noi carro, & tanto è dire carruca, come carretto. Questo era un gentile cocchio che usavano per andar modestamente, presto & commodo, senza occupare molto la strada: Della cui carruca fa mentione Spartiano nella vita di Alessandro Severo, dicendo: Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus ut haberent argenteas, permisit: Interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tanti Senatores vectarentur. *Furono nel vero le donne Romane di tali carri anco tanto ghiotte, per lo commodo & bello andare, che essendo di simili carri state private per decreto del Senato, presero la cosa a tanto sdegno, che non più volevano far carezze ai loro mariti, gli voltavano le spalle in atti amorosi, non si volevano più ingravidare, come dice Livio; Onde poi per haver fatte opere laudabili, gli furono resi. Erano lavorati in Roma li carri di argento, nel vico chiamato de' Sigillari, non guari lontano*

um. Conficiebantur Romæ argentei hi carri in vico Sigillari dicto, non procul ab Amphitheatro Flavii, apud Thermas Trajani, & Titi Vespasiani. De argentea carruca loquitur Plinius, cum dicit: *Carrucas quoque ex argento cælare invenimus*. Cujus generis Nero Imperator fecit mille. Per diminutionem itaque, ut loquuntur, dictæ sunt carrucæ a carris, de quibus loquitur Martialis libro tertio:

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Carrucus itaque vel carruca constabat duabus eminentioribus rotis, contecta rebus quibusdam pretiosis, cum imaginibus loco columellarum, cum clathris per ambitum ante & a tergo, quemadmodum cernuntur in nummis. Et tales quoque fere sunt carri, qui dicti thensæ, confecti in memoriam pompæ institutæ in honorem dedicationis, qua quisque relatus est in numerum Divorum, tractæ a mulis aut elephantis. Rheda dicitur a Rheduco, est in duo sedilia divisa. Dicunt centum rhedis aut vehiculis Terentiam obviam ivisse Marco Tullio Ciceroni, marito suo, Romam redeunti ab exsilio.

V. *De Thensa, & Carpento, & Vehiculo.*

THensa vel thensæ sæpe ponuntur pro carpento vel vehiculo, quia significant carros æque sacros, & privatos. Sacri sunt, dum adhibentur ad portandas imagines pompæ Circensis eorum, qui assumpti sunt in classem Deorum, & dum adhibentur in pompam obambulationum, quæ instituuntur ad oblectationem. De quibus scribit Suetonius in Augusto: *Accidit votivis Circensibus, ut, correptus valetudine, lectica cubans thensis deduceret.* Servius ait, quod thensa *currus sit, quo Deorum portantur simulachra.* Cicero in Verrina dicit idem: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis.* Thensa fuit dicta, quia ei linea tela prætendebatur, ne aurigæ manibus possent eam attingere, qui dicti sunt Armamaxi, sicut eos appellat Tertullianus. Asconius Pedianus ait: *Thensæ sunt sacra vehicula, pompa ordinum & officiorum.* Alii loquentes de iisdem carris, eosdem appellant carpenta, atque ita thensa, carpentum, vehiculum, significant currum sacrum & profanum. Sed vere oportet thensas appellare currus sacros, quoniam attingere eos nefas, quod tela impedire voluerunt.

VI. *De curru Biroto, & Deipaneta, & Vehiculo.*

EJusdem ordinis sunt carrus, dictus currus, & birotum. Græci vocant biroton, quod nonnulli appellant vehiculum. Atque ita vocant nomine composito ex carro, & duabus rotis, quod nomen adjecerunt bigæ, quadrigæ, & omnibus carris, qui duas tantum habent rotas, sive ludorum, sive agilis & citati cursus gratia facti fuerint, quales sunt Plaustrum, & Deipaneta, inter cœlestes figuras errantium stellarum collocata. Duarum rotarum carros fecerunt in villis, quia, cum quisque alias parum commode in edito, ibi pedibus stare poterat. Erant autem paulo latiores, amploque corpore, cum rotis magnis & crassis. Sed cum pondere essent onusti, ad temonem se in pedes erigebat auriga. Hoc genus nos vulgariter carros appellamus, tractos plurimum a bobus, sed si minutiores essent, ab equis, si admodum magni, a multis bubalorum, boum, equorumque pa-

dall'Amphitheatro di Flavio, presso le Therme di Trajano & di Tito Vespasiano. Della carruca di argento fa mentione Plinio, quando dice: Carrucas quoque ex argento cælare invenimus. *Della quale sorte Nerone Imperadore ne fece mille. Sono dette carruce quasi carretti, della qual sorte parla Martiale nel libro terzo:*

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Carruco o carruca dunque si vede con due ruote alte, con un coperto di alcune cose nobili, con imagini in luogo di colonnette, con gelosie attorno da tutte le blande, davanti in fuora, come sono nelle medaglie, e quasi di tal sorte sono i carri detti thensæ, che sono fatti a memoria delle pompe ad honore dedicate, di chi era posto nel numero de' divi, tirato da mule o da elephanti. Rheda viene detta a Rheduco, è in due sedili partita. Dicono che con cento rhede, o vehiculi Terentia andò incontrare Marco Tullio Cicerone, suo marito, tornando a Roma dall' essilio.

V. Della Thensa, & Carpento & Vehiculo.

T*Hensa overo Thensæ sono poste talvolta per carpento & per vehiculo, perchè tutti suonano carri & sacri, & privati. Sacri sono nell' uso di portar le imagini nelle pompe Circensi di coloro, che sono assunti nella Deità, & nell' uso di andare a spasso in pompe; de' quali scrive Svetonio in Augusto, quando egli dice:* Accidit votivis Circensibus, ut, correptus valetudine, lectica cubans thensis deduceret. *Servio dice, che thensa è carro degli Iddii così*, thensam currum esse, quo Deorum portantur simulachra. *Cicerone nelle Verrine dice il medesimo*: Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis. *Thensa fu detta, perchè avanti lei la tela di lino tendevano, acciocchè colle mani non la potessero toccare gli ducitori, che si dicevano Armamaxi, come li chiama Tertulliano. Asconio Pediano dice:* Thensæ, sunt sacra vehicula, pompa ordinum & officiorum. *Altri parlando degli istessi carri, carpenti l'appellano; Talchè thensa, carpento, & vehiculo significa carro sacro & profane. Ma sacro veramente si deve dire thensa, da non potersi toccare, lo paravano d'una tela.*

VI. Del curro Biroto, & Deipaneta, & Vehiculo.

S*Ono nel medesimo ordine il carro detto currus, & birotum, i Greci biroton, che alcuni anco lo dicono vehiculo. Perchè lo appellano dal nome composito del carro & delle due ruote, il quale nome l'hanno aggiunto alla biga, & alla quadriga, & a tutti i carri, che hanno le due ruote; tanto quelli da far giuochi, come quelli fatti per andare con prestezza & agilità, come sono il Plaustro, & il Deipaneta, posti tra le figure delle celesti stelle erranti. Di due ruote fecero il carro della villa, che malamente l'huomo, quando è suso, vi puote star in piede fermo, largo in vista, è sodo di mastino corpo, con le ruote grandi & grievi; Et quando è carco di materie, su'l timone si pone in piè il suo guidatore. Questo noi volgarmente chiamiamo carro & è tirato da buoi, il minore da cavalli, il maggiore da molti para di bufali, o da molti para di buoi, o di cavalli. Perchè dei carri*

ribus. Nam præ carris altis apti sunt gestandis oneribus, utpote qui propter altitudinem casu aliquo facile rumpi solent. Carettam hodie formæ similis currum appellamus, sed minorem & rudius factum, cujus præcipue usus est in urbibus, trahiturque ab uno duobusve equis. Sed antiqui fecerunt etiam perhumiles carros gestandis oneribus, rotis solidis, & absque radiis, axe crassissimo, ad transferenda dolia ingentia, aut machinas, quales faciebant non tantum duabus, sed etiam duodecim cum rotis. Hujus generis birotum vehiculum hodie vocatur in Thuscia Boroccio, a bobus, quibus trahitur. Utebantur etiam antiqui hujusmodi biroto in transferendo ab una urbe in aliam commeatu & annona, & accenseri solet vehiculis ab antiquitatis investigatoribus.

VII. *De Burdonibus Vehiculis.*

VEhiculum etiam burdonum appellatione interdum venit, quod est idem carrorum genus, quod supra biroton vocari diximus, quorum usus non est in urbibus, at ruri, quoniam gestandis hominibus inidonei, sed saccis fascibusque transvehendis reperti, item lignis similibusque rebus grandioribus. Usitati olim in fabricis, sicuti reperimus in architectonicis.

VIII. *De Camulon vehiculo.*

CAmulon dictum est, quod sit vehiculum humile, portandis oneribus, & rebus, quæ longitudinem habent cum insigni pondere. Apparet camuli vocem ductam esse ab humilitate, sicut Græcis camula dicitur herba, quæ non crescit in altum. Hoc carrorum genere usi sunt in transportandis obeliscis, & vastæ magnitudinis ponderisque colossis, sicut dicit Ammianus Marcellinus de obelisco Circi Maximi, traducto a vico Gordiani & ripa Tiberis per portam Ostiensem in Circi medium. Aliquibus vocatur ΚΑΜΟΥΛΟΣ, aliis ΚΑΜΟΥΛΟΝ, Latinis quoque Camulus & Camulum.

IX. *De Cantherio vehiculo.*

CAntherion & cantherium vox est Græca, & genus vehiculi seu carri, ut monstrat Seneca libro tertio epistolarum. *Marcus Cato Censorius*, inquit, *quem e Republica tam fuit nasci, quam Scipionem. Alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, cantherio vehebatur Æthiopico.* Hoc erat carri genus validum & ferratum, cujus munita erat absis cum radiorum capitibus valida ferri tænia, canthus dicta. Unde cantherium, sicut innuit Quintilianus, & Persius Satyra quinta, loquens de quadam machina curuli eo modo formata:

Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum.

Omnes, qui currus istius meminerunt, ostendunt, præmunitum fuisse ferro, sicut & hodie currus quadrirotus, quem nos appellamus cocchio, pariter munitus est, quali primum in Italia usus est Hippolitus, Cardinalis Ferrariensis, ex Hungaria, & sunt tales currus ab omni parte ferrati, utpote ad extremitates axium ferrei paxilli, ad modiolos rotæ continendos, & ad temonem vinciendum, qui solutus est a pergula currus, quæ validis loris & fibulis ei cohæret, tum

A *alti è atto a portar pesi, e per l'altezza facile a rompersi per cause sinistre. Chiamiamo caretta un carro simile di forma, ma più delicato & fatto alla grossolana, per l'uso della città, tirato da uno o due cavalli. Ma gli antichi carri da portar pesi li fecero anco bassi con ruote solide senza radii con un grosso asso alle ruote, a uso de' barili; perchè erano atti a portare gran machine, & ne facevano non solamente biroti, ma di dodici ruote; Il cui carro biroto in Toscana si dice hoggidì Boroccio dai buoi, che lo tirano. L'usavano gli antichi il medesimo biroto nel recare da una città nell'altra delle vittovaglie, & viene annumerato tra i vehiculi*
B *dagl' investigatori delle cose antiche.*

VII. Del Burdones Vehiculo.

CHiamarono ancora il vehiculo burdones, ch'è la sorte del carro biroton sopradetto, perchè non è nelle cose civili, ma nelle cose rustiche, per non essere atto a portar uomini, ma da portar cose in sacchi, in fasci, & altre cose gravi, usato da quei, che recavano i legnami & cose simili. Usato anco tal volta nelle fabriche, come si trova
C *nell' arte dell' architettura.*

VIII. Del Camulon Vehiculum.

CAmulon è detto per essere carro basso, una sorte di vehiculo da portare pesi, e cose, che hanno lunghezza e gravezza. Essa voce di camulo par che venga dalla bassezza, come si dice l' herba, che non sorge in alto, Camula, che viene dal Greco. Della qual sorte di carro usavano a portar gli obelischi, o vogliamo dire aguglie di grandissimi e sterminatissimi pesi, come dice
D *Ammiano Marcellino dell' obelisco del circo massimo portato dal vico di Gordiano dalla ripa del Tevere per la porta Ostiense, nel mezzo di esso Circo. Alcuni lo dicono* ΚΑΜΟΥΛΟΣ, *altri* ΚΑΜΟΥΛΟΝ. *I Latini Camulus, Camulum.*

IX. Del Cantherio Vehiculo.

CAntherion & cantherium è voce Greca, e genere di vehiculo, cioè carro, secondo ci mostra Seneca nel terzo dell'epistole, ove dice: Marcus Cato Censorius, quem e Republica tam fuit nasci,
E quam Scipionem. Alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, cantherio vehebatur Æthiopico. *Questo era anco sorte di carro forte & ferrato, & tenuto l'asso dalle teste con forti tenie di ferro, detto perciò canthus. Onde cantherium, come ci accenna Quintiliano, & Persio nella quinta Satyra, parlando di una sì fatta machina di carro:*

Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum.

F *Mostrano tutti quei, che ne parlano, havere guardie di ferro, come hoggidì facemo nel quadriroto chiamato cocchio, portato prima in Italia dal primo Signor Hippolito, Cardinale di Ferrara, da Ungaria, che hanno per ogni verso ritegni di ferro, & nelle cime de gli assi, per tener forti i barili delle ruote, & per la concatenatione del timone snodato dal coperto del cocchio, lo quale viene firmato da forti coreggie & fibule di ferro; le ruote attorno all' arme coperte di ferro. Questi nostri coc-*

quoque rotarum curvatura ferro eſt armata. Verum noſtri hi currus trium ſunt generum. Quod latiſſimum eſt, vocamus carettam, quod eſt paulo minus, cocchium, quod trahitur ab equis quatuor, undiquaque contectum, carretto, quo horæ unius ſpatio iter conficitur octo milliarium, qui eo vehuntur, arma in ſui defenſionem ferre ſecum poſſunt, & commode dormire. Cocchio & caretta utimur per urbes, diverſimode ornatis, pro poſſeſſorum conditione vel lubitu, deauratis, & pretioſa ſculptura inſignitis. Pergula pars currus ita contecta eſt, ut Cæli injurias a vectoribus arceat, excepto auriga, qui exterius eſt locatus. Sunt cocchi illi ſæpe periculoſi, nam territis equis, & laxatis ab auriga habenis, cui ſæpe etiam per oſcitantiam excidunt, fit, ut nullum abſit furoris terroriſque exemplum, nec vectoribus ſuperſit, quam ut præcipites ferantur. Quo periculo poſſemus admoneri, ut imitaremur veterum prudentiam, qui clam ſecundarias quaſdam habenas annulo inſertas & currui alligatas habebant, quæ, ut priores, ipſis e manibus excidere non poſſent. Namque ita, ſi quid ſecius eveniret aurigæ, vectores quoque ſecundariis iſtis habenis arreptis, in compeſcendo concitatorum equorum furore, ipſum poterant juvare, quod factu erat facile, cum haberent annulo inſertas habenas ad retinendos equos.

X. *De Combato vehiculo, & Comba.*

IN antiquis marmoribus ſcriptum invenimus, quod combatus ſit vehiculum, quæ vox deducta eſt a comba, quod lecticam ſignificat, quam rotis inſtructam eſſe oportuit, ſicut ſunt lecticæ & cocchi tecti clauſique ab omni parte. Comba vox eſt linguæ Sabinæ, quæ nobis ſignificat lecticam aut lecticulam, juxta Grammaticos. Unde combatus tantundem ſignificat ac carrum lectica inſtructum, quo quis etiam cubans poſſit incedere. Uſui erat Cœlo pluvio & procelloſo, ſicut lectica. Apparet in antiquis monumentis & birota, & quadrirota, cum monſtrantur heri cum tota familia egredi in villas.

XI. *De Covino vehiculo.*

COvinus, aut covino, juxta terminationem linguæ Italicæ, eſt nomen vehiculi aut currus Britannis uſitati, tractum a minutis equis, ſine auriga, de quo Martialis libro duodecimo loquitur:

> *O jucunda, Covine, ſolitudo, carruca magis eſſedoque gratum.*

Sulpitius Gallus tradit, quod covinus fuerit currus cameratus, Gallis in uſu. Hujus itaque operta pars ſimilis erat combato, trahebaturque ab equis, ipſo Domino aurigante, de quo Lucanus libro primo:

> *Et docilis rector monſtrati Belga covini.*

Hujus quoque uſus erat in bellis.

XII. *Currus vehiculum, & Curritius.*

CUrrus, unde ad nos vox carri derivata, generale nomen omnium carrorum eſt, quibus volubiles erant rotæ, atque ad currendum agiles, quibuſque uſi ſunt veteres in curſibus, & bellicis negotiis, in curſibus tabellariorum, in rebus ruſticis, in villis, atque aliis neceſſitatibus expe-

chi ſono di tre ſorti; Quello ch' è più largo, lo dicono carretta, quel ch' è più picciolo, cocchio, quel tirato da quattro cavalli, chiuſo attorno, il dicono carretto, che fanno ogni hora in viaggio quaſi otto miglia; vi portano arme da difenderſi, & vi ſi può andar dormendo. Il cocchio & la carretta l' uſano per la città, di più ſorti d' ornamenti, ſecondo le perſone, che li vogliono dorati & pieni di pretioſi intagli. Ha tali coperte, che la pioggia non li offende, eccetto il cocchiero, che ſta fuor del corpo coperto. Sono queſti cocchi pericoloſi molte volte, perchè ſpaventati i cavalli, & i cocchieri abbandonate le redini, le quali per ſciocchezza le caſcano di mano, ogni furore & ſpavento reſta ſuperiore. Nella qual coſa quelli che ſono dentro de' cocchi non ſene potendo ajutare, vanno in precipitio. Et ſono tanto poco avvertiti, che ſe loro uſaſſero quel che gli antichi uſavano, di tener ligate alcune falſe redini in uno anello fitto nel carro, non li caderebbero così di mano, come quelle li cadono. Et talvolta ſe il cocchiero haveſſe qualche diſgratia, quei che ſono dentro vi poſſono mettere la mano, & ajutare a fermare il furore, ritenendo i cavalli per le redini dell' anello particolare tenuto a tal effetto, per far arreſtare i cavalli.

X. Del Combatus vehiculus, & Comba.

T*Roviamo ſcritto negli antichi marmi combatus vehiculus, perchè queſto deve venire da comba, che ſignifica lectica, la quale dovea eſſere accommodata colle ruote, come ſono le lectiche & li cocchi coperti & chiuſi da ogni parte. La voce comba viene dalla lingua Sabina, che a noi ſignifica lectica, o, lecticula, ſecondo i Grammatici. Onde combatus vehiculus è tanto a dire, come carro allecticato da potervi andare coricato in aſſo. Serviva per le pioggie, & per li tempeſtoſi tempi, come la lectica. Si vede negli antichi monumenti con due ruote, & con quatro, ove ſi moſtrano fameglie andare in viaggi in villa.*

XI. Del Covinus vehiculus.

C*Ovinus, o pure covino, come lo vogliamo dire in noſtra lingua, è nome di vehiculo, cioè carro uſato da Britanni, tirato ſenza auriga da piccioli cavalli, di cui Martiale nel libro duodecimo dice:*

> O jucunda, Covine, ſolitudo, carruca magis eſſedoque gratum.

Sulpitio Gallo ſcrive, che 'l covino era camerato, & carro uſato da Galli. Queſto dunque era ſimile al coperto del combato, che ſi poteva guidare da piacevoli cavalli, dal padrone iſteſſo, di cui Lucano nel libro primo:

> Et docilis rector monſtrati Belga covini.

Sicchè queſto anche nelle attioni Belliche ſi uſava.

XII. Currus vehiculus & Curritius.

C*Urrus, donde deriva a noi la voce carro, è nome generale di tutti quei carri, ch' erano di volubili ruote agili a correre, lo qual gli antichi uſavano nel correre, & nelle coſe belliche, cioè nella guerra, nel correre la poſta, & nelle coſe ruſtiche della villa, e nell' uſo di altre neceſſità. Che*

diundis. Quod usus ejus fuerit in bello, docet Plutarchus, dicens, quod Cæsar Dictator in civilibus bellis curru per Italiam vectus sit, comitatus semper Marco Antonio. Hinc descendit diminutivum curricula, id est, currus minutus, qui appellatur etiam curritius, & curriculus, & curricula, genere fœminino, quoniam velociter trahatur ab equis, & ocyssime currat, dicitur currus, a currendo scilicet, & quia cursus causa multi currus fiebant. Periculosum erat olim, si curru subverso caderet quis, & male afficeretur, sicuti & nostratibus accidit in cocchis, quoniam fit nonnunquam, ut ex ponte in flumen præcipitentur equi, aut labantur per riparum abrupta, vel ob defectum aurigæ, vel vitium aliquod viarum. Eveniebat antiquis frequenter quid hujusmodi, propterea Cicero dicit pro Rabirio: *Exiguum nobis vitæ curriculum Natura.* Itaque currus est quasi carrus, & curricula parvus currus, quorum usus in festinatione, cum quanta poterat, securitate. Hujusmodi vectus carro Tiberius exiit Italia, cum proposito visendi Drusum sub ipsum mortis ejus articulum, ut testatur Plinius. Quod domum contenderent Romani Magistratus locati in curru, Ædiles curules dicti sunt, & sellæ curules, sedilia curribus imposita.

A *fosse per cose della guerra usato, ce lo insegna Plutarcho, dicendo, che Cesare Dittatore scorreva nelle guerre civili sul curro per l'Italia, havendo sempre seco Marco Antonio. Da questo nasce il diminutivo di curricula, cioè di picciolo carro; & lo dicono curritius, & curriculus, & curricula femininamente; per essere tirato da cavalli, & fatto veloce, viene detto curro dal correre, perchè molti li fecero per la cursione, in cui l'usavano. Era pericoloso di cadere & farsi male con esso, come anco è accaduto ai dì nostri nei cocchi, che in fiume talvolta & da un ponte sono i cavalli precipitati, & da una ripa, per difetto o del cocchiere, o della* B *imperfettione delle strade. Onde presso gli antichi avveniva il simile, & perciò Cicerone pro Rabirio dice:* Exiguum nobis vitæ curriculum Natura. *In maniera che currus vuole dire un carro, & curricula un picciolo carretto usati nella prestezza, con quella sicurtà, che si puote. Con questo tal carro Tiberio in posta uscì d'Italia per andare a trovare Druso in punto della morte, come dice Plinio. Dal andare a casa assisi i Magistrati Romani sul carro, sono detti gli Ædili curuli, & le selle, o sedie curuli portate nel carro.*

C

XIII. *Currus, & Esseda.*

ESseda erat quidam carrus particularis apud Romanos & Britannos, quo utebantur in bellis, ut dicit Cæsar in Commentariis, qui Essedarium vocat militem Britannum, quoniam essedis insidens pugnabat, & essedorum strepitu Cæsaris ordines turbabat. Essedæ meminit Propertius libro secundo:

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Et Ovidius de eodem:

Rerumque quamprimum rapientibus esseda mannis.

Et Virgil. lib. III. Georgicorum:

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

In hunc sensum utitur Suetonius in Augusto: *Essedo panem & palmulas gustavimus:* Quod esseda allatus esset commeatus. Unde essedarii dicti sunt ductores essedarum. Idem occurrit in Cajo Caligula: *Quum quondam die muneris essedario Porio, ob prosperam pugnam, servum suum manumittenti studiosius plausum esset.* Unde videtur hoc genus militare esse cum rotis duabus. Ductor essedæ appellabatur essedarius, sicut curruriarius, vehicularius, & carpentarius.

XIII. Curro & Esseda.

E*Sseda era come il carro detto curro presso de' Romani, & presso di Britanni peculiarissimo, lo quale usavano nella guerra, come dice Cesare nei commentarii, il quale Essedario chiama il soldato Britanno, perchè combattevano sul esseda, & con il strepito di essi turbavano gli ordine di Cesare. Fanne mentione dell'esseda Propertio nel libro secondo:*

D Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Et Ovid. del medesimo:

Rerumque quamprimum rapientibus esseda mannis.

Et Virgilio nel lib. 3. della Georgica:

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Per tanto dunque Svetonio in Augusto usa: Essedo panem & palmulas gustavimus; *Per essere con esseda recato le vittovaglie;* E *Onde essedarii sono detti gli duttori delle cose nell'esseda: il medesimo in Cajo Caligula:* Quum quondam die muneris essedario Porio, ob prosperam pugnam, servum suum manumittenti studiosius plausum esset. *Questo si vede sotto di combattenti essere carro di due ruote. Il maestro dell'esseda si dice essedario, come curruriario, & vehiculariario, & carpentariario.*

XIV. *De Arcera, Arcirna, & Plaustro.*

ARcirna est nomen carri, alias plaustrum dicti, hominibus gestandis aptum, quod alii vocant arceram, quo utebantur in rebus rusticis, contegebatur à nonnullis, commodumque erat senibus & juvenibus, sicut scribit Phavorinus apud Aulum Gellium, ubi dicit, non esse aptum infirmis, quoniam est incommodum ægris ob concussionem. Conspicitur in antiquis operibus trahi a bubus aut equis, videturque fuisse cum rotis duabus, & pergula obsepta, cancellisque clausa. Usus ejus fuit in festo Cereris, Saturni, & Bac-

XIV. Di Arcera, Arcirna, & Plaustrum.

F A*Rcirna è nome di carro, che altrimente si dice plaustrum, atto a portare huomini, il quale alcuni lo chiamano arceram, & lo adoperavano nelle cose rustiche, & alcuni lo cuoprivano, & era commodo carro per li vecchi & per li giovani, secondo scrive Phavorino presso di Aulo Gellio, ove dice non essere atto a quelli che sono infermi, perchè è invalido all'egritudine per lo scuotere. Si vede nell'antiche opere essere tirato da buoi o da cavalli, si vede con due ruote, con le sponde asserate, o fatte a cancelli. Fu usata nelle feste di Cere-*

chi, apud plebem rusticam, tanquam esset plaustrum Deorum ruralium. Unde in sculpturis antiquis reperiuntur ornati corollis, & fasciculis fructuum, circa collum boum coronatorum.

A re, & di Saturno, di Baccho dalla moltitudine rustica; come plaustro degl' Iddii dell' agricoltura. Onde nelle scolture antiche sono in tali officii ornati di festoni, di frutti attorno, alla quadratura colli buoi coronati.

XV. *Basterna & Vehiculum.*

BAsterna genus est carrucæ, quod semper sumitur pro vehiculo, id est, carro apto portandis per vias straminibus, contextumque habet corpus complicatis straminibus, trahebaturque ab equis duobus, aliisve jumentis: commodum quoque erat portandis fœminis, unde Ammianus Marcell. *Quo comitatu*, inquit, *matronæ complures coopertis capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt*. Hoc quoque pariter videri potest in monumentis priscis cum duabus rotis, superimpositis fœminis gestantibus fructus & fasces avicularum. Sunt & alii currus quadriroti, & contecti, & aperti, quibus portarunt stramenta, aliasque res saccis inclusas, quales colligabant loris & funibus contortis. Alii quoque currus erant similes his, quibus hodie utimur, qui duabus scalis longis connectuntur, rotis ferro munitis, ut in cocchis, quorum usus in portando stramine, aut materia struendis ædibus apta, aut aliis rebus necessariis aut domui, aut rei familiari, qui omnes sunt carri non genuini facti ad usum congerendæ annonæ.

XV. Basterna & Vehiculo.

B *Asterna è sorte di carruca, che quasi sempre si prende per vehiculo cioè carro atto a portar in viaggio strame, & a composto di stramenti contesti il suo corpo, tirato da due cavalli & da alcuni altri animali, è atto anco a condurre le donne, onde Ammiano Marcellino dice*: Quo comitatu, matronæ complures coopertis capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt. *Et questo parimente si vede negli antichi monumenti con due ruote, con donne sopra, che portano di frutti, degli ucellami. Sono altri carri con quattro ruote, & coperti & scoperti pure da portare stramenti, & cose nei sacchi, i quali legavano corrichi con le corde torchinate & ristretti. Altri simili a quelli che hoggidì usiamo, con quelle due scale congiunte & lunghe con le ruote, come sono quelle di cocchi ferrate, da portare materia di strame, o da fabricare, & altre cose necessarie, o alla casa, o alla possessione, che sono tutti carri abbastardati, fatti ad ogni uso da condurre vettovaglie.*

XVI. *Benna & Vehiculum.*

PRæterea benna collocata est inter vehiculorum seu carruculorum nomina, estque Gallicum vocabulum, ut testantur Scriptores omnes, qui Gallicarum rerum usquam mentionem fecere, vocanturque illi, qui simul carro tali vehuntur, combennones, hoc est, una sedentes in benna. Romani etiam habebant cum quatuor, duabusve rotis, quo simul vehebantur, uxor, maritus, liberi, ituri in villas. Corpus ejus currus forma fuit quadrate oblonga, atque interdum umbella unius solum capiti imminebat, plerumque, ut videmus, sine umbraculo fuit.

XVI. Benna & Vehiculo.

B *Enna ancora è posta sotto nome di vehiculo, o di carruculo; è vocabolo Gallico; come dicono tutti i Scrittori, che fanno mentione delle cose Galliche, ove questi, i quali seggono in esso carro, sono appellati combennones, cioè sedenti in benna. I Romani havevano ancora un carro con quattro ruote, & con due, ove sedevano & andavano & la moglie, & il marito co' figlioli in villa. Questo aveva il corpo lungo riquadrato, & qualche volta in una testa sola uno ombracolo, & talvolta, cioè per lo più, come si veggono, senza ombracolo.*

XVII. *Biga carrus, seu currus bijugis.*

BIga juxta Scriptores Latinos idem est, quod currus, quia velocissime currebat, tractus a duobus equis, duabusque rotis. Biga dicta a bijuga, hoc est, conjugata, quod a duobus equis vel equabus tracta fuerit, sicut usitatum erat Lydis, in ludis Circensibus. Romani ab Hetruscis id genus currus mutuati sunt, sicut reliqui populi a Græcis, sed omnium primo repertum est a Phrygibus, ut Plinius testatur. Mentionem bigæ facit Suetonius in Tiberio & Augusto, & Cassiodorus in ludis Circensibus. Et nummus, cui impressa est figura bigæ, vocatur bigatus, qui & in usu fuit apud Romanos.

XVII. Biga carro, overo curro biuga.

B *Iga secondo i Scrittori Latini è il medesimo ch' è currus, per esser atto a correre velocissimamente & tirato da due cavalli, con due ruote, detta Biga a biuga, cioè congiunta & tirata da due cavalli o cavalle, come usavano nei giuochi Circensi i Lydi. I Romani l' hanno tolto dall' Hetruria, & come usavano gli altri popoli della Grecia, lo quale, secondo dice Plinio, fu prima trovato dalli Phrygii. Fanne mentione Svetonio della biga in Tiberio & Augusto; & Cassiodoro nelli giuochi Circensi; & dove è dipinta la biga nel danaro, quello si chiama bigato, come è quello che usavano i Romani.*

XVIII. *De Triga carro.*

POrro triga erat carrus similis, ut biga, dictus quasi trijugis, hoc est, tractus ab equis tribus ad jugum, sicut nominatur in antiquis marmoribus agitatorum factionis Circensis, ut diximus in libro de Ludis. Qualis triga videtur etiam in nummo hunc in modum, ut sit cum Victoria, & cum aliis ipsam ducentibus, sicut quisque potest cernere in nummis hoc volumine exhibitis.

XVIII. Della Triga carro.

T *Riga ancora era il medesimo carro, ch' era la biga, detta a triuga, cioè tirata con la congiuntione di tre cavalli al giuogo, come la nominano le antiche memorie scritte in marmo degli agitatori delle fattioni Circensi, secondo havemo detto nel libro di Giuochi. La qual triga si vede anco nel danaro in questo modo, pure con la vittoria & con altri, che la guidano, come potete veder tra gli altri danari mostrati in quest' opera.*

XIX.

XIX. *De Triga, Quadriga, Pilento, & quadriga curru.*

TRigam, bigam, & pilentum reperio eſse idem, quoad corpus. Carrus cum rotis duabus velociſſimus & levis eſt quadriga. Inventa fuit ab Erichtonio, Minervæ filio, qui currus, juxta traditionem Poetarum, relucet inter ſtellas apud, Aratum, Proculum, Hyginum & Avienum. Et fingunt tractum ab equis quatuor, unde dicitur quadriga, ſicut conſpici poteſt in nummo, qui vocatur quadrigatus, cum equis quatuor, pariter conjunctis. De inventione carri hujus mentionem fecerunt Ovidius, Pauſanias, & Aurelius Caſſiodorus, & Plinius, præter ſupra dictos Scriptores Aſtronomiæ. Currus hic in nummis quadrigatis videri poterit, & in operibus antiquis, in quibus res Apollinis exprimuntur, fuiſſeque dicitur currus Apollinis, Martis, Bellonæ, Minervæ, Jovis, & Victoriæ. Numero ſingulari dicitur carrus cum equis duobus, quatuor, quinque, ſex, formaque fœminina, biga, triga, quadriga, quinquejuga, & exjuga. Unde nummi quoque tales in numero ſingulari bigatus, quadrigatus nuncupati, & victoriatus quoque cum imagine Victoriæ. A triga quoque dictum venit trigarium certamen aut prælium. De quadriga ita loquitur Aulus Gellius: *Quadrigas Cæſar, etiamſi currus unus equorum quatuor victorum agmen unum ſit, plurium tamen ſemper numero dicendas putat*. Conſpiciuntur tales currus eſſe retro aperti, ut ea parte poſſent conſcendi, ante vero clauſi, ad munitionem, auriga, ductor, vel agitator, cinctus eſt habenis, quibus corpus ſuum coercet, præter alteras, quas tenet manibus ad coercendos equos, & gyrandos, regirandos, ſiſtendoſque. Atque tales ſunt quinquejuges & ſexjuges, & ſeptejuges, & octojuges, & nonajuges uſque ad equos decem, quos junxerunt in ludis Olympicis, ut legimus de Nerone, qui talem currum voluit conſcendere.

XX. *De Veha, Carro ruſtico.*

VEha eſt carrus, plauſtrum quoque appellatus, ita dicta, quod vehat, ſimilis reliquis ſuperius expoſitis, quibus uſi ſunt in curſu. Dicitur & vehes: ejus generis fuere, quo portari ſolebat fœnum, præſertim, ſi factum eſſet amplum. Dicitur quoque vehiculum & vehes. Trahebant id duo equi, & habebat rotas duas: ſicut ſculptum in quibuſdam monumentis cernitur, ſitque ejus mentio in teſtamentis, & ſupellectili ruſtica villarum.

XXI. *De Octopboro vehiculo, & Lectica.*

OCtophoron vel octophorum erat currus cum rotis octo, unde octophorarius dicebatur, qui eo quopiam merces ſuas conducebat. A quovis latere habebat rotas quatuor, quali apud Romanos ſolus uſus eſt Cajus Caligula. Huic ſimilis erat navis appellata Ptolemais, qua ſolus Ptolomæus primum uſus erat navigando, poſtquam eſſet facta, & habebat proras quatuor, & puppes totidem. Ad omnem ventum progrediebatur, non gyrans aut inflectens curſum in unam partem, quam alteram, ubique proram habens. Atque ita hoc vehiculum Cajanum octophorum eas habebat commoditates, ut vector ubique potuerit ſtare, & in quamlibet ſpectare partem. De hoc loquitur Suetonius in rebus Caii, habebatque lecticam geſtatam a ſervis octo, unde dicta fuit octophora. Geſtata fuit humeris, ut ſcribit Martialis:

XIX. Della Triga, & Quadriga, Pilento, & curro, & quadriga.

TRiga, biga & pilentum trovo eſſer una medeſima coſa, quanto al corpo. Carro con due ruote velociſſimo, che ſi può dire biroto, & è leggiero & il ſimile è la quadriga. Fu inventata da Erichtonio, figliolo di Minerva, il quale carro per l' autorità di Poeti reluce tra le ſtelle preſſo di Arato, di Proculo, di Hygino & di Avieno. Et lo fingono tirato da quattro cavalli, onde ne viene appellato quadriga, ſiccome lo veggiamo nel danaro detto da eſſa quadrigato, con quattro cavalli del pari congiunti. Della inventione di eſſo carro fanno memoria Ovidio, Pauſania, & Aurelio Caſſiodoro, & Plinio, oltre ai ſuddetti, che ſcrivono d' Aſtronomia. Queſto carro nelli danari quadrigati ſi potrà veder nell' antiche opere di Apolline, eſſer carro di Apolline, di Marte, di Bellona, di Minerva, di Jove, & della Vittoria. Si dice in ſingulare il carro con due cavalli, & con quattro, con cinque, con; ſei in forma feminina biga, triga, quadriga, quinquejuga & exjuga. Onde i danari in ſingolare bigato quadrigato, & per l' ordinaria forma victoriato, per eſſervi la imagine della victoria. Dalla triga dunque ſi dice trigario certamine o abbattimento. Della quadriga così ne dice Aulo Gellio: Quadrigas Cæſar etiamſi currus unus equorum quatuor victorum agmen unum ſit, plurium tamen ſemper numero dicendas putat. *Veggonſi tali carri eſſer aperti di dietro, per montarvi, & d' avanti chiuſi a parapetto, & l' auriga che 'l guida, cioè l' agitatore, è cinto delle redine, con che frena il corpo coi cavalli, oltre a quelle redine che tiene in mano da far girare i cavalli & firmare. Così ſono le quinquejuges, & le ſexjuges, & ſeptejuges, & octojuges & il, nonajuges inſino al numero di dieci cavalli vi congiunſero nei giuochi Olympici, come ſi legge nelle coſe di Nerone Imperatore, che volſe montar ſopra un sì fatto carro.*

XX. Del Veha, Carro ruſtico.

VEha è il carro detto anco plauſtrum, detto a vehitur, coſa nota, ſimile agli altri ſopradetti da andar preſto, & lo dicono vehes: furono ancora della ſorte da portar anco fieno, quando era fatto largo, & ſi dice vehiculum & vehe. La tiravano due cavalli & havea due ruote, come ſi vede in alcuni monumenti ſcolpito, & fatta mentione nei teſtamenti delle coſe ruſtiche della villa.

XXI. Del Octophoro vehiculo & Lectica.

OCtophoron ovvero octophorum era un carro con otto ruote, ond' octophorario ſi diceva colui, che con eſſo guidava le ſue merci. Queſto haveva quattro ruote per banda lo quale preſſo de' Romani ſolo Cajo Caligola lo uſò, come era la nave Ptolemaide, che ſolo Ptolomeo, la prima volta che fu fatta, la navigò, ed aveva quattro prore, e quattro puppe. Andava per ogni vento, ſenza girar più una parte, che un' altra, per tutti i lati avea la ſua prora. Così queſto vehiculo Cajano octophoro aveva tante commodità dentro, che per tutto ſi poteva ſtare e vedere nell' andare. Di queſto carro parla Svetonio nelle coſe di eſſo Cajo, ed aveva la lettica portata da otto ſervi, onde octophora la dicevano. Era portata ſu le ſpalle, della quale ſcrive Martiale, quando dice:

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Habuerunt quoque lecticam exaphoram, a sex bajulis portatam, de qua idem Martialis libro secundo:

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Et Juvenalis de eadem:

——— Cum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens. ———

Lectica plurimum usæ fuerunt matronæ, etiam viri, quoniam arcet pulverem, Solem, pluviam, tempestatem, frigus, & capax est atque alta, ut pro subitu quis in ea posset habere. A clientibus aut mulis portabatur pro magnitudine sua, modo duobus, modo pluribus. Habebant etiam lecticas perleves, a duobus servis portatas, qualium per urbem erat usus, sicut id nos docet Suetonius de Marone loquens: *Martis æde lectica per publicum simul vectus est; Ei succollabant deni duodenique servi, quibus longo in itinere vicarium in laborem alii succedebant, conficiebanturque eo vectationis modo, & longa simul, & inquieta, &, quam libuisset, accelerata itinera.* Seneca porro dicit: *Non facit te beatum turba servorum lecticam tuam per itinera urbana aut peregrina portantium.* Plutarchus in vita Ciceronis: Cum ipse miser fugeret persecutionem triumvirorum, lectica abiit, portatus a servis, sed non ita currendo properare poterant illi clientuli, ut fugientem non assequerentur; protensum itaque extra lecticam caput ei præsciditur, & post manus dextra, qua adversus Marcum Antonium scripserat. Itaque lecticæ usus erat & in urbe, & extra eam, gestabaturque a clientibus. De usu talium loquitur etiam Juvenalis, quando dicit:

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

A lectica deducitur diminutivum lecticula, qua usus est in bellis Augustus, unde Suetonius ait in Augusto: *Ocreana in lecticula elucubratoriam recipiebat.* Usus est ea etiam Cæsar, sed ex ebore, ut & camera portatili, quali vulneratus in acie usus est Alexander Magnus, ut scribit Q. Curtius. Qui lecticam ducebat, vocabatur lecticarius, ut testatur Suetonius in Vespasiano, qui frequenter solebat lectica deferri in villam suam Cutiliam, sed a mulis, quoniam quadraginta milliarium intervallo abesset Roma. Eo se subducebat, ut se liberaret salutantium officiis. Hinc, qui lecticam ejus deferebat, sollicitatoris cujusdam donis corruptus, cum mulis retentis fingeret se aptaturum soleam ferream pedi unius ex mulis, tempus dabat supplici ad porrigendum Imperatori libellum. Audito eo benigne, vocatoque lecticario, dixit Vespasianus: Redde mihi partem munusculi, quod ab hoc accepisti. Liquet præterea lectica usos veteres fuisse in bellis & expeditionibus, sicut usi sunt vehiculo, & carro, qui dicebatur combatus, & multis aliis supra enumeratis carris. Habebant præterea Baram, qua utebantur, laturi Diis suis munera, usurpatam olim a Romulo, cum ferret Feretrio Jovi opima spolia Regis Acronis: Eadem eidem Deo munera sua tulit Cossus, & Galba Fortunæ Primigeniæ, Tiberius Fortunæ Equestri, Pertinax Fortunæ Prænestinæ. Vocabatur & ferculum, quod erat barela humeris gestata, sicut sella.

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Avevano la lettica exaphora, portata da sei, di cui il medesimo Martiale nel secondo libro ne parla:

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Et Juvenale della medesima:

——— Cum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ———

Fu la lettica molto usata dalle donne, e da gli uomini presso gli antichi, perchè difende dalla polvere, dal Sole e dalla pioggia, e dalla tempesta, e dal freddo, capace ed alta, a starvi in ogni forma. Erano da clientuli e da muli portate, secondo erano capaci di due o di più persone. Ed avevano lettiche portate da due servi molto leggiere, le quali s'usavano per la Città, come c'insegna Svetonio parlando di Marone dicendo: Martis æde lectica per publicum simul vectus est; Ei succollabant deni duodenique servi, quibus longo in itinere vicarium in laborem alii succedebant, conficiebanturque eo vectationis modo, & longa simul, & inquieta, &, quam libuisset, accelerata itinera. *Seneca ancora dice:* Non facit te beatum turba servorum lecticam tuam per itinera urbana aut peregrina portantium. *Plutarcho nella vita di Cicerone: Quando esso misero fuggiva la persequutione di triumviri, andava in lectica portato da servi, la clientela non potè tanto correre che non venisse aggiunto, ed egli posta la testa fuori della lectica, e gli fu spiccata la testa, e poscia la mano dritta, che avea scritto contra Marco Antonio. Or dunque la lettica e per la Città e fuor d'essa s'usava con li clienti portata. Di un tal uso parla ancora Juvenale, quando dice:*

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Dalla lectica dunque viene il diminutivo lecticula, la quale fu usata da Augusto nelle cose di guerra, onde Svetonio in Augusto dice: Ocreana in lecticula elucubratoriam recipiebat. *Usolla ancora Cesare lavorata di avorio come anco la camera portatile, la quale usò sendo ferito in guerra Alexandro Magno secondo scrive Q. Curtio. Si diceva colui che la guidava, lecticario, come dice Svetonio in Vespasiano, che soleva andare in lectica spesso a Cutilia, sua villa, portata da muli, per esser quella quaranta miglia discosta da Roma: E vi andava per fuggire le gravezze dell'udienze. Onde colui il quale guidava la lettica per danari fece fermare i muli, fingendo di acconciar un ferro al piede del mulo, diede luogo e tempo a colui, che li avea data la mancia, di parlare all'Imperadore con una supplica: Sendo fatta la gratia, Vespasiano dimandato il letticario disse; Dammi la parte mia di quello che hai avuto da colui. Ora dunque la lettica fu usata nelle militari espeditioni presso gli antichi, come il vehiculo, il carro detto combato, come molti altri carri sudetti. Avevano anco la Bara, con che portavano cose ad offerir agli Iddii, già usata da Romulo, nell'offerire le spolie opime del Re Acrone a Giove Feretrio, & come fece Cosso al medesimo Iddio; Galba alla Fortuna Primigenia; Tiberio alla Fortuna Equestre; & Pertinace alla Fortuna Prenestina. Fu anco chiamata pherculo, ch'era barela portata in spalle come una sedia.*

A

XXII. De Carro, Petoritum vocato.

PEtoritum est vox Gallica, juxta Grammaticum, de quo loquitur Gellius, & dicit, genus vehiculi fuisse cum rotis quatuor, ductile, quod Plinius videtur annumerare carro, essedæ dicto, cum ait lib. 34. *Cœpere deinde & esseda, & vehicula, & petorita exornare.* Horatius Flaccus in primo Sermonum dicit:

—— —— —— —— Atque caballi
Pascendi, ducenda petorita, nunc mihi curto
Ire licet mulo. —— ——

B

Fuit itaque hoc carrum, quo uti licuit ubique.

XXIII. De plaustro, Martis vehiculo, dicto plostrum.

PLaustrum est, quemadmodum supra diximus, currus Deorum, sed, vere loquendo, usus ejus erat in conflictibus bellicis Regum, & magnorum virorum, in cujus parte primore sedet auriga, intra ipsum vero corpus, depugnans. Juxta nonnullos primum dictum est plostrum, unde Horatius per diminutionem dixit plostellum, libro secundo sermonum:

C

Ædificare casas, plostello adjungere mures.

Plaustrum apertum erat retro, ante vero clausum, cum duabus rotis. Aliud quoque plaustri genus est, quo pertinent illi carri, qui constant corpore quadrato, adornatum rebus diversis illud cooperientibus. Aliud quoque his simile est, non contectum, in cujus fastigio sedebatur sub dio. Post hoc genus plaustri dicunt petorritum fuisse repertum, quod, ut tradit Varro lib. IV. de Lingua Latina, suo tempore ab Hispanis Romani sunt mutuati. De eodem pilento mentionem facit Lactantius, item Plautus in Epodon. quali carro utebantur Romani exituri urbe, ut monstrat Cicero de morte Clodii, qui occisus fuit in taberna quadam, surripiens se e plaustro, confugiensque ad sacellum bonæ Deæ, ubi subter scalas abditum transfixit Milo. De plaustro etiam loquitur Ovidius libro secundo Metamorphoseon, quando ita dicit:

D

Quamvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.

E

Et Virgilius Georgicorum primo idem ostendit:

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Per plaustrum proprie intelliguntur duæ carrorum imagines inter sydera collocatæ, compositæ ex stellis in Astronomia, finguntur que trahi a tribus equis, & quatuor, faciuntque cum rotis duabus antiqui. Nec Ovidius ipse omisit vocem plaustri hoc sensu, cum dixit in Metamorphosi:

F

Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

Et ea specie currus cœlestis usus est Rex Lajus, cum, exiens Thebis Bœotis, occurreret filio Oedipo, non notum ibi patrem occidenti. Unde Seneca Poeta in Oedipo: *Quasque disjectat vertice summo sydus Arcadicum, geminumque plaustrum.* Ita, ut plaustrum non tantum sit carrum Deorum, & compositum ex stellis, sed & Regum, imo quoque illustrium fœminarum, quoniam aut

XXII. Del carro, detto Petorito.

PEtoritum è Gallica voce secondo il Grammatico, di cui parla Gellio, e lo dice genere del vehiculo con quattro ruote, duttile, lo quale par che Plinio lo metta col carro esseda, quando dice nel libro 34. Cœpere deinde & esseda, & vehicula, & petorita exornare. *Orat. Flacco nel* 1. *de' Sermoni dice:*

—— —— —— Atque caballi
Pascendi, ducenda petorita, nunc mihi curto
Ire licet mulo. —— ——

Talchè questo era carro d'andare per tutto.

XXIII. Del plaustro, vehiculo di Marte, detto plostro.

PLaustrum è, come avemo detto di sopra nel primo luogo carro degl' Iddii: ma nel vero fu usato anco per combattere nella guerra, da i Re e gran Signori, ove l'auriga gli sedeva d'avanti al parapetto di esso, e dentro stava il combattente. Fu, secondo alcuni, chiamato prima plostrum, onde Oratio diminutivamente disse, plostellum, nel libro secondo di sermoni:

Ædificare casas, plostello adjungere mures.

Era il plaustro aperto di dietro, e d'avanti intero serrato con due ruote; E di un' altra sorte che sono quei carri che hanno il corpo quadrato & adornato di diverse cose per cuoprimento; è simile a quelli che non hanno copertura, e si sedeva in cima alla scoperta. Dopo questa sorte di plaustro dicono che fu trovato il petorito, ma questo, come dice Varrone nel lib. 4. de Lingua Latina, all' età sua fu portato a Roma di Hispagna. Del medesimo pilento fa mentione Lattantio, come anche Plauto in Epodon. il quale usavano i Romani nell' andar fuori della Città, come ci mostra Cicerone nella morte di Clodio, che fu ucciso in una taberna, fuggendo fuor del plaustro, oltre al sacello della buona Dea s' ascose sotto una scala, ove Milone il trafisse. Del plaustro ancora fa mentione Ovidio nel secondo delle Metamorphose, quando dice:

Quanvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.

E Virg. nella prima della Georg. mostra il medesimo:

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Plaustrum nel vero s' intende due imagini di carri posti tra le sydera, che si compongono di stelle nell' Astronomia, finti tirati da tre cavalli e da quattro, e li fanno di due ruote gli antichi. Ma Ovidio ancora lui non ha lasciata la voce plaustrum, quando così parla nella Metamorphose:

Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

E questa sorte di celeste carro aveva Lajo Re, quando andava fuor di Tebe, Città di Beotia, quando incontrò OEdipo, suo figliolo, non conosciuto per padre, da quello ucciso. Onde Seneca Poeta in OEdipode: Quasque disjectat vertice summo sydus Arcadicum, geminumque plaustrum. *Talchè non solo è carro degl' Iddii, e nelle stelle composto, ma anco è degli Re, come anco-*

persimile, aut prorsus idem est cum carpento. Unde Livius libro quinto ab urbe condita dicit; *Honoremque matronis ob eam munificentiam habitum, ut plaustro ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque traherentur*. Idemque est pilentum sacris solennibusque usitatum. Hæc itaque carpenti, & pilenti species erat vehiculum, promiscue idem significans, & Græci id appellant METEAPON, itemque OXHMA, cumque rotis est duabus, ut videre licet in commemoratione vehiculationis vectigalibus obnoxiæ, quæ, ne a carris mercium exigerentur, sustulit bonus Nerva. Nam cum apud Scriptores mentio fit mercium carris advectarum in urbem, variis nominibus rem designant eandem. Ita fit, ut carrus, carpentum, pilentum, unum pro altero accipiatur, plane sicut cythara, & lyra, quoniam una alteri similis, & una desumpta est ab altera, indifferenter pro eodem instrumento musico capiuntur, quamvis unum constet testudine, alterum vero non, & utrumq; similiter sonet. Ita quoque Græci Prognen accipiunt pro Philomela, & cum loquuntur de Progne, intelligunt sororem ejus Philomelam. E diverso nominata Philomela, intelligunt Prognen, quoniam uterque eodem genita parente, & ambæ conversæ sunt in duas aviculas sonoras, & cantibus deditas amatoriis præcipue, primo vere spirantibus leniter zephyris novum anni tempus denunciant. Una degit sub tectis urbium & specubus, hirundo scilicet, altera in amœnis vallibus & densis sylvis, scilicet luscinia, & quantumcunque sunt dissimiles, quod ad colores & formam corporis, utram tamen earum nomines, unius nomine sæpe intelligitur altera. Ita Prognes nomen datur lusciniæ, & Philomelæ hirundini, nam nescitur, utrum non pro una aut altera avicularum istarum sumant Poetæ, ita promiscue vocitatæ miseræ hæ sorores, quæ persequente Tereo e domus fastigio se præcipitarunt, conversæ in aves istas, quarum gestant nomina, ut in argumentum immortalitatis. Ita Poetæ, cum dicunt vehiculum, intelligunt plaustrum, & quando nominant currum, idem eis est ac carrus. Pariter quoque pilentum, carpentum, & vehiculum, accipere unum pro altero potes, quia omnia usurpata matronis ad deambulationes aut sacrificia. Unde Horatius Flaccus secundo epistolarum idem docet. Primum erat corpore longiusculo, navigii specie, & vox pilenti sine dubio est barbara, utpote enim currus sit inventus in Hispania, ut diximus, vocaturque a Gallis petoritum, sicut scribit Varro de Lingua Latina, quo vehebantur matronæ insidentes pulvinis, atque ita corpora sua librabant, ut cum oppositis sibi cistellis, quæ repletæ erant placentis, & aliis rebus sacrificio destinatis, essent quasi in æquilibrio, sicut dicit Virgilius octavo Æneidos;

> —— *Castæ ducebant sacra per urbem*
> *Pilentis matres in mollibus*. ——

Hoc est, portabant cistas illas quasi pensiles, quæ collocatæ erant in carro, sicut tradit Servius Honoratus Grammaticus, idemque dicit Livius supra dicto libro. Vehiculum quoque nominatum fuit carrum, quod ducebat matronas in festis & sacrificiis. Sic vocant currum matris Cleobis & Bitonis, fratrum Argivorum, qui vice boum jugum subiere, ne perderet occasionem eundi ad templum & sacra Junonis. Nonnulli utuntur vocabulo carpenti, loquentes de negotio eodem. Poetæ appellant plaustrum, quoniam sonorum est in carmine. Idem carro triumphali evenit, qui corpore est rotundo cum rotis duabus, tractus a qua-

A *ra delle donne, cioè matrone, perchè è simile, o pure il medesimo che è carpento. Onde Livio nel quinto libro ab urbe condita dice:* Honoremque matronis ob eam munificentiam habitum, ut plaustro ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque traherentur. *Ed il medesimo è il pilento usato nelle sacre solennità. Questa specie dunque di carpento, e di pilento era un vehiculo, che si pigliano l'uno per l'altro, e li Greci lo dicono* METEAPON; *come anco* OXHMA, *e sono di due ruote, come si vede nella memoria della vehiculatione della gabilla; che tolse via di carri il buon Nerva Imperadore:* B *Perchè facendosi mentione presso di Scrittori in varii nomi dicono gl' stessi carri da portare le merci nella Città. Accade al carro, carpento, e pilento, che l'uno per l'altro si piglia, come avviene alla citera, ed alla lira, che ambedue avevano similitudine, e l'una cavata dall'altra, e molte fiate dicono l'uno stromento per l'altro, se bene l'una è con la testugine, e l'altra non, ambedue si suonavano ad un modo. Così etiandio i Greci pigliano Progne per Philomela, ed ogni volta che si dice Progne, s'intende per la sorella Philomela. Così dicendo Philomela, s'intende per Progne, per esser am-* C *bedue nate di un padre, & cangiate in due piccioli uccelletti & cantarivi & primi agli accenti amorosi mossi nella primavera, nel spirar di Zephyro annuntiano la novella stagione, & l'uno pratica nelle case della Città, & negli antri ch' è la rondine; l' altro per le amene valli & folte selve, ch' è il lusignolo. E quantunque siano dissimiglievoli quanto ai colori, & non so che poco della forma, qualunque di loro si nomina, l' un nome si piglia per l'altro. Si dice Progne al lusignolo & Philomela alla rondine; perchè non si sa, quale i Poeti pigliano per l'uno o per l'altro uccello chiamati da quelle misere sorelle, le quali* D *seguitate da Tereo si precipitarono dalla cima della casa, & s' acquistarono il nome degli uccelli, come cosa immortale. Così dunque i Poeti, quando dicono vehicolo, intendono plaustro, & quando dicono curro, il medesimo carro. Così parimente pilento & carpento & vehicolo, s'intende l'uno per l'altro, tutti usati dalle donne, nell'andare a spasso, o a sacrificare. Onde Horatio Flacco, nel libro secondo dell' epistole ce l' insegna. Quest' era di corpo un poco lunghetto, come un navigio; & la voce pilentum senza dubbio è barbara, perchè fu trovato in Hispagna, come abiamo detto, & i* E *Galli lo chiamano petoritum, secondo che scrive Varrone di Lingua Latina, in cui le donne assise su i pulvini, o vogliamo dire cuscini, si libravano & contrapesavano nel carro, che le portava, con quelle cestelle piene delle placente, e di altre cose da sacrificare, secondo dice Virgilio nell' ottavo dell' Æneide:*

> —— —— Castæ ducebant sacra per urbem
> Pilentis matres in mollibus. ——

Cioè le portavano pensilmente quelle ceste in esso carro assise, come dice Servio Honorato Gramma- F *tico, & il medesimo dice Livio nel su allegato libro. Fu detto vehiculo ancora il carro, che conduceva esse matrone nelle feste & nei sacrificii, come chiamano il carro della madre di Cleobe & Bitone Argivi fratelli, che tirarono in luogho di buoi, acciochè la madre loro non perdesse l'occasione di andare al tempio di Junone; Alcuni lo dicono carpento parlando della medesima occasione. I Poeti lo dicono plaustro, perchè fa risonare il verso. Il medesimo avviene al carro triumphale, che ha il corpo rotondo con due ruote tirato da quat-*

tuor equis albis. Aliqui appellant currum, alii vero carpentum, & rursum alii vehiculum, & currum. Vocari etiam potest quadriga ob equos quatuor. Destinatus erat usibus Ducis triumphantis, clausus undique, ornatus spoliis opulentis, trophæis, & rebus aliis dignis victoria. Et dicebatur vehiculum, ut testis est Valerius Maximus libro quinto, capite secundo, loquens de humanitate Quinti Terentii Guleonis, qui insequebatur currum triumphantis Scipionis. Vehiculi quoque voce utitur alio loco, loquens de ipso carro triumphali. Vehiculi carrique vocibus utitur & Plinius sermone, quem instituit de velocitate carrorum Tiberii, exeuntis celeriter Italia, ut retulimus supra, ut adiret Rhenum cum desiderio videndi Germanicum Drusum vivum. Et hoc dixisse suffecerit de carris talibus, qui annumerantur plaustris. Via, qua incedunt, appellatur a Græcis ΑΜΑΞΗΛΑΤΟΣ, quia ipsis talis currus ΑΜΑΞΑ, hoc est, *via, per quam plaustra trahuntur*, aut verius, *via vehicularis, idonea ad currum ducendum, plaustralis, curulis, curulia*, ipsis quoque est ΑΜΑΞΙΑ, per quam ducti tales carri, sicut etiam cæteri, qui vehendis magnis ponderibus sunt inventi, & Armamaxi illi, qui illos agitabant. ΑΜΑΞΑ currus militaris, intus totus clausus, inque duas partes divisus, in quarum una stat pugnator, in altera auriga, seu rector currus, sicut dixit Xenophon, de quo egimus libro de armis, & diversarum nationum vestibus.

XXIV. *Rheda, Vehiculum, & Epirhedia.*

QUamvis supra, ubi facta a nobis mentio vehiculi, rheda dicti, item, ubi de carruca egimus, satis fuse de ea egisse videamur, hic tamen nobis visum est commodum in specie de eo agere, & carris cæteris. Rhedæ itaque vocabulum est Gallicum, tractum a Græco, aut potius Gallo-Græcum, quod tantundem est, ac carruca, cujus auriga dicitur Rhedarius, duabus constabat rotis, trahebaturque ab equis, aut mulis, apta portandis oneribus, rebus esui aptis, vel herbis. Usus ejus in villis, ad portandas matres villarum cum liberis. In itineribus quoque utebantur ut Milonis Lanuvini exemplo liquet, cujus meminit Cicero, cum ait: *Quum hic Milo cum uxore veheretur in rheda penulatus, magno & impedimento ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu*. In usum istius rei habuerunt quoque mulas, ut scribit Lampridius in Commodo Imperatore, dicens: *Dedit & vehicula cum mulabus, & mulionibus, & juncturis argenteis, ut ita a convivio redirent*. Rheda, secundum quosdam, est, dicta voce composita ex verbo Gallo-Græco, epirhedium, sive ΕΠΙΡΗΔΙΟΝ, a rhedere, & portare. Nec Virgilius intermisit uti tali voce, cum dixit:

Tritoque trahunt epirhedia collo.

XXV. *De Sarraco Vehiculo.*

SArracum, Græce Sarracon, est genus vehiculi usitati in portandis lignis, & lapidibus apud veteres, annumeraturque instrumentis architectonicis, quæ usui erant congerendæ in urbem annonæ. Meminit Juvenalis Poeta Satyra III.

Scinduntur tunicæ sartæ, modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pyrum
Plaustra vehunt, nutant alte, populoque minantur.

tro cavalli bianchi. Alcuni lo dicono curro, altri carpento, alcuni altri vehiculo, & curro, & si potrebbe anco chiamare quadriga dalli quattro cavalli. Fu questo destinato al triumphante Duce, serrato attorno, ornato di ricche spoglie di trophei & di cose degne della vittoria. Et fu questo anche detto vehiculo, come ci mostra Valerio Massimo nel libro 5. cap. 2. parlando dell' umanità di Quinto Terentio Guleone, che seguitò il curro del triumphante Scipione. Et vehiculo usa poi in un altro luogo, parlando d' un carro istesso triumphale. Et vehiculo & curro usa Plinio nel parlar che fa della velocità de' carri di Tiberio, che uscì d' Italia con prestezza, come avemo sopra detto, per andar al Rheno, per trovar Germanico Druso vivo. Et questo basterà di tali carri, i quali s' annumerano in plaustra, & la via d' onde passano i Greci l' appellano ΑΜΑΞΗΛΑΤΟΣ; *perchè essi chiamano* ΑΜΑΞΗ *cotal carro cioè:* Via, per quam plaustra trahuntur, *o veramente*, via vehicularis, idonea ad currum ducendum, plaustralis, curulis, curulia, *& la dissero* ΑΜΑΞΗΑ *essa via per onde sono tirati cotali carri, come anco quelli da portar gran pesi, & Armamaxi coloro, che gli guidano.* ΑΜΑΞΑ *si dice il carro da combattere, chiuso d' ogni intorno partito in due parti: Nell' una sta il combattente, nell' altra l' auriga, cioè guidator del carro, come dice Xenophonte, di cui avemo detto nel libro dell' armi & del vestire delle nationi.*

XXIV. Rheda, Vehiculo, & Epirhedia.

SE bene più di sopra avemo fatto mentione del vehiculo detto rheda, insieme con la carruca, ci pare di far un trattato particolare di essa, come l' hanno tutti gli altri carri. Rheda dunque è vocabulo Gallico, tratto dal Greco, come a dire Gallo-Greco nome, ch' è tanto come carruca, da cui Rhedario si dice l' auriga, fatto di due ruote, tirato da cavalli o da mule, atto a portar pesi, cose da mangiare & herbaggi. Si usava in villa, & vi si portavano le donne, & li fanciulli. Fu usato dagli uomini in viaggio, & l' usava Milone Lanuvino, di cui parla Cicerone, quando dice: Quum hic Milo cum uxore veheretur in rheda penulatus, magno & impedimento ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu. *Nel cui uso tenevano le mule, secondo scrive Lampridio in Commodo Imperatore, dicendo:* Dedit & vehicula cum mulabus & mulionibus, & juncturis argenteis, ut ita a convivio redirent. *Rheda, secondo alcuni, è detta dalla voce composta dal verbo Gallo-Greco epirhedium, cioè* ΕΠΙΡΗΔΙΟΝ, *dal rhedere & portare: Et Virgilio non lasciò cotal voce, quando disse:*

Tritoque trahunt epirhedia collo.

XXV. Del Sarraco Vehiculo.

SArracum, i Greci Sarracon, è sorte di vehiculo usato a portare legne, & pietre dagli antichi, e posto tra li servigii delle fabriche, & nel portar le provisioni nella Città. Tra i Poeti ne fa mentione Juvenale, nella Satyra terza:

Scinduntur tunicæ sartæ, modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pyrum
Plaustra vehunt, nutant alte, populoque minantur.

XXVI. *De Staticulo Vehiculo.*

STaticulum quoque species est vehiculi & essedæ, cujus meminit Plinius, dicens: *Cœpere inde esseda, & vehicula, & petorita exornari.* Quo de more, ut supra diximus, res nota est in celebri carrorum luxu, & rerum factarum ex argento, quales tempore Reipubl. Romanæ, bellis civilibus interjecto, a Censoribus prorsus abolitæ fuerunt, post rursus inolevere, reductæ ab hominibus licentiosis, quibus volupe perdere sanctum vivendi morem, cujus observantia legitima libertas consistit.

XXVII. *De Traha & Tribula.*

TRaha erat carrum sine rotis, dictum a nostratibus tribula, & traglia, quia per terram trahatur, a trahendo, unde trascinam quidam vocitant. Fuit usitata colonis in convehendis rebus ad villam spectantibus, frumentis scilicet, & fructibus: Traha terram leniter radente secure, & sine periculo vectabantur quoque statuæ, ac moles, sicut & fit hodie. Traglia, & traha quoque dicitur rastellum, aut crates dentata, qua raduntur & purgantur novalia, postquam versa sunt aratro, aut æquantur sulci, post sementem injectam, aut extrahuntur herbæ, & stipulæ agrorum. Facit hujus claram mentionem Virgilius, cum dicit de tribula, quæ eandem rem significat:

Tribulaque, trahæque, & iniquo pondere rastri.

Illis tota corporis mole incumbebat nonnunquam arator, & bubulcus. Tribula dentata purgabant arva saxosa, qualia erant tribus Papiniæ. Tribula itaque, & traha species vehiculi tractorii. Tribula est instrumentum quatuor longis lignis constructum, clavis totum confixum, quorum singuli palmi unius & dimidii intervallo a se mutuo distant, tota in longum ferreis, vel ligneis dentibus, palmum unum longis, aut paulo plus, confixa, quod in supellectile rustica rastellum dicitur. Quidam id appellant tribulum, quidam vehiculum dentatum, alii trascino, alii trahecia, qua trahunt omnis generis res necessarias in villa, ut fruges, ne grana excidant e spicis, nam incedit leniter, & sine succussione ulla, ut, quod supra est impositum, securissime possit, quoquo velis, portari. Est itaque aptissimum instrumentum portandi ea, quæ obnoxia periculo confractionis.

XXVIII. *De Vectabulo.*

VEctabulum est species carri, a vectando sic dictum, lecticæ volubili simile, quod fœminæ versari in omnem partem & volvere poterant pro lubitu, quod quidam vocant carrivolam.

XXVI. Del Staticulo Vehiculo.

STaticulum è anco specie di vehiculo, & di esseda, di cui fa memoria Plinio dicendo: Cœpere inde esseda, & vehicula, & petorita exornari. *Il quale uso, come dicemo di sopra, è celebre nel lusso de' carri, & cose fatte in argento, le quali nel tempo della Republ. Rom. tra le guerre civili da' censori furono già cassate, di poi ritornate dalle persone licenziose, che guastarono ogni costume di vivere, colla perdita della bontà di quella buona osservanza della legitima libertà.*

XXVII. Della Traha & Tribula.

TRaba era un carro senza ruote, detta da noi tribula, & traglia, perchè si strascinava, detta a trahendo, onde trascina alcuni l' appellano. Fu usata da coloni & nelle cose della villa, da traportare da un luogo ad un altro delle biade o frutti, & si trascinavano anco delle imagini per portarle sicure, come facemo hoggidì noi col trascino. Traglia, & traba si dice ancora il rastello a mangano dentato, con che si rastellano i campi per nettarli, doppo che è arato; o per spianare i solchi, dopo che sementato, trabendone con esse l' berba, & li sterpi dai campi. Fanne di questo chiara menzione Virgilio, quando dice della tribula, ch' è la medesima cosa:

Tribulaque, trahæque, & iniquo pondere rastri.

Andava sopra di esse l' aratore, & guidatore di buoi. Con essa tribula dentata nettavano i campi sassosi, come erano quelli della tribù Papinia. Queste dunque tribula, & traba sono specie di trascini. Tribula è uno instromento composto di quattro legni lunghi, attestati insieme, larghi un palmo & mezo l' un dall' altro, tutti per la lunghezza fatti a denti lunghi un palmo & più ancora, il qual rastello in campagna si appella. Alcuni lo chiamano tribulum, altri vehiculum dentatum, altri trascino, altrimente trabecia, è quella con che si trascinano tutte le cose necessarie in villa, nel portar il frumento all' arca, perchè i grani non escano fuori delle spiche, acciochè andasse più posato quel che si portava sopra, lo quale è sicurissimo instrumento da portar cose, che sono pericolose di rompersi.

XXVIII. Del Vectabulum.

VEctabulum è sorte di carro detto a vectando, è simile a una lectica volubile, cioè volgitiva, nella quale le donne la potevano volgere dove volevano, che alcuni dicono carrivola.

JOANNIS SCHEFFERI
IN
DIATRIBAM PYRRHI LIGORII
DE
VEHICULIS ANTIQUORUM
NOTÆ.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS
NOTÆ.
Ad Præfationem.



IN rei alicujus ſacræ.) Fuerunt & aliæ cauſſæ, cur nummis ſigna ejuſcemodi imponerentur. Sic enim ſignificabantur ſæpe tributi honores, item munera publica, & id genus, quod ex nummis Cæſarum & Auguſtorum liquet. Sæpe ſic geſtarum rerum ſervabatur memoria. Sæpe nummi ipſi pretiumque illorum ſic indicabantur, quod ex bigatis, victoriatis & ſimilibus eſt notum.

De carrorum.) Ita noſter voce Italica. Rectius *vehicula* dicerentur. Nam carrus ſpecies vehiculi, non genus.

Οχήματος. Hoc nihil differt a præcedenti, quippe cujus caſus eſt ſecundus. Videtur Pignorius exiguam Græcarum litterarum peritiam habuiſſe.

Sub nomine plauſtri ſunt multi carri.) Putat, plauſtrum quoque generale nomen eſſe. Ac ſic ſæpe in ſequentibus. Sed hoc falſum.

C A P. I.

Ἀμάξης.) Occurrit in hac voce, quod ſupra in voce ὀχήματος a nobis obſervatum eſt.

Παρὰ τῷ.) Hæc ex Suida ſunt deſumpta, qui ſic explicat ἁμαξεῖαν. Itaque nil faciunt ad ἅμαξαν, cum ἁμαξεία ſit ab ἅμαξα non hoc ab illo.

Quadriga Erichtonii. Hoc non lectum mihi; Vellem itaque, ut auctorem idoneum nominaſſet.

Syſelli.) Videtur Cypſelum intelligere. Sed de curru ejus tale nil reperio apud alios.

Equis appoſitæ erant alæ.) Nec hoc lectum mihi. Et vide, quæ de curru Solis dixi libro primo. Pelopis equos facit alatos Pauſanias in in Eliacis I. verum ibi agit de ſtatua eorum ſic formata: Ἑκατέρῳ μὲν δὴ δύο αὐτῶν εἰσιν ἵπποι, τοῖς δὲ τοῦ Πέλοπός ἐστι πεφυκότα καὶ πτερά. Quæ ſic vertit Interpres: *Bigis uterque invehitur, ſed pinnati ſunt Pelopis equi;* Cum debuiſſet: *Quiſque equis utitur duobus;* Cum ſit ſermo de ἁμίπποις.

Quæ vocabula idem notant.) Falſum hoc, nec, ubi Græcum ἅμαξα, ibi ſtatim de plauſtro cogitandum. Sæpe generalis vox eſt.

Pilenti, Carpenti. Omnia hæc diſtincta ſunt, quod ipſe noſter non diſſimulare poteſt in ſequentibus.

Carpentophorus. Hunc ego nuſpiam reperio, & ex explicatione liquet, καρπέφορον in animo habuiſſe. Sed nec καρπόφορος. ſeu carpophorus, de vehiculo invenitur, & plane imperitia linguæ Græcæ obſtitit Ligorio. Ad poſtremum decimæ, quas hic memorat, Romanis penitus fuerunt ignotæ.

Carpentum faſtigiatum.) Quid eſt, *faſtigiatum*? & quare *faſtigiatum*? Sequitur apud Tacitum: *Suum quoque faſtigium Agrippina altius extollere.* Hinc natum carpentum faſtigiatum, quod eſt prorſus ineptum.

A

C A P. II.

Plane ſicut carpentum.) Hoc vero falſum eſſe docent, quæ de vehiculo utroque differuit.

Fuiſſe repertum in Hiſpania.) Dicam infra, c. 23.

Sculptos in hunc modum.) Utinam nobis eos exhiberet quiſpiam delineatos diligenter, multum ſine dubio juvarent inſtitutum hoc. Nunc ignorare cogimur, nunquam, quod ſciam, publicatos.

B

C A P. III.

Δύτροχον.) Hoc proprie non eſt ciſium, ſed vehiculum quodlibet, cum rotis duabus. Vide tamen, quæ de ciſio notavimus.

De eadem re.) Cleobis & Bitonis intelligit hiſtoriam. Primum autem quis ex Græcis δυτρόχῳ ſcribat uſos, haud recordor. Deinde, ſi vel maxime quis hoc ſcriberet, non tamen inde ſequeretur, δύτροχον eſſe ciſium.

Ciſarius.) Scribendum erat *ciſiarius*.

C

De jure ciſario.) Nulla lex de jure ciſario, nullum jus ciſarium extat apud veteres. De ciſiario agitur, ſi ciſium everterit, in l. 13. ff. Locati, ex quo jus hoc noſter eſt commentus.

Plauſtra, vehicula & ciſia.) Totum hoc eſt falſum: Nunquam enim bigæ, trigæ, ac id genus, plauſtra ciſiave dicta.

Anterior erat pro auriga.) Hoc tantum valet in vehiculis generis Cyrenaici, non in eis, quæ a Cyro ſunt excogitata.

Et alias appellatus ſit carruca.) Sed a nullo idoneo Scriptore.

D

Tornus eſt carrus. Ineptiſſime. Nunquam tornus vehiculis annumeratus eſt. Vitruvius ſic ait, lib. x. cap. I. ubi agitur de machinis in univerſum: *Non minus ſunt innumerabiles moderationes machinationum, de quibus non neceſſe videtur diſputare, quoniam ſunt ad manum quotidianæ, ut ſunt rotæ, folles fabrorum, rhedæ, ciſia, torni, cæteraque, quæ communes ad uſum conſuetudinibus habent opportunitates.* Quia hic rhedæ, ciſia, & torni mutuo ſe excipiunt, omnia hæc vehicula putavit, ſed eadem ratione folles quoque ac rotas facere vehicula potuiſſet, quæ præcedunt. At quis non videt abſurditatem?

E

C A P. IV.

Carruchi argentei in vico Sigillari dicto.) Primum non argentei, ſed argentati fuere, inter quæ duo plurimum eſt diſcriminis. Deinde nullus Romæ vicus fuit Sigillaris, ſed Sigillarius, in regione ſeptima, a quo, niſi fallor, differebat locus peculiaris *ad Sigillaria* vocatus, quem in animo noſter habuit,

F

cum iſta ſcriberet. Nec enim dubitari debet, quia reſpexerit Suetonium, ſic loquentem vita Claudii, cap. 16. *Eſſedum argenteum ſumptuoſe fabricatum ac venale ad Sigillaria redimi concidique coram im-*

peravit. Verum ex his verbis id colligere, quod facit Ligorius, est ex quovis quidvis facere.

Per diminutionem.) Hoc nemo demonstraverit. Quodlibet per se est.

Duabus rotis.) Imo quatuor, quod jam docui.

CAP. V.

Pro carpento. Hoc vero nusquam legi hactenus.

Quæ instituuntur oblectationis gratia.) Etiam hoc est falsum Non ad oblectationes pertinebant, verum sacra.

Qui dicti sunt Armamaxi.) Putavit, aurigarum esse hoc vocabulum. Et repetit inferius, cap 23. At nulli apud veteres armamaxi, verum harmamaxæ, Græcis ἁρμάμαξαι, nec homines, sed vehicula. Neque aliud Tertullianus voluit, quod alibi ostendi.

CAP. VI.

Biroton.) Docet & hic locus, Græcarum litterarum imperitiorem Ligorium fuisse. Nam biroton non est Græcum, verum δίτροχον.

Bigæ, quadrigæ.) Nunquam hæc vehicula birota nuncupata. Birotum enim ad portanda onera spectabat, non sic bigæ, quadrigæve.

Deipanetta.) Quid hoc sit vocabuli, fateor me ignorare.

Duodecim aliquando.) Hoc vero frustra dicitur, nec ex ullo veterum probari poterit vel verbulo.

CAP. VII.

Burdonum.) Falsissimum hoc est. Burdones equi fuerunt, vel muli, quod prolixe nobis etiam post alios est demonstratum.

CAPUT VIII.

Camulon.) Etiam hoc falsum. Camulon nihili est vocabulum, & ignotum Græcis pariter ac Latinis. Chamulcum habes apud Ammianum, sed pro alio prorsus genere.

Sicut apud Græcos camula dicitur herba.) Camulam herbam nullam scio. Chamælæam reperio, sed ea nil huc facit. Alias est χαμηλὸς quibusdam, quod Latinis *humilis*. An hoc respexerit, ignoro.

CAP. IX.

Vehiculi, hoc est, carri.) Imo vero equi, muli, asini, vel hominis, quod ostendi capite de clitellis.

Sectabere canthum.) Liquet, *canthum* & *cantherium* habuisse pro eodem, quod haud magnam eruditionem arguit.

Covinus pars currus.) Imo integrum, suique generis vehiculum, quod ipse in sequentibus fatetur.

Secundarias quasdam habenas.) Totum hoc est commentitium. De habenis observavit, quod & nos ostendimus, trajici per annulos consuevisse. Sed fuerunt illæ habenæ ordinariæ, nec annuli in capsa, verum jugo, quod abunde monstravimus.

CAP. X.

Combatus.) Omnia hæc falsa sunt, & inepta, & vox ipsa prorsus ignota classicis scriptoribus.

Comba, quod lecticam.) Hæc ex cubandi vel accumbendi voce arbitror collegisse. At *comba* ve-
A teribus, quæ & *cumba*, & *cymba*, navigium, non lectica, quod in libris nostris de Militia Navali demonstravimus.

Vox est linguæ Sabinæ.) Hæc vero ficta sunt a nostro, neque usquam apud veteres leguntur.

Apparet ex antiquis monumentis.) Supra jam optavimus ab amantibus antiquitatis ista publicari, quod hic repetimus.

CAP. XI.

Sulpitius Gallus.) Hunc ego Sulpitium Gallum penitus ignoro, neque visum hactenus, aut in lu-
B cem datum arbitror.

CAP. XII.

Comitatus semper Marco Antonio.) Nihil tale apud Plutarchum legas. Antonium Roma profugisse ad Cæsarem scribit ἐπὶ μισθίου ζευγῶν, quod non video, quid huc faciat.

Curricula.) Feminino genere non legi hactenus, quod sciam.

Curritius.) Penitus ineptum etiam hoc vocabulum existimo.

Propterea Cicero.) Nil ex hoc Ciceronis loco
C colligas ad confirmandum, quod præcedit. Imo curriculum ibi non vehiculum est, sed spatium currendi, quod cuivis mediocriter perito apparet.

Ut testatur Plinius.) Lib. VII. cap. 20. Sed ibi nihil tale, tantum ait, *nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensum*.

CAP. XIII.

Panem & palma.) Scribe, *panem & palmulas*, sic enim habet Suetonius cap. 26.

Quod esseda allatus esset commeatus.) Hoc ina-
D ne interpretamentum est. Nam Suetonius quidem testatur Augustum ipsum, vectum esseda, cœpisse cibum, quod alii, tanquam in loco inconvenienti facere detrectabant. Itaque hic nil de commeatu in essedis vehi solito vel verbulo.

Hoc genus militare esse.) Imo vero hinc colligitur, circense esse. Nam de victoria in Circo loquitur, non in bello.

Curruriarius, vehicularius.) Omnia hæc sunt barbara, & Latinis auribus ignota.

E

CAP. XIV.

Quoniam est incommodum agris.) Nihil tale, imo omnia contraria legas apud Gellium, ut ex iis constat, quæ de hoc vehiculo tradidimus.

CAP. XV.

Portandis per vias straminibus.) Hæc ex Isidoro male intellecto hausit, quia scripserat, esse *mollibus stramentis positam*. De straminibus enim nemo quidquam habet, quod Ligorianis conveniat.

Trahebaturque ab equis.) Imo portabatur, quoniam destitutum erat rotis, & vehiculum, quod
F in monumentis vidit, generis non hujus fuit, sed alterius.

Sunt & alii currus quadriroti.) Qui nil faciunt ad basternas, propter caussas, quas jam dixi.

Carri non genuini.) Cur hos minus genuinos vocitet, quam alios, haud equidem excogito, nisi fiat in respectu ad basternas. Verum ita currus nulli genuini erunt.

CAP. XVI.

Qui simul carro tali vehuntur.) non simpliciter & ubique verum in militia & prælio.

Corpus ejus.) Ita nominat ex ingenio linguæ Italicæ, quod Latini appellarunt *capsam*, sive *sellam*, quod semel fuit annotandum.

Atque interdum umbella.) Hoc ex Glossis suspicor hausisse, in quibus legitur σκιωάρχης, *bennarius*. Quia enim mentio hic fit σκηνῆς, ipse de umbella cogitavit.

CAP. XVIII.

Equis tribus ad jugum.) Imo a duobus subjugis, & uno funali, quod abunde declaratum est.

Hoc volumine.) Quod scripsit de Familiis Romanis, & cujus pars est hoc opusculum. Alias qui nummos volet cernere, consulat Ursinum in familia Claudia, Nævia, & aliis.

CAP. XIX.

Ab Erichthonio.) Hoc non sic simpliciter est verum, quod monstravi alibi.

Juxta traditionem poetarum relucet inter stellas.) Ne hoc quidem verum est. Nunquam quadrigas retulerunt inter sydera, sed Erichthonium, quem Aurigam nuncuparunt. Consule Germanicum, ejusque veterem Scholiasten.

Quinquejuga.) Talis mihi hactenus non est observata.

Exjuga.) Scribendum *hexjuga*, vel potius *sexjuga*.

Victoriatus cum imagine victoriæ.) Vide Plinium lib. XXXII. cap. 3.

Trigarium certamen.) Hoc totum esse commentitium, & ex lectione prava natum, pridem demonstrarunt eruditi, & nos quoque aliqua habemus, ubi egimus de trigis.

Præter alteras, quas tenet manibus.) Putat duplices habenas habuisse, sicut liquet etiam ex sequentibus. At nemo veterum hoc prodidit. Repugnant etiam imagines. Vide quadrigas exemplo Rubenianarum delineatas nobis.

Octajuges & nonajuges.) Vellem ostendisset nobis, ubi currus hi legantur. Nobis enim hactenus sunt incogniti.

CAP. XX.

Usi sunt in cursu.) Imo vero ad onera vehis plaustrisque utebantur, non ad cursum. Nam de cursu publico ne ipse quidem loquitur.

Octophorarius.) Ficta barbaraque vox, & incognita scriptoribus.

Solus usus est Cajus Caligula.) Hoc sine dubio hausit ex Suetonio. Sed is nihil tale, tantum ita habet cap 43. *Iter confecit interdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur.* Quia legit *veheretur* noster, de curru eum loqui arbitratus est.

Appellata Ptolomais.) Hæc ex sacris navibus seu publicis Atheniensium, nec cum ea confundenda, quam describit statim ex Plutarcho, ut conjicio. Meminit sane ejus Ulpianus ad Demosthenis Midianam, sed ea, quæ de Ptolomæo habet noster, non agnoscit.

Proras quatuor.) Tales ego nullas usquam legi. Et Athenæus Ptolomæi naves facit biproras & bipuppes tantummodo. Itaque hic quidem mihi omnia pro commentitiis habentur.

Habebatque lecticam gestatam a servis.) Hæc non satis cum præcedentibus conveniunt. Nam

A si a servis fuit portata, quid ita rotis octo debuit instructa esse?

A clientibus aut mulis.) Quasi genus unum idemque jam ab hominibus, jam a mulis fuerit portatum; quod est falsissimum.

Suetonius de Marone loquens.) Nihil de Marone hoc apud Suetonium reperio. Sed nec ex verbis, *ei succollantibus*, & quæ sequuntur, quidquam habet Suetonius. Puto invenisse alicubi, & credidisse Suetonii, cum essent alterius, cujuscunque denique, qui Suetonium laudaverat.

Seneca porro dicit.) Ne hæ quidem Senecæ sunt verba, sed alterius, qui habuit in animo, B quæ leguntur apud ipsum in libello de Tranquillitate: *quod refert, quantum habeat, quot lecticarios*, &c.

Ocreana.) Plane suspicor, scriptores ipsos non consuluisse Pyrrhum, verum habuisse nescio a quo confecta quædam excerpta, ipsi quoque non intellecta satis. Suetonius sic habet cap. 78. *A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat.* Porro longe alia est hæc lecticula, quam de qua hic agitur.

Usus est ea etiam Cæsar, sed ex ebore.) Hoc quoque nusquam legitur

C *Curtius.*) lib. VII. c. 6. ubi & ipse tantum habet ita: *Castris inde motis lectica ferebatur militari.*

Suetonius in Vespasiano.) Rursum alienis oculis Ligorius est usus. Nam in Vespasiano quidem nullam lecticariorum facit mentionem, nec perlatum per lecticarios in villam suam scribit, omnium vero minime de mulis docet ad lecticam.

Vocatoque lecticario.) Mulionem vocat clare, non lecticarium.

Baram.) Hoc barbarum, & a Gotis Germanisque in Italiam translatum est vocabulum, Latinis penitus ignotum.

Humeris gestata sicut sella.) Quantum conji-D cio, putat ferculum Romuli fuisse formatum instar feretri sepulchralis, cum asseribus duobus, sic, ut a quatuor ferri posset hominibus in humeris. Verum totum hoc, quantumcunque, commentitium est, quod ex iis liquet, quæ de eo ferculo tradidimus.

CAP. XXIII.

Currus Deorum.) Forsitan ex Tertulliano habet, qui currum Jovis in Circo *plaustrum* nominat. Verum ipse per contemptum ita loquitur, quod jam alibi notavi.

E *In conflictibus bellicis.*) Hoc mihi quidem nunquam lectum est.

Parte prima sedet auriga.) Firmat Curtius, quando ait lib. IV. cap. 16. *Auriga Darii, qui, ante ipsum sedens, equos regebat, hasta transfixus est.* Nec tamen perpetuum hoc fuit.

Apertum erat retro.) Non de plaustro, verum curru hoc intelligendum, eoque militari.

In cujus fastigio sedebatur sub dio.) Hæc vero prorsus non intelligo. De fastigio currus dixi supra ad caput primum.

Varro de Lingua Latina libro IV.) Nusquam Varro petorriti facit mentionem in his quidem li-F bris, qui nunc extant. Deceptus noster rursus ab amanuensi suo videtur, qui ex Gellio excerpserat hæc verba, occurrentia lib. XV. cap. 38. *Petorritum vox est Gallica. Id scriptum est in libro M. Varronis decimoquarto rerum divinarum. Quo in loco Varro, cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, sed Hispanicum.* Quia Varro lanceam Hispanicam dixit vocem, noster etiam de petorrito hoc tradere putavit.

Plautus in Epodon.) Neque Plautus scripsit Epodus, neque vox pilenti apud ipsum legitur. Horatius habet lib. II. Epist. An fortassis compilator, cujus noster opera est usus, scripsit Flaccus, quod non bene adspectum Pyrrhus putavit esse Plautus.

In taberna quadam.) Mox tamen ait subter scalas in sacello bonæ Deæ. Quanquam neutrum verum sit, nam juxta ad sacellum, extractus ex taberna, ubi latebras quæsiverat, in via publica, est interfectus. Vide Asconium ad hanc orationem.

Unde Livius lib. V.) Cap. 25. sed ibi libri omnes habent non *plaustro*, verum *pilento*, ut nil hinc sequatur.

Promiscue idem significantes.) Nusquam, ubi Scriptores accurati sunt.

Horatius Flaccus secundo epistolarum idem docet.) Imo facit contrarium, istaque ut diversa ponit. Verba ejus: *Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.* E quibus nil elicias ejusmodi, quod vult noster.

Sicut tradit Servius Honoratus.) Nullam litteram hac de re apud ipsum possum reperire.

Alii carpentum.) Ego nusquam hoc inveni.

CAP. XXIV.

Tantundem est ac carruca.) Si improprie loquaris, non si proprie.

Duabus constat rotis.) Imo quatuor, quod manifeste docui.

Nec Virgilius.) Imo Juvenalis Sat. VII. Unde liquet manifeste, nostrum non consuluisse ipsos auctores, verum aliena usum esse opera, in congerendis ipsorum locis atque verbis.

CAP. XXVI.

Staticulum quoque species est vehiculi.) Totum hoc falsissimum esse, alibi abunde demonstravimus.

CAP. XXVII.

Lectica volubili.) Quæ qualisve hæc volubilis lectica sit, sit mihi quidem incompertum est. Puto plane natam ex ingenio Scriptoris nostri. Nam ejus apud veteres neque vola extat nec vestigium.

F I N I S.

INDEX

AUCTORUM, RERUM, ET VERBORUM.

A

INDEX.

D

E

F

G

H

K

L

Q

R

S

T

V

—*ire*

X

Y

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 71. B. lin. 24. *Ad verbum* Jornandes *adde ad marginem* cap. 42. pag. 229. C. lin. 32. fine ostia *lege* five ostia. pag. 410. D. lin. 40. E celestæ *lege* Eccelestæ. pag. 560. A. lin. 10. Universitatis *lege* Universitati. pag. 609. lin. 14. *ante finem*. Epulejus *lege* Apulejus. pag. 782. C. lin. 33. suspenait *lege* suspendit. pag. 819. D. lin. 41. plu *lege* plus. pag. 1077. A. lin. 6. *dele alterum* Κνῆμαι. pag. 1243. F. lin. penult. Κανθύξια *lege* Κανθήλια. pag. 1274. B. lin. 16. probo rantum *lege* probos tantum. pag. 1233. D. lin. 46. Δυξυγία *lege* Συζυγία. pag. 1474. D. lin. 43. CAP. XXVII. *lege* CAP. XXVIII.

Series Tabularum.

N. S. T. V. PRÆF. TAB. I. PAG. XI.
N. S. T. V. PRÆF. TAB. II. PAG. XIV.
N. S. T. V. pag. 370. Tab. I.
N. S. T. V. pag. 394. Tab. II.
N. S. T. V. pag. 635. Tab. III.





